BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
1 M
1

D. ASCANII TAMBURINII,

De Marradio, S.T.M. Abbatis Passinianensis, Congregationis Vallis-Umbrosæ Generalis &c. &c.

DE JURE ET PRIVILEGIIS ABBATUM, PRÆLATORUM, ABBATISSARUM, ET MONIALIUM,

TOMI IV.

Conciliorum, Canonum, Summ. Pontific. & Sacr. Congregat. Decretis, &c. &c. roborati; S. Romanæ Rotæ Decisionibus illustrati; adeoque ob ponderosissima, quæ hinc inde occurrunt, Rerum Monumenta numeris suis absolutissimi.

AUGUSTÆ VINDELICORUM,
Apud LAURENTIUM KRONIGERUM,
Et Hæredes THEOPHILI GOEBELII,
Typis JOANNIS PHILIPPI ANDREÆ.
M. DC. XCIIX.

a.

DE JURE ABBATUM, ET ALIORUM PRÆLATORUM,

Tàm Regularium, quàm Secularium,

EPISCOPIS INFERIORUM,

TOMUS PRIMUS;

IN QUO PLENISSIME DE EORUNDEM Origine, Institutione, Abbatiarum Commendatione, Electione, Confirmatione, Benedictione, Exemptionibus, Immunitatibus, Privilegiis, Pontificalibus Insigniis, Præeminentiis, Moribus, & Doctrinâ copiosè differitur:

CONCILIORUM, CANONUM, PONTIficum Summ. Authoritate: nec non sacrarum Congregationum Decretis, SS. Patrum Sententiis, Legislatorum Disciplina Regularis Sanctionibus: & omnium ferè Religionum Constitutionibus, Theologorum, ac Jus dicentium Placitis, juxta Romanæ Curiæ Praxin illustratus:

VARIIS ETIAM ANNOTATIONIBUS, ET PERItioribus Doctrinis ad locupletiorem formam redactus: novissimis, nec antea in lucem editis sacræ Romanæ Rotæ Decisionibus quamplurimis roboratus:

TAXA ETIAM OMNIUM ET SINGULARUM TERRARUM Orbis Abbatiarum ad Apostolica Cameræ Præscriptum auctus: ac tandem Formulariis pro Superioribus, & Regularibus Judicibus, ac Abbatibus hæretica Pravitatis Inquisitoribus cumulatus.

AUTHORE

D. ASCANIO TAMBURINIO

DE MARRADIO S.T.M. ABBATE PASSINIAnensi, Congregationis Vallis-Umbrosæ: olim ejusdem Congregationis Generali, Serenissimi Principis Cardinalis Caroli Medices à sacris Consultationibus.

Post tres, quæ in Gallia prodierunt, Editiones prima in Germania, auctior & correctior, necessariis Indicibus illustrata.

AUGUSTÆ VINDELICORUM,

Apud LAURENTIUM KRONIGERUM,

Et Hæredes THEOPHILI GOEBELII.

Typis JOANNIS PHILIPPI ANDREÆ.

M. DC. XCIIX.

AD LECTOREM.

Lurima leguntur, Humanissime Lector, librorum volumina, in quibus totum id, quod juris habet Episcopalis dignitatis amplitudo, antiqui, recentioresque Jurium Consulti, Legumque parentes doctissimè dilucidarunt. Illis modò omissis, qui in vetusti seculi tenebris ferè penitùs delitescunt, è modernis inter aliòs diligenti satis curiositate à Petro Blesensi instituitur Episcopus: cujus Promotionem sub suis conditionibus declarat eruditissimè Sebastianus Medices: eundem consecrandum Stanislaus Sacolarius proponit: à quo consecrato originata Potestas, Auctoritas, & Jurisdictio Bertachini, Ugolini, Filesaci, Vargas, Pagani, & aliorum lucubrationibus illustrantur, quas etiam subtiliter defendit Antonius de Præstis. Ac ut tandem Dignitatem, Statum, & Officium Episcopi cognoscamus, summis vigiliis insudarunt Cajetanus, Naclanthus, Catharinus, Sato, Caranza, & Zechius: ex quibus optimum Episcopum descripsit Joannes Baptista Signius, sed omnium eruditissimus & sapientissimus Dominus meus Augustinus Barbosa, sive ad Episcoporum Antiquitatem, & Institutionem, sive ad Electionem, & Consecrationem, sive ad Jurisdictionem, Potestatem, & Officium spectes, sive denique Episcopi Dignitatem, & optimum statum exposcas, desiderium in foro versantium novissimè quidem, sed affluenter explevit. Verùm cùm in Ecclesiastica Hierarchia Abbates in Prælatorum appellatione communicent cum Archiepiscopis, & Episcopis, *cap. Decernimus de Jud.* & quoad Pontificalia pari gressu procedant, *cap. ut Apostolicæ, de Privil. in 6.* & text. *in l. illud, ff. ad leg. Aquil. & l. A Titio, ff. de verb. oblig.* Et quando aliquid committitur Ordinariis locorum, commissum etiam intelligatur Abbatibus, nisi subjecta materia aliud exposcat, Gloss. *in cap. Ordinariis. verb. locorum, de Off. ord. in 6.* ubi communiter DD. & Abbates exempti Ordinarii appellantur à Navarr. *cons. 9. tit. de privil.* Decio *cons.* 121. Panorm. *c. ut famæ, n. 6. de sent. excomm.* & aliis apud Erasm. Cochier. *de Jurisd. Ordin. in exemp. 1. p. q. 1. n. 9.* Sed quod absque ulla controversia ab omnibus conceditur, cùm saltem post Episcopalem immediatè dignitas Abbatialis præfulgeat, *d. cap. ut Apostolicæ*, & *can. si quis deinceps 19. q. 6.* & *cap. 2. de Jud. cap. Dilectus, & cap. fin. de off. deleg. in 6.* & *cap. fin. de off. ord. eod.* Cùm item de Abbatibus placita in Conciliis, in Decretis, & in Pontificum Decretalibus Epistolis, innumera occasionem præbuerint Doctoribus disputandi, forensibus litigandi, Eminentissimis Cardinalibus in Congregationibus declarandi, sacrique Romanæ Rotæ Tribunalis Patribus quæstiones decidendi, haud contemnendus, licèt non absolutus, reputabitur conatus noster omnia quæ sparsim exarantur, & ad jus pertinent Abbatum, cæterorumque post Episcopos Prælatorum, in

unum colligendi, examinandi, & Decisionibus illustrandi hac serie, & ordine: ut in primo Tomo, quæ de Abbatis Institutione, & Creatione, statu, & Dignitate: in secundo de spirituali Abbatis Potestate; in tertio, & ultimo, quæ temporalem ejusdem concernunt auctoritatem, declarentur. Hoc unum in toto hoc opere, qualecunque sit, profiteor, me pro viribus, atque omni majori conatu operam dedisse, ut singula ferè Disputationum Quæsita, Jure, tam veteri, quàm novo Pontificio, in Conciliis, Canonibus, & Apostolicis Constitutionibus, necnon sacrarum Congregationum Decretis, Sanctorum Patrum sanctionibus, Theologorum, ac Jusdicentium sententiis, Religionum Statutis innixa firmarentur; & ad conciliandam utriusque Juris Doctorum opinionum varietatem S. Rotæ Romanæ Decisiones passim addidisse; quarum quamplurimas novissimas, nondum in lucem editas, ut tanti Tribunalis auctoritate opus perficerem, collegi in fine Tomi tertii, cui insuper addidi Praxim Criminalem & Judiciariam Abbatum. Tu igitur, quod reliquum est, studiosissime Lector, lucubrationibus nostris feliciter utere; suscipe labores nostros læta fronte; ac quam tua causa operam impendimus, accipe, ut assoles, in bonam partem. Vale.

APPROBATIONES.

EGo AUGUSTINUS BARBOSA, J. U. D. Lusitanus, de mandato Reverendissimi P. Fr. Nicolai Rodulfii, Sacri Apostolici Palatii Magistri, omni qua potui diligentia, summaque jucunditate legi, & iteratis vicibus revolvi Tomum primum Tract. *De Jure Abbatum, & Prælatorum, tam Regularium, quàm sæcularium Episcopis inferiorum*, Authore admodum R. P. D. ASCANIO TAMBURINIO, Monacho Vallis Umbrosæ, & S. Theologiæ Magistro, nihilque in eo inveni, quod fidei Catholicæ, aut bonis moribus adversetur; imò potiùs opus hoc summo ingenio, & singulari doctrina elaboratum, sacris Canonibus, & Summorum Pontificum Constitutionibus refertum, ac proinde in usu frequenti, & quotidiana materia omnibus pernecessarium, Typis mandari posse censeo. In quorum fidem me propria manu subscripsi. Romæ hac die 23. Januarii 1628.

AUGUSTINUS BARBOSA.

EGo infrascriptus accuratissimè perlegi, de mandato Reverendissimi P. Fr. Nicolai Rodulfii, Sacri Apostolici Palatii Magistri, hoc Opus *De Jure Abbatum, & aliorum Prælatorum, tam Regularium, quàm sæcularium Episcopis inferiorum*, à R. P. D. ASCANIO TAMBURINIO, Monacho Vallis Umbrosæ, & S. Theologiæ Magistro, diligenti studio, curaque erudita elucubratum, in quo nihil offendi, quod Orthodoxæ fidei, Apostolicæ Sedi, aut legibus Ecclesiasticis de librorum impressione adversetur. Imò quia hæc materies compendiaria methodo, dilucidoque stylo solidis innixa fundamentis pertractatur, ideò dignum censeo quòd Typis ad communem utilitatem vulgari possit. In quorum fidem me subscripsi. In Monasterio S. Praxedis de Urbe, die 1. Februarii, anno 1628.

Ita censebam ego D. HORATIUS MORANDIUS, *Abbas S. Praxedis de Urbe, Congregationis Vallis Umbrosæ.*

IMPRIMATUR.

Fr. NICOLAUS RODULFIUS, *Sacr. Palat. Apost. Mag. ac totius Ord. Præd. Vic. Gen.*

INDEX

INDEX
DISPVTATIONVM, ET QVÆSITORVM
HVJVS PRIMI TOMI.

DISPUTATIO PRIMA.
De nomine Abbatum, & aliorum Prælatorum Episcopis inferiorum.

DISPUTATIO II.
De origine, & antiquitate Abbatum, & aliorum Prælatorum Episcopis inferiorum.

DISPUTATIO III.
De genere Abbatum, & aliorum Prælatorum Episcopis inferiorum.

DISPUTATIO IV.
De Abbatibus Commendatariis.

DISPUTATIO V.
De electione Abbatum, & Prælatorum Episcopis inferiorum.

DISPUTATIO VI.

De confirmatione Abbatum, & Prælatorum Episcopis inferiorum.

DISPUTATIO VII.

De Nominatione, & Præsentatione Abbatum, & aliorum Prælatorum Episcopis inferiorum.

DISPUTATIO VIII.

De modo formandi processus, & forma expediendi aliquas Abbatias, & Ecclesias in Consistorio.

DISPUTATIO IX.

De Diplomatibus Apostolicis à quibusdam Abbatibus, & Prælatis in Curia Romana expediendis.

DISPUTATIO X.

De simoniaca institutione, & illegitima procuratione Abbatiæ, & Prælatura vitanda.

DISPUTATIO XI.

De benedictione Abbatum.

DISPUTATIO XII.

De duratione Abbatum, & aliorum Prælatorum Episcopis inferiorum.

DISPUTATIO XIII.

De renunciatione, & dispositione Abbatum, & aliorum Prælatorum Episcopis inferiorum.

DISPUTATIO XIV.

De residentia Abbatum, & aliorum Prælatorum Episcopis inferiorum.

DISPUTATIO XV.

De exemptionibus Abbatum, & aliorum Prælatorum Episcopis inferiorum.

Index Disputationum, & Quæsitorum.

DISPUTATIO XVI.

De privilegiis Abbatum, & aliorum Prælatorum Episcopis inferiorum.

DISPUTATIO XVII.

De Communicatione Privilegiorum Abbatum, & aliorum Prælatorum inferiorum.

DISPUTATIO XVIII.

De Confirmatione privilegiorum Abbatum, & aliorum Prælatorum inferiorum.

DISPUTATIO XIX.

De jure præscribendi Abbatum, & aliorum Prælatorum Episcopis inferiorum.

DISPUTATIO XX.

De Pontificalibus Insigniis, & ornamentis Prælatitiis, ac indumentis Abbatum, & aliorum Prælatorum.

DISPUTATIO XXI.

De Pontificalibus Abbatum, & Prælatorum inferiorum, quoad eorum exercitium & actualem usum.

DISPUTATIO XXII.

De usu, & exercitio Pontificalium Abbatum, & Prælatorum inferiorum quoad Benedictionis munus exercendum.

DISPUTATIO XXIII.

De usu, & exercitio Pontificalium Abbatum, & aliorum Prælatorum inferiorum quoad munus consecrationis præstandum.

DISPUTATIO XXIV.

De præeminentiis Abbatum, aliorumque Prælatorum Episcopis inferiorum, quoad Concilia Generalia, vel Diœcesana, necnon processiones, & alias sessiones, & actus, tam publicos, quam privatos.

DISPUTATIO XXV.

De providentia Abbatum, & aliorum Prælatorum inferiorum, tam secularium, quàm Regularium, inter alios, & inter seipsos.

DISPUTATIO XXVI.

De qualitatibus, quibus Abbas, & Prælati in suo numero constitui, ad illud rectè obeundum, prædeti esse debent.

DISPUTATIO XXVII.

De exteriori habitu, & decentia, ac habitatione, & conversatione Abbatum, & aliorumque Prælatorum Episcopis inferiorum.

INDEX CONSTITVTIONVM, ET BULLARUM APOSTOLICARUM,

Quæ in hoc primo Tomo integræ, seu per particulas referuntur.

ELEN-

ELENCHUS AUTHORUM,

SVMMORVM PONTIFICVM,

Conciliorum, Librorum Scripturæ ſacræ, Sanctorum Patrum, aliorumque Doctorum quibus totum hoc de Jure Abbatum opus innititur.

A.

ABBAS antiquus.
Abbas Urſpergenſis.
Accurſius.
Acerbus Vallumbroſanus.
Achilles.
Acta Apoſtolorum.
Ægidius de Coniuk.
Ægidius Fantuc.
Æneas Falconius.
Afflictus.
Aimoinus.
Alba.
Albanus.
Albericus.
Alciatus.
Alexander III. Papa.
Alexander IV. Papa.
Alexander V. Papa.
Alexander VI. Papa.
Alexander ab Alexandro.
Alexander Raudenſis.
Alphonſus à Vera-cruce.
Alphonſus de Caſarubros.
Alphonſus de Caſtro.
Alterius.
Alvarus Pelag.
Alvarus Velaſcus.
Alvinus.
Ambroſinus.
S. Ambroſius.
Ammianus Marcellinus.
S. Anacletus.
Ancharanus.
B. Andræas Abbas Vallumbroſ.
Angelus.
Angles.
Anicetus I. Papa.
S. Anſelmus.
S. Antoninus.
Antiquit. Pariſ.
Marios Antoninus.
Apocalypſis.
Aragon.
Archidiaconus.
Archiepiſcopus Florentinus.
Aretinus.
Ariſtoteles.
Armendaris.
Armilla.
Arſenius Crudelius Vallumbroſanus.
Athanaſius.
Athanaſius Germen.
B. Atto Epiſcop. Piſtorienſis, Vallumbroſanus.
S. Auguſtinus.
Auguſtinus Ticinenſis.
Auguſtinus de Ancona.
Ant. Auguſtinus.
Aubertus Miræus Bruxellenſis.
Avila.
Aufretius.
Azevedus.
Azo.
Azorius.

B.

BAjardus.
Baldus.
Balduinus Junius.
Baldus.
Bardellus.
Bannes.
Barbatia.
Bardellus.
Bartholomæus à Vecch.
Bartholomæus ab Angelo.
Auguſt. Barboſa.
Eman. Barboſa.
Petr. Barboſa.
Baronius Card.
Bartolus.
Balſamon.
Baſilius.
Bavinus.
Beda.
Beja.
Belench.
Belflores.
Bellamera.
Petr. Bellapertica.
Bellarminus Card.
Bellenc.
Belletus.
Benedict Bomaſt.
Guillel. Benedictus.
B. Benignus Generalis Vallumbr.
Bergomas.
Petr. Beninteodis.
Bergomen.
S. Bernardus Abbas.
Bernardus de Ubertis Card. Vallumbroſanus.
Berojus.
Betrachinus.
Bertachinus.
Bertrandus.
Petr. Biax.
Biſigner.
Bobadilla.
Boccatius.
Boërius.
Henric. Boich.
Bolognetus.
Bolognnus.
Bonacine.
Bonifacius IV. Papa.
Bonifacius VIII. Papa.
Bonifacius IX. Papa.
Boitellus.
Boſſius.
Bottæus.
Brixienſis.
Brunotus à Sole.
Burrattus.
Burſarus.
Butrattius.
Butrius.

C.

CAbellus.
Cabedo Luſitan.
Cabotius.
Caccial.
Cacheranus.
Cæleſtinus V. Papa.
Cæphalus.
Cæſar Batz.
Cæpol.
Cæſar de Graſſis.
Cæramoniale Epiſcoporum.
Cæremoniale Burſfelden.
Caetanus.
Cagnol.
Calderinus.
Calvinus.
Camillus.
Campanillus.
Campegius.
Cancellar.
Cancerius.
Caniſius.
Cano.
Capella Tholoſana.
Capiccius.
Capra.
Caputaquenſis.
Carbo.
Cardinalis Albanus.
Cardoſo.
Carocius.
Carolus de Graſſis.
Caſſadorus.
Caſſaneus.
Caſſianus.
Caſſiadorus.
Caſſiodorus.
Caſtaldus.
Caſtellionus.
Caſtillo.
Caſtrenſis.
Catharinus.
Cavalcanus.
Cavalerus Cardin.
Celſus.
Cenedo.
Cephal.
Cevallos.
Choppin.
Chronicon Caſinenſ.
Jul. Clarus.
Clavaſius.
Clemens I. Papa.
Clemens IV. Papa.
Clemens V. Papa.
Clemens VII. Papa.
Clemens VIII. Papa.
Citovæus.
Collector privileg. Mendicantium.
Collegium Bononienſe.
Collegium Paduanum.
Comirillus.
Comirolus.
Compoſtellus.
Concilium Agathenſe.
Concil. Aquiſgranenſe.
Concil. Auguſtanum.
Concil. Aurelianum. I. II.
Concil. Baſilienſe.
Concil. Cabilonenſe.
Concil. Chalcedonenſe.
Concil. Cartaginenſe IV. V.
Concil. Conſtantinopolitanum.
Concil. Lateranenſe.
Concil. Moguntinum.
Concil. Nicænum.
Concil. Senenſe.
Concil. Toletanum I. II. IV.
Concil. Tribulienſe.
Concil. Tridentinum.
Concil. Turonenſe I.
Concil. Trullanum.
Concil. Vernenſe.
Concil. Viennenſe.
Conanus.

Confictius.
Coninch.
Conradus, Confer.
Conterol.
Corduba.
Coriolanus.
Cosmas.
Costa.
Cotta.
Covarruvias.
Crassus.
Crantzius.
Craveta.
Crescentius.
Cuchus.
Cujacius.
Cynus.

D.

Decanus.
Decianus.
Decius.
Delrios.
Diaz.
Diodorus Siculus.
S. Dionysius Areopag.
Directorium Inquisitorum.
Dominicus de S. Geminiano.
Duardus.
Duarenus.
Durantes.
Dyous.

E.

Ecclesiastes.
Ecclesiasticus.
Emmanuel Sà.
Ennodius.
Epictetus.
Erasmus Cokier.
Eremitanus.
Esaias.
Everardus à Cokier.
Everindus.
Eugenius IV. Papa.
Eusebius Cæsarien.
Exodus.
Ezechiel.

F.

Ant. Faber.
Fachinæus.
Farinacius.
Fasciculus temporum.
Federicus de Senis.
Felicianus.
Felinus.
Ferdinandus de Castilla.
Ferentillus.
Ferretus.
Filesacus.
Filiucius.
Firmanus.
Flaminius Parisius.
Franc. Florcorillius.
Angel. Florentiola, Abbas Vallumbrosanus.
Flores de Mena.
Florianus.
Florilegium Magnum Josephi Langi.
Formularium instrumentorum & variorum processuum.
Fornatius.
Franchinus.
Fraxinellus.
Freccia.
Fuschius.
Fusthus.

G.

Ant. Gabriel.
Gabriel Lusitanus.
Gaillus.
Galeratius.
Galesius.
Galerrus.
Gama.
Gamarus.
Gambara.
Andr. Gambarus.
Gamparupta.
Garcia Mastrillo.
Garsias.
Nic. Garsia.
Gavantus.
Gazzeus.
Gelasius Papa.
Geminianus.
Genebrardus.
Genesis.
Nicol. Genoa.
Gennadius.
Anast. Germonius.
Gerson.
Ghislerius.
Gigas.
Gilchenius.
Gironda.
Glossa ordinaria.
Lud. Gomez.
Ant. Gomez.
Gozadinus.
Gozadus.
Gonzalez.
Graffius.
Grammaticus.
Graffus.
Gratianus.
Gratus.
Gravatius.
D. Gregorius Nyssenus.
D. Gregorius Nazianz.
Gregorius IX. Papa.
Gregorius XI. Papa.
Gregorius XII. Papa.
Gregorius XIV. Papa.
Gregorius XV. Papa.
Gregorius Episcopus Bergomen. Vallumbrosanus.
Gregorius à Valentia.
Grevæus.
Guido Papa.
Guillelmus de Benedictinis.

H.

Henriquez.
Herodotus.
S. Hieronymus.
Hilarius Arelatensis.
Historia Commest.
Historia Lausiaca.
Historia Tripartita.
Hojeda.
Hostiensis.
Hugo Victorinus.

I.

Jacobus de Voragine.
Jacobus de Graffiis.
Jason.
Jeremias.
Illescas.
Imola.
Innocentius IV. Papa.
Innocentius VIII. Papa.
Joachimus Abbas.
S. Joannes Chrysostomus.
Joan. Bapt. de S. Blasio.
Joan. Bapt. Asiorus.
Joannes à Cochier.
Joannes Fanruc.
Joannes Andreas.
Jan. de Lignano.
Joannes de la Cruz.
B. Joannes Cellarum, Vallumbrosanus.
Job.
Isaias.
Isernia.
Isidorus.
S. Isidorus Hispalensis.
Julius II. Papa.
Julius III. Papa.
Ivo Carnotensis.
Justinianus.

L.

Laertius Cherubinus.
Lambertinus.
Lancellotus.
Lapus.
Laroch.
Laurentius de Peirinis.
Jacob. Laurentius.
Lavorius.
Layman.
Ledesma.
Fran. Leo.
Leo X. Papa.
Michaël Leonicus.
Lessius.
Locatus.
Lopez.
Lotterus.
S. Lucas Evang.
Lucarellus Vallumbrosanus.
Lucidius.
Joan. Ludovicus.
Lupus.
Petr. Lutius.
Hier. Lutius.
Lypsius.
Lyranus.

M.

Macrobius.
Majolus.
Major.
Mandosius.
Mandragortus.
Manrica Cardin.
Mantua.
Manuale Prælatorum.
Maranta.
Marcabruonus.
Marcanus.
Marchesanus.
S. Marcus Evangelista.
Marcus Antonius Genuensis.
Marcus Antonius de Amatis.
Marcus Aor. de Marsiliis.
Franc Marcus.
Marescot.
Marta.
Martinus V. Papa.
Mascardus.
Massombrius.
Mathesilanus.
Mariesius.
S. Matthæus Evang.
Medina.
Melanchius Generalis Vallumbrosanus.
Menchaca.
Mendoca.
Menochius.
Merla.
Misis.
Millanensis.
Minuccius Vallumbrosanus.
Miranda.
Modernus.
Mohedan.
Molina Jurisconsult.
Molina Theologus.
Molinus.
Molphesius.
Joan. Monachus.
Moneta.
Montaign.
Montalvus.
Morla.
Mosconius.
Moscus.
Mozagrugnus.
Mozzius.
Mucantius Junior.
Munsterus.
Mynsingerius.

N.

Aldus.
Natta.
Navarra.
Navarrus.
Neguzantius.
Nicephorus.
Nicolaus Papa.
Niger.
Joan. de Nigravalle.
Niegnus.
Numeri.

Oda-

INDEX

INDEX
QVAESITORVM OMNIVM,
QVÆ IN HOC PRIMO TOMO
CONTINENTVR,

Alphabetico ordine digestus.

A.

Appel-

Deci-

Ille-

Index Quæsitorum.

Index Quæsitorum.

(✱)

DE

DE JURE ABBATUM, ET PRÆLATORUM,

TAM REGULARIUM, QUAM SECULARIUM EPISCOPIS INFERIORUM.

Tomus Primus.

DISPUTATIO PRIMA.

De nomine Abbatum, & aliorum Prælatorum Episcopis inferiorum.

Quæst. I. *De Etymologia nominis Abbatis, & Prælati.*
II. *An nomen Abbatis dignitatem, vel onus importet.*
III. *Utrum nomen Abbatis sit nomen Prælaturæ, & an Abbas sit verè Ecclesiæ Prælatus.*
IV. *Utrum appellatione Ordinarii veniant Abbates, & alii Prælati.*
V. *An Episcopi appellatione aliquo modo veniat Abbas, vel alius Prælatus Episcopo inferior.*
VI. *Utrum Abbates, & Prælati habentes usum Pontificalium aliquando veniant appellatione Pontificum.*
VII. *Utrum appellatione Monachorum, & Regularium veniant etiam Abbates, & eorum Prælati.*
VIII. *Utrum sub nomine Abbatum veniant cæteri aliarum Religionum Prælati.*

QUÆSITUM PRIMUM.

De Etymologia nominis Abbatis, & Prælati.

SUMMARIUM.

1. *Nomen,* Abba, *Hebraicum sit, an Syriacum?*
2. Abba *Hebraicè idem significat, quod Latinè Pater.*
3. *Abbas in Latina lingua duplici litera B. in Hetrusca vero unica tantùm scribitur, & quare?*
4. *Ex dictione,* Abba, *secundùm aliquos prodiit hæc dictio Papa.*
5. *Summus Pontifex dicitur Papa, eò quod omnium Pater est.*
6. *Nomini Abbatis semper ferè conjungi solet dictio illa,* Pater, *& quare?*
7. *Nominis Prælati Etymologia quænam sit?*
8. *Nomina Prælatorum Episcopis inferiorum.*

1. Omen hoc, *Abba*, derivatur ab illa dictione, *Ab*, quæ, (juxta D. Hieronymum *in Comment. Epistol. S. Pauli ad Gal. cap.* 4.) ab Hebræo, Syroque idiomate ortum ducit. Hebræi enim dictione hac, *Ab*, Patrem significant, cui dictioni si de Chaldæorum, atque Syrorum more, *Aleph* apponas, resultat nomen, *Aba*. Hinc factum est, ut postea nomen, *Abba*, deductum sit, ut tradunt Alvar. Pelag. *de planct. Eccles. lib.* 2. *cap.* 23. & Petr. Gregor. *Syntagmat. Jur. universi, p.* 2. *lib.* 15. *cap.* 13. *de Abbatibus, num.* 1. Usus postea obtinuit, ut apud Latinos addatur litera S. in fine, ex qua hoc nomen integrum deducitur nempe, *Abbas.* At Alciat. *l.* 1. *C. de in jus vocand.* Alberic. *in suo dictionar. in verbo Abba Pater.* non ex duabus linguis, Hebraica scilicet, & Syriaca simul (ut D. Hieronymus ait) sed Hebraicum nomen tantùm esse contendunt: dictionem verò illam, quæ eidem nomini ferè semper addi solet, videlicet, *Pater*, esse vocem Græcam, aut Latinam videtur favere D. Augustinus *Epistola* 177. his verbis, *Paulus dicit Romanis scribens in quo clamamus Abba Pater, in uno nomine duabus utitur linguis, dicit enim Abba Hebræo vocabulo Patrem, & Latinè nominat identidem Patrem.* Et *lib.* 3. *de consensu Evangelist. cap.* 4. sic ait. *Quod autem ipse Marcus, non solùm Pater, sed, Abba Pater, eum dixisse commemorat, hoc est. Abba Hebraicè, quod Latine Pater.* Et D. Thom. *in epistol. D. Pauli ad Galat.* 4. *lect.* 4. sic ait: *Abba Pater, idem est in significatione, Abba, quod est Hebræum, & Pater, quod est Latinum,* Gloss. *in eadem epist. ad Galat.* quam refert Archidiac. *in can. hæc autem, num. ult.* 23. *quæst.* 4. dicit nomen, *Abba*, esse nomen Hebraicum; sed re vera nomen hoc, *Abba*. ab utraque, Hebraica scilicet, & Syriaca lingua deducitur, ut diximus in principio: & præter D. Hieronymum, Petr. Gregorium, & Alvar. Pelag. tradunt Nicolaus Lyran. *super eadem Epistola ad Galat. d. cap.* 4. Spiegel. *in lexic. Jur. verb. Abba.* florileg. magnum novissimum Josephi Langi, *lib.* 1. *verb. Ab: & ex iis* Roder.
quæst. regul. tom. 1. *q.* 12. *art.* 1. *in princ.* Quoad ipsius 2
autem significatum idem nobis significat Abbas, quod Pater, ut testantur D. Augustinus *loco citat. & super Ps.* 78. & D. Thom. *loc. etiam citat.* & D. Hieronymus

ubi suprà, qui sic ait: *Abba Hebraicum est, idipsum significans, quod & Pater; hocque pluribus in locis Scriptura servat institutum, verbum Hebraicum cùm illius interpretatione ponat*, quod etiam habetur *in cap. fin. de regular.* ibi *seu Patres Abbates*. Gloss. *in Clem. 1. de rescript.* Card. Tusc. *tom. 1. lit. A.* Campanil. *in diversorio Juris Can. rubr. 7. cap. 6. num. 91.* Sebast. Cæsarien. *in Relect. de Ecclesf. Hierarch. part. 2. disputat. 13.* Anton. Fabr. *in Praxi, & Theorem. Benefic. de major. & minor. Benef. num. 54.* Augustin. Barb. *de Jur. Ecclesf. lib. 1. cap. 17. num. 16.*

3 Portò nomen hoc, *Abbas* duplici littera B. in Latino sermone scribitur ex eo, quia ab Hebræis dictio, *Abba*, (à qua nomen Abbas derivatum esse, diximus) vel duplici littera Beth scribitur, ut quibusdam placet; vel si cum unica tantùm, additur punctum, daghes, quod idem est, ac si geminata, Beth, apponeretur. Duplici igitur B. notatum reperitur, nedum apud S. Hieronymum *loco citato*, verùm etiam *in vita S. Hilarionis antiquitùs descripta*, & *in vulgata editione Veteris ac Novi Testamenti*, atque *in verborum serie similiter Novi, ac Veteris Testamenti à Theologis Parisien. in lucem edita, in princ. in verbo Abbas*, & communiter apud omnes duplici littera B. scriptum invenitur. Itali verò quod B. est, ut à Latina pronunciatione discedere videantur, dictionem hanc unica B. describendam esse, volunt. Consule communem Scholam Scriptorum linguæ Hetruscæ, & lege Joan. Boccatium *novell. 13.* & Joan. Villan. 4. *c. 34.* & Vocabularium Academiæ Chruscæ *verb. Abbate*; quod habetur etjam *in Regula S. Benedicti vulgari lingua donata per totam*, & communiter apud omnes Scriptores Hetrusci sermonis; sed & vulgaris loquendi Hetruscorum consuetudo Abbatis nomen unica exprimit consonante. Hæc à nobis, quamvis nullius ferè momenti, annotata sunt, ut in hoc nostro opere nihil habeat, quod desiderare possit curiosus, & diligens Lector.

4 Præterea (secundum Petrum Gregorium *loco supra citato*) nomen Abbatis non solùm Patrem significat, sed ex eo etiam derivata est hæc amplissima dictio, *Papa*, nempe quòd mutatis duabus illis litteris BB. in geminatas PP. hisque singulis ante singulas A. locatis Papa formatur. Spicgel. *autem in suo Lexic. verb. Abbas*, ait, quòd apud Græcos Abbas appellatur Papas: an verò isti singulas BB. in litteras PP. mutaverint, non satis constat, sed tantùm apud eosdem Græcos ita Abbatem nominari propter reverentiam, ex eodem Spieg.
5 *loc. cit.* & hoc mirum non est, quia sicut Papa dicitur major Pater, eo quod omnium Pater est, ex Lælio Zechio *de Republ. Ecclesiast. titul. de statu Rom. Pontif. num. 1.* ita ex aliquali similitudine, & debita servata proportione, Præfectus Monachorum Abbas, sive Papas, ut dicunt Græci respectu suorum subditorum appellatur. Hoc tamen Papæ nomen non Abbatibus, sed Pontifici Maximo omnium Patri, & Abbati Sanctissimo solùm tribuendum est, sicut communiter hodie Summus Pontifex ab omnibus dicitur.

6 Solet quippe huic nomini Abbatis semper ferè conjungi dictio illa, *Pater*, ut Marci 14. *Abba Pater omnia tibi possibilia sunt*, & Apost. Rom. 8. *Non accepistis spiritum servitutis, sed spiritum filiorum, in quo clamamus, Abba Pater*, & ad Gal. 4. *Quoniam estis filii Dei, misit Deus spiritum filii sui in corda vestra clamantem, Abba Pater.* Quod ex eo factum esse arbitror, ut majorem gignendo vehementiam, per illam geminationem certius animi studium, & major erga Patrem fiducia declaretur. Hinc etiam in Hebræa, Syra, Chaldæa, aliisque linguis semper dictio, *Abba*, vehementiam denotat. At D. Hieron. *loco superiùs citat.* ait, nomini *Abba*, additam esse dictionem illam, *Pater*, ad ipsum nomen, *Abba*, interpretandum. Sæpè enim in sacra Scriptura Hebraicis verbis interpretatio sua apponi consuevit, ut in Genesi *Mesech, vernaculus*, & Marci 10. *Bartimeus filius Timai, Asser, Divitia, Thabitha, Dorcas* & alia hujusmodi, & hac ratione dictioni huic, *Abbas*, ex antiqua consuetudine additur ab omnibus vox illa gratissima *Pater*, qua Monachi Præfectos suos compellantes, eandemque vocem, *Abbas*, interpretantes, illos eorum Patres esse, crebiò intelligant.

Quòd verò ad Etymologiam reliquorum Prælatorum, licèt omnes dici possint Abbates, cùm ipsi tanquam suorum subditorum Patres se gerere debeant: 7
tamen Prælatus dicitur quasi præ aliis ditatus, vel ante latus, quasi quòd ante alios positus sit; ut tradit Panormit. *in cap. cum ab Ecclesiarum, sub num. 1. de offic. ordin.* De jure Canonico sunt Antistites Ecclesiastici *tit. de postulat. Prælat.* Petr. Gregor. *Syntagmat. juris univers. cap. 3.* Daniel Otho *de jure public. cap. 18. vers. Prælati à præferendo dicti.*

Horum Prælatorum alii sunt Regulares, alii Secu- 8
lares? Regularium alii Abbates Generales, alii Præsidentes Generales, alii Reformatores Generales, alii Magistri, alii Ministri etiam Generales, alii Provinciales, alii Commissarii, alii Visitatores, alii Priores, alii Præpositi, alii Majores, alii Guardiani, alii Custodes, &c. Secularium alii Priores, alii Præpositi, alii Decani, alii Archidiaconi, alii Archipresbyteri, & his similes, quorum nonnulli sunt in partibus Ultramontanis habentes jurisdictionem fundatam in privilegio, aut consuetudine, ut notat Reverendissimus Dominus meus D. Antonius Ricciullus Bellicastren. Episcopus, & Vices gerens meritissimus *in suo eruditissimo tractatu de jure person. extr. grem. Ecclesia exist. lib. 4. cap. 61. num. 13.* Et de aliis in Hispania notat Dominus meus August. Barbos. *de offic. & potestat. Episc. alleg. 3. num. 9. juxta Lugd. impress.*

QUÆSITUM II.

An nomen Abbatis dignitatem, vel onus importet.

SUMMARIUM.

1 *Officii nomen quandoque latè, quandoque strictè sumitur.*
2 *Officium, quid sit.*
3 *Dignitas, quid sit.*
4 *Nomen Abbatis dignitatem, & officium importat.*
5 *Omne, quod hic eminet, plus afficitur mœroribus, quàm honoribus gaudet.*
6 *Abbatis nomen est honoris, & dignitatis.*
7 *Abbas dicitur constitutus in primo gradu dignitatis, nec est de dignitatibus Episcopo inferioribus.*
8 *Abbates non omnes habent dignitatem, sed ii tantùm, in quibus concurrit aliquod ex tribus signis requisitis ad dignitatem constituendam.*
9 *Dignitas ex quibus signis dignoscatur.*
10 *Dignitas non constituitur ex solo nomine, nisi etiam concurrant prærogativa.*
11 *Clerici in pluribus locis vocantur Abbates qui tamen nullam habent dignitatem.*
12 *Rectores aliqui in Aragonia dicuntur Abbates, & eorum uxores Abbatissa.*
13 *Consules, seu Priores artium in multis locis vocantur Abbates.*
14 *Caput Cleri Hispalen. vulgò Abbas major appellatus, non habet dignitatem.*
15 *Prioratus est dignitas sicut Abbatia, dummodo concurrat in eo aliquod ex signis requisitis ad dignitatem constituendam*, num. 16.
17 *Abbatia qua caret Cura, & Conventu, non est dignitas, nec requirit ætatem 25. annorum.*
18 *Præpositura est dignitas, sicut Abbatia; nisi careat Cura, & Conventu.* num. 19.
20 *Præpositura in Ecclesia Gerunden. non sunt dignitates,*

res, neq; beneficia, sed simplices tantùm administratio-
nes temporales, nihil spiritualitatis habentes.
21 Abbatia in odiosis non venit sub nomine dignitatis;
prout neque Episcopatus.
22 Dignitas debet esse perpetua. Declara ut num. 24.
23 Abbates triennales videntur suffecti loco Priorum
Claustralium.
24 Abbates ad tempus creati dicuntur habere dignitatē.
25 Beneficium de jure communi perpetuum esse debet.
26 Beneficium ex speciali jure, & privilegio, vel ex im-
memorabili consuetudine potest esse non perpetuum.
27 Abbates ad tempus creati succedunt in omnibus, quæ
de jure ad Abbates perpetuos spectare noscuntur, cùm
in illorum locum subrogati sint.
28 Congregationes regulares quare in unum omnia Mo-
nasteria univerint, & Abbatias manuales effecerint.
29 Manualia beneficia Papa providere non solet, ad evi-
tandum absurdum, quod provisus ab illo possit ab
inferiore removeri.
30 Subrogatus sortitur naturam, jura, & privilegia il-
lius, in cujus locum subrogatur.
31 Dignitas ex sui essentia non requirit perpetuitatem
in officio, sed satis est, quod possit esse perpetua.
32 Vicarii Generales Episcoporum sunt ad nutum con-
stituentium amovibiles.
33 Vicarius Generalis Episcopi habet dignitatem, & est
in dignitate constitutus.

1 PRo hujus quæsiti declaratione præmittendum est;
Nomen officii quandoque strictè, quandoque latè,
sive propriè, vel impropriè sumi; ut explicat Joann.
Francisc. de Pavin. tract. de offic. & potest. Capituli Sede
vac. prælud. 2. per tot. Et inter officium, & Digni-
2 tatem hanc esse differentiam, quod officium dicitur ha-
bere onus annexum; Dignitas verò ea est, quæ cum
administratione rerum Ecclesiasticarum, & honore
jurisdictionem habet, cap. volumus, cap. Diaconus, &
cap. quia 99. distinct. unde dicitur habere dignitatem:
quando quis habet administrationem rerum Ecclesia-
sticarum cum jurisdictione: dicitur etiam habere dig-
nitatem, qui habet nomen dignitatis, & Prælationis,
sicut prærogativam in sua Ecclesia, tàm in Choro,
quàm in processionibus, & aliis Comitiis, & sessionibus,
quamvis non habeat administrationem rerum Eccle-
siasticarum, vel jurisdictionem, ut patet in Decanis, &
Archidiaconis quamplurium Cathedralium, & etiam
in nonnullis Abbatibus secularibus, nullam admini-
strationem, vel jurisdictionem habentibus. Tertiò di-
3 citur habere dignitatem, qui ex consuetudine Ecclesiæ
habetur in dignitate, quia si consuetudo est in Ecclesia,
pro dignitate haberi debet, cap. consuetudo 12. dist. Ita
Archidiac. in cap. 1. num. de consuetud. in 6.

4 His positis, dico, Abbatis nomen secum importare
& honorem, & dignitatem: atque onus, & solicitudi-
nem, seu (quod idem est) esse nomen dignitatis, & offi-
cii; quod significet officium, sitque nomen oneris, &
solicitudinis, ait Gloss. in cap. tuam de ætat. & qualit.
arg. text. in cap. hoc tantùm 18. quæst. 2. Innocent. in cap.
de multa col. ult. de præb. Cassan. in Catal. glor. mundi 4.
p. consid. 32. Et quòd importet dignitatem, & onus insi-
mul, ait Gloss. fin. in cap. exposuisti, de corpore vitiat.
5 arg. text. in can. nervus 13. dist. ubi D. Gregorius in-
quit, omne, quod hic eminet, plus afficitur mæroribus,
quàm honoribus gaudet. Patet, nam huic eidem nomini
regulariter est annexa cura, simul cum jurisdictione;
namque Abbas Regularis in suo Monasterio Rectoris
munus exercet, cunctaque administrat, Gloss. in d. cap.
tuam.

6 Quod sit nomen honoris, & dignitatis, probatur in
cap. ut apostolicæ, de privileg. in 6. ubi textus loquens de
Abbatibus, ait quibus ex propria dignitate non compe-
tit, probatur etiam in can. si quis deinceps, & ibi gloss.
16. quæst. 7. ubi text. in principio loquitur de Episcopo,
& Abbate, & postea subdit, idem esse de aliis dignita-
tibus inferioribus; facit text. in auth. habita C. ne filius
pro patr. Atque ita affirmant Joan. Andr. in cap. tuam,
de ætat. & qualit. & in cap. majoribus, de præbend. Ar-
chidiac. in cap. 2. num. 1. de præbend. in 6. Franch. ibi-
dem, num. 5. Cardin. Zabar. in Clem. prima, col. 2. vers.
quæro an nomen Abbatis, de rescript. Ostiens. in d. cap.
tuam. Imol. in d. Clem. 1. col. 1. Dominic. de S. Gemin.
in cap. 2. col. 3. vers. si dubio. de præbend. in 6. Panormit.
in cap. per tuas 32. n. 7. in fin. de simon. & in d. cap. tuam,
& in cap. decernimus, num. 2. de judiciis, latè Philipp.
Dec. ibidem, num. 4. & in cap. quia nos 32. num. 3. de ap-
pellat. Baldus in cap. pastoralis in gloss. in verb. Superio-
res, & ibi Felin. col. 4. vers. utrum. ergo Abbatia, quos
sequitur Modern. de offic. deleg. idem Felin. in cap. me-
minimus, col. 2. vers. ulteriùs quæro, de accusat. Lapus
alleg. 84. incip. Dominus Papa, col. pen. n. 11. vers. item
Abbatia, Ægyd. Bellam. cons. 5. n. 21. & 22. & commu-
niter omnes tam antiqui, quàm moderni Jurisperiti. 7
Et quod Abbas dicatur constitutus in primo gradu
dignitatis, nec sic de dignitatibus Episcopo inferioribus,
Lap. alleg. 84. num. 11. Franc. in cap. 2. sub num. 5. de
præbend. in 6. & ibi Prob. ad Menoch. num. 48. Sarnen.
in reg. de annal. quæst. 11. num. 4. Rota in Burg. jurisdi-
ctionis coram Orano, quæ est decis. 100. post. 1. vol. cons.
Farin. num. 2. & 4. & in fine operis est decis. 41. num. 2.

Notandum tamen, quòd non omnes, qui appellan- 8
tur Abbates, habent dignitatem, nisi in eis concurrat
aliquod ex illis tribus signis requisitis ad dignitatem
constituendam, quæ sunt: Primò administratio rerum 9
Ecclesiasticarum cum jurisdictione. Secundò nomen
dignitatis, & insimul prærogativæ in Ecclesia, tàm in
choro, quàm in Capitulo, licèt non adesset vera admi-
nistratio, vel jurisdictio. Tertiò consuetudo Ecclesiæ,
quod quis reputetur pro dignitate: De quibus dixi su-
prà initio hujus quæsiti, & notat Archidiac. in cap. 1.
num. 2. de consuetud. in 6. quem ibi refert, & sequitur
Geminian. num. 7. Sylv. de benefic. part. 1. quæst. 2.
num. 42. Aretin. cons. 23. incip. in præsenti consultatione,
n. 1. & plur. sequent. Papazon. in addit. ad decis. 9.
Rot. de præbend. in nov. latè Boër. decis. 286. & Rota
in una Hispan. præeminentiarum 3. Decembris 1610. &
5. Julii 1611. coram Penia, quæ in fine operis sunt decis.
4. & 5. Et quamvis nomen Abbatis regulariter præ se
ferat dignitatem, & Abbatia dicatur dignitas; tamen 10
nudum nomen non sufficit, nisi etiam concurrant præ-
rogativæ, Hostiens. in cap. de multa num. 11. vers. sed
nec est, de præbend. Anchar. in clem. 1. num. 1. vers. à
nomine autem eod. tit. Jas. consil. 192. incip. in præsenti
consultatione, num. 25. vers. ex omni ergo, lib. 2. latè De-
cian. consil. 19. n. 119. & 120. lib. 2. & Rota in allegata
Hispalen. præeminentiarum coram Penia. Quia Abba-
tiam esse dignitatem non facit sola nominatio, sed ef-
fectus, qui colligitur ex exercitiis, & ad dignoscendum
an sit dignitas, non solum nomen, sed substantia inspi-
cienda est, Hostiens. Anchar. & alii proximè citati. In
multis enim locis plures etiam clerici vocantur Abba- 11
tes, quos tamen certum est, nullam habere dignitatem,
ut in Aragonia refert Card. in Clem. attendentes, §. sta- 12
tuimus sub num. 2. quæst. 5. de stat. Monach. aliquos
Rectores dici Abbates, & eorum uxores Abbatissas;
& in multis locis Consules, seu priores artium appellari 13
Abbates refert Alciat. in l. collegiorum, num. 4. ff. de
verb. signific. & in l. 1. sub num. 2. C. de in jus vocan. &
Rota in dicto Hispalen. præeminentiarum coram Penia
resolvit, Beneficiatum, quem clerici Hispalen. pro 14
Capite Universitatis sibi eligunt, non habere dignita-
tem, quamvis vulgò appelletur Abbas major, in eo
enim præter nudum nomen Abbatis nullum aderat
signum ex prædictis tribus requisitis ad dignitatem
constituendam. Prout etiam Prioratus licèt aliàs sit
dignitas sicut Abbatia, Felin. in cap. insuper in 2. not. 15

de major. & obed. Rip. in cap. 2. num. 30. de judic. Syl-
vest. de benefic. quæst. 2. n. 39. Chassan. in catal. glor.
mund. part. 4. consid. 36. Archidiac. in cap. 2. col. 2. in
princ. vers. scias, de præbend. in 6. & ibi Joan. Andr. col.
2. vers. sed hoc, Gemin. ibidem col. 2. n. 10. vers. super
16 secundo. Nihilominus, ubi non concurrit aliquod ex
dictis tribus signis non dicitur dignitas, ut post Hosti-
ens. notat Abbas in cap. nisi essent 21. sub num. 6. in fin.
de preb. Imol. in clem. cessi principalis, n. 21. de rescript.
& ibi Vitalin. num. 14. & fuit dictum per Rot. in una
Aquen. Monasterii 31. Maji 1568. coram D. Cardin.
Lancelloto seniore, quæ in fine operis est decis. 9. n. 7. in
17 qua fuit resolutum, Abbatiam, quæ caret cura, & con-
ventu non esse dignitatem, nec requirere ætatem 25. an-
18 norum. Et idem est de præpositura, quæ est etiam dig-
nitas sicut Abbatia, Abb. in cap. cum illorum, col. 3.
num 13. vers. in gloss. in verb. Abbatem de sent. excom-
mun. Sylv. d. quæst. 2. num. 38. Dec. cons. 161. col. 1. vers.
quarto facit, & in cap. decernimus, col. 3. vers. & quod
dictum de judic. Chassan. d. considerat. 36. Et tamen si
19 careat cura, & Conventu, non vocatur dignitas, Fede-
ric. de Sen. cons. 135. Rota in d. Aquen. Monasterii,
n. 5. & in Gerunden Præpositura 22. Maji 1632. & 27.
Aprilis 1633. coram Reverendiss. D. Durano, quæ in fine
20 operis sunt decis. 12. & 13. in quibus fuit firmatum, Præ-
posituras in Ecclesia Gerunden. nedum non esse dig-
nitates, imò nec beneficia Ecclesiastica, sed esse simpli-
cès tantum administrationes temporales, nihil spiritua-
litatis habentes, & idem resolvit Rota apud san. mem.
Gregor. XV. decis. 29. & pleniùs decis. 12. num. 3. cum
seq. part. 2. recent. & in Gerunden. jun. 4. Maji 1616.
coram Eminentissimo D. Card. Pamphilio juniore.

21 Hoc autem limitatur, ut in odiosis Abbatia sub no-
mine dignitatis non comprehendatur, sicut neq; com-
prehenditur Episcopatus, ut voluit Archid. in d. cap. 2. d.
num. 1. & ibi Franch. d. num. 5. & Lapus dicto alleg. 84.

Sed adhuc est dubium, an Abbates Regulares, qui ad
22 tempus, puta biennii eliguntur, & creantur, dignitatem
habeant; quia dignitas debet esse perpetua: ut suppo-
nitur in cap. de multa, de præbend. & in cap. 2. de con-
suetud. in 6. & in extravag. execrabilis de præbend. Er-
go Abbates Regulares, qui ad tempus creantur, vel eli-
guntur, non habent dignitatem.

23 Sed videntur potiùs suffecti loco Priorum claustra-
lium, cùm sint Præpositi curæ Conventus pro regen-
dis Monachis juxta eorum Regularia instituta, quod
propriè convenit Priori claustrali cap. 2. in fine, & cap.
cum ad Monasterium, de stat. Monach.

24 Ad quod respondetur, quòd, vel dignitas conside-
ratur ut est beneficium Ecclesiasticum, & sic ad vitam,
& in perpetuum est conferenda, & de ea, ut tali est ser-
mo in d. cap. de multa. & dict. cap. 1. & de extravagan-
te: aut consideratur prout est munus cum jurisdictione,
& administratione conjunctum, sufficiens ad officium
Conservatoris, vel Delegati Apostolici, de quibus est
sermo in cap. 1. & 2. & ult. de offic. delegat. in 6. & in
cap. statutum de rescript. eodem lib. & tunc non est ne-
cessariò perpetua, quia prædicta jura non supponunt
eam perpetuam.

25 Ultrà quod licèt perpetuitas de jure sit de essentia
beneficii, ut ut in juribus supra allegatis, & in can. san-
ctissimarum 70. dist. cap. penult. de clerec. agrot. Achil.
26 decis. 1. num. 4. de offic. vicar. Non tamen repugnat,
ut speciali jure, & privilegio aliqua beneficia possint
non esse perpetua, cap. si gratiosè, & ibi Gloss. de re-
script. in 6. Lap. allegat. 9. Cassad. decis. 12. num. 9. de
præbend. Garz. de benefic. part. 1. cap. 2. numero 75. vel
etiam & immemorabili consuetudine, ut de personati-
bus in Provincia Tarraconen. defendit Navar. consil.
num. 17. de jurepatr. & resolvit Rota in Gerunden. per-
sonatus, & causa pia 17. Maji 1630. coram R. P. D. Ve-
27 ropio, quæ in fine operis est decis. 14. Ita etiam non re-
pugnat, quod ex speciali jure, & privilegio Abbates,
vel alii hujusmodi Prælati, qui ad tempus creantur, suc-
cedant in omnibus, quæ de jure ad Abbates perpetuos
spectare noscuntur, cùm in illorum locum subrogati
sint. Ut Congregationi Casinen. Eugenius IV. &
Alexander VI. concesserunt facultatem uniendi sub ea-
dem Congregatione omnia ejus Monasteria, & Abba-
tes in eis ad tempus creandi juxta determinationem
Capituli generalis, & Diffinitorum: volentes insuper
quod ne præmissorum occasione Monasteriis, & locis
d. Congregationis, vel eorum alicui detractum fore
quomodolibet æstimaretur: omnia Monasteria, ac loca
prædicta, necnon illorum Prælati, atque personæ qui-
buslibet ei à Sede Apostolica, vel alias qualitercunque
concessis de jure, seu consuetudine quomodolibet de-
bitis juribus, præeminentiis, ac dignitatibus inconcus-
sè gauderent, & uterentur; ut legitur in privilegio con-
cesso eidem Congregationi ab Alexandro VI. confir-
matorio literarum Eugenii IV. sub dat. Romæ Kalen-
dis Aprilis anno 1501. Pontificatus IX. quæ de verbo
ad verbum extensa, & nostræ Vallumbrosanæ Congre-
gationi communicata fuerunt à Julio II. Idibus Julii
anni 1507. Pontificatus sui 4. ut in privilegio memo-
rabili impresso in calce hujus primi Tomi. Et hoc fa- 28
ctum fuit, quia omnes fere Abbatiæ, & Prælaturæ Re-
gulares excedentes valorem 200. florenorum auri de
camera, clericis secularibus commendabantur; ad quod
evitandum Congregationes Regulares nisæ sunt illas
manuales efficere mediante indulto Apostolico; quia
tunc summus Pontifex non solet de illis providere;
cùm enim collatio debeat esse de sua natura perpetua,
Papa non solet providere de manualibus, ad evitandum 29
absurdum, quod provisus ab illo possit ab inferiori re-
moveri, ut benè ad propositum consideravit Rota in
Palentina Abbatia de Benevivere 14. Aprilis 1617. co-
ram Reverendiss. D. Coccino Decano, quæ in fine Operis
est decis. 15. n. 9. & facit etiam, quia cùm isti Abbates, qui
ad tempus creantur, sint subrogati in locum eorum,
quos D. Pater Benedictus, & Monasticæ Regulæ per- 30
petuos eligi mandant; consequenter sortiuntur jura,
& privilegia eorum, in quorum locum subrogantur l.
qui cum, §. qui injuriarum, ff. si quis caution. cap. Ec-
clesia ut lite pend.

Præterea de essentia dignitatis non requiritur ne- 31
cessariò, ut quis in officio perpetuus esse debeat, sed sa-
tis est, quòd possit esse perpetuus. Nam Vicarii Gene-
rales Episcoporum sunt ad nutum constituentium
amovibiles, Text. juncta Gloss. in clem. 2. de rescript.
Gemin. in cap. 1. de offic. Vicar. in 6. Azor. instit. moral.
part. 2. lib. 3. cap. 45. quæst. 14. & Doctores communi-
ter; & tamen habent dignitatem, & sunt in dignitate
constituti. Imol. in clem. 1. de Regular. quem sequitur
Paris. de resignat. benefic. lib. 7. quæst. 24. num. 79. &
communiter omnes. Atque ita docent ea Gloss. verb.
per electionem, Panormit. in cap. causam quæ num. 9. de
judic. & eadem clem. 2. num. 6. vers. quod ad esse, de re-
script. Rosella verb. delegare, num. 11. Angel. verb. de-
legatus, n. 3. Sylvest. eod. verb. quæst. 2. num. 8. Sanch.
aliis relatis in decalog. lib. 6. cap. 13. n. 78.

QUÆSITUM III.

Utrum nomen Abbatis sit nomen Prælaturæ, & an Abbas sit verè Ecclesiæ Prælatus.

SUMMARIUM.

1 Abbates in Jure Canonico Prælati appellantur.
2 Dictio, alii, similitudinem ostendit.
3 Prælati, qui dicantur.
4 Abbas Commendatarius est Prælatus.

ABBates in sacris Canonibus Ecclesiæ Prælati vo- 1
cantur, & appellatione Prælatorum veniunt Text.
in cap. decernimus, de judiciis, ibi, Sed Episcopi,
Abbates,

Abbates, Archiepiscopi, & alii Ecclesiarum Prælati: dictio enim illa *alii*, similitudinem ostendit, ut notatur *in cap. sedes, de rescript. & in l. 2. C. de serv. fugit.* Idem
2 probatur *in cap. præsenti. de offic. ordin. in 6.* & *in cap. ut Apostolica de privileg. eodem. lib. 6.* & clarè colligitur ex Text. *in cap. quum nos 32. de appellat.* & *in cap. 1. de ætate, & qualit.* Ratio etiam hoc idem suadet; quia in Monasteriis ipsi propriè præferuntur aliis Monachis, iis semque re vera præsunt, ex Reg. S. Benedicti *cap. 2.* & habent curã cum jurisdictione ordinaria in suos subditos [ut inferiùs videbimus.]
3 At Prælati propriè, ac verè ii dicuntur, qui jurisdictionem ordinariam habent, juxta doctrinam Gloss. & Panorm. *in d. cap. decernimus, num 16.* Ergo Abbates Regulares sunt verè ac propriè Ecclesiæ Prælati. Hæc assertio extra controversiam est, eamque communiter tenent omnes tum Theologi, tum Canonistæ: Panormit. *in d. cap. 2. num. 2. de judic.* Decius *ibid. num. 3. & in d. cap. quia nos, num. etiam 3.* Anton. de Butr. *in d. cap. 1. in ult. not. de ætat. & qualit.* Angel. & Silv. *verb. Abbas, & verb. Prælatus.* Azor. *instit. moral. part. 1. lib. 12. cap. 29. & part. 2. lib. 3. c. 25. quæst. 1.* Læl. Zech. *de republ. Eccles. cap. 25* Suarez. *de relig. tom. 4. tract. 8. lib. 2. cap. 2. num. 2.* Dec. *in d. cap. edoceri, num. 4. de rescript.* Barbat. *cons. 2. num. 18. & 25. lib. 2.* latè Sarnen. *super reg. de triennal. quæst. 5. num. 17. & seq.* Rebuff. *consil. 77. num 1.* Buratt. *decis. 610. n. 3.* Lotter. *loco cit. num. 10.* Gonzal. *ad reg. 8. gloss. 5. §. 8. num. 27.* & *me citato,* Barbos. *ubi proxime, num. 3.* & fuit resolutum *in*
4 *Acherontina fructuum 2. Decembris 1591. coram D. Card. Hieronymo Pamphilio.* Item Abbas Commendatarius, maximè perpetuus, hodie est Prælatus, cum habeat plenariam administrationem Abbatiæ in spiritualibus, & temporalibus, ut ait *Barbat. 2. vol. cons. 2. incip. solemni, n. 25.* Fusch. *de visitat. lib. 2. cap. 9. de commend. num. 5.*

QUÆSITUM IV.

Utrum appellatione Ordinarii veniant Abbates, & alii Prælati.

SUMMARIUM.

1 *Ordinarii appellatione qui comprehendantur*, & num. 3. & 5.

2 *Abbas venit appellatione Ordinarii.*

3 *Ordinario ubi aliquid in jure committitur ad Abbates, & alios prælatos Ordinariam jurisdictionem habentes commissio dirigitur, etsi subjecta materia aliud exposcat.*

4 *Abbas qui uni tantum Monasterio præsidet, vocatur Ordinarius Monachorum illius.*

5 *Abbas dicitur habere in suos Monachos majorem & pleniorem potestatem, quàm Episcopus habet in Clericos suæ Diœcesis.*

6 *Abbas est ordinarius Ecclesiarum sibi subjectarum, & etiam Judex.*

1 NOmine ordinarii comprehenditur quicunque Superior, sive inferior Prælatus, qui ordinaria jurisdictione, sive ex privilegio, vel ex præscriptione, aut ex canone potitur. Panorm. *cap. ne famæ n. 6. de sent. excom.* Zabar. *clem. quia regulares, n. 11. vers. octavò quæres, de supplen. neglig. Prælat.* Minsing. *c. post cessionem. n. 2. de probat.* Ægid. Bellam. *cons. 30.* Dec. *cons. 121.*
2 *lib. 1.* Navarr. *cons. 9. de privileg.* Unde cùm Abbas habeat jurisdictionem quasi Episcopalem *cap. Abbates de privileg. in 6.* & eam habeat ex vi sui officii, quod est, eam ordinariam habere [ut latiùs infra probabimus agendo de Abbatum jurisdictione] meritò veniet appellatione Ordinarii. Quapropter cùm in aliquo ju-
3 ris decreto aliquid Ordinariis committitur, vel de Ordinariis mentio fit, nisi subjecta materia aliud exposcat, non ad Episcopos tantùm, sed etiam ad Abbates, & Prælatos omnes ordinariam jurisdictionem habentes commissio dirigitur; Gloss. *in cap. ordinarii. verb. locorum de offic. ord. in 6. ubi* Franc. *sub n. 3. super gloss. 2. vers. & nota.* Idem Franc. *in c. 2. n. 7. de constitut. eod. lib.* & *ibi* etiam Dominic. *n. 3. eadem gloss. in c. quamvis in verbis loci de usur. eod. lib. & in clem. 1. in verb. Diœcesano de jurepatron.* Panorm. *in cap. cùm olim n. 2. de præscript.* Philip. Dec. *in cap. post cessionem, n. 1. & 6. de probat.* Sylvest. *verb. excommun. 9. cas. 47. n. 92. not. 2. vers. sed adverte,* Navar. *lib. 4. cons. in 2. edi. tit. de sponsal. cons. 5. num. 2.* Guttierez *quæst. canonic. lib. 1. cap. 10. num. 15.* Flamin. Paris. *de resign. benefic. lib. 3. quæst. 11. num. 19. & seq.* Sanchez *de matrim. lib. 3. disput. 29. n. 5.* Coch. *de jurisdict. ord. in exempt. part. 1. quæstione 1. num. 9.* Præterea quilibet Abbas 4
habens jurisdictionem ordinariam, etiam qui uni tantùm Monasterio præsidet, vocatur Ordinarius Monachorum illius, *can. nullus Monachus, can. nullam, & can. Abbates 18. q. 2. cap. quanto, & ibi Innocent. & Doctores de offic. ordin.* & dicitur habere in eosdem Mona- 5
chos majorem & pleniorem potestatem, quam Episcopus habet in clericos suæ Diœcesis. Panorm. *in cap. ad nostram, num 2.* ubi etiam Franch. *ext. de appellat.* Adde, Abbatem nomine Ordinarii comprehendi, arg. text. *in cap. cùm Episcopus de offic. ordin. in 6. & toe. tit. extr. de offic. ord. & cap. cùm contingat. de foro compet. & 11, q. 1. can. de persona,* ubi nomine Ordinarii non tantùm Episcopus, seu Diœcesanus comprehenditur, verùm etiam quivis alius superior, ordinariam habens jurisdictionem de jure, vel ex præscriptione, aut privilegio, ex Zabar. Panorm. & aliis supra adductis, quibus adde Felin. *in repert. verbo Ordinarius, istud verbum.* Flam. Paris. *de resignation. benefic. lib. 3. quæst. 11.* 6
Ex quibus sequitur, cum Abbas sit Ordinarius Ecclesiarum sibi subjectarum, esse etiam judicem in causis prædictarum Ecclesiarum: ita Ang. Aret. *cons. 99. vers. videndum censeo.* Cardin. Tusc. *com. 1. litt A, conc. 11.* quia sicuti in alienatione bonorum Ecclesiasticorum requiritur consensus Episcopi, ita consensus Abbatis in alienatione bonorum Ecclesiarum sibi subjectarum, Angel. Aret. *loco cit.* & Card. Tusc. *d. conc. 11.* & D. Aug. Barb. *de jure Eccles. lib. 1. cap. 17. n. 10.*

Hinc est, quod litteræ, & commissiones quæ Romæ expediuntur, & ad Ordinarios locorum diriguntur, etiam Abbatibus jurisdictionem Episcopalem, & proprium territorium habentibus, tanquam verè, & propriè Ordinariis committuntur: ad quod comprobandum, duo ex pluribus in venerabili Archivio sacri Montis Cassini existentibus, hîc inserere mihi visum est: primum Clementis VIII. secundum Pauli V. Summorum Pontificum, & eorum tenor talis est.

CLEMENS PAPA VIII.

DIlecte fili, salutem & Apostolicam benedictionem. Cùm, sicut nobis nuper exponi fecisti, tu ex Terra Citarii nullius Diœcesis, Provinciæ Cusentinæ ortus existas, ac devotionis fervore accensus, aliàs plurimum cupias, ad omnes, etiam sacros, & Presbyteratus Ordines, sub titulo tui patrimonii, ad id, ut asseris, sufficientis, promoveri, & promotus, in illis Altissimo, quoad vixeris, famulari. Nobis propterea humiliter supplicari fecisti, quatenus tuis votis hac in parte favorabiliter annuere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur te specialis gratiæ favore prosequi volentes, nec non à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à jure, vel ab homine, quavis occasione vel causa, latis, si quibus, quomodolibet innodatus existis, ad effectum præsentium duntaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati. Tibi, ut cum literis dimissorialibus dilecti filii Abbatis Monasterii montis Cassinensis jurisdictionem quasi Episcopalem in dicta

ctâ Terra exercentis, à quocumque malueris Catholico Antistite gratiam & communionem Sedis Apostolicæ habente, & in propria Diœcesi residente, vel in aliena, de licentia Diœcesani loci, Pontificalia exercente, per se eligenda ad dictos ordines in temporibus ad id à jure statutis, intra tamen annum, annique curriculo non expectato, minúsque servatis à Concilio Tridentino designatis interstitiis sub dicto titulo, dummodo ad id reperiaris idoneus, & alicui Ecclesiæ te adscribas, constiterítque priùs quod patrimonium tuum præfatum ad congruam tui sustentationem sufficiens verè & pacificè possideas, promoveri, & promotus, in illis etiam in Altaris ministerio ministrare liberè, & licitè valeas, Apostolica auctoritate tenore præsentium concedimus & indulgemus. Nec non Antistiti, ut præfatum eligen. & tibi licentiam desuper impartimur. Non obstante quod tempore promotionis tuæ ad quemcumque ex dictis ordinibus te in alio, vel aliis antea susceptis non exercueris, & aliis Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, cæterísque contrariis quibuscumque. Volumus autem, & dicta Autoritate decernimus, quod patrimonium tuum hujusmodi absque Ordinarii tui licentia alienare nequeas, nisi prius in Ecclesiasticis, vel aliis redditibus annuis habueris unde vivere commodè possis. Datum Romæ apud sanctum Marcum sub annulo Piscatoris, die prima Julii, millesimo sexcentesimo tertio, Pontificatus nostri anno duodecimo.

Paulus Episcopus Servus servorum Dei.

☞ DIlecto filio Abbati Monasterii montis Cassin. Salutem & Apostolicam Benedictionem. Aliàs Canonicatu & Præbenda Ecclesiæ sanctæ Mariæ, Novæ nuncupatæ, loci sancti Eliæ, nullius Diœcesis, Provinciæ Capuanæ, tunc per obitum quondam Thomæ Papæ olim ipsius Ecclesiæ Canonici extra Romanam Curiam de mense Novembri anni Domini 1608. defuncti, vacantibus Nos, dilecto filio Vicario Venerabilis fratris nostri Episcopi Aquinatensis, in spiritualibus Generali, per alias nostras literas dedimus in mandatis, ut si per diligentem examinationem dilectum filium Franciscum Casarum Presbyterum nullius Diœcesis, Provinciæ prædictæ, ad id idoneum esse reperiret, Canonicatum & præbendam hic vacantes hujusmodi, eidem Francisco conferret & assignaret, prout in dictis litteris pleniùs continetur. Cum autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte dicti Francisci petitio continebat, locus prædictus jurisdictioni tuæ, qui particulare & separatum territorium habes, & jurisdictionem quasi Episcopalem in dicto, & aliis locis nullius Diœcesis Provinciæ prædictæ, & tuæ jurisdictioni subjectis, exerces, tibíque similes causæ per Sedem Apostolicam committi consueverunt, subsit; & propterea litteræ prædictæ dicto Vicario minimè præsentatæ fuerunt, pro parte dicti Francisci nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur eundem Franciscum à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alíisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus qualiter innodatus existit, ad officium prædictum dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, ut postquam dictæ litteræ tibi pro ipsius Francisci parte præsentatæ fuerint, negotium hujusmodi assumens ad illarum executionem, servata alia earum forma, auctoritate nostra procedendi in omnibus & per omnia perinde ac si illæ tibi à principio & non prædicto Vicario directæ fuissent, non obstantibus omnibus illis, quæ in dictis litteris Volumus obstare, cæterísque contrariis quibuscumque. Datum Romæ ad sanctam Mariam Majorem, anno Incarnationis Domini, millesimo sexcentesimo quinto, decimo tertio Kalendas Augusti. Pontificatus nostri anno undecimo.

QUÆSITUM V.

An Episcopi appellatione aliquo modo veniat Abbas, vel alius Prælatus Episcopo inferior.

SUMMARIUM.

1 *Episcopi nomen unde derivetur, & quid significet.*
2 *Episcopi speculatores dicuntur, & quare.*
3 *Abbas Monasterii exempti habetur pro Episcopo.*
4 *Episcopi appellatio non comprehendit Abbatem.*

SI præcisè ipsa nominis Episcopi significatio perpen- 1
datur, quæ à dictione Græca, ἐπισκοπεῖν, id est, invigilare, speculari, & attendere, imponitur, nomine Episcopi venit etiam Abbas, sicut & quilibet Prælatus habens sub se curam animarum; præcipuum namque eorum munus est, pro subditorum spirituali salute diligenter invigilare, juxta illud Actorum 20. *Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit, regere*
Ecclesiam Dei. Speculatores etiam dicti sunt, quasi po- 2
pulorū, quibus præpositi sunt, Observatores, Custodes, & Præfecti, qui populorum sibi subditorum mores, ac vitam prospiciant, & speculentur, ut ait D. Augustinus *lib. 1. de Civit. Dei c. 9.* Ad idipsum tenentur Abbates, nec non & cæteri Prælati quibus animarum cura commissa est; ipsi enim subditorum animarum curam gerentes, invigilare debent multùm, ac speculari Monachorum suorum vitam, & mores, non solùm pro tuenda, ac conservanda eorum perfectione, ac virtute, sed etiam pro ea amplificanda, & in dies augenda studere, juxta illud D. Patris Benedicti *Reg. cap. 2. p. 4. Sciat Abbas, quàm difficilem, & arduam rem suscepit, regere animas, & multorum servire moribus, & secundum uniuscujusque qualitatem, vel intelligentiam, ita se omnibus conformet, & aptet, ut non solum detrimenta commissi sibi gregis non patiatur, verum etiam in augmentatione boni gregis gaudeat.* Itaque juxta vocabuli significationem, nempè quoad munus, & officium, profectò nomen Episcopi etiam Abbatibus, & aliis prædictis Prælatis conveniet, quia re vera eorum jurisdictio se extendit ad quamplures actus jurisdictionis Episcopalis, sicut est excommunicatio, suspensio, absolutio à casibus reservatis, & censuris, & hujusmodi, Adde etiam quia Episcopus, & Abbas æquiparantur *juxt. Gloss. in c. ne pro defectu verb. regulares extra de elect. per text. in*
can. si quis deinceps 16. q. ult. Nam Abbas Monasterii 3
exempti pro Episcopo habetur. *Gloss. in Clem. 1. de rebus Eccles. non alien.* Bald. *in auth. causam; quæ in ult. col. in Gloss. quod si est C. de Episcop. & Cleric.* Innocent. *in cap. 1. de Cleric. pereg.* Francisc. Aretin. *cons. 65. n. 4. vers. pro his facit.* Patet, quia minores Ordines conferre potest, & utitur Baculo pastorali, Annulo, & Mitra, aliisque Pontificalibus insigniis: potest benedicere ornamenta Ecclesiastica, Corporalia, Cruces, sacras Imagines, & alia vasa Ecclesiastica: consecrare Calices, Patenas, Altaria, Campanas, & alia etiam, in quibus sacra unctio intervenit: & tandem (exceptis Ordinum sacrorum collatione, Ecclesiarum consecratione, ac Chrismatis confectione) omnia alia, sicut Episcopi, exercere possunt, ut suo loco probabitur. Ita Sebast. Medi-
ces *in tract. de legibus, p. 1. q. 15.* Salas *eodem tractat. disp.* 4
6. sect. 10. Verùm quoniam quoad auctoritatem & potestatem Episcoporum plenam, quæ magna, & multiplex extat, ac major, quàm Abbatum, nomen Episcopi nullo modo Abbatibus convenire potest, & ideo eorum jurisdictio non simpliciter Episcopalis appellatur, sed cum diminutione, addita illa particula, *quasi.*

QUÆSITUM VI.

Utrùm Abbates & Prælati, habentes usum Pontificalium, aliquando veniant appellatione Pontificum.

SUMMARIUM.

1 *Episcopi etiam Pontifices appellantur.*

2 *Abbas*

2 *Abbas venit appellatione Pontificis.*

3 *Prælati inferiores habentes usum Pontificalium veniunt etiam appellatione Pontificis.*

1 NOmen Poruificis non solùm Papæ, verùm etiam Episcopis sæpè tribui solet; Papa enim non simpliciter Pontifex appellatur, sed addita dictione, *Maximus aut Summus*, quippè qui est omnium Pontificum, id est Episcoporum, & aliorum Prælatorum, qui nomine Pontificis comprehenduntur, primus, & Maximus; Episcopi autem Pontifices simpliciter dicuntur. Ita eos vocat Nicolaus Papa *in cap. Pontifices, 7. q. 1.* & Gregorius IX. *in can. Massana de elect.* Pariter in Pontificali Romano quoties exprimuntur aliquæ functiones, in quibus Pontificalium insignium usus est necessarius, ac quæ ab Ecclesiasticis Prælatis faciendæ sunt, semper Pontificis nomen exprimitur, ut in collatione primæ clericalis tonsuræ, vel aliorum Ordinum, & aliis singulis functionibus, d. Pontificalis librum legenti patebit. Cùm igitur Abbas Mitram deferre, ac Annulo, & Baculo Pastorali, cæterisque Pontificalibus insignis uti possit. *cap. ut Apostolica, de privileg. in 6.* & omnia agere, quæ Episcopi exercere possunt, etiam quoad ea, quæ ad potestatem Ordinis spectant (aliquibus tamen exceptis,
2 ut latiùs *infra suo loco* probabimus;) dicendum erit, ipsum quoque in iis, quæ sibi circa Ordinis potestatem concessa sunt in d. Pontificalis libro, contineri appellatione Pontificis, quod nemo negabit: præcipuè si hæc consideretur formalitas, scilicet, Abbatem venire appellatione Pontificis, quatenus Pontificalia exercet, & prout à Pontificalibus, quibus ipse utitur, Pontifex denominatur: aliàs Pontificale Romanum pro omnibus Ecclesiæ Prælatis à Clemente VIII. ordinatum, quodque ab eisdem Prælatis observari præcipit in sua Bulla in initio ejusdem Pontificalis apposita, Abbatibus non conveniret, quia ferè semper Pontificis nomine appellatur in Rubricis Prælatus ille, ad quem functiones in eodem Pontificali præscriptas exercere pertinet.

3 Ex quibus patet, etiam nomine Pontificis venire reliquos Prælatos Episcopo inferiores, quibus ex privilegio, vel quolibet alio legitimo titulo Pontificalium insignium usus, ac exercitium, necnon etiam aliqua ex parte ordinis Episcopalis potestas comreerit.

QUÆSITUM VII.

Utrum appellatione Monachorum, & Regularium, veniant etiam eorum Abbates, & Prælati.

SUMMARIUM.

1 *Monachorum status simplex est.*

2 *Abbas per assumptionem ad Abbatiam non desinit esse Monachus.*

3 *Rector venit appellatione scholarium, quia per Rectoriam non desinit esse scholaris.*

4 *Monachorum appellatione venit Abbas, non tamen in materia odiosa*, num. 5. *nec in favorabilibus, quando aliqua provisio per ipsum facienda est*, num. 7. *secus si per alium.*

6 *Clericorum appellatione non veniunt Prælati in materia odiosa.*

1 VIdetur, quod appellatione Monachorum, & Regularium non veniant Abbates, & eorum Prælati; quia nomen Abbatis, & Prælati est nomen honoris, & dignitatis, ut inquit Zabarell. *in clem. 1. n. 3. de rescript.* & latiùs probatum est suprà, *quæst. 2.*

Nomen verò Monachi simplicis status significationem habet, ut omnes fatentur; Ergo Abbas appellatione Monachorum non verit.

His tamen non obstantibus, dicendum est, Abbatem, & Prælatum Regularem venire etiam appellatio-
2 ne Monachorum, quia per assumptionem ad Abbatiam, & Prælaturam non desinunt esse Monachi, & Religiosi, ut patet *extr. de Simon. cap. ult. & cap. ex ore, de pri-*
3 *vileg.* sicut Rector venit appellatione Scholarium, quia per Rectoratum non desinit esse Scholaris. Bald. *in l. nec patronus C. de oper. novi nunciat. & in l. quisquis C. de Episc. & Cler.* Ioan. Andr. *in proœm. decretal. in princ.* Felin. *ibidem col. 4 vers. cæterum in proposito.*
Atque, quòd appellatione Monachorum veniat etiam 4
Abbas, docent plenè Bartol. *in l. 4. ff. de stipulat. server.* ubi dicit, quod quando relinquitur Fratribus Cappa, & Priori Biblia, ipse Prior habebit etiam Cappam: Ita etiam Archidiac. *in can. convenientibus, n. 1. quæst. 7.* Joan. Andr. *loc. cit.* Ostien. & D. Anton. *in d. cap. ult.* quos citat, & sequitur Panormit. *ibidem, n. 2. & duob. seq.* Felin. *ibidem in princ.* Roman. *cons. 259.* & Barbos. *me citato, in tract. de appellat. verb. significat. verb. Monach. n. 1.*

Limitatur tamen hæc conclusio, ut in materia odiosa 5
appellatione Monachorum Abbas non veniat, per *text.* in simili *in cap. statutum, juncto cap. licet can. de elect. in 6.* ubi habetur, quod appellatione Ecclesiæ Patochialis
in materia odiosa non venit Ecclesia Parochialis Colle- 6
giata; quia licet sit Ecclesia Parochialis, tamen habet illam qualitatem Collegii super Parochiam; ita in simili, etsi Abbas, & Prælatus Regularis sit etiam Monachus, tamen habet qualitatem Superioris super alios Monachos, & idcircò in materia odiosa comprehendi nomine Monachorum non debet, D. Anton. Panorm. & Felin. *loc. cit.* Valenzuol. *cons. 74. n. 59.* idem Barbos. *loco cit.* Sanch. *in decalog. lib. 6. c. 8. n. 84.* Prout neque in materia odiosa clericorum appellatione veniunt Prælati; Abb. *in cap. bona il. 1. in 1. notab. de postulat. Prælat.* & in Rubric. *de vita & honestat. cleric. n. 9.* Ruin. *cons. 143. num. 18, vers. & per illum vol. 2.* Simonet. *de reservat. quæst. 11. per tot.* cum aliis per Barbos. *d. tract. verb. cleric. num. 4.* Rota. *decis. 840. n. 3. coram Buratt.* licet contrarium tenuerit Dec. *in cap. 2. n. 18. & seqq. de præbend.*

Limitatur secundò, ut nec etiam in favorabilibus ap-
pellatioue Monachorum veniat Prælatus, quando scili- 7
cet aliqua provisio facienda est per ipsum Prælatum, ut quia mandatur Abbati, ut possit suos Monachos absolvere, vel aliquod hujusmodi; tunc enim ipse non comprehenditur, ut notat Ioan. de Lignan. *in clem. attendentes de stat. regular.* secùs autem, si provisio est facienda per alium: quia tunc Monachorum appellatione comprehenditur ipse Abbas: ita Panor. *d. cap. ult. n. 4. in fin.* Felin. *ibid. d. n. 3.*

Ad objecta patet responsio: & ad primum, Abbatem respectivè ad suum statum, & ad vota solemnia, quæ vovit, simplex sortiri nomen ab omni dignitate, & honore alienum; secùs autem respectivè ad dignitatem Abbatialem, quam ipse obtinet. Et sic etiam patet responsio ad secundum.

QUÆSITUM VIII.

Utrum sub nomine Abbatum veniant cæteri aliarum Religionum Prælati.

SUMMARIUM.

1 *Mendicantium superiores sunt verè Prælati.*

2 *Guardiani Fratrum Minorum, & Priores Mendicantium dicuntur habere Prælaturam & dignitatem, & possunt esse delegati Sedis Apostolicæ.*

3 *Patris appellatione universi Præsidentes veniunt.*

4 *Conventus superior non habens Abbatem supra se in eodem Monasterio, habetur loco Abbatis, sive instituatur per electionem, sive per provisionem.*

5 *Regulares Prælati veniunt sub nomine Abbatum circa ea quæ spectant ad potestatem jurisdictionis, secus circa ea quæ spectant ad potestatem ordinis*, num. 7.

6 *Delegatus Papæ debet esse in dignitate constitutus.*

VIdetur primò dicendum, quòd sic; nam licèt Abbates, & alii Regulares Prælati, ut Priores, Præpositi, Guardiani, & alii quomodocumque nuncupentur, nomine differant, re tamen convenire videntur; omnes

enim re vera Prælatorum appellatione veniunt, suntque
verè & propriè Prælati, quod de Abbatibus suprà latè
1 ostendimus; de Superiorib⁹ autem Mendicantiũ docent
Gloss. *in cap. nullus, verb. prælatura*: ubi etiam Domi-
nic. & Franch. *n. 2. de elect. in 6.* facit alia Gloss. *in clem.*
1. in verb. Prælatum eodem tit. ubi Cardin. *quæst.* 10. i-
dem Cardin. *in clem. dudum* §. *statuimus, de sepultur.*
2 dicentes, quòd Guardiani Fratrum Minorum, & Prio-
res Mendicantium dicuntur habere Prælaturam, & di-
gnitatem, & exinde quòd possint esse delegati Sedis A-
postolicæ; idem etiam testantur Panorm. & Felin. *in*
cap. cùm olim de major. & obedient. uterque *num.* 1. An-
gel. *verb. delegatus, n. 3.* Sylv. *eodem verbo, & num.* Azor.
inst. mor. p. 2. l. 3. c. 13. quæst. 7.

Confirmatur; Nam omnes isti Prælati, tàm Abbates,
quàm reliqui Mendicantium, vel etiam non Mendican-
tium Superiores, habent immediatam jurisdictionem
æqualiter in totum Religiosorum sibi subditorum
Conventum: atque administrationem, & curam bo-
norum ipsius conventus. Ergò quicquid in Iure sub
Abbatum nomine habetur, intelligendum quoque erit
de reliquis Religiosorum Superioribus, qui sunt imme-
diati, ac proximi Monasteriorum Prælati: licet diver-
sis nominibus nuncupentur. Abbas etenim idem,
quod pater, significat, ut in primo quæsito dictum est;
3 At Patris appellatione universi Præsidentes veniunt, ut
docent communiter expositores illorum verborum
Exod. 20. *Honora Patrem tuum.*

4 Item Superior Conventualis, quocunque nomine
appelletur, non habens Abbatem supra se in eodem
Monasterio, habetur loco Abbatis, arg. text. *in cap.*
fin. de stat. Monach. Et docet Panormit. *per illum text.*
in cap. cum illorum. de sent. excom. n. 3. Et hoc proce-
dit, sivè Prælatus instituatur per electionem, sivè per
provisionem, Panormit. *in clem. etsi principalis, n. 6. de*
rescript.

5 In hac tamen re sic distinguendum videtur, quod
vel loquimur quoad ea, quæ spectant ad potestatem
jurisdictionis, & sic concludendum erit, sub nomine
Abbatum venire etiam alios Regularium, tàm Men-
dicantium, quàm non Mendicantium Superiores; quia
re vera omnes Prælati sunt, ut Doctores citati testantur,
& clarè colligitur *ex d. cap. cùm olim*, ubi Summus
Pontifex delegat Priori Fratrum Prædicatorum causam
in d. cap. contentam: At delegatus Summi Pontifi- 6
cis debet esse in dignitate constitutus *cap. statutum de*
rescript. in 6. & colligunt Doctores citati per illum
text. Unde quidquid quoad jurisdictionem Abbatibus
in jure communi est concessum, convenit etiam cæte-
tis omnibus veris Prælatis Regularibus.

Quod verò ad ea, quæ spectant ad potestatem Ordi- 7
nis, & dignitatis Episcopalis, quam Abbates partici-
pant, ut suo loco ostendemus, dicendum est, alios Re-
gulares Prælatos Abbatum nomine non venire; ipsi
enim neque Mitra, neque Baculo Pastorali, aut aliis
Pontificalibus insigniis uti possunt; nec ex consequen-
ti ordinare, vel alia, quæ sine hujusmodi insigniis per-
fici nequeunt exercere, ut certum est apud omnes, &
communis usus manifestè indicat. Et licet per viam
communicationis gaudere possint omnibus privilegiis,
quæ specialiter Abbatibus concessa sunt; tamen ex per-
petuo eorum silentio, ac non usu clarè comprehendi-
tur, omnes supponere, Prælatos cæterarum Religio-
num, qui Abbates non sunt, illis privilegiis non gau-
dere, ut de potestate ordinandi docet Suar. *de Relig.*
tom. 4. tract. 8. lib. 2. c. 29. n. ult.

Præterquam quod alii prælati Regulares neque in Synodis, aut Conciliis, quemadmodum Abbates, locum, & consultivum votum habent, nec in multis tam Ecclesiasticis, quàm secularibus functionibus adhibentur, sicuti illi. Hinc est, quòd sacri Canones & alia Jura, nec non communiter Doctores præeminentia, & honoraria quadam excellentia magnificiunt Abbatialem hanc dignitatem, quæ non in omnibus [licèt in quibusdam] cæteris Religionum Prælatis adaptari solet.

DISPUTATIO II.

De origine, & antiquitate Abbatum, & aliorum Prælatorum Episcopis inferiorum.

Quæst. I. *Utrùm in veteri testamento, & ante legem gratiæ fuerit aliqua Religiosi status, ac Abbatum, & Prælatorum adumbratio.*

II. *Quo tempore in lege gratiæ Religiosus status, ac in eo Abbates, & Prælati instituti fuerint.*

III. *An successivè, sine aliqua interruptione Religiosus status semper in Ecclesia duraverit.*

IV. *An Abbates, seu Religiosorum Prælati distincti fuerint à Clericorum Prælatis.*

V. *An eadem essentia Religiosa, & Monastica vitæ fuerit in Ecclesiæ exordio, cum ea, quæ nunc est.*

VI. *Utrum Ecclesiæ Sæculares, quæ hodie Abbatiæ nomine nuncupantur, cum dignitate Abbatiali institutæ fuerint, vel sæculari.*

VII. *An omnes Monachorum Prælati, ex primæva Religionis institutione Abbatis nomine nuncupati fuerint.*

VIII. *An Christus Dominus fuerit Monasticæ professionis in statu gratiæ primus Institutor, & Legislator.*

IX. *An Christus Dominus possit Abbatis nomine appellari.*

X. *An sancti Apostoli fuerint Monasticæ vitæ Institutores.*

XI. *An post Christum, & SS. Apostolos, & ante Basilii tempora fuerint aliqui Abbates Monachalis Instituti Legislatores.*

QUÆSITUM I.

Utrùm in Veteri Testamento, & ante legem gratiæ fuerit aliqua Religiosi status, ac ejus Abbatum & Prælatorum adumbratio.

SUMMARIUM.

1 *Samuël primò instituit Conventus Religiosorum jugiter psallentium Domino.*

2 *Elias, & Elisæus & filii Prophetarum Principes, & Abbates Religiosorum fuerunt.*

2 *S. Ioannes Baptista Cœnobitarum Princeps fuit.*

4 *S. Scarioth in Veteri Testamento Abbas Monachorum fuisse legitur.*

ANTIQUAM Religiosorum Institutionem in Veteri Testamento figuratam fuisse, arguim⁹ non solum in Nazaræis, de quibus in Num. 6. & in Elia, & Elisæo, qui in Collegiis habitabant, de quibus Regum *lib. 3. & 4.* & in Historia Tripartita *lib. 7. cap. 11. & ex lib.* Isidor. *tit. de divin offic. c. 15.* Sed etiam in Samuele tanquam in eorum Principe Archimandrita, ut colligitur ex Genebr. *in Chronol.* & Comest. *in Hist. lib. 1. cap. 10.* ubi sic ait. *Nota, quòd Samuel*

primò

primò inſtituit Conventus Religioſorum jugiter pſallen-
1 tium Domino. Idem Confirmatur ex D. Hieronymo
Epiſtola 4. ad Ruſtic. ubi ſic ait: Filii Prophetarum, quos
Monachos in Veteri Teſtamento legimus, ædificabant ſibi
caſulas propè fluenta Iordanis, & infrà, & turbis Urbium
derelictis polenta, & herbis agreſtibus victitabant. Et Caſ-
ſiodorus lib. 1 Tripartita Hiſtor. cap. 11. de his loquens,
ait, Philo Pythagoricus ſuis temporibus refert undique
egregios Hebræorum in quodam prædio circa ſtagnum
Mariam in colle poſitum philoſophantes: habitacula ve-
rò eorum, cibos, & converſationem talem introducit,
qualem & nos nunc Ægyptiorum Monachos eſſe conſpici-
mus; Scribit enim, inchoantes eos ad Philoſophiam cedere
omnibus ſibi competentibus rebus, cunctiſque abrenuncia-
re permixtionibus, & extrà muros in ſolitariis agris, &
hortis habitare: Domus autem eis eſſe ſacraria: quæ a-
pud nos monaſteria nuncupantur: & in eis converſatio-
ne ſolitaria honeſta celebrare myſteria, diligenterque
Pſalmis, & Hymnis placare divinitatem: & ante ſolis oc-
caſum nullos guſtare cibum, alios autem per tres dies, &
2 amplius certiſque diebus in pavimento habere cubilia, vi-
no ſemper, & ſanguinem habentibus abſtinere: cibum eis
eſſe panis, & ſalis, & hyſſopi, & potum aquæ. Et S. Hiero-
nymus in Epiſtola 13. ad Paulin. exhortatoria, ſic ait: Ha-
bet unumquodque propoſitum Principes ſuos. Romani
Duces imitentur Camillos, Fabricios, Regulos, Scipiones,
Philoſophi proponant ſibi Pythagoram, Socratem, Plato-
nem, Ariſtotelem; Poetæ æmulentur Homerum, Virgili-
um, Menandrum, Terentium; Hiſtorici, Thucydidem,
Saluſtium, Herodotum, & Livium: Oratores Lyſiam,
Gracchos, Demoſthenem, Tullium: Et, ut ad noſtra venia-
mus, Epiſcopi, & Preſbyteri habeant ad exemplum A-
poſtolos, & Apoſtolicos viros, quorum honorem poſſidentes,
habere nitantur, & meritum: Nos autem habemus pro-
poſiti noſtri Principes Paulos, Antonios, Hilariones, Ma-
charios, & ut ad Scripturam auctoritatem redeam, no-
ſter Princeps Elias, noſter Eliſæus, noſtri filii Propheta-
rum. Confirmatur teſtimonio D. Bernardi Abbatis, qui
in Epiſtola ad Fratres de monte Dei, oſtendens antiquita-
tem monaſtici ſtatus ait: Hæc novitas non eſt novella va-
nitas: res enim eſt antiqua Religionis perfecta fundata in
Chriſto pietatis antiqua, hæreditas Eccleſiæ Dei à tempore
Prophetarum demonſtrata, jamque nova gratia ſole orea-
to, in Ioanne Baptiſta inſtaurata, & innovata, ab ipſo Do-
mino familiariſſimè celebrata, & ab ejus Diſcipulis, ipſo
præſente concupita. Incœpit ergò Monaſtica vita in Ve-
teri Teſtamento, & ante legem gratiæ, fueruntque e-
juſdem vitæ moderatores, Ducesque Elias, & Eliſæus,
& Samuël, (ut oſtenſum eſt) ſicut & Ioannes Baptiſta,
ut S. Hieron. etiam teſtatur Epiſt. 22. ad Euſtochium di-
cens, Hujus vitæ auctor Paulus, illuſtrator Antonius, &
(ut ad ſuperiora conſcendam) Princeps Ioannes Baptiſta.
3 Idem fatetur Chryſoſt. hom 1. in Marcum. Sicut Sacer-
dotum Principes ſunt Apoſtoli, ſic Monachorum Princeps
Ioannes Baptiſta. Hanc auctoritatem Chryſoſtomi appo-
ſuimus, ut tacitæ objectioni obviaremus, ſcilicet, quod
S. Hier. loco paulo ſuperius citato non loquitur de Mona-
chis, ſed de Anachoretis; ſed S. Chryſoſt. facit eundem
Joan. Baptiſt. etiam Monachorum Principem; quod
Nazianz. affirmat, dum orat. in Baſil. D. Baſilium quia
Monachus fuit, Joanni Baptiſtæ comparat. Multaque
alia de Teſtamento Veteri Caſſian. coll. 18. c. 6. Sozom.
lib. 1. Hiſto. cap. 12. Bern. ſerm de excellentia Ioan. Bapti-
ſta, & Iſidor. lib. 2. de divin. offic. cap. 15. Cùm autem
conſtet, Eſſenos & filios Prophetarum communem vi-
vendi rationem in uno corpore, ſeu Congregatione ob-
ſervaſſe; probabiliter dicendum eſt, ipſos unum caput,
ac unum Ducem etiam ſibi conſtituiſſe, cui obedientiam
promitterent; nam aliàs nec ordinatè, nec politicè vive-
re potuiſſent. Quod magis confirmatur ex eo, quod le-
gitur in lib. Scolaſtica Hiſtoriæ, in rubrica de ſignis in
4 morte Domini de S. Scarioth, qui Abbas Monaſterii fuiſſe
dicitur, quo mortuo, ejus Monachi, & ſub illius obedi-
entia degentes inconſolabiliter doluerunt. Ex quo colli-
gitur, S. Scharioth Abbatem fuiſſe, & non ſimpliciter
Abbatem, ſed ſub ſe Monachos habuiſſe; de quibus vi-
deri poteſt Colleg. Paduan. conſ. 2. poſt. conſ. Zab. num.
26. & ſeq. Caccial. conſ. 4. poſt dd. conſ. Zabar. n. 56.
& ſeq.

Sed licèt ante Chriſtum Dominum ab antiquis Patri-
bus, ac Prophetis Religioſus ſtatus adumbratus, & ex
parte inchoatus fuerit, nihilominus, quoad ejus per-
fectionem abſolutè, & ſimpliciter, ac prout includit o-
mnia, quæ de illius perfectione ſubſtantiali exiſtunt, eſt
propriè legis gratiæ, atque à Chriſto Domino propriè, &
perfectè inſtitutus, ut latè oſtendunt Hieronym. Platus
lib. 2. de bono ſtatus Relig. cap. 19. & 20. Bellarm. lib. 2. de
Monach. c. 5. & alii, quos refert Suar. de Relig. tom. 3. tract.
7. lib. 3. c 1. n. 5. de quarè in ſeq. Quæſito.

QUÆSITUM II.

Quo tempore in lege gratiæ Religioſus ſtatus, ac in eo Abbates, & Prælati inſtituti fuerint.

SUMMARIUM.

1 Status Religioſus primò à Chriſto in terris inſtitutus fuit.
2 S. Marcus Evangeliſta in Ægypto Religioſorum Inſtitutor fuit.
3 S. Antonius Eremitarum Auctor vocatur.

Religioſorum ſtatum, non per purum hominem,
ſed per verum ſimul Deum Jeſum Chriſtum in ter- 1
ris fuiſſe inſtitutum, Catholicorum omnium commu-
nis eſt aſſertio, ut cuique apud Thomam Vvald. tit. 11.
cap. 83. Clitovæum lib. 3. de vot. Monaſt. cap. 5. Bellarm.
lib. 2. de Monach. cap. 5. Hieron. Platum de bono ſtat. Re-
lig. lib. 2. alioſque graviſſimos Auctores videre licet; &
clarè comprehenditur ex illis verbis Jeſu Chriſti Matth.
cap. 9. Vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus,
Apoſtolorum tempore perfectionem, & formam acce-
piſſe, ut infrà. Præcipuam autem hujus Religioſi ſtatus
Præpoſituram eſſe à Chriſto Domino inſtitutam, atque
ordinatam, probatur ex verbis Apoſt. ad Epheſ. 4. & ip-
ſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam verò Pro-
phetas, alios verè Evangeliſtas, alios autem Paſtores, &
Doctores ad conſummationem ſanctorum in opus miniſte-
ris: eundemque ſtatum, & vitam religioſam ab Apoſto-
lis receptam D. Hieron. aſſerit lib. cont. Iov. in Apolog. ad
Patriar. & Hieron. Platus loc. cit. Exinde Religionis
cultum propagatum fuiſſe, aſſert Caſſianus lib. 2. c. 5.
& coll 8. cap. 5. & Dionyſ. de cæleſti Hier. At Philo Judæ-
us Dionyſ. Areopag. antiquior in lib. de vita contemplat.
prolixè vitam, & Monaſticos ritus deſcribit à S. Marco 2
Evangeliſta in Ægypto inſtitutos, cum paupertatis, con-
tinentiæ, & jejuniorum profeſſione. Habemus etiam
ipſius Dionyſii Epiſtolam, ex qua Monaſticen Apoſto-
lorum tempore floruiſſe, patet; eoſdemque Apoſtolos
Monachorum cultum, ritúmque tenuiſſe, probari pot-
eſt Actor. 4. in verbis illis: Erat cor eorum, unum, &
anima una, nec quiſquam eorum, quæ poſſidebat, aliquid
ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia; nec in-
ter ipſos quiſpiam egens erat, ſed quotquot poſſeſſores a-
grorum, aut domorum erant, vendentes afferebant pretia
eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apoſtolo-
rum. & dividebantur ſingulis, prout cuique opus erat.
Unde D. Bernardus in ſermone Apologetico, ſic ait: Heu
me miſerum qualemcumque Monachum! cur adhuc vi-
vo, videre, ad id deveniſſe Ordinem noſtrum, qui primus
fuit in Eccleſia, imò à quo cœpit Eccleſia, & quo nullus
in terra ſimilior Angelicis ordinibus, nullus vicinior ei,
quæ eſt in Cœlis Hieruſalem mater noſtra, ſive per cando-
rem Caſtitatis, cujus Apoſtoli inſtitutores fuerunt. Vitam
verò eremiticam Paulum coluiſſe, conſtat, cùm nullus 3
illum præceſſerit, Antonium verò illum inſtituiſſe,
& ordinaſſe, & quamplures docuiſſe diſcipulos: unde

Princeps

Princeps Eremitarum, & Auctor vocandus est. Nam (ut legitur apud Nicephorum *lib. 8. Histor. Eccles. cap. 41.* Hieron. *in Epist. ad Eustoch. de custod. virgin.* & Cassian. *lib. 7. collat. poster. collat. 1.*) circa tempora Caji Pontificis, Paulus quidam Thebanus (qui declinandæ causa persecutionis Decii, & Valeriani, & Deo liberiùs inserviendi, in eremi speluncam se contulit, unde, & primus Eremita est appellatus) initium Monachis dedisse videtur: Antonius item Ægyptius eodem tempore idem vitæ genus instituens, cùm post eum supervixisset, socios sui instituti habuit, & multorum Monachorum Dux, & Pater extitit: & primus inter illos antiquos Eremi Patres cum titulo, & munere Abbatis fuisse videtur. Inter illos vero, qui in Civitatibus Monasteria, & bona temporalia possederunt, primus, qui nomen, & officium Abbatis obtinuerit, sanctissimus parens, & legislator noster Benedictus fuisse traditur, à quo plures alii Abbates descenderunt, propter multa Monasteria, quæ sub ejusdem Regula constructa fuerunt, ut inferiùs dicemus, & inde Abbates dici cœperunt omnes ferè non mendicantium Ordinum Prælati.

QUÆSITUM III.

An successivè, & sine aliqua interruptione temporis Religiosus status semper in Ecclesia duraverit.

SUMMARIUM.

1 *Probatur continuatio status Monastici à temporibus Apostolorum sine interruptione usque ad nostra tempora.*
2 *Clementis I. tempora.*
3 *Urbani I. Papæ tempora.*
4 *Callixti I. Papæ tempora.*
5 *Felicis Papæ tempora.*
6 *Eutychiani Papæ tempora.*
7 *Sylvestri I. Papæ tempora.*
8 *Siricii Papæ tempora.*
9 *Innocentii I. Papæ tempora.*

1 ID, quod majorem in præsenti quæsito affert difficultatem, est de continuatione status Religiosi à temporibus Eliæ, & Elisæi, usque ad tempora Joannis Baptistæ, & Apostolorum, de hoc enim neque in sacra Scriptura, neque in antiquis Hebræorum Historiis mentio aliqua fit, nec satis constat, quomodo tempore captivitatum populi Israëlitici talis status continuari potuerit, aut quomodo post illas instauratus fuerit: cùm ergo de eo tempore nihil certi super hoc statui possit, idcircò loquendum videtur de continuatione hujus status à tempore Apostolorum, quo Christus veram Religionem instituit, instauravitque, ac verus Religiosorum Abbas, & Pater fuit: Monachorum igitur jam ab Apo-
2 stolis, & priùs à Joanne Baptista institutorum status continuatus fuit usque ad Pontificatum Clementis I. qui vixit temporibus Apostolorum; ipse enim, post Petrum, Linum, & Cletum Summos Pontifices, rexit Ecclesiam: & hoc elicitur ex ejusdem *epistola 5.* ubi ait, *Communis vita omnibus necessaria est, maximè his, qui Deo irreprehensibiliter militare cupiunt, & vitam Apostolorum, eorumque Discipulorum imitari volunt*; per communem vitam intelligitur Monastica, & Regularis, ut fatentur omnes, & præcipuè Suar. *tom. 4. de Relig. tract. 9. lib. 1. cap. 7. & lib. 2. cap. 8. & in tract. 10. lib. 1. cap. 5.* Hanc communem vitam, & Monasticam con-
3 tinuasse usque ad Urbanum I. ut ipse fatetur, colligitur
4 ex *can. scimus 12. quæst. 1.* ab Urbano I. usque ad Callixti Papæ tempora, ut colligitur ex *can. presbyteros 27. dist. & in can. interdicimus 16. quæst. 1.* ubi Abbatibus, & Monachis publicas pœnitentias dare, infirmos visitare, unctiones facere, & publicas Missas cantare interdixit, qui Pontifex rexit Ecclesiam anno Domini 227. Et à
5 Callixto usque ad tempora Eutychiani Papæ, qui præfuit Ecclesiæ anno Domini 277. ut *can. si quis Episco-* 6
pus 11. quæst. 3. Item ab Eutychiano usque ad Sylve- 7
strum I. anno Domini 319. *can. à Subdiacono 93. dist.* fit etiam mentio de Monachis tempore Concilii Nicæni
anno Domini 341. celebrati, quod refertur *in can. pla-* 8
cuit 19. quæst. 1. & tempore Siricii Papæ anno Domini 390. ut habetur *in can. Monachos, ead. caus. & quæst.*
Item tempore Innocentii I. anno Domini 421. Et hanc 9
continuationem Religiosi status à Christo Domino perfectè instituti, latè probat Cassian. *in lib. suarum collationum collat. 10. cap. 5. & 6.* ubi ait, Monasticam vitam paulò post tempora Apostolorum inchoatam, usque ad Paulum, & Antonium continuè durasse. Et à tempore S. Antonii, usque ad tempora S. Basilii Monasticum institutum se extendisse, eligitur ex ejusdem S. Basilii *epist. 79.* de qua re videatur fusiùs S. Greg. Nazianz. *in orat. de laudibus S. Basilii*, & S. Hieron. *de script. Eccles.* & Gennad. *de vir. illustr. cap. 6. & 7.* & Histor. Lausiac. *cap. 7. quæst. 14. & 15.* & alibi, quibus in locis hanc eandem continuationem Monachorum ab Apostolis institutorum pervenisse usque ad Antonium, & post illum ad Macharium, Joannem Climacum, Hilarionem, Pachomium, Basilium, Augustinum, & Benedictum summos Abbates, manifestum est. Itaque Abbatum nomen à tempore sui usus pari successionis relatione hodiernam usque ad diem mansisse, asserendum non abs re est.

QUÆSITUM IV.

An Abbates, seu Religiosorum Prælati distincti fuerint à Clericorum Prælatis.

SUMMARIUM.

1 *Status Religiosorum cœpit eodem ferè tempore, in lege gratiæ cum statu Clericorum.*
2 *Ecclesia in initio fuit veluti Monachalis Religio.*

SCimus ex Concil. Trid. *sess. 22. can. 2.* Apostolos ad noctem sacræ Cœnæ Clericos, & Sacerdotes institutos fuisse. Scimus pariter ex D. Aug. Thoma, aliisque Doctoribus, illos ante passionem in manibus Christi Domini, (ut suprà retulimus) tria vota ad Monasticen pertinentia emisisse: quæ quidem vota cùm Monastici status sint substantialia, non est dubium, quantum ad rem ipsam essentialiter, eodem ferè tempore, utrum-
que statum, & Clericorum, & Monachorum extitisse, 1
unumque corpus mixtum sub SS. Apostolis fuisse in Ecclesia.

Quantum verò ad nomen propriè sumptum, ab Apostolis fundatum arbitror, sicut de D. Marco habemus, in Alexandrina Ecclesia aliqua Monachorum instituisse Cœnobia, ut habetur *in collat.* Cassian. *lib. 2. de instit. Monach.* quod D. Bernardus *Apolog. ad Guill. Abbat.* innuit, addens aliquid ampliùs, id est, Ordinem suum, non modò in Ecclesia Dei primùm fuisse, verùm etiam ab illo Ecclesiam incœpisse. Et Isidor *lib. 2. de off. Eccles. cap. 15.* & S. Joan. Chrysost. *lib. 3. contra vitup. vi-*
ta Monastica, dicunt, Ecclesiam Dei initio suo fuisse vel- 2
uti Monachalem Religionem. De Monastici autem status Patribus, & Præpositis ex Conc. Melden. colligitur, Monachos ab Apostolis fundatos, & à Sanctissimis Patribus Ordinem Monasticum excultum. Clariùs probat Possi. *in vita S. August.* ubi dicit, *& cum Dei servus vivere cœpisset, secundùm modum, & Regulam sub Sanctis Apostolis constitutam.* Idem affirmare videtur Suarez *tom. 4. de relig. tract. 9. lib. 1. cap. 7. num. 5.* ubi post multa dixit, *ex his ergo satis constat, esse, & fuisse semper in Ecclesia duos ordines Religiosorum, Clericalem scilicet, & Monachalem:* & *lib. 2. cap. 8.* hoc idem affirmat per totum. Vide de hac re Joannem Trullum *lib. 1. de Ordine Canonic. regul. cap 2. & 3.* ubi probat, illam Religionem fuisse ab Apostolis institutam; & idem constat auctoritate Benedicti XII. qui in præfatione

ne ad Conſtitutiones ejuſdem Religionis hoc idem aſſeverat. Quapropter cum in hac Religione adſint Prælati, ab immemorabili tempore ſemper in Eccleſia Dei eos diſtinctos à Clericis extitiſſe, non videtur abs re, aſſerere.

QUÆSITUM V.

An eadem eſſentia Religioſæ & Monaſticæ vitæ fuerit in Eccleſiæ exordio cum ea, quæ nunc eſt.

SUMMARIUM.

1 *Probatur, quod eadem fuerit eſſentia ſtatus Religioſi antiqui temporis, ac noſtri.*

2 *Antiqui Religioſi geſtabant etiam ſaccum, cucullam, & reliqua Monaſtici habitus.*

Religioſæ, & Monaſticæ vitæ eſſentiam tribus votis, Paupertate, Caſtitate, & Obedientia, in noſtris hu-
1 jus temporis Religioſis conſtitui, nulli dubium eſt; quod quidem priſco tempore ſervatum fuiſſe, Auguſt. Cœnobitarum ſtatum explicans *lib. 1. de mor. Eccleſ. cap. 31.* oſtendit: Primùm enim inquit, illos, contemptis mundi deliciis, in caſtiſſimã, & ſanctiſſimam vitam conveniſſe; ſecundò addidit, à nullo quidquam poſſideri proprium; tertiò, Patres nulla ſuperbia conſulere illis, quos filios vocant, magna ſua in jubendo auctoritate, magna illorum in obtemperando voluntate.

Et Athanaſ. Abbas apud Joannem Moſcum *in prato ſpir. cap. 130.* ait, *Patres noſtri continentiam, paupertatem, ac nuditatem rerum omnium uſque ad mortem ſervaverunt*, intelligens de primis Patribus. Quod ſi intelligatur de Antonio, Hilarione, & cæteris illius temporis, non eſt dubium, Hilarionem facultates ſuas pauperibus dilargitum, ſolitudinem coluiſſe, & extructa exigua caſa, quæ vix ipſum caperet, humi cubaſſe, hanc autem vitæ rationem ab Antonio didiciſſe; unde clarè patet, continentiam, & paupertatem obedientiamque exercuiſſe.

2 Inſuper, quod olim etiam ſaccus, cucullæ, & reliquum habitus Monaſtici, pſalmodia, jejunia, ciborum delectus, aliáque id genus inſtituta fuerint, haberi poteſt ex Epiphanio *in Compendiaria doct.* & ex Joanne Caſſiano *in lib. de Inſtitutis Monach.* Adde, quæ ſupra diximus, à Philone Judæo allata de vita contemplativa, ſcilicet, D. Marcum Evangeliſtam in Æpypto formam cultus Monaſtici inſtituiſſe, cum continentiæ, paupertatis, & jejuniorum profeſſione. Vlterius præter hæc, Apoſtolos Chriſto vivente, tria eſſentialia vota ante ejus paſſionem emiſiſſe, oſtendit Suarez *de relig. tom. 4. tract. 9. lib. 2. cap. 7. num. 13.* quod probatur auctoritate S. Thomæ, Auguſtini, & aliorum. Clariùs etiam probatur ex Poſſidonio in vita S. Auguſtini, ubi dicit, *& cum Dei ſervis vivere cœpiſſet ſecundùm modum, & regulam ſub ſanctis Apoſtolis conſtitutam.* Itaque cùm ex allatis eadem eſſentia Monachorum antiquorum, & hujuſce temporis fuerit, eandem quoque illorum Prælatorum fuiſſe normam, & eſſentiam colligimus.

QUÆSITUM VI.

Utrum Eccleſiæ Seculares, quæ hodie Abbatiæ nomine nuncupantur, cum dignitate Abbatiali inſtitutæ fuerint, vel Seculari.

SUMMARIUM.

1 *Eccleſiæ Seculares, quæ hodie Abbatiæ nomine nuncupantur, ferè omnes olim fuerunt Regulares.*

2 *Aliquæ Eccleſiæ Seculares in principio ſuæ fundationis à ſecularibus erectæ, cũ dignitate Abbatiali.*

Dubitatio oritur ex eo, quia reperiuntur quamplures Eccleſiæ Collegiatæ Seculares, quarum Superiores, ac Prælati Abbates dicuntur, & Canonicis in ea reſidentibus præſunt; adſunt etiam nonnullæ aliæ Eccleſiæ Seculares, in quibus, licèt Canonici non ſint, ta-
men earum capita Abbates nominantur. Difficultas eſt modò, utrùm ab initio fundationum earum, iſtæ Eccleſiæ fuerint Seculares, & Abbatiarum nomen ſortitæ ſint, an verò Regulares. Ad quod dicendum eſt, omnes 1
ferè iſtas Eccleſias Seculares, quæ hodie Abbatiæ nomen retinent, olim fuiſſe Monaſteria Monachorum, vel Canonicorum Regularium, quibus Religioſi profeſſi Abbates præficiebantur. Cùm autem, calamitoſorum temporum injuriis, Monachorum, & Canonicorum Regularium Collegia, & Eccleſiæ deſiiſſent: factum eſt, ut deficientibus Regularibus, in illas Seculares Clerici inſtituti fuerint, quibus Abbatum nomen remanſit; ut de nonnullis Eccleſiis & Monaſteriis Regularium Canonicorum refert Gabriel Pennot. *Hiſt. Tripart. Ord. dd. Canonicorum Regularium, lib. 2.* & præcipuè *cap. 31.* loquens de Eccleſiis, & Monaſteriis ejuſdem Ordinis, quæ reperiuntur in Luſitaniæ Regno, ex quodam vetuſto libello in Archivo Monaſterii Sanctæ Crucis Colimbricenſis ſervato, in quo ſic refertur *Anno 1356. quo tempore in Italia propter bella, & Schiſmata Ordo Canonic. Regular. maxima detrimenta accepit, tanta fuit in Portugallia gentium ſtrages, cauſa magnæ ſterilitatis, & proventuum penuria, quòd ex tribus gentium partibus, duæ perierunt, tam brevi temporis intervallo, ut jam Cœmeteria tot mortuorum cadavera minimè capere potuiſſent. Sed tam in illis, quàm extra in antris: quæ ad hoc fiebant, quaterna, ſena, & quotquot poterant, ſepeliebantur, quod malum per totam Iberiam, & Galiciam curſavit: quo tempore Sarraceni totam Bethicam, omnia ſolo æquando infeſtaverunt, Catholicis multa mala inferentes, & arcem Calpes expugnaverunt, & ob has ſtrages, & ſterilitates iſtorum tam calamitoſorum temporum, multa Monaſteria Ordinis Canonicorum Regularium extinguebantur, eo quod omnes eorum Religioſi, & penè omnes Parochiani moriebantur, Monaſteria deſerta extiterunt ſine habitatoribus. Tunc Epiſcopi cùm Eccleſias recognoſcerent, de prædictis Monaſteriis, Abbates, Vicarios, & Curiones præficiebant, & poſteà multa illorum in commendatitias converſa, ſicut nunc (prod dolor!) inveniuntur.* Hæc ille. Et Renat. Chopin. *pluribus in locis Monaſtic.* meminit nonnullarum Abbatiarum, quæ à Regulari ad Secularem ſtatum redactæ ſunt: nec non etiam *in tract. de ſacra polit. forenſ.* præcipuè *lib. 2.* Idem habetur *ex lib. taxarum Apoſtolicarum.*

Patet igitur, Abbatiarum, & Abbatum nomina à Regularibus ad Seculares derivata fuiſſe, ut teſtatur idem Pennot. *d. lib. 2. c. 31.* quòd nulla Eccleſia reperitur quadringentos abhinc annos Abbatiali dignitate inſignita, quæ Regularis non fuerit. Ex quibus inferas cum eodem Pennot. *loc. cit.* non eſſe audiendum Franciſcum de Piſa *lib. 2. Hiſt. Toles.* contra Arnold. Union. dum affirmat, conſuetum eſſe apud Hiſpanos multos Collegiatarum Prælatos Abbates nuncupari.

Dixi ſupra, *omnes ferè iſtas Eccleſias Seculares*, quia 2
eſſe poteſt, ut aliquæ harum Eccleſiarum in principio ſuæ fundationis à Secularibus erectæ, ac inſtitutæ ſint, cum conditione, ut earum caput licèt Presbyter vel Clericus ſecularis exiſtat, potiatur tamen, & gaudeat omnibus juribus, prærogativis, ac præeminentiis, quibus cæteri Abbates Regulares, Baculi, & Mitræ uſum habentes fruuntur; accedente ad id Sedis Apoſtolicæ aſſenſu, & indulto. Ut eſt exemplum in Cathedrali Maceratenſ. in qua anno 1621. auctoritate Apoſtolica ſuper dotatione facta à perſona laica erecta fuit dignitas Abbatialis, cum reſervatione Jurispatronatus. Similiter in terra Montis Veteris nullius Diœceſis, in juriſdictione, dicta Ravignana, erectum fuit à Comite Petro Maria de Monte Veteri beneficium, cum titulo, & dignitate Abbatiæ, cum reſervatione etiam juris præſentandi, accedente Summi Pontificis aſſenſu.

Princeps Eremitarum, & Auctor vocandus est. Nam (ut legitur apud Nicephorum *lib. 8. Histor. Ecclesf. cap. 41.* Hieron. *in Epist. ad Eustoch. de custod. virgin.* & Cassian. *lib. 7. collat. poster. collat. 1.*) circa tempora Caji Pontificis, Paulus quidam Thebanus (qui declinandæ causa persecutionis Decii, & Valeriani, & Deo liberiùs inserviendi, in eremi speluncam se contulit, unde, & primus Eremita est appellatus) initium Monachis dedisse videtur: Antonius item Ægyptius eodem tempore idem vitæ genus instituens, cum post eum supervixisset, socios sui instituti habuit, & multorum Monachorum Dux, & Pater extitit: & primus inter illos antiquos Eremi Patres cum titulo, & munere Abbatis fuisse videtur. Inter illos vero, qui in Civitatibus Monasteria, & bona temporalia possederunt, primus, qui nomen, & officium Abbatis obtinuerit, sanctissimus parens, & legislator noster Benedictus fuisse traditur, à quo plures alii Abbates descenderunt, propter multa Monasteria, quæ sub ejusdem Regula constructa fuerunt, ut inferiùs dicemus, & inde Abbates dici cœperunt omnes ferè non mendicantium Ordinum Prælati.

QUÆSITUM III.

An successivè, & sine aliqua interruptione temporis Religiosus status semper in Ecclesia duraverit.

SUMMARIUM.

1 *Probatur continuatio status Monastici à temporibus Apostolorum sine interruptione usque ad nostra tempora.*
2 *Clementis I. tempora.*
3 *Urbani I. Papæ tempora.*
4 *Callixti I. Papæ tempora.*
5 *Felicis Papæ tempora.*
6 *Eutychiani Papæ tempora.*
7 *Sylvestri I. Papæ tempora.*
8 *Siricii Papæ tempora.*
9 *Innocentii I. Papæ tempora.*

1 ID, quod majorem in præsenti quæsito affert difficultatem, est de continuatione status Religiosi à temporibus Eliæ, & Elisæi, usque ad tempora Joannis Baptistæ, & Apostolorum, de hoc enim neque in sacra Scriptura, neque in antiquis Hebræorum Historiis mentio aliqua fit, nec satis constat, quomodo tempore captivitatum populi Israëlitici talis status continuari potuerit, aut quomodo post illas instauratus fuerit: cùm ergo de eo tempore nihil certi super hoc statui possit, idcircò loquendum videtur de continuatione hujus status à tempore Apostolorum, quo Christus veram Religionem instituit, instauravitque, ac verus Religiosorum Abbas, & Pater fuit: Monachorum igitur jam ab Apo-
2 stolis, & priùs à Joanne Baptista institutorum status
continuatus fuit usque ad Pontificatum Clementis I.
qui vixit temporibus Apostolorum; ipse enim, post
Petrum, Linum, & Cletum Summos Pontifices, rexit
Ecclesiam: & hoc elicitur ex ejusdem *epistola 5.* ubi ait,
Communis vita omnibus necessaria est, maximè his, qui
Deo irreprehensibiliter militare cupiunt, & vitam Apo-
stolorum, eorumque Discipulorum imitari volunt; per
communem vitam intelligitur Monastica, & Regula-
ris, ut fatentur omnes, & præcipuè Suar. *tom. 4. de Re-*
lig. tract. 9. lib. 1. cap. 7. & lib. 2. cap. 8. & in tract. 10. lib.
1. cap. 5. Hanc communem vitam, & Monasticam con-
3 tinuasse usque ad Urbanum I. ut ipse fatetur, colligitur
4 ex *can. scimus 12. quæst. 1.* ab Urbano I. usque ad Callix-
ti Papæ tempora, ut colligitur ex *can. presbyteros 27.*
dist. & in can. interdicimus 16. quæst. 1. ubi Abbatibus, &
Monachis publicas pœnitentias dare, infirmos visitare,
unctiones facere, & publicas Missas cantare interdixit,
qui Pontifex rexit Ecclesiam anno Domini 227. Et à
5 Callixto usque ad tempora Eutychiani Papæ, qui præ-
fuit Ecclesiæ anno Domini 277. ut *can. si quis Episco-* 6
pus 11. quæst. 3. Item ab Eutychiano usque ad Sylve- 7
strum I. anno Domini 319. *can. à Subdiacono 93. dist.* fit
etiam mentio de Monachis tempore Concilii Nicæni
anno Domini 341. celebrati, quod refertur *in can. pla-* 8
cuit 19. quæst. 1. & tempore Siricii Papæ anno Domini
390. ut habetur *in can. Monachos, ead. caus. & quæst.*
Item tempore Innocentii I. anno Domini 421. Et hanc 9
continuationem Religiosi status à Christo Domino perfectè instituti, latè probat Cassian. *in lib. suarum collationum collat. 10. cap. 5. & 6.* ubi ait, Monasticam vitam paulò post tempora Apostolorum inchoatam, usque ad Paulum, & Antonium continuè durasse. Et à tempore S. Antonii, usque ad tempora S. Basilii Monasticum institutum se extendisse, eligitur ex ejusdem S. Basilii *epist. 79.* de qua re videatur fusiùs S. Greg. Nazianz. *in orat. de laudibus S. Basilii*, & S. Hieron. *de script. Eccles.* & Gennad. *de vir. illustr. cap. 6. & 7.* & Histor. Lausiac. *cap. 7. quæst. 14. & 15.* & alibi, quibus in locis hanc eandem continuationem Monachorum ab Apostolis institutorum pervenisse usque ad Antonium, & post illum ad Macharium, Joannem Climacum, Hilarionem, Pachomium, Basilium, Augustinum, & Benedictum summos Abbates, manifestum est. Itaque Abbatum nomen à tempore sui usus pari successionis relatione hodiernam usque ad diem mansisse, asserendum non abs re est.

QUÆSITUM IV.

An Abbates, seu Religiosorum Prælati destinctò fuerint à Clericorum Prælatis.

SUMMARIUM.

1 *Status Religiosorum cœpit eodem ferè tempore, in lege gratiæ cum statu Clericorum.*
2 *Ecclesia in initio fuit veluti Monachalis Religio.*

SCimus ex Concil. Trid. *sess. 22. can. 2.* Apostolos ad
noctem sacræ Cœnæ Clericos, & Sacerdotes insti-
turos fuisse. Scimus pariter ex D. Aug. Thoma, aliis-
que Doctoribus, illos ante passionem in manibus Chri-
sti Domini, (ut suprà retulimus) tria vota ad Monasti-
cen pertinentia emisisse: quæ quidem vota cùm Mona-
stici status sint substantialia, non est dubium, quantum
ad rem ipsam essentialiter, eodem ferè tempore, utrum-
que statum, & Clericorum, & Monachorum extitisse, 1
unumque corpus mixtum sub SS. Apostolis fuisse in
Ecclesia.
Quantum verò ad nomen propriè sumptum, ab A-
postolis fundatum arbitror, sicut de D. Marco habe-
mus, in Alexandrina Ecclesia aliqua Monachorum in-
stituisse Cœnobia, ut habetur *in collat.* Cassian. *lib. 2. de*
institut. Monach. quod D. Bernardus *Apolog. ad Guill.*
Abbat. innuit, addens aliquid ampliùs, id est, Ordinem
suum, non modò in Ecclesia Dei primùm fuisse, verùm
etiam ab illo Ecclesiam incœpisse. Et Isidor *lib. 2. de off.*
Eccles. cap. 15. & S. Joan. Chrysost. *lib. 3. contra vitup. vi-*
ta Monastica, dicunt, Ecclesiam Dei initio suo fuisse vel- 2
uti Monachalem Religionem. De Monastici autem
status Patribus, & Præpositis ex Conc. Melden. colligitur, Monachos ab Apostolis fundatos, & à Sanctissimis Patribus Ordinem Monasticum excultum. Clarius probat Possi. *in vita S. August.* ubi dicit, *& cum Dei servus vivere cœpisset, secundùm modum, & Regulam sub Sanctis Apostolis constitutam.* Idem affirmare videtur Suarez *tom. 4. de relig. tract. 9. lib. 1. cap. 7. num. 5.* ubi post multa dixit, *ex his ergo satis constat, esse, & fuisse semper in Ecclesia duos ordines Religiosorum, Clericalem scilicet, & Monachalem: & lib. 2. cap. 8.* hoc idem affirmat per totum. Vide de hac re Joannem Trullum *lib. 1. de Ordine Canonic. regul. cap 2. & 3.* ubi probat, illam Religionem fuisse ab Apostolis institutam; & idem constat auctoritate Benedicti XII. qui in præfatio-

ne

ne ad Constitutiones ejusdem Religionis hoc idem asseverat. Quapropter cum in hac Religione adsint Prælati, ab immemorabili tempore semper in Ecclesia Dei eos distinctos a Clericis extitisse, non videtur abs re, asserere.

QUÆSITUM V.

An eadem essentia Religiosa & Monasticæ vita fuerit in Ecclesiæ exordio cum ea, quæ nunc est.

SUMMARIUM.

1 *Probatur, quod eadem fuerit essentia status Religiosi antiqui temporis, ac nostri.*

2 *Antiqui Religiosi gestabant etiam saccum, cucullam, & reliqua Monastici habitus.*

1 Religiosæ, & Monasticæ vitæ essentiam tribus votis, Paupertate, Castitate, & Obedientia, in nostris hujus temporis Religiosis constitui, nulli dubium est; quod quidem prisco tempore servatum fuisse, August. Cœnobitarum statum explicans *lib. 1. de mor. Eccles. cap. 31.* ostendit: Primùm enim inquit, illos, contemptis mundi deliciis, in castissimã, & sanctissimam vitam convenisse; secundò addidit, à nullo quidquam possideri proprium; tertiò, Patres nulla superbia consulere illis, quos filios vocant, magna sua in jubendo auctoritate, magna illorum in obtemperando voluntate.

Et Athanas. Abbas apud Joannem Moscum *in prato spir. cap. 130.* ait, *Patres nostri continentiam, paupertatem, ac nuditatem rerum omnium usque ad mortem servaverunt*, intelligens de primis Patribus. Quod si intelligatur de Antonio, Hilarione, & cæteris illius temporis, non est dubium, Hilarionem facultates suas pauperibus dilargitum, solitudinem coluisse, & extructa exigua casa, quæ vix ipsum caperet, humi cubasse, hanc autem vitæ rationem ab Antonio didicisse; unde clarè patet, continentiam, & paupertatem obedientiamque exercuisse.

2 Insuper, quod olim etiam saccus, cucullæ, & reliquum habitus Monastici, psalmodia, jejunia, ciborum delectus, aliàque id genus instituta fuerint, haberi potest ex Epiphanio *in Compendiaria doct.* & ex Joanne Cassiano *in lib. de Institutis Monach.* Adde, quæ supra diximus, à Philone Judæo allata de vita contemplativa, scilicet, D. Marcum Evangelistam in Æpypto formam cultus Monastici instituisse, cum continentiæ, paupertatis, & jejuniorum professione. Ulterius præter hæc, Apostolos Christo vivente, tria essentialia vota ante ejus passionem emisisse, ostendit Suarez *de relig. tom. 4. tract. 9. lib. 2. cap. 7. num. 13.* quod probatur auctoritate S. Thomæ, Augustini, & aliorum. Clariùs etiam probatur ex Possidonio in vita S. Augustini, ubi dicit, *& cum Dei servus vivere cœpisset secundùm modum, & regulam sub sanctis Apostolis constitutam.* Itaque cùm ex allatis eadem essentia Monachorum antiquorum, & hujusce temporis fuerit, eandem quoque illorum Prælatorum fuisse normam, & essentiam colligimus.

QUÆSITUM VI.

Utrum Ecclesiæ Seculares, quæ hodie Abbatiæ nomine nuncupantur, cum dignitate Abbatiali institutæ fuerint, vel Seculari.

SUMMARIUM.

1 *Ecclesiæ Seculares, quæ hodie Abbatiæ nomine nuncupantur, ferè omnes olim fuerunt Regulares.*

2 *Aliquæ Ecclesiæ Seculares in principio suæ fundationis à secularibus erectæ, cũ dignitate Abbatiali.*

Dubitatio oritur ex eo, quia reperiuntur quamplures Ecclesiæ Collegiatæ Seculares, quarum Superiores, ac Prælati Abbates dicuntur, & Canonicis in ea residentibus præsunt; adsunt etiam nonnullæ aliæ Ecclesiæ Seculares, in quibus, licèt Canonici non sint, tamen earum capita Abbates nominantur. Difficultas est modò, utrùm ab initio fundationum earum, istæ Ecclesiæ fuerint Seculares, & Abbatiarum nomen sortitæ sint, an verò Regulares. Ad quod dicendum est, omnes 1
ferè illas Ecclesias Seculares, quæ hodie Abbatiæ nomen retinent, olim fuisse Monasteria Monachorum, vel Canonicorum Regularium, quibus Religiosi professi Abbates præficiebantur. Cùm autem, calamitosorum temporum injuriis, Monachorum, & Canonicorum Regularium Collegia, & Ecclesiæ desiissent: factum est, ut deficientibus Regularibus, in illas Seculares Clerici instituti fuerint, quibus Abbatum nomen remansit; ut de nonnullis Ecclesiis & Monasteriis Regularium Canonicorum refert Gabriel Pennot. *Hist. Tripart. Ord. dd. Canonicorum Regularium, lib. 2.* & præcipuè *cap 31.* loquens de Ecclesiis, & Monasteriis ejusdem Ordinis, quæ reperiuntur in Lusitaniæ Regno, ex quodam vetusto libello in Archivo Monasterii Sanctæ Crucis Colimbricensis servato, in quo sic refertur *Anno 1356. quo tempore in Italia propter bella, & Schismata Ordo Canonic. Regular. maxima detrimenta accepit, tanta fuit in Portugallia gentium strages, causa magna sterilitatis, & proventuum penuria, quod ex tribus gentium partibus, duæ perierunt, tam brevi temporis intervallo, ut jam Cœmeteria tot mortuorum cadavera minimè capere potuissent. Sed tam in illis, quàm extra in antris: quæ ad hoc fiebant, quaterna, sena, & quotquot poterant, sepeliebantur, quod malum per totam Iberiam, & Galiciam cursavit: quo tempore Sarraceni totam Betbicam, omnia solo æquando infestaverunt, Catholicis multa mala inferentes, & arcem Calpes expugnaverunt, & ob has strages, & sterilitates istorum tam calamitosorum temporum, multa Monasteria Ordinis Canonicorum Regularium extinguebantur, eo quod omnes eorum Religiosi, & penè omnes Parochiani moriebantur, Monasteria deserta exstiterunt sine habitatoribus. Tunc Episcopi cùm Ecclesias recognoscerent, de prædictis Monasteriis, Abbates, Vicarios, & Curiones præficiebant, & posteà multa illorum in commendatitiis conversa, sicut nunc (proh dolor!) intuemur.* Hæc ille. Et Renat. Chopin. *pluribus in locis Monastic.* meminit nonnullarum Abbatiarum, quæ à Regulari ad Secularem statum redactæ sunt: nec non etiam *in tract. de sacra polit. forens.* præcipuè *lib. 2.* Idem habetur *ex lib. taxarum Apostolicarum.*

Patet igitur, Abbatiarum, & Abbatum nomina à Regularibus ad Seculares derivata fuisse, ut testatur idem Pennot. *d. lib. 2. c. 31.* quòd nulla Ecclesia reperitur quadringentos abhinc annos Abbatiali dignitate insignita, quæ Regularis non fuerit. Ex quibus inferas cum eodem Pennot. *loc. cit.* non esse audiendum Franciscum de Pisa *lib. 2. Hist. Tolet.* contra Arnold. Union. dum affirmat, consuetum esse apud Hispanos multos Collegiatarum Prælatos Abbates nuncupari.

Dixi supra, *omnes ferè istas Ecclesias Seculares*, quia 2
esse potest, ut aliquæ harum Ecclesiarum in principio suæ fundationis à Secularibus erectæ, ac institutæ sint, cum conditione, ut earum caput licèt Presbyter vel Clericus secularis existat, potiatur tamen, & gaudeat omnibus juribus, prærogativis, ac præeminentiis, quibus cæteri Abbates Regulares, Baculi, & Mitræ usum habentes fruuntur; accedente ad id Sedis Apostolicæ assensu, & indultu. Ut est exemplum in Cathedrali Maceratens. in qua anno 1621. auctoritate Apostolica super dotatione facta à persona laica erecta fuit dignitas Abbatialis, cum reservatione Jurispatronatus. Similiter in terra Montis Veteris nullius Diœcesis, in jurisdictione, dicta Raviguana, erectum fuit à Comite Petro Maria de Monte Veteri beneficium, cum titulo, & dignitate Abbatiæ, cum reservatione etiam jurispræsentandi, accedente Summi Pontificis assensu.

QUÆSI-

QUÆSITUM VII.

An omnes Monachorum Prælati à primæva Religionum institutione Abbatum nomine nuncupati fuerint.

SUMMARIUM.

1 *Primi Abbates Eremi cultores Archimandritæ dicti sunt, & quare.*

2 *Prælati Ordinis S. Basilii Archimandritæ dicebantur. Hodiè verò appellantur Abbates in Italia, Sicilia & Hispania.*

3 *Prælati Monachorum sub Regula D. Benedicti militantium omnes ferè Abbates dicuntur.*

Laudabili veterum Cœnobitarum consuetudine spectata conventuales Monasteriorum Superiores, Monachorumque Prælati nomen Abbatis sumpsere: quinimò, ac si minimè eo contenti essent, eidem Patris nomen addiderunt; mirum quidem pietatis argumentum, duplicata voce Patres Abbates modò nuncupantur ad imitationem Christi; non solùm autem Abbates, verùm etiam aliis nominibus appellati sunt. Nam primi
1 mi Abbates Eremi cultores Archimandritæ, dicti sunt, eo quia stante tyrannorum persecutione, sese in speluncis abdebant, & nominati sunt Archimandritæ, quasi Principes eorum, qui cavernas habitabant, vel principes gregis, ita vocantur in *l. nos reddentes §. C. de Summa Trinit. & fide Cathol.* Et quia Religionis S. Basilii eo-
2 dem nomine nuncupatum fuisse, legitur in Provinc. Rom. hodie autem Prælati Monachorum d. Ordinis, qui sunt in Italia, ac etiam Sicilia, & Hispania, Abbatis nomine appellantur.

Et similiter Congregationes Monachorum S. Bene-
3 dicti, utplurimùm suos superiores Abbatis nomine appellare solent. Dixi, *utplurimùm*, quia cùm extra Monasterium aliqui Monachorum Conventus, & quædam illorum Sodalitia extruerentur, illis regendis Monachi ab illius Monasterii Abbate præficiebantur, ac Priorum nomine appellabantur. Cùmque hi Conventus, ac Sodalitia processu temporis ab Abbatia fuerint segregata, Monachi superiorem suum Priorem Conventualem, non autem Abbatem vocaverunt. Cujusmodi ad hæc usque tempora in Congregationibus Monachorum Cœnobia nonnulla perseverant, quibus non Abbates, sed Priores Conventuales præsunt. Cœnobiorum, ac Sodalitiorum prædictorum, quibus Priores, non Abbates superiores constituebantur, quædam modò privilegio, & gratia Summorum Pontificum Abbatiæ nomine, ac dignitate gaudent, hac servata conditione, ut duodecim viros familiæ, superiori eidem subditæ propriis redditibus alere valeant. Qua de re (ut videre est apud Renat. Choppinum *in suo Monasticon.*) extant in omnibus Monachorum Congregationibus exempla, præsertim in Congregatione Cælestina, & nostra Vallumbrosana, cujus Parens, Legislator, & Generalis institutor Sanctus Joannes Gualbertus primis Cœnobiis à se erectis, Abbates præfecit; habetur enim in ejus vita, ab Eudoxo Lucatello descripta, ipsum instituisse, & ordinasse Abbates quosdam ex suis discipulis, ac illos Monasteriis, quæ suæ Religioni acquisivit præfecisse: hinc factum est, ut prædicta illa prima Cœnobia, nempe post Archicœnobium Vallis Umbrosæ, Monasterium S. Michaelis de Passiniano, S. Cassiani montis Scalarii, S. Reparatæ Marradii, S. Pauli de Razola, & S. Petri de Musceto Abbatiarum nomine nuncupata fint. Denique cùm sub eisdem Abbatiis aliqua loca extructa fuissent, Prioratus nomine dicta sunt, ac ab Abbate majoris Monasterii eis Prior constituebatur, prout idem contigit in nonnullis aliis Monasteriis cæterarum Congregationum; & de his Prioratibus majori Monasterio subjectis loquitur *cap. 1. de privil.*

❧ (✿) ☙

QUÆSITUM VIII.

An Christus Dominus fuerit Monasticæ professionis in statu gratiæ primus Institutor, & Legislator.

SUMMARIUM.

1 *Christus Dominus Monasticam vitam perfectè instituit.*

2 *Christus Dominus Castitatis votum instituit.*

3 *Christus Dominus Paupertatis votum instituit.*

4 *Christus Dominus Obedientiæ votum instituit.*

Ut omnes Monasticæ vitæ Legislatores, vel saltem præcipuos attingamus, incipiendum est à Christo Domino, simulq; dicendum, (quod extra controversiam est) illum fuisse primum disciplinæ hujus Legislatorem; quod probatur hac ratione. Nam præcipua lex quæ Ordines Monasticos concernit, sunt tria vota essentialia; sed hæc primum tradita sunt à Christo Domino; ergo ipse est primus Monastici status Legislator. Major est manifesta. Minor probatur, & Primò de voto Castitatis Christus Matth. 18. ait, *sunt Eunuchi, qui se castraverunt propter Regnum cœlorum.* In quibus verbis, (ut aliqui dicunt) designantur, non qui simpliciti proposito voluntatis suæ à conjugio abstinent, sed qui voto solemni, & perpetuo in probata Religione eam facultatem conjugium contrahendi, sibi ademerunt. Secundò probatur de Paupertatis voto Lucæ 14. *Nisi quis renunciaverit omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus,* quod congruit cum illis verbis ejusdem Evangelii 10. *Nolite habere aurum, neque argentum, imo neque sacculum, aut peram.* Tertiò de voto Obedientiæ ex Lucæ c. 4. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* In hac enim abnegatione includitur Obedientiæ votum, ut explicat Conc. Senen. *decret. 9.* Et hæc omnia simul præcipit, quando juveni vitam æternam possidere petenti respondit Matth. 19. *Vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & sequere me, & habebis thesaurum in cœlo.* Hinc est, quòd Apostoli, ut hæc tria vota in Christi manibus, tanquam primi Regularis, & Monasticæ legis Conditoris, & Abbatis emitterent, dixerunt ei: *Ecce nos reliquimus omnia* Matth. 19. id est conjugium, & bona, ut explicat Hieron. *lib. 1. contra Iovin.* Si dicas: Aliqui ex Apostolis habuerunt uxores, ergo hæc tria vota solemniter non emiserunt. Respondeo, eos statim conjugium dereliquisse ad vocem Christi Domini, *qui vult venire post me, &c.* & post nuptias eos fuisse continentes, ut potest elici ex S. Hier. *in Apol. ad Rom.* Per illa autem verba, *sequatur me*, intelligitur Obedientiæ votum, ut ait D. Aug. *Epist. 89. n. 4.* Ex quibus satis constat, præcipua Regularis, & monastici instituti præcepta à Christo Domino, tanquam à primo Legislatore tradita esse. Sed dices: Quis conditor sint legis à Christo promulgatæ? Respondeo, ipsum eam condidisse simul, & promulgasse, quando cœpit facere, & docere. Quod explicatum est *in quæsito secundo*, quando quæritur de origine Abbatum.

1

2

3

4

QUÆSITUM IX.

An Christus Dominus possit Abbatis nomine appellari.

SUMMARIUM.

1 *Christus Dominus in sacris literis diversis nominibus appellatur.*

2 *Christo Domino Abba nomen congruere probatur.*

Diversis nominibus in sacris literis Christum Dominum nostrum appellari, habetur pluribus locis, & primò *Epist. 1. Petri c. 2.* ubi Pastor, & Episcopus vocatur. Secundò in *Epist. S. Pauli ad Hebræos 11.* ubi vocatur Pontifex. Tertiò *eadem Epistola c. 7.* Sacerdos dicitur. Quarto Isaiæ 33. Legifer. Quinto Matth. 8. Magister 1

gister nuncupatur, aliisque nominibus ad ejus divina attributa ostendenda appellatus fuit à sanctis Prophetis, & Patribus Veteris, & Novi Testamenti. Ex quo fit, ut in medium adducatur Quæsitum: An scilicet Christus Dominus, quemadmodum multis nominibus nempè Pastoris, Episcopi, Pontificis, Sacerdotis, Legiferi, Magistri, & similibus nuncupatur, possit etiam Abbatis nomine appellari? Et profectò cùm omnia illi tradita sint à Patre æterno, tanquam universorum hæredi, Abbatis nomen, quo ipsemet Pater ab eodem Christo vocatus est Marc. 14. etiam illi donasse, pro indubitato habendum; maximè, cùm ipse sit Pater futuri sæculi, Pater, & Parens noster, in quo clamamus quotidie,
2 Abba Pater. Imò Christo Domino Abbæ nomen præ omnibus aliis debetur; quia reduplicato nomine Patris (sicut denotat Abba pater) humanam generationem respicit. Tum quia, ut Parens nos creavit, & ut Pater nos protegit. Sed quid dico, reduplicato Patris nomine illum nos intueri, qui centuplicata Patris protectione à custodia matutina usque ad noctem nos gubernat, & conservat, & ad mansiones æterni Patris, post infinita nobis exhibita paterna opera, tanquam cohæredes suos deducit. Ipse ergo Pater noster, à quo accipimus *spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater; ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus Filii Dei*, ut ait Paulus *ad Rom.* 8. Si dicas, hæc omnia quidem probare, Christum Abbatem, & Patrem posse respectu generis humani appellari, non autem Monachorum, de quorum Abbatibus, & Prælatis in præsenti sermonem habere intendimus. Respondeo, etiam respectu Monachorum Christum appellari Abbatem, Institutorem, Legislatorem, Ducem, & Patrem, & Moderatorem, atque Pastorem: quia Monachorum, omniúmque Religiosorum status ab eo immediatè institutus, & ordinatus fuit, ut benè probant Thom. Uvald. *de sacram. tom.* 1. *lib.* 3. *cap.* 6. & Clitov. *de vot. monast. lib.* 3. *c.* 5. & Hieron. Plat. *de bon. stat. Relig. lib.* 2. *cap.* 10. & alii. Expressè verum id pandit, comprobans intentum nostrum Alb. Crantzius *metropol.* 8. *cap.* 47. hisce verbis: *Quando erit finis multiplicandarum Religionum in uno magno Ecclesia Monasterio sub Abbate Christo, cujus Regulam per Evangelia digestam si strenuè observaremus, nihil esset opus repertis illis, ac novis Religionibus*; quod confirmat Joannes Gerson Cancellarius Parisiensis *Alphabeto* 42. *in sermon. de Cœna Domini*, per illa verba: *Apostoli fuerunt Canonici Regulares sub Abbate Christo.* Id ipsum refert Gabriel Penot. *Hist. Tripart. lib.* 2. *c.* 5. *n.* 1.

QUÆSITUM X.

An Sancti Apostoli fuerint monastica vita Institutores.

SUMMARIUM.

1 *Divus Marcus instituit Conventus Religiosorum utriusque sexus.*

2 *S. Matthæus in Æthiopia legitur S. Euphemiam consecrasse, & illam plusquàm ducentis Virginibus præfecisse.*

3 *D. Paulus in Græcia Theclam Virginem consecrasse legitur.*

Supponimus tanquam certum, & resolutum, cum Cassian. *lib.* 2. *c.* 5. Monasticam vitam tempore Apostolorum exordium sumpsisse, quam à Christo Domino institutam, & traditam suisq; legibus communitam acceptaverunt iidem Apostoli, & postmodum eorum discipuli. Quo præmisso, oritur dubium, Utrum hujus vitæ leges aliquas Apostoli condiderint, sut Legislatores aliquo modo nuncupari possint? Et primo videtur quòd non; quia illis temporibus, sicut etiam hodie, substantialia Regularis vitæ erant tantùm tria vota essentialia; sed hæc jam instituta erant à Christo Domino; ergo Sancti Apostoli non possunt dici Regularis vitæ institutores. Secundo probatur, nam non institu-

erunt ordinem aliquem Monachalem, cui leges ab ipsis fuissent imponendæ. Confirmatur; quia non est credibile, quòd illi aliquas condiderint leges, cùm in eorum actibus non reperiantur: nisi dicendum sit, eas evanuisse. His tamen non obstantibus, dicendum est, eos aliquo modo fuisse Legislatores Monasticæ vitæ, respectu eorum, qui post illos Regularem, & perfectam vivendi formam, ab Apostolis verbo & exemplo traditam professi sunt. Insuper Legislatores dici possunt, quia Regulam ipsam, & legem in suis prædicationibus pronunciarunt, ut Evangelium S. Matth. 19. & Marc. 10. & Luc. 18. intuenti manifestabitur. Profectò his locis, & alibi Regulares leges, sicut & in Actibus Apostolorum *cap.* 4. & alibi inspiciuntur.

Ad primum ergo respondendum est, illud argumentum probare institutionem legis Monasticæ, quam præsupponimus in Christo Domino, non autem promulgationem, quæ satis ostenditur quoad eadem tria vota essentialia in Apostolis, ut patet *in locis citatis* SS. Matth. Marc. & Luc. Adde quod suprà dictum fuit, 1
D. Marcum erexisse Monasteria, & instituisse aliquos utriusque sexus Conventus Monasticos, ut attestatur Philo disertissimus Judæorum, quem refert Euseb. Cæsariens. *in Histor. Ecclesiast. lib.* 2. *c.* 19. quod à Cardin. Baron. *tom.* 2. *an* 64. confirmatur, & adest testimonium D. Lucæ Evang. *in Actibus Apost.* in quibus fundamenta Regularis vitæ manifestè traditæ leguntur. Et S. Mat- 2
thæus in Æthiopia legitur, Sanctam Euphemiam Virginem consecrasse, ac illam plusquàm ducentis Vir- 3
ginibus præfecisse. Similiter in Græcia à D. Paulo Thecla Virgo Deo dicata fuit, ex Cassian. *lib.* 2. *coll.* 18. *c.* 5. Igitur credibile est, Monasteria tunc fuisse. Dixi, *credibile*, quia in Gallia à Sancta Martha Domini Jesu hospita Cœnobium insigne contractum fuit, ex eod. Cassian. *collat.* 18. *c.* 5. Et hoc absque dubio de licentia Apostolorum, quorum legibus Monasticis fuit munitum. Ad confirmationem respondetur, falsum esse, in Actibus Apostolorum non reperiri aliquas professionis Monasticæ constitutiones, & leges. Imo in illis essentiale Religionis manifestè inspicitur.

QUÆSITUM XI.

An post Christum, & Sanctos Apostolos, & ante Basilii tempora fuerint aliqui Abbates Monachalis Instituti Legislatores.

SUMMARIUM.

1 *Post Christi Domini, & Sanctorum Apostolorum tempora nonnullos Monastica, & Religiosa vita cultores floruisse, ostenditur.*

Post Apostolorum, & ante Basilii tempora nonnulli etiam floruerunt Monachorum Patres, ac Monasticæ vitæ cultores. Philo enim Judæus (qui tempore Claudii Imperatoris Romæ fuit, viditque S. Petrum Apostolum, ac ejus colloquio fruebatur) affirmat, suo tempore in Ægypto fuisse nonnullos qui renunciantes omnibus suis facultatibus, & simpliciter bonis suis cedentes, omnem temporalis vitæ solicitudinem deponebant, & extra Urbem egressi, in hortis vel agris, se à vulgo separantes, loca secreta fovebant; & quòd in singulis eorum locis erat Domus orationis consecrata *Semnion* appellata (*Semnion* autem in nostra lingua Monasterium, vel honestorum Conventiculum significare potest) in qua Angelicæ vitæ operam dabant. Ita refert Euseb. Cæsariens. *lib.* 2. *Histor. Eccles. c.* 17. recitans textum Philonis *in nudis verbis*. Præterea in secundo sæculo, tempe anno centesimo sexagesimo tertio, Helenus Alexandriæ insigne Cœnobium erexit, cujus successor fuit Nicodorus, & Nicodori Eugenius, qui in persequutione Gallieni sub Cornelii Pontificatu martyrio coronatus est, circa annum Domini 255. & sic in tertio sæculo, in quo etiam D. Antonius florere cœpit, qui in Alexandria primum Monachorum Abbas fuit: ac pro-

jurisdictione quoad dependentiam, seu subordinationem, quæ primò potest considerari in origine; nam Conventualium Abbatum jurisdictio à Generalibus manat, non è contra: sicut causa particularis dependet ab universali. Quòd enim inferiorum Prælatorum creatio pendeat à Superioribus, valde juri consonum, & necessarium esse videtur, ut Prælatus superior, cui magis subditorum cura, quàm aliis inferioribus competit, integrè suum munus adimpleat. Secundò potest considerari dicta dependentia in operationibus; Abbas enim inferior aliquo modo pendet in suis actibus à superiori, & non è contra, sicut causa particularis pendet ab universali in suis actionibus, & non è contra; quæ dependentia moraliter est intelligenda, non autem cum rigore physico, & per se, & dupliciter potest contingere, mediatè, scilicet, quatenus jurisdictio Abbatis inferioris dependeat à superiori, vel immediatè, saltem ut à causa non impediente, cùm possit; licèt enim non oporteat, Superiorem actu inferioris præcepta confirmare, vel ordinare: tamen opus est saltem, ne illis contradicat.
3 Tertiò hæc dependentia potest considerari in eo, quòd Generalis potest inferioris jurisdictionem coarctare, non autem è contra, ut de se patet. An autem hæc dependentia, & subordinatio sit in conservari, dicemus infrà, cùm agemus, utrum Generalis possit Abbatem localem amovere.

QUÆSITUM IV.

De nonnullis Abbatibus majori dignitate, & excellentia præ aliis insignitis.

SUMMARIUM.

1 *Abbates, qui in Regno Neapolis habent Castra, & Oppida, in quibus spiritualem, & temporalem jurisdictionem exercent.*
2 *Abbatis Casinen. prærogativæ, & dignitates.*
3 *Abbates nonnulli, qui in Gallia, & Germania inter Episcopos annumerantur, & utramque temporalem scilicet, & spiritualem jurisdictionem exercent. cent.*
4 *Abbas Sanctæ Mariæ Teemitana Congregat. Lateranen.*
5 *Abbatum Generalium Cluniacen. & Cistercien. prærogativa, & dignitates.*
6 *Abbas Sanctæ Trinitatis de Vendome in Gallia olim statim ac ad Abbatiam electus erat, Cardinalis tit. Sanctæ Praxedis censebatur.*
7 *Abbatis Ripolen. in Hispania prærogativa.*
8 *Abbatis S. Dionysii Paris. prærogativa, & dignitates.*
9 *Abbas S. Genovefuæ virginis.*
10 *Abbas S. Ambrosii Mediolanen.*
11 *Abbas Morimundi Mediolanen. Diœcesis.*
12 *Abbas S. Salvatoris de Monte Amato.*
13 *Abbas SS. Vincentii & Anastasii trium fontium.*
14 *Abbas S. Sylvestri de Nonantula.*
15 *Abbas S. Stephani de Fossa.*
16 *Abbas S. Mariæ de Casa Marii.*
17 *Abbas S. Mariæ de Populetto.*
18 *Abbas Monasterii Sanctissimæ Trinitatis de Cava.*
19 *Abbas S. Mariæ Vallis Umbrosæ.*
20 *Abbas Farfensis.*
21 *Abbas S. Spiritus de Sulmona.*
22 *Abbatum S. Pauli, ac S. Laurentii extra muros Urbis, ac Prioris Canonicorum Regularium Basilicæ Lateranen. dignitas, & Præeminentia.*
23 *Abbates & Priores quamplurimi in Anglia insignes.*

INter Abbates Regulares adsunt aliqui habentes populum, & territorium proprium, in quo Episcopalem jurisdictionem exercent, celebrantes per se diœcesanam synodum, dicuntur locorum Ordinarii, ac Ordinariorum appellatione veniunt; prout nonnulli reperiuntur in Regno Neapolis, nempe Abbas Casinensis, 1
qui inter alios honores, & prærogativas, præclaros hos obtinuit titulos, nempè [Patriarcha Sacræ Religionis, 2
Abbas Sacri Monasterii Casinensis, Dux, & Princeps omnium Abbatum, & Religiosorum, Vicecancellarius Sacri Imperii per Italiam, Cancellarius Regnorum utrinsq; Siciliæ, Hierusalem, & Hungariæ, Comes, & Rector Campaniæ, Terræ Laboris, maritimæque Provinciæ Viceimperator, & Princeps pacis) Hic postremus titulus ideò illi datus est, quia nullus poterat cum Imperio reconciliari, vel pacificare, nisi consentiente Abbate Montis Casini, quia potentissimus erat, & Principibus sæculi carus: admirabilis enim, & tremenda erat illius potentia, cui subjiciebantur Episcopatus quatuor, Principatus duo, Ducatus duo, Comitatus 20. Civitates 36. Castella 250. Villæ 440. Curtes 136. Portus Maritimi 23. Insulæ 33. Molendina 200. Territoria 300. Ecclesiæ 1662. Ita Arnold. Uvion. 1. *part. Lign. vitæ lib. 1. cap. 2.* & licèt hæc omnia nostra ætate haud possideat, aliqua tamen retinet, & hoc titulo (ut multa omittam) adhuc nominatur, & communiter nuncupatur *Abbas Sacri Monasterii Casinensis Civitatis S. Germani, & Castrorum, aliarumque terrarum, & locorum Dominus, & Ordinarius.* Ita inscribitur in Synodo novissimè celebrata à D. Simplicio Caffatello anno 1626. & impressa Romæ eodem anno apud Ludovicum Grignanum. Porrò Casinensem Ecclesiam Cathedralem, & Episcopalem, appellarunt Ioan. Andr. *in cap. cùm contingat n. 4. de for. compet. & ibid.* Butr. *n. 11. circa med. vers. fatetur.* Quaran. *in summa Bull. in verb. Concilium Provinciale n. 16.* Provinciale Ecclesiarum Cathedralium impressum Romæ sub Leone X. & meritò quidem, nam (ut habetur ex Strab. *lib. 5. de situ orb.*) erat hæc Civitas præclara, & Latinorum novissima deducta Colonia à Romanis anno ab Urbe condita 440. L. Papirio Cursore V. & C. Junio iterùm Consulibus, ex Tit. Livio *lib. 1. Decad. 1.* & Sigon. *de antiq. Iur. Ital. lib. 2.* & sæpiùs laudata apud veteres Auctores, Plinium, M. Varonem, Silium Italicum, & alios. Hæc Casinensis Ecclesia, antequam D. Pater Benedictus illuc accessisset, habebat suum Episcopum, & præcipuè habuit D. Severum, qui Lateranen. Concilio sub Felice III. anno 487. celebrato interfuit, & tanquam Casinensis Episcopus se subscripsit, ut constat ex 2. *tom. Concil. fol.* 420. ejusdem Severi Casinen. Episcopi meminit Petrus Diaconus in vita ejusdem S. Severi, & Leo Ostiensis *in Choronico Casinensi, lib. 3. c. 40.* At postquam illuc accessit D. Pater Benedictus, nempe de anno 529. nemo ampliùs, præter Casinenses Monachos, Episcopus ibi deputatus fuit. Deinde Abbates Casinenses, qui D. Benedicto successerunt, quamvis Episcopi non essent, jura tamen Episcopalia, ac omnimodam, & plenariam jurisdictionem exercuerunt, Diœcesímque habebant, ut patet, primò ex quadam Bulla signo plumbeo munita de anno Domini 1271. ubi Bernardus Abbas suam dixit Diœcesim, & cujusdam Ecclesiæ translationem demandavit. Et Marinus Abbas de anno 1380. in alia Bulla assensum præbuit Indulgentiis ab Episcopis concessis in cujusdam altaris consecratione & ad instar Episcoporum alias etiam ipse concessit. Demùm Ioannes XXII. Summus Pontifex de anno 1322. dictam Casinensem Ecclesiam in Regularem Cathedralem erexerit, Episcopalem ordinem tantùm addendo prædictis Abbatibus, qui à Conventu in Capitulum erecto canonicè eligebantur, & utrumque munus Episcopi videlicet, atque Abbatis obibant; quod servatum fuit usque ad annum 1367. quo tempore Urbanus V. jurisdictionem prædictam reservavit iisdem Abbatibus, Episcopalem dumtaxat ordinem à prædicto Joanne XII. eis concessum auferens, eo quia sic rei familiari, ac

Monaste-

Monasterii utilitati magis consultum fore judicavit, ut patet ex Bulla ejusdem Urbani V. Ex his patet, Casinensem Ecclesiam semper Cathedralem, ac Episcopalem fuisse, ejusque Abbates, & Prælatos territorium, & diœcesim habuisse, ac in ea Episcopalem jurisdictionem plenariè exercuisse; quæ omnia optimè tradit Rota *in una Sorana Beneficii die 8. Martii 1627. coram R. P. D. Merlino.*

De nobilitate hujus sacrosanctæ Abbatiæ, præter ea quæ à prædicta Decisione enarrata sunt, & ab aliis Auctoribus comprobata, has subsequentes Constitutiones Sancti Zachariæ Papæ, & Sixti V. Summorum Pontificum, adjungere mihi libuit, ut dignitas ejusdem Abbatiæ toto Orbe terrarum primæ & præcipuæ magis, magisque eniteat.

Zacharias Papa, Servus Servorum Dei, omnibus Ecclesiæ Catholicæ, salutem, & Apostolicam benedictionem.

OMnipotenti Deo, cujus melior est misericordia super vitas, gratias agimus, qui gloriosus in sanctis suis, atque mirabilis est, & virtutes suas, ubicumque vult, ineffabili bonitate ostendit. Ipse quippe dignationis suæ potentia beatissimum Benedictum Patrem omnium constituit Monachorum, ipse eum Monasticæ Legislatorem, & operatorem esse disposuit, ipse illius meritis Cassinense Monasterium, in quo & sanctissimè vixit, & gloriosissime obiit, omnibus per totum orbem Monasteriis clementi bonitate præfecit. Qui Pater sanctissimus dum vitam eremiticam duceret, divina revelatione monitus ad eundem locum pervenit, duobus se Angelis comitantibus cum beatissimo Mauro, & Placido, Tertulli Patricii filio, aliisque nonnullis, ubi templa Idolorum destruens, Monasteriumque construens Apostolicis illud decoravit virtutibus. Inter quæ dum eis revelatum fuisset, quod supradictus locus esset destruendus, & ob id incosolabiliter fleret, omnipotentis Dei ad se vocem audivit dicentem: Noli probatissime, ac dilectissime Benedicte, pro his quæ huic ventura didicisti loco, mœstum gerere animum, quod semel à Deo præfixum, immutabile, atque irrevocabile est, solis tibi tuo merito concessis habitantium in loco animabus. Sed aderit omnipotentis consolatio Dei, quæ locum istum in ampliorem, & multo meliorem, quàm nunc est restituet gradum, & hujus Ordinis doctrina de hoc iterum per totum orbem radiabit loco, quod post ejusdem Patris obitum consummatum est. Nam à Longobardis pervasum, & igne crematum est. Patres autem ad Apostolicam Sedem venientes ex concessione sancti prædecessoris nostri Pelagii juxta Lateranense Palatium Monasterium construxerunt, atque per prolixum tempus habitaverunt. Sed cum jam omnipotens Deus censuisset Cassinense Monasterium restaurare, ac cœnobialem institutionem, quæ inde principium sumpserat, ex eodem loco propagare, à Reverendissimo Gregorio III. prædecessore nostro Petronax dilectus filius noster est ad restaurandum directus. Qui dum ad eundem locum venisset communis Pater noster Gregorius ex hoc mundo migravit. Sed post ejus excessum in Sede Apostolica cùm Parvitas nostra successisset, opus ab illo cœptum in restauratione ejusdem cœnobii adjuvante Domino ad finem usque perduximus. Hæc autem eo die, quo sanctissimi Patris Ecclesiam dedicavimus, Parvitas nostra obtulit libros, scilicet sanctæ Scripturæ, & librum Regulæ, quam piissim⁹ Pater manu propria scripserat. Pondus etiam libræ panis, & mensuram vini, nec non diversa ad Ecclesiasticum Ministerium ornamenta, & possessiones Apostolica liberalitate concessimus. Qualiter autem ejusdem Patris pignora, sororisque ejus sint, posita perspicientes, ac intemerata invenientes, pro reverentia tanti Patris tangere minimè ausi sumus. In dedicatione verò ejusdem, dum illic cum tredecim Archiepiscopis, & sexaginta octo Episcopis adessem, idem dilectissimus filius noster postulare cœpit, quatenus possessiones, quæ eidem Monasterio oblatæ sunt à quibuscumque fidelib⁹ per nostrum privilegium roboraremus. Quorum desideriis, utpote amabilium, annuentes, hæc per præsens privilegium, quæ à nobis, aliisq; fidelibus concessa sunt, in eodem loco in perpetuum corroboramus. Ecclesias, quas S. P. Benedictus construxerat unà cum omnibus pertinentiis suis, Castrum Casinū cum pertinentiis suis: Monasterium S. Joannis in Veneri cum pertinentiis suis: Ecclesiam S. Cassiani, & S. Mariæ in Cingula cū omnibus Ecclesiis, & pertinentiis suis: Monasterium S. Mariæ in Plumbarola cum pertinentiis suis: Curtem de territorio Gentianæ cum pertinentiis suis: necnon & portum Trajecten. & Vulturanen. & totam piscariam de Civitate Lisina unà cum Ecclesia S. Fucati, aliisque Ecclesiis vobis pertinentibus. Villam, quæ dicitur Euchelia, cum pertinentiis suis. Monasterium Sublacense, cum omnibus pertinentiis suis, necnon decem, & octo Curtes, quas Tertullus Patricius unà cum Placido filio suo B. Benedicto obtulit, cum servis VII. M. & portu Panormitano, & Messano; Ecclesias S. Crucis, & S. Mariæ in Tremiti, cum pertinentiis. Concedimus etiam vobis, atque in perpetuum confirmamus, & corroboramus, cuncta in circuitu tàm campestria, quàm montana, quæ dilectissimus filius noster Gisulphus Beneventanorum Dux in perpetuum eidem Monasterio concessit, per has videlicet terminationes, & fines, quemadmodum incipit ab ipso fluvio, qui dicitur Carnellus, & ascendit per aquam, quæ vocatur Bantia, usque in rivum Licum: & sicut ascendit per ipsum rivum usque in furcam S. Martini, & inde ascendit per serras, & vadit in montem, qui dicitur Sicinus, & sic inde pergit in Pesculum corvarum, & qualiter vadit per ipsas serras ad furcam, quæ dicitur Poplum, & inde pergit ad locum, qui vocatur Virecosus, & inde vadit ad aquam fundatā, & ascendit in montem de Syle, & vadit exinde in caput aquæ de rapido, & inde ascendit in montem, qui dicitur caballus, & pergit in montem qui vocatur Rendenaria major, & inde per serras montium venit ad Rendenariam minorem. Qualiter inde directè vadit per pedes montium, qui vocantur Reselona, & pergit in aquam de Melano, & descendit per eandem aquam, cum utrisque ripis, & vadit in parietes de Balnearia. Et inde vadit per locum, qui dicitur Anglone, & ascendit ad furcam de Valle Lucii, & quomodo vadit per ipsas serras montium, & descendit à Petra scripta, & exinde ascendit ad serras montis, qui dicitur Horticosa. Et quomodo vadit per serras montium, & pervenit ad prosdora, quæ vocantur Faldonara, & qualiter vadit per duos montes, quorum unus vocatur Spinacius, alter Porcatius. Et qualiter inde vadit ad cristas montis, qui vocatur Caria, & descendens venit ad Petras super aquam vivolam: & ascendit ad collem Cimberuti, & descendit in quercetulū, & inde in fossatulum juxta S. Damasum. Et inde directè pergit in silicem, loco, ubi dicitur Arcus Gezuli, & qualiter vadit ad lacum qui vocatur Redeprasidi: Et quemadmodum inde pergit in Farnietum: & inde in rivum, qui dicitur Maroze. Et qualiter descendit in ipsum fluvium Carnellum, & per eundem fluvium ascendit in aqua, quæ nominatur Closa: inde per serras montis S. Donati. Inde super monticellos de Marri descendens, vadit ad pasculos, qui sunt in pede montis, qui dicitur Balba. Inde per duos Leones: & inde pergens ascendit per serras montis super Casale. Et sicut descendit per ipsum montem usque ad villas de Gariliano: inde ad pesclum, qui vocatur Crypta Imperatoris. Et inde pergit usq; ad jam dictum flumē Gariliani, atq; per ipsum flumen ascendit usque ad priores fines, unà cum omnibus Castellis, vicis, domibus, Ecclesiis, molendinis, & aquis, cæterisq; omnibus, quæ intra prædictos fines habentur.

Præterea corroboramus, ac in perpetuum confirmamus eidem dilecto filio, ejusque successoribus in omni Conventu Episcoporum, & Principum superiorum universis Abbatibus Sedem, & in consiliis, & judiciis priorem sui Ordinis omnibus sententiam præferre, pro reverentia tanti loci, qui primum, & summum Monasticæ Legislatorem vivum, & mortuum in perpetuum retinere promeruit: quique eisdem legislationem in eodem Cassinensi Cœnobio scribens, verbo, & exemplo cœnobiale propositum appetentibus in toto mundo solenniùs evibravit. Pro quo Cassinense Cœnobium exaltantes, Decernimus, ac in perpetuum confirmamus, ut supradictus locus dignitate, vigore, ac honorificentia præcellat omnia Monasteria, quæ constructa, vel construenda sunt in toto orbe terrarum Abbasque ejusdem loci celsior, ac celebrior existat omnibus Abbatibus eandem Regulam tenentibus, illicque lex Monastici Ordinis caput teneat, ac principatum: ubi ejusdem legis descriptor Benedictus Pater sanctissimus eandem describens promulgavit Regulam, ibique Abbates, & Monachi honorem, & referentiam deferant: & ibi usqoe ad diem judicii quærant doctorem, ubi Monachorum universalis Magister, & Doctor Benedictus Pater almificus corporaliter una cum sorore sua quiescens, gloriosæ resurrectionis diem expectat. Defuncto autem Abbate ipsa Congregatio secundum saniùs consilium sapientum, & seniorum fratrum sibi Abbatem eligat, & Apostolicæ Sedis Pontifici firmandum, & consecrandum exhibeat. Non aliter ibi Abbas constituatur, aut aliunde illuc intromittatur, nisi fortè ex se aliquem tanto regimini idoneum non habuerint, & ob id saniori consilio extraneum sibi elegerint. Insuper autem præsenti privilegio supradictum locum unà cum omnibus sibi pertinentibus Ecclesiis, & possessionibus per totum orbem roboramus, atque ut nullius alterius, nisi Rom. Pontificis ditionibus submittatur, auctoritate Apostolica interdicimus, ita ut nisi ab Abbate, vel à Præposito fuerit invitatus, Missarum solemnitatem nullus Episcopus celebrare præsumat in eisdem possessionibus. Quod à præsenti prima jurisdictione irrevocabiliter in perpetuum stabilimus, retinemus, & cum Dei timore servandum mandamus. Statuentes insuper Apostolica censura sub divini judicii observatione, & validis, atque atrocioribus anathematis interdictionibus, ut nullus unquam qualibet dignitate, aut potestate præditus præsumat eidem Monasterio, vel omnibus ejus possessionibus vim inferre, vel aliquid de his aliquo modo auferre, vel alienare. Sed & nec pacis, nec barbarico tempore ibidem aliquam jacturam, vel molestiam inferre, dum perenniter illud firma stabilitate decernimus sub ditione S.R.E. permanendum; promulgantes quidem, & hoc authoritate B. Petri Apostolorum Principis coram Deo, & terribili examine per hoc nostrum Apostolicum privilegium constitui sancimus atque decernimus, quæ provinciis per totum orbem commutata, atque oblata, aut in posterum eidem Cœnobio à qualibet persona fuerint concessa, firma stabilitate sub jure ipsius Monasterii existenda atque in perpetuum permanenda. Statuimus, ne licentia sit, ut dictum est, cuilibet magnæ, vel parvæ personæ aliquid ex his auferre, sed inconcussè, & irrevocabiliter ibidem, & in perpetuum permanere. Concessimus etiam hoc Apostolico privilegio, ut pro oblatione, vel ordinatione Presbyterorum, Diaconorum, Subdiaconorum, & Altarium consecratione, Chrismatisque acceptione, in quibuslibet ejusdem Monasterii possessionibus quemcunque voluerint Episcopum invitandum. Hymnum quoque Angelicum in Dominicis, & festivis diebus concedimus in Missarum solemniis decantandum: In horis vero diurnis, ac nocturnalibus signum in Ecclesia pulsandum. Simili modo licentiam damus, & corroboramus in præfato Monasterio, & in omnibus ejus Ecclesiis per totum orbem terrarum constructis, fontes benedici, & sacrum Baptisma celebrari. Et non solum ibi, sed & in his quoque, quæ à modò in possessionibus prædicti Cœnobii præsentibus, vel futuris temporibus Ecclesiæ ædificandæ, remota scilicet cujuscumque Episcopi interdictione. Addimus etiam ut nullus Episcopus prohibeat Christianum populum ingredi ad easdem Ecclesias, vel in eisdem de suis rebus aliquid offerre, ut solet fieri religione pia. Observari quoque hanc nostram jussionem volumus, ut nullus Episcopus in jam dicto Cassinensi Cœnobio, & in omnibus ejus Cellis per totum terrarum orbem constructis, decimas tollat, sacerdotem excommunicet, vel ad Synodum provocet. Simili etiam modo licentiam damus eidem dilecto filio ejusdemque posteris Abbatibus, Monachorum Synodum congregandi, & quemcunque Clericum voluerint cum suis substantiis recipere ad habitandum in omnibus Cassinensis Monasterii possessionibus, sive Presbyter sit, aut Diaconus, vel cujuslibet Ecclesiastici Ordinis, & nullius Episcopi timere contradictionem. Et liceat eidem Religioso Petronaci, ejusque posteris, & eorum præpositis in perperuum judicare prædictas Ecclesias, curtes, & possessiones per totum orbem terrarum, & omnem in eisdem Ecclesiis, & possessionibus degentem Clericum ad Officium promoveri absque personæ secularis potestate, & cujuslibet Episcopi prohibitione. Si quis autem (quod absit) ea quæ ad laudem Dei pro stabilitate à Cassinen. Cœnobii conservandi dignitate, & possessionum ejus tutela à Nobis statuta sunt, nefario ausu corrumpere, violare, aut refragare præsumpserit, nisi resipuerit, sciat, se anathematis vinculo innodatum, & à regno Dei alienatum, & cum Diabolo, & ejusdem pompis, & Juda Jesu Christi Domini nostri traditore æterno supplicio, æternæque maledictioni deputandum. At vero, qui pio intuitu hujus nostri Apostolici instituti observator existit, benedictionis gratiam à misericordissimo Domino Deo nostro per intercessionem Beatissimi P. N. Benedicti consequatur, & vitæ æternæ præmia adipisci mereatur. Scriptum per manum Leonis Notarii, & Regionarii, atque scriniarii Ca. Rom. Ecclesiæ in mense Januario per indictionem supradictam primam. Datum 12. Calend. Martii Aquini per manum Benedicti Episcopi sanctæ Sylvæ Candidæ Bibliothecarii Sedis Apostolicæ, anno D. N. Zachariæ Summi Pontificis, & universalis Papæ primo, in mense Martio, indictione soprascripta prima, &c.

Habetur *in fine Chronic. Cassinensis Leonis Martic. Hostiens. post librum quartum.*

Ad corroborationem multorum Privilegiorum in prædicta Bulla contentorum pro Abbate montis Cassin. extat alia Constitutio Sixti V. Pontificis Maximi in hanc formam, & tenorem.

Sixtus Episcopus Servus servorum Dei.

AD futuram rei memoriam. Benignitas Apostolicæ Sedis consueta, ea quæ per Romanos Pontifices pro Religionis incremento, & decore facta fuisse dicuntur, libenter approbat; eisque Apostolici muniminis robur addit, illaque de novo concedit, prout conspicit in Domino salubriter expedire. Sanè pro parte dilectorum filiorum Abbatis, & Conventus Monasterii in monte Cassino, Ordinis sancti Benedicti, Congregationis Casinensis, nullius Diœcesis, exhibita nobis nuper petitio continebat, quod dictum Monasterium per diversos Romanos Pontifices Prædecessores nostros, multis & variis gratiis, facultatibus, & libertatibus, immunitatibus, & indultis cumulatum & decoratum fuit, illiusque Abbas pro tempore existens nemini subest, sed omnimodam jurisdictionem Episcopalem, ac proprium territorium, & jus congregandi

Synodum

Synodum habet, prout illam congregasse, & in ea examinatores elegisse, ac posse concursum constituere, examinare, approbare, OEconomos deputare, nec non Sacramentum Chrismatis confecisse, ac commissiones gratiarum Apostolicarum executioni demandasse constat juxta declarationem Venerabilium Fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, Concilio Tridentino interpretando præfectorum desuper factam: Cùm autem ea de quibus dictæ Sedis intercedit Auctoritas meliùs observentur, & proinde, sicut eadem petitio subjungebat, ipsi Abbas, & Conventus cupiebant præmissa omnia dictæ Sedis patrocinio communiri; pro parte eorundem Abbatis, & Conventus Nobis fuit humiliter supplicatum quatenus eorum desideriis in præmissis annuere de benignitate Apostolicâ dignaremur. Nos igitur Abbatem, & singulares personas Conventus hujusmodi à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, Censuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus, quomodolibet innodati existunt ad effectum præsentium duntaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, necnon tenores omnium & singulorum privilegiorum prædictorum præsentibus pro expressis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, omnia & singula privilegia, immunitates, gratias, facultates, & indulta præsertim conferendi Sacramentum Chrismatis, dummodo illud sit prius per Catholicum Antistitem, gratiam, & communionem dictæ Sedis habentem, consecratum, concursum pro conferendis Beneficiis Ecclesiasticis Curatis, in mensibus Apostolicis faciendi, ac Commissiones gratiarum Apostolicarum tam justitiam, quàm gratiam, etiam quoad dispensationes matrimoniales concernentes, Abbati Monasterii Cassinensis prædicti, sive suo Vicario Generali pro tempore directarum debitæ executioni demandandi; aliaque desuper necessaria, & opportuna faciendi juxta Decreta dicti Concilii Apostol. Auctoritate tenore præsentium approbamus & confirmamus, illisque perpetuæ & inviolabilis firmitatis robur adjicimus, ac omnes & singulos tam juris, quàm facti defectus, si qui desuper intervenerint, supplemus, necnon potiori pro cautela, moderno, & pro tempore existenti Abbati dicti Monasterii, vel suo generali Vicario, ut cùm Parochialis Ecclesiæ jurisdictionis dicti Monasterii vacatio contigerit, concursum instituere, examinare, approbare, & magis idoneas eligere, & Ecclesiam hujusmodi legitimè conferre, ac in mensibus nostris, & successorum nostrorum Romanorum Pontificum collationis reservatis, personas in concursum electas nobis, & dictæ Sedi pro collatione obtinenda significare, necnon Sacramentum Chrismatis, dummodo illud prius sit per Antistitem præfatum consecratum, ut præfertur, conferre, ac quascunque literas Apostolicas tam justitiam, quàm gratiam, etiam quoad matrimoniales dispensationes, Personarum dictæ jurisdictiones concernentes, sibi tamen, ut nulli alteri dirigendas debitæ executioni demandari liberè, & licitè valeat juxta Decreta ejusdem Concilii dicta Autoritate earundem tenore præsentium concedimus. Decernentes ex nunc irritum & inane, si secus super his à quoquam, quavis Autoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus quibusvis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, Privilegiis quoque, Indultis & litteris Apostolicis sub quibuscumque tenoribus & formis, & aliàs in contrarium quomodolibet concessis, approbatis & innovatis: quibus omnibus etiamsi de illis specialis mentio habenda foret, illis aliàs in suo robore permansuris hac vice duntaxat, specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo hominum liceat hanc Paginam nostræ Absolutionis, approbationis, confirmationis, adjectionis, suppletionis, Concessionis, Decreti, & Derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quingentesimo octuagesimo nono, decimo Calendas Martii, Pontificatus nostri anno quinto.

Habetur *in Venerabili Archivio Cassinensi.*

Adsunt in eodem Regno Neapolitano Abbas S. Eliæ, Abbas S. Bartholomæi, qui est Dominus Sanctæ Mariæ in Elce; Abbas sancti Joannis ad Pirum, & alii, de quibus meminit Marin. Freccia *in tract. de subfeud. sub rubr. de origine Baronum, cap. 3. num. 28.* quos insuper dicit, nomine suarum Ecclesiarum, ac veluti reliquos Episcopos habentes Castra in feudum à Rege, præcedere Comites, & alios Dominos seculares Regni. His similes leguntur quamplures alii Abbates in nostrâ Italia, ut Abbates Montis Regalis, sanctæ Justinæ de Padua, Sublacensis, sancti Pauli de Urbe, Montis Virginis, S. Mariæ de Bagno, Caravallensis, & alii his similes, imò majoris dignitatis in Germaniâ reperiuntur, qui inter Episcopos annumerantur, ut Abbas Fuldensis, Abbas Hirsfeldensis, Abbas Murpacensis, Abbas Campidonensis, Abbas Corbiensis, Abbas Prumensis, Abbas Stabulensis, Abbas Divi Galli, de quibus Daniel Otto *in dissertatione juridicopolitica de jure publico Imperii Romani, cap. 18. §. tertia classis.* Munsterus *lib. 3. Germanographiæ,* Simlerus *de rebus Helvetior. lib. 2.* & alii Germaniæ annalium scriptores passim. Similiter in Gallia Abbas Dolensis, qui Abbas, & Princeps Dolensis se subscribit. Abbas D. Jodoci in Cella Maritimaad ostium Cantii inter Stapulas, & Monstrolium Urbes posita, qui dicitur, Abbas, & Comes D. Jodoci; necnon innumeri ferè alii in reliquis Provinciis, & Regnis, quos omnes hic recensere, esset lectores tædio afficere. Isti Abbates trium personarum vicem sustinent, nempe Abbatis in Monasterio erga suos Monachos, Episcopi erga Populum, & Domini cum jurisdictione temporali civili, seu mixta se habent erga Laicos, & omnibus Prælatis Episcopo inferioribus præferuntur, iis competunt non solùm ea, quæ sunt jurisdictionis, & dignitatis Episcopalis, verùm etiam ea, quæ sunt Ordinis Episcopalis; aliquibus tamen exceptis, de quibus suo loco; hi in Concilio sedent immediatè post Episcopos, ut ait Petrus de Monte *in tract. Monarch. consil. quæst. §. num. 4.* & Campeg. *in tract. de Auctor. Sacri Concilii, cap. 7.* Insuper in Concilio Provinciali, ac etiam Generali tanquam locorum Ordinarii habent vocem decisivam, subscribendo in actibus eorundem Conciliorum, ut suo loco dicemus.

Abbas sanctæ Mariæ Tremitanæ Congregationis Lateranen. Insulæ in mari Adriatico prope Theatinam diœcesim, habet in illis Insulis, quæ Tremitanæ nunc, olim verò Diomedeæ dictæ sunt, jurisdictionem ordinariam spiritualem, & temporalem, & utrumque gladium, ac etiam in terris littoris adjacentis: & inter Barones Regni Neapolitani numeratur, & locum habet; in majori Insula, in qua residet, est vetustissima, & inexpugnabilis illa arx, quæ ejusdem Abbatis vigilantia, & prudentia, ranquam naturalis Principis gubernatur, munitur, & defenditur.

Abbas Cluniacensis (ut refert Arnold. Uvion. Belga *1. part. Ligni vitæ, lib. 2. cap. 11.*) ex privilegio Calixti Papæ II. quotiescumque Romam accedebat Cardinalitia dignitate potiebatur; & hoc probat ex Chronico Cluniacensi per hæc verba: *Eadem verò die, via delicet, qua canonizatus est S. Ugo Abbas, communi omnium suorum assidentium assensu largitus est felix Papa Calixtus Cluniacensi Ecclesiæ specialis, & propria sua*

 ut Abbat

ut Abbas Cluniacenſis ſemper, ubique Romam accederet, fungatur officio Cardinalis, manuque propria ipſe Pon-
6 *cium anulo ſuo inveſtivit.* Refert inſuper idem Auctor *loc. cit.* quòd Abbates Monaſterii ſanctæ Trinitatis de Vendomo in Gallia eodem privilegio, & ampliori gaudebant; nam adjectus erat eorum dignitati titulus ſanctæ Praxedis perpetuus; & ut primùm quis creabatur Abbas, ſine alia Summi Pontificis ratificatione, Cardinalis ſanctæ Praxedis cenſebatur, ex atteſtatione Franciſci Belflores *tom. 1. ſua Coſmographia*, quia nonnulla decreta, & diplomata Summorum Pontificum hac de re affert.

7 Abbas Ripolen. Ordinis Sancti Benedicti in Hiſpania maximam in multos vaſſallos habet jurisdictionem, & habet utrumque gladium, & ſedet pro tribunali ad ſubditorum cauſas audiendas, & ſpeciali privilegio à fel. record. Paulo V. obtento, poteſt capitales ſententias contra reos, abſque irregularitatis metu ferre. Ita mihi retulit ipſe Abbas vir ſingulari religione, & ſcientia, ac cæteris animi dotibus ornatus.

8 Abbas ſancti Dionyſii Pariſienſ. Ordinis ſancti Benedicti inter Abbates, & alios Prælatos eſt valdè conſpicuus in tota Gallia, non ſolùm propter eximia privilegia à Sede Apoſtolica obtenta, ut paſſim fatetur Renat. Choppin. *in ſuo Monaſticon, & de ſacra Politia Forenſi*, ſed etiam quia eſt Par Franciæ.

In Gallia ſunt multi Abbates, qui non ſolùm Principum, & Comitum, vel Baronum titulis gaudent, verùm etiam habent ſub ſe Priores Camerarios, & alios officiales, qui Barones exiſtunt, ſicut in Monaſterio Vendomenſi videre eſt, illius enim Camerarius Baronis re, & nomine potitur.

9 In magna præeminentia eſt pariter Abbas ſanctæ Genovefæ Virginis Canonicorum Lateranen. Nam habet ſub ſe vaſſallos, & eſt protector jurium Summi Pontificis, à quo habet auctoritatem, excommunicandi quoscumque jura Pontificia perturbantes, vel defraudantes. Præterea, (ut à quibuſdam Pariſienſibus, qui ſe ita vidiſſe teſtantur, accepi,) hic Abbas, quando defertur corpus prædictæ ſanctæ Virginis Genovefæ, Patronæ totius territorii Pariſienſis, præſente Archiepiſcopo Pariſienſ. in ſua diœceſi, cujus eſt ipſe Abbas Ordinarius, populo benedicit habens à ſiniſtris Archiepiſcopum Pariſien. qui poſtea tranſiens per propriam diœceſim, quæ ſupradictæ Abbatis Diœceſi contigua eſt, reaſſumit dexteram, quam in proprio territorio, & Diœceſi ſua ab immemorabili tempore ſibi vendicat prædictus Abbas S. Genovefæ. Ita mihi relatum fuit à Domino Michaele Bauldrio de Ebronio Gallo Monacho Benedictino, viro in rebus præcipuè Monaſticis valdè verſato.

10 Abbas ſancti Ambroſii Mediolanen. eſt Comes Limontæ, Civennæ, & Campionis, & Ordinarius eorundem locorum, & eſt Comes Imperialis, & à ſubditis nuncupatur nomine Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi Comitis, & Abbatis, & habet poteſtatem numiſmata imprimendi cum propriis formis, & inſcriptionibus; cantat inſuper Miſſam cum ſceptro Regio, & multa habet privilegia.

11 Abbas ſanctæ Mariæ de Morimundo Diœceſis Mediolanen. eſt Comes, & Dominus Morimundi, Coronatæ, Baſiani, Faravecchiæ, Theſinolli, & Eughii; habet in his locis jurisdictionem temporalem, & juſtitiam exequitur, uſque ad mortem excluſivè, & habet fiſcum.

12 Abbas ſancti Salvatoris Montis Amati Diœceſis Cluſinen. habet jurisdictionem ſpiritualem in terra Abbatiæ, & in terra Monticelli, ac tanquam Epiſcopus plenariam jurisdictionem in his duabus Terris exercet.

13 Abbas ſanctorum Vincentii, & Anaſtaſii trium Fontium propè, & extra mœnia Urbis, eſt Dominus Montis Oreſti, Montis Roſi, in ſpiritualibus, & temporalibus, & in ſpiritualibus Orbetelli, Montis Argentarii, Inſulæ Gilii. Hæc Abbatia eſt commendata Illuſtriſſimo Cardinali Ludoviſio.

14 Abbas Sancti Sylveſtri de Nonantula Diœceſis Mutinen. habet jurisdictionem ſpiritualem in Caſtro d. Nonantulæ, & tanquam Epiſcopus viſitat, ſynodum coadunat, Presbyteros ad confeſſiones, & ad curam animarum approbat, & magnam habet jurisdictionem in pluribus locis Diœceſis Mutinen. hæc Abbatia eſt commendata Illuſtriſſimo Cardinali Ludoviſio.

15 Abbas ſancti Stephani de Foſſa Nova, Diœceſis Terracinen. habet multa feuda in Diœceſi, & multa in Sicilia.

16 Abbas S. Mariæ de Caſa Marii Diœceſis Verulanen. habet feuda multa in Campania.

Abbas S. Salvatoris de Septimo Diœceſ. Floren. eſt Comes Stalis.

17 Abbas Sanctæ Mariæ de Populetto in Catalonia Diœceſ. Terraconen. habet ſub ſe 20. Oppida, in quibus exercet jurisdictionem temporalem, & ſpiritualem.

18 Abbas Sanctiſſimæ Trinitatis de Cava, Ordinis S. Benedicti, per multos annos habuit Jura Epiſcopalia in dicta Civitate, & Caſalibus, antequam dicta Civitas in Epiſcopatum erigeretur. Quo tempore anno milleſimo nonageſimo fuit prædictum Monaſterium exemptum ab Archiepiſcopo Salernitano; & ab Urbano Papa II. in anno 1092. Abbati Cavenſi fuit data facultas exercendi omnia Pontificalia, & ſpiritualia, exceptis tribus, ſcilicet, conferre ordines ſacros, Baſilicas, & altaria conſecrare, & conficere Chriſma: quæ hodie exercet, extra tamen Diœceſim Cavenſem, in aliis locis ſibi ſubditis; de quo Cavenſi Monaſterio meminit Honorius III. *in cap. 1. de offic. jud.* & Eugenius III. *in cap. inſuper de teſtibus*, & de Monaſtico Ordine, qui ſecundum Dei timorem, & Beati Benedicti Regulam, & Cavenſis Monaſterii Obſervantiam, ac de multitudine Monachorum, de Cavenſi ordine introducto in Monaſterium Montis Regalis, lege Epiſtolam Innocentii Tertii directam Archiepiſcopo Montis Regalis fol. 145. De hoc Monaſterio legatur etiam Chron. Caſſinen. *lib. 2. cap. 30. & lib. 3. cap. 3.* De poteſtate hujus Abbatis extant literæ ſacræ Congregationis tenoris ſeq.

Nos Hieronym. ſancti Euſtachii Diaconus Cardinalis Matthejus nuncupatus, fidem facimus, & atteſtamur, in libris ſacræ Congregationis Concilii, qui apud nos aſſervantur, adnotatum eſſe, Illuſtriſſ. Card. Caraffam fidem feciſſe, & atteſtatum eſſe ex authenticis ſcripturis, aliàs coram Congregatione productis, liquidò conſtare, Abbatem Monaſterii Sanctiſſimæ Trinitatis Cavæ omnimodam habere jurisdictionem Epiſcopalem, nec alicui ſubditum eſſe, ſed immediatè ſubjectum Sedi Apoſtolicæ, nulliùsque eſſe Diœceſis, & proprium habere territorium. In quorum fidem, &c. Datum Romæ Idib. Martii 1591. Refertur è Stephan. Quaran. *verb. Concil. Provinciale.*

19 Abbas S. Mariæ Vallis Umbroſæ jam erat totius Ordinis Vallis Umbroſæ Præſidens Generalis, multiſque præeminentiis decoratus; locum enim præcipuum habebat in Senatu Florentino, & multa oppida, & Caſtra tam propè Monaſterium Vallis Umbroſæ, quam in maritimis Senarum tanquam Comes, & Dominus gubernabat.

20 Abbas S. Mariæ Farfenſis Ordinis ſancti Benedicti, olim magnam habebat prærogativam; aliquando enim Campaniæ Princeps appellatus eſt, maximáque potitus auctoritate, & dominio erga vaſſallos, & ſubditos ſui proprii territorii, ſimúlque cùm annexa S. Salvatoris Majoris Abbatia, adhuc inter præcipuos Urbis diſtrictus Prælatos recenſetur, ejúſque jurisdictio ab Urbano VIII. ſummopere inſignita, his duabus Conſtitutionibus ejuſdem Summi Pontificis demonſtratur.

Abbati-

Abbatibus, seu Commendatariis pro tempore, B. Mariæ Farfensis, & Sancti Salvatoris Majoris tanquam loci ordinariis, vel eorum officialibus quæcunque litteræ Apostolicæ dirigi debent non autem Episcopis, aut Archiepiscopis vicinioribus.

URBANUS PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

PAstoralis muneris divina dispositione Nobis injuncti ratio postulat, ut qui universalis Ecclesiæ regimini licet immeriti præsidemus, ad ea considerationis nostræ intuitum dirigamus, per quæ particularium Ecclesiarum, earumque Prælatorum dignitas, & auctoritas conservari, & augeri possit. Cum itaque sicut accepimus Monasteriorum, Abbatiarum Beatæ MARIÆ FARFENSIS, & S. SALVATORIS MAIORIS nuncupatorum invicem, seu alias perpetuò unitorum Ordinis S. Benedicti in districtu Almæ Urbis nostræ existentium, Abbas, seu Commendatarius pro tempore existens, proprium & ab omni alterius cujuscumque Prælati, vel antistitis ordinaria jurisdictione separatum territorium, multa oppida, & loca insignia Vassallorum, & aliorum habitatorum, ac incolarum numero referta continens habeat. Nos singularibus, atque eximiis dilecti filii nostri Francisci Sanctæ Agathæ Diaconi Cardinalis Barberini nuncupati, nostri secundum carnem ex fratre germano nepotis, qui Monasteria prædicta in commendam ad sui vitam, ex concessione, & dispensatione Apostolica obtinet, meritis adducti, Vassallorum, & Incolarum, habitatorumque prædictorum comoditatibus consulere, dictorumque Monasteriorum Abbatem, seu Commendatarium aliqua honoris prærogativa, quantum cum Domino possumus exornare volentes. Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine eidem Francisco Cardinali, ejusque successoribus dictorum Monasteriorum Abbatibus, seu Commendatariis in perpetuum, ut quæcumque litteræ Apostolicæ etiam in forma Brevis, tam gratiam, quàm justitiam concernentes, & præsertim super dispensationibus matrimonialibus, & in forma significavit, quæ à Nobis, & Apostolica Sede pro personis sub jurisdictione dicti Francisci Cardinalis, ab Abbarum, seu Commendatariorum prædictorum ratione Monasteriorum hujusmodi existentibus pro tempore posthac concedentur, & ad partes transmittentur, eidem Francisco Cardinali modemo, & pro tempore existenti dictorum Monasteriorum Abbati, seu Commendatario, vel ejus Officiali tanquam loci Ordinario, non autem Archiepiscopis, & Episcopis vicinioribus dirigantur, & committantur, qui Officialis litteras Apostolicas prædictas dicto Francisco Cardinali moderno, & pro tempore existenti Monasteriorum prædictorum Abbati, seu Commendatario directas, etiamsi de ipsis Officialibus in eis mentio non fiat, aperire, & exequi possit, tenore præsentium perpetuò concedimus, & indulgemus, Mandantes propterea dilectis filiis Datario, illiusque Substitutis, Officialibus, & cujusvis generis supplicationum Revisoribus, & S. R. E. Vicecancellario, & Cancellariæ Regenti, ac Abbreviatoribus de Parco majori nuncupatis, Secretariis etiam Apostolicis, aliisque ejusdem Datariæ, & Cancellariæ Apostolicæ, & Curiæ Romanæ Officialibus pro tempore existentibus, ut præmissa perpetuò observare debeant. Decernentes aliter dirigendas litteras Apostolicas hujusmodi, nullas, irritas, & inanes, nulliusque roboris, vel momenti fore, & esse, ac censeri, neque executioni demandari posse. Quodque dictus Franciscus Cardinalis modernus, & pro tempore dictorum Monasteriorum Abbas, seu Commendatarius, ejusque Officialis in causis, & negociis, quæ hujusmodi litteræ concernent, procedere in omnibus, & per omnia liberè, & licitè valeant, & debeant, prout alii quicunque ordinaria, & Episcopali dignitate fulgentes in suis respectivè Civitatibus, & Diœc. possunt, & debent. Non obstantibus quibusvis Apostolicis, ac in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, nec non statutis, & consuetudinibus etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis; cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut præsentium transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub Anulo Piscatoris die 18. Novembris 1627. Pontificatus nostri anno 5.

M. A. Maraldus.

Abbates, seu Commendatarii pro tempore, Beata Mariæ Farfensis, & Sancti Salvatoris Majoris literas dimissorias dictarum Abbatiarum subditis concedere, etiam privativè quoad Episcopos, seu Archiepiscopos viciniores. Insignii Pontificalibus uti; primam tonsuram, & quatuor minores Ordines conferre possunt.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

ROmanus Pontifex Universalis Ecclesiæ regimini præpositus, ad singulorum quoque Monasteriorum statum respiciens, illorum Prælatos, specialibus favoribus, & prærogativis libenter exornat, prout conspicit in Domino salubriter expedire. Cum itaque, prout accepimus, Monasteriorum Abbatiarum Sanctæ MARIÆ FARFENSIS, & Sancti SALVATORIS MAIORIS nuncupatorum invicem, seu aliàs perpetuò unitorum ordinis Sancti Benedicti in districtu Almæ Urbis nostræ existentium, Abbas, seu Commendatarius pro tempore existens proprium, & ab omni alterius cujuscumque Prælati, vel Antistitis ordinaria jurisdictione separatum territorium, multa oppida, & loca insigni Vassallorum, & aliorum habitatorum, & incolarum numero referta continens habeat. Nos eximiis dilecti filii nostri Francisci Sanctæ Agathæ Diaconi Cardinalis Barberini nuncupati, nostri secundum carnem ex fratre germano nepotis, qui Monasteria prædicta in Commendam ad sui vitam ex concessione, & dispensatione Apostolica obtinet, meritis adducti Vassallorum, & incolarum, habitatorumque præfatorum commoditatibus consulere, necnon dictorum Monasteriorum Abbates, seu Commendatarios, aliqua honoris prærogativa, quantum cum Domino possumus, decorare volentes motu proprio, & ex certa scientia, ac mera deliberatione nostris, déque Apostolicæ potestatis plenitudine; Eidem Francisco Cardinali, ejusque successoribus dictorum Monasteriorum Abbatibus, seu Commendatariis in perpetuum, ut personis etiam secularibus oppidorum, & locorum, prædictorum Monasteriorum subditis litteras dimissoriales ac clericalem characterem, necnon ad omnes etiam sacros, & Presbyteratus Ordines etiam privativè quoad Episcopos, aut Archiepiscopos viciniores concedere. Necnon eisdem Francisco Cardinali, & Abbatibus, seu Commendatariis pro tempore, si Sacerdotes existant, ut in Ecclesiis dictorum Monasteriorum in quocunque solemni actu celebrationis Missarum, aut divinorum Officio-

Officiorum Mitra, annulo, & baculo Pastoralibus, cæterisque Pontificialibus insigniis, & ornamentis, perinde, ac si iisdem Monasteriis tanquam Abbates præessent, uti, ac cum illis post Missarum, & aliorum divinorum Officiorum solemnia benedictionem supra populum imibi existentem impendere, eisdemque ut personis sæcularibus Oppidorum, & locorum prædictorum Monasteriorum subditis, primam tonsuram, & quatuor Minores Ordines conferre. Atque si iidem Abbates, seu Commendatarii pro tempore non solum Sacerdotes, sed etiam S. R. E. Cardinales existant, ut pupulis, & plebibus publicè per vias, castra, & villas Jurisdictionis prædictorum Monasteriorum, benedictionem impartiri liberè, & licitè possint, & valeant, Apostolica auctoritate tenore præsentium facultatem concedimus, & impartimur. Decernentes præsentes litteras, & in eis contenta quæcumque semper valida, firma, & efficacia existere & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere debere, ita ut præsentes facultates nullo unquam tempore sublatæ seu consumptæ dici possint aut debeant, nisi specialis de illis mentio fiat, sicque & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, irritum, & inane quidquid secus super his à quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari; Non obstantibus Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & ordinationibus, nec non quatenus opus sit Monasteriorum, & Ordinis prædictorum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis illis, eorumque Superioribus, & quibusvis aliis sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, necnon irritantibus, & aliis Decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus etiam si pro sufficienti eorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa, ac de verbo ac verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio haben. aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret illorum omnium, & singulorum tenoribus præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis haben. illis aliàs in suo robore permansuris hac vice duntaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub Anulo Piscatoris, die 18. Novembris 1628. Pontificatus nostri anno sexto.

M. A. Maraldus.

21 Abbas sancti Spiritus de Sulmona, qui est totius Ordinis Cælestinorum Generalis, & quorundam locorum prope Sulmonam Dominus, & Ordinarius.

22 Maxima, & memoriæ digna fuit olim præeminentia, & dignitas Abbatum S. Pauli, & S. Laurentii extra muros Urbis, necnon Prioris Canonicorum Regularium Basilicæ Lateranens. de quibus Onuphrius *in lib. de septem Urbis Ecclesiis*, ita scribit.

Cùm verè Romanus Pontifex in Ara ipsa maxima celebrabat, ei omnes, qui in Curia Romana aliqua dignitate, honore, seu magistratu fungerentur, aderant, & assistebant, inter quos primi erant septem Episcopi Cardinales, videlicet Ostiensis, Portuensis, sanctæ Rufinæ, Prænestinus, Tusculanus, Sabinus, & Albanus; hi Romani Pontificis Collaterales, & primæ Sedis Episcopi appellabantur, quorum primò consecratus Prior Episcoporum Cardinalium dicebatur, qui nunc Decanus Collegii vocatur. Post hos aderant quinque Patriarchalium Ecclesiarum Prælati, videlicet Prior Canonicorum Basilicæ Lateranen. Archipresbyteri Basilicarum S. Petri, & Sanctæ Mariæ Majoris, Abbates Monasteriorum Sancti Pauli: & S. Laurentii extra muros. Assistebant etiam 28. Presbyteri Cardinales S. R. E. qui totidem Ecclesiis, quæ tituli vocantur, intra Urbem Romam cum Episcopali auctoritate præsidebant, &c. Hoc idem vide apud Gabrielem Pennot. *in Histor. Tripart. lib. 3. cap. 4. num. 2.*

Nicolaus Harpsfeldis *in Historia Anglicana Catalogo Religiosarum Ædium* de Abbatibus, & aliis quibusdam Prælatis inferioribus hæc scribit:

Inter præcipuos Abbates, & Prælatos Episcopo inferiores possunt connumerari infrascripti, qui item in Anglia multis erant præditi præeminentiis, & privilegiis, & præcipuè omnes erant Barones, & Regis Angliæ parlamento adscripti.

1. Abbas Glosconiæ. 2. Abbas S. Augustini Cantuarensis. 3. Abbas Sancti Petri Uuestmonasteriensis. 4. Abbas S. Albani. 5. Abbas S. Edmundi de Buriis. 6. Abbas S. Petri de Burgo. 7. Abbas S. Ioannis Glocestriæ. 8. Abbas Eveshamiæ. 9. Abbas Uuinthelcumbiæ. 10. Abbas Groulandiæ. 11. Abbas belli, sive Bataille. 12. Abbas Redingiæ. 13. Abbas Abingdoniæ. 14. Abbas Uualthamiæ S. Crucis. 15. Abbas Salopiæ. 16. Abbas Cirencestriæ. 17. Abbas S. Petri Glocestriæ. 18. Abbas Bardeneiæ. 19. Abbas Sancti Benedicti de Hulmo. 20. Abbas Theorneiæ. 21. Abbas Ramsiæ. 22. Abbas Hide. 23. Abbas Malmesburiæ. 24. Abbas Sanctæ Mariæ Eboracensis. 25. Abbas Selbeiæ. 26 Prior Couventriæ, & 27. Prior Ordinis S. Ioannis Hierosolymis, qui vulgò Magister militum Ioannitarum, & primus Angliæ Baro haberi voluit.

Ad hos omnes ecclesiasticos, quibuscumque parlamentis, ex actis publicis, ut Pares Regni cum cæteris paribus personaliter interesse, consulere, tractare, ordinare, statuere, definire ratione Baroniarum, quas de Rege tenebant, de jure, & consuetudine spectavit, &c.

Ex quibus aliqui enumerantur in sequenti Relatione Clementis Reyneri simul cum suarum Abbatiarum redditibus.

Inter Abbates Majores Angliæ cum prædictis jure optimo computari possunt infrascripti, eo ordine quo apponuntur in Clemente Reynero *in suo lib. de Apostol. Benedict. sect. 2. §. 3.* qui omnes habebant in Comitiis parlamentaribus Regni locum, & suffragium, videlicet:

I. *Abbas S. Albani protomartyris Angliæ, habebatur Protoabbas totius Angliæ in Comitatu Hartfordiæ, & ejus Abbatia erat redditus annui 2510. l. sterl. & habebat sibi subjectos sequentes Prioratus, nempe:*

1. *Aulam S. Albani Oxoniæ, in qua Monachi ejusdem Monasterii studiis vacabant.*
2. *Belvere, seu Belvior in Lincolnia valoris annui 135. l.*
3. *Bingham in Comitatu Northfolciæ, valoris 160. habebat sexdecim Monachos.*
4. *Hatfild Peverel in Essexia. valoris 83. l.*
3. *S. Jacobi in Hartfordia, valoris 88. l.*
6. *Pembrokia in Uuallia.*
7. *Monktori in Uuallia 113. l.*
8. *Redbur in Hartfordia.*
9. *Uuallingford, Sanctæ Trinitatis in Barkshiria.*

10. *Uui-*

10. *Vvimendham valor. 72. l.*

11. *Sopevvell Cœnobium sanctimonialium in Hartfordia à Godefro Abbate Albanensi fundatum, dicatumque S. Mariæ, valor. 68. l. Et duo Hospitalia vicina Monasterio.*

II. *Abbas Sanctæ Mariæ de Abindonia Comitatus Barkensis, valoris annui 2042. & habebat sibi subditos sequentes Prioratus, nempe,*

1. *Prioratum Colniam Comitis in Essexia S. Mariæ dicatum, valoris 175. l.*
2. *Prioratum S. Fridesvvidæ in Oxonia, qui priùs fuerat Monialium, posteà huic Cœnebio datus, & non magno in pretio habitus, posteà cessit Canonicis Regularibus.*

III. *Abbas Sancti Augustini de Cantuaria cujus Ecclesia dicata ab ipso S. Augustino Principibus Apostolorum Petro, & Paulo fuit, erat autem valoris annui 1412. l.*

IV. *Abbas de Bello, sive de Bataille S. Martini in Sussexiæ Comitatu, valoris 987. l. habeatque sub se,*

1. *Prioratum in Oppido Brechinia S. Joannis Evangelistæ.*
2. *Prioratum S. Nicolai de Exonia, valoris 154. l.*

V. *Abbas S. Osvvaldi de Bardineya in Lincolnia, valoris 429. l.*

VI. *Abbas Abbatiæ S. Joannis in Colcestria, cujus ultimus Abbas martyrio affectus est sub Henrico Rege VIII.*

VII. *Abbas S. Guthlaci de Crovvland in Lincolnia, valoris 1217. l.*

VIII. *Abbas Sanctæ Mariæ, & Sanctæ Eadburgæ de Euesham in Comitatu Vvigorniæ, valoris 1268. l.*

IX. *Abbas Eboracensis S. Mariæ, valoris 2085. cui subdebantur sequentes Prioratus.*

1. *Prioratus S. Begghæ, vulgò S. Beês in Cumberlandia, valoris 149. l.*
2. *Prioratus S. Trinitatis in Vvetheral, Eboracensis agri 128. l.*
3. *Prioratus S. Mariæ in Lincolniæ Comitatu.*
4. *Prioratus de Rumborovv in Comitatu Suffolciæ.*
5. *Prioratus de Vvarmington in Northumbria.*

X. *Abbas S. Edmundi in Buria Suffolciæ, valoris 1336. l. cui subditum erat*

1. *Monasterium Monialium S. Georgii de Lethfordia in Comitatu Norfolciæ ab Abbatibus hujus Abbatiæ fundatum, valoris 50. l.*

XI. *Abbas S. Mariæ in Glastonia de Comitatu Somersetensi, valoris 3508. l.*

XII. *Abbas S. Petri de Glocestria, valoris 1550. l. & habebat sibi subditos sequentes Prioratus, videlicet,*

1. *Prioratum S. Guthlaci in Herefordia.*
2. *Prioratum de Brumphild in Salopiæ agro.*
3. *Prioratum S. Leonardi Stanleya in agro Glotestrensi, valoris 865. l.*

XIII. *Abbas Sanctorum Petri, & Pauli de Hida in Hamptoniæ agro, prope Vvintoniam, valoris 865. l.*

XIV. *Abbas de Hulmo S. Benedicti in agro Nortfolciæ, valoris 677. l.*

XV. *Abbas Sancti Aldelmi Malmesberiensis in Vviltoniæ agro, valoris 803. l. cui subdebatur*

1. *Prioratus sancti Michaëlis de monte in Devoniæ*
2. *Prioratus S. Mariæ de Pilton in eadem Provincia valoris 56. l.*

XVI. *Abbas Petroburgi in Nortamptoniæ agro valoris 1972. l.*

XVII. *Abbas S. Jacobi in Randingis Barkensis Comitatus, valoris 2116. l. cui subdebatur*

Prioratus S. Jacobi de Lemsther in agro Herefordiæ.

XVIII. *Abbas S. Mariæ, & S. Benedicti de Ramseya in agro Huntingroniæ, valoris annui 1983. l. cui subdebantur*

1. *Prioratus S. Yvonis, &*
2. *Prioratus Modneyæ in eadem Provincia.*

XIX. *Abbas SS. Petri, & Pauli de Shrosberia, valoris 615. l.*

XX. *Abbas S. Germani de Selbia Comitatus Eboracensis, valoris 819. l.*

XXI. *Abbas S. Mariæ de Tauestok in Provincia Devoniæ, valoris 902. l.*

XXII. *Abbas S. Mariæ de Torney in agro Cantabrigiensi, valoris 508. l.*

XXIII. *Abbas S. Petri Vvestmonasteriensis in Midelsexia propè Londinum, valoris 3977. l. cui subdebantur*

1. *Prioratus S. Mariæ de Hurley in Barkensi agro, valoris 134. l.*
2. *Prioratus S. Bartholomæi de Sudbrui in Comitatu Suffolciæ, valoris 122. l.*

XXIV. *Abbas S. Mariæ de Vvinchelcumba in agro Glocestriæ, valoris 759. l.*

Sunt & alii Abbates insignes quidem, sed non habebant vocem, seu suffragium in Parlamento Regni, computabantur tamen inter Barones Regni spirituales, videlicet:

I. *Abbas S. Petri de Abbotsberia in Comitatu Dorsatensi, valoris 485. l.*

II. *Abbas S. Joannis Baptistæ de Alcestria Vvarvvisensis agri, valoris 101. l.*

III. *Abbas Athelneyæ in agro Sormesetensi, valoris 209. l.*

IV. *Abbas Burtonæ super Trontam S. Mariæ, & S. Moduvennæ, valoris 356. l.*

V. *Abbas S. Petri, & Ethelvvoldi de Cerne, seu Cernelia in agro Dorsatensi, valoris 623. l.*

VI. *Abbas S. Petri de Chertseya in Suthyreja, valoris 744. l.*

habebat Prioratum in Gardigan Provintiæ Vvalliæ, valoris 13 l.

VII. *Abbas S. Mariæ, & Eadburgæ de Einsham in agro Oxoniensi, valoris 421. l.*

VIII. *Abbas S. Salvatoris de Fervversham in Cantio, valoris 286. l.*

IX. *Abbas S. Salvatoris de Midleton in Comitatu Dorsatensi, valoris 720. l.*

X. *Abbas S. Petri de Muchelney in Comitatu Somersetensi, valoris 498. l.*

XI. *Abbas S. Mariæ de Pershore de Comitatu Vvigorniæ, valoris 666. l.*

XII. *Abbas S. Mariæ de Sorbone in Comitatu Dorsatensi, valoris 682. l. cui subdebantur*

1. *Prioratus de Kidvvelli in comitatu Caërmarthenæ, valoris 29. l.*
2. *Prioratus Hortonæ in Dorsatensi agro.*
3. *Prioratus Vvinburna. ibidem.*

XIII. *Abbas S. Mariæ de Teuthesberia Comitatus Glocestrensis, val. 1598. l. quæ habebat subditos*

1. *Prioratum in Urbe Bristolliæ.*
2. *Prioratum de Cranburna in Somerset.*
3. *Prioratum insignem Vvenny in Glamorgania, valoris 256. l.*

XIV. *Abbas de Vvithby, olim S. Hildæ de Strenshall Eboracensis agri, valoris 505. l.*

XV. *Abbas S. Jacobi de Vvalden in Essexia, valoris 406. l.*

XVI. *Abbas S. Vvereburgæ in Urbe Cestrica, valoris 1073. l.*

Erant insuper alii Prioratus Cathedrales, quorum Abbates erant Episcopi, & Monachi erant loco Canonicorum, videlicet

I. *Prioratus Archiepiscopalis Ecclesiæ Christi Salvatoris de Cantuaria, valoris 2489. l. cui subdebatur*

1. *Priora-*

1. *Prioratus Risburgi in Bukingamia, in quo plerumque residebant quatuordecim* Monachi.

II. *Prioratus Conventrsensis Ecclesiæ, qui habebat consessum in Comitiis parlamentaribus.*

III. *Prioratus Ecclesiæ Dunelmensis, valoris 1615. l. & habebat sibi subdita,*

1. *Collegium Dunelmense in Academia Oxoniensi, valoris 115. l.*
2. *Prioratum Finchalliæ in agro Dunelmensi, valoris 146. l.*
3. *Prioratum Lindiffarniæ, seu Ferniæ, seu Insulæ sanctæ, in qua prius fuerat Episcopatus cum Abbatia, valoris 60. l. in eodem Comitatu.*
4. *Prioratum Stamfordiæ in eodem Comitatu, valoris 36. l.*
5. *Prioratum Girviensem, seu Girvennæ, valoris 40. l.*
6. *Prioratum Uveremuthæ, valoris 26. l. qui duo ultimi erant Monasteria S. Benedicti Episcopi, sanctis Petro, & Paulo dicata, in quibus venerabil. Beda vixerat.*

IV. *Prioratus Cathedralis Ecclesiæ Eliensis in agro Cantabrigiensi, valoris 1301. l.*

V. *Prioratus Cathedralis Ecclesiæ Nordovicensis, valoris 1041. l.*

VI. *Prioratus Cathedralis Ecclesiæ Roffensis in Cantio, valoris 486 l.*

VII. *Prioratus Cathedralis Ecclesiæ Uvingorniensis, valoris 1386. l.*

VIII. *Prioratus Cathedralis Ecclesiæ Uvintoniensis S. Uvithuni, valoris 1507. l.*

IX. *Prioratus Cathedralis Ecclesiæ Batoniensis in agro Somersetensi, valoris 695. l.*

Erant denique alii Prioratus, quorum Superiores aliis Abbatibus non subdebantur, videlicet,

I. *Prioratus de Braduvell in Comitatu Burkingam S. Mariæ dicatus.*

II. *Prioratus de Birkhead in Comitatu Cestriæ, valoris 102. l.*

III. *Prioratus S. Martini in Dofris, sive Douver, valoris 232. l.*

IV. *Prioratus de Houuland in Lancastria, valoris 65. l.*

V. *Prioratus de Hathfeld Bradoke, sive Bradstboke, Sanctæ Mariæ in Vultoniæ agro valoris 170. l.*

VI. *Prioratus S. Mariæ de Luffildsin in Comitatu Bukingam.*

VII. *Prioratus S. Mariæ Magdalenæ de Montkbreton Eboracensis agri, valoris 323. l.*

VIII. *Prioratus S. Mariæ in Malvernia Majori, Comitatus Uvigorniæ, valoris 375. l.*

IX. *Prioratus Malverniæ Minoris in eadem Provincia, valoris 102. l.*

X. *Prioratus Pullæ in Agro Pembrochiæ, qui olim fuit Ordinis Tyronensis, seu Savignacensis, sed conjunxit se postea Congregationi Nigrorum, valoris 52. l.*

XI. *Prioratus de Snesball Bukingamiæ, valoris 24. l.*

XII. *Prioratus de Spalding S. Nicolai in Lincolnia, olim subditus Nicolao Andegavensis Urbis, valoris 878. l.*

XIII. *Prioratus de Sanduvel in Bukingamia, valoris 38. l.*

XIV. *Prioratus de Ganduvel, sive Calduvel in Besfordia, qui à Spedo non rectè assignatur Canonicis Nigris, valoris 148. l.*

DISPUTATIO IV.

De Abbatibus Commendatariis.

Quæst. I. *Quo tempore Abbates Commendatarii in Ecclesia initium habuerint.*
II. *Quibus de causis usus commendandi Abbatias fuerit introductus.*
III. *Quis possit Abbatias commendare.*
IV. *Quibus personis Abbatiæ in Commendam sint conferendæ.*
V. *Quot modis possint Abbatiæ commendari.*
VI. *An Abbatia semel à Summo Pontifice ad tempus commendata possit ab Episcopo rursus ad tempus in Commendam tradi.*
VII. *An Abbatia commendata vacans possit impetrari.*
VIII. *An Monachus obtinens unum beneficium, possit Abbatiam in Commendam obtinere.*
IX. *Utrum habens Abbatiam, vel aliud beneficium Regulare in Commendam, teneatur profiteri Religionem, in qua illud obtinet.*

QUÆSITUM I.

Quo tempore Abbates Commendatarii in Ecclesia initium habuerint.

SUMMARIUM.

1 *D. Gregorius Magnus primus Ecclesias ad tempus commendasse legitur.*
2 *Pelagius I. Pontif. Ecclesiam Catanen. Episcopo Messanen. ad tempus commendavit.*
3 *Abbatiæ cœperunt commendari tempore Leonis IV.*
4 *Commendas Ecclesiarum & Monasteriorum exhorruit Clemens V.*
5 *Commendas Monasteriorum iterum introduxerunt Urbanus VI. & Bonifacius IX. & eas perpetuas sequutus est Paulus II.*
6 *Commenda perpetua de jure antiquo erat incognita.*

ECCLESIARUM ad tempus commendatio 1
antiqua est in Ecclesia, quippe quæ habetur ex
tempore D. Gregorii primi, qui in Ecclesia Panormitana vacante posuit Visitatorem ad tempus, ut patet ex *cap. obitum, dist. 61.* & ex *lib. 11. epist. 7.* constat, ipsum commendasse Ecclesiam Neopolitanam, & *21. q. 1. c. relatio, & cap. illud.* Idem D. Gregorius Summus Pontifex Episcopo Funden. commendavit Ecclesiam Terracinensem, & voluit, quod alteram jure tituli, alteram verò jure commendationis obtineret.
Pelagius I. legitur, Episcopo Messanensi Ecclesiam Ca- 2
tanensem ad tempus quoque commendasse, ut patet ex *c. Catanen. dist. 61.* Et D. Athanasius *in Epist. apud Nicephorum, l. 11. Hist. Eccles.* ait, sibi additam & commendatam fuisse Ecclesiam administrandam. Abbatiæ autem, & beneficia Regularia cœperunt com-
mendari tempore Leonis IV. ut habetur *in can. quo plu-* 3
res 21. q. 1. ubi Leo IV. decrevit, ut unus possit duas Ecclesias obtinere, alteram jure tituli, alteram verò commendatio-

mendationis. Ita etiam affirmat Rebuff. *in praxi benef. tit. de commend. num 6.* ex Ruzæo *in tract. de commenda. quæst.* 1. Et illi, quibus Ecclesiæ, sive Monasteria commendabantur, cùm veluti depositarii, & custodes
4 illa administrarent, tenebantur administrationis eorum rationem reddere. Hujusmodi autem commendationes Ecclesiarum, & Monasteriorum legitur exhorruisse Clemens V. ita ut contractas revocaverit, ut *extravag.* 2. *de præbend.* ubi plurima incommoda, & mala ex hac commendarum consuetudine oriri, ait, per ea verba *d. Extravag. 2. demumque prospeximus evidenter, quod Ecclesiarum & Monasteriorum eorundem cura negligitur: bona & jura dispensantur ipsorum, ac subjectis eis personis, & populus spiritualiter plurimùm, & temporaliter derogatur, eisque redundant ad noxam, quæ dicebantur cedere ad profectum, ac nedum ipsis, sed etiam Romana mater Ecclesia, quæ disponente Domino ipsorum caput fore dignoscitur, & Magistra, graviora in de futura timentur pericula,* quæ omnia luculenter, & amplè depingit Rebuff. *d. tit. de commend. à num.* 12.

5 Denique fuerunt iterum introductæ ab Urbano VI. & Bonifacio IX. quas perpetuas sequutus est Paulus II. Venetus, qui à Cardinali Portuensi admonitus, ne eas ampliùs in Ecclesia permitteret, respondit, Monasteria 500. & amplius à Pontificatu Calixti III. in eam diem commendata fuisse Clericis nulla Regula devinctis, ut habetur ex Renat. Chop. *in Monast. lib. 1. tit. 1. n.* 14. & sic usque ad nostram tempestatem durat hujusmodi provisio per modum commendationis, nempe in perpetuum ad utilitatem Cōmendatarii cum facultate disponendi de fructibus, sicut verus Beneficiarius; qui
6 modus commendandi jure antiquo erat incognitus, ut dictum est; & præter allegatos tradunt latè Sarnen. *super regul. de triennal. quæst. 5. col. mihi 7. vers. en primis*, post Chassan. *in consil. impress. in suis Commentar. ad consuetudinem Burgund. incip. antequam, fol.* 327. & Thom. Campeg. *de commend. Benef. impress. tom. 15. tract. p. 2.* ubi quod hoc Commendarum genus majores nostri ignorabant.

QUÆSITUM II.

Quibus de causis usus commendandi Abbatias fuerit introductus.

SUMMARIUM.

1 *Qua ratione Ecclesiæ, & Monasteria antiquitùs commendari cœperunt.*
2 *Commendari cœperunt Monasteria ad tempus, nempe ad 6. menses.*
3 *Commendationis causa assignantur.*

1 ECclesiæ antiquitùs ad tempus commendari consueverunt, quod usque illarum Rector eligeretur; sed quia sæpè Rectorum, & Prælatorum electio, ob lites, & controversias eligentium differebatur; ne Monasteria diu absque superiore existentia aliquod paterentur
2 detrimentum: Summi Pontifices illa ad sex menses commendare cœperunt.

3 Alia etiam ratio fuit; quia cùm decrescente Monachorum numero, & propterea Cœnobiis pœnè destitutis, vix idonei Regulares, qui ipsis præfici possint, reperirentur: Romani Pontifices Regulares Ecclesias, & Abbatias secularibus Clericis, nullo voto, aut Monastica Regula adstrictis, ad tempus in commendam concedere cœperunt, ne dictæ Ecclesiæ sine custode remanerent. Insuper modus providendi per viam commendationis fuit à Summis Pontificibus introductus, ut qui non est habilis ad retinendum beneficium in titulum, sit habilis ad retinendum illud in commendam; vel ut beneficium cum alio incompatibili possit per viam commendæ retinere. Ita Lambert. *de jur. patr. lib. 2. part. 1. q. 6. art. 14. n. 15.* Garc. *de benef. p. 4. n. 24. & 25.*

QUÆSITUM III.

Quis possit Abbatias commendare.

SUMMARIUM.

1 *Commendare Abbatias, est solius Summi Pontificis.*
2 *Commendandi potestas regulatur à potestate conferendi.*
3 *Legatus non potest conferre Ecclesias Collegiatas, neque illas commendare in perpetuum absque speciali Papæ facultate*, ut num. 5.
4 *Commenda perpetua ad utilitatem Commendatarii à solo Papa fieri potest.*
6 *Provisio facta per Prælatum Papa inferiorem, qui usus fuerat verbo,* Commendamus, *debet intelligi de concessione in titulum.*
7 *Actus adscribitur facultati agenti concessæ.*
8 *Commenda temporalis in utilitatem Ecclesiæ fieri potest ab Episcopis ac etiam Prælatis inferioribus habentibus jurisdictionem quasi Episcopalem*, n. 9.

SOlus Summus Pontifex Abbatias in Commendam tradere potest, ut ait Azor. *instit. moral. part. 2. lib. 6. cap. 31. q. 15.* D. Barbosa. *de offic. & potest. Episc. part. 3. alleg. 68. num. 16.* Et definivit Leo X. *in constit. 7. §. 9.* apud Laërt. Cherub. *in Bullar. tom. 1. pag.* 475. cujus verba sunt infrascripta: *Et quoniam ex Commendis Monasteriorum, (ut magistra rerum experientia sæpius docuit) Monasteria ipsa tam in spiritualibus, quàm in temporalibus graviter læduntur, quippe quorum ædificia, partim Commendatariorum negligentia, partim avaritia, vel incuria collabuntur, & indies divinus cultus in his magis diminuitur, passimque obloquendi materia personis, præsertim secularibus præbetur, non absque dignitatis Apostolicæ Sedis diminutione, à qua commendæ hujusmodi proficiscuntur, ut eorum indemnitati salubrius consulatur: Volumus, ac sancimus, ut cum illa per obitum Abbatum, qui illis præerant, vacaverint, nullo pacto cuipiam possint commendari (nisi pro conservatione auctoritatis Apostolicæ Sedis, ad occurrendum malitiis illam impugnantium pro temporum qualitate, aliter nobis de fratrum nostrorum consilio visum fuerit expedire:) sed de persona idonea juxta præscriptam constitutionem eis ita provideatur, ut illis idonei Abbates, prout decet, præfuturi sint.* Ex qua Bulla patet, Abbatiarum commendationem à Summis Pontificibus proficisci, non autem ab aliis Ordinariis Papa inferioribus. 1

2 Ratio horum est, quia potestas commendandi regulatur à potestate conferendi, arg. text. *cap. cum singula §. prohibemus, de præbend. in 6.* ubi beneficia per Monachos unius Monasterii regi consueta, non possunt committi per inferiorem Papa Monachis alterius Monasterii; & loquitur ibi text. de quibuscumque Ecclesiis, vel administrationibus. Idem videtur velle Archid. *in cap. nemo, de elect. in 6. in princip.* dicens, quòd sicut
3 Legatus de latere non potest conferre Ecclesias Collegiatas *cap. penult. de offic. legat. eod. lib. 6.* ita neque commendare poterit. Atque sic docet expressè Franch. *ind.*
4 *cap. nemo, n. 10. in fine.*

Neque aliæ Ecclesiæ, & beneficia ab alio, quàm à Summo Pontifice commendari possunt, intelligendo tamen de commenda, quæ fit in perpetuum ad utilitatem Commendatarii, Gambarc. *de potest. legat. lib. 4. tit. de potest. legat. in commend. benef. num. 156. & seq. pag. mihi* 121. Æneas de Falcon. *de reservat. quæst. 3.*
5 *num. 11.* Garz. *de benef. part. 4. cap 4. num. 13. & seqq.* ubi *num. 23.* quòd nec legatus à latere possit isto modo commendare absque speciali Papæ facultate, reprobato Cuch. sentiente contrarium. Et quòd solus Papa possit ad vitam commendare, fuit dictum *in Terracinen.*
6 *Prioratus 2. Decemb. 1585. coram bon. mem. Card. Pamphilio seniore*, ubi de provisione facta per Præceptorem sancti Spiritus de Urbe, qui usus fuerat verbo *commen-*

commendamur: & Rota censuit debere intelligi de con-
7 cessione in titulum juxta illius facultatem, ex regula,
*quod actus adscribitur facultati agenti concessa l. quæ-
dam mulier ff. de rescind. vendit l. 2. C. de acquir. possess.*
8 Secus in commenda temporali, quæ fit in utilitatem
Ecclesiæ, quæ nedum ab Episcopis, & aliis Prælatis Su-
perioribus fieri potest, Gambar. *loco cit. num 154. &*
9 *seqq.* Garz. *d. cap. 4. num. 16. & tribus sequen.* Verum
etiam ab aliis Prælatis Episcopo inferioribus habentibus
jurisdictionem quasi Episcopalem; Hojed. *de incom-
patibil benef. part. 2. c. 4. n. 6.* Cuch. *instit. major. lib. 3.
tit. 6. n. 3.* Garz. *d. c. 4. n. 13.*

QUÆSITUM IV.

Quibus personis Abbatiæ in Commendam sint conferendæ.

SUMMARIUM.

1 *Abbatiæ idoneis commendandæ sunt, & qualis ido-
neitas requiratur.*
2 *Idoneus quis censeatur ad affectum commendæ.*
3 *Monasteria, & dignitates an possint commendari
minoribus 25 annis.*
4 *Commenda habet vim dispensationis.*

1 RESpondeo, quod hoc definitur in Bulla Leonis X.
antecedenti quæsito citata, quæ statuit, ut idoneis
Abbatiæ in commendam conferantur; ubi ex consti-
tutione Alexandri III. in Concilio Lateranensi *cap. 1. ci-
tata ab eodem Leone in supradicta Bulla §. 3.* hoc pro
personis, quibus commendandæ sunt Abbatiæ, decer-
nit. [*Cum piamem. Alexander Papa III. prædecessor
noster etiam in Lateranensi Concilio decreverit, ut ætas,
morum gravitas, ac literarum scientia in personis pro-
movendis in Episcopos, & Abbates, diligenter inqui-
rantur: nihilque magis Dei Ecclesiæ officiat, quàm cùm
immeriti assumuntur Prælati ad regimen Ecclesiarum.
Propterea in promotionibus Prælatorum, quorum à Ro-
mano Pontifice magna ratio haberi debet, eo præsertim,
quòd de promotis per eos ad Ecclesias, seu Monasteria, in
extremo Judicio rationem Deo reddituri sunt; statui-
mus, & ordinamus, ut deinceps perpetuis futuris tem-
poribus Patriarchalibus, Metropolitanis, ac Cathedra-
libus Ecclesiis, & Monasteriis pro tempore vacantibus
de personis (juxta præfati Alexandri constitutionem)
ætate matura, gravitate morum, literarumque scien-
tia præditis, non ad alicujus instantiam per commendam,
& administrationem, seu conservationem, aut alio quo-
vis modo provideatur, nisi ratione utilitatis Ecclesia-
rum, prudentia, nobilitatis, experientia, atque Curia-
litatis antiqua, cum competenti literatura, & in Sede
Apostolica meritorum, aliter visum fuerit faciendum.
Idemque in electis, & postulatis, quorum electionis, &
postulationis per Sedem Apostolicam admitti consueve-
runt, volumus observari.* Videatur insuper alia ejus-
dem Leonis X. Pont. Max. constitutio *in Bullar. novo*
Laërt. Cherub. *tom. 1. pag. 496.* quæ incipit, *Pastor æ-
ternus gregem suum.*

2 Idoneus autem censetur an hunc effectum habens
ætatem, & alias qualitates legitimas requisitas ad obti-
nendum verum beneficium: Gonzal. *ad reg. 8. & Can-
cell. gloss 5. § 8. num. 9:* Neque Monasteria, & digni-
3 tates commendari possunt minoribus 25. annis, *ex cap.
nemo deinceps, de elect. lib. 6.* ut per Gabr. *de offic. &
potest. legat. lib. 4. tit. de potest legat. in commend. bene-
fic. n. 110. & duobus seq.* Contrarium tamen & verius
tenuit Garz. *de benefic. p. 4. c. 4. n. 32.* intelligendo de
commendis nostri temporis ad utilitatem commenda-
tariorum, quæ, (sicut videmus in praxi,) fiunt passim
etiam minoribus 25. annorum; & ideo doctrina Gam-
bar. posset procedere in commendis, quæ fiunt per Or-
dinarios ad sex menses in favorem Ecclesiarum, ut lo-
quitur text. *in d. cap. nemo deinceps.* & declarat Garz.
4 *ubi supra*, & ratio est, quia sola commenda habet vim
dispensationis. Gonzal. *d. §. 8. n. 6.* cum aliis relatis *in-
fra q. 8. n. 3.*

QUÆSITUM V.

Quot modis possint Abbatiæ commendari.

SUMMARIUM.

1 *Abbatiæ duobus modis commendari possunt.*
2 *Commendatarii ad tempus se habent, veluti deposi-
tarii, sive tutores.*
3 *Commendare quid sit.*
4 *Commendatarii perpetui disponere possunt de fru-
ctibus beneficii sibi commendati, sicut veri benefi-
ciati.*
5 *Commenda perpetua est velut titulus canonicus.*
6 *Commendatarii perpetui habent liberam admini-
strationem, & jura omnium Monasteriorum sicut
titulares, nisi quatenus expresse in eadem com-
menda, vel ad partes illis sit ademptum.*
7 *Derogatio facta privilegiis concessis quibusvis Supe-
rioribus Ordinum, ac Monasteriorum, comprehen-
dit etiam privilegia concessa commendatariis.*

DUobus modis in universum reperio, Abbatias 1
commendari posse, nimirum ad tempus, & in per-
petuum. Primo modo commendatur Abbatia, quando
mortuo Abbate, alicujus veluti depositarii fidei, & cu- 2
ræ committitur Monasterium ad tempus, in quo loco
se habet veluti tutor, curator sive custos, non autem ut
beneficiatius, vel titularis: cum non sibi illud benefi-
cium, & Monasterium possideat: Rota *in decis. 244.
in antiquis.* Commendare enim nil aliud est; nisi de-
ponere, *l. commendare ff. de verb. signif. l. Lucius, ff.* 3
*deposit. l. rei commendata, ff. commendati, cap. ne quis
arbitretur 22. q. 2. cap. 1. de deposit.* gloss. *in cap. nemo,
verb. commendare de elect. in 5.* Gonzal. *ad reg. 8. de
mensibus, gloss. 5. §. 8. num. 38.* Et hic modus com-
mendæ dicitur à Doctoribus factus in utilitatem Eccle-
siæ.

Secundo modo commendatur Abbatia, quando ali-
cui in perpetuum, ejus vita durante committitur, ut
eam gubernet, & regat, cum facultate disponendi de 4
fructibus ipsius, sicuti verus beneficiatus; & hic mo-
dus dicitur in utilitatem Commendatarii. Nicol. Garz.
de benef. p. 4. cap. 4. num. 7. Azor. *instit. mor. p. 1. lib.
6. c. 31 q 1. in fine.* Et hæc commenda beneficii, vel
Ecclesiæ in perpetuum est titulus canonicus, *can. si plu-* 5
res 21. q 1. cap. dudum, il. 2. de elect. Put. *decis. 158.
num. 4. lib. 2.* Gonzal. *d. §. 8. num. 2.* Flamin. Paris.
de resign. lib. 2. q. 17. n. 11. Barbos. *de offic. & potest. E-
pisc. part. 3. alleg 68. n. 2.*

Et Commendatarii perpetui habent liberam admini- 6
strationem, & jura omnium Monasteriorum sicut ti-
tulares, nisi quatenus expresse in eadem commenda, vel
ad partes illis sit ademptum, Sarnen. *in reg. de trien-
nal. quæst. 5. num. 11. & de idiomat. quæst. 4.* Rebuff.
in prax. de commend. num. 6. & seq. cum aliis *suprà al-
legatis:* Et fuit dictum, Rota *in Achernutina fructu-
um 2. Decembris 1591. coram D. Card. Hieronymo Pam-
philio.* In qua ideo fuit resolutum, per derogationem 7
factam privilegiis concessis quibusvis Superioribus Mo-
nasteriorum, & Ordinum, censeri etiam derogatum
privilegiis concessis Commendatariis Monasteriorum.

QUÆSITUM VI.

An Abbatia semel à Summo Pontifice ad tempus commendata, possit ab Episcopo rursus ad tempus in commendam tradi.

SUMMARIUM.

1 *Beneficium manet affectum, ac Sedi Apostolicæ reser-
vatum per Papæ manus appositionem.*
2 *Commenda cessante, non inducitur nova vacatio.*

RESpondeo, nulla ratione Episcopo licere, Abba-
tiam, sive ad tempus, sive in perpetuum à Sum-

mo Pontifice commendatam rurſus commendare; 1 Quia eo ipſo, quòd Papa in eo manum appoſuit, manet affecta, & habetur pro reſervare, & Sedi Apoſtolicæ, ac ipſius poteſtati adeò ſubjecta, ut inpoſterùm nemo, abſque ejus auctoritate, illam poſſit conferre, arg. text. *cap. ut noſtrum de appellat. Roman. conſ.* 350. Pavin. *de offic. & pot.* Capit. *p.* 2. *q.* 3. *n.* 11. Sarnen. *in reg. de infirmis, q.* 13. *& reg. de publicand. q.* 4. Rebuff. *in prax. tit. de reſervat. n.* 31. Caſſiodor. *deciſ.* 32. *ſuper reg. num.* 5. *& deciſ.* 5. *de privil n.* 7. Put. *deciſ.* 154. *lib.* 1. Garc. *de beneſ. q.* 4. *c.* 4, *n.* 68. Barboſ. *de offic. & poteſt. Epiſc. p.* 3. *alleg.* 56. *n.* 9. Creſcent. *deciſ.* 2. *de paroch. & deciſ.* 6 *n.* 4. *& per tot. de præbend.* Verall. *deciſ.* 144. *p.* 1. Mohedan. *deciſ.* 9. *de præbend.* cum aliis per Gonzal. *ad reg.* 8. *gloſſ.* 5. §. 8. *n.* 61. & fuit dictum *in*
2 *Terracinen. Prioratus* 2. *Decembris* 1585. *coram Card. Pamphilio ſeniore.* Et quia, ceſſante commenda, non inducitur nova vocatio per obitum Commendatarii, ſed beneficium vacat ſemper ut priùs, & quodammodo reſurgit prima vacatio, adeo quòd non eſt attendendus menſis, in quo Commendatarius obierit, Caſſador. *deciſ.* 5 *n.* 9. *& ſeq. de privil. & deciſ.* 2. *n.* 4. *de union.* Simonet. *de reſervat. q.* 59. *n.* 6. Gambar. *de poteſt. legat. lib.* 4. *tit. de poteſt. legat. in commend. beneſ. à num.* 34. Put. *deciſ.* 22. *n. ult. & deciſ.* 154. *lib.* 1. *in correct.* Verall. *d. deciſ.* 144. *p.* 1. cum aliis congeſtis Gonzal. *d.* §. *num.* 49. Garz. *d. p.* 4. *num.* 64. & fuit dictum per Rotam *in una Aquitanien. Prioratus* 21. *Februarii* 1625. *coram Ducrozetto ſeniore.*

QUÆSITUM VII.

An Abbatia commendata vacans poſſit impetrari.

SUMMARIUM.

1 *Si Commenda ad Commendatarii commodum facta ſit, etiam ſi ſit temporalis, ſequens proviſio ejus mentionem requirit, ne fiat ſubreptitia.* & n. 2.
3 *Summus Pontifex nullius juri derogare creditur.*
4 *Commenda temporalis quando dicatur in utilitatem Commendatarii.*

REſpondeo quòd ſic; veruntamen in ejus impetratione, ad hoc, ut valeat, oportet facere men-
1 tionem, quòd fuerit commendata: aliàs enim proviſio, tanquam ſubreptitia, nulla, & irrita judicaretur, prout dicunt Archid. Dominic. & Franch. *in cap. nemo de elect. in* 6. Calder. *conſ.* 6. *&* 30. *de præbend.* Eccleſia namque commendata non dicitur omninò vacare; quia Commendatarius ejus poſſeſſionem, & adminiſtrationem habet; & ſic etiam ſi commenda ad tempus facta ſit ad utilitatem Commendatarii, debet per impetrantem de ea fieri mentio in proviſione ſequenti, ſicut de perpetua: aliàs proviſio eſt ſubreptitia, Put. *deciſ.* 132. *n.* 2. *lib.* 2. Sarnen. *de triennal. q.* 5. *verſ. tunc eſt*, Garc. *de beneſ. p.* 4. *c.* 4. *n.* 45. *& ſeq.* Azor. *inſtit. moral. p.* 2. *lib.* 6. *cap.* 31. *q.* 6. Ratio eſt, quia Summus
3 Pontifex nullius juri derogare creditur, *cap. ſuper eo de offic. deleg. cap. quamvis de reſcrip. in* 6. Commenda
4 autem temporalis tunc dicitur eſſe in Commendatarii utilitatem, quando eſt cum perceptione fructuum, tunc enim hujuſmodi commenda tituli vim habet. Put. *deciſ.* 272. *num.* 3.

QUÆSITUM VIII.

An Monachus obtinens unum beneficium, poſſit Abbatiam in Commendam obtinere.

SUMMARIUM.

1. *Monachus duo beneficia obtinere non poteſt.*
2 *Monachus aliquod beneficium obtinens, nequit Abbatiã, abſq. Apoſtolicæ Sedis diſpenſatione, obtinere.*
3 *Commenda vim habet diſpenſationis.*

LIcèt Monachus poſſit unum beneficium Regulare 1
obtinere, tamen duo habere non poteſt, nec etiam Capellam, aut portionem Monachalem, vel penſionem ſimul cum alio beneficio; ut alibi latius dicetur; quia quodlibet beneficium eſt incompatibile Monacho cum primo, per text. *in cap. cum ſingula de præbend. in* 6. ubi dicitur, *cùm ſingula officia ſingulis ſint committenda perſonis, & diſſolutionis, ac evagationis materia ſit Religioſis præ cæteris auferenda; præſenti edicto prohibemus, ne aliqui Monachi, vel Religioſi alii, pluribus prioratibus, vel Eccleſiis, abſque Sedis Apoſtolicæ auctoritate, præeſſe præſumant, niſi unus ex iis ab alio dependeat, vel adinvicem ſint annexi.* Unde ap-
paret, non poſſe Monachum, qui Prioratum, vel aliud 2
beneficium obtinet, Abbatiam, abſque Apoſtolicæ Sedis diſpenſatione obtinere, eſt enim inhabilis ad duo beneficia, etiam ſimplicia obtinenda, niſi unum ipſorum ſit alteri annexum; quia tunc unum tantum cenſetur per *cap. dudum de elect. lib.* 6. & ex *de cap. cum ſingula*, & ibi gloſſ. ergo in hoc neceſſarium eſt Papæ diſpenſationem intervenire. Poteſt autem Abbatiam, vel aliud beneficium in commendam obtinere; quia recipiens in commendam cenſetur eo ipſo diſpenſatus: nam ſola
commenda vim habet diſpenſationis: Calder. *conſ.* 8. 3
de reſcript. Prob. ad Jo. Monach. *in cap. ſuper eo, n.* 15. *de præbend. in* 6. Rebuff. *in prax. tit. de commenda, num.* 33. *& tit. de diſpenſationibus, n.* 18. Mandoſ. *ſuper regal.* 32. Cancellar. *quæſt.* 7. *num.* 5. *& quæſt.* 30 *num.* 3. Garc. *de beneſic. part.* 4. *cap.* 4. *num.* 20.

QUÆSITUM IX.

Utrùm habens Abbatiam, vel aliud beneficium Regulare in commendam, teneatur profiteri Religionem, in qua illud obtinet.

1 *Habens aliquod beneficium Regulare in Commendam non teneatur Religionem, in qua illud obtinet, profiteri*, limita, *ut* num. 2.

REſpondeo negativè. Quamvis enim obtinens Ab-
batiam alicujus Religionis in titulum poſſet cogi 1
ad profeſſionem in ea emittendam: tamen illius Commendatarius ad id non tenetur; juxta tradita per Caſſador. *deciſ.* 32. *ſuper reg. num.* 8. Sarnen. *ſuper reg. de infirm. quæſt.* 13. *verſ. præterea*; Rebuff. *de pacific. poſſeſſor. n.* 59. *alias* 45. Si tamen hoc in Bulla commendationis Sumus Pontifex expreſſiſſet, teneretur; ut præter Doct. citatos affirmant Cuch. *inſtitut. major. lib.* 3. *titul.* 6. *num.* 48. Garc. *de beneſic. part.* 4. *cap.* 4. *num.* 28. Barboſa *de offic. & poteſtat. Epiſcop. part.* 3. *alleg.* 53. *n.* 17.

DISPUTATIO V.

De electione Abbatum & Prælatorum Epiſcopis inferiorum.

Quæſ. I. *Utrum Abbatum, & aliorum Prælatorum Regularium electio ad Conventum pertineat.*
II. *Utrum Abbatiæ, & Prioratus Regulares virorum, valorem annuum ducentorum florenorum auri communi æſtimatione excedentes, poſſint per electionem provideri.*
III. *Quinam ſint vocandi ad canonicam Abbatum electionem.*
IV. *Utrum Electores abſentes procuratorem ad Abbatum canonicam electionem conſtituere poſſint.*

V. *De forma electionis Abbatum, & aliorum Prælatorum Regularium.*

VI. *Quæ sint substantialia electionis per viam scrutinii celebrandæ.*

VII. *Quod tempus sit à jure canonicæ Abbatum, & aliorum Prælatorum electioni celebrandæ statutum.*

VIII. *Quæ conditiones requirantur in eligentibus Abbatem.*

IX. *Quænam ætas requiratur in eligendo in Abbatem.*

X. *Utrùm eligendus in Abbatem, & Prælatum Regularem debeat esse expressè professus.*

XI. *Utrùm Religiosus, in eadem Religione in qua Abbas eligitur, vel præficitur, professus esse debeat.*

XII. *Utrùm eligendus in Abbatem debeat esse Sacerdos.*

XIII. *Utrùm dignior in Congregatione sit semper in Abbatem eligendus, vel sufficiat, eligere dignum, omisso digniori.*

XIV. *Utrùm illegitimus possit ad Abbatialem dignitatem, vel alias Prælaturas eligi vel assumi.*

XV. *Utrùm Religiosus illegitimus filius alicujus Religiosi dispensari possit ad obtinendam Abbatiam, vel aliam Prælaturam in Religione, in qua ejus pater est, vel fuit Abbas, vel Prælatus.*

XVI. *Utrùm illegitimorum dispensatio fieri possit sine causa.*

XVII. *Utrùm Monachus illegitimus electus in Abbatem, vel Prælatum ab habentibus potestatem dispensandi, censeatur tacitè dispensatus super defectu natalium, & sola electio pro dispensatione sufficiat.*

XVIII. *Utrùm ad hoc ut dispensatio valida sit, sufficiat, petere dispensationē illegitimationis in genere.*

XIX. *Utrùm illegitimus ad beneficia obtinenda in sæculo dispensatus, si postea Religionem ingrediatur, indigeat nova dispensatione ad hoc, ut possit in ea ad Abbatialem dignitatem assumi.*

XX. *An notoriè infamis possit in Abbatem eligi, vel alias dignitates, & Prælaturas obtinere.*

XXI. *An adsint alii casus, in quibus impeditur quis, ne in Abbatem eligatur.*

XXII. *In quibus casibus electiones ipso jure irritæ sint, vel irritandæ, & cassandæ.*

XXIII. *Utrùm eidem Ecclesiæ, vel Monasterio duo Abbates, vel Prælati præfici possint.*

XXIV. *Utrùm uni Monasterio, vel Ecclesiæ Præfectus aliam dignitatē, vel Prælaturam obtinere possit.*

XXV. *An Abbas per acquisitionem alterius dignitatis vel Prælaturæ statim privetur dignitate Abbatiali.*

QUÆSITUM I.

Utrùm Abbatum, & aliorum Prælatorum Regularium electio ad Conventum pertineat.

SUMMARIUM.

1 *Abbatum, & aliorum Prælatorum Regularium electio de jure ad Conventum pertinet.*

2 *Abbates antiquitus, antequam exemptiessent, ab Episcopis confirmabantur.*

3 *Abbates, & Prælati Regulares locales ferè omnes (paucis exceptis) hodie non à Conventu, sed per suffragia Generalium, vel provincialium cum eorum diffinitoriis eliguntur.*

4 *Generi per speciem derogatur.*

5 *Constitutiones, quæ juri communi adversantur, nisi Apostolicæ Sedis privilegio sint munitæ, irritæ sunt, & inanes.*

6 *In electionibus Abbatum, & aliorum Prælatorum Regularium localium à Generalibus, vel Provincialibus cum suis Definitoribus faciendis etiam secretum servari debet, aliàs nulla sunt.*

RATIO dubitandi est, quia Concilium Toletanum IV. relatum à Gratiano *in cap. 1. 18. q. 2.* decrevit, quòd Sacerdotes, id est Episcopi, Abbates, & alia officia in Monasteriis instituere debeant; ergo non ad Congregationem Mona-
1 chorum, sed ad Episcopos Abbatum institutio spectare videtur. In contrarium autem est, quod habetur ex D. Gregorio, & Pelagio Summis Pontificibus *in capp. seqq. eadem cau. & quæst.* nam *in cap. seq.* D. Greg. *in Epistola ad Castorium Ariminen. Episcopum,* sic ait: *Abbas in Monasterio non per Episcopum, aut per aliquem extraneum ordinetur,* & *in cap. quàm sit necessarium §. defuncto,* idem D. Gregorius: *Defuncto verò Abbate cujuscumque Congregationis, non extraneus eligatur, nisi de eadem Congregatione, quem sibi propria voluntate concors Fratrum societas elegerit.* Idem habetur *in can. Abbatem Monasterio,* ex Pelagio primo in Epistola Mellito Subdiacono directa; Quamvis enim potuisset Summus Pontifex, qui est supremus omnium Religionum Prælatus, Abbatis institutionem sibi reservare, vel Episcopis committere, noluit tamen; sed ejus electionem, & creationem Monachorum Congregationi reliquit, ut ipsa Religio in eligendo sibi Pastore consentiret, nec non etiam, ut ipse electus à futuris subditis publicum suæ sufficientiæ, & dignitatis testimonium haberet, & propterea cum majori amore, & fiducia à tota Religione susciperetur. Ex quibus caussis permoti Summi Pontifices nunquam Abbatum provisionem Episcopis tradiderunt, sed eorum electio semper ad Monachorum Congregationem spectavit, facit id, quod habetur *lib. 2.* Chronici Cassinen. *Cap. 66.* de Conrado Imperatore, qui cùm anno 1038. transmissis Alpibus in Italiam venisset, adiit D. Benedicti Cœnobium Casinense, ubi à Monachis exoratus, ut eis Abbatem constitueret, negavit suum esse, dicens: *Vos unum ex vestris eligite.* Illis autem replicantibus, se non habere idoneum, incongruumque asserentibus, inter tot perturbationes in tanto apice quempiam sine magno vigore, ac potentia ordinari, atque imò optare, ut ex suis magnum aliquem eis præficeret; Imperator nihilominus in priori sententia constans respondit, *Nequaquam, sed de Congregatione vestra præcipuè idoneum Abbatem vobis eligite.* Quod quidem innuit etiam D. Pater Benedictus in sua Regula, disponens, Abbatem à Monachorum Congregatione eligendum esse, ut videre est *in 64. cap.* Regulæ *in principio,* ubi agens de Abbatum electione, ait: *In Abbatis ordinatione illa semper consideretur ratio, ut hic constituatur, quem sibi omnis concors Congregatio secundùm timorem Dei, sive etiam pars quamvis parva Congregationis saniori consilio elegerit,* & quòd Abbatum electio de jure communi ad Monachorum Congregationem spectet, notant Host. *in sum. tit. de elect. §. quis possit eligere, vers. si non apparet.* Panorm. *in c. officii, n. 1. de elect.* & *in cap. cum dilectus. de consuetud.* & *in clem.* & *si principalis, n. 5. de rescript.* Felin. *in cap. ad petitionem, n. 1. de accusat.* gloss. *in cap. sciant cuncti, verb. spectant de elect. in 6.* Verall. *decis. 296. part. 1.* Navarr. *comment. 3. de regul. n. 2.* & *l. cons. 3. n. 3. tit. de elect. in nov.* Rota *decis. 65. p. 1.*

p. 1. recent. & decis. 296. n. 5. coram Illustrissimo D. Coccino Decano, quam decisionem, quia pluries in hac disputatione allegatur, & plurimùm ad hanc materiam probandam conducit, ne aliunde eam emendicare sit necesse, in calce præsentis quæsiti recensere visum fuit.

Nec obstat Concil. Toletanum relatum *in d. cap. 1.*
quia, juxta gloss. *ibi*, verbum, *instituere* accipitur pro
confirmare; antiquitus enim, antequam Religiones
2 exemptionis privilegio gauderent, Abbates à suis Monachis
electi, erant ab Episcopis confirmandi, ut *cap.
cum Monasterium, de electione*; an autem sit necessaria
confirmatio, inferiùs agemus. Vel si verbum illud,
instituere, propriè sumatur, ait gloss. intelligendum esse
cum limitatione, scilicet quando Monachi negligentes
fuissent, aut indignum quem elegissent; & hanc
expositionem gloss. sequuntur ibi Doctores communiter,
fundantes se in suprà allegatis juribus, quibus facultas
eligendi Abbates Monachis tradita est, quæ jura
cùm sint Gregorii, & Pelagii Summorum Pontificum,
antiquiora sunt Concilio Toletano IV.

3 At licet de jure communi verum sit, Abbatum tam
Generalium, quam localium electionem spectare ad
Religionem, sive Conventum, de cujus Prælati electione
agitur: nihilominus hodie Abbates locales apud
Monasticas, & etiam Canonicorum Regularium Congregationes
ferè omnes, non amplius à Religiosis illius
Conventus, cui præficiendus est Prælatus, sed per suffragia
Generalium, vel Provincialium, & suorum Definitorum
eliguntur, ut patet ex usu, & videre est ex
specialibus ipsarum Congregationum constitutionibus,
quæ ab ipsis Regularibus præcipuè attendendæ sunt,
non autem illæ generales juris communis dispositiones;
quia generi per speciem derogatur *cap. generi de
4 regulis jur. in 6.* quæ constitutiones speciali Sedis Apo-
5 stolicæ privilegio munitæ esse debent, cùm sint correctoriæ
juris communis, aliàs nullæ essent *cap. quod
super his, de majorit. & obed.* Panorm. & Dec. *in cap.
si duobus de appellat. in terminis.* Navarr. *lib. 1. consil. 3.
n. 1. tit. de elect. in novis.* Roderic. *q. reg. tom. 3. q. 11.
art. 1.* Rota *decis. 267. n. 7. & 8. coram Gregorio XV.*
Quòd sint contra jus commune, patet; nam statutum
dicitur contra jus commune, quando alicui legi, vel
Canoni adversatur, Rota *decis. 297. n. 1. p. 2. in Recent.*
Ergò cùm electio Abbatum localium de jure communi
ad Conventum spectet, (ut latiùs probavimus,) statuere
contrarium, est statuere contra jus commune,
quod clarè patet, & in terminis resolutum fuit à Rota
d. decis. 65. n. 9. p. 1 Recent. Solum igitur Abbates Generales
hodie à Monachorum Congregatione eliguntur,
& in aliquibus Nationibus, ut Gallia, & Germania
etiam Abbates locales; propterea præsentem disputationem
de electione canonica Abbatum hîc inseruimus.
Unum adverto, quòd in provisione Abbatum localium,
& aliorum Superiorum Regularium per Genera-
6 lem, & Patres Definitores facienda, etiam secretum
servandum est, aliàs electio irrita esset; quia Concilium
Tridentinum *sess. 25. de regular. cap. 6.* districtè
præcipit, ut omnes Regularium Superiores per vota secreta
eligi debeant; ita ut singulorum eligentium nomina
nunquam publicentur, aliàs electio secus celebrata
irrita sit.

QUÆSITUM II.

Utrùm Abbatiæ, & Prioratus Regulares virorum valorem annuum ducentorum florenorum, auri communi æstimatione excedentes, possint per electionem provideri.

SUMMARIUM.

1 *Monasteria reservata per Reg. 2. Cancellariæ, non intelliguntur ea, quæ in commendam concedi consueta non sunt.* Contrarium num. 3.

2 *Papa non censetur rescribere aliter, quàm sit consuetũ.*

4 *Monasteria Consistorialia, si ex indulto Apostolico sint manualia, Papa non solet de illis providere.*

5 *Manualia beneficia non comprehenduntur sub reservationibus.*

6 *Monasterium ut dicatur Consistoriale, sufficit, esse solitum conferri in titulum.*

INter cæteras Cancellariæ regulas reservantur in secunda
generaliter omnes Ecclesiæ Patriarchales, Provinciales,
Archiepiscopales, necnon omnia Monasteria
virorum, valorem ducentorum florenorum auri secundum
communem æstimationem excendentia; &
vult Papa hujusmodi excessum in literis impetrationis
esse exprimendum. Dubitatur autem, An hæc regula
intelligenda sit de omnibus Monasteriis indistinctè,
An autem de iis tantùm, quæ in commendam dari so-
lent. Ad quod respondeo, supradictam Regulam esse 1
intelligendam, ut loquatur tantùm de Monasteriis in
commendam concedi consuetis; quod est conforme
communi stylo totius Orbis, atque ita universaliter observatur,
ut Cœnobia non solita commendari, non intelligantur
pro reservatis, ut testatur Mandos. *super
reg. 2. Cancellaria, q. 3. n. 2.* Et Summus Pontifex 2
non censetur rescribere aliter, quàm sit consuetum, per
text. *in l. fin. C. de fidejussor. in fine*: per quem text. notat.
Bal. *in l. fideicommissa, §. servo. ff. de leg. 3.* & ex
illo Felin. *in cap. cum M. Ferrarien. col. 3. n. 6. in vers.
& quia ad hunc locum*, quòd si Clericus sæcularis impetrat
beneficium non consuetum dari Clericis secularibus,
non valet impetratio; quia Summus Pontifex,
etiam motu proprio, non præsumit aliter velle, quàm
sit consuetum, rescribere. Præterea cùm prædicta Regula
quoad hoc destruat nonnulla jura decernentia
Abbatum Regularium electiones, à Conventu, & Monachorum
cœtu faciendas esse: meritò quoad fieri poterit,
est restringenda per vulgatam regulam *odia, de
reg. jur. in 6.* & ideò verificari poterit in Abbatiis, &
Prioritatibus, vel derelictis, vel de Regularibus ad Seculares
redactis, vel in comendam concedi consuetis,
& talia dicuntur Monasteria reservata Consistorialia,
de his enim consistorialiter provideri solet per viam
schædulæ juxta ea, quæ tradit Steph. *in tract. de signatura
vers. est rarus casus fol. 165. à terg. in prima impress.*
Atque ita concludunt Mandos. *super reg. 2. Cancell.
quæst. 3.* Azor. *instit. Moral. part. 2. lib. 7. c. 2. q.
10. vers. Sed hæc regula in fin.* & Rodet. *q. reg. tom. 2.
q. 53. art. 8.* Samen. *super reg. de subrogand. collitig.
q. 15. in fine*, Seraph. *decis. 1305. n. 6. & decis. 1498. n.
2.* Athanas. Germen. *in tract. de indult. Cardinal. §. Regularia,
n. 7.* Cochier. *in d. reg. 2. Cancellar. n. 20.*
Contrarium tamen resolvit Rota *in una Palentina Ab- 3
batia de Benevivere 24. Aprilis 1617. coram Reverendiss.
Coccino Decano, quæ in fine operis est decis. 15.* in
qua fuit dictum, quòd licet verùm sit Monasteria excedentia
valorem 200. Florenorum, solita commendari,
esse Consistorialia; tamen non est simpliciter verum,
Monasteria, quæ habent alias qualitates, aut quæ sunt
taxata in libris Cameræ, etiam quòd non commendentur;
non esse Consistorialia, cùm verba dictæ regulæ
2. sint generalia, & observantia sit in contrarium.
Benè verùm est, quod si ex indultu Apostolico talia Mo- 4
nasteria sint manualia, Summus Pontifex non solet
de illis providere, quia cùm collatio de sui natura perpetua
censeri debeat, Papa in reservationibus non in-
telligit comprehendere manualia, ad evitandum ab- 5
surdum, quod provisus ab illo possit ab inferioribus
amoveri: Calder. *Cons. 26. de præbend.* Felin. *in cap. per
tuas, num. 4. circa fin. vers. adde de majorit. & obed.*
Achil. *decis. 9. de præbend* Mandos. *super reg. 3. Cancell.
q. 11. n. 3. & q. 12. per tot.* cum aliis per Rot. *in d. Palentina
Abbatia*, ubi quòd sufficit, Monasterium esse so-
litum conferri in titulum perpetui beneficii, ad hoc 6
ut Consistoriale dicatur. Et ad decisiones Seraphini

contrarium asserentes, fuit responsum non obstare, quia allegant Sarnen. qui hoc non dixit, & Mandos. qui pariter *in eisdem decisionibus* allegatur, movetur præcipuè ex communi stylo, & in hoc decipitur, quia stylus est in contrarium, & etiam ratio. Notam Abbatiarum Consistorialium, quæ reperiuntur taxatæ in libris Cameræ, ex eisdem libris fideliter descriptam apposui in fine hujus primi tomi.

QUÆSITUM III.

Quinam sint vocandi ad canonicam Abbatum electionem.

SUMMARIUM.

1 *Vocandi sunt ad electionem omnes suffragium habentes.*
2 *Contemptus unius plus operatur, quàm plurium contradictio.*
3 *Contemptus si electionem tacitè, vel expressè confirmet, valida erit electio, nam satis est, quod pro illa infirmanda non instet*, & num. 9.
4 *Contemptus dicitur is, qui legitimè vocatus non fuit.*
5 *Contemptus dicitur, qui fuit vocatus, & non admissus.*
6 *Contemptus exceptio non potest opponi, nisi ab eisdem ejectis, & contemptis tantùm.*
7 *Contemptus oppositio non sufficit ad annullandam electionem, sed necessaria est prosecutio contemptus, quæ fieri debet intra tempus ad eligendum constitutum*, num. 8.
10 *Contemptus electionem approbare videtur per votum datum extra Capitulum, electione jam facta.*
11 *Contemptus electionem amplius impugnare non potest, ubi semel consensit.*
12 *Contemptus approbans electionem quoad unum ex pluribus electis ex eodem scrutinio, non potest illa impugnare quoad reliquos.*
13 *Vota data per contemptos extra Capitulum, non augent numerum, sed tantùm prosunt, ne electio aliàs valida irritetur.*
14 *Vota per Capitulum, & Universitatem in omnibus per eos explicandis, collegialiter, & simul in unum dari debent.*
15 *Electores absentes vocandi sunt, si commodè fieri poterit, quod commodum est intelligendum ex parte Ecclesiæ, seu communitatis, non autem ex parte personarum vocandarum.*
16 *Electores quomodo sint vocandi ad electionem.*
17 *Electores in valdè remoto loco vocandi consuetudo valet; sicut etiam, quod non vocentur.*
18 *Consuetudo etiam jurata in damnum Ecclesiæ non est servanda.*
19 *Præsentes censentur omnes existentes in civitate, vel hortis ipsius.*
20 *Vota electorum ægrotantium quomodo sint exquirenda.*
21 *Electores existentes infra locum ubi electio celebranda est, quomodo sint vocandi.*
22 *Forma literarum, quibus absentes ad electionem vocandi sunt, remissivè.*
23 *Electores legitimè vocati, comparere nolentes, non sunt computandi in numero intervenientium in Capitulo; qui supersunt, etiam si pauci sint, intelliguntur esse electorum universitas*, num. 26.
24 *Electores si tempore electionis recedant à loco, ubi est facienda electio, eorum voti nulla est habenda ratio, & idem de eo, qui noluit votare*, n. 25.
27 *Electores, qui electioni interesse nolunt, non debent compelli, nisi intersit Ecclesiæ.*
28 *Electorum partes duæ non sunt necessariò congregandæ ad validitatem electionis.*
29 *Universitatis negotia impediri non debent per contumaciam particularium.*
30 *Electores citati ad comparendum tali die, qua hora diei comparere debeant.*

AD canonicam Abbatum electionem celebrandam 1
necessarium est, ut convocentur omnes eligendi
jus habentes, *cap. coram, cap. bona mem. el. 2. cap. quod
sicut, & ibi* gloss. *verb. vocatus de elect.* arguitur, *ex cap.
quia propter eodem tit.* ubi ad canonicam electionem
requiritur, ut præsentes sint omnes, qui debent, & volunt,
& possunt commodè interesse; sed præsentes moraliter
esse nequeunt, nisi convocentur, etiamsi velint;
quòd si aliquis ex ipsis electoribus contemptus fuerit,
pro electionis irritatione, etiam post sequutam confirmationem,
instare poterit: & ad ejus instantiam electio
erit cassanda, *dict. cap. quod sicut*, & *ibi* Panormit. &
communiter Doctores. Unius enim contemptus plus 2
operatur quàm plurium contradictio *d. cap. bona mem.* 3
el. 2. Quòd si contemptus electionem tacitè, vel expressè
confirmet, valida erit electio; nam satis est, quod pro
illa infirmanda non instet. Butr. *ind. cap. quod sicut, n. 25.*
Si autem contemptum prosequi voluerit, electio per
sententiam retractabitur, qua cassata, omnes electores
ad electionem noviter celebrandam convenire debent,
Panorm. *sup. d. cap. bona mem. 2. num. 9. de elect.* & con-
temptus dicitur is, qui legitimè vocatus non fuit, Imo- 4
la *in cap. coram delecto, num. 6. de electione.*

Item qui fuit vocatus, & non admissus Card. *in cap.* 5
*in genesi num. 3. not. 17. & col. 4. in 6. opposit. vers. unde
etiam de elect.* Rota in *Hispalen. Canonicatus 13. Februarii
1617. coram Buratto, quæ inter ejus impress. per D.
Advocatum Ferentilium est decis. 225. n. 3.* Verùm hu- 6
jusmodi exceptio non potest opponi nisi ab eisdem ejectis,
& contemptis tantùm, Federic. *de sen. concil.* 148.
*in fin. vers. præterea; & cons. 214. in fin. vers. item dico, &
cons. 227. vers. ult.* Crescent. *decis. 6. num. 2. de procurator.*
Rota *in d. Hispalen. Canonicatus 5. Novembris 1618.
coram Buratto, quæ inter impress. est decis. 351. num. 4.*
Nec sufficit sola oppositio, sed est necessaria prosecutio 7
contemptus ad anullandam electionem, Butr. *in cap. in* 8
*genesi, num. 28. prope fin. vers. circa istam partem de electi.
quæ fieri debet intra tempus ad eligendum constitutum.*
Petr. de Biax. *in direct. elect. c. 7. num. 4. vers. & nota,
part. 3.* Franc. Marc. *decis. 1342.* Lambert. *de jur epatr.
2. part. 2. lib. 6. quæst. princ. art. 26. num. 7.* Rota *de decis.
351. num. 5. coram Buratto.*

Quòd si contemptus tacitè, vel expressè electioni 9
consentiat, valida erit electio, Rota *d. decis. 225. n. 5. & de-
cis. 259. n. 6. & decis. 351. n. 6. coram Buratto*, ubi quòd 10
contemptus videtur electionem approbare, & ab appel-
latione recedere per votum datum extra Capitulum, e- 11
lectione jam facta; & ubi semel consensit, non potest
ampliùs electionem impugnare, Cardinal. *in cap. Ec-
clesia, il. 2. col. 2. vers. 5. oppono de elect.* Et si ex eodem 12
scrutinio duo, vel plures electi sint, contemtus approbans
electionem quoad unum, non potest illam impugnare
quoad reliquos, ratione individuitatis; quia non
potest unum, & idem scrutinium pro parte approbare,
& pro parte non, Card. *in d. cap. Ecclesia, col. 4. in fin.
vers. 5. quæso*, & ibi Abb. *n. 10. vers. sed dominus meus*,
Rota. *d. decis. 351. n. 7. coram Buratto:* Licèt hujusmodi 13
vota data per contemptos vel ejectos extra capitulum
non augeant numerum, sed tantùm prosint ne electio
aliàs valida irritetur, Gloss. *in cap. Ecclesia vestra il. 2.
verb. adjicere circa med. verb. non credo, & verb. valebat
in fine de elect.* Butr. post alios *ibidem, n. 23.* Card. *col.
2. in 5. opposit. & col. 3. q. 4.* Imol. *n. 8. prope fin.* Abbas
qui testatur de communi *n. 10.* & Anan. *num. 2. vers.
nota quod vox.* Ostien. *in cap. in genesi, de elect. num. 27. in
princip.* Joan. Andr. *n. 18. circa med.* Anchar. *col. 3. in 5.
notab circa fin.* Bellam. *n. 17. in fin. 3. opposition. vers. &
tamen* Petr. de Biax. *d. part. 3. d. c. 7. n. 3. & seq.* & Rota
coram Buratto dict. decis. 225. n. 5 & decis. 351. n. 10. ubi
n. seq. quòd generaliter in omnibus explicandis per Ca- 14
pitulum,

pitulum, & Univerſitatem, collegialiter, & ſimul in
unum conſenſus vel diſſenſus præſtari debet, & actus ex-
pediri, poſt Abb. *in cap. quia, n.12.* & *in cap. in geneſi n.7.*
de elect. & *ibi* Butr. *n.28 verſ. & idem in præſentationi-*
bus Rectorum. Bald. *in l. & ſuum, §. dic tamen, ff. de pact.*
n.1. verſ. nota, & Angel. poſt eum *a. etiam 1.*
15 Abſentes autem vocandi ſunt, ſi commodè, & ſine
periculo fieri poterit: quod commodum eſt intelligen-
dum ex parte Eccleſiæ, ſeu communitatis, non autem
ex parte perſonarum vocandarum; Panorm. *in d. cap.*
quia propter, num.5. de elect. & eſt communis Docto-
rum ſententia, quos refert & ſequitur Mandagot. *de e-*
lect. nov. Prælat. part.2. cap.3. & Boher. *ibidem.*
16 Sed utrùm hujusmodi convocatio ſingulatim ſit
facienda, vel ſufficiat publicum edictum, die, & hora
ſpecialiter aſſignatis proponere, nihil in jure communi
diſpoſitum reperitur, & propterea ſpeciales ſingularum
Religionum conſtitutiones, & conſuetudines, ſi quæ
ſunt, erunt ſervandæ; præcipuè in modo vocandi per
ſingulorum admonitionem, ſeu citationem, ſive per ge-
neralem ipſius electionis publicationem certo loco, aut
modo fieri conſuetam: ſive per conſtitutiones, quibus
ipſo jure electores vocari ſolent; quod maximè contin-
git in iis Congregationibus, quibus Generalis Prælatus
ad tempus, puta trienni, vel quatrienni, juxta uniuscu-
jusque Congregationis morem, & ſtatura præficitur:
prout hodie in omnibus ferè Monaſticis Congregatio-
nibus obſervatur, ut in ſingulis Generalibus Capitulis
deputetur locus, in quo proximè ſequens Generale Ca-
pitulum celebrandum ſit. In iis autem Religionibus,
ubi Generalis perpetuus eſt, & vocatio ipſa, ac tempus,
& locus electionis ſunt incerta, convocatio ſingillatim
fieri debet per omnia Monaſteria, & loca Religionis, ac
Abbates, & Prælatos locales, ita ut ad omnium ſuffragia
habentium notitiam perveniat, & quia tunc diſtantiæ
difficultas, quæ per ſe cum tali electione conjuncta eſt,
non cenſetur eſſe contra ipſius electionis commodita-
tem, propterea extraordinaria eſſe debet; quod ſi talis
eſſet, quæ nec à lege conſiderari, nec per conſuetudinem
judicari potuit, cum certa regula in hoc aſſignari non
poſſit, prudentum arbitrio remittitur: ubi attendendum
eſt, ut ob electionis dilationem Communitas detrimen-
tum patiatur. Ita Panormitan. & communiter Docto-
res *in d. cap. coram, & in cap. cùm inter univerſas de e-*
17 *lection.* Valet autem conſuetudo, quod à valde remoto
loco citentur Religioſi ad electionem; dummodo ele-
ctio intra terminum juris fieri poſſit; tunc enim talis
conſuetudo non præſumitur Eccleſiæ præjudicium in-
ferre, cum terminus à Jure præfixus non excedatur, aliàs
ſecùs, ſecundùm Panormit. *in dict. cap. cùm inter uni-*
verſas, num.4. & num. 9. ubi ait, quòd ſicut valet con-
ſuetudo, ut abſentes non vocentur: ita etiam valet, ut
vocentur: dummodò ſine damno magno Eccleſiæ, ſi-
18 ve Conventus, vel Religionis præjudicio vocari poſ-
ſint; magno etenim Eccleſiæ præjudicio imminente,
non eſt ſervanda conſuetudo, etiam jurata, per gloſſ.
quam idem Panormit. *loco citato,* dicit notab. *in can. in*
his 11. diſt. Vocandi ſunt etiam omnes præſentes, qui-
19 bus de jure competit ſuffragium ferre; & omnes exi-
ſtentes in Civitate, vel in hortis ipſius præſentes eſſe cen-
ſentur, per *l. 1. ff. de procurat.* Joann. Andr. *in cap. ſi*
poſtquam, num. 6. de elect. lib. 6. Innoc. Panormit. &
Felin. & alii apud Sigismond. à Bononia *de elect. & po-*
teſt. Prælat. Regular. dub.9. num.2. Quando autem ali-
quis electorum in Civitate, vel Cœnobio, in quo electio
20 eſt celebranda, infirmus reperitur, ſcrutatores ad eum
accedere, ac ipſius votum, ſicut reliquorum præſenti-
um exquirere debent, nec ampliùs opus erit ipſum in
collatione votorum, aut aliis, quæ ſequuntur requirere:
ſed ſatis erit conſenſus in ſcrutinio habitus; verùm is
poſſet procuratorem unum de Collegio conſtituere,
cùm legitimo impedimento detentus ſit, & pro abſen-
te habeatur, ex quo non eſt in loco, ubi petitur. *l. abſen-*
tem, ff. de verb. ſignif. Ita Archidiacon. *in cap. ſi quis ju-*
ſto, num.1. de elect. in 6. Angel. *in ſum. verb. elect. n.17.*
Sylv. *eodem verb. elect. 1. q. 5. dict. 1.* & alii apud Sigis-
mundum à Bonon. *d. l. tract. dub.26. num.2.*
Electores exiſtentes infra Civitatem, vel Oppidum, 21
ubi electio celebranda erit, vocandi ſunt per ſonum
campanæ, vel verbo ſcripto, ſive alio ſigno conſueto
juxta conſuetudinem, ſi enim adeſſet conſuetudo, quod
convocentur per ſonum campanæ, eſſet obſervanda, ut
colligitur *ex cap. in Geneſi, de electione,* ubi Panormit.
num. 5. dat regulam, quod in negotiis, quæ poſſunt per
præſentes expediri (quòd eſt regulare, jux. not. per gloſſ.
in cap.2. de teſtib. lib.6.) ſufficit convocatio per ſonum
campanæ, dummodò talis ſit campana, quòd ejus ſonus
ad omnium in loco electionis exiſtentium auditum
pervenire poſſit: In negotiis autem, in quibus abſentes
vocandi ſunt, non ſufficit vocatio per ſonum campanæ,
ſed debent abſentes per literas, vel nuncium convoca-
ri, ita ut ſufficienter vocari cenſeantur, per *cap. cum in-*
ter univerſas, & cap. quia propter. de electione. Innoc. *in*
cap. in cauſis, num. 2. & ibi Panormit. *num 5. de elect.* 22
idem Panormit. *in cap. coram, dilecto: num. 3. eodem tit.*
tenor autem literarum, quibus abſentes ad electionem
vocandi ſunt, ac de ea certiores reddendi, videri poteſt
apud Cuch. *inſtit. major. lib.4. tit. de elect. num. 60. &*
61. de mente Speculatoris, & apud Sigismund. a Bo-
non. *d. dub. 9. num. 3. verſ. literas autem.* Et poſt Pa-
normit. *in cap. coram dilecto, num.3 eod. tit.* Felin. *in cap.*
cùm omnes, n 38. verſ. ſecunda opinio, de conſtit. Mantic.
deciſ. 288 n.2.
Electores legitimè vocati ab habente poteſtatem, 23
nolentes comparere, faciunt ſe alienos ab illo actu nec
computantur in numero intervenientium in Capitulo
in cap. cùm nobis olim, de elect. Abbas *in d. cap. cùm o-*
mnes, col. fin. verſ. tamen unam diverſitatem, de conſtit.
Put. *deciſ. 283. lib.3.* Rot. *in Argentina Coadjutoria*
2. Maji 1631. coram R.P.D. Ghislerio, quæ in fine operis
eſt deciſ.31. num.3. Et idem dicendum eſt de eo, qui 24
tempore electionis recedit à loco, ubi eſt facienda ele-
ctio, quia ejus voti non eſt habenda ratio, *d. cap. cum*
nobis & *ibi* Abb. *num.3.* Rota *in Cæſaraguſta electionis*
20. Martii 1623. coram Illuſtriſſimo D. Coccino Decano.
Et de eo, qui noluit votare, gloſſ. *in clem. quod circa in* 25
verb. quam in facto ante fin. verſ. & in his etiam. ubi Vita-
lin. *num 29. verſ. aut fuerant vocati, de elect.* Navar. *con-*
ſil. 7. num. 1. de elect. in nov. Rodetic. *quæſt. regul. tom.*
2. quæſt.23. art.20. Rota *in d. Cæſaraguſtana electionis*
coram D. Coccino relata per D. Ferentill. in addit. ad deciſ.
351. Burat. *ſub lit. B.* Et ideò, qui ſuperſunt, etiamſi pau- 26
ci ſint, intelliguntur eſſe electorum Univerſitas, & ille,
in quem ipſi conſenſerint concorditer, per Capitulum
electus dicetur, quamvis vocati, qui venire contempſe-
runt, contradicant, Panormit. *ſuper dicto cap. cùm nobis*
olim. num 4. Ex quibus apparet, quòd ad canonicam 27
electionem non eſt ita neceſſaria omnium Vocalium
præſentia: qui enim intereſſe nolunt, non debent com-
pelli, niſi interſit Eccleſiæ; quia, ſi ita expediret pro Re-
ligione, intereſſe cogi poterunt, juxta doctrinam ejus-
dem Panormit. *in cap. quia propter eodem tit. num. 4.*
Nec etiam eſt ita neceſſarium, ut congregentur duæ 28
partes, quia poſſent aliqui facientes duas partes, nolle in-
tereſſe, nec per hoc electio eſſet impedienda, ſed à præ-
ſentibus celebrari deberet; quia abſurdum foret, per
particularium contumaciam Univerſitatis negotia im- 29
pediri, Panormit. *in cap. in cauſis, num 9. eodem tit.*
Notandum hic, quòd citati, ut tali die ad electionem 30
faciendam compareant, debent de mane ante prandium
comparere; quia de mane, ante Miſſam de Spiritu ſan-
cto ſolet electio celebrari, ita Panormit. *in d. cap. cum*
nobis olim, num.11. & hæc quoad præſentis quæſiti ma-
teriam dicta ſufficiant.

QUÆSITUM IV.

Utrum Electores absentes procuratorem ad Abbatum canonicam electionem constituere possint.

SUMMARIUM.

1 *Electores legitimè impediti possunt unum, vel plures procuratores ad electionem constituere,* & n.4

2 *Procurator constituendus ab electore absente debet esse unus de Capitulo.*

3 *Subrogans aliquem in sui locum, debet talem, qui sit ejusdem qualitatis, subrogare.*

5 *Quando plures procuratores ad eligendum constituuntur, quilibet eorum debet esse in solidum constitutus, & quis eorum sit præferendus.*

6 *Procurator non potest unum suo, & alium constituentis nomine eligere.*

7 *Electores absentes, si nullus de Capitulo eorum procuratorem esse velit, nequeunt per literas votum exprimere, vel extraneum deputare.*

8 *Procurator absentis electoris, si interim constituens moriatur; an cesset.*

9 *An his obstet Concilium Tridentinum.*

10 *Absentes apud nostram Congregationem non possunt procuratores ad eligendum constituere, nec similiter in Congregatione Casinen. Calestinn, & aliis.*

1 ELectores absentes legitimo impedimento detenti,
possunt unum procuratorem constituere, qui eo-
rum nomine vocem in canonica electione emittat:
nisi statutum, vel consuetudo aliqua in contrarium
adsit; de quo impedimento, si opus fuerit, proprio ju-
ramento fidem faciat; ut expressè habetur *in c. quia
propter. §. illud autem, de elect.* ubi Gloss. *verbo, venire,*
& Panorm. qui dicit; quòd licèt in reliquis negotiis
per Capitulum, vel per universitatem peragendis pos-
sit quis non impeditus procuratorem constituere: ta-
men secus est in electione, ibi enim videtur electa indu-
stria personæ, arg. text. *in cap. is, cui de off. delegat. lib. 6.*
si tamen velint alii de Capitulo, possent procuratorem
etiam non impediti ad electionem faciendam admitte-
re, non obstante dispensatione *d. §. illud autem*; quia di-
cta prohibitio in electorum favorem emanavit, cui ipsi
renunciare possunt.

Confirmatur præterea; quia electores eligendi jus
penitùs extraneo communicare valent, *cap. scriptum.
eod. tit.* ergo à fortiori multò melius, si velint, possunt
procuratores eorum de Collegio, quamvis non sint im-
pediti, admittere, ita Panorm. *ubi Proximè*, Sylvest.
verbo electio 1. quæst. 3. dict. 2.

2 Et hic procurator constitutus debet esse unus de
Collegio, & numero eorum, qui sunt legitimi electores
præsentes in loco electionis, ut habetur expressè *in d. §.*
3 *illud, & ibi* Gloss. *d. verbo venire*; pro quo facit, quòd
subrogans aliquem in sui locum, debet talem, qui sit e-
jusdem qualitatis subrogare, ut in Doctore dicit Bart.
in l. 1. C. de princip. agen. in reb. lib. 12. Verùm si alii ele-
ctores permiserint, poterit extraneus constitui; quia
possent denuò aliquos extraneos ad eligendum admit-
tere *d. cap. scriptum*, ergo multò fortius procuratorem
istius de Collegio, quamvis sit extraneus.

4 Potest etiam elector absens non modò unum, verùm
etiam plures procuratores constituere; qui tamen de-
bent esse in solidum: & tunc melior erit conditio prius
occupantis; si autem omnes constituti se simul præsen-
5 tant, erit in optione Capituli, quem velit admittere: &
admissus à Capitulo aliis erit præferendus; quòd si, una
pars Capituli unum vult admittere, & altera alium: ille
erit præferendus, qui primò est in procuratione nomi-
natus per ordinem scripturæ, *cap. penult. de elect. in 6.* &
ibi Gloss. Si autem plures procuratores non in solidum,
sed simpliciter constituti sunt, nullus eorum erit admit-
tendus; quia cùm non sint in solidum constituti, unus
tantùm simpliciter cum aliis eligere posset, & sic omnes
possent variare, & eligere diversas personas: & propter-
ea mandatum procuratorium non valet; unde alii e-
lectores ad electionem procedere possunt; quia talis in-
discretè constituens pro contumace reputabitur; pa-
ria enim sunt non venire, & non sufficienter venire,
per dict. cap. pen. §. si autem, & *ibi* gloss. *verbo admitti.*

Est autem notandum, procuratorem non posse 6
unum suo, & alium domini sui nomine eligere; nisi
dominus constituens speciale sibi mandatum de aliquo
nominando tradidisset; tunc enim illum nomine con-
stituentis, & alium nomine proprio, si iste sibi magis i-
doneus videretur, eligere posset, *dicto cap. penult. §. por-
rò.* Verùm hodie post Concilium Tridentinum, in quo
requiritur, ut in electionibus Regularium Prælatorum,
& aliorum officialium, &c. vota secretè tradantur, ab-
sentes nequeunt procuratores cum speciali mandato de
certa persona eligenda deputare; quia aliàs vota secreta
non essent. Atque ita à S. Congregatione declaratum
fuisse, refert Nicol. Garc. *de benefi. part. 5. cap. 4. num.*
200 per hæc verba: *Procuratores legitimè constituti cum
generali mandato ad eligendum ab iis qui legitimè impe-
diti sunt, non excluduntur; dummodo non habeant speci-
ale mandatum de eligenda certa persona, quia tunc vo-
tum non posset esse secretum, prout in hoc decreto.* Et ex
eadem ratione, si nullus de capitulo esse velit absentis 7
procurator, non poterit ipse extraneum, dissentiente Ca-
pitulo deputare, nec per litteras aliquem nominare, eli-
gentium enim vota non antè scrutinium, sed in scruti-
nio ipso secretè tantummodò, & sigillatim exprimen-
da sunt *dicto cap. penult. §. fin.* Hic autem notandum, 8
quòd si elector absens impeditus, qui procuratorem
constituit interim, vita cederet, procurator debet cessa-
re; tamen facta ab eo, tam de scrutatoribus, quàm de a-
liis rebus ante notitiam habitam de morte domini con-
stituentis, stabunt firma; & si nesciretur de ejus morte,
& perficeretur electio, valeret; Ita Archidiac. *in dict.
cap. si quis justo, num. 3. in princ. per text in l. qui procu-
ratorem, ff. de procurat. & l. ult. ff. si cert. petat.*

Neque supradictis adversatur decretum Concil. 9
Trid. *sess. 25. de refor. cap. 6.* ubi districtè prohibetur, *ne
liceat in posterum voces, & suffragia absentium supple-
re.* Intentio enim Concilii non fuit, prohibere, quin se-
cundùm jus antiquum electores absentes legitimè im-
pediti procuratorem ad eligendum constituere possint,
juxta ea, quæ tradit Passarellus *in Compend. privil. Ord.
Minimorum, tit. can. Concil. Trid. ad Regular. pertinent.*
ubi di[illegible]ibi ex Civitate Litii consulenti die 8. Augusti.
1570. respondisse Sacram Congregationem Illustriss.
Cardinalium Conc. Trid. Interpretum. *Quòd si ex in-
stitutis, aut decretis alicujus Religionis liceat Superiori-
bus absentibus, & legitimè impeditis mittere ad Capitu-
lum Generale alium fratrem, qui tanquam eorum pro-
curator suo loco, & nomine det vocem in electione, Conci-
lium Tridentinum id non prohibuit.* His additur alia de-
claratio ejusdem S. Congregationis Conc. *in impr. tit.
prætermissa declarationes cap. 6.* quæ sic ait. *Item ex de-
creto d. cap. 6. non esse prohibitum Superioribus Ordi-
num, quibus id ex Regula conceditur, ut aliquem fra-
trem idoneum suo loco delegent, seu mittant ad Capituli
Generalis celebrationem ut suo nomine electionem faciat;
si ex institutis, & decretis Religionis sua liceat superiori-
bus absentibus, & legitimè impeditis mittere alium ad
Capitulum Generale, qui suo loco, & nomine in electione
suffragium ferat.* Ita refert Cashel. *in tract. de elect. c. 5.
num. 98. circa finem.*

Hæc autem (ut in principio diximus) procedunt de 10
jure communi, & nisi per constitutiones Religionum,
à Sede Apostolica approbatas, secus cautum sit; in non-
nullis enim Religionibus excluduntur Vocales absen-
tes à constitutione procuratorum; ut in nostra Con-
gregatione Vallumbrosana, in qua electores absentes
non admittuntur, per substitutum vocem in Capitulo
supple-

ſupplere, ut habetur *cap. 1. noſtrarum conſtitut. in fin.* pariter in Congregatione Caſinenſium abſentes, nec per ſubſtitutū, nec per epiſtolas, neq; per nuncium vocem in Capituli actib⁹ habere poſſunt, ut habetur *in 1. parte Conſtit. dict. Congregationis tit. de elect. præſid. Capit. Deſinitor. & Conſervator. c. 11. num. 3.* Idem cautum reperio *in Conſtitutionibus Cœleſtinorum tract. 2. cap. 7. parte 22.*

QUÆSITUM V.

De forma electionis Abbatum, & aliorum Prælatorum Regularium.

SUMMARIUM.

1 *Abbate mortuo, vel deficiente, Eccleſiæ dicuntur viduatæ.*

2 *Abbates Paſtores dicuntur.*

3 *Abbatum electiones in multis Epiſcoporum electionibus æquiparantur.*

4 *Electionis canonicæ forma triplex.*

5 *Electiones celebratæ contra formam,* cap. quia propter de elect. *ſunt ipſo jure nullæ.*

6 *Generales, vel Capitulum non poſſunt vigore privilegii hic inſerti ſupplere defectus,* cap. quia propter, *in electione intervenientes.*

7 *In privilegiis nunquam cenſetur derogatum decretis Concilii Generalis, niſi exprimatur.*

8 *Concilium Tridentinum quid ſtatuerit ſuper Abbatum, & aliorum Regularium Prælatorum electione.*

9 *Forma triplex eligendi tradita* in cap. quia propter de elect. *non eſt ſublata per Concilium Tridentinum.*

QUamvis D. Pater Benedictus in Regulæ *cap. 64.* conſtituerit, Abbatum creationem ex ſaniori, licèt minori parte ſuffragiorum Congregationis eſſe faciendam: tamen, quia per jus Canonicum aliter diſpoſitum fuit, nempe illum tantùm eſſe in Abbatem pronunciandum, quem major, & ſanior pars legitimè elegerit, qui modus electio canonica appellatur; idcirco prædicta forma tradita *in d. cap. 64.* Regulæ non obſervatur, ſed diſpoſitio Concilii generalis *in c. quia propter de elect.* quia per illud omnes aliæ eligendi formæ præter eas ibi poſitas, irritantur; cujus cap. diſpoſitio abſque dubio comprehendit electionem Abbatum, aliorúmque regularium Prælatorum, ac etiam Secularium Epiſcopis inferiorum, ſi qui ſunt, qui per electionem a Collegiis ad Prælaturas aſſumuntur; quia *in d. cap.* intendit Sum-
1 mus Pontifex viduatis Eccleſiis providere; Eccleſiæ autem dicuntur viduatæ, & ſine paſtore, mortuo, vel deficiente Abbate, vel Prælato earum ſponſo, *cap. ne pro defectu, & cap. officii eodem tit.* ubi Abbates dicuntur
2 Paſtores. Præterea Abbatum, & aliorum hujusmodi Prælatorum electiones in multis Epiſcoporum electio-
3 nibus computantur, *cap. cupientes eod. tit. in 6.* Sic docent Sylveſt. *verb. electio 2. num. 2. verſ. præterea.* Sanchez *in opere morali, lib. 2. cap. 38. num. 84.* & ita communiter teneri ait Suarez *de Relig. tom. 4. tract. 8. lib. 2. cap. 3. num. 1.* His præmiſſis, quia prædictum *cap. quia propter* eſt totale fundamentum hujus materiæ, ad hoc, ut ſubſtantialia formæ electionis præ manibus habeantur, ejus verba ad propoſitum facientia, viſum eſt, hic apponere. *Quia propter diverſas electionis formas, quas quidam invenire conantur, & multa impedimenta proveniunt, & magna pericula imminent Eccleſiis viduatis: Statuimus, ut cùm electio fuerit celebranda, præſentibus omnibus, qui debent, & volunt, & poſſunt commodè intereſſe, aſſumantur tres de Collegio fide digni, qui ſecretè, & ſingillatim vota cunctorum diligenter exquirant, & in ſcriptis redacta mox publicent in communi, nullo prorſus appellationis obſtaculo interjecto, ut is collatione habita, eligatur, in quem omnes, vel major, & ſanior pars Capituli conſentit. Vel ſaltem eligendi poteſtas aliquibus viris idoneis committatur, qui vice omnium Eccleſiæ vi-*
duatæ provideant de paſtore; aliàs electio facta nõ valeat, niſi fortè communiter eſſet ab omnibus quaſi per inſpirationem abſque vitio celebrata. Ex quibus licet colligere, 4
triplicem eſſe electionis formam, nempe per modum ſcrutinii, compromiſſi, & communis ſpirationis. Et
omnes electiones factæ contra formas dictæ decretalis 5
ſunt ipſo jure nullæ, ut patet ex textu ipſo, & ait ibi Innoc. *num. 6.* & communiter Doctores Rom. *conſ. 322. n. 12.* Rota *in una Treveren. Abbatia S. Maximini 24. Novembris 1624. coram Reverendiſſ. Domino Coccino Decano,* Miranda *in Man. Prol. tom. 2. quæ. 23. art. 2. concluſ. unic. poſt med.* Suarez *de relig. tom. 1. tract. 3. lib. 2. cap. 12. num. 9.* Sanchez *in opere mor. lib 2. cap. 38. n. 83. & ſeq.* Sigismund. à Bononia *de election, & poſt Prælat. Regular. dub. 4. num. 5.* Caſtell. *in tract. de elect. Prælat. cap. 1. num. 3. verſ. forma igitur.* Nec ſuffraga-
tur, quòd Sixtus IV. conceſſerit Capitulis Generalibus 6
Ord S. Hieronymi in Hiſpania, vel inter Capitulum, & Capitulum Prioribus Generalibus, ut ſupplere poſſint quoſcumque defectus ex commiſſione, præteritione, transgreſſione, contemptu, aut negligentia juris, vel ſtatutorum Ordinis qualitercumque in electione intervenientes, prout refert Roderic. *quæſt. regul. tom. 2. q. 52. art. 1. & 3.* non inquam ſuffragatur, ut per illud ſuppleri poſſint à Generalibus, vel Capitulis Generalibus nullitates, & defectus electionum ob non ſervatam aliquam ex prædictis formis traditis *in dict. cap. quia propter*;
Quia caput ipſum continet conſtitutionem Concilii 7
Generalis Lateranen. celebrati ſub Innocentio III. cujus decretis nunquam cenſetur derogatum per clauſulas generales in privilegiis apponi conſuetas, niſi expreſſa mentio fiat his verbis, *Non obſtante lege aliqua, aut conſtitutione in Concilio Generali edita,* ut colligitur *ex cap. ex parte, & cap. ult. de capell. Monach. & cap. tam de ætat. & qualit. & cap. nonnulli, de reſcrip.* ubi Felin. *num. 3.* Navar. *in man. cap. 27. num. 265.* Molin. *tom. 1. de Juſt. tract. 2. diſp. 173.* plures congeſſit Sanchez *de matrim. lib. 3 diſp. 26. n. 7.* Rota *deciſ. 279 n. 6. coram Reverendiſſimo D. Coccino Decano, & deciſ. 122. n. 5. cum ſeqq. part. 1. Diverſ.* At in præfato privilegio non derogatur Concilio Generali, nec etiam per clauſulam generalem *non obſtantibus, &c.* ut patet; ergo ejus virtute non poſſunt ſuppleri defectus *d. cap. quia propter,* quod in terminis defendit Sigismund. à Bonon. *d. elect. & poteſt.*
Prælat. regul. dub. 4. per tot. & ſequent. Præterea, quæ 8
in jure communi de electione ſtatuta ſunt, Tridentina Synodus *in cap. 6. ſeſſ. 25. de regul.* quæ ſequuntur decrevit. *In electione ſuperiorum quorumcunque Abbatum temporalium, & aliorum Officialium, ac Generalium, & Abbatiſſarum, & aliarum Præpoſitarum, quo omnia rectè, & ſine ulla fraude fiant, inprimis Sancta Synodus diſtrictè præcipit, omnes ſupradictos eligi debere per vota ſecreta, ita ut ſingulorum eligentium nomina*
nunquam publicentur; per quæ verba, & ſi prædicta tri- 9
plex eligendi forma tradita *in cap. quia propter* ſublata non ſit, ut ait Roder. *in ſumm. part. 1. tit. de elect. cap. 12. num. 2.* Azor. & alii apud Rotam *in una Meten. Monaſterii 5. Julii 1621. coram Reverendiſſ. D. Coccino Decano, in fine, quæ in fine operis eſt deciſ. 23.* tamen omnes ferè Religiones communiter conſueverunt canonicas electiones per modum ſcrutinii celebrare; unde meritò Petrus de Biax. *in direct. elect. cap. 20. 3. part. n. 2.* hanc formam procedendi per modum ſcrutinii appellat uſitatiorem, id eſt magis communem quoad uſum, & magis ſolemnem, & tutiorem.

QUÆSITUM VI.

Quæ ſint ſubſtantialia electionis per viam ſcrutinii celebrandæ.

SUMMARIUM.

1 *Electio eſt celebranda in aliquo honeſto, & convenienti Monaſterii loco.*

2 *Electiones*

2 *Electiones per occulta conventicula facta reprobantur à jure.*

3 *Locus certus non est de substantia electionis, sed quilibet locus, ubi Capitulum est congregatum, dicitur Capitularis.*

4 *Electio fieri debet in communi Congregatione, ubi præsentes adsint omnes electores, & quando dicatur fieri communiter.*

5 *Actus ut dicatur gestus ab Universitate, oportet, quod more solito congregetur Collegium, & ibi fiat conclusio de actus explicatione.*

6 *Scrutatores assumendi sunt per Collegium; & an hoc simpliciter necessarium sit.*

7 *Scrutatores tres, & non plures, nec pauciores assumi debent; nisi aliter ex Apostolico indulto concessum sit; vel nisi electores sint pauci,* num. 8.

9 *Scrutatores debent esse de Capitulo.*

10 *Vota singulorum eligentium exquirenda sunt secretè à scrutatoribus; & an viva voce, vel in scriptis per schedulam tradenda sint.*

11 *Electores præsentes omnes scrutandi sunt, aliàs electio est nulla.*

12 *Suffragiorum inquisitio secretè, id est seorsim, ab aliis de Capitulo est facienda, quia si fieret in publico, electio esset nullius momenti, etiamsi omnes consentirent.*

13 *Suffragiorum inquisitio fieri debet sigillatim, & electores singuli sunt vocandi.*

14 *Vota electorum sigillatim exquisita, in scriptis redigi debent, & mox in communi statim publicari* num. 15. *& quando dicantur in communi publicari* ibid.

16 *Scrutinio publicato variare amplius non licet, & quare.*

17 *Vota eligentium postquam fuerint publicata, fieri debet ipsorum collatio respectu numeri, meriti, & zeli.*

18 *Votorum collatio respectu meriti, & zeli, in electionibus Regularium est sublata per Concil. Trident.*

19 *Collatio de merito electi non est necessaria contra Panormit.*

20 *Votorum collatio fieri debet mox post publicationem, id est nullo actu extraneo interposito.*

21 *Electio necessaria publicanda est, & pronuncianda per verba singularis numeri.*

22 *Electio à quo publicanda sit nomine omnium.*

23 *Electio communis statim post collationem publicanda est.*

24 *Electionis ad validitatem an sit necessaria pars major, & sanior votorum.*

25 *Electio, ubi vota sunt paria, est nulla.*

26 *Pars major Capituli non dicitur, nisi excedat medietatem.*

27 *Pars major Capituli censetur ea, quæ major est in ordine ad totum Capitulum, non quæ est major respectu minoris, & in eo numero computandi sunt ii solum, qui in eadem electione votum habuerunt.*

28 *Pars major Capituli si in neminem consenserit, iterandum est scrutinium.*

29 *Electio Abbatissæ debet fieri à duabus Collegii partibus, nulla habita collatione, zeli ad zelum, nec meriti ad meritum, & quare?*

30 *Electio est publicanda expressa, & clara voce.*

31 *Electio solemniter est publicanda.*

32 *Scrutatores an fide digni esse debeant.*

33 *Locus non est de substantia electionis.*

34 *Missa celebratio cum invocatione Spiritus sancti, an debeat necessario præcedere electionem.*

35 *Electores an debeant jurare, se magis idoneum electuros, & quomodo præstandum sit hujusmodi juramentum,* num. 36.

EX communi Canonistarum, & Summulariorum doctrina, & assertione, multa sunt, quæ ad essentiam, & substantiam electionis per modum scrutinii celebrandæ pertinent; quorum dictis inhærendo ea omnia in præsenti quæsito breviter explicabo. Primò igitur ad hoc ut electio per modum scrutinii facienda legitima sit, debet fieri à majori parte legitimorum electorum, qui
ut suprà vocati debent esse simul collegialiter congrega- 1
ti in aliquo honesto, & convenienti Monasterii loco,
cap. quia propter, §. electiones, de electione, & ibi Innocent. Hostiens. Panormit. & alii, Sylvest. *verb. electio*
2. quæst. 8. Electiones enim in cubiculis, & clandestinis 2
locis per occulta conventicula factæ reprobantur à jure
per *dictum §. electiones*, ibi, *Electiones clandestinas reprobamus*: & *cap. 2. & cap. si transitus, dist. 79.* Certus 3
tamen locus non est de substantia electionis; nam quilibet locus, ubi Capitulum est congregatum, dicitur Capitularis, *cap. quod sicut*, ubi Abb. *num. 2. cap. cùm terra, de elect.* ubi Gloss. *in verb. in quo, ait, in capitulo secundùm consuetudinem loci, alias ubi melius se obtulerit facultas*, & fuit dictum per Rot. *in Argentina Coadjutoriæ 2. Maji 1631. coram R. P. D. Ghislerio, quæ in fine*
operis est decis. 32. num. 4 Est ergo de substantia ipsius 4
canonicæ electionis, ut fiat in communi Congregatione, ubi præsentes adsint omnes electores; quia non valet, nisi sit communiter celebrata, ut habetur *in cap. in genesi, eodem tit.* tunc autem dicitur communiter celebrari, cùm in uno loco omnes electores ad suffragia ferenda congregantur; singulariter autem fieri intelligeretur, quando singuli in suis Monasteriis manentes suffragia mitterent. Ratio hujus est, nam ea, quæ fiunt ab aliqua Universitate nomine Universitatis, debent fieri per congregatos in unum; ad hoc enim ut actus dica-
tur gestus ab Universitate, oportet, quòd more solito 5
congregetur Collegium, & ibi fiat conclusio de actus explicatione, ut ait Panormit. *in cap. cùm omnes, n. 7. circa finem de constitut.* ex gloss. quam dicit notabilem *in l. sicut, ff. quod cujusque Univers.* idem Panormitan. cum Innocen. & Butr. *in d. cap. in genesi de elect.* Bart. *in l. omnes populi, col. 7. vers. tertiò quæritur, ff. de justitia, & jure* gloss. *in cap. 1. 63. dist. & in cap. nominationes 2. qu. 6.*

Secundum substantiale est, ut scrutatores, qui eli- 6
gentium suffragia exquirere, ac suscipere debent, assumantur per Collegium; nam non debent se ingerere: quia per hoc suspecti redderentur, per text. *in l. quæ omnia, ff. de procur.* facit text. *in d. c. quia propter, verb. assumuntur*: quod Panormitanus ibi tutum esse dicit, non autem simpliciter necessarium; quia si tres incipiunt scrutari, aliis videntibus, & tacentibus, credit electionem validam esse, aliis servatis: quia cùm agatur de re meritoria, & concupiscibili, sicut est, ut per canonicam electionem Ecclesiæ viduatæ de Pastore provideatur, tacentes habentur pro consentientibus, ut in simili notavit gloss. *in c. sicut causa eod. tit. in 6.* notat Innoc. *in dicto c. in genesi.*

Tertiò requiritur, ut scrutatores tres, & non plures, 7
nec pauciores eligantur: alias enim electio irrita esset, ut ait, Panormit. *in d. cap. quia propter. num. 13. vers. tertium substantiale*, ubi testatur, hanc esse communem omnium Doctorum sententiam, Imol. *etiam ibi, n. 7.* Innoc. *n. 4.* Joan. Andr. *num. 9. vers. assumantur*, Sylvest. *in Summa, verbo electio 2. n. 12. vers. tertium de commun.* Angel. *etiam in Summa eodem verbo, num. 26.* Azor. *instit. mor. part. 2. lib. 6, cap. 14. q. 11.* Rota *in una Treveren. Abbatiæ S. Maximini 20. Novembris 1624. coram Reverendiss. Domino Coccino Decano.* Suarez *de relig. tom. 4. tract. 8. lib. 2. c. 5. num. 8. in fine.* plures cumulat Sigismund. à Bon. *in suo tract. de elect. & potest. Prælat. Reg. dub. 20. num. 1.* Ut autem plures, quàm tres scrutatores assumi possint, requiritur speciale Sedis Apostolicæ indultum, & auctoritas; ut Monachi Casinenses eligentes quatuor, quod obtinuerunt per
Bullam Gregorii XIII. ad hoc specialiter eis concessam, 8

Verùm

Verùm hoc limitatur, ut procedat quando servari potest, videlicet, ubi numerus eligentium esset copiosus; si enim essent pauci electores in Collegio, sufficerent duo tantùm scrutatores, secundum Innoc. Panormit. & Angel. *ubi sup.* Sylvest. *d. verbo electio* 2. *n.* 7. ubi declarat, quòd si electores sunt tantùm tres, duo ex illis tertium scrutabuntur, si verò tantùm duo, unus scrutabitur alium, & si unus solus, iste vocatis testibus suum votum exprimet, & publicabit; & hoc confirmat cum Archidiacono Vincent. & Ioan. Andr.

9 Quartò prædicti tres scrutatores debent etiam esse de Capitulo, aliàs electio nulla est, ut probatur *in eodem cap. quia propter*, ubi expressè dicitur, quòd hi tres sint de Collegio, & postea subditur, electionem aliàs factam non valere. Atque ita Panormit. *d. num.* 13. *vers. quartum substantiale*: qui testatur de communi. Imol. *num.* 8 Joan Andr. *num.* 11. Sylvest. Ang. Azor. Suar. & Rot. *locis citatis*, & alii apud Sigismundum à Bonon. *dub.* 20. *num.* 3. conditio enim hæc est valdè necessaria, ad hoc ut electio convenienter fiat: quia hoc munus fideliùs exercebitur per eos, ad quos spectat electio; & sic dicti scrutatores debent esse de Collegio, scilicet, de numero eligentium: non enim satis est, ut eligantur tres de eodem Ordine, & Congregatione; sed opus est, esse tres ex iis, qui in Capitulo vocem habent: non est enim honestum, ut qui sunt extra Collegium sciant conscientiam illorum de Collegio.

10 Quintò substantialiter ad formam ipsius canonicæ electionis requiritur, ut singulorum electorum vota secretè exquirantur. Hoc autem dupliciter fieri potest. Primo modo, ut singuli electores viva voce proferant coram scrutatoribus, quem eligunt, & aliquis ipsorum scrutatorum scribat; quem modum servandum esse, ajunt Boer *decis.* 1. *num.* 35. & Cuch. *instit major. lib.* 4. *tit. de elect. num.* 222. Secundo modo, ut quisque eligentium in schedula votum suum scriptum deferat, adeò, ut neque ipsis scrutatoribus notum fiat, & hic modus videtur magis necessarius juxta præscriptum Concilii Tridentini, quod *sess.* 25. *de regular. cap.* 6. districtè præcipit, ut singulorum eligentium nomina nunquam publicentur. Unde Mirand. *Man. Prælat. tom.* 2. *quæst.* 23. *art.* 15. *concl.* 2. ait, priorem modum esse reprobatum, quicquid sit de jure antiquo. Nihilominus dicendum est, utrumque observari posse, ac electionem censeri canonicam juxta *cap. quia propter.* & secretam juxta præceptum Concilii Trid. tam si suffragia ferantur in scriptis per schedulas, quàm si dentur viva voce; dummodo singulorum eligentium nomina serventur sub secreto, sub quo recepta sunt. Nam quòd electio censeatur canonica *juxta cap. quia propter*, si electores viva voce suffragia sua proferant, est communis omnium sententia, de qua testatur Suarez *dicto cap.* 5. *num.* 10. sicut etiam canonica censetur, cùm vota scripta in schedulis traduntur, ut est communis Religiosorum, & nonnullarum Ecclesiasticarum Communitatum consuetudo, testibus Mirand. *loco cit.* & Garc. *de benefic. part.* 5. *cap.* 4. *numer.* 188. Quòd autem electio censeatur secreta, si suffragia ab eligentibus viva voce scrutatoribus tradantur, clarè patet ex quadam declaratione Sacræ Congregationis Cardinalium ejusdem Concilii interpretum relato à Garcia *dicto cap.* 4. *num.* 189. quæ sic habet: *Si electi fuerint à Superioribus aliqui, utputa quatuor, qui vota omnium recipiant, electio reputabitur canonica, & secreta.* Et (ut refert idem Garcias *num.* 190. eadem sacra Congregatio sic censuit. *In Electionibus Abbatissarum vota oretenus accipi possunt, etiam quod aliqui Superiores quatuor, aut quinque ea sciant.* Ex quibus clarè patet, electionem secretam censeri, si electores viva voce, & non per schedulas scriptas suffragia ferant. Hanc conclusionem pluribus firmant Suar. *d. cap.* 5. *à n.* 10. *usque ad* 13. & Sigismond. à Bonon. *dub.* 27. *à n.* 10.

11 Est etiam de substantia, ut vota omnium eligentium, nullo omisso, suscipiantur; quòd si unus ex iis non scrutaretur, vel aliquis ex scrutatoribus omitteretur, electio esset ipso jure nulla. Quod est intelligendum, quando contemnitur, sive omittitur aliquis ex vocatis; contemptus enim non vocatus non reddit electionem ipso jure nullam; sed annullandam ad ejus instantiam. Ratio differentiæ videtur; quia omittere aliquem ex vocatis, est contra intrinsecam formam electionis per scrutinium traditam, *in d. cap quia propter*, & sic esset omittere unum ex substantialibus intrinsecis ipsius canonicæ electionis; at non vocare aliquem ex electoribus, sed illum contemnere, est circa præambula ad electionem; sola autem forma est ibi in rigore præscripta, & substantialis juxta *cap. Ecclesia vestra eod. tit.* Ita Pa- 12 normit. ubi proximè, Suarez *d. c.* 5. *n.* 14. Inquisitio secretè, idest, seorsim ab aliis de Capitulo est facienda: quia si fieret in publico, electio nullius esset momenti, etiamsi omnes consentirent, per *d. in c. genesi de elect.*

13 Sextum requisitum substantiale est, ut inquisitio suffragiorum fiat singillatim, & electores non vocentur ad scrutatores bini, vel terni, sed singuli; ut colligitur ex *d. cap. quia propter*, ibi, *singillatim*, ubi Panorm. *n.* 5. Sylvest. *verb. elect.* 1. *q.* 5. & alii apud Sigismund. *de elect. & potest Prælat. Regul. dub* 26. *n.* 1

14 Septimum necessarium substantiale est, ut omnium electorum vota singillatim exquisita in scriptis redigantur, quæ conditio est de substantia, ut colligitur ex text. ibi, *Vota cunctorum diligenter exquirant, & in scriptis redacta, &c.* & infra subditur, *aliter electio facta non valeat*, & ita per omnes Doctores ibi notatur.

15 Octava substantialis conditio est, ut omnia suffragia mox in communi publicentur, omni prorsus appellationis obstaculo remoto, circa quod notandum, quod tunc dicuntur vota in communi publicari, quando integer eorum numerus publicè quoad totam Congregationem profertur, non exprimendo in quorum favorem data fuerint, vel quot ex ipsis electoribus in hanc, vel illam personam descenderint: sed explicando tantùm numerum personarum, quæ suffragium tulerunt, ut significatur per illam particulam *in communi*, quæ solemnitas ex omnium sententia substantialis est: ordinatur autem ad majorem certitudinem collationis suffragiorum, quæ posteà erit facienda. Item debet animadverti, hujusmodi publicationem statim, & absque ulla morali interruptione esse faciendam, quod esse de substantia electionis, censet Panorm. & cum eo communiter omnes. Moralis autem interruptio esset, si interponeretur alius actus pertinens ad impediendam, sive differendam ipsam electionem: vel si absque aliqua causa cogente Congregatio, non facta tali publicatione, dissolveretur. arg. *cap. cum post. de elect.* Publicato scru- 16 tinio, amplius variare non licet, *cap. publicato de elect.* quia electores jam functi sunt eorum officio, & quia aliàs aperiretur via fraudibus, & tolleretur jus quæsitum electionis, quod de jure non licet. Abb. *d. cap. publicato n.* 4. & firmavit Rota *in Carthaginen. Canonicatus* 6. *Febr.* 1604. *coram Card. Horatio Lancelloto, & in nullius, seu Pampilonen. Canonicatuum de Roncesualles* 22. *Maji* 1628. *coram R. P. D. Dunozetto, quæ in fine operis est decis.* 19. *n.* 1. *& fuit confirmata* 10. *Maji* 1631. *coram eodem, &* 24. *Novembr.* 1631. *coram R. P. D. Pirovano.*

17 Nonò ad essentiam ipsius canonicæ electionis spectat, ut facta suffragiorum publicatione, statim fiat collatio votorum respectu numeri, meriti, & zeli, juxta gloss. quæ ait, *collatione facta numeri ad numerum, & zeli ad zelum, meriti ad meritum*, quod sumitur *ex c. in genesi, & c. Ecclesia vestra de elect.* & eam sequuntur Panor. *n.* 10. & alii. Et hoc, ad investigandum, in quem major, & sanior pars Capituli consenserit. Panor. autem ait, quòd quando electio fit à duabus partibus, cessat collatio meriti, & zeli, per text. *in c. si quando eod. tit. in* 6.

Sed

Sed si vota omnium electorum in unum solum consen-
sissent, collatio fieri debet non numeri ad numerum,
sed de numero, merito, & zelo, inspiciendo, utrùm ele-
ctus sufficientem habuerit numerum, & si præsentes
duas partes efficiant, prout deberent, vel si forte non o-
18 mnes vocem haberent. Sed collatio in electionibus Re-
gularium meriti ad meritum, & zeli ad zelum eligenti-
um jam sublata est per decretum Concil. Trid. *quod
sess. 25. de regul. c. 6.* districtè præcepit, *ut in posterum ele-
ctiones omnes fierent per vota secreta, ita ut singulorum e-
ligentium nomina nunquam publicentur:* quapropter
cùm suffragia secreta esse debeant adeò, ut nomina eli-
gentium nunquam publicentur: nullius ad merita,
vel zelum electorum respectus haberi potest, sed tantùm
collatio numeri ad numerum, vel saltem numeri erit
facienda: ut benè advertunt Mirand. *d. q. 23. art. 27.
ante primam conclusionem,* & Sigismund. à Bon. *dub.*
19 *38. n. 7.* Ait etiam Panor. faciendam esse collationem
de merito electi, an, scilicet, ad illam dignitatem sit ido-
neus; sed hoc non videtur necessarium; quia textus ma-
nifestè loquitur de collatione suffragiorum, qua sup-
posita, absolutè dicit, ut is eligatur in quem Capitulum
consenserit; præterea judicare de electi dignitate non
spectat ad scrutatores: sed sive ad eum, cujus erit con-
firmare, si confirmatione opus erit: vel ad Superiorem,
ad quem erit recurrendum, si adversus electi idoneita-
tem aliquid erit objiciendum, ut ait Suar. *de relig. tom.*
20 4 *tr. 8. lib. 2. c. 5. n. 19.* Hujusmodi autem collatio fieri
debet mox post publicationem, id est, nullo actu extra-
neo interposito juxt. gloss. & Panorm. *in d. c. quia pro-
pter.* Sylv. *verb. elect. 2. q. 10, requis. 12.*

21 Decimò requiritur, ut facta collatione, communis
electio fiat, quæ est veluti unus actus totius Capituli,
qui non intelligitur consummari, donec unus nomine
totius Capituli per verba singularis numeri loquatur,
& eligat futurum Prælatum; & hoc fit postquam toti-
us Capituli voluntas paulatim declarata, & cognita est;
quæ conditio est de substantia, immò substantia, & for-
ma ipsa electionis: nec aliquod jus per electionem ip-
sam electo acquiritur, si hæc conditio omittatur, ut col-
ligitur ex *dicto cap. quia propter, & cap. sicut de elect. in
6. & cap. cum ab uno de re judicat. eodem lib.* Hæc au-
tem communis electio fieri debet ab uno nomine o-
mnium publicè loquente, & denunciante electionem,
qui, si omnia suffragia in unum consenserint, pronunti-
abit electũ dicens, *Ego N. vice mea, & omnium electo-
rum eligo N.* si verò aliqui non acquieverint, dicat, *Ego
N. vice mea, & omnium aliorum, qui mecum consenti-*
22 *unt, eligo N.* Quis autem vice omnium dictam electio-
nem efficere debeat, in textu expressè non dicitur, & i-
deò quidam dicunt, utile esse, ut Capitulum hanc fa-
cultatem, alicui ex scrutatoribus tradat, secundum Pa-
norm. *in dicto c. quia propter num.* 10. Sed quando nul-
li commissum est, congruum videtur, hoc fieri debere
ab eo, qui Capitulo præest, vel qui primam vocem obti-
net, ut ait Suarez *dicto c. 5. n. 24. in fine.*

23 Undecimum substantiale est, ut hæc communis ele-
ctio statim post collationem absque ulla morali inter-
ruptione fiat: sicut dictum est de publicatione suffra-
giorum in communi, ut probatur *in c. cum post de elect.*
ait Panormit. *ubi suprà*, qui ad hoc probandum addu-
cit text. *in cap. cum proposita eod. tit.*

24 Duodecimum substantiale erat, ut electio fieret de
eo, in quem major, & sanior pars Capituli consensisset.
Ubi est advertendum, quòd olim ad hoc ut electio vali-
da esset, opus erat, non majorem tantummodò, sed
etiam saniorem suffragiorum partem habere, ut constat
ex pluribus locis totius tituli *de elect.* & præcipuè *ex d.
cap. quia propter*, ibi, *sic, collatione habita, eligatur, in
quem omnes, vel major, & sanior pars Capituli consen-
serit*, ubi Panormit. *5. not. ait*, non valere electionem,
nisi fiat per majorem, & saniorem Capituli partem,
nec sufficere saniorem, nisi concurrat simul majoritas:
quod probat ex natura illius copulativæ, &, cujus est u-
trumque extremorum principaliter copulare, per gloss.
in cap querelam, de Simon. Verùm quia investigando,
quænam esset major, & sanior pars, plura inconvenien-
tia oriebantur, oportebat enim, ut omnia vota publicè
coram scrutatoribus scriberentur, & coram omnibus
etiam publicarentur, non solùm quoad numerum,
sed quoad personas ipsas suffragia ferentes, unde dein-
ceps constare poterat, & in quem major pars quoad nu-
merum consenserat, necnon quæ fuisset censenda sanior
pars quantùm ad meritum, & zelum. Postmodum
Concilium Tridentinum (ut *suprà* dictum est) decre-
vit, electiones in posterum per vota secreta esse facien-
das, ita ut singulorum eligentium nomina nusquam
publicentur: ex quo factum est, ut ampliùs non inqui-
ratur, quænam suffragiorum pars sit sanior, sed tan-
tummodò major, seu minor ipsorum numerus respicia-
tur. Quapropter valida reputabitur electio à majori
votorum, seu suffragiorum numero facta, dummodò
ipsa vota sint legitima, nec ullam patiantur exceptio-
nem, & persona digna eligatur; semper enim major
pars sanior præsumitur, si persona electa indigna non sit.
Ita Suar. *d. cap. 5. num. 13.* & alii plures apud Sigismund.
à Bonon. *in cit. dub. 13. num. 8.* Et quòd ibi vota sint 25
paria, electio sit nulla, quia debet fieri a majori parte suf-
fragiorum, est text. *in cap. ingenesi, & cap. Ecclesia ve-
stra al. 2, de elect.* ubi Gloss. *in verb. non consenserit vers.
sed si omnia*, Abb. *numero 13. vers. si autem omnia sint
hinc inde paria*, Cardinal. *in fine vers. si autem paritas*,
idem Abbas *consil. 25. numero 4. libr. 2.* Franc. Marc.
quæst. 922. Rota *in d. Nullius, seu Pampilonen. Canoni-
catuum de Roncesualles.* Non dicitur enim major pars, 26
nisi excedat medietatem, Gloss. *in cap. unic. in verb. as-
sensu, vers. scire debes ne sed vac. libr. 6.* Abbas *in cap.
postulatis numero 14. in fin. vers. ex quo infertur. de con-
cess. præbend.* Sylvest. *de benefic. part. 2. quæst. 17. num. 11.*
Rota *coram Burattoin Hispalen. Canonic. 13. Februarii
1617. quæ inter ejus impress. est decis. 225. & in fine operis
est decis. 18. numer. 2.* Hæc autem major pars non est 27
censenda ea tantùm, quæ major dicitur respectu mino-
ris, sed respectu, & in ordine ad totum Capitulum, ita
Felin. *in capit. cum omnes. de const.* & gloss. *ibi, verbo
constitutum*, Panormitan. *in cap. Ecclesia vestra el. 1. nu-
mer. 1. eod. tit.* in quo numero illi solum sunt compu-
tandi, qui in eadem electione votum habuerit, juxta Pa-
normit. ubi proximè, qui dicat, ita universaliter tenen-
dum, & dicendum esse in omnibus casibus, in quibus
major suffragiorum pars desideratur, & fuit dictum *in
allegata Pampilonen. Canonicatus coram R. P. D. Pitto-* 28
vano; si autem non apparebit, majorem partem Voca-
lium in Capitulo congregatorum in unum consensisse,
de jure communi iterandum est scrutinium, quousque
major pars suffragiorum in unum consensisse reperia-
tur, arg. *cap. cum terra, cum ibi not. de elect.* Electio verò 29
Abbatissæ debet fieri à duabus Collegii partibus, nulla
habita collatione zeli ad zelum, nec meriti ad meritum
cap. indemnitatibus, §. sanè. de elect. in 6. & ibi Joan.
Monach. *sub. num. 20.* Archidiac. Joan. Andr. Ancha-
ran. Franc. *sub numero* 8. Gemin. *num. 6.* Card. *in clem.
quod circa, quæst. 11.* & Vitalin. *sub numer. 3. eod. titul.*
Petrus de Biax. *in direct. elect. 3. part. cap. 38. num. 6.* &
resolvit Rota *in Leodien. Abbatissatus 9. Martii 1594.
coram Card. Pamphil. seniore, quæ in fine operis est decis.
17. numero 5. & 6.* Ratio autem quare in computandis
votis mulierum solus numerus attenditur, non autem
zelus, nec meritum, assignatur à Doctoribus, ne scilicet
ad invicem sibi inferant opprobria, & convitia, revelan-
do ipsarum secreta, ut dicit Ioan. Andr. *in d. cap. indem-
nitatibus n. 3.* quem ibi sequuntur Ancharan. *in. vers. 18.*

nota,

nota, Gemin. *in §. ſi quæ verò, in verſ. & autem*. Quod
procedit etiam in electione Abbatiſſæ, quæ facienda eſt
à mulieribus ſimul cum maſculis, ut poſt Joan. Andr.
in d. cap. in dementatibus ſub. num. 3. verſ. Canonici, &
Gemin. *ibid. §. ſupradictan. 4. in eadem Leodien. Ab-
batiſſatus num. 7.*

30 Decimotertiò eſt de ſubſtantia ipſius canonicæ ele-
ctionis, quòd dicta electio publicetur expreſſa, & cla-
ra voce: nec ſufficit aliquis actus eligentium, qui ele-
ctionem importet: ſed requiruntur verba ore prolata
per text. *in d. cap. Eccleſia veſtra el. 1.* & ibi Panormit.
num. 3. cap. ſicut, & cap. cum ab uno, de elect. Petr. de
Biax. & Marc. Ant. Cuch. apud Sigismund. à Bonon.
dub. 40. n. 1.

31 Decima quarta conditio ſubſtantialis eſt, ut ipſa ele-
ctio ſolemniter publicetur, non enim debet eſſe clande-
ſtina: ut *d. cap. quia propter in fin.* & debet publicari in
Capitulo.

Ultimum ſubſtantiale eſt, ut ſucceſſivè omnia prædi-
cta per ordinem, ut ſupra enumerata ſunt, obſerventur,
ſi enim præpoſterentur, nulla eſſet electio. Ita Panor-
mitan. *in d. cap. quia propter*, ubi in fine ait, quod, & ſi
quidam ſupradictis conditionibus addere volunt, ut
ſcrutatores fide digni eſſent, per id, quod ibi dicitur [*fide
32 digni*] tamen communius tenetur, hoc non eſſe de ſub-
ſtantia, ſed de juſtitia; nam fuit dictum admonendo
potius, quam aliquid ſubſtantiale inducendo; & di-
cta idoneitas præſumitur, *cap. fin. de præſumpt.* Item
ait, addere aliquos, ut electio fiat in Eccleſia, cujus Præ-
latus eſt eligendus, ut *in cap. ſicut eodem tit.* ſed quam-
33 vis hoc honeſtum ſit, atque juſtum; locus attamen de
electionis ſubſtantia non eſt; niſi aliud eſſet ex conſue-
tudine, argum. text. *in cap. qua fronte, de appellat.* A-
liqui adduxit præter ſupradicta, eſſe etiam de ſubſtan-
tialibus ipſius electionis, ut antequam electores ad eli-
34 gendum conveniant, præcedat Miſſæ celebratio cum
invocatione Spiritus ſancti, cui omnes electores inter-
ſint, ut ait Petr. de Biax. *in director. de elect. part. 1. ca-
pit. 24. & part. 5. cap. 13.* & Roderic. *quæſt. reg. tom. 2.
quæſt. 25. art. 1.* Contrarium tamen eſt verius, nempè
non eſſe de ſubſtantialibus ipſius electionis, ut præcedat
auditio Miſſæ de Spiritu ſancto, ſed tantùm de ſolemni-
tate: unde illam omittendo non vitiaretur electio,
cap. cum terra, & cum inter el. 2. de elect. Panormi-
tan. *in cap. cum Eccleſia Sutrina num. 1. not. de cauſ.
poſſeſſ. & propriet. & in cap. transmiſſam col. penultim.
de elect.* Tabien. *verbo electio. 1. num. 20. in fin.* Sigiſm.
à Bonon. *de elect. & poteſt. Præl. Regul. dub. 19. num. 5.*

35 Præter ſupradictas conditiones ſubſtantiales ipſius
canonicæ electionis, eſt omninò neceſſariò obſervandũ,
ut electores publicè juramenta præſtent de eligendo
magis idoneo, & ſecundum Deum, & eorum conſci-
entias, juxta præceptum Concilii Baſilienſis *ſeſſ. 23. &
ſeſſ. 38. decret. de elect.* Idipſum confirmatur expreſ-
ſo mandato Clementis VIII. contento in generalibus
decretis ad Regularium reformationem ſpectantibus,
editis ab eod. Clemente, *anno Domini 1599. die 25. Ju-
lii*, deinceps à Paul. V. & nuper à Sanctiſſimo Domi-
no noſtro Urbano VIII. confirmatis, ubi *ſub num. 36.*
hæc infraſcripta habentur: (*Jurentque electores ſecundũ
veritatem cujuſq; conſcientia, probiores, ac magis idoneos
electuros:*) poſtea ſub *num. 40.* diſtrictè præcipitur Gene-
ralibus, ac quibuscumq; aliis Superioribus Regularib⁹,
ad quos ſpectat, ut omnia decreta prædicta inter alios
ejuſdem Ordinum perpetuò valituras Conſtitutiones
reponant, interdicta omninò eiſdem facultate, illa de-
clarandi, & adverſus ea unquam diſpenſandi; quæ de-
creta demum *anno Domini 1624. die 21. Septembris* in-
novata fuerunt à Sacra Congregatione de mente San-
ctiſſimi D. N. Urbani Papæ VIII.

36 Quomodo autem hujusmodi juramentũ præſtandum
ſit, videatur Sigiſm. à Bonon. *d. ſuo tract. dub. 36. àn. 5.*

QUÆSITUM VII.

*Quod tempus ſit à jure, canonicæ Abbatum, & a-
liorum Prælatorum electioni celebrandæ ſtatu-
tum.*

SUMMARIUM.

1 *Electores, ante Prælati mortem, vel depoſitionem, vel
ceſſationem, nequeunt ad ſucceſſoris electionem pro-
cedere.*
2 *Electores an poſſint ad electionem procedere, antequam
mortui Prælati corpus ſepulturæ traditum ſit.*
3 *Si Prælatura, vel officium aliquod ex renunciatione
vacat, quando debeant electores ad electionem pro-
cedere.*
4 *Electio intra quod tempus poſt prælaturæ vacationem
facienda ſit.*
5 *Electione celebrata, intra quod tempus teneantur ele-
ctores electi conſenſum petere.*
6 *Electus tenetur, intra menſem, poſt habitam notitiam
electionis de ſe factæ conſentire.*
7 *Electio ordinariè qua hora diei celebrari debeat.*
8 *Miſſa de Spiritu ſancto non eſt de ſubſtantialibus ele-
ctionis.*
9 *Religioſis non currit tempus à Jure ſtatutum ſuper
electiones.*

ANte Prælati mortem, vel Prælaturæ vacationem 1
non poſſunt electores Eccleſiaſtici, vel Regula-
res ad ſucceſſoris canonicam electionem procedere,
cap. bonæ memoriæ el. 2. ubi Panormit. *num. 2. de elect.* 2
cap. obeuntibus 63. diſt. ſicuti nec debet fieri, ante-
quam Prælati corpus ſepulturæ traditum ſit. *d. cap. bo-
næ memoriæ.* Si tamen electores, cadavere adhuc ſuper 3
terram exiſtente, ſucceſſorem eligerent, valeret electio,
ut tenet *ibi* gloſſ. quam ſequuntur communiter Docto-
res. Si autem Prælatura, ſive officium aliquod ex re-
nunciatione vacaret, non poſſent electores ſucceſſorem
eligere, antequam renunciatio à Superiore illius, qui
renunciavit, acceptata, & approbata fuerit; & ſi aliter
fiat electio, nulla, atque irrita erit; quia realiter Præ-
latura, vel officium renunciatum per ſolam renuncia-
tionem non cenſetur vacare: niſi poſtquam renuncia-
tio à Superiore tâlem auctoritatem habente acceptata,
& approbata fuerit, Panormit. *in cap. ad aures, num. 7.
de his, quæ vi met. cauſa fi.* Pariſ. *de reſign. benefic. lib. 1.
quæſt. 12. num. 12 & 13.* plures refert Aloyſ. Ricc. *in pra-
xi rerum quotid. tom. 3. 4. reſolut. 399.* Poſtquam au-
tem Prælatura vacaverit, electores tenentur, ceſſante 4
legitimo impedimento, intra tres menſes immediatè
ſequentes ſucceſſorem eligere; aliàs electio devolve-
tur ad proximum Superiorem, qui ſi intra alios tres
menſes non elegerit, poteſtas eligendi ad alium Su-
periorem, & ſic usque ad Papam, transfertur, per text.
expreſſum *in cap. ne pro defectu, de elect.* & ibi com-
muniter Doctores, Sylv. *ubi ſuprà*, Mirand. *d. art. 10.
concluſ. 2.* & hoc tempus non incipit currere, niſi à die
certæ vacantiæ; quia tempus non currit ignoranti. *l. 2.
Cod. qui admitti.* Ricc. *in prax. rerum for. Eccleſ. de-
ciſ. 172.* Facta autem electione, tenentur electores eam 5
electo præſentare, & intra octo dies, poſtquam commo-
dè poterunt, ejus conſenſum petere; aliàs negligen-
tes à proceſſus proſequutione excluduntur, & per trien-
nium à beneficiis ipſius eccleſiæ ſuſpenſi ſunt, *cap. cupi-
entes §. cæterùm de elect. in 6.* Sylv. *loco cit.* ſubdens,
quòd electus intra menſem electioni de ſe factæ con- 6
ſentire tenetur, aliter jure electionis privatur, niſi talis
fortè eſſet electi conditio, quod nequeat, abſque Supe-
rioris licentia, conſentire; quo caſu ipſe, vel electores
licentiam petere debent cum ea celeritate, quam Supe-
rioris abſentia patitur; quod ſi dicta licentia non
obtineatur, tenentur ex tunc ad aliam electionem
procedere.

7 Electio de mane ordinariè post Missam Spiritus sancti celebrari debet, quia in electionibus sobrietas desi-
8 deratur, ita Mandagot. *in tract. de elect. novi Prælati cap. 2.* si tamen Missa de Spiritu sancto omittatur, non irritat electionem, quia non est de substantialibus ipsius electionis, sed potius de ceremonialibus, ut ait Abbas *in cap. cùm Ecclesia num. 1. de cans. possess. & prop.* & nos diximus latè *suprà quæst. 6.* Verum super hoc adest privilegium Clementis VI. concessum Fratribus Minoribus, *quòd in electionibus tempus super hoc à jure statutum ipsis non currat, nec in hac parte juris hujusmodi regulis coarctentur*, ut habetur in Monum. Or-
9 din. & refertur in Compend. *privil. verb. elect. §. 4.* idem privilegium suffragatur etiam Monasticis Religionibus communicationem concessionum Fratrum Minorum habentibus.

QUÆSITUM VIII.

Quæ conditiones requirantur in eligentibus Abbatem.

SUMMARIUM.

1 *Qualibet Prælati electio de jure communi ad propriam Congregationem spectat.*
2 *Si in aliqua Congregatione duo tantum, vel tres electores existunt, electio Prælati ad eos spectat.*
3 *Jus universitatis in uno solo remanere potest.*
4 *Quot requirantur ad Collegium constituendum.*
5 *Collegium, postquam in multis semel est constitutum, potest ad unum reduci, & in eo conservari.*
6 *Electores debent esse professi ejusdem Religionis, cujus Prælatus est eligendus, & satis erit professio tacita; & de ea doceri debet, si professionis defectus fuerit oppositus,* limita ut num. 7.
8 *Electores necessariò debent esse Clerici, & in Sacris Ordinibus constituti.*
9 *Habilitas ad eligendum attenditur tempore, quo celebranda est electio, non autem tempore Prælaturæ vacationis.*
10 *Promotus ad Subdiaconatum ante legitimam ætatem, an sit habilis ad eligendum.*
11 *Excommunicati notoriè majori excommunicatione, si scienter ad electionem à Capitulo admittuntur, electio irrita est, secus si excommunicatio esset occulta,* num. 12.
13 *Suspensi ab executione suorum officiorum inhabiles sunt ad eligendum.*
14 *Irregulares an possint eligere.*
15 *Irregularis non privatur jurisdictione ob irregularitatem supervenientem.*
16 *Interdicti eligere non possunt: nec qui celebraverunt scienter in loco interdicto,* n. 17. *neque qui elegerunt scienter indignum,* n. 18.
19 *Indignus quis censeatur.*

1 QVælibet Prælati electio de jure communi ad ipsammet Congregationem spectat. *c. 1. de elect.* ubi dicitur, quod nulli Ecclesiæ Collegiatæ provideri debet de Prælato per collationem, seu provisionem, sed per canonicam electionem per ipsum Collegium faciendam. Idem habetur *in c. Congregatio 15. q. ult.* ubi dicitur, quòd Congregatio, post sui Abbatis mortem, vel eo vivente, si deliquerit, Abbatem sibi eligere debet, &, ut *suprà* dictum est, clarè constat *ex c. 2. 3. 4. & seq 18. qu. 2.* ubi specialiter de Monachis agitur; quæ electio Prælati ita pertinet ad Collegium; quòd si in
2 aliqua Congregatione non extent nisi duo, vel tres legitimi Vocales, electio etiam ad eosdem spectat, juxta *d. cap. 1.* & *ibi* gloss. *de elect. & cap. cùm dilectus de con-*
3 *suetud.* Imò jus Universitatis in uno solo, omnibus reliquis mortuis, privatis, suspensis, vel excommunicatis, remanere potest; quamvis enim nullum Ecclesiasticum Collegium in uno constitui possit; quia de jure civili tres requiruntur ad faciendum Collegium, 4
l. Neratius. ff. de verb. signific. & de jure canonico, saltem duo *per d. cap. 1. de elect.* tamen postquam semel in pluribus est constitutum, potest totum ipsius jus ad unum reduci, & in eo conservari, alliis mortuis, *l. sicut* 5
ff. quod cujusque univers. gloss. *in cap. gratum verbo pauciores, de postul. præl. & in d. c. 1. verbo duo*, quam seqvuntur communiter DD. Navarr. *lib. 1. cons. 6. tit. de elect. in 2. edit.* Rota *decis. 860 n. 7. & decis. 1050. n. 5. Coram Card. Seraph.*

An autem canonica electio ex parte ipsorum eligentium legitima sit, maximè attendendum est ex conditionibus requisitis in singulis eorum personis, & in sufficienti ipsorum convocatione, quæ fieri debet ab eo, qui deputatus est, & auctoritatem ab ipsa Religione habuit; qui autem, & quomodo sint vocandi, dictum est suprà; solùm advertere libet, convocandos esse omnes, qui secundùm uniuscujusque Congregationis statuta votum in illa electione ferre possunt: qui enim per eadem statuta prohibentur in electionibus vocem habere, excludendi veniunt, ita Sylv. *verb. elect. 1. n. 3. vers. 3. in fine.*

Quoad conditiones in eligentibus necessarias. Pri- 6
mò requiritur, ut sint professi ejusdem Religionis, cujus Prælatus est eligendus, sive professio fuerit expressa, sive tacita, ut probatur *ex cap. ex eo §. in Ecclesiis, de electión. in 6.* & *ibi* gloss. & Archidiacon. *n. 3.* Ratio est, quia Novitius non est verum membrum Religionis; ergo, nec eligendi jus habere potest. Tum etiam, quia Novitius non est satis expertus Religionem; nec potest sufficientem personarum notitiam habere, & nedum requiritur professio in eligentibus, sed de ea doceri debet, si professionis defectus fuerit oppositus, Dec. *cons. 522. num. 15.* & 16. Rota *in d. Nullius seu Pampsolonen, canonicatuum de Roncesualles 22. Maji* 1628. *co-* 7
ram R. P. D. Dunozetto. Limitatur in casu, quo ex privilegio, seu consuetudine, alicui extraneo etiam competat jus electioni interveniendi: sæpiùs enim ex privilegio, seu consuetudine alieni ad electionem vocantur, *ut cap. cumana de elect.* ubi gloss. & Doctores communiter asserunt, quòd interdum laïci, præcipuè Principes pro pace servanda admittuntur, ut electores ab oppressoribus tueantur; ita etiam Sylvius *ubi proxime.*

Secundò requiritur, ut sint Clerici, & in sacris or- 8
dinibus constituti. Quòd debeant esse Clerici, probatur ex *d. cap. ex eo §. in Ecclesiis*, ubi dicitur: *Conversi laïci cum Clericis in electionibus interesse non debent*; per quæ verba excluduntur ab electione non solùm Conversi, sed etiam Monachi omnes professi nondum in sacris Ordinati, ut fusiùs probat Suar. *de Relig. tom. 4. tract. 8. lib. 2. cap. 4. num. 3. & 4.* Verùm hoc simul cum altera conditione, nempè quod in sacris ordinibus constituti esse debeant, clariùs probatur *ex clem. ut ii, de ætate, & qualit.* ubi prohibetur, quòd nemo possit in electionibus, quæ in Ecclesiis Cathedralibus, Collegiatis, Secularibus, vel Regularibus canonicè fiunt, vocem habere, & suffragium ferre, qui saltem in Subdiaconatus ordine constitutus non sit: etiamsi hoc ab aliis sibi liberè concedatur; & ita communiter in praxi apud omnes Religiones observari, ait Mirand. *in man. Prælat. tom. 2. quæst. 23. art. 5. conclus. 5.* Si autem tempore vacationis aliquis sacris ordinibus insignitus non sit, tempore autem electionis jam Subdiaconatum suscepit, potest suffragium ferre; quia requiritur à jure, 9
quòd sit habilis tempore electionis, gloss. *in d. clem. ut ii, in verbo, constitutus*, quod probat per text. *in cap. cùm inter R. de elect.* Panormit. *super d. clem. num. 9.* adducens alium text. *in cap. ei cui, de præbend. in 6.* Sicut etiam, si quis tempore vacationis professus non esset, posteà verò tempore electionis jam professionem emisisset, ad suffragium ferendum in ipsa electione admitti

admitti deberet; ex jure enim non est necessarium, quòd professio certo aliquo tempore debeat electionem præcedere · sed tantùm, ut facta sit; ut constat ex *d. cap. ex eo.* Ita gloss. Butr. Panormit. *in d. cap. cum inter R. in fine de electione*, Roder. *quæst. regul. tom. 2. q. 15. art. 5. vers. & advertendum.* Non est autem supersedenda electio, ut is expectetur, etiamsi sacris ordinibus intra tempus à jure electioni celebrandæ statutum initiari paratus sit; sed reliqui electores electionem accelerare possunt; sicuti nec tenentur expectare excommunicatum, qui est absolutionem impetraturus: neque Novitium asserentem, se professionem emittere velle: nec absentem volentem intra tempus reverti, juxta d. gloss. *in d. clem. ut is, verb. constituimus.* Imol. *ibi num. 23.* & Panormit. *d. num 9.* nam quando electio accelerari potest, non est diu super ea immorandum, juxta *cap. ne pro defectu de elect.* & hæc est certa, & communis omnium Canonistarum sententia, ut videre est apud Mon. *de distribut. quotid. part. 2. q. 20. n. 5.*

Dubitatur etiam à Doctoribus, utrum promotus ad Subdiaconatum ante legitimam ætatem sit habilis ad
10 eligendum; cui difficultati respondeo cum Suar. *d. cap. 4. num. 7.* quòd vel quis privilegio in minori ætate ordinatus fuit: & tunc, cùm hujusmodi ordinatio legitima sit, proculdubio talis persona ad suffragia ferenda admitti debet; quia ad id habet omnia à jure requisita; tum etiam; quia non solùm ordinem, verùm etiam ordinis executionem recepit. Vel ante legitimam ætatem illicitè, ac subreptitiè ad sacros ordinem promotus fuit, & tunc à suffragio ferendo prohibitus est; quia per extravagan. Pii II. quæ incipit, *cùm ex sacrorum*, est ipso facto ab ordinibus suspensus, ac propterea ad votum ferendum inhabilis; qua suspensione sublata, posset utique suffragium ferre; quia cum effectu habet conditioné ordinis sacri requisitum, *in d. Clem. ut si.* nec ullum habet canonicum impedimentũ: quamvis enim defectus ætatis ordinis executioné impediat, non tamen est impedimentum ad electionem: cùm nihil quoad hoc circa ætatem *in d. clem.* sit dispositum. Ita Panormit. *super d. clem. n. 8.* Roderic. *d.*
11 *art. 5. vers. 2. per tot.* Suar. *loc. cit.*

Tertiò requiritur, quod electores non sint per excommunicationem, vel aliam hujusmodi censuram, sive Ecclesiasticam inhabilitatem ab eligendo suspensi. Abbas *in cap. illa quotidiana, num. 7. & in cap. cumana de elect.* Excommunicati majori excommunicatione à canonica electione expellendi sunt; aliàs si scienter à Capitulo admitterentur, electio ipsa irrita esset, per *d. cap. illa quotidiana*, & *ibi* gloss. & Panormit. *n. 3. cap. constitutus de appellat.* Innoc. & Panormit. *in cap. 2. de postulat. prælat.* Sylvius *verbo electio 1. quæst. 4.* Suarez. *tom. 5. disput. 14. sect. 2. n. 17. & 18.* & alii plures apud Sigismund. à Bonon. *dub. 66. num. 5.* ubi testatur de communi. Hoc autem procedit, quando
12 excommunicatio est notoria; quia si excommunicatus esset occultus, non inficeret electionem; quamvis enim semper se in ea ingerendo peccaret, tamen non peccarent alii, illum non reprehendendo, licèt possint: cùm non teneantur eum evitare, aut repellere per *extravagan. ad evitanda.* Ita Suarez *de Relig. tom. 4. tract. 8. lib. 2. cap. 4. num. 9. in fine*, & in hoc omnes
13 convenire, restatur Sigismundus à Bononia, *d. dub. 66. num. 10.* Ita etiam suspensi à suorum officiorum executione per suspensionem, sive interdictum, sunt inhabiles ad eligendum, per *cap. cum dilectus, de consuetud. & cap. cum inter R. seniorem, de elect.* sive sint suspensi ab homine, sive à canone inferente pœ-
14 nam talis suspensionis. Ita Panormit. *in d. cap. cum dilectus n. 20. de consuetud.* Item irregulares per text. *in cap. is cui, de sentent. excom. lib. 6.* Ita Sylv. *verb. electio 1. quæst. 4.* Azor. *institut. moral. part. 2. lib. 6. cap. 14. quæst. 8. vers. jus item eligendi.*

Contrarium tamen docuit Navarr. *in Manuali cap. 27. num. 244.* nempè irregulares voce activa non privari; quem sequuntur Suarez *tom. 5. disp. 40. sect. 2. num. 27.* Vincent. Filliuc. *moral. quæst. tract. 19. cap. 3. quæst. 6. num. 75.* Bonacin. *de censur. disput. 7. quæst. 1. punct. 4. num. 18.* qui testatur de 15
communi, & post eum Sigismund. à Bonon. *dub. 70. n. 6. & seqq.* Ratio est, quia irregularis non privatur jurisdictione ob irregularitatem supervenientem; sed jus eligendi, vel est jurisdictio, vel ad illam reducitur; ergo sicut irregularis non privatur jurisdictione, ita pariter, nec jure eligendi. Ita Doctores
proximè citati. 16

Privantur etiam voce activa illi, quibus interdi-
ctum est eligere, absque Superioris licentia, *cap. fin. de elect.* Item qui celebraverunt scienter in loco interdicto, nisi super hoc habeant privilegium *d. cap. is qui de sentent. excom. in 6.* ubi gloss. *verb. cum aliis*, Archidiacon. *num. 3. circa finem.* Panormit. *in cap. postulasti n. 5. de cler. excommun. ministran.* Navarr. *d. cap. 27. n. 187.* & alii plures apud Sigismund. à Bo- 17
non. *dub. 68. num. 2.* 18

Item, qui scienter elegerunt, vel postularunt indignum scientia: moribus, & ætate. *d. cap. gratum. de post. Prælat. cap. cum in cunctis, & cap. innotuit, in fine, & cap. scriptum de elect.* Est autem notandum, quod eligentes scienter indignum, sunt privati potestate eligendi in prima tantùm electione immediatè sequenti, etiamsi illa non sortiretur effectum;
non autem in tota vacantia, per *cap. cum Vintoniens.* 19
& *ibi* Abbas *n. 6. & 11. eodem tit. de elect.* Indignus autem quoad hoc propositum is dicitur, qui habet defectus personæ expressos *in d. cap. cum in cunctis.* Ita Panormit. *ibid. §. clerici sanè n. 6. & in cap. cum inter el. 1. n. 15. eodem tit.* Suar. *de censur. disp. 24. sect. 2. n. 22.* Avil. *eodem tract. p. 2. c. 6. disp. 12. dub. 4. ad fin.* Garc. *de benefic. p. 7. cap. 12. n. 84.* Sigismund. à Bon. *dub. 61. n. 11.*

QUÆSITUM IX.

Quanam ætas requiritur in eligendo Abbatem, vel Prælatum.

SUMMARIUM.

1 *Ætas requisita in assumendis ad Abbatias Regulares.*
2 *Episcopus debet esse annorum triginta expletorum.*
3 *Eligendi in Abbates, & Prælatos Generales an Trigesimum annum explevisse debeant.*
4 *Ætas multum facit ad eruditionem.*
5 *Adoptans quem in filium 18. annorum ætate illum præcedere debet.*
6 *Senectus laudatur.*
7 *Senatus unde dictus.*
8 *Senes omnino debiles inhabiles sunt ad administrandum.*
9 *Seniores in sacra Scriptura qui dicantur.*
10 *Senectus non in crinium candore, sed in animi virtute posita, & constituta est.*

Legitima ætas in Abbate, vel Prælato eligendo 1
sufficit annorum 25. nec requiritur, quòd annus 25. completus sit, sed inceptum tantùm esse, satis erit, *cap. cum in cunctis. §. inferiora de elect.* Ubi habetur, in Episcopo trigesimum annum expletum, inferioribus autem dignitatibus animarum curam annexam habentibus vigesimũ quintum inchoatum requiri.

Idem etiam in Concil. Trident. *sess. 24. de reformat. cap. 12.* confirmatum est his verbis: *Nemo deinceps ad dignitates quascunque, quibus animarum cura subest, promoveatur, nisi qui saltem 25. ætatis suæ annum attigerit, & in Clericali ordine versatus, doctrina ad suum munus exequendum necessaria, ac morum integritate commendetur, juxta constitutionem Alexandri III. in*

Concilio Lateranensi promulgatam, quæ incipit, Cùm in cunctis. Quæ jura generaliter de omnibus Ecclesiasticis dignitatibus animarum curam annexam habentibus loquuntur; de Abbate autem nihil expreſsè in jure diſpoſitum reperitur. Verùm ad hujus rei veritatem, magis aperiendam, cùm per text. *in cap. indemnitatibus eod. tit. in 6.* proviſum fuerit Abbatiſſæ ætati, cavendo, quòd annorum tringinta eſſe debeat, nec aliqua de Abbate mentio facta ſit, videtur, Abbates ſub communi regula aliorum Prælatorum relinquere voluiſſe. Ita Panormit. *in d. cap. cùm in cunctis n. 6.* Et quod Abbas comprehendatur ſub illo §. *inferiora,* tenet gloſſ. *in d. c. indemnitatibus poſt princ.* & communiter Doctores *ibidem,* & Summiſtæ *in verbo Abbas,* Rebuff. *in prax. tit. de non premot. infra ann. num. 25.* Rota *in Tullen. Monaſterii 17. Maji 1597. coram Pena, quæ eſt deciſ. 112. poſt. 1. vol. conſ. Farinac. & in fin. operis eſt deciſ. 25.* Nam prædicta intelligenda ſunt de Abbate Conventuali habente curam animarum; nam ſi Abbatia careat cura, & Conventu, non reputatur dignitas, nec ad eam obtinendam requiritur ætas 25. annorum, ſed ſufficit ætas neceſſaria de jure ad alia beneficia ſimplicia obtinenda, ut fuit reſolutum *in Aquen. Monaſterii 31. Maji 1568. coram D. Card. Lancelloto, ſemore, quæ in fine operis eſt deciſ. 9.*

3 Hìc autem inquirendum, cùm text. *in d. cap. cum in cunctis* de ætate in Epiſcopis requiſita diſpoſuerit, num eadem diſpoſitio ſaltem quoad ſupremos Generales Religionum locum habeat, nempè, quod eligendi in Prælatos Generales debeant tringeſimum ætatis annum expleviſſe, Mirand. *in Man. Prælat, tom. 2. q. 3. art. 1. concluſ. 2.* & Azor. *inſtit. moral. p. 2. lib. 6. cap. 5. quæſt. 1.* dicitur Prælatos Regulares jurisdictionem quaſi Epiſcopalem habentes trigeſimum annum exegiſſe debere: ſicut de aſſumendis ad Epiſcoparum decernitur, *in d. cap. cum in cunctis* & in Concilio Trid. *d. ſeſſ. 24. de reform. cap. 12.* Verùm de rigore juris videtur dicendum, quòd non; lex enim neceſſariam formam tradens odioſa eſt, & ideò ad verborum proprietatem reſtringenda. Tamen quod de epiſcopis ibi dicitur, debere ſaltem intelligi de Prælato Generali, dicam ſuadente ratione quadam, nempe quòd in Generali Prælato univerſæ Religionis curam habente requiritur major judicii maturitas, & perfecti viri ætas, quam ob cauſam trigeſimus annus in Epiſcopo eſt ne-
4 ceſſarius *d. cap. cum in cunctis,* ætas enim multum facit ad eruditionem *can. hoc ſit poſitum 26. q. 7.* & perfecti hominis ætas dicitur trigeſima *can. Epiſcopos diſt. 77.* & quamvis in rigore, & propriè loquendo Prælatus Generalis non ſit Epiſcopus, ſed propter dignitatem Epiſcopo inferior; tamen propter graviſſima negotia, ejus jurisdictio Epiſcoporum jurisdictioni eſt quàm maximè ſimilis; & ſic opinio Mirand. & Azor. procedere poſſet de honeſtate, non autem de neceſſitate. Hanc noſtram aſſertionem tenent Suar. *de relig. tom. 4. tract. 8. lib. 2. cap. 3. num. 7.* & Sigismund. à Bonon. *in tract. de election. & poteſt præl. Regul. dub. 2. num. 1. verſ. & hanc aſſertionem.* Præterea indecorum videtur, Abbatem præcipuè Generalem qui ſuorum ſubditorum Pater appellatur, tot ſeniores ſub ſe habere, ipſumque juvenem eſſe, arg. §. *minorem, Inſtit.*
5 *de adopt.* ubi præcipitur quòd adoptans quem in filium, ipſum præcedat ætate annorum 18. aliàs adoptio irrita habeatur. Inſuper Abbates, & cæteros Regulares Prælatos ſenes eſſe, quàm maximè expedit, quia (ut dicitur Job. *c. 12.*) *In antiquis eſt ſapientia, & in multo tempore prudentia:* & Eccleſiaſt. 25. *quàm ſpecioſum canitiei judicium, quàm ſpecioſa veterani ſapientia & intellectus*
6 *glorioſus.* At in Eccleſiaſticis Prælatis, utraque, ſapientia ſcilicet, & prudentia eſt valdè neceſſaria, 36. *diſt.* §. 1. Unde tam in divinis, quàm in humanis ad Reipublicæ adminiſtrationem ſenes aſſumptos eſſe videmus juxta illud Exod. 3. *Vade, & congrega ſeniores Iſraël,* & Num. 11. cùm Moyſes non poſſet ſolus ſuſtinere laborem ad populum gubernandum, ex præcepto Domini elegit ſeptuaginta presbyteros, id eſt, ſeniores
Iſrael, qui ſimul cum eo populum gubernarent. Et 7
Eſai 3. dicitur. *Dominus ad judicandum venit cum ſenioribus populi ſui.* Plutarchus etiam *in lib. Quod adminiſtrat. Republica pertineat ad ſenes,* animadvertit, Senatum à ſenio appellari, dicens, *Romanorum Senatus uſque in hunc diem à ſenio nomen gerit.* Quod idipſum confirmatur ex ſententia Platon. *lib. 3. de Rep.* ubi dicit: *Judicem non juvenem, ſed ſenem eſſe oportere, qui ſerò quale quid ſit juſtitia, didicerit, tanquam qui non propriam in animo ſuo eam ſenſerit, ſed alienam in aliis animis longo tempore noverit: atque idcirco, cujusmodi ſit malum, diſcernat, ſcientia potiùs, quàm propria experientia judicans.* In quorum verborum expoſitione Averroes *tract. 1. ſuper dictis Platonis libris de Rep.* ait: *Reipublicæ gubernacula ſenioribus deberi, qui præter ſpeculativas ſcientias, quas adepti ſunt, experimentum præterea obtineant longo tempore acquiſitum.* Ex quibus habemus, quod ad prælaturas, & officia quibus animarum cura commiſſa eſt, non juvenes, ſed ſenes eligi, & aſſumi expediat. Non eſt autem intelligendum de illis ſenibus, qui ob continuas infirmitates ac eorum maximam ſenectutem ita ſunt corpore debiles, ut ad officia prorſus impotentes reddantur; tales enim jure inhabiles ſunt ad adminiſtrandum. *cap.*
niſi cum pridem §. alia cauſa, de renunciat. ſed his, qui 8
morum gravitate, ac prudentia, quæ in ſenibus maximè reperiri ſolet, Prælationis munus rectè per ſe ipſos exercere valeant. Unde (ut notant Origen. *homil. 16. ſuper Joſua* D. Baſil. *ſuper Eſai. c. 30.* & D. Hier. *ſuper Pſalm. 19.*) in ſacra Scriptura non illi dicuntur Senio-
res, qui longævam duxerunt vitam; ut Adam, qui 9
vixit annos 930. Mathuſalem, qui vixit 969. Noë, & quamplures alii, qui, etſi per multa ſæcula vixiſſent, non tamen Seniores appellati ſunt; ſed illi, qui vitæ claritate, ac ſenſuum maturitate claruerunt: velut Abraham, qui ſuperiorum generationum primus Senioris nomen obtinuit; Nam, (ut ait D. Baſil. planè Senior erat, quòd ejus anima incanuiſſet virtute. Horum ratio eſſe poteſt, quia (ut habetur Sap. *cap. 4. Senectus venerabilis eſt, non diuturna, neque annorum numero computata: Cani autem ſunt ſenſus hominis, &*
ætas ſenectutis vita immaculata; & ut inquit D. Chry- 10
ſoſt. *ſuper Pſal. 50. Senectus non in crinium candore, ſed in animi virtute poſita, & conſtituta eſt.* Ex quadam igitur congruentia, & honeſtate, non autem de neceſſitate Abbas, & Prælatus localis, & multò fortius Generalis eligi non debet, antè trigeſimum annum expletum, ob prædictas rationes; quamvis de rigore juris ſufficiat, 25. ætatis annum attigiſſe. In noſtra Congregatione, vigore Conſtitutionum, nemo Abbas localis, ſeu Collegiatus eſſe poteſt, qui trigeſimum quartum, nec Præſidens Generalis, qui quadrageſimum tertium ætatis ſuæ annum, ſaltem non attigit, ut cautum eſt *cap. 16. dictarum Conſtitutionum.*

QUÆSITUM X.

Utrum eligendus in Abbatem, & Prælatum Regularem debeat eſſe expreſsè profeſſus.

SUMMARIUM.

1 *Eligendus in Abbatem, & Prælatum Regularem debet eſſe profeſſus expreſsè,* num. 6.

2 *Præeſſe non debet, qui nondum ſubeſſe novit.*

3 *Miſerum eſt, eum fieri magiſtrum, qui formam diſcipuli non aſſumpſit.*

4 *Monachus per profeſſionem efficitur, non per habitus aſſumptionem.*

5 *Non profeſſi an poſſint per viam proviſionis ad Abbatias aſſumi.*

7 Pro-

7 *Professio facta ante annum probationis nulla est ad omne effectus.*
8 *Provisus per viam collationis, vel postulationis, satis est, si sit tacitè professus.*

1 AD canonicam regularium Abbatum electionem
necessarium est, ut eligendus sit professus: a-
liàs electio irrita esset; non obstante qualibet con-
traria consuetudine, *c. cùm causam, c. cùm ad nostram,
cap. officii, & c. cùm in magistrum: extr. de elect.* ex
quibus habetur, quòd non debet in magistrum assumi,
2 qui nondum fuit discipulus; nec præesse debet, qui
nondum subesse novit; Idem colligitur *ex cap. mise-
rum 61. dist.* ubi dicitur, quòd miserum est, eum fieri
3 magistrum, qui formam discipuli non assumpsit; Imò
gloss. *in d. cap. cum causam, verb. irruetis*, probat, ideo
Summum Pontificem mandasse, ut electio non ob-
stante, quia consuetudo illa erat contra jus commune,
nempè contra *can. Abbatem, & can. quàm sit, 18. quæst.
2.* in quibus disponitur, Abbatem à Monachis de ea-
dem Congregatione eligendum esse, Monachorum
autem Congregatio professos tantùm comprehendit;
præsertim in ordine ad electionem, non autem Noviti-
4 os, qui nondum dicuntur Monachi; nam Monachus
per professionem efficitur, *cap. porrectum de regular.*

Est etiam notandum: quòd non professi non solùm
per viam electionis, sed nec etiam per viam provisio-
nis possunt in Abbates Regulares assumi, ut docet Pa-
normit. *in d. cap. cùm in magistrum, num. 1. notab. 2.*
argumento illorum verborum d. text. *nec sit præficien-
dus.* In eligendo autem non sufficit tacita, sed requi-
5 ritur expressa professio: alias electio irrita esset; ita
enim, post prædicta jura allegata, expressè statutum
fuit à Bonifacio VIII. *in cap. nullus de elect. lib. 6.* ubi
decernitur, quòd *nullus Religiosus ad Abbatiam, sive
Prælaturam, sua vel alterius Religionis de cætero eliga-
tur, nisi antea fuerit Ordinem Regularem expressè pro-
fessus*, addendo, *quod si secus actum fuerit, eo ipso irri-
tum habeatur*; per quæ verba clarè patet, expressam
professionem esse de substantia electionis. Idem ha-
betur *in clem. 1. §. cæterum Prioratus, vers. sanè de stat.
Monach.* & firmavit Rot. *decis. 647. num. 1. coram
Card. Seraphino*, & sic non potest quis habitum suscipe-
re, professionem emittere, & in Abbatem eligi eodem
tempore, *cap. officii, in fine de elect.* Put. *decis. 261.*
Unde ad hoc, ut quis possit in Abbatem eligi, debet
in probatione saltem per annum stetisse; cùm profes-
sio ante facta nulla sit ad omnes effectus ex concil.
7 Trident. *sess. 25. de regular. cap. 15.* & tenuit Rota *in
cit. decis. 647. coram Seraphino.* In provisione autem,
quæ fit per viam collationis, vel postulationis, suffi-
8 cit professio tacita, nec requiritur expressa; unde col-
latio Abbatiæ facta non expressè professo valeret, ut post
Joannem Andr. notat Panorm. *in cap. quis ingredien-
tibus, num. 4. de testam.* Ratio autem est, quia *d. cap.
nullus*, loquens de electione, cùm sit jus pœnale, non
debet extendi ad provisionem, vel postulationem.

QUÆSITUM XI.

Utrùm Religiosus in eadem Religione, in qua Abbas erigitur, vel præficitur, professus esse debeat.

SUMMARIUM.

1 *Assumendus in Abbatem debet esse expressè professus in eadem Religione, in qua ad Abbatiam assumitur.*
2 *Homines disparis professionis, vel habitus simul in iisdem Monasteriis sociari non debent.*
3 *Arandum non est in bove & asino; nec debet quis vestem lana linoque contextam induere.*
4 *Cohærere, & conjungi non possunt, quibus vota, & studia sunt diversa.*

AD hoc, ut quis in Regularem Abbatem assumi 1
possit, non solùm oportet, quòd absolutè tria
Religionis vota expressè professus sit: verùm etiam,
quòd in eadem Religione, in qua assumitur professio-
nem emiserit; ut expressè cautum est *in clem. 1. de
elect.* ubi prohibetur, *ne Religiosus aliquis in Abba-
tem, vel Prælatum alterius Religionis, vel habitus de cæ-
tero eligatur; quòd si secus actum extiterit, sit eo ipso ir-
ritum, & inane.* Et ratio est; quia (ut ait Summus 2
Pontifex ibi) rationi non congruit, ut homines disparis
professionis, vel habitus simul in eisdem Monasteriis
socientur. Id ipsum habetur *ex cap. cùm causam extr.
de elect.* ubi Innocentius III. irritans electionem fa-
ctam de seculari in Regularem Priorem, ait, *secun-
dùm legem divinam non esse in bove arandum, & asino,* 3
*neque debere quemquam vestem de lana linoque con-
textam induere*, scilicet (ut exponit ibi gloss.) non esse 4
homines disparis professionis, & habitus in uno, eo-
demque officio sociandos; cohærere enim, & conjungi
non possunt, quibus vota, & studia sunt diversa, *can. no-
va 16. quæst. 7.* Ita Panormit. *in cap. cum in magistrum,
in fine, de elect.* & sacra Congregatio teste Gonzales *ad
regul. 8. Cancellar. gloss. 8. num. 78.* die 12 Decembris
1585. censuit, *à nemine, præter summum Pontificem, pos-
se conferri Abbatias, & beneficia administrationem
habentia, nisi professis juxta Canones*; ita etiam Rode-
ric. *quæst. regul. tom. 2. q. 52. art 8.* & Suar. *de relig. tom.
4. tract. 8. lib. 2. cap. 3. n. 11.* Sigismund. à Bononia *in
tract. de elect. & potest. Prælat. Regul. dub. 60. n. 4.*

QVÆSITUM XII.

Utrùm eligendus in Abbatem debeat esse Sacerdos.

SUMMARIUM.

1 *Abbas eligendus debet esse Sacerdos.*
2 *Abbates primam tonsuram, & minores ordines conferre possunt.*
3 *Ordines minores non conferunt, qui non sunt Sacerdotes.*
4 *Abbas debet Fratribus egredientibus, & regredientibus, ac lectiones in Choro recitaturis benedictionem impendere.*
5 *Benedictionem dare, non nisi Sacerdotum est.*
6 *Statutum, quod in Abbates assumi possint, qui 25. ætatis annum non habent, vel Sacerdotes non sunt, non valet.*
7 *Abbas Collegiatus in nostra Congregatione creari non potest, qui antea per novennium in Sacerdotio non fuerit.*
8 *Abbates apud Casinenses qui esse possint.*
9 *Abbas, qui intra annum ad sacros ordines non promovetur, an amittat Abbatiam ipso jure, vel præcedente monitione.*

INter cæteras conditiones necessariò in Abbate Re- 1
gulari eligendo requisitas, principaliter necessarium
est, ut sit Sacerdos. Probatur; Nam *in cap. tuam
de ætate, & qualit.* dicitur, quòd, instante necessitatis
articulo, possit in Abbatem assumi etiam in minori-
bus ordinibus constitutus; unde per argumentum à
contrario sensu colligitur, quod si instante necessita-
te, potest in Abbatem non Sacerdos assumi; ergo
extra necessitatem eligendus, sive præficiendus, ne-
cessariò debet esse saltem ordinibus sacris initiatus;
quod per text. *in d. cap. tuam* expressè defendunt An-
ton. de Burr. *ibi, num. 4.* & Panormit, *in 5. not.* Biax. *in
direct. elect. par. 2. cap. 9. num. 2.* & Rota *decis. 647.
num. 3. coram Cardinali Seraphino.* At *in cap. 1. eodem
tit.* statuitur, *ut Abbates, Decan. & Præpositi, qui
presbyteri non sunt, presbyteri fiant*: ergo, cessante ne-
cessitate, non sufficit, quòd sint in quolibet sacro or-
dine constituti, sed necessarium erit, quod sint presby-
teri; & hoc asserunt communiter Doctores, Panor-

mit.

mit. *super d. cap. 1. num. 2. & dicto cap. tuam, num. 3.* Angel. *in summ. verbo Abbas, num. 1.* Sylvest. *eod. verb. num. etiam* 1. Azor. *instit. moral. part. 1. lib. 12. cap. 20. quæst. 1.* Læl. Zech. *de rep. Eccl. cap. 25. num. 3.* Roder. *quæst. reg. tom. 1. quæst. 15. art. 2.* Probatur insuper ex Concil. Trident. *sess. 22. cap. 8.* ubi supponitur, quod animarum curam habentes sint presbyteri; & *sess. 23. de reformat. cap. 1.* habetur, *Cùm præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre*, ubi notanda sunt illa verba, *pro his sacrificium offerre*: ex quibus manifestè colligitur, Abbates, ac reliquos Præla-
2 tos animarum curam habentes de jure divino Sacerdotes eligi, & assumi debere. Præterea Abbates tonsuram, & minores ordines conferre possunt, *can. quoniam, dist. 69.* Synod. Trid. *sess. 23. de reformat. cap. 10.*
3 Minores autem ordines non conferunt, nisi Sacerdotes, *cap. cùm contingat, de ætate, & qualitate.* Panormit. *in d. cap. tuam, num. 3. vers. quæro, An hic Abbas, &c.* ergo Abbates necessariò debent esse Sacerdotes. Insuper (ut doctè Gratianus noster Monachus observavit *in can. hinc est, §. superiori auctoritate, 16. q. 1*)
4 Abbas, juxta præscriptum Regulæ, debet Fratribus egredientibus, & regredientibus, ac lectiones in Choro recitaturis benedictionem impendere, ut habetur in
5 Regula *cap. 11.* dare autem benedictionem, non nisi Sacerdotum est, *can. perlectis, §. ad presbyterum 26. distinct.* tum etiam, quia Evangelii lectionem legere debet, *d. cap. 11.* Reg. quod similiter Sacerdotis officium est, secundùm Gratianum *ubi suprà*, ergo Abbas presbyter esse debet. Præterea Abbates habent potestatem jurisdictionis spiritualis (ut inferiùs probabimus) quæ etsi immediatè non sit potestas clavium, id est potestas peccata remittendi: tamen ad illam ordinatur, imò ex ea ortum habet; potestas autem peccata remittendi Sacerdotibus tantum tradita est; ergo, &c. qua ratione permotus Roder. *loc. cit.* infert, non posse in
6 Religionibus sine Apostolica auctoritate statutum fieri, ut qui 25. ætatis annum non attigerunt, vel Sacerdotes non sunt, ad Abbatias, & Prælaturas Regulares assumi possint; cùm sit contra jus commune, contra quod in Religionibus statutum fieri nequit.

7 Apud nostram Vallumbrosanam Congregationem nemo in Abbatem localem, seu Collegiatum assumi potest, nisi novennio postquam ad Sacerdotium ascenderit, quia ad hoc, ut possit Abbatiam Collegiatam obtinere, debet priùs per tres annos continuos, vel interruptos fuisse Abbas titularis, Prior Abbatialis, Prior titularis, Decanus Vallis Umbrosæ, Procurator in Curia Romana, vel Lector in studio formato; ad quæ officia nemo ascendere poterit, qui priùs per alios tres annos similiter continuos, vel interruptos Prior Claustralis Monachorum nondum Sacerdotum, vel Novitiorum Magister, Cellarius, sive Camerarius, vel Scribanon fuerit. Ad hæc autem officia assumi nequit, qui ante per tres annos expletos in Sacerdotio non fuerit.

8 Apud Casinienses etiam *in 1. parte Constitutionum, cap. 24. de Conventu reformat. num. 4. prohibitum est, ne quis ad aliquem gradum superioritatis assumi possit, nisi completo septennio post Sacerdotium in Congregatione susceptum, aut ad curam Novitiorum, nisi completo novennio à prædicto Sacerdotio*: & *num. sequent.* pro his, qui Religionem ipsam Sacerdotes ingressi sunt, statuitur, *illi quoque, qui Sacerdotes ad Congregationem venerint, nisi decimosexto, & decimooctavo anno respectivè in Congregatione completo*, scilicet, in Superiores assumantur; postea verò *num. 6.* subditur, *& nemo in Priorem, aut Abbatem promoveri possit nisi quinquennio saltem in Decanatu, aut Prioratu respectivè vixerit: prout in declaratorio Regulæ cap. 21.*

9 An autem Abbas qui intra annum ad sacros Ordines non promovetur, amittat Abbatiam, & ea privetur ipso jure, vel præcedente monitione, & præsertim Abbas Commendatarius, latè Rota *in Tullien. Monasterii 11. Maji 1597. coram Penia, quæ est decisio 112. post primum Volumen cons. Farin, & in fine operis est 35.* in qua egregiè hæc materia explicatur.

QUÆSITUM XIII.

Utrum dignior in Congregatione sit semper in Abbatem eligendus, vel sufficiat, eligere dignum, omisso digniori.

SUMMARIUM.

1 *Electio de digno omisso digniori sustineri potest. Vide, ut* num. 6.

2 *Vilissimus reputandus est, qui cæteris dignitate præstat, nisi præcellat etiam scientia, & sanctitate.*

3 *Eligendus ad Ecclesiasticam dignitatem talis esse debet, ut illius comparatione cæteri grex dicantur.*

4 *Peccant mortaliter eligentes dignum, omisso digniori.*

5 *Utrùm semper sit peccatum mortale eligere dignum, omisso digniori.*

6 *In foro externo electio de digno, omisso digniori, sustinetur, etiam quòd electores jurassent de digniore eligendo.*

7 *Suffragandum est digno, omisso digniori, ad hoc ne indignus eligatur.*

8 *Dignior quis dicatur.*

9 *Qui alias munus, de quo agitur, rexit, an dicatur simpliciter dignior.*

10 *Antiquior habitu, sacerdotio, vel ætate non censetur simpliciter dignior.*

11 *Nobilitatis qualitas nihil confert ad dignioritatem.* Limita, ut ibid.

Videtur, satis esse, si dignus eligatur, & quòd ele- 1
ctio de digno, omisso digniori, sustineri possit. Nam *in cap. cùm nobis olim, & cap. cùm inter Canonicos extr. de elect.* probata fuit per Papam electio, quamvis electus non fuisset eminentis literaturæ; & *in cap. cùm dilectus eod. tit.* confirmata pariter fuit electio digni, licèt in eadem Ecclesia digniores extitissent; Idem colligitur *ex cap. Monasterium 16. quæst. 7.* ubi in Synodo Romana concessum fuit patrono, ut Monasterium, & Oratorium, quod ipse ædificaverat, commendare possit, cum consensu Episcopi, cui maluerit Presbytero, qui malus non sit. Idem affirmat gloss. *in cap. constitutis, il. 2. verb. magis utilem, de appellat. & in cap. quoniam, verbo, qui majoribus, de jure patr. in cap. 2. verbo, sanctior, de off. pastor. in can. licèt, verbo, qui præstantior, 8. quæst. 1.* omnes glossæ docent, sufficere in electionibus, si bonus, & idoneus eligatur; Idem tenet Bart. *in l. cum quidam, ff. de leg. 1.* ubi concludit, quòd habens electionem, tanquam bonus vir, satis est, ut eligat idoneum, licet possit eligere magis idoneum.

In contrarium autem facit text. *in cap. vilissimus, 1. quæst. 1.* ubi ex Symmacho Papa habetur, quod qui cæteris dignitate est præstantior vilissimus reputandus est,
nisi præcellat scientia, & sanctitate. Et *in can. licet ergo 8. quæst. 1. ex D. Hieronymo.* Quòd in ordinando 2
sacerdote requiratur, ut qui præstantior est ex omni populo, qui doctior, qui sanctior, qui omni virtute eminentior, eligatur. Et *in can. Metropolitano. 63. dist. ex Leone Papa*; quòd Metropolitano defuncto, in ejus locum ex presbyteris ejusdem Ecclesiæ, vel Diaconis optimus ordinetur. Et *in Auth. de Monach. §. ordinationem, collat. 1.* præcipit Imperator, ut qui priùs optimus inter Monachos apparuerit, in pastorem præficiatur. Et *in can. unum, §. nomine verò, 25. distinct.* Gratianus ex Divo Hieronym. refert, eligendum
ad Ecclesiasticam dignitatem talem esse debere, ut il- 3

lius comparatione cæteri grex dicantur. Et Innocen-
tius III. in cap. unico, §. omnibus ergo, ut Ecclesiast. be-
nefic. sine diminut. confer. reprehendens quendam Me-
diolanen. Archiepiscopum, ait, in tribus illum culpa-
bilem reperisse, quorum unum est, nempè, Circa car-
nalitatem animi, quia non ex affectu carnali, sed ex di-
screto judicio in persona magis idonea debuisset Ecclesi-
asticum officium, & beneficium dispensare. Idem Trid.
Synod. sess. 24. de reform. cap. 1. monet, & hortatur o-
mnes, quibus eligendi jus quocunque modo competit, ut
in primis meminerint, nihil se ad gloriam, & populo-
rum salutem utilius posse facere, quàm si bonos Pasto-
res, & Ecclesiæ gubernandæ idoneos promoveri stude-
ant; eosque alienis peccatis communicantes, mortaliter
peccare, nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles ipsi
judicaverint, non quidem precibus, vel humano affectu,
aut ambientium suggestionibus, sed eorum exigentibus
meritis præfici diligenter curaverint. Atque in decre-
tis generalibus Clementis VIII. de reformat. Regul.
num. 36. præcipitur, ut in Superiorum, & Officialium o-
mnium electionibus jurent electores, secundum verita-
tem cujusque conscientia, probiores, ac magis idoneos se
electuros, quod idipsum multò anteà decretum fuerat
in Concil. Basileensi sess. 20. de elect.

4 Pro clariori hujus quæsiti explicatione distingven-
dum erit. Aut enim loquitur in foro interiori, aut in
foro exteriori. Primo modo certum est, quòd assume-
re dignum ad Prælaturas, & Ecclesiasticas dignitates,
omisso digniori, est omnino peccatum mortale. Hu-
jus sententiæ præcipuus defensor est Angelicus Do-
ctor D. Thom. 2. 2. quæst 63. art. 2. ad 3. & quodlibet.
8. art. 6. ac post eum omnes Thomistæ, & præsertim
Soto de instit. & jure lib. 3 q. 9. art. 2. concl. 9. ubi cu-
mulat plures auctoritates & rationes, ac Doctores id-
ipsum asserentes, ac post eum Aragon. 2. 2. q. 63. art. 2.
concl. 6. vers his constitutis. Bannes 2. 2. q. 63. art. 2.
dub. 3. Valent. tom. 3. disp. 5. quæst. 7. p. 2. § secundo qu-
ritur, vers. 2. assertio. Covar. in regula peccatum p.
2. de rest. §. 7. num. 4. Vasq. opusc. de benef. cap. 2. §. 3.
dub 1. Paris. de resign. benef. lib. 4. q. 41. n. 35. Navar.
miscell. 38. de orat. Azor. instit. moral. p. 2. lib. 6. cap. 15.
quæst. 1. Roder. in summ. tom. 1. cap. 106 concl. 3. num.
5. Reginald. in prax. lib. 30. tract. 3. n. 195. Mirand. in
Man. Prælat. tom. 2. q. 23. art. 13. concl. 1. Gonzal. su-
per reg. 8. Cancell gloss 4. n. 128 Garc. de benef. part.
7. cap. 16. n 2. ubi innumeros ferè Doctores cumulat, &
denique Rota decis. 942. num. 4. coram Card. Sera-
phino, eadem Rota in una Toletana Canonicatus 18.
Maji 1584. coram Clemente VIII. & in una Vallisoleta-
na præeminentiarum 24. Novembris 1603. coram Pam-
philio. Et ad hoc faciunt jura, & auctoritates secun-
do loco à nobis suprà adductæ. Non est autem sem-
5 per peccatum mortale, eligere dignum omisso digni-
ori. Nam quando electio non est ad munus magni
momenti, regulariter non eligere digniorem, non est
peccatum lethale. Ita Soto ubi suprà. Item etsi mu-
nus magni momenti esset, excessus tamen dignitatis
foret exiguus: eligere dignum, omisso digniori, ve-
niale tantùm esset, propter parvitatem materiæ; ita
Soto loco cit. Valent. loco etiam cit. in fine d. vers. Sa-
lon. 2. 2. q. 3. art. 2. controv. 3. concl. 2. vers. his positis,
6 plures alios citat Garc. d. c. 16. num. 8. Et hoc quoad
forum interius. In foro autem exteriori satis erit,
quòd dignus eligatur, ac quòd electus sit bonus; su-
stinetur enim digni electio, etiam omisso digniori;
quoniam aliàs quamplribus litibus & controversiis
aditus pateret, ac omnibus electionibus calumniæ de
facili inferri possent; cùm perdifficile sit, constare in
foro exteriori, quis bonus, quisve melior, aut optimus
sit; & ita sentit D. Thom. loco cit. quem sequuntur
communiter omnes Theologi, & ex Canonistis Panor-
mit. in cap. constitutus n. 7. ubi etiam Franch. num. 4.
Imol. & Præpolit. n. 16. de appell. Philip. Dec. in cap. in
præsentia n. 133. de probat. Navarr. lib. 5. tit. de simon.
cons. 21. n. 1. in 1. edit. Gonzal. d. gloss. 4. num. 129. com-
munem dixit Garc. loco cit. & cap. 16. n. 2. Rota in ter-
minis de elect. Prælat. Regular. decis. 65. num. 8. part. 1.
in Recent. & in una Engubina Parochialis S. Venantii 13.
Januarii 1623 coram Remboldo; etiam quòd ab ele-
ctoribus præstitum esset juramentum de digniori eli-
gendo; Rota in Toletana Canonicatus superiùs citata.
Sigismund à Bononia de elect. Prælat. Regul. dub. 34.
à num. 2. usque ad 5 exclusivè.

Verùm, quando plures electores in uno Capitulo 7
extant, ac nonnulli etiam, qui eligi prætendunt, quo-
rum unus dignissimus est, alius dignior, alius autem di-
gnus; Si ego suffragium meum dignissimo (ut tene-
or) præstando, cognosco nihil proficere; nempe quia
ceteri digno tantùm suffragabantur: me autem di-
gniori suffragante, ipse electus evadat, tunc possum,
imò debeo, dignissimo prætermisso, digniori votum
præstare: ne minus dignus eligatur; & hoc, etiamsi
juramento de digniori eligendo me obligassem; nam
jusjurandum intelligitur inter possibiles haberi. Ita
Soto loc. cit. Valent. d. q. 7. §. tertio quæritur. vers.
quartò sequitur, Salon. d. art. 2. controver. 4. Aragon.
d. art. 2. concl. 3. Roderic. d. cap. 196. concl. 5. num. 7. 8
& communiter omnes. Dignior autem ille judicatur,
qui habita ratione ad regimen, & Prælaturam, ad quam
assumitur, utilior & magis idoneus erit: etsi compa-
ratione alterius, non ita idonei, sit minus sanctus, &
minus doctus. Ita S. Tom. loco cit. Felin. in cap. cum
adeo, n. 6. de rescript. Covar. d. §. 7. num. 4. vers. di-
gnior. Aragon. d. art. 2. ad 4. conclus. 1. Lessius de just.
& jure lib. 2. c. 14. dub. 14. n. 64. Reginald. d. tract. 3 n.
199. Azor. d. q. 1. vers. verùm quis dignior, Mirand.
d. art. 13. conclus. 3. Soto d. concl. 9. lim. 2. ubi dixit,
quòd licèt occurrat vir literis clarissimus, & prudentia
conspicuus, vecors tamen, vel aliis implicitus negotiis,
de quo non est tanta spes, quòd prædicabit, aut guber-
nabit secundùm suas dotes: vel fortè non est publicis
negotiis aptus: huic erit ille præferendus, qui licèt hu-
jusmodi dotibus non sit potens, speratur tamen, curam
sollicitius habiturum, diligentiamque adhibiturum
ad suum exequendum munus; idipsum affirmant
Commentatores Divi Thomæ ibidem, ac Summistæ
communiter in verbo electio canonica, & tandem Ro-
ta decis. 65. num. 8. & decis. 537. num. 14. part. 1. Re-
cent. ubi refertur, idem resolutum fuisse in una Be-
neventana Parochialis 13. Junii 1590. coram Orano,
& in Ravennaten. Parochialis 2. Decembris, coram Car-
dinali Arragonio.

Hinc deducitur, quod dignior simpliciter non est 9
censendus, qui Ecclesiam, vel Prælaturam, aut munus,
de quo agitur, aliàs rexit, & sustinuit; nam inde con-
cluditur illum esse sufficientem, non autem digniorem
adeò ut in concursu, seu electione præferendus sit. Ita
Rota decis. 11. n. 7. coram Gregor. XV. & in d. Beneven-
tana Parochialis coram Orano, & in Engubina Paro-
chialis S. Venantii, 13. Januarii 1623. coram Remboldo.
Secundò deducitur, non esse quem digniorem censen- 10
dum, eò quia antiquior est in habitu, vel sacerdotio, vel
ætate; Rota decis. 28 lib. 2. part. 3. Divers. ead. Ro-
ta decis. 481. n. 1. p. 2. in Recent. in d. Engubina coram
Remboldo. Tertio deducitur, nobilitatis qualitatem ni-
hil conferre ad idoneitatem, & consequenter non esse 11
attendendam, cap. venerabilis, de præbend. gloss. ult. in
cap. quoniam vetus, 24. q. 1. Felin. in c. cum adeo, num.
6. de rescript. limita, ut hoc habeat locum, considerata
nobilitatis qualitate in se; sed quando in aliquo casu e-
lectio alicujus nobilis profutura esset Religioni, seu
Ecclesiæ, posset tunc nobilis præferri absque acceptio-
ne personarum. Latè Franc. Marc. quæst. 1210. num. 2.
part. 1. Sigismund. à Bonon. dub. 31. in fine.

QUÆSITUM XIV.

Utrum illegitimus possit ad Abbatialem dignitatem vel alias Prælaturas eligi vel assumi.

SUMMARIUM.

1 *Illegitimè nati, absque dispensatione, inhabiles sunt ad Abbatialem dignitatem, etiam si defectus esset occultus.* n. 3. limita, ut n. 4.

2 *Illegitimi per professionem legitimantur ad ordines, non autem ad Prælaturas.*

5 *Illegitimi, ante dispensationem, in Religione capaces sunt illorum officiorum quæ Prælaturæ non sunt, sed ad Superioris nutum revocari possunt.*

6 *Quænam intelligantur officia manualia ad effectum, de quo agitur.*

7 *Dispensare cum illegitimis ad Prælaturas, de jure, ad solum Summum Pontificem spectat.*

8 *Bulla Sixti V. de illegitimis, & malè promotis moderata, ac ad terminos juris communis reducta fuerunt à Gregorio XIV.*

9 *Generales, vel Provinciales Prælati, simul cum Generali, Provinciali, vel Intermedio Capitulo dispensare possunt cum illegitimis ad Prælaturas Regulares ex Bulla prædicti Gregorii XIV.*

10 *Virtute alterius privilegii, hujusmodi facultas competit etiam Prælatis localibus, ac eorum Vicariis, absque Capitulo.*

1 SEcundùm juris communis dispositionem, illegitimè nati, quocunque nomine censeantur, absque dispensatione, ad dignitates, & Prælaturas eligi nequeunt, etiamsi Religionem ingrediantur, quamvis enim per Religionis ingressum, absque alia dispensatione, ad or-
2 dines habilitentur: non tamen redduntur habiles quoad dignitates, & officia obtinenda, per text. *in cap. 1. de fil. presbyt.* ubi postquam conceditur illegitimis, ut si Religionem ingrediantur, possint ad sacros ordines promoveri, subditur: *Prælationem verò nullatenus obtineant.* Idem firmant gloss. & Panormit. *ibi*, & alia gloss. *in cap. fin. eodem tit.* dicens, quòd nullo modo, absque Papæ dispensatione, Prælationes obtinere possunt, idem Panormit. *in cap. 2. de Apostat.* Joan. Andr. *in cap. 1. n. 5. de fil. presb. in 6.* Rebuff. *in prax. tit. dispensat. super defect. natal. n. 66* Covar. *in Clem. si furiosus p. 1. §. 2. num. 6 & de sponsal. 2. p. cap. 8. num. 41.* Sot. *in 4. distinct. 25. quæst. 1. art. 3.* Navar. *in com. 2. de reg. num. 60. & consil. 3. incip. an illegitimus, num 2. tit. de fil. presb. in antiq. & 6. in novis, necnon in Manual. cap. 27. sub. n. 302. vers. decimò dico.* Graff. *decis. aur. part. 1. lib. 4. cap. 27. num. 54. & lib. 3. cap 5. num. 8.* Azor. *instit. moral. part. 2. lib. 6. cap. 1. q. 2.* Roder. *quæst. reg. tom. 1. q. 13. art. 5.* Mirand. *in Manual. tom. 2. q. 2. art. 1.* Sayr. *de censur. lib. 6. c. 11.* Suar. *tom. 5. disp. 50. sect. 5. num. 16.* Molina *de just. & jure tract. 2. disp. 173. vers. illegitimi etiam si spurii.* Fusc. *in tract. de visit. Episcop. lib. 2. cap. 15. num. 36.* Campanil. *in Diversor. jur. canonic. rub. 11. cap. 13. num. 117.* Bonacin. *de censur.*
3 *disp. 7. quæst. 2. punct. 3. num. 13. vers. 2. per professionem, & quæst. 5. punct. 2. num. 3.* Sanchez *in Decalog. lib. 5. num. 16.* Qui omnes Doctores hoc extendunt, non solùm ad Prælationem in Religione, sed etiam extra illam, ad omnes dignitates, & beneficia præcipuè curam animarum habentia. Ratio est, quia si illegitimi ad ordines, & dignitates Ecclesiasticas, sicuti, & legitimi promoveri possent: nullo discrimine matrimonium à fornicatione separaretur, ob depravatos, & corruptos hominum mores; nec filii ab imitatione sceleris parentum revocarentur; ut colligitur ex gloss. *in cap. 2. de fil. presb. in 6.* & Ostiens *in Summ. eodem tit. §. quæ est causa prohibitionis.* Ex his patet, illegitime natos arceri non solùm ab Abbatis Regularibus, verùm etiam à sæcularibus: nec posse illa, absque dispensatione, obtinere. Et hoc procedit etiam si hujusmodi defectus esset occultus, illegitimus autem veritatem novit; quia tunc ipse in conscientia tenetur dispensationem petere. Ita d. Anton. post Panormit. *in d. cap. 1. de fil. presbyt. num. 4.* Sylv. *verb. irregularitas q. 20.* Navar. *d. cap. 27. num. 201.* Roder. *d. art. 5. circa finem.* Sayr. *cap. 10. n. 46.* Azor. *d. c. 3. q 3.* Suar. *d. sect. 5. num. 22.* & alii apud Sigismund. à Bononia *de elect. & potestat. Prælat. Regul. dub. 72. num. 1.* contra Castr. *de lege pen. lib. 2. cap. ult. concl. 3.* Sed si Prælationem acceptare cogeretur, nec absque suæ & suorum infamia dispensationem petere valeret, posset tunc Prælationem, sine dispensatione, acceptare, ut ait Roder. *ubi proximè.*

Hinc deducitur, illegitimos, ante dispensationem, in 5
Religione esse capaces illorum officiorum, quæ Prælaturæ non sunt, & ad superioris nutum auferri possint, ut Sacrista, Cancellarius, sive Oeconomus, Scriba, & similia, quibus dignitas annexa non est, sed sunt manualia officia: quia ex dispositione *d. cap. 1. de fil. Presbyt.* à Prælaturis tantùm arcentur. Ita Navarr. *lib. 1. consil. tit. de fil. presb. cons. 6. n. 3. & n. 6.* Sanch. *in Decalog. lib. 5. c. 5. n. 16.* Idem tenent Anton. *d. c. 1. de fil. presb. n. ult.* Panorm. *ibid. num. etiam ult.* Card. *quæst. penult.* Gomez. & Palæot. quos referunt, & sequuntur Mayol. *de irregular. lib. 1. c. 10. n. 3.* Sayr. *loc. cit.* asserentes, illegitimum professum nulla indigere dispensatione, ut præfici possit simplici administrationi: dummodo curam non habeat; & sit ad Prælati nutum amovibilis; licet contrarium affirmare videatur Suarez *loco cit.*

Quæ autem intelligantur officia manualia, Navar. 6
cit. n. 6. censet, in Religionibus ea omnia officia manualia esse, quæ non sunt Capita Conventuum; At rectiùs sentiendum videtur cum gloss. *in cap. 2. verbo non mutentur, & cap. cùm ad monasterium, verb. perpetuò, de stat. monach.* officia, quæ fiunt in Capitulis per canonicam electionem, & Superioris confirmationem, cùm nequeant ad Superioris nutum amoveri, manualia non esse; reliqua verò, quæ hoc modo, & forma non fiunt, manualia esse. Ita etiam Sanch. *loco cit.* & Laurent. de Peitin. *tom. 2. privil. sui Ord. Minim. in annot. ad §. 29. const. 2. Julii II. n. 91.* Igitur in nostra Congregatione Vallumbrosana illegitimi non poterunt, absque dispensatione, Definitores, Visitatores, sive Procuratores Generales in Curia Romana, vel Florentina eligi; talia enim officia in Capitulo, & à Generali, & Definitoribus canonicè providentur, ut patet ex nostris constitutionibus.

Dispensare cum illegitimis, ut ad Prælaturas assumi 7
possint, de jure communi ad Summum Pontificem spectat, *d. cap. 1. & fin. de fil. presb.* Roder. *quæst. regular. tom. 1. q. 13. art. 6.* Sanch. *d. cap. 5. n. 17* & alii.

Est autem advertendum, quòd olim circa hoc fuerunt à Summis Pontificibus tradita nonnulla privilegia Ordinibus tam Mendicantibus, quàm non Mendicantibus, per quæ eorum Prælati dispensare poterant cum suis subditis natalium defectum patientibus, ut ad dignitates, & Prælaturas promoveri possent: velut ipsi illegitimi, absque dispensatione, per professionem habiles ad eas obtinendas redderentur; sicut Eugenius IV. concessit Congregationi Casinens. aliàs Sanctæ Justinæ de Padua. *Ut Monachi dictæ Congregationis, dummodo professionem emiserint, & honestè vixerint in Religione, defectu natalium non obstante, possint ad sacros ordines promoveri, nec non ad officia, dignitates, & Prælaturas;* ut refertur à Roderic. *in Compend. Bull. Apost. pro Regular. bulla 7. Eugenii IV.* quod privilegium postea extensum fuit ad nostram Congregationem Vallis-Umbrosæ à Julio II. Idem etiam habetur in Compendio privil. Ordinis Cistercien. & in privil. Congregationis Montis Oliveti, *privil. 50. fol. 121. & privil. 52. fol. 201.* Et Sixtus IV. concessit Generali, & Provincialibus Ministris Ordinis Minorum, & eorum Vicariis auctoritatem dispensandi cum fratribus dicti Ordinis patientibus

defectum

defectum natalium, ut ad quascunque adminiſtrationes, & officia dicti Ordinis eligi, recipi, & aſſumi, illáque gerere, & exercere liberè, & licitè valeant; ut habetur in Mon. Ordin. 1. *impreſſ. fol. 61. & 2. fol. 144. conc.* 152. Idipſum etiam conceſſit idem Sixtus IV. Generali Magiſtro, & Provincialibus Prioribus, & Conventualibus Ordinis Prædicatorum, ac illorum Vicariis, ut habetur in Compendio privilegiorum Mendic. *verbo, diſpenſatio.* §. 13. Verùm Sixtus V. in duabus conſtitutionibus, quas edidit contra illegitimos, & malè promotos; revocavit omnia privilegia, & indulta, ſuper hoc Religionibus conceſſa; auferens ab earum Superioribus quamcumque auctoritatem ampliùs diſpenſandi: irritas, & inanes declarando omnes diſpenſationes, factas
8 ab illis, antè dictas ejus conſtitutiones, quæ deinde modificatæ, atque ad terminos juris communis redactæ fuerunt à Gregorio XIV. in alia ſua Bulla incipiente, *Circumſpecta Romani Pontificis providentia*, ſub datum Romæ anno Domini 1590. Idibus Martii, Pontificatus ſui anno primo, in qua conceſſit, ut natalium defectum patientes, ad Prælaturas & officia religionis diſpenſari poſſint à Generalibus, vel Provincialibus in Capitulo Generali, vel Provinciali, aut intermedio, cujus conſtitutionis verba ad propoſitum facientia ſunt hæc: *Volens (eiſdem conſtitutionibus non obſtantibus,) & ſtatuens, licere Generali, aut Provinciali ſingulorum Ordinum, aut Congregationum, aut Hoſpitalium, ad quos dicta diſpenſatio ſpectat, juxta tenorem indultorum, & privilegiorum Apoſtolicorum eis conceſſorum, quæ modo uſu recepta, nec aliàs ſub illis revocationibus comprehenſa ſunt (ut præfatur) in hac parte revalidans, cum illegitimis, quos aliàs dicti Generales, aut Provinciales, cum Generali, Provinciali, ſeu intermedio Capitulo, & non aliàs, ſuffragantibus meritis dignos judicaverint, ad honores, gradus, & dignitates obtinendas diſpenſare, ac diſpenſationes hujuſmodi pro tempore ita factas, & inde ſequuta quæcunque antea valere, & tenere, perinde ac ſi dictæ conſtitutiones non emanaſſent.* Ex qua conſtitutione habetur, quòd patientes defectum natalium per profeſſionem in Religione, non remanent diſpenſati ad Abbatias, & Prælaturas obtinendas; & ita quoad hoc ſunt revocata prædicta privilegia, ab Eugenio IV. Congregationi Caſinenſi & à Julio II. noſtræ Congregationi Vallis-Umbroſæ conceſſa; & ſimiliter revocata ſunt privilegia quibus conceſſa erat Regularibus Prælatis abſolutè facultas diſpenſandi cum illegitimis ad Prælaturas, & dignitates in Religione obtinendas; Nam poſt
9 dictam Conſtitutionem Gregorii XIV. prædictæ diſpenſationes neceſſariò fieri debent à Generalibus, & Provincialibus ſimul cum Generali, vel Provinciali, ſeu
10 intermedio Capitulo. Verùm virtute cujuſdam privilegii Congregationi Clericorum Regularium infirmis miniſtrantium, conceſſi, Generales, ſeu Provinciales, vel locales Abbates, & Prælati eorùmque Vicarii d. Congregationis, necnon cæterarum ejus privilegia participantium, poſſunt cum illegitimis ad dignitates, Prælaturas, & officia Regularia obtinenda diſpenſare, abſque Capitulo Generali, Provinciali, aut intermedio. Nam Gregorius XIV. per Bullam incip. *Illius*, relatam in Bullario nuper edito *tom. 2. conſtit. ejus 17. conceſſit facultatem Præfecto Generali ejuſdem Congregationis pro tempore exiſtenti, ſeu, de illius licentia, Præfectis inferioribus aliorum locorum, ſeu Provincialibus dictæ Congregationis pro tempore exiſtentibus, & illorum Vicariis, ac Loca-tenentibus, ut cum ejuſdem Congregationis perſonis defectum natalium, etiam ex adulterio, ſacrilegio, inceſtu, & quovis alio nefario, & illicito ac prohibito, & damnato coitu provenientem patientibus, poſtquam in d. Congregatione vota emiſerint, ut, defectu hujuſmodi non obſtante, ad quoſcunque ſacros, etiam Presbyteratus ordines promoveri, & in illis etiam in altaris miniſterio miniſtrare, necnon ad quaſcunque adminiſtrationes, perſonatus, præeminentias, & officia dictæ Congregationis eligi, admitti, & aſſumi; illaque gerere, & exercere poſſint, diſpenſare liberè, & licitè poſſint & valeant.*

QUÆSITUM XV.

Utrùm Religioſus illegitimus filius alicujus Religioſi diſpenſari poſſit ad obtinendam Abbatium, vel aliam Prælaturam in Religione, in qua ejus pater eſt, vel fuit Abbas, vel Prælatus.

SUMMARIUM.

1 *Filii illegitimi Religioſorum diſpenſari nequeunt ad Prælaturas, & dignitates in ea Religione obtinendas, in qua eorum patres Prælati ſunt, vel fuerunt; Et non ſolùm in eodem Conventu, ſed neque etiam in tota Religione, contra Roderic.*

SUper hoc duæ ſunt contrariæ opiniones. Prima eſt 1
Roderic. *quæſt. reg. tom. 1. q. 13. art. 7.* ubi partem affirmativam cum quadam limitatione tuetur; nempe quòd filius Religioſi diſpenſari poſſit ad obtinendas Prælaturas in Religione, in qua ejus pater profeſſus eſt, & Prælationem aliquam obtinuit, quamvis non in Monaſteriis, in quibus ejus pater Præfectus fuit.

Contrariam opinionem defendit Mirand. *tom 2. Manual. Prælat. quæſt. 2. art. 10.* dicens: Religioſorum filios illegitimos diſpenſari non poſſe ad Prælaturas, & dignitates in ea Religione obtinendas, in qua eorum patres Prælati ſunt, vel fuerunt; & quòd procedat non ſolùm in eodem Conventu, verùm etiam in tota Religione; quæ opinio mihi magis probabilis; ac ideò amplectenda videtur. Nam Gregorius XIV. in ſua Bulla, qua Sixti V. Conſtitutiones ſuper hoc editas modificavit, & ad terminos juris communis redegit, concedens facultatem Regularibus Prælatis ut ſervatis quibuſdam conditionibus, hujuſmodi natalium defectum patientes ad Religionem recipere poſſent, ſic ait: *Dummodo filius illegitimus in Religione in qua pater, ſive ante, ſive poſt nativitatem dicti filii profeſſus fuerit, ipſo patre vivente non admittatur, quod expreſſè prohibemus*; ex quo licet colligere, quòd ſi prædictus Summus Pontifex ita expreſſè prohibuit, ne illegitimi in Religione, in qua eorum patres ante, vel poſt ipſorum nativitatem profeſſi fuerint, in vita Patrum recipiantur, obſcandalum, ac continuam paternæ incontinentiæ memoriam; multò magis per eandem conſtitutionem prohibitum cenſendum eſt, ut iidem Religioſorum filii ad Prælationes, & dignitates promoveantur in Religionibus, ubi eorum patres Prælati ſunt, ut advertit Miranda. Nec obſtat, quòd in dicta conſtitutione, quando agitur de diſpenſatione cum illegitimis, ut virtute privilegiorum ad dignitates, & Prælaturas Religionis promoveri poſſint, nulla prorſus de hac re mentio facta eſt, & quòd propterea videtur, Summum Pontificem id conſultò tacuiſſe; cùm, ſi ejus voluntas fuiſſet hoc prohibendi, id expreſſè feciſſet, ſicut fecit loquendo de Novitiorum illegitimorum receptione. Nam reſpondetur, ideo Summum Pontificem id non expreſſiſſe, quia præſuppoſuit priorem ipſius prohibitionem, de non admittendis Novitiis illegitimis in Religionibus, ubi eorum patres ante, vel poſt filiorum nativitatem profeſſionem emiſerint, ipſis viventibus, obſervatam eſſe, quæ ſi juxta dicti Summi Pontificis intentionem obſervaretur, hujuſmodi controverſiæ locus non eſſet, ut clarum eſt. Ex his ergo prædictam Mirandæ opinionem ſequendo, dicimus, Religioſorum filios nullo modo à Prælatis Regularibus, etiam cum eorum Capitulis, virtute privilegiorum diſpenſari poſſe, ut in eodem Monaſterio, quinimò nec in eadem Religione, ad Abbatialem dignitatem aſſumantur, ubi eorum patres Prælationem, vel dignitatem aliquam obtinuerunt, vel obtinent, præcipuè in eorum vita; & hoc, *ut paterna incon-*

tinentia

tinentia memoria à locis Deo sacratis, quos maxime puritas, sanctitasque decet, longissimè arceatur, ut per Concil. Trident. *sess.* 25. *de reform. cap.* 15.

QUÆSITUM XVI.

Utrùm illegitimorum dispensatio fieri possit sine causa.

SUMMARIUM.

1 *Inferior dispensans in lege Superioris, sine causa, peccat mortaliter, & dispensatio est nulla.*

2 *Dispensatio quid sit.*

3 *Dispensatio facta sine causa cognitione dissipatio potiùs, quàm dispensatio dicenda est.*

4 *Generales, vel Provinciales, cum Capitulis, absque causa cognitione, dispensare nequeunt cum illegitimis ad Prælaturas in Religione obtinendas.*

5 *Dispensatus sine causa non est tutus in conscientia.* Limita, ut num. seq.

7 *Papa sine causa dispensans, à culpa non excusatur.*

8 *Quæ causæ ad dispensationem super natalium defectu requirantur.*

9 *Prælatus, posita justa causa, tenetur cum illegitimis ad Prælaturas dispensare.*

10 *Subditi non habent jus petendi dispensationem, nisi fortè deprecativè.*

11 *Quantò major est natalium defectus, eo major causa ad dispensandum requiritur.*

1 REgulariter nullus Principe inferior dispensare potest in lege Superioris, absque causæ justæ cognitione: & dispensatio aliter facta, non solùm illicita est, verùm etiam ipso jure nulla, gloss. ult. *in fin. in cap. literas, de concess. præbenda*, gloss. ult. *in princ. in c.* 1. *de ætat. & qualit. lib.* 6. gloss. 1. per text. *ibi in cap.* 2. *de schismat.* Innoc. *in cap. cum ad Monasterium de stat. Regular.* Panormit. *in cap. per venerabilem, qui fil. sint legit. num.* 4. *& in cap. at si clerici* §. *de adulteriis num.* 12. *de judic. & in cap. innotuit num.* 8. *de elect. & in cap. de multa num.* 8. *de præben. & in cap. diversis fallaciis num.* 4. *de cler. conjug. & in d. cap.* 2. *num.* 4. *de schismat.* Felin. *in cap. præterea in* 4. *col. num.* 8. *de testibus cogen.* Navarr. *cons. ult. num.* 4. *de sim.* Guttier. *canon. quæst. lib.* 1. *cap.* 19. *num.* 5. Rebuffus *in prax. tit. de dispensat. ad plura n.* 25. Sanch. *de matrim. lib.* 8. *d.* 17. *n.* 4. *& disp.* 4. *n.* 17. Suar. *de relig. tom.* 1. *tract.* 3. *lib.* 4. *cap.* 61. *& de legibus lib.* 6. *cap.* 19. *n.* 2. Salas *de legibus disp.* 20. *sect.* 2. *n.* 30. *& sect.* 6. *n.* 66. *vers.* 4. *si causa*, Greg. à Valent. *tom.* 1. *disp.* 7. *quæst.* 5. *punct.* 9. Bonac. *de legibus disp.* 1. *quæst.* 2. *punct.* 3. *num.* 12. & Rota *in Romana Pensionis* 3. *Julii* 1583. *coram Cardin. Serapino*, & communiter omnes. Idipsum patet ex dispensationis definitione.

2 Dispensatio enim nihil aliud est, nisi juris communis relaxatio facta, cum causæ cognitione, ab eo, qui potestatem habet dispensandi, gloss. *in cap. requiritis*, §. *nisi rigor, verbo, ut plerisque* 1. *q.* 7. Unde (ut dicit Pa-

3 normit. *locis cit.*) dispensatio facta sine causæ cognitione, dissipatio non dispensatio dicenda est, & Prælati dantes pro voluntate licentiam veniendi contra legem, sine causa rationabili, vel saltem dubia, dissipatores sunt, non dispensatores; ita D. Bernard. quem refert Curt. Senior. *cons.* 19. *incip. aggredior, num* 7. Socc. Junior *cons.* 120. *num.* 28. *vol.* 2. Sylv. *verb. dispensatio num.* 2.

4 Ex his igitur constat, illegitimorum dispensationem, quæ in Religionibus ad Generales, vel Provinciales simul cum Capitulo pertinent, sine causæ cognitione fieri non posse, aliàs esset ipso jure nulla. Hæc omnia clariùs patent ex constitutione Gregorii XIV. ubi agendo de hujusmodi dispensatione, ait. *Volumus, atque statuimus, licere Generali, aut Provinciali singulorum Ordinum, aut Congregationum, aut Hospitalium, ad quos dicta dispensatio spectat, juxta tenorem eorum privilegiorum, & indultorum Apostolicorum eis concessorum, quæ dummodo usu recepta, neque aliàs sub illis revocationibus comprehensa sint, ut præfertur, in hac parte revalidamus (cum illegitimis, quos aliàs dictus Generalis, aut Provincialis cum Generali, Provinciali, aut intermedio Capitulo, & non aliàs suffragantibus meritis, dignos judicaverint, ad honores, gradus, & dignitates obtinendas dispensare.* Quæ verba manifestè indicant, illegitimorum dispensationem cum causæ cognitione fieri debere: dum conceditur licentia Prælatis, ut dispensare possint cum illis, quos, suffragantibus meritis, ipsi dignos judicaverint. Ex quibus sequitur, quòd Monachus illegi-

timus per privilegia ad Abbatiam obtinendam, sine le- 5
gitima causa, dispensatus non posset tuta conscientia, neque quoad Deum, neque quoad Ecclesiam dispensatione uti; quia si dispensatio est invalida, is, cum quo est dispensatum, non fuit exemptus ab obligatione juris. Ita Roder. *quæst. regul. tom.* 1. *q.* 13. *art.* 14. Miranda *in Man. Prælat. tom.* 2. *q.* 2. *art.* 21. Innoc. *d. cap. cum ad monasterium*, & Doctores *suprà adducti*; Reginald. *in praxi fori pœnitent. lib.* 13. *num.* 195. Bonac. *disp.* 1. *de*

legibus q. 1. *p.* 3. *n.* 13. & alii D.D. *superius citati* ferè o- 6
mnes. Secus dicendum est, si dispensatio fiat ab ipsomet Summo Pontifice; licèt enim facta sit absque causa, tamen tenet, & dispensatus erit tutus in conscientia. Quia quando Princeps dispensat contra jus positivum, non requiritur causæ cognitio, sufficit ibi sola voluntas: ut notat Speculator *in tit. de leg.* §. *nunc breviter. in vers. & notat*, & Innoc. *d. cap. cum ad monasterium*, Abbas *in d. cap. diversis fallaciis n.* 4. Rebuff. *loc. cit. n.* 9. Suar. *de Relig. tom.* 2. *tract.* 6. *lib.* 6. *cap.* 9. *n.* 1. ejus enim est destruere, cujus est condere: nec Princeps tenetur suis legibus, *l. digna vox C. de leg.* Sylv. *verbo dispens.*

n. 5. Roder. & Mirand. *locis cit.* Verùm ipse Summus 7
Pontifex absque causa dispensans à culpa non excusatur, D. Thom. 1. 2. *q.* 97. *art.* 4. Cajet. *in Summ. verb. dispensatio in princ.* Panorm. *in cap. non est voti n.* 9. *de voto, & voti redempt.* Sanch. *de matrim. lib.* 8. *disp.* 18 *n.* 3. ubi plures cumulat, & communem dicit Suar. *de leg. lib.* 6. *cap.* 18. *n.* 4.

Quæ autem causæ ad hujusmodi dispensationem sint 8
necessariæ, non potest generalis & determinata regula assignari: nam multæ causæ ad hoc concurrere possent; & propterea standum est arbitrio boni viri. Unde Gregorius XIV. *in supradicta sua constitutione*, permittens ut legitimi ad Religionem, ipsorum meritis suffragantibus recipiantur, relinquit hoc arbitrio Prælatorum recipientum per hæc verba: *Diligenter mores eorum, & vitam inquirant, & ita demum recipiant, si tamen bonam indolem, & virtutis specimen præ se ferant, & tot eis merita suffragentur, ut natalium suppleant defectum, eorumque receptio Religionis commodo, & utilitati profutura videatur, & super hoc ipsi soli, ad quos (ut dictum est) pertinet receptio, matura deliberatione habita, ita censuerint, & judicaverint.* Quòd standum sit arbitrio boni viri, patet ex illis verbis, *censuerint & judicaverint*, quæ verba ad arbitrium boni viri, non autem ad beneplacitum voluntatis referenda sunt, *l. fideicommissaria* §. *quamquam ff. de leg.* 3. Ita Suar. *de relig. d. lib.* 6. *c.* 17. *n.* 15. *& seqq.* Roder. *d. q.* 13. *art.* 15. & Miranda *d. q.* 2. *art.* 12. Sylv. *verbo dispensatio n.* 3. Subdentes, quòd Prælatus, si judicaverit causam rationabilem, non dispensando, peccat, arg. *cap. quanto,* 2. *quæst.* 4. quia potestas dispensandi competit Prælatis in utilitatem, & commodum subditorum; & sicut quilibet tenetur aliorum necessitati occurrere; ita à fortiori Prælati tenentur per dispensationem subditorum necessitati consulere; tamen subditi non habent jus petendi, nisi fortè deprecativè: super quo videnda est bona gloss. *in can. constituentur, verbo, detrahendum est,* 50. *dist.*

Est autem hîc notandum, quòd quanto major est natalium

natalium defectus, eò major causa in dispensatione requiritur; quia cùm dispensatio sit legis relaxatio, cum causæ cognitione, ut dictum est; ubi major est legis obligatio, ibi major causa requiritur ad dispensandum. Ita D. Thomas *in addit. ad 3. p. q. 19. art. 5.* Soto *in 4. dist. 25. q. 1. art. 3. concl. 1. vers. potest tamen*, Sayr. *de censur. lib. 6. c. 17. n. 15.* Sanchez *de matrim. lib. 8. disp. 18. n. 14.* Bonac. *d. punct. 3. n. 21. vers. ego vero, &c.* Sigismund. à Bonon. *de election. & potest. Prælat. Regular. dub. 78. n. 5. in fine.*

QUÆSITUM XVII.

Utrùm Monachus illegitimus electus in Abbatem, vel Prælatum ab habentibus potestatem dispensandi, censeatur tacitè dispensatus super defectu natalium: & sola electio pro dispensatione sufficiat.

SUMMARIUM.

1 *Princeps, si ex certa scientia inhabiles promovet, censetur cum eis tacite dispensare.*
2 *Princeps potest dispensare sine causæ cognitione.*
3 *Inferiores nequeunt, absque causæ cognitione, dispensare.*
4 *Generalis, vel Provincialis cum Definitoribus promoventes ad Abbatiam illum, quem sciunt illegitimum, censentur cum eo tacitè dispensare, tam in foro conscientiæ, quam in foro externo.* vide num. 8.
5 *Quoties aliquid cum peccato, & sine peccato fieri potest, præsumendum est fieri sine peccato.*
6 *De duobus peccatis minus præsumendum est.*
7 *Dispensatio non requirit certa verba.*

1 Nonnulli Doctores negativam partem sustinent, dicentes quòd solus Princeps, si ex certa scientia promovet inhabiles, videtur cum eis tacitè dispensare, per *l. quidam consulebant ff. de re jud. & l. idem Ulpianus ff. de excus. tut.* arg. gloss. *in cap. statutum, in verbo canonicis de rescriptis, in 6.* Inferiores autem, ex eorum sententia, non sic: sed necessarium est, ut expressè dispensent. Ita gloss. *in cap. unico, verbo dispensare de ætat. & qual. in 6.* alia gloss. final. *in cap. literas. de concess. præb.* Panormit. *in cap. cum in cunctis §. inferiora n. 8. & cap. innotuit, n. 8. &c. quisquis n. 2 de elect.* Felin. *in c. nonnullis coll. 16. in 4. fallen vers. confirmatur, ista 4. fallentia, de rescript. & in cap. præterea col. 3. n. 7. & 8. de test. cogen.* Batt. *in l. barbarius, in 8 col. vers. sed quid si Papa, ff. de off. præsid.* Navar. *in Manual. prælud. 9. n. 15. & cap. 25. n. 74* ubi hoc limitat, quoad forum internum, & alii apud Sanch. *de matrim. lib. 8. disp. 4. n. 16.* eo-
2 rum ratio est; quia Princeps, cum dispensat, non restringitur ad causæ cognitionem præmittendam: sed sufficit sola ejus voluntas, ut notat Innoc. *in cap. cum ad*
3 *monasterium de stat. Regul.* & dictum est supra; Inferiores autem non possunt, absque causæ cognitione dispensare. Quapropter cum dispensatio illegitimorum, ad hoc ut possint ad Abbatialem, vel aliam hujusmodi dignitatem, & Prælaturam in Religione assumi, pertineat ad Prælatos Religionis, ad quos etiam spectat Abbatum, & aliorum Prælatorum electio; priùs debent super natalium defectu dispensare, & deinde dispensatum in Abbatem eligere; alias enim electio nulla esset. Ita Roder. *quæst. reg. tom. 1. q. 13. art. 16.* & Mirand. *in Man. Prælat. tom. 2. q. 2. art. 14.*

4 Nihilominus contrarium tenendum est, nempè, quòd Generalis, vel Provincialis cum suis Definitoribus, apud quos residet facultas dispensandi super illegitimitate, promoventes aliquem illegitimum ad Abbatialem dignitatem, censeantur, cum eo tacitè dispensare: siquidem certò sciebant illius natalium defectum, & tamen, eo non obstante, illum promovent: Nam quoties aliquid cum peccato, & sine peccato exerceri potest, præsumendum est exerceri sine peccato, *l. merito ff. pro socio*, sicut ex duobus peccatis minus præsu- 5
mendum est *l. si adulterium cum incestu §. 1. & 3. ff. ad* 6
leg. Iul. de adult. quia igitur majus peccatum esset, illegitimos sine dispensatione ad Abbatias promovere, quam, absque causæ cognitione promovere cum dispensatione; præsumendum est minus peccatum, quod est dispensare. Tum etiam, quia dispensatio non requirit
certa verba, ut ait Eman. Sà *in aphorism. verbo dispen-* 7
satio, num. 12. imò sufficiunt quæcunque sive facta, sive verba, ex quibus sufficienter cognosci possit animus dispensandi in eo, qui dispensare potest; Secundùm Sylvium *verbo irregularitas quæst. 28. vers. 3.* Suar. *de censur. disp. 41. sect. 3. & de Relig. tom. 1. tract. 3. lib. 4. cap. 61. num. 13. & de legibus lib. 6. cap. 15. num. 2.* Bonac. *de cens. disput. 7. q. 5. punct. ult. num. 7.* Atque hanc nostram conclusionem defendunt Bellam. *in cap. veniens. num. 11. & 19. de fil. presbyt.* Henriq. *lib. 15. cap. 17. §. 4. lit. O.* cum aliis in margine citatis. Sanchez *de matrimon. lib. 8. disp. 4. num. 1. 17. & 24.* Suar. *d. sect. 3. n. 4. & seq. & de legibus d. cap. 13. num. 23.* Mayol. *de irregular. lib. 3. cap. 24. num. 14. lib. 4. cap. 10. num. 3. & lib. 5. cap. 51. n. 8.* Salas *de legibus disp. 20. sect. 2. num. 8. & sect. 9. num. 85.* Reginald. *in praxi fori pœnit. lib. 15. num. 195. & lib. 30. tract. 2. num. 35.* Bonac. *de legibus disp. 1. q. 2. punct. 3. num. 18. vers. observant tamen, & in Decalog. disp. 4. q. 2. punct. 7. §. 4. num. 34. vers. hinc solus potest, & de cens. d. disp. 7. q. 5. punct. 1. n. 9.* Aliqui Doctores ajunt, id solum procedere in foro conscientiæ, ita Navarr. *in Manual. d. cap. 25. num. 74.* Sayr. *de censur. lib. 7. cap. 15. num. 12.* Avila *eodem tract. part. 3. disput. 10. dub. 6. concl. 1. 3. not.* Sed Suar. *de censur. d. sect. ult. d. n. 5. & de legibus lib. 6. cap. 13. n. 25.* Sanch. *d. num 17.* Mayol. & Salas *locis cit. in terminis*, & Sigismund. à Bononia *in tract. de elect. & potest. Prælat. Reg. dub. 81. n. 2.* asserunt, id procedere, tam in foro conscientiæ, quam
in foro externo, nec Bellam. Henriq. Reginald. & Bo- 8
naeen. his adversantur, sed illimitate loquuntur. Verùm pro foro externo oportet constare, Superiores habuisse legitimam causam dispensandi, undè si res in examen deferetur, necessarium esset, causam probare; in foro autem interno satis est, non constare de causæ defectu, quia subditus præsumit, Superiorem rectè agere. Ita Suar. *d. sect. ultim. num. ult. circa finem, & de legibus d. cap. 13. num. 24. & cap. 19. n. 2.* Sigismund à Bonon. *d. dub. 81. n. 2.*

QUÆSITUM XVIII.

Utrum ad hoc ut dispensatio valida sit, sufficiat petere dispensationem illegitimationis in genere.

SUMMARIUM.

1 *Taciturnitas alicujus conditionis, qua cognita Superior non ita facile dispensasset, reddit dispensationem nullam.*
2 *In generali concessione non veniunt ea, quæ non esset quis verisimiliter concessurus, si specialiter proponerentur.*
3 *Illegitimationis qualitates sunt omnes planè Superiori detegendæ in petenda dispensatione.*
4 *Clausula*, ex certa scientia, seu de plenitudine potestatis, *non tollunt defectum dispensationis, manantem ex taciturnitate conditionum illegitimitatis.*
5 *In rescriptis Apostolicis semper subintelligitur clausula*, si preces veritate nitantur.

Regulariter ad hoc, ut dispensatio per scriptum, 1
aut alias per Principes facultatem concessa, & obtenta sit valida, oportet, ut non taceatur Superiori aliquid, quo cognito, non dispensasset, aut non eodem modo dispensasset, sed cum quibusdam moderationibus,

nibus, cap. ult. de fil. presb. in 6. & cap. postulasti de rescript. l. 1. ff. de natal. restitut. ubi expressè probatur, quòd omne tacitum, quo expresso, Superior non ita facilè dispensationem concessisset, habet ipsam vitiare. Ratio est; tum quia Superior non censetur dispensare, nisi sub tali conditione, si nihil verè occultetur; Tum
2 etiam, quia in hoc casu valet regula juris: *In generali concessione non veniunt ea, quæ non esset quis verisimiliter concessurus, si specialiter proponerentur*, reg. in generali de reg. jur. in 6. Ita Covar. in Epitome 4. decret. 2. part. cap. 8. §. 9. num. 1. & communiter DD.

3 Unde sequitur, quòd illegitimationis qualitates sunt plenè Principi exprimendæ, puta, quòd est incestuosus, vel adulterinus, vel incestuosus, & adulterinus simul, vel sacrilegus; & si est incestuosus, secundùm Covar. ubi suprà, exprimendus est gradus consanguinitatis, & affinitatis inter parentes, ex quibus fuit genitus; si autem ex sacrilegio, utrum ex Sacerdote, Moniali, Religioso: & an sit sacrilegum; Ita Ioan. Andr. in add. ad Specul. tit. qui filii sint. legit. vers. sed quæro, ubi dicit, quòd si dispensandus dixit se spurium simpliciter, si erat spurius duplicatus, utpote natus ex uxorato, & uxorata, dispensatio, vel legitimatio non valet; Ita etiam Panormit in cap. per venerabilem, num. 27. qui fil. sint legitimi. Sylv. verb. legitimus num. 8. Covar. loc. cit. quod habet locum sive taciturnitas veri contingeret ex malitia petentis dispensationem, sive absque ejus malitia, & defectus, quia malitia vel supplicitas petentis non supplet defectum intentionis concedentis, à qua gratia vires suscipit; Ita aliis relatis Sanch. de Matrim. lib. 8. disp. 21. à num. 56. & in Decalogum lib. 4. cap. 47. num. 15. Nec clausulæ *de plenitudine potestatis*, vel,
4 (quod idem est,) *supplens omnem defectum, aut ex certa scientia*, tollunt defectum dispensationis, provenientem ex eo quòd qualitates illegitimationis taceantur; quia in rescriptis Apostolicis, nisi expressè ponatur, sem-
5 per subintelligitur clausula, *si preces veritate nitantur*, secundùm Specul. in tit. de rescript. præs. §. ratione quoque defectus, in vers. item, quod non est ibi clausula, & DD. communiter in cap. 2. de rescript. Ex his igitur concludimus, qualitates defectus natalium Religiosi, qui ad Abbatias, & dignitates, & Prælaturas à Religionum Prælatis dispensandus est, proponendas, & exprimendas esse quoad turpiorem illegitimationis modum; nec sufficere, quòd exprimatur in communi, Religiosum esse ex illegitimo matrimonio natum; quia cùm Prælati Regulares, veluti Papa inferiores nequeant absque causæ cognitione dispensare: oportet, illegitimitatis conditiones, & qualitates eis explicari, ut inde colligant, utrùm adsit causa ad hujusmodi dispensationem sufficiens; maximè quia, (ut supra dictum est) ubi turpior est defectus originis, ibi major causa requiritur; quod absque dubio fieri nequit, nisi illegitimationis qualitates in particulari exprimantur; Ita Mirand. tom. 2. Man. Prælat. quæst. 2. art. 13. & Sigismund. à Bonon. de elect. & potest. Prælat. regul. dub. 79. in fine; quicquid dicat Roderic. quæst. reg. tom. 1. quæst. 13. art. 17.

QUÆSITUM XIX.

Utrum illegitimus ad beneficia obtinenda in seculo dispensatus, si postea Religionem ingrediatur, indigeat nova dispensatione, ad hoc ut possit in ea ad Abbatialem dignitatem assumi.

SUMMARIUM.

1 *Illegitimus dispensatus ad beneficium curatum non censetur dispensatus ad dignitatem.*
2 *Dispensatio strictè est interpretanda: quia est stricti juris.*
3 *Argumentum à majoritate, vel paritate rationis non valet in dispensationibus.*
4 *Monachus dispensatus ad beneficium curatum non censetur dispensatus ad beneficium simplex.*
5 *Dispensatus ad beneficia quæcunque, absque alia expressa dispensatione non posset ad dignitates promoveri.*
6 *Appellatione beneficii an veniat dignitas.*
7 *Dispensatus ad quæcunque beneficia in seculo non censetur dispensatus ad Abbatias, nec in seculo, nec in Religione.*
8 *Illegitimus dispensatus in Religione non censetur dispensatus in seculo.*
9 *Illegitimus dispensatus ad Prælaturas in una Religione, si postea ad aliam transferatur, indiget nova dispensatione.*
10 *Dispensatus ad dignitatem inferiorem non censetur dispensatus ad majorem, licèt sit è contra.*

Respondeo, quòd illegitimus dispensatus ad bene- 1
ficium curatum, non censetur dispensatus ad obtinendam dignitatem: argumento cap. final. de fil. presb. in 6. ubi Gemin. Angel. in sum. verbo beneficium num. 25. Sylv. beneficium 3. q. 11. Tabien. Beneficium 2. num. 23. Azor. Instit. moral. p. 2. lib. 6. cap. 3. q. 10. Petr.
Greg. Syntagm. jur. lib. 17. c. 5. n. 36. Bellet. disquisit. 2
cleric. p. 1. tit. de discipl. clericorum §. 3. num. 38. Ratio est, quia cùm dispensatio sit stricti juris, & odiosa, & strictè interpretanda, c. in fin. de fil. presb. lib. 6. gloss. in cap. Ordinarii, verb dispensationes, de off. ordin. eod. lib. Panormit. in cap. de multa, de præbend. n. 4. Gemin. consil. 47. n. 3. Navarr. lib. 4. cons. 1. tit. qui filii sint legit. Sayr. de censur. lib. 6. cap. 11. à n. 16 Garc. de benef. p. 1. cap. 6. n. 58. Suar. de legibus lib. 11. cap. 11. num.
10. & cap. 17. num. 2. Nec in dispensationibus valet 3
argumentum à paritate, vel majoritate rationis. Panorm. in cap. ad aures. n. 7. de rescript. arg. cap. per venerabilem, qui fil. sint legit. Jo. Andr. in reg. quæ à ju-
re. de reg. jur. in Mercurial. ubi dicit, quòd Monachus 4
dispensatus ad beneficium curatum non intelligitur dispensatus ad beneficium simpex; idem asserunt Navarr. de reddit. Eccles. q. 3 monit. 10. num. 4. Covar. de sponsal. p. 2. c. 8. §. 8. n. 11. Garc. d. cap. 6. num. 59. Campanil. in divers. jur. canon. rub. 11. c. 13. n. 91. &
n. 101 resolvit, quòd & si fuisset quis generaliter ad quæ- 5
cunque beneficia dispensatus: non tamen absque alia expressa dispensatione, ad dignitates promoveri posset; Ita enim Panormit. in cap. literas n. 6. vers. finem, de fil. presb. Doct. in cap. fin. de præbend. in 6. Rebuff. in praxi tit. de dispens. super defect. natal. n. 52. Azor. d.
cap. 3. q. 7. Nam appellatione beneficii non venit dig- 6
nitas, arg. d. c. fin. de præben. in 6. & c. cum olim extr. eodem tit. & ibi Panorm. n. 1. & clem. 1. de sequestrat. possess. Bellett. d. tit. de discipl. cleric. §. 2. n. 38. Unde fit, ut dispensatus ad beneficia, vel etiam ad dignitates, non possit promoveri ad dignitates, quibus animarum cura annexa est; Azor. d. c. 3. q. 9. & 10. D. Aug. Bar-
bosa de off. & potest. Episc. p. 2. allegat. 45. n. 13. Ex his 7
clarè patet, quòd illegitimus dispensatus ad beneficia quæcunque, etiam curata non intelligitur dispensatus ad Abbatiam, tam sæcularem, quàm etiam, à fortiori Regularem; cum Abbatia sit dignitas, ut est text. notabilis in can. si quis deinceps 16. q. 7. & probatum est suprà disp. 1. quæsit. 2. videatur in terminis hujus quæsiti Navarr. d. cons. 1.

Neque his obstat, quòd dicit Rebuff. d. tit. de dispensat super defectu natalium n. 75. nempe quòd dispensatus in seculo ad quæcunque beneficia, si postea Religionem ingrediatur, absque nova dispensatione, poterit Prioratum Regularem obtinere; quia (meo judicio) voluit intelligere de Prioratu Regulari, quod est beneficium manuale, absque dignitate: non autem de aliis officiis secum dignitatem retinentibus; non enim est censendum, quòd sibi ipsi contradicere vellet tantus Doctor, quod absque dubio fecisset, intelli-

gendo

gendo de Prioatu, cui annexa eſt dignitas, ut patet ex ſupradictis; noſtra autem quæſtio eſt de Abbatia, quæ verè eſt Eccleſiaſtica dignitas.

8 Ex his infertur, ſtante quòd diſpenſatio eſt odioſa, ac ſtricti juris, cum Regulares virtute prædictorum privilegiorum, diſpenſari tantùm poſſint à ſuis Prælatis ad beneficia, & dignitates in Religione obtinendas; quòd ſi demum à Religione recedant, abſque nova diſpenſatione, ad Eccleſiaſtica beneficia promoveri nequeunt. Sicut etiam diſpenſati in una Religione ad Prælaturas, & adminiſtrationes, ſi poſtea transferantur ad aliam, indigebunt nova diſpenſatione, ad hoc, ut Præ-
9 laturas, & adminiſtrationes in ea obtinere valeant; per diſpenſationem enim in prima Religione cum eis factam, non fuerunt abſolutè legitimati: ſed ad dignitates, & gradus in illa tantùm conſequendos habilitati; Ita Roder. *quæſt. regular. tom. 1. q. 13. art. 13.* Mirand. *tom. 2. q. 2. art. 4.* Jo. Crux. *de ſtatu Relig. lib. c. 6. dub. 18. concluſ. 5.* Sanch. *in Decalog. lib. 5. cap. 5. num. 16.* Laurent. de Peirin. *tom. 1. privileg. Ord. Minim. in annotat. ad conſt. 2. Julii II. n. 98.*

10 Infertur ſecundò, quòd diſpenſatus ad dignitatem inferiorem, v. g. ut localis Prælatus eſſe valeat, non cenſetur diſpenſatus ad majorem, nimirum quòd ad Provincialatum promoveri poſſit: niſi in diſpenſatione de præfatis expreſſa mentio facta fuerit; quia permiſſa minori dignitate non cenſetur permiſſa major, ſed è contra, ut colligitur, *ex cap. innotuit; de elect.* Ita Hieron. à Sorbo *in annot. ad Comp. privileg. verb. diſpenſatio, verſ. & ideò fratres.* Panormit. *in d. c. innotuit num. 4.*

QUÆSITUM XX.

An notoriè infamis poſſit in Abbatem eligi, vel alias dignitates, & Prælaturas obtinere.

SUMMARIUM.

1 *Infames, tam infamia juris, quàm infamia facti ab Abbatiali dignitate omninò arcendi ſunt.*
2 *Infamibus porta dignitatum patere non debent.*
3 *Collatio perjuro facta an ſit nulla.*
4 *Abbatia, & Epiſcopatus æquiparantur in jure.*
5 *Infames infamia meri facti quando eligi, & promoveri poſſint ad dignitates.*
6 *Infamia meri facti per pœnitentiam purgatur.*
7 *Emendatus præſumitur, qui poſt peccatum operatur bonum.*
8 *Inquiſitus, accuſatus, denunciatus quando eligi, vel promoveri poſſit.*

OLdrad. *conſ. 14. verſ.* & idem *in Monaſteriis, n. 11.* & gloſſ. *in cap. tuam,* verbo *non aſcendat. de ætate, & qualit.* tenent, poſſe Monachum infamem eligi in Abbatem; quia infamis à civilibus muneribus non excluditur.

1 Nihilominùs contrarium eſt verius, nempe quòd
2 infames ab Abbatiali dignitate omninò arcendi ſunt, tam ſi ſint infames infamia juris, quàm infamia facti; quia infamibus portæ dignitatum patere non debent *l. 2. C. de dignit. lib. 12. l. unica C. de infam. lib. 10. cap. inter dilectos de exceſſ. Prælat.* gloſſ. *in cap. querelam,* verbo *crimine perjurii, de jure jur.* Abbas Panormit. *ibidem n. 3.* per text. not. *in l. 2. § miles ff. de his, qui notantur infamia,* per quem text. apertè innuitur, ob infamiam ipſo facto quem militia privare; & gloſſ. *ibi* ſingulariter dicit, quòd ob infamiam pari ratione privatur quis militia cœleſti, & aliis dignitatibus, & honoribus; & Feder. de Senis *conſ. 50. incip. Quæritur,*
3 *an collatio,* tenet collationem perjuro factam nullam eſſe; quia perjurii crimen etiam poſt peractam pœnitentiam infamat. Et quod collatio facta infami non teneat, probatur *in reg. infamibus, de reg. juris in 6.* & ibi Dyn. latè; idem tenet Felin. *in d. cap. querelam col. 2. num. 3.* Duaren. *de benef. lib. 4. cap. 1.* Garc. *de benef. part. 7. cap. 8. num. 4.* Vivianus *in praxi juris-patronatus part. 2. lib. 6. cap. 9. num. 23.* Barboſ. *de off. & poteſt. Epiſc. p. 2. alleg. 43. per tot. & p. 3. alleg. 72. num. 100.* Suar. *tom. 5. diſp. 48. ſect. 1.* Si igitur infames redduntur inhabiles ad beneficia, & dignitates inferiores, quantò magis ad Abbatiam, quæ eſt propria ſpiritualis Prælatio, & quæ cum Epiſcopatu æqui-
paratur, juxta gloſſ. *in c. nec pro defectu, verb. regulares de elect.* per text. *in can. ſi quis deinceps 16. q. 7.* Unde ad dictum gloſſ. & Oldradi reſpondeo, eos eſſe locutos ſecundùm jus antiquum, quando Abbas potiùs nomen ſolicitudinis, & officii, quàm dignitatis, & honoris præ ſe ferebat, prout declarat eadem gloſſ. *ibidem,* imò (ut ait Suar. *de Relig. tom. 4. tract. 8. lib. 2. cap. in fine*) veriſimilius eſt, infamem ſecundùm jus canonicum nunquam Abbatiam obtinere potuiſſe; hoc enim valdè indecens eſt, & tali muneri repugnans. 4

Excipiuntur tamen infames infamia meri facti, ſi reverà ſe emendaverint; quia tunc benè promoveri poterunt; nam infames infamia meri facti non ſunt propriè, & abſolutè irregulares, Suar. *d. ſect. 1. n. 11.* Garc. *d. cap. 8. n. 64. & p. 11. cap. 3. n. 118.* & alii apud Bonac. *de cenſur. diſp. 7. q. 3. punct. 1. n. 5.* licèt ipſe contrarium ſentiat; Sed ſunt infames ſecundùm quid, ſcilicet, quatenus prohibentur promoveri, ſtante hujus- 5
modi infamia; Sed infamia meri facti per pœnitentiam purgatur. Panormit. *in cap. cum te. n. 9. de re judic.* Navarr. *in Man. cap. 27. n. 204.* Suar. *d. ſect. 1. n. 8.* Reginald. *lib. 39. tract. 2. n. 196.* Bonac. *d. n. 5.* Barboſ. *d. alleg. 45. n. 21.* ergo infamis infamia meri facti poſt- 6
quam purgatus fuerit, poterit in Abbatem promoveri. Emendatus autem præſumitur, qui poſt peccatum operatur bonum, Maſcard. *de probat. concl. 465. n. 10.* Barboſ. *de alleg. 43. n. 23.* 7

Ex his infertur, inquiſitum interim, pendente inquiſitione, non poſſe in Abbatem eligi; quia jam præceſſit infamia, *can. tantis Daniel. 81. diſtinct. c. cum in cunctis, de elect.* Sed ſi eſt accuſatus, tunc vel præceſſit infamia, & eligi non poterit; quia ſola infamia facti etiam impedit *d. l. 2. C. de dignit. lib. 12. & d. reg. infamibus, de reg. jur. in 6.* Vel non præceſſit infamia, & tunc promoveri poteſt, ut *in l. reus ff. de muneribus, & honoribus, & l. qui de libertate. ff. de liberali cauſ. cap. omnipotens, extr. de accuſat.* & eligi poterit, ne malitioſè ſit attentata accuſatio; Si verò eſt denunciatus; tunc vel præceſſit infamia, & eligi non poterit; vel non præceſſit, & tunc aut ſuperior inquirit, & interim denunciatus eligi poteſt, ſed non promoveri; ſed ſi denunciatio fit Superiori, qui debet conferre, vel eligere, ipſe poterit eligere, ſeu conferre; & ſi deinde conſtiterit, denunciatum eſſe criminoſum, privabitur, & à dignitate removebitur. Ita Panormit. *in d. cap. omnipotens n. 4. de accuſat.* 8

QUÆSITUM XXI.

An adſint alii caſus in quibus impeditur quis ne in Abbatem eligatur.

SUMMARIUM.

1 *Excommunicatus majori vel minori excommunicatione de jure non poteſt in Abbatem eligi.*
2 *Falſificans literas Apoſtolicas, vel in eis etiam in modico manus apponens, niſi ſit officialis, non poteſt eligi.*
3 *In peccato mortali publico conſtitutus non poteſt eligi.*
4 *Semel approbatus, an poſſit iterum in Abbatem eligi.*
5 *Tranſiens de mendicantibus ad non mendicantes an poſſit in Abbatem eligi.*
6 *Religioſus, qui exercuit Chirurgiam an poſſit in Abbatem eligi.*
7 *Simoniacus an poſſit eſſe Prælatus.*

8 *Homicida an possit esse Abbas.*
9 *Apostata an possit esse Abbas.*
10 *Perjurus an possit esse Prælatus.*
11 *Prodigus ad possit esse Abbas.*
12 *Electus semel per abusum sæcularis potestatis an possit in Abbatem eligi.*
13 *Patiens defectum animi vel corporis an possit in Prælatum eligi.*
14 *Regulares pœnitentiati à sancto officio Inquisitionis sunt omnino inhabiles ad dignitates:* & n. 67.
15 *Valetudine bona naturali debent pollere qui in Abbates & Prælatos eligendi sunt.*
16 *Homo qui habuerit maculam non offeret panes Deo suo.*
17 *Provisi ad dignitates, & officia debent habere ætatem, & cæteras habilitates.*
18 *Leprosi sunt inhabiles ad Prælaturas, & ineligibiles ad eas.*
19 *Scabiem patientes etiam Herculeam an possint in Abbates eligi.*
20 *Capillis & barba carentes an sint ineligibiles ad Prælaturas.*
21 *Morbo Gallico notoriè laborantes non possunt in Abbates eligi;* limitatur tamen ut n. 22.
23 *Rabidi & phthisi infecti, sunt ineligibiles in Prælatos.*
24 *Paralysi laborantes non possunt eligi in Abbates.*
25 *Paralysis generat impotentiam, & indecentiam.*
29 *Manus tremulas, & caput, & linguam habentes an possint eligi.*
27 *Podagrosi an possint eligi in Abbates & Prælatos.*
28 *Comitiali morbo sive caduco laborantes sunt ineligibiles.*
29 *Staturam communem hominis excedentes an sint ineligibiles.*
30 *Furiosi & lunatici qui lucida intervalla patiuntur an sint eligibiles in Prælatos.*
31 *Faciem abhorrentem habentes ineligibiles sunt.*
32 *Claudi an sint eligibiles in Abbates & Prælatos.*
33 *Cæci sunt in ineligibiles.*
34 *Lippi, strabones, & lusci an sint eligibiles in Abbates.*
35 *Dæmoniaci an possint eligi in Prælatos.*
36 *Manibus & digitis carentes ineligibiles sunt.*
37 *Naso carentes, sive illum deformem habentes an arceantur ab electione passiva.*
38 *Muti sunt ineligibiles ad Prælaturas.*
39 *Balbutientes an sint ineligibiles.*
40 *Surdi an reddantur inhabiles ad Abbatias.*
41 *Hermaphroditi non possunt eligi in Prælatos.*
42 *Gibbosi an sint eligibiles.*
43 *Stulti, stolidi, fatui, seu simplices sunt ineligibiles.*
44 *Valetudinarii & sæpè ægrotantes an sint ineligibiles.*
45 *Debiles an sint ineligibiles.*
46 *Senes an sint ineligibiles.*
47 *Infirmitate aliqua oppressus post electionem an debeat renunciare.*
48 *Aleator publicus an sit ineligibilis.*
49 *Vino dediti, & inebriari se consueti, an possint in Abbates eligi.*
50 *Ebrietatis signa quæ sint.*
51 *Ebrius non multum distat à furioso, quia ubi ebrietas, ibi furor.*
52 *Hæretici sunt ineligibiles,* limita ut n. 53.
54 *Receptatores, fautores & defensores hæreticorum sunt ineligibiles.*
55 *Filii Hæreticorum tam legitimi quàm illegitimi an sint eligibiles ad dignitates.*
56 *Ubi lex non distinguit nec nos debemus distinguere.*
57 *Geniti ante paternam hæresim an sint eligibiles in Prælatos.*
58 *Descendentes ex hæreticis occultò an sint ineligibiles.*
59 *Descendentes ex condemnatis in contumaciam an sint eligibiles.*
60 *Descendentes ex hæreticis resipiscentibus an sint eligibiles.*
61 *Hæretici relapsi qui sint.*
61 *Dignitates & Prælaturas habentes antequam eorum parentes inciderint in hæresim, an illis priventur.*
63 *Neophytus an sit eligibilis in Abbatem.*
64 *Catechumenorum filii an sint eligibiles in Prælatos.*
65 *Neophyti nomine quid intelligatur.*
66 *Descendens à patre infideli non est excludendus à sacris Ordinibus & dignitatibus, si ab infantia, vel saltem à decennio baptizatus fuerit.*
67 *Abjurantes in sancto Inquisitionis officio sunt ineligibiles.*
68 *Bigami non possunt eligi in Prælatos.*

ADsunt etiam, præter supradictos, alii casus ex quibus Monachus ad Abbatiam ineligibilis redditur. Et

Primò, Excommunicatus majori, vel minori ex-
communicatione de jure non potest in Superiorem Mo-
nasterii eligi, Sylvest. *verb. electio* 1. *n.* 15. adducens 1
nonnulla jura hoc prohibentia, sed de hac te, sicut etiam
de suspenso, interdicto, ac irregulari, fusiùs *tom.* 2. *disp.*
de Censuris.

Secundò, qui literas Apostolicas falsificavit, vel in eis
etiam in modico manus apposuit, nisi sit Officialis, in-
habilis redditur ad electionem. Ostiens. *in sum. de cri-* 2
mine falsi, §. qualiter, vers. sed hodie, Felin. *ex cap. ex*
parte, in princ. vers. stylus Curiæ, de rescript.

Tertiò, in peccato mortali publico constitutus ex
S. Thom. *quodlib.* 8. *q.* 4. *art.* 2.

Quartò, si semel reprobatus fuerit, alicujus vitii 3
causa, qui non modò in sua Religione, sed nullibi ad Ec-
clesiasticam dignitatem assumi potest. 4

Quintò, transiens de Mendicantibus ad non Men-
dicantes in Abbatem assumi non potest, ex *Clem. ut pro-*
fessi de Regul.

Sextò, denunciatus de aliquo crimine (dummodò 5
denuntiationem præcesserit infamia, maximè apud bo-
nos viros;) pendente inquisitione, non potest in Abba- 6
tem eligi, *cap. omnipotens Deus de accus.* Panormit. *ibid.*
Innoc. *cap. accusatum de simon.*

Septimò, Religiosus, qui exercuit Chirurgiam, ex 7
qua sequuta mors, incapax est dignitatis Abbatialis, *cap.*
tua de hom. ubi Felin.

Octavò, Simoniacus Monachus non potest eligi, *cap.* 8
si alicujus, de elect. & *ibi* Panormit. clarius in constituti-
one Pauli II. quæ incipit: *Cum detestabile scelus simoni-*
aca, &c.

Nonò, homicida, qui jure divino, & humano inha-
bilis est ad dignitates Ecclesiasticas, *can. si quis omnem* 9
1. *quæst.* 7. *c. ad aures de ætat. & qualitate.*

Decimò, perjurus declaratus, *cap. querelam de ju-* 10
rejur.

Undecimò, notabiliter prodigus, Bald. *in cap. cùm* 11
in cunctis de elect. & cap. Petrus Diaconus 39 *dist.* & *ibi*
Archidiac.

Duodecimò, qui aliàs per secularis potestatis abusum
electus fuit, remanet ineligibilis ad quamcunque digni- 12
tatem, *cap. quisquis de elect.*

Decimotertiò, generaliter patiens defectum animi, 13
vel corporis, per quod ad exercitium sui officii, vel di-
gnitatis inhabilis redditur, est ineligibilis. Joan. Andr.
& Panormit. *in cap. si. de postulat. Præl.*

Decimoquartò, Regulares pœnitentiati à sancto Of- 14
ficio ad dignitates, & Prælaturas omnino inhabiles
sunt, etiam si pœnitentias compleverint, ut à Sanctiss.
D. N. Urbano VIII. Pont. Opt. Màx. declaratum
fuisse anno 1626. refert Laurent. de Peirin. *tom.* 2. *pri-*
vileg.

vileg. sui Ordin. Minim. in annotat. ad 9. constitut. Pauli V. in fine sub his verbis.

In generali Congregatione S. R. & universa Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis coram S. D. N. D. Urbano divina providentia Papa VIII. Illustr. DD. S. R. Eccl. Cardinalibus in universa Republica adversus hæreticam pravitatem Inquisitoribus Generalibus à sancta Sede Apostolica specialiter deputatis S. D. N. justis de causis animum suum, moventibus decrevit, & statuit, ut in posterum Regulares omnes cujusvis Ordinis, Religionis, Societatis, & Instituti, quibus pro delictis ad sanctæ Inquisitionis officium spectantibus pœnitentia genus aliquod impositum fuerit (salutaribus pœnitentiis exceptis) eo ipso ad omnes Religionis suæ gradus, & officia inhabiles censeantur; deinceps, (etiamsi pœnitentiæ tempus expleverint, vel gratiam receperint) ad illa tamen promoveri nullatenus possint; nisi prius obtenta à S. D. N. vel ab hac sacra Congregatione coram Sanctitate sua habenda speciali, & expressa rehabilitationis gratia; aliàs promotio qualibet nulla sit, & promoventes ipsi privationum suorum officiorum, ac præterea vocis activæ, & passivæ ipso facto incurrant, ad quæ restitui nisi ab eodem S. D. N. vel ab eadem sacra Congregatione coram sanctitate sua habenda non possint. Præsens autem decretum omnibus Religionum Superioribus intimare mandavit idem S. D. N. De hac re redit sermo *n.* 67.

15 Decimoquintò, qui eligendi sunt in Abbates, & Prælatos Ecclesiasticos propter curam Dominici gregis ea valetudine corporali debent pollere, quæ de jure naturæ videtur necessaria ad exercendum proprium officium decenter, ita ut si talis valetudo non reperiatur, electio nulla erit: Tiraquellus *in l.* 12. *connub. gloss.* 1. *part.* 2. *nummer.* 59. Menoch. *de arb. lib.* 2. *cas.* 116. Paris. *de resignat. lib.* 5. *quæst.* 3. *num.* 13. Majol. *de irregul. lib.* 1. *c.* 13. Molina *de Instit. tract.* 3. *disp.* 70. Lessius *lib.* 2. *cap.* 32. *de instit. & jure, dub.* 25. Reginal. *in prax. lib.* 30. *tract.* 2. *num.* 44. Mandos. *de sign. Grat. tit. de disp. cum corp. vit.* Navarrus *in Manual. cap.* 27. *num.* 198. Sigismund. *de elect. part.* 2. *dub.* 88. & 89. & multi alii
16 Doctores, quod probatur ex Levit. 21. *Homo de semine tuo per familias qui habuerit maculam non offeret panes Deo suo, nec accedat ad ministerium ejus, si cæcus fuerit, si claudus, si parvo, vel grandi, vel torto naso, si fracto pede, si manu, si gibbus, si lippus, si albuginem habens in oculo, si jugem scabiem.* & ex cap. *nisi cum pridem.* §. *alia vero de renunc.* & ex cap. 2. *de cler. agr.* & ex cap. *exposuisti de corp. vit.* & ex Concil. Trid. *sess.* 12. *c.* 4.
17 *de reformat. in fine.* cujus tenor est; *nec aliis imposterum fiat provisio, nisi iis qui jam ætatem, & cæteras habilitates integrè habere dignoscantur, aliter irrita sit provisio:* ibi Concilium loquitur non tantum de dignitatibus, & beneficiis Cathedralium, & Collegiatarum, sed etiam de dignitatibus, & personatibus Regularium, ut autem ad partiales ascendamus inhabilitates corporis, quæ electionem ad munera Prælatorum obeunda impediunt.

18 Decimoseptimò, leprosi sunt inhabiles ad Prælaturas, & ideo ineligibiles, *cap. tua nos de cler. ægrot.* D. Thom. *part.* 3. *quæst.* 82. *art.* 10. Sayrus *lib.* 6. *de censur. cap.* 9. *num.* 7. Majol. *de irreg. lib.* 12. *cap.* 18. *num.* 1. Borgasius *part.* 5. *tit. de cler. ægrot.* Notat tamen
19 Sayrus *loc. cit.* laborantem scabie etiam Herculea, quæ oritur ex atra bile, si aliàs sit idoneus, & periculum sit, ne eo neglecto minus dignus eligatur, posse in Prælatum eligi, cùm scabies nec impotentem, nec multùm abominabilem reddat.

20 Decimooctavò, ad Prælaturas Ecclesiasticas sunt ineligibiles, quibus ex nimia venere ceciderint capilli & barba, secus autem si ceciderunt propter aliam causam. Majol. *lib.* 2 *de irreg. c.* 19. *n.* 4. Sayrus *loc. cit. n.* 6. Reginald. similiter *loc. cit. n.* 49.

Decimononò, laborantes morbo Gallico notoriè 21
non possunt in Abbates, & Prælatos Ecclesiarum eligi,
quia abominabiles sunt, & tanquam publicè concubinarii omnino arcendi sunt. Majol. *loc. cit. c.* 19. *n.* 1. Saytus *loc. cit. num.* 5. Borgasius *citat. num* 1. Avila *de censuris part.* 7. *disp.* 3. *dub.* 4. *conclus.* 1. Henriq. *lib.* 14. *c.* 8. *num.* 8. ubi ait, quod dummodò crimen notorium sit, non requiritur, ut ulcera foras appareant. Advertendum tamen est, quandoque morbum 22
Gallicum provenire ex aeris corruptione, aut ex solo tactu vel osculis, ut advertit Joan. Almenar. *in suo tract. de morbo Gall.* ex qua notatione poterit excusari eligendus in Abbatem. Ita Campanil. *in divers. jur. rub.* 21. *c.* 17 *num.* 168.

Vigesimò, rabidi, sive phthisi infecti non possunt eli- 23
gi in Abbates, & Prælatos. Quia hujusmodi morbus contagiosus est & incurabilis; Prob. *ex c. ex parte tua, de cler. ægrot.* ubi laborantes incurabili morbo ineligibiles declarantur, præsertim si morbus est contagiosus, ut diximus.

Vigesimo primò, Paralysi laborantes sunt pariter in- 24
eligibiles, ex *c. ult. de cler. ægrot.* generat enim Paralysis, seu ut dicunt alii Apoplexia impotentiam, & indecentiam. Ita Sayrus *loc. cit. num.* 10. Majol. *lib.* 2. *de ir-* 25
reg. c. 24. *num* 1. Campanil. *loc. cit. num.* 64. ex quibus
Doctoribus licet colligere, quod habentes tantummo- 26
do manus tremulas, vel caput, aut linguam, & tremor non sit ita magnus, nec impediat eligendum in Prælaturam, nec ad risum moveat, sive abominabilem illud reddat, posse eligi.

Vigesimo secundò, Podagrosi continui, vel quasi 27
continui sunt ineligibiles, ratio est, quia Prælati, & Pastores debent esse omnino ad prospiciendum, & providendum necessitatibus expediti, quæ quidem necessitates eorundem Prælatorum curam erga subditos tam spiritualem, quàm corporalem respiciunt: Podagra autem cùm reddat Prælatos omnino impotentes, constituit illos ineligibiles ex D. Thom. 3. *p. quæst.* 92. *art.* 10. Sayrus *lib.* 6. *de censur. c.* 9. *n.* 4. Majol. *loc. cit. c.* 2. *num.* 1. Paris. *loco citat.* Campanil. *in divers. jur. rub.* 11. *c.* 17. *n.* 157. Reginald. *in prax lib* 30. *num.* 57. Nota tamen quod si Podraga non sit continua, sed intermedia, non impedit, ut quis in Abbatem, & Prælatum eligatur. Ita Abbas *in c. cum inter canonicos de elect. num* 7. & expressè Paris. *loc. cit. quæst.* 3. *n.* 4. & Campanil. similiter *loco citat.* Ratio est, quia cùm Podagra intermedia non præbeat impedimentum perpetuum, non debet consequenter perpetuo a Prælatiis homines arcere.

Vigesimo tertiò, morbo Comitiali, sive caduco la- 28
borantes ineligibiles sunt, etiamsi eodem morbo semel sint vexati. Ratio est, quia talis morbus insanabilis est, & horrorem gignit, & timorem videntibus incutit. Majol. *loc. cit. cap.* 16. *num.* 1. & 2. Parisius *lib.* 5. *de resign. quæst.* 6. *num.* 105. Sayrus *de cens. lib.* 6. *cap.* 9. *num.* 11. Navarr. *in Manual. cap.* 27 *num.* 203. Campanil. *in divers. jur. rub.* 11. *cap.* 17. *num.* 172. qui omnes affirmant prædicto morbo Comitiali infectos ineligibiles esse.

Vigesimo quartò, qui sunt à communi statura homi- 29
num, sive excedit in magnitudinem, sive in parvitatem, ita alieni, ut contemptibiles & ridiculi reddantur, non possunt in Abbates, & Prælatos eligi, quia non possunt decenter munera sua exequi. ex *cap.* 2. *de cler. ægrot.* ubi Gloss. *verb. deformitatem.* & *c. finali de corp. vit.* Ita Innoc. *in c. ex part. eod. tit.* Abbas *in c.* 2. *de cler. ægrot. n.* 2. & 3.

Vigesimo quinto, ineligibiles sunt furiosi, & luna- 30
tici, qui lucida intervalla patiuntur propter eandem rationem, quia nimirum officia Prælatorum non possunt explere. Majol. *loc. cit. num.* 1. *cap.* 14. Molina *de Instit. tract.* 3. *disp.* 70. *n.* 12. Campanil. *loc. cit. num.* 179.

qui postea *n.* 182. ait electionem de istis furiosis factam, esse ipso jure nullam. Adverte tamen, quod illi qui non patiuntur perpetuam amentiam, licet eligi non possint, poterunt tamen extra tempus amentiæ alios eligere juxta *c. quamvis* 7. *q.* 1. Sigismund à Bononia *de elect. Prael. loc. cit. num.* 6. ubi ait, idem esse dicendum de Dæmoniacis.

31 Præterea ineligibiles similiter sunt, qui faciem ita abhorrentem à consuetis habent, ut risum moveant. Ita Campanil. *loc. cit.*

32 Vigesimosextò, claudi non sunt ineligibiles, qui nec magnam generant abominationem, cùm turpitudo illa vestium longitudine cooperiatur, nec turpitudo illa à propriis Ecclesiarum suarum, & subditorum curis impediat. ex *c. si quis infirmitate, dist.* 55. Majol. *loc. cit. c.* 18. *n.* 2. Sayrus similiter *loc. cit. n.* 22. Si autem ita claudi sint ut pedibus stare non possint, nec ambulare sine sustentaculis, sunt ineligibiles propter impotentiam munia sui officii exequendi, ita Majol. & Sayrus *loc. cit.* & S. Antoninus 3. *p. tit.* 28. *c.* 5. Campan. *loco cit. num.* 127.

33 Vigesimoseptimò, cæci sunt ineligibiles ex *c. hinc etenim*, §. *cæcus, dist.* 49. S. Thom. 3. *part. quæst.* 82. *art.* 10. Campanil. *loc. cit. num.* 51. Majol. similiter *loc. cit. c.* 20. *n.* 1. Garcias *de benef. part.* 7. *c.* 13. *n.* 21. Reginald. *loc. cit. num.* 40. Parisius *lib.* 5. *de resign. quæst.* 6. *n.* 36. ratio est, quia impossibile redditur, ut cæci Prælaturæ officium, quod hominem oculatum expetit, possint explere.

34 Si petas an lippi, strabones, lusci, & alii patientes in oculis defectum ineligibiles sint ad Prælaturas? Respondeo negativè, dummod in eis non sit tanta deformitas, quæ risum moveat, & scandalum parturiat; monendi tamen sunt electores, ut à signatis caveant.

35 Vigesimooctavò, Dæmoniaci sunt ad Prælaturas ineligibiles. Majol. *loc. cit. c.* 15. Borgas. *de irregul. part.* 5. *tit. de corp. vit. num.* 15. Sayrus *loc. cit. n.* 14. Campanil. *loc. cit. n.* 148. Advertendum tamen est, maleficium in solis genitalibus non esse dicendum Dæmoniacum, prout ad rem nostram facit, ita Sayr. *de censur. lib.* 6. *c.* 14. *n.* 14. Sigismund. à Bonon. *de elect. can. dub.* 89. *n.* 9. possunt tamen Dæmoniaci eligere, *ex eod.* Sigismund. *loc. cit.*

36 Vigesimonono, qui carent manibus aut digitis, sunt ineligibiles, tum propter impotentiam officium Prælaturæ exercendi, tum propter deformitatem, *cap. final. de corp. vit. & c.* 2. *de cler. ægrot.* & S. Thom. 3. *part. quæst.* 82. *art.* 10. *ad tertium.* Borgas. *de irreg. part.* 5. *tit. de corp. vit. num.* 4 Majol. *lib.* 1. *cit.* 14. *n.* 1. Reginald. *in prax. lib.* 30. *n.* 53. Sayrus *de censuris, lib.* 6. *c.* 8. *n.* 18.

37 Trigesimò, carentes naso non possunt eligi in Prælatos & Abbates propter deformitatem, ita Sayrus *loc. cit. n.* 14. Majol. *loco cit. c.* 21. Campanil. similiter *loc. cit. n.* 44. Adverte tamen habentes nasum distortum, parvum, magnum, simum, contusum, possunt eligi, dummodo nasi magnitudo, vel parvitas deformitatem non inducant, Camp. *loc. cit. n.* 85.

38 Trigesimoprimò, muti ineligibiles sunt, non enim possunt subditos suos docere, monere, & corrigere, quæ omnia sunt præcipua Prælatorum munera, *suppl.* 3. *part. loc. cit.* Majol. *de irreg. lib.* 1. *cap.* 26. *num.* 2. Sayrus

39 *loc. cit. n.* 21. quiomnes DD. putant balbutientes non esse communiter ineligibiles, nisi esset talis defectus, ut vix possent integrum verbum efformare.

40 Trigesimosecundò, surdi sive naturales, sive casuales sunt ineligibiles durante surditate. Ratio est, quia cùm non possint suos subditos audire & auxilium tam spirituale, quàm corporale eis implorantibus præstare, officio suo non satisfaciunt. Sayrus *de censur. lib.* 6. *cap.* 8. *num.* 17. Majol. *lib.* 1. *cap.* 25. *num.* 1. Parisi. *lib.* 5. *cit. quæst.* 3. *num.* 25, Campanil. *loc. cit. n.* 39. idem dicendum de illis quibus abscissæ sunt aures propter delicta, quod maximam inducit turpitudinem, & deformitatem. Ita Avila *de censur. part.* 7. *disp.* 3. *dub.* 1. *corol.* 2. Campanil. *loc. cit num.* 4. non autem idem habetur judicium de surdastris, ipsi enim non censentur ineligibiles. Navar. *lib.* 1. *consil. de corp. vit. cons.* 7. *num.* 3.

Trigesimotertiò, Hermaphroditi non possunt eligi in Abbates & Prælatos, si enim in eis magis vigeat sexus femininus, sunt ineligibiles jure divino; si vero sexus virilis, sunt ineligibiles jure canonico, *cap. si testes* 4. *quæst.* 4. §. *Hermaphroditus*, Suarez *tom.* 5. *in* 3. *part. disp.* 51. *quæst.* 2. *num.* 1, Azorius *part.* 3. *institut. moral. lib.* 6. *cap.* 2. *quæst.* 3. Avila *de censur. part.* 7. *disp.* 3. *dub.* 5. 41

Trigesimoquartò, gibbosi sunt ineligibiles ad Abbatias & Prælaturas, intelligo autem de iis gibbosis, qui omninò curvi sunt, & oculos in cœlum elevare non possunt sine magna difficultate, ex *cap. hinc etenim, dist.* 49. *verb. gibbosus.* 42

Trigesimoquintò, stulti, stolidi, fatui, seu simplices sunt ineligibiles, quia sunt inepti ad regimen animarum, & Pastoris officium gerere nesciunt, ex *c. Petrus, dist.* 39. Majol. *lib.* 2. *de irregul. c.* 13. *n.* 6. Henriq. *lib.* 14. *c.* 8. *n.* 9. Azor. *tom.* 2. *lib.* 6. *c.* 2. *q.* 4. 43

Trigesimosextò, valetudinarios qui nimirum malo corporis affectu sæpesæpius male valent, frequenterque ægrotant, ineligibiles esse. Ratio est, quia muneri sibi injuncto Prælaturæ satisfacere minimè possunt; unde electio nulla erit, ex *c. final. de rescriptis, in* 6. Imo electi tenentur in conscientia renuntiare; nec aliter absolvi possunt. Navar. *in Manual. c.* 25. *n.* 233. Parisi. *loc. cit. quæst.* 6. *num.* 9. Suarez *tom.* 5. *in* 3. *part. S. Thom. disput.* 51. *sect.* 2. *num.* 17. S. Thom. 2. 2. *quæst.* 185. *art.* 4. ubi notat. Cajet. quod causæ obligantes Prælatum ad renunciandum Prælatiis, à fortiori obligant ad non acceptandum illis oblatis; simulque obligant electores ne prædictis offerant, maximè quando causa notoria est. 44

Petes, an qui post aliquod tempus pristinam redimit valetudinem, possit eligi, cùm antea esset inhabilis? Respondeo affirmativè, dummodo probet se esse sanum, Gloss. *inc. inter canonic. verb. recusatus, de electione*, cum Joan. Andr. & Panormit.

In hac tamen re maximè præcavendum est, quod ideo valetudinarii sunt ineligibiles, quia munia Prælatiæ injuncta exequi minimè valent; unde si stante etiam infirmitate possent aliquod munus exercere, ad illud utique eligi posse existimarem cum Laurent. de Peirinis *tom.* 2. *de Prælat. cap.* 4. *n.* 4. maxime si esset benemeritus.

Trigesimoseptimò, debiles sunt ineligibiles, si debilitas proveniat ex mala dispositione corporis, & sit ferè eadem cum infirmitate, aliàs non, Menoch. *lib.* 2. *de arbitr. cas.* 6. *n.* 14. Parisi. *loc. cit. q.* 3. *n.* 26. 45

Si quæras an præpingues possint eligi in Abbates, & Prælatos? Respondeo affirmando, quidquid dicant Campanilus, & Laurent. de Peirinis *loc. cit.* maximè si carnositas naturaliter eis advenerit, & in toto corpore æqualiter consistat, nec illos impediat ad suum officium complendum.

Trigesimooctavò, senes si sint inhabiles ad munus suum exercendum, ineligibiles sunt, ex *cap. nisi cum pridem*, §. *alia verò, de renunc.* S. Thom. 2. 2. *quæst.* 185. *n.* 4. qui autem dicantur hi senes, nil certi statui potest, cùm non unius complexionis sint omnes homines; sufficiat igitur me dixisse illos senes ineligibiles esse qui officia Prælaturæ subire nequeunt. 46

Trigesimononò, si aliquis electione secuta, & post Prælatiam, sive Abbatialem dignitatem acceptam inciderit in aliquam infirmitatem ex prædictis, non debet invitus removeri, nec ad renunciandum cogi, sed in tali casu debetur ei coadjutor, *cap. penult. & ult.* 47

& ult. de clericis ægrotant. & *c. script. mihi*, & *c. quamvis triste 7. quæst. 1.*

48 Quadragesimò, publicus aleator est ineligibilis ad Abbatias, & alias Prælaturas, & si eligeretur, electio esset nulla, ex *cap. inter dilectos, de excessib. Prælat.* juncta Gloss. *verbo Aleatorum*, & *cap. clerici, de vit. & honest. cler.* Paris. *de resignat. lib. 4. quæst. 3. n. 67.* Panormit. *in d. cap. inter dilectos, de excess. Prælat. num. 6.* Tabien. *verbo ludus, num. 7.* Farin. *in prax. part. 3. quæst. 109 num. 96.* Majolus *de irregular. lib. 3. c. 1. n. 7.* Castellin. *de elect. cap. 4. num. 58.* Menoch. *de arbitr. libr. 2. casu 350. n. 3.* Barbos. *de potest. Episcop. part. 2. allegat. 42 n. 11.* Diaz. *in pract. c. 72. n. 2.* Campanil. *in divers. jur. rubr. 4. n. 52.*

Hoc tamen intelligendum est, ut (præmitto) de publico aleatore qui ludere solitus est, non de illo, qui una, aut vicibus aliquibus lusit, sic colligitur ex *cap. Episcopus, dist. 35.* & Menoch. *loc. cit. n. 19.* Farin. *loc. cit. num. 102.*

Dices electio secreti aleatoris estne ipso facto nulla, sicut electio publici aleatoris? Respondeo negativè, potest tamen irritari, si monitus, non resipiscat, ut dicunt Doctores *suprà* citati.

49 Quadragesimo primimò, vino dediti, & inebriare se consueti ineligibiles sunt ad Prælaturas, & electio similiter si sequatur erit ipso facto nulla, *c. à crapula de vit. & honest. cleric.* & *c. Episcopus, dist. 35.* qui canones innovantur à Concil. Trident. *sess. 21. de Refor. cap. 2. & sess. 24. cap. 12. eod. tit.* Cened. *collect. 33. ad decret. num. 4.* Aldred. *de disciplin. tuenda, lib. 2. cap. 15. n. 40.* Barbos. *de offic. Episc. part. 2. alleg. 28. num. 11.* Menoch. *de arbitr. lib. 2. casu 404. num. 4.* Rebuff. *in prax. tit. de cler. ad sacr. ord. mal. promot. gloss. 4. num. 5.* Hostiens. *in sum. lib. 1. tit. de tempor. ordin. num. 17.* Sayrus *de censuris, lib. 5. cap. 31. num. 12.* Tabien. *verbo ebrietas §. 5.* Majolus *de irregular. lib. 5. cap. 3. n. 2.* Speculat. *lib. 1. tit. de dispens. §. num. 6.* Sigismund. à Bonon. *de elect. dub. 89. num. 8.*

Si quæras, Prælatus habens dignitatem antequam se incipit inebriare, an privetur tali dignitate, quando se inebriat? Respondeo, non est statim ea dignitate privandus, sed priùs debet coram fratribus, vel aliis Clericis bis, aut ter moneri ut se abstineat, quod si adhuc perseverat peractis hujusmodi admonitionibus, poterit, imò debet privari, *c. sacerdos, dist. 35.* & *cap. à crapula de vit. & honest. cler.* ubi Abb. *num. 3.* Hostiens. *in sum. loc. cit. num. 17.* Tabiena *verbo ebrietas, § 5.*

Sed duo in tali re cavenda sunt. Primò debet constare de tali admonitione super prædictam violentiam ad hoc, ut relatus possit privari non secuta emendatione. Secundò cavendum est, quod dicta admonitio fieri debet etiam si ille sit solitus inebriari, Archidiac. *in c. Episcopus, dist. 35. n. 1.* Difficile tamen potest probari ebrietas, & testes de illa deponentes debent rationem reddere eorum quæ testificantur quoad ebrietatem. Ita Gutier. *loc. cit. n. 133.* Rodriq. *tom. 2. regul. quæst. q. 37. art. 1.*

50 Possunt tamen observari aliqua signa, ex quibus dignoscitur ebrietas, & sunt hæc: Primum est facies rubra inflammata ultra solitum, qua mediante milites agnoscebantur ab Imperatoribus reste Marcardo, & ex oculis scintillantibus, & lachrymantibus. 2. ex locutione, ut si plus solum, & insolita nullo ordine servato, si secreta patefecerit, & dum loquitur balbutiendo verba proferat. 3. si periculosè incedere videatur. 4. si nimium bibere solitus sit, & ultra consuetudinem. 5. si stupeant, vel sine causa nimium rideant. 6. quòd omnia eis circumferri videantur. 7. quòd ea quæ procul sunt enumerare non valeant. 8. & quòd una, & eadem res eis plures esse videntur. 9. quòd tremunt, & solis labore gaudent. 10. quod sunt ad lacrymandum propensiores ex Barbos. *part. 1. de potest. Episc. tit. 2. gloss 11. num. 6.* & Laur. de Peirin. *tom. 2. de Prælat. quæs. 2. c. 5. n. 67.*

Non desunt aliqui Doctores, qui putant ebrios non solum ineligibiles esse ad Abbatias, & Prælaturas, verum etiam putant voce activa carere in electionibus Canonicis, quia existimant eos infames, & irregulares; non videntur tamen mihi privati quoad jus commune à voce activa tempore sobrietatis præstanda ex *cap. quamvis 7. quæst. 1.* & licet ibi sermo sit de furiosis, & 51
patientibus lucida intervalla; intelligi etiam potest prædictum cap. de ebriis, qui æquiparati possunt furioso, quia ubi ebrietas, ibi furor est: ex *c. venter. dist. 35.* & ex communibus Doctorum placitis: unde sicut isti possunt eligere quando habent lucida intervalla, ita & ebrii eligere poterant tempore sobrietatis; hoc tamen fallit in multis Congregationibus, & præsertim in Congregatione Minorum fratrum, ut notat Passar. *in schol. ex c. Genuen. 5. n. c. 17.*

Nec obstant varia jura pœnam irrogantia patrantibus delicta tempore ebrietatis *l. recipiendam, §. delinquunt, vers. impetum, ff. de pæn. c. in ebriaverunt, 21. q. 1. & cap. d. crapula, de vit. & honest. cleric.* Quod non currit de patrantibus delictum tempore furoris. Respondeo enim illas pœnas impositas esse ebriis, etiam tempore ebrietatis pro dilecto patrato propter peccatum ebrietatis, ita Barb. *de offic. & potest. Episc. p. 2. alleg. 38. n. 3.*

Quadragesimosecundò, Hæretici sunt ineligibiles ad Prælaturas, & Abbatias, quod si eligerentur, electio ipso jure nulla est; & quod dico de Hæreticis, valet etiam de receptatoribus, fautoribus, defensoribus, Hæreticorum, ita Sanchez *lib. 2. in decal. c. 26. n. 4.* Pegna *in direct. inquisit. com. 162. & 163.* Farin. *de Hæret. q. 189. n. 71.* Lambert. *de jur. patron. part. 1. lib. 2. quæst. 9. art. 6. n. 7.* & communiter Doctores. 52

Probatur multifariè primò ex *c. quicunque, §. Hæretici, de Hæret. in 6.* Tam etiam probatur ex eo quod Hæretici sunt excommunicati *cap. noverit, de sentent. excom. cap. Achatius, & audivimus 24. quæst. 1. cap. ad abolendam, c. excommunicamus 1. & 2. de Hæret.* Tum etiam probatur eo quod sunt extra Ecclesiam, & ideo non sunt ad dignitates admittendi, quia qui sunt extra Ecclesiam Catholicam nihil Ecclesiasticum possunt possidere, *c. quo jure, §. legantur, C. 8. c. 1. & 2. 23. quæst. 7.* Tum quia supradicti sunt infames, *6. quæst. 1. c. alicui 2. quæst. 7.* tum quia sunt irregulares, *cap. saluberrimum, c. convenientibus. 1. quæst. 7. c. Nos consuetudinem dist. 12.*

Sed advertendum est prædictam conclusionem intelligendam esse tam de Hæreticis manifestis, quàm occultis. Bonac. *de cens. disp. 7. quæst. 3. part 7. num. 3.* Suarez. *de censur disp. 43. sect. 1. n. 4.* Azor. *2. part. Instit. moral. lib. 8. c. 13. quæst. 7.* Dixi occultos ad excludendos mentales, quos non puto esse excommunicatos, nisi exterius signum interioris hæresis manifestativum exprimant, ita Farin. *de Hæres. quæst. 192. §. 1. num. 4.* Garc. *de Benefic. part. 11. c. 10. n. 91.* 53

Dices post publicam emendationem potest non eligi in Abbatem & Prælatum? Respondeo, quod qui lapsus est in hæresim, sive publicam, sive occultam, etiam sequuta absolutione semper remanet irregularis, non solum ad dignitates, verum etiam ad ordines recipiendos, & etiam ad exercendos eosdem ordines quos habet. Suarez *loc. cit. num. 2.* Sanchez. *2. in Decal. cap. 25. num. 2* Campanil. *in divers. jur. rub. 11. cap. 26. num. 3.* Majol. *de irregul. lib. 5. cap. 46. num. 1.* Garc. *de Benef. loc. cit. num. 81.* Bonac. *de censur. disp. quæst. 3. part. 7. num. 6.* Imo extat Decretum de mandato Urbani VIII. sub die 1. Octobris 1626. Romæ promulgatum, quo cavetur Regulares pœnitentiatos ab offi-

ab officio sanctæ Inquisitionis inhabiles esse ad dignitates, etiamsi pœnitentias compleverint, & eorum rehabilitatio Papæ reservata est, sive Congregationi coram eo habendæ.

54 Quoad secundam partem supradictæ conclusionis, scilicet de fautoribus, & defensoribus, & etiam quoad filios Hæreticorum usque ad secundam generationem per lineam paternam, & per lineam etiam maternam, usque ad primam generationem, dico illos esse ineligibiles ad Prælaturas; ita ut si eligantur, eorum electio similiter est ipso jure nulla, ita Sanchez 2. *in Decal. cap.* 27. *n.* 2. Farin. *de Hæresi quæst.* 191. §. 2. *n* 48. Azorius *tom.* 1. *lib.* 8. *c.* 13. *quæst.* 8. Pegna *in direct. Inquis. part.* 3. *com.* 163. Avila *de censuris, part.* 7. *disp.* 4. *dub.* 3. *concl.* 1.

Advertendum tamen pro intelligentia hujus rei, quod primus, & secundus gradus per lineam paternam arceantur à dignitatibus, & officiis; per lineam verò maternam solummodo primus gradus, si v.g. Titius fuerit hæreticus, & filium habuerit, erit inhabilis, & ineligibilis ad Prælaturas; & similiter si filius Titii filium habuerit, inhabilis, & ineligibilis erit, si verò Titius filiam habuerit, quæ filium genuerit, hic filius non erit inhabilis, ita si fœmina hæresim incurrerit, & genuerit filios, ipsi filii solummodo inhabiles erunt, ex *cap. quicunque*, §. *hæretici*, & *cap. commissi, verb. ut privati*, & *cap. statutum* 2. *de hæret. in* 6. Pegna *part.* 3. *quæst.* 115. *com.* 164. Molina *tract.* 3. *de Just. tom.* 1. *disp.* 658. *n.* 19. Suarez. *tom.* 5. *disp.* 43. *lect.* 3. *num.* 1. Bonacina *de censuris, disp.* 7. *quæst.* 3. *part.* 7. *n.* n9. Lessius *de justit. lib.* 2. *c.* 33. *n.* 121.

55 Si quæras, an supradicta conclusio intelligatur tam
de filiis legitimis, quàm illegitimis? Respondeo ex communi
omnium sententia intelligendam esse de utris-
56 que, aliàs majori privilegio gauderet luxuria, quàm ca-
stitas, ut benè notat Sigismund. à Bononia *de elect. dub.*
82. *num.* 2. Ubi enim lex non distingvit, etiam nos non
debemus distinguere, unde cùm nulla reperiatur lex,
quæ inter filios legitimos & illegitimos distinctionem
ponat in præsenti re de qua loquimur, nullam debemus
ponere distinctionem. Videatur Covar. *lib.* 2. *var.*
cap. 8. *numer.* 3. Ricciullus *de jur. person. lib.* 5.
cap. 30. *numer.* 1. Azor. *tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 4. *quæst.* 4.
57 qui omnes sine ulla distinctione prædictam conclu-
sionem seqvuntur.

Hinc oritur maximum dubium, & valde à Doctoribus agitatum, an geniti ante paternam hæresim comprehendantur in conclusione prædicta. Partem negativam seqvuntur Symmachus *de cathol. Institut. tit.* 29. *num.* 14. Lessius *loc. cit.* Bonac. *loc. cit. numer* 10. ubi multos colligit Doctores pro sua sententia. Affirmativam sententiam defendunt Covar. *lib.* 2. *var. resol. cap.* 8. §. 5. Rota *in tract. de hæret. part.* 2. *assert.* 4. *n.* 352. Pegna *ubi suprà comm.* 163. Azor. *part.* 2. *lib.* 6. *cap.* 4. *quæst.* 13. Farinac. *loc. cit. num.* 51. ubi testatur sic resolvisse Rotam *coram dicto Pegna Cochen. pensionis* 24. *Octobris* 1554. & *in eam causam coram Peregrino* 6. *Martii* 1598. Garcias *de Benefic. part.* 11. *capite* 10. *num.* 79. ubi de verbo ad verbum refert, & sequitur prædictam decisionem coram Peregrino. Marescottus *lib.* 2. *var. resol. cap* 36. *num.* 10. quæ sententia etiam mihi videtur probabilior. Primò ex illo Exodi 20. *Ego sum Dominus Deus tuus fortis, & zelotes, visitans iniquitatem patris in filios in tertiam & quartam generationem eorum.* Probatur etiam ex *dicto cap. statutum.* 2. *de hæret.* ubi habetur, quod filii hæreticorum, quorum parentes hæretici decesserunt, afficiuntur dictis pœnis, quibus puniuntur parentes; & cùm non distinguatur ibi de filiis ante, vel post hæresim natis, nec nos distinguere debemus, juxta *d. l.* 2. *ff. de offic. Præsul.* tum etiam quia filii solent imitari patrum suorum mores, ut probant *verba Nazianzeni ad Nicob. tom.* 2.

Gloria namque Patri natorum fama, decusq;
Et rursus natis est gloria fama parentum.
Gratia communis, labes communis utrique.

Dices quid dicendum est de filiis descendentibus ex 58
hæreticis occultis? Respondeo, prædictos non esse inhabiles, & ineligibiles: ad hoc enim ut reddantur inhabiles, oportet ut ortum ducant ex iis, quos tales esse hæreticos constiterit, sive per evidentiam facti, sive per sententiam judicis, sive per confessionem propriam in judicio. Ita Lessius *loc. cit.* & Farinac. similiter *loc. citat. numer.* 69. Azor. 2. *part. lib.* 6. *capite* 4. *quæst.* 3.

Si dicas, an reddantur inhabiles, & ineligibiles ad 59
Prælaturas descendentes ex condemnatis in contumaciam? Farin. *loc. cit. num.* 58. partem negativam rationibus & auctoritatibus defendere nititur; & addit, etiamsi statua eorum fuerit combusta. Sed probabilior videtur sententia Pegnæ *loc. cit. com.* 164. & Sanchez *loc. cit. n.* 19. qui hac ratione eorum sententiam suadere conantur: nam talis contumax in crimine hæresi, æquiparatur pertinaci, & ob id pro hæretico habetur, cum præsumptio vehemens transeat in violentam, sic Hostiensis, Joannes Andr. Francus, & alii, quos refert & sequitur Rota *coram Peregrino suprà allat.*

Sed adverte, quod contumax qui damnatur, verè & propriè contumax sit, juxta *caput excommunicamus*, §. *qui autem, in fin. deberet.* & *cap. cum contumacia eodem titul. in* 6. Si enim de ejus contumacia planè non constaret, aut anno elapso per morbum aut aliud impedimentum legitimum ad inquisitorem non posset accedere, vel pro absolutione institisset, vel obtinuisset satisfactionem, vel denique ea præstitisset, dixisset, vel fecisset, quæ omnia illum hominem Catholicum ostenderent, tunc ejus filii & nepotes non sunt censendi inhabiles, & ineligibiles ad Prælaturas. Ita Sigismund. à Bonon. *de elect. dub.* 72. *num.* 5 *verb. & quamvis*, ubi *num.* 6. hanc movet dubitationem.

An si hæretici resipiscant, & reincorporentur Ec- 60
clesiæ, eorum descendentes priventur dignitatibus & honoribus? & respondit negativè, quod patet ex *dicto capite statutum* 2. *de hæret. in* 6. ubi hæc præcisè habentur verba, *non autem illorum quos emendatos esse constiterit, & reincorporatos Ecclesiæ unitati.* Idem dicendum est, si ante pœnitentiam peractam decesserint, dummodo eam recipere & exequi parati essent. Ita Pegna *loc. cit. com.* 172. Farinac. similiter *loc. citat. numer.* 64. Secus tamen dicendum est si hæretici relapsi sint, quamvis iterum pœnituerint. Ita Pegna *loc. citat.* Azor. *loc. citat.* Avila *de censuris, numer.* 7. *disputat.* 4. *dub.* 3. Farinac. *loc. citat. numer.* 65. Ratio est, quia relapsi licet per pœnitentiam resipiscant, non tamen habentur pro reconciliatis, ut textus supradictus postulat; ideo traduntur Curiæ seculari, & tunc Curiæ sæculari relaxatus si converteretur, tamen præsumeretur tanquam hæ-
reticus, & ejus conversio ficta propter timorem pœ-
næ, præter tamen illud quod ad absolutionem spe-
ctat *cap. super eo, de hæret. in* 6. Hæreticus autem 61
ille dicitur relapsus, qui hæresim de vehementi abjuravit, & deinde ad eandem hæresim, vel aliam reversus est, vel qui de hæresi infamatus coactus fuit se ab ea purgare, tanquam vehementer suspectus, si postea deprehendatur in eandem hæresim de qua se purgavit incidisse, est verè relapsus; si autem in aliam hæresim, de qua non se purgavit, inciderit, non dicitur relapsus. Ita Laurent. de Peirin. *tom.* 2. *de Præl. q.* 2. *cap.* 5. *n.* 78.

Nascitur curiosa difficultas, an, qui obtinuerunt 62
dignitates, & Prælaturas antequam patres eorum inciderint in hæresim, priventur eisdem dignitatibus, &

Prælatu-

Prælaturis quando eorum patres in hæresim inciderint. Prima sententia est Panormitani *in cap. vergentis*, *n.* 4. Rebuff. *in pract. tit. de mod. admis. benefi. num.* 25. Covar. *lib.* 2. *var. resol. cap.* 8. *n.* 4. Simanch. *loc. cit. num.* 20. Pegnæ *loc. cit. comm.* 163. Menoch. *consil.* 805. *num.* 33. *lib.* 9. Azor. *loco cit.* Sanchez *loco cit. cap.* 28. *num.* 28. Duard. *in Bull. Cœn. Domini*, *lib.* 2. *can.* 1. *quæst.* 20. *num.* 17. & aliorum qui partem negativam amplexantur. Secunda sententia est Joan. Andr. *in c. ut commissi*, §. *privandi*, *num.* 4. Geminian. *num.* 4. *de hæret. in* 6. Ananiæ *num.* 13. *de hæres* Præposit. *in cap. fatis perversum*, *num.* 4. *dist.* 56. Garciæ *suprà loc. cit.* & aliorum, quos refert & sequitur Farin. *loc. cit. num.* 57. qui omnes affirmativam sequuntur sententiam: cui conferre videntur Bullæ Summorum Pontif. Innocentii IV. Nicolai III. Alexand. IV. & Pauli IV. ut ait Sigismund. à Bononia *de elect. dub.* 82. *num.* 8. ubi notat, quod cùm hujusmodi dubium occurrisset tempore fel. record. Clem. VIII. anno 1594. S. Congregatio Inquisitionis die 23. Decembris decrevit, servandam esse opinionem negativam, tanquam humaniorem. Ita testatur Marescottus *lib.* 2. *var. resolut.*, *cap.* 35. *num.* 9. Verùm quia pars instabat pro resolutione, causa de ordine Sanctissimi iterum proposita articulis maturè discussis resoluta fuit secundum sententiam affirmativam *sub die* 6. *Martii*, 1598. *quæ est decis.* 113. Farinac. *suprà cit.*

63 Quadragesimo tertiò, Neophyti sunt ineligibiles ad Prælaturas & dignitates, patet ea *cap. quoniam*, & *cap. sicut Neophytus*, *dist.* 48. rationem assignat Gratianus *in principio hujus dist* in his præcisis verbis: *Prohibetur Neophytus in Episcopos ordinari, ut qui heri erat catechumenus hodie non fiat Episcopus; qui heri erat in Theatro, hodie non sedeat in Ecclesia; qui vespere erat in circo, hodie non ministret altari; qui dudum fuit fautor histrionum, hodie non sit consecrator Virginum; causa autem hujus probationis est secundum Apostolum*, 1. ad Timoth. 3. *ne elatus in superbiam, tanquam Religio Christiana plurimùm ejus egeret, incidat in ruinam Diaboli: momentaneus namque sacerdos nescit habere humilitatem, observare modos personarum, vel contemnere; non jejunavit, non flevit, non se correxit, non pauperibus erogavit: in arrogantiam, quæ est ruina Diaboli, incidunt, qui punctò hora, nec dum discipuli, fiunt magistri:* supradicta conclusio secuta fuit à communi DD. sententia, ut Suar. *loc. cit. n.* 5. Sayrus *de censuris*, *lib.* 6. *c.* 13. *n.* 10. Navarr. *in Man. cap.* 27. *n.* 206. Azor. *tom.* 2. *lib.* 6. *c.* 2. *q.* 2. Covar. *in Clem. si furiosus*, *p.* 1. §. 2. *n.* 7. Majol. *de irreg. lib.* 1. *c.* 31. *n.* 1. Lambert. *de jur. patr. lib.* 2. *p.* 1. *q.* 7. *art.* 14. *n.* 2. Rodr. *tom.* 1. *q. Reg. q.* 14. *art.* 5. Barbos. *de potest. Episc. p.* 1. *tit.* 2. *gloss.* 17. *n.* 3. Parif. *lib.* 4. *de resign. q.* 4. *n.* 20. Bonac. *d. cens. disp.* 7. *q.* 2. *p.* 1. *n.* 5. Sigismund. à Bonon. *de elect. dub.* 84. *num.* 2. ubi ait, quod Neophyti sunt irregulares, & consequenter arcentur à Prælaturis, & dignitatibus, quandiu per Episcoporum judicium, & Prælatorum jurisdictionem, quasi Episcopalem habentium ita moribus & Christiana disciplina instructi sunt, ut veterani Christi milites censeri possent, quo tempore elapso cessat talis irregularitas, & consequenter sine dispensatione poterunt promoveri, *cap.* 1. *dist.* 57. *cap. cum te*, *de rescriptis*, ubi Felin. *num.* 12. & Tolos. *in tit. de elect. cap.* 12. *num.* 2. Covar. *loc. cit.* Suarez, Sanchez, Rodriquez, & alii *locis cit.*

Si objicias verba *cap. constituit*, 17. *quæst.* 4. statuitur enim per verba hujus capitis, quod Judæi, aut hi qui ea Judæis sunt, officia publica nullatenus appetant: ergo non solum Neophyti, sed etiam ex Judæis nati, licet baptizari ab ineunte ætate, non poterunt, habere officia, & dignitates. Cui objectioni respondet Suarez *loc. cit.* quod ibi per officia publica intelliguntur Magistratus, & alia officia, quæ ad gubernationem politicam & temporalem Christianorum pertinent, ut colligitur ex Concil. Toletano IV. ex quo prædictus textus elicitur. Imò idem Suarez *eodem loco*, inquit, quòd per illos, qui ex Judæis sunt, intelliguntur illi, qui in familia Judæorum extant, nimirum filiifamilias, & hoc probat de mente Glossæ, & Turrecrematæ. 64

Idem dicendum est de filiis catechumenorum, quamvis eorum parentes à fide recesserint, quod de Neophytis *loc. cit.* dictum est: rationem assignat Sigismund. à Bonon. *loc. cit. n.* 4. quia nimirum eorum parentes non sunt verè, & propriè hæretici, unde eorum filii non amplius censendi sunt, quam ex Judæis, sive aliis infidelibus geniti; de qua re vide Sanchez *loc. cit. n.* 13. 65

Quid autem propriè intelligatur per Neophytum? ne æquivocè laboremus, dico quod per Neophytum intelligitur ille, qui ex Judaica lege, aut Mahumetica, sive Ethnica de recenti Christianæ militiæ nomen dedit: dixi *de recenti*, nam, qui a multo tempore decennio, v.g. vel à nativitate, etiamsi à parentibus religionis reprobatæ descendat, baptismum suscepit, non est dicendus Neophytus, sicut nec ille, qui ex patre jam Christianæ legi converso natus est; imo nec ille dicitur Neophytus qui à nativitate baptizatus est, etiam si pater ejus adhuc in infidelitate perseveret. Ita Sanchez 2. *in Decal. c.* 28. *n.* 11. Ricciul. *de Neophyt. c.* 1. *n.* 2. & 3. Covar. *loc. cit. n.* 7.

66 Ex quo sequitur non esse excludendum à sacris ordinibus, nec à dignitatibus Ecclesiasticis, qui ab infideli patre descendens ab infantia, vel saltem à decennio baptizatus est; Suarez *loc. cit. n.* 8. Covarr. *loc. cit. similiter num.* 8. Cæteri autem omnes excludendi sunt, v. g. adulti a novennio baptizati, nisi essent sanctæ & approbatæ vitæ, ut de sancto Ambrosio legitur, *cap. Neoph. dist.* 61. & Lambert. *loc. cit. num.* 7. Majol. *de irreg. lib.* 1. *c.* 31. *num.* 4. Barb. *de potest. Episcopi*, *part.* 1. *tit.* 2. *gloss.* 17. *num.* 7. & alii, qui affirmant, quòd judicare an aliquis sit sanctæ vitæ ad summum Pontif. pertinet.

67 Quadragesimoquartò, abjurantes in sancto Inquisitionis officio non possunt eligi ad Prælaturas, & dignitates, tamsi abjuraverint de levi, quàm de gravi. Not. cum Navar. *lib.* 5 *cons. de hæret. cons.* 18. *num.* 1. quod abjurare est recedere ab aliqua re cum juramento de non redeundo ad illam, ex *cap. accepta*; & *cap. audita*, *de rest. spol.* & *c. super hoc de renunt.* & *cap. ad abolendam*, *de hæret.* quo præmisso dico, quod ex eo quod aliqui abjuraverint, sunt ineligibiles. Ita Navar. *lib.* 5. *cons. de hæret. cons.* 18. *n.* 3. Ricc. *tom.* 1. *decis.* 666. *n.* 6. Ricciul. *lib.* 5. *de jur. person. cap.* 19. *n.* 27. Sanchez 2. *in Decal. c.* 25. *n.* 12. Parif. *lib.* 4. *de Resign. quæst.* 3. *n.* 17. Henriq. *lib.* 13. *c.* 56. *n.* 1.

68 Quadragesimoquintò, bigami non possunt eligi in Abbates & Prælatos, ex *cap.* 1. & 2. *dist.* 33. & *cap.* 1. 2. & 3. *de bigamis*, & ex Concil. Trident. *sess.* 23. *cap.* 17. *de reform.* & communiter DD. D. Thom. *in additis ad* 3. *p. q.* 66. *art.* 5. Sanchez *lib.* 7. *de matr. disp.* 83. Raym. *in sum. de qual. ordin. lib.* 3. § 3. Trotus *de perf. Cler. lib.* 2. *part.* 1. *Requis.* 7. Covar. *in Clem. si furiosus*, *p.* 1. §. 1. *num.* 1. Lambert. *de jur. patron. part.* 1. *lib.* 2. *quæst.* 7. *art.* 13. *num.* 7. Sayrus *lib.* 6. *de censur. cap.* 5. *n.* 5. Azor. *tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 4. *quæst.* 6. Campanil. *in divers. jur. rub.* 11. *cap.* 6. *num.* 19 Henriquez *lib.* 12. *cap.* 6. *num.* 3. Suarez *tom.* 5. *in* 3 *part. disp.* 49. *sect.* 6. *num.* 16. Parif. *de resign. lib.* 4. *quæst.* 4. *num.* 17. Hostiens. *in sum. lib.* 1. *tit. de tempore ordinand. num.* 15. Navarr. *lib.* 1. *consil. tit. de big. cons.* 3. & 4. Barb. *part.* 1. *de potest. Episcop. tit.* 2. *gloss.* 4.

Ratio autem qua mediante Bigamus arcetur ab officiis & Prælaturis habetur ea Hostiense *in summa de Bigam.* §. 5. nimirum, qui duas contraxit nuptias non potest aptè significare unionem Christi cum Ecclesia unica ejus sponsa.

Aham rationem assignat Barbosa *loc. cit.* scilicet quia Bigamia est signum incontinentiæ, unde non potest efficaciter aliis suadere castitatem.

QUÆSITUM XXII.

In quibus casibus electiones ipso jure irritæ sint, vel irritandæ, & cessandæ.

SUMMARIUM.

1 *Electiones clandestinæ reprobantur à jure, ac irritandæ, & cassandæ sunt.*
2 *Clandestinæ dicuntur illæ electiones, quas electores secretas inter se retinent.*
3 *Consentiens electioni de se facienda incidit in ambitionem.*
4 *Electus quomodo respondere debeat, si ejus consensus ante electionem requiratur. Item quomodo, si post electionem, n. 5.*
6 *Postulatus quomodo se gerere debeat.*
7 *Electio celebrata per metum, impedientem omninò libertatem eligendi, est ipso jure nulla.*
8 *Eligere quid sit.*
9 *Metus, ut reddat electionem nullam, oportet, quòd sit cadens in constantem virum.*
10 *Electiones, in quibus intervenit sortium usus, sunt ipso jure nullæ.*
11 *Electio celebrata per abusum secularis potestatis, est ipso jure nulla.*
12 *Electio celebrata per abusum secularis potestatis, quæ dicatur.*
13 *Metus cadens in constantem virum, qui dicatur. Vide remissivè.*
14 *Electio per scrutinium celebrata, in qua omnes schedulæ post votorum numerationem coram Capitulo non comburuntur, irrita est.*
15 *Electio, in qua unus electorum publicè, Capitulo permittente, votum suum manifestat, irrita est.*
16 *Electio est nulla, in qua emittitur aliquid ex substantialibus formæ.*
17 *Gesta contra formam sunt ipso jure nulla.*
18 *Electio celebrata lite pendente est nulla.*

1 OMnes clandestinæ electiones, quæ in cameris & per occulta conventicula fiunt, reprobantur à jure, ac irritandæ, & cassandæ sunt, *cap. quia propter*, §. *electiones, extra de elect.* ubi Anton. de Butr. *num.* 18. & 17. Sylvest. *verbo electio* 1 *qu.* 10. animadvertentes, illas
2 electiones etiam clandestinas dici, quas electores inter se secretas retinent, & clandestinas, remanere præcipiunt; cùm ex dispositione *d. cap. quia propter*, electores post electionem personam electam Conventui publicare debeant.

3 Cassanda est etiam illius electio, qui requisitus antequam esset electus, electioni de se faciendæ consentit; quia vitio ambitionis notatur, *cap. cum post. extra de elect.* ubi Panormitan. *num.* 2. Lambertin. *de jure patron. lib.* 2. *part.* 1. *quæst.* 9. *art.* 13. *num.* 2. Sylvest. *verbo electio*, 1. *q.* 10. *num.* 11. & alii apud Sigismund. à Bononia *in suo tr. de elect. & potest. Præl. Regul. dub.* 41. *n.* 1. Fugientes enim, & inviti, non autem ambientes, & se offerentes eligendi sunt, *can. in scripturis*, 8. *qu.* 1. Quapropter requisitus, ut electioni de se factæ, vel faciendæ assensum præbeat, ne in vitium ambitionis incurrat, debet se habere juxta ea, quæ docent *gloss. in d. can. in scripturis* 8. *q.* 1. & meliùs Innoc. *in c. cum in jure, eod. tit. de elect.* ubi dicit, quòd si consensus ante electionem
4 requiritur, requisitus assentiri non debet; ita enim electio propter ambitionem cassaretur, per *d. c. cum post petitam*, sed respondere debet: *Nolo, quod me eligatis, & ita rogo*, vel post etiam dicere: *Non intendo Dei vocationi resistere*, & ita indirectè voluntatem suam declarare; nam aliquando utile est, eligendi voluntatem ante electionem explorare: ne, si postea electum renuere contingeret, vilipendatur dignitas, vel Ecclesia diu sine pastore remaneat. Quod si consensus post 5
factam electionem requiritur, respondere potest electus: *Nolens volo, & volens nolo.* Ait autem Innocentius, honestum esse, ut non statim assensum præbeat, sed aliquantulum resistat: ne ambitionis vitio notetur. Si verò statim consentiret, timens, ne fortè aliquis perniciosus electioni se ingerat, non damnaretur; quo casu respondere posset: *Charitas me cogit ad consentiendum*, 6
arg. can. sciendum, & can. qui Episcopatum. 8. *q.* 1. Postulatus autem sic respondere debet: *Nec assentio, nec dissentio, sed in hoc superiorum meorum voluntati me suppono*, juxta gloss. *cap. cupientes* §. *penult. verbo consensum, de elect. in* 6.

Electio celebrata per metum, impedientem omninò
libertatem eligendi est ipso jure nulla; quia est contra 7
proprium significatum, & substantiale ipsius vocabuli; cùm eligere sit, unum ex pluribus voluntariè capere,
unde non est electio, ubi voluntas libera non est, *can.* 8
notificasti 33. *q.* 5. *cap. ubi periculum*, §. *cæterum, de elect. in* 6. ubi habetur, quòd in electione liber consensus requiritur: aliàs non erit electio; Metus autem consensus libertatem tollit per. text. *in cap. cum locum, de sponsal.* ergo electio per metum celebrata, est nulla. Ita etiam tenet gloss. *in c. bona memoria el.* 1. *verb. metuebant, extr. de elect.* ubi Panorm. *n.* 11. & *in cap. licèt de vitanda, n.* 12. & *in cap. quisquis, n.* 5. *eod. tit.* Innocent. *sup. d. cap. bona mem. el.* 1. Navarr. *lib.* 1. *cons. tit. de elect. cons.* 5. *num.* 2. Miranda *in Man. tom.* 2. *q.* 23. *art.* 1. Laurent. de Peirin. *tom.* 1. *Religiosi, q.* 1. *de obed. cap.* 31. §. 8. Castel. *in tract. de elect. c.* 4. *n.* 56. Quapropter si facultas eligendi ita coarctetur, ut certum genus personarum, imò una persona eligi non possit, non dicitur libera electio. Gonzal. *super regul.* 8. *Cancell. gloss.* 53. *n.* 25. Rota *decis.* 65. *n.* 6. *part.* 1. *Recentior.* Oportet autem, quòd metus sit cadens in constantem virum: nam si esset levis, non redderet electionem nullam, ut dicunt citati Doctores.

Est etiam ipso jure nulla electio ad officia, & digni- 6
tates Ecclesiasticas, quando in ea sors intervenit; quia est facta contra juris dispositionem, & contra formam *cap. quia propter de elect.* Ita habetur expressè *in cap. fin. de sortileg:* ubi glos. *verbo in electionibus*, alia gloss. *in can. clericos, dist.* 21. Abbas *in d. cap. fin. num.* 3. & 5. S. Thom. 2. 2. *q.* 95. *art.* 8. Ang. *in Summ verbo sors, q.* 2. Mirand. *d. q.* 23. *art.* 18. Garc. *de benef. p.* 5. *c.* 4. *n.* 205. *addit.* Sigismund. à Bonon. *de elect. & potest. Præl. reg. dub.* 27. *n.* 8. contra Suar. *de relig. tom.* 1. *tract.* 3. *l.* 2. *c.* 12. *n.* 9. Sanch. *in Decalog lib.* 2. *c.* 28. *n.* 83. & Bonac. *in Decalog. disp.* 3. *n.* 13. ubi allegat etiam Panorm. *d. cap. fin. num.* 5. sed immeritò. Et quòd sortes in officiis, & beneficiis, & quibuscunque electionibus Ecclesiasticis sint omninò illicitæ, & reprobatæ, præter hîc allegatos tenuerunt Franch. Marc. *q.* 1429. Papon. *lib.* 2. *tit.* 1. *arrest.* 13. Garz. *de benef. p.* 5. *cap.* 4. *n.* 205. Sebast. Medic. *in summ. peccat. capital. tit. de superb. q.* 36. *in* 5. *specie divinat. verb. sortes*, & tenuit Rota Romana *in Tarracenen. observationis statutorum* 14. *Ianuarii* 1631. *coram Reverendiss. D. Durano Episcopo Urgellen.*

Electio facta per abusum secularis potestatis, est ip- 10
so jure nolla, *cap. quisquis de elect.* & ibi Panor. *n.* 1.
Dicitur autem electio per abusum secularis potestatis 11
celebrata, quando Clerici requirunt laïcos, ut electioni intersint; item quando Principis secularis assensum super certa persona eligenda requirunt: vel eligunt minis alicujus secularis Potentatus. Ita Innoc. *in d. cap. quisquis.* Ad Ecclesiasticorum enim Prælatorum electionem non debent laici ad coëligendum admitti; nisi se ingererent per violentiam, quæ caderet in constantem virum; quia tunc possent cum protestatione admitti, & electio erit valida, juxta doctrinam ejusdem Innoc. *in c. cum inter eod. tit.* Oldrad. *cons.* 288. Panorm. *in d. cap.*

cap. Cumana, n 6. & in cap. Meſſana, n. 5. Suar. tom.
12 5. diſp. 31. ſect. 3. n. 13. qui autem metus dicatur cadere in conſtantem virum, declarat Sanch. de matrim, lib. 4. diſp. 1. & ſeq. & in terminis latè Sigismund. à Bononia d. tract. dub. 54. per tot.

13 Irrita eſt electio per viam ſcrutinii celebrata, in qua omnes ſchedulæ, poſt votorum numerationem, coram Capitulo non cremantur, per declarationem à Pio V. vivæ vocis oraculo Cardinali Cribello factam, quam refert Roder. in nova collect. privil. Mend. & non Mendic. poſt Bullas ejuſdem Pontificis, ſub num. 4. & Caſtellin. d. cap. 4. num. 62.

14 Electio, in qua unus electorum publicè, Capitulo permittente ſuffragium ſuum manifeſtat, nulla eſt: cùm non poſſit dici celebrata per vota ſecreta; juxta præſcriptum Concil. Trid. ſeſſ. 25. de Regul. cap. 6. Ita Roderic. in ſum. c. 102. n. 4. Suar. de relig. tom. 4. tract. 8. lib. 2. c. 5. n. 12. Laurent. de Peirin d. cap. 31. §. 8. concl. 3. Secus autem, ſi ſecretò alicui ſuam ſchedulam oſtenderet, quia per hujusmodi ſimplicem oſtenſionem non inficitur electio; aliàs enim eſſet in poreſtate cujuslibet electoris, quam mallet electionem vitiare, ac irritam, & nullam reddere: quod eſſet grave inconveniens. Unde oſtenſio unius ſchedulæ, ſive per malitiam, ſive per errorem, dummodò non eſſet, vel præſumeretur cauſa, ob quam talis electio ſequuta fuiſſet, non infirmat electionem; Ita Navarr. lib. 1. conſil. tit. de elect. conſ. 4. Miranda dict. quæſt. 23. art. 19. Garc. de beneſic. part. 5. cap. 5. num 183. Molfeſ. in 1. part. Summæ moral. tract. 6. cap. 16. num. 153. Caſtellin. dicto cap. 4. num. 3.

15 Generaliter quando omittitur aliquid de ſubſtantialibus, pertinentibus ad formam eſſentialem canonicæ electionis, talis electio eſt ipſo jure nulla, Panormit in cap. cum poſt. de elect. ubi num. 1. teſtatur de communi;
16 quia geſta contra formam ſunt ipſo jure nulla, cap. cum dilecta, ubi Felin. col. 9. de reſcript. Bald. in l. 1. ff. de lib. & poſt. ubi dicit, quòd ſi in aliquo actu non ſervatur forma, actus eſt nullus; idem tenet ibidem Alexand. & Franc. Curt. conſ. 46. in 7. col. & conſ. 49. in 13. col. verſ. ubicumque enim. Confirmatur; nam Innocentius III. in dict. cap. quia propter, tradens formam eligendi per viam ſcrutinii, ſubdit, aliàs enim electio facta non valeat, quæ verba inducunt nullitatem ipſo facto, ut per Innoc. Compoſt. & Panorm. ubi ſuprà, quos refert & ſequitur Sylv. verbo electio 2. num. 13. & hoc quoad præſens quæſitum. Alia, quæ circa hanc materiam deſiderari poſſent, dicta ſunt in ſuperioribus quæſitis hujus diſputationis. Eſt inſuper nulla electio celebrata lite pendente; nam ſi duo electi litigant ſuper electione, & alter moritur, vel cedit juri ſuo, vel cadit, ſeu excluditur à proſequutione; pendente lite non eſt procedendum ad aliam electionem, donec conſtet de bono jure ſuperſtitis, & ſi fiat, eſt nulla, ut eſt text. in cap. 1. ut lit. pend. in 6. cujus diſpoſitio emanavit ad declarationem eorum, quæ notaverat Innoc. in cap. cùm M. Ferrarien. num 9. in fin. de conſtitut. ubi quòd ſicuti quando quis petit præbendam tanquam ſibi debitam, non contrahitur vitium litigioſi: idem eſt ſi petatur confirmatio electionis; ſed huic dicto providit Bonifacius VIII. in d. cap. 1. ut advertit ibi Gloſſ. in verb. diſpendiis, & Bald. in auth. litigioſa, num. 1. C. de litigioſ. inquiens, quod extra dictum Innocent. factus eſt caſus in cap. 1. ut lit. pend. in 6. & ſubdit, hoc eſſe neceſſarium fieri in Palatio Apoſtolico, Archidiac. in dict. cap. 1. ſuper verb. litigantibus; & idem Innocent. eſt ſibi contrarius in cap. ex parte, num. 6. de arbitr. ubi dicit, quòd quando pendet lis ſuper prima electione, non poteſt deveniri ad ſecundum, & idem renuit Oſtien. in d. cap. ex parte, n. 11. ubi allegat text. in cap. conſideravimus, & in cap. auditis de elect. & benè declarat Joan. Andr. in d. cap. cum M. Ferrarien. num. 23. egregiè Rota in Illerden. Præceptoriæ 7. Februar. 1628. coram R. P. D. Dunozetto, quæ infrà eſt deciſ. 20. & in Florentina Parochialis de Vecchiettis 29. Ianuarii 1629. coram bon. mem. Card. Verile; & in Piſana beneficii 27. Iunii 1629. coram R. P. D. Merlino, quæ in fine operis eſt deciſ. 21 Quando ergo agitur de electione, ſatis eſt quòd lis ſit ſuper ipſa electione, etiam quòd non præceſſerit alia collatio, ut in d. c. 1 ut lit. pend. in 6. quod eſt diverſum à c. 2. eod. tit. in caſu enim c. 1. non fuerat ſecuta collatio, ſecus in caſu c. 2. ut notat Gloſſ. in d. c. 2. in verb. poſſident. & Archid. in d. cap. 1. in princ. in verb. litigantibus, & Rot. in d. Illerden. Præceptoriæ coram R. P. D. Dunozetto, &
in d. Piſana beneficii coram R. P. D. Merlino. Prædicta habent locum etiam in præſentatione, quæ regulatur ſecundum terminos electionis. Calder. conſ. 1. ut lit. pend. Sarnen. in reg. de ſubrogand. q. 13. Rot. in dd. Illerden. & Piſana. De materia, an, & quando beneficium dicatur effectum litigioſum, latè tradit poſt alios D. Ferent. in annot. ad deciſ. 927. Burat. 19

QUÆSITUM XXIII.

Utrùm eidem Eccleſiæ, vel Monaſterio duo Abbates, vel Prælati præfici poſſint.

SUMMARIUM.

1 *Arguitur pro parte affirmativa.*
2 *D. Auguſtinus Epiſcopus Hipponen. Eccleſiæ creatus fuit, Valeriano ejuſdem Eccleſiæ Epiſcopo adhuc vivente, & incolumi.*
3 *Uni Eccleſiæ, vel Monaſterio unus tantùm Abbas, vel Prælatus præfici debet.*
Regnum non capit duos, ſed debet eſſe unicus Rex, ſicut unicum caput uni corpori.
4 *Reſponſio ad argumenta.*
5 *D. Auguſtinus non ſucceſſit, ſed acceſſit Valeriano Hipponen. Epiſcopo.*

Videtur, quòd ſic. Primò, quia legitur in can. principalis diſtinct. 63. quòd milites Centumcellenſes 1
obtinuerunt reſcriptum, quòd in Eccleſia eorum ordinaretur unus presbyter, & unus diaconus; & ſic presbyter, & diaconus erant Titulares ejuſdem Eccleſiæ; ita in caſu noſtro etiam poſſunt ejuſdem Abbatiæ eſſe duo Abbates.

Præterea D. Auguſtinus factus fuit Coëpiſcopus 2
Hipponen. Eccleſiæ, Valeriano ejuſdem Eccleſiæ Epiſcopo adhuc vivente, & incolumi; & uterque in ſolidum erat Epiſcopus, & Eccleſiam illam regebat, ut probatur in can. non autem 7. quæſt. 1.

Contrarium tamen dicendum eſt, nempe quòd uni 3
Eccleſiæ, vel Monaſterio unus tantùm Abbas, vel Prælatus præfici debet; quia plures beneficiati, & intitulati ad eandem Eccleſiam, eundèmque titulum eſſe non poſſint; ſicut enim uxor non poteſt eſſe plurium ita nec Eccleſia. c. cùm non ignores, de præbend. ubi dicitur: Cum non ignores, quòd una Eccleſia unius debet eſſe Sacerdotis. Ant. de Butr. conſ. 3. n. 2. verſ. pro deciſione. Et ſicut naturali corpori caput unicum convenit, aliàs eſſet monſtrum; l. non ſunt liberi, juncta gloſſ. verb. prodigioſum, ff. de ſtatu homin. & l. oſtentum, in princ. & l. quæret aliquis, ff. de verb. ſignif. & l. quod certatum, C. de poſthum. hæred. inſtit. cum ſuis gloſſ. Ita etiam corpori myſtico, ut Univerſitati, Collegio, Religioni, & ſimilibus, quæ ſaltem debent de neceſſitate ita diſponi, ut ad unum reducantur, tanquam ad caput, ut dicitur cap. quoniam de offic. ord. ibi: Prohibemus autem omnino, ne una, eademque Civitas, ſive diœceſis diverſos Pontifices habeat tanquam unum corpus diverſa capita quaſi monſtrum. Oldrad. conſ. 204. incipien. prima quæſtio, in princ. & conſ. 94. col. 3. n. 8. & 9. ubi quòad regendam multitudinem unum caput de neceſſitate conſtituit; quia Regnum non capit duos, ſed debet eſſe unicus Rex, ſicut unum caput unico corpori. Oldrad. d. conſ. 94. n. 7.

94. *n.* 7. *verſ. ſed adhuc inſtatur*. Anchor. *conſ.* 330. *n.* 1. Zabarell *conſ.* 137. *col.* 1. *ſub n.* 2. *in fine verſ. ordine geniturа*, firmant expreſſè Panorm. *in c.* 1. *ſub n.* 3. *de paroch. & in d. cap. quoniam n.* 4. *de offic. ord.* Archid. *in d. can. ſicut n.* 1. 21. *q.* 2. Cardin. *in c.* 1. *in* §. *porrò, in* 2. *q. de jurejur.* Card. Tuſc. *pract. conclus. jur. concluſ.* 69. *n.* 1. *lit. B.* habetur etiam expreſſè *in d. can. ſicut* 21. *q.* 2. ubi diſponitur: *Interdicimus, ut nullus præſumat Eccleſiam inter duos, vel plures dividere; quia Eccleſia Chriſti uxor, & ſponſa debet eſſe, non ſcortum.*

4 Ad argumenta deveniendo. Ad primum argumentum *in can. principali* reſpondemus unà cum gloſſ. *ibidem.* quòd in d. Eccleſia Imperator habebat jus Patronatus, vel illi erant Curiales, qui poſtulati fuerunt ab Imperatore, qui tanquàm Patronatus, non tantùm Prælatum, ſed etiam Diaconum, & Subdiaconum poteſt inſtituere, text. *in can. Eleutherius* 28. *q.* 2. & nihil obſtat, quominus in una Eccleſia eſſe poſſint plures Diaconi, vel Sacerdotes, quorum unus ſit Prælatus, & alii ſint ſubditi; nos autem dicimus, quòd in eadem Eccleſia, vel Monaſterio, non poſſunt eſſe plures Abbates, vel Prælati, quorum cuilibet commiſſum ſit regimen ipſius Eccleſiæ, vel Monaſterii, ac illius Monachi, vel Canonici ipſorum juriſdictioni ſubjiciantur.

Ad ſecundum reſpondemus cum Gratian. *in can. nihil contra* §. *ecce ead.* 7. *q.* 1. ubi dicit, Auguſtinum da-
5 tum fuiſſe coadjutorem Valeriano ſenectute gravato, & inde ei non ſucceſſiſſe, ſed acceſſiſſe, quod licitum eſt in tali caſu, ut conſtat ex pluribus *can. ejuſdem cauſ. & quæſt.* Vel reſpondemus, quòd ille fuit caſus ſpecialis, & accidit in perſona D. Auguſtini, propter ipſius eximiam probitatem; & nihilominus ipſe D. Auguſtinus (ut refert Archidiac. *ſuper d. can. non autem n.* 1.) de ſe ipſo ſic loquitur: *Adhuc in corpore poſito patre meo ſene Valerio, Epiſcopus ordinatus ſum, & ſedi cum illo, quod Concilio Nicæno prohibitum fuiſſe neſciebam, nec ipſe ſciebat:* quaſi diceret, quòd ſi Eccleſiæ prohibitionem ſciviſſet, non acceptaſſet.

QUÆSITUM XXIV.

Utrùm uni Monaſterio, vel Eccleſiæ præfectus aliam dignitatem, vel Prælaturam obtinere poſſit.

SUMMARIUM.

1 *Arguitur pro parte affirmativa.*
2 *Unus Abbas uni tantum, non autem pluribus Monaſteriis, vel Eccleſiis præfici poteſt.* Limita, ut n. 3. & 5.
4 *Reſpondetur ad argumenta.*

Videtur, quòd Abbas plures dignitates, & officia
1 præter dignitatem Abbatialem obtinere poſſit. Nam quantò magis ſuccreſcit honor ſervorum Dei, tantò magis cumulatur decus Eccleſiarum, arg. text. *in can. vaſa de conſecrat. diſt.* 1. ubi probatur, quòd quantò magis ſuccreſcit decus Eccleſiarum, eò magis debet ſuccreſcere honor. Sed habere unam dignitatem, eſt honor, & decus ſervorum Dei, & Eccleſiæ; ergo tantò magis erit decus, & honor, duas habere dignitates; nam magis honoratur qui eſt Cardinalis, & Epiſcopus ſimul, quam qui eſt Epiſcopus tantùm; ſic per conſequens magis reſplendet Eccleſia, in qua reſidet Cardinalis, qui eſt Epiſcopus propter duplicem dignitatem.

Secundò, Præterea Monachi in Monaſterio eruditi poſſunt eſſe Prælati Eccleſiarum ſecularium, ut *in can. priſcis*, 55. *diſtinct.* & ſic eodem tempore; ergo Monachus præter dignitatem Abbatialem poteſt etiam habere aliam dignitatem ſecularem.

2 Contrarium tamen, his non obſtantibus, dicendum eſt. Nam unus Abbas uni tantùm, non autem pluribus Monaſteriis, vel Eccleſiis præfici poteſt, & eo ipſo, quòd novo Monaſterio, vel Eccleſiæ præficitur, & dignitatem acceptat, deſinit eſſe Abbas, ac Prælatus primi Monaſterii ſeu Eccleſiæ *can. clericus, & can ſeq. can. unum Abbatem* 21. *quæſt.* 1. ubi dicitur *unum Abbatem duobus Monaſteriis præſidere interdicimus.* Idem expreſſè ſtatutum fuit in Concilio Cabilonen. *cap.* 1. §. 12. in hanc ſententiam: *Ut duo Abbates in uno Monaſterio eſſe non debeant; ne ſub obtentu poteſtatis ſimultas inter Monachos, & ſcandalum generetur.* Idipſum colligitur ex *c. conſtitutis* 47. *de elect.* ubi dicitur, quòd nullus Monachus poteſt habere locum in duplici Monaſterio. Idem habetur ex *cap. fin. de Relig. domibus*, & ex Concilio Trid. *ſeſſ.* 25. *de regular. cap.* 7. Federic. de Senis *conſ.* 29 *in fine verſ. ad ultimum*, Cardinalis Tuſc. *practicarum concluſ. jur. concluſ.* 64. *lit. B.*

Hoc tamen intelligendum eſt, niſi unum Monaſte- 3
rium ab alio dependeat; nam ſi duo, aut plura Monaſteria ſint annexa, illis unum Abbatem præfici poſſe, habetur ex *can. fin.* 25 *quæſt.* 2. ubi hæc annotantur: *Quòd quis non habeat duo, vel plura beneficia cum cura, niſi ſint unita, vel unum alteri annexum; & ſimiliter, quòd uni Eccleſiæ non duo pariter præſint;* & ex *d. cap. fin. de Relig. domibus, & ex Concilio dicta ſeſſ.* 25. *cap* 8.

Ex quibus duæ deducuntur concluſiones quarum prima eſt: Abbas unus non poteſt pluribus præfici Monaſteriis, vel Eccleſiis, quæ præter ſuperius adducta, probatur. Nam unus ſponſus unica tantùm debet eſſe ſponſa contentus. Sed Abbas & Prælatus reſpectu ſuæ Abbatiæ, & Monaſterii, ſeu Eccleſiæ, eſt tanquam ſponſus erga ſuam ſponſam *cap. ne pro defectu de elect.* Ergo Abbas non poteſt duo, vel plura habere Monaſteria, aut Eccleſias. Quodque de duobus, vel pluribus Monaſteriis affirmatur, idipſum de duabus, pluribúſve dignitatibus incompoſſibilibus, quibus animarum cura colligata ſit, intelligo.

Altera concluſio. Poteſt Abbas præeſſe duobus, vel pluribus Monaſteriis connexis ad invicem, & quibus animarum cura non ſit annexa, ſed alteri eorum tantùm, ut probatum eſt in principio. Ita Panormitan. *d. cap. fin. num.* 1. & 5. & *dict. c. conſtitutis, num.* 2. Læl. Zech. *de Rep. Eccleſ. cap.* 25. *num.* 3. *verſ.* 7. & alii communiter.

Ad argumenta in contrarium adducta reſpondemus, 4
quòd ibi text. *in d. cap. vaſa*, loquitur de vaſis, quibus in Miſſæ miniſterio debemus uti; nam dicit *ibi* text. quòd ſicut in reliquis cultibus magis & magis per incrementa temporum decus ſuccreſcit Eccleſiarum, magis hoc tempore debet cumulari, ut ſacrificiũ conficiatur in vaſis argenteis, & aureis; unde non eſt bona paritas de vaſis aureis, vel argenteis multiplicatis, & in Eccleſia Dei introductis, propter incrementum, & decus Sanctæ Matris Eccleſiæ, ad Abbates & Prælatos, de quibus loquimur, habentes plures dignitates, maximè incompatibiles; nam eſſet, ac ſi quis haberet plures uxores, vel bigamiam contraheret; quòd Eccleſia deteſtatur, ut *in can. quomodò* 31. *quæſt.* 1. & habetur magis expreſſè *in can. presbyteros* 16. *quæſt.* 1. ubi gloſſ. figurat caſum, quòd in Epiſcopatu Syracuſano quidam volebant dignitatem Eccleſiaſticam gubernare, in Monaſteriis eſſe Abbates; unde Gregorius Papa præcipit Maximiano Epiſcopo, ut hoc fieri non permittat; nam cum unum officium propter ſui magnitudinem aliquis diligenter non poſſit adimplere, incongruum eſt, ut videatur ad utrumque idoneus; non ſic eſt de Epiſcopo, qui eſt Cardinalis, nam tales dignitates non ſunt incompatibiles; facit ad hoc *can. unum* 21. *quæſt* 1. ubi dicitur, *unum Abbatem duobus Monaſteriis præſidere interdicimus.*

Hoc autem intelligendum eſt, ut nequeat quis duabus 5
Eccleſiis, vel Monaſteriis præfici, in titulum videlicet; at ſecus eſt jure commendationis; poſſunt enim duæ Eccleſiæ vel Monaſteria uni, & eidem conferri, ut alteram obtineat jure tituli, alteram verò commendationis,

dationis, *can. qui plures, & can. ſeq. ead. 21. quæſt. 1.* & diximus latè in diſputatione de commendis.

QUÆSITUM XXV.

An Abbas per acquiſitionem alterius dignitatis vel Prælaturæ ſtatim privetur dignitate Abbatiali.

SUMMARIUM.

1 *Abbatum beneficia vacant illicò poſt confirmationem.* Declara, ut num. ſeq.

1 RESpondeo affirmativè, ſcilicèt: Quòd beneficia Abbatis vacent illicò poſt pronunciationem, id eſt confirmationem, abſque benedictione. Nam Epiſcopus ante conſecrationem poteſt repelli; non ſic in Abbate, ut tradit Felin. *in cap. inter Monaſterium col. 1. num. 1. in fine de re judicata.* Ita etiam Card. Tuſc. *pract. concluſ. jur. littera B. concluſ. 71. num. 12.* Oldrad. *conſ. 14. verſ. modo iſta, n. 2. & ſeq. uſque in fin.*

Supradicta concluſio probatur etiam ex *cap. de multa de prabend. & ex extravag. execrabilis, eod. tit.* Quod optima ratione proviſum fuit; quia quando uni aſſignantur duæ dignitates, vel perſonatus in eadem Eccleſia, utique Eccleſia defraudatur neceſſario miniſterio unius beneficii, & conſequenter ex miniſtrorum paucitate divini cultus diminutio fit: cùm potiùs ſit augendus. *cap. ex parte de conſtit.* Tum quia ex eo, quòd quis plura ſtipendia in aliqua Eccleſia ſibi vendicat, contra text. *in d. cap. quia nonnulli*, ſequitur maxima inæqualitas, ſcilicet, quòd alius quidem eſurit, alius autem ebrius eſt.

Quod declaratur, ut tunc quis per aſſecutionem alterius dignitatis ipſo facto privetur prima, quando ſecunda aſſecutio dignitatis, vel perſonatus eſt pacifica, non ſolùm de facto, ut ſcilicet in apprehenſione poſſeſſionis non ſit incontinenti deturbatus per rejectionem ab illa, ſed etiam de jure, nempè ut non ſit litigioſa, dummodò in poſſeſſionis legitimæ limitibus ſibi moveatur lis Garz. *de benef. p. 11. c. 5. n. 100.* Rota *coram Card. Seraphin. deciſ. 997. num. 2. & ſeq. & 853. n. 3. & 1254. n. 1. & 2. & in recent. deciſ. 514. n. 1. part. 1.* Pro materia vide Garz. qui latè proſequitur *d. cap. 5. per tot.*

DISPUTATIO VI.

De confirmatione Abbatum, & Prælatorum Epiſcopis inferiorum.

Quæſ. I. *An electiones Abbatum, & aliorum Prælatorum Epiſcopis inferiorum ſint neceſſariò confirmandæ.*

II. *A quibus Abbatum, & aliorum Prælatorum Epiſcopis inferiorum electiones confirmandæ ſint.*

III. *De forma confirmationis Abbatum, & aliorum Prælatorum Epiſcopis inferiorum, & intra quod tempus ſit petenda, & à confirmatore facienda.*

QUÆSITUM I.

An electiones Abbatum ſint neceſſariò confirmandæ.

SUMMARIUM.

1 *Electiones de jure communi à quo ſint confirmandæ.*

2 *Confirmatio plenum jus tribuit confirmato in dignitate, ad quam electus fuerat,* & num. 23. Declaratur n. 24.

3 *Electus ante confirmationem, nec directè, nec indirectè debet ſe adminiſtrationi ingerere; aliàs privatur ipſo facto omni jure, quod per electionem acquiſierat; etiam quando ſimpliciter, & abſque ullo quæſito colore adminiſtrat.* num. 4.

5 *Poſtulatus adminiſtrans ante poſtulationem admiſſam, ſtatim privatur omni jure quod per poſtulationem acquiſierat.*

6 *Præſentatus adminiſtrans ante præſentationem admiſſam, privatur omni jure; & idem eſt in nominato,* num 7.

8 *Adminiſtrans poſt confirmationem, ſive inſtitutionem nullam & invalidam ex defectu juriſdictionis, privatur omni jure, ſecus ſi ſit nulla ex defectu citationis.*

9 *Electus, vel præſentatus adminiſtrans ante confirmationem, vel inſtitutionem, excuſatur à pæna, ſi erravit in facto, ſecus ſi erravit in jure; niſi fuerit jus dubium,* num 10.

11 *Adminiſtrans pendente appellatione interpoſita à confirmatione, an, & quando incidat in pænam.*

12 *Intruſus ut quis dicatur, ut incidat in pænam,* cap. avaritiæ, de elect. in 6. *quæ requirantur.*

13 *Abbatiſſa dicitur intruſa, ſi à monialibus ante confirmationem ei obedientia præſtetur.*

14 *Intruſi beneficium poteſt impetrari tanquam vacans ut prius, etiam non facta mentione de intruſione ipſius.*

15 *Intruſus licèt non privetur beneficiis antea obtentis, fit tamen ineligibilis ad alia, ſive in eadem, ſive in diverſa conſiſtant Eccleſia.*

16 *Text.* in cap. avaritiæ, de elect. in 6. *eſt canon latæ, non autem ferendæ ſententiæ, eſt tamen neceſſaria declaratio Iudicis ſuper facto, ut pænæ in eo inductæ ſit locus.*

17 *Pæna ex aliquo facto vel non facto ipſo jure inducta ut ſit locus, requiritur declaratio judiciaria ſuper facto.*

18 *Pænam ad ipſo jure incurrendam, quando non ſufficit ſolum factum, ſed requiritur qualitas, declaratio judicialis debet comprehendere utrumque, & non ſufficit docere de facto, niſi etiam doceatur de qualitate.*

19 *Confirmatio eſt neceſſaria tam ex parte confirmatoris, quàm ex parte electi.*

20 *Electus ante confirmationem habet ſolùm jus ad rem, vel ipſam electionem proſequendam.*

21 *Beneficium electi mortui in Curia ante confirmationem, non dicitur vacare in Curia, nec extra Curiam, ſed per obitum primi.*

22 *Electus ab habente ſimul poteſtatem confirmandi, acquirit jus in re per ſolam electionem.*

24 *Confirmatio electionis nulla & invalida non prodeſt.*

25 *Confirmatio eſt neceſſitatis, licet electio ſit voluntatis.*

DE jure communi electiones neceſſariò à Superiori illius, qui eſt electus, confirmandæ ſunt, *cap. qualiter extra de elect.* ubi dicitur, quòd quantumcunque quis in concordia, 1
nemine diſcrepante, fuerit electus: niſi priùs à Superiore confirmatus, non debet ſe ad adminiſtrationem ingerere; adminiſtrandi enim poteſtas per confirmationem acquiritur, per quam inter Prælatum electum, & communitatem eligentem indiſſolubile vinculum contrahitur,

trahitur, quod, absque legitima Superioris auctoritate,
solvi non potest. Panormit in cap. 2. de transl. Episcopi.
2 Undè confirmatio plenum jus tribuit confirmato circa
dignitatem ad quam electus fuerat: ita ut possit omnia,
quæ sunt jurisdictionis, exercere. cap. transmissam, &
3 cap. nosti de elect. Idcircò electus ante confirmationem,
nec directè, nec indirectè debet se administrationi in-
gerere: quòd si fecerit, ipso facto privatur omni jure
quod per electionem in ipsa dignitate acquisierat, cap.
avaritia eod. tit. in 6. Cujus text. dispositio

4 Primò ampliatur procedere, etiam quando simpli-
citer, & absque ullo quæsito colore quis administrat,
Gloss. in d. cap. avaritia; verb privatos, vers. sed pri-
mum Abb. in cap. qualiter, n. 4. de elect. Crescent. decis.
6. n. 16. de jure patr.

Secundò ampliatur ut procedat nedum in electo, de
quo expressè loquitur, at etiam de postulato, qui ante
postulationem admissam administrationem suscepit,
5 cap. bona memoria il. primò de elect. Roman. consil. 330.
num. 21. & 22. Verùm etiam in præsentato, Lap. alle-
6 gat. 8. sub. num. 4. vers. sic & pœna. Doctores in dict.
cap. avaritia, ubi Geminian. col. final. Franc. n. 2.
Roch. de jure patr. verb. honorificum, quæst. 38. Card.
consil. 31. n. 4. vers. sed remanet dubium, cum aliis per
Gabr. consil. 199. n. 5. & 6. lib. 1. Marescott. variar. re-
sol. lib. 2. c. 35. à n. 45. Crescent. d. decis. 6. n. 12. de ju-
repatr. Seraph. decis. 598. n. 1. Mantic. decis. 261. n. 3.
Rot. decis. 140. n. 3 p. 3. lib. 2. divers. & in Beneventana
7 Vicaria 18. Junii 1617. coram Card. Sacrato. Ac etiam in
nominato, Crescent. d. decis. 6. sub d. n. 12. & in o-
mnibus beneficiis, ut per DD. quos refert, & sequitur
Gabr. dict. consil. 199. num. 4. lib. 1. Marescott. d. cap.
35. num. 47. Crescent. d. decis. 6. n. 13. Mantic. d. de-
cis. 261. sub. n. 3. vers. neque etiam obstat.

8 Tertiò ampliatur procedere non solùm in eo, qui
ante confirmationem administrat, sed etiam in eo, qui
post confirmationem, sive institutionem nullam, & in-
validam ex defectu jurisdictionis, Cardin. consil. 31.
num. 4. vers. sed remanet dubium. Roman. consil. 330.
num. 21. & 22. Marescott. d. cap. 35. num. 48. Mantic.
d. decis. 261. num. 5. Rot. decis. 11. num. 3. part. 3. lib.
divers. quæ est ead. cum decis. 83. lib. 3. eadem part. 3.
ubi quòd dictum Myl. qui in suo repert. verb. pœna de-
cretalis avaritia, videtur contrarium sentire, procedit,
quando nullitas oritur ex defectu citationis, non autem
9 jurisdictionis. Adde tamen, quòd si electus, vel præ-
sentatus se ingessit administrationi, errans in facto, excu-
satur à pœna, secus si erravit in jure, Gloss. in cap. fin.
verb. inanis, vers. quid si sic confirmatus de elect. in 6.
quam sequitur Gemin. in d. cap. avaritia, n. 7. vers.
quòd si confirmatio. Anchar. in fin. quæst. 6. Franc. num.
4. in fin. Gabr. d. cons. 199. n. 5. lib. 1. Marescott. d. cap.
35. n. 50. ad fin. Rot. coram Seraphin. decis. 1238. num.
6. & decis. 652. num. 2. part. 4. divers. & in Bracharen.
parochialis 13. Junii 1605. coram Vutembergo, & in dict.
Beneventana Vicaria 18. Iunii 1617. coram Card. Sacrato,
in qua fuit dictum non sufficere solam intrusionem, ut
intret pœna d. c. avaritia sed requiri etiam temerita-
10 tem. Et idem est in errore juris dubii, qui æquiparatur
errori facti, ut in terminis Rota in dicto Bracharens.
parochialis coram Vutembergo, quam sequitur Mare-
scott. ubi proximè.

11 Ampliatur quartò procedere in eo, qui post interpo-
sitam appellationem in confirmatione, ea pendente
administrat, Gloss. in d cap. avaritia, verb. confirme-
tur, vers. qui dicis, Calderin. consil. 9. de elect. Quod
est verum, quando confirmatio fuit judicialis, scilicet
vocatis vocandis, ex aliquo in judicio comparente, se-
cus si nullus comparuit, & superior sine contradictione
confirmavit, quia tunc appellatio uti extrajudicialis,
non impedit effectum confirmationis, nisi superior vel-
let cum causæ cognitione, etiam nullo comparente,
confirmare, Dost. in d. cap. avaritia, ubi Archid. num.
2. ad fin. Joan. Andr. num. 4. Genuin. num. 7. in prin-
cip. & circa med. Butr. num. 7. & seq. Franch. num. 4.
in fin. & num. 5. & sub num. 6. Verum appellatio inter-
posita à tertio non vocata, nec existente in judicio, uti
extrajudicialis, non suspendit confirmationis effectum,
nempe possessionem, quia ea non obstante dabitur pos-
sessio, & possessor administrabit, Lap. in d. cap. final.
num. 6. & 7. de elect. in 6. & in d. cap. avaritia, num. 2.
ad fin. & num. 3. & 4. Gemin. num 7. Butr. num. 9. in
fin. & num. 10. Anchar. num. 4. in 5. quæst.

Limitatur principalis conclusio, ut pœna, d. cap. a- 12
varitia habeat locum quando electus administravit in
spiritualibus, vel temporalibus, secùs si de rebus Præla-
turæ nihil attigit, nec immiscuit se administrationi,
quia ad incurrendam dictam pœnam non sufficit sola
possessio, vel constitutio in Oeconomum, vel Procu-
ratorem, sed requiritur realis administratio, & percep-
tio fructuum, Gloss. in dict. cap. avaritia, verb. eo ipso,
Archidiac. num. 4. Abb. in cap. qualiter, num. 1. in. fin.
de elect. Cresc. d. decis. 6. num. 5. vers. unde de jure
patr. Put. decis. 45. lib. 3. in correct. ubi quod Abbatissa 13
dicebatur administrasse, & incidisse in pœnam d. cap. a-
varitia, ex quo moniales ante confirmationem illi o-
bedientiam præstiterant. Gabr. d. cons. 194. num. 4.

Igitur electus, vel præsentatus ingerens se administra- 14
tioni, absque confirmatione vel institutione incidit in
pœnam d. canonis, ex cujus dispositione beneficium
potest impetrari tanquam vacans ut priùs, etiam non
facta mentione de intrusione in specie, cùm sufficiat
clausula, amoto, Cardinal. d. consil. 31. sub num. 5. vers.
dico enim, Lotter. de re benefic. lib. 2. quæst. 13. num. 15.
& licèt non privetur aliis beneficiis antea obtentis, ut 15
fuit resolutum in una Mutinen. Canonicatus 14. Mar-
tii 1603. coram Card. Lancellotto relat. per Lotter. ibi,
n. 16. efficitur ineligibilis ad alia, sive in eadem, sive in
diversa consistant Ecclesia, Petr. de Biax de elect. part.
2. cap. 8. num. 1. quem refert, & sequitur Menoch. de
arbit. cas. 403. num. 2. & 3. Lotter. ibid. num. 7.

Notandum tamen, quòd licèt text. in d. cap. avari- 16
tia, sit canon latæ, non autem ferendæ sententiæ, Gloss.
ibi verb. privatos, Crescent d. decis. 6. sub num 15. 19.
& 20. de jure patr. nihilominus ut pœnæ in eo indictæ
sit locus, est necessaria declaratio judicis super facto, ut
fuit resolutum in superiùs allegata Beneventana Vicariæ
18. Iunii 1617. coram Card. Sacrato; licèt enim pœna 17
ex aliquo facto, vel non facto, ipso jure inducatur, ni-
hilominus ad effectum ut sit locus hujusmodi pœnæ
requiritur declaratio judiciaria super facto, Socin. jun.
post alios quos allegat consil. 130. num. 29. vers. si verò
dicimus, vol. 3. quem secuta est Rota in causa Foro-
livien. de Monsignanis 30. Octobr. 1602. coram Pena,
quæ est decis. 186. post. 2. vol. consil. Farinac. quod præ- 18
cipuè procedit, quando non sufficit solùm factum,
sed requiritur qualitas, quia tunc declaratio judicialis
debet comprehendere utrumque, & non sufficit do-
cere de facto, nisi etiam doceatur de qualitate, quæ est
fundamentum dispositionis, Paris. cons. 152. n. 5. lib. 4.
Ceph. cons. 256. in fin. Soc. jun. 22 n. 10. lib. 1. Tiraq.
de retract. lignag. §. 8. gloss. 7. in fine, & fuit decretum
per Rotam in Romana pensionis domus 11. Martii 1613.
coram Card. Sacrato. At text. in d. c. avaritia, non
contentatur sola intrusione, sed requirit etiam temeri-
tatem, ut suprà dictum est, & decidit Rota in d. Bene-
ventana Vicaria coram Card. Sacrato.

Confirmatio igitur est necessaria, tam ex parte con- 19
firmatoris, respectu cujus confirmatio est necessitatis,
& debita, per cap. fin. de elect. in 6. per cap. postquam.
ubi Butrius num. 6. & Panormit. in princ. extra de e-
lect. quam ex parte electi, quatenus electus per electio-
nem acquirit habitum administrationis, per confirma-
tionem verò exercitium. Ita Gloss. in can. quanto
dist. 63.

diſt. 63. & Gloſſ. cum Panormit. *in d. cap. noſti de elect.* Oldrad. *con.* 146. *num.* 4. Felin. *in cap. quoniam de offic. de leg.* Franch. *in cap. quàm ſit, verb. electus de elect. in* 6. Et Rota *deciſ.* 240. *coram Gregor. XV.* Et electus
20 ante confirmationem habet ſolum jus ad rem, vel ipſam electionem proſequendam, *cap. ſi eo tempore* 45. *extr. de elect. cap. ut quis duas de elect.* in 6. Rot. *deciſ.* 6. *eod.*
21 *tit. in novis, ubi num.* 2. quòd ſi electus ante confirmationem moriatur in Curia Romana; beneficium per ejus obitum non dicitur vacare in Curia, nec extra Curiam, ſed per obitum primi, Gonzal. *ad reg.* 8. *Cancell. gloſſ.* 15. *§.* 2. *n.* 2. Gatz. *de benef. p.* 4. *c.* 3. *n.* 9. & fuit dictum *in Novarien. Præpoſituræ* 28. *Junii* 1632. *coram R. P. D. Veroſpio, quæ in fine operis eſt deciſ.* 25. Hoc ta-
22 men non procedit in electione, quæ fit ab habente ſimul poteſtatem confirmandi, non expectata alia Superioris confirmatione, qui tunc eligendo cenſetur confirmare, & confirmando eligere, adeo quòd electo per ſolam electionem jus in re requiritur, Gloſſ. *in cap. unic. in verb. collationem de rerum permut. in* 6. *in clement. quia contingit, §. ut autem; in verb. electionem, de relig. domib.* Felin. *in cap. eam te, n.* 9. *& in cap. in noſtra, n.* 25. *corollar.* 31. *de reſcript.* Rot. *deciſ.* 1. *de elect. in antiq. & deciſ.* 6. *in fin. de elect. in nov.* & *in d. Novarien. Præpoſituræ, num.* 9. in qua fuit reſolutum, electum à Capitulo Novarien. ad quod ſpectat collatio beneficiorum ejuſdem Eccleſiæ, per ſolam collationem abſque alia confirmatione, acquiſiviſſe jus in re, & vacationem fuiſſe extinctam, ac per ejus obitum licet nondum capta poſſeſſione iterum vacaſſe beneficium.

23 Confirmatio igitur dat jus in re, & electus poſt confirmationem dicendus verè Prælatus, *ex ſupradictis.*
24 Quod eſt intelligendum procedere, quando electio eſt valida; nam ubi electio non tenet, confirmatio Superioris non prodeſt, Gloſſ. *in cap.* 1. *verb. irritum, de poſtulat. Prælat. lib.* 6. Dec. *in cap. poſtquam, num.* 19. *de elect.* & fuit dictum per Rotam *in Meten. Abbatiæ* 19.
25 *Junii* 1628. *coram R. P. D. Dunozetto.* Hinc patet, quod electio eſt voluntatis, confirmatio verò neceſſitatis, Joan. Andr. *in d. c. poſtquam, de elect.* & Butr. *ibid. n.* 5. Panormit. *in* 1. *not.* & Dec. *n.* 1. Præterea quoad Abbatias, Præpoſituras, & alias dignitates Conventuales, adeſt conſtitutio Pii IV. edita anno Domini 1564. in hanc, quæ ſequitur formam;

---

26 SAnctiſſimus in Chriſto Pater, & Dominus noſter, Dominus Pius divina providentia Papa IV. Ad cujus pervenit notitiam, quòd licèt aliàs omnia Monaſteria virorum, valorem ducentorum florenorum auri communi æſtimatione excedentia, necnon Prioratus, Præpoſituras, ac alias dignitates Conventuales, & Præceptorias generales Ordinum quorumcunque diſpoſitioni ſuæ generaliter reſervaverit, ac propterea illorum proviſiones, & ad ea, quæ ſpeciali privilegio eligendi ſibi per Sedem Apoſtolicam conceſſo ſuffulta ſunt, canonicè factarum electionum confirmationes ad Sanctitatem ſuam, & d. Sedem pertinere noſcantur: Nihilominùs plerique Religioſi cæca nimis ambitione agitati, partim electiones de ſuis perſonis ad Monaſteria, Prioratus, & alias dignitates Conventuales hujuſmodi, ut privilegium eligendi prædictum habeant, vel illo careant, nullo juris ordine ſervato nullaque boni, vel æqui ratione habita, temerè fieri, factaſque per Ordinum Superiores, aut locorum ordinarios de facto confirmari: partim verò, nedum priuſquam electiones de ſe ad Monaſteria, & alias Conventuales dignitates eligendi privilegio ſuffulta, factæ ritè confirmentur, ſed ne electi quidem canonicè ſe in regimine & adminiſtratione, tam in ſpiritualibus, quàm temporalibus Monaſteriorum, aliarumque dignitatem vacantium eorundem, ac illorum bonorum immiſcere non verentur, in animarum ſuarum periculum, & auctoritatis Apoſtolicæ contemptum, & plurimorum ſcandalum, volens tantis, qui paulatim in Religioſos irrepſerunt, abuſibus, & auſibus nimis licentioſis aliquando, ſicut par eſt occurrere, ſuamque Sedi præfatæ prærogativam afferre: Omnes, & ſingulas electiones quarumvis perſonarum ad regimina Monaſteriorum, Prioratuum, Præpoſiturarum, & aliarum dignitarum Conventualium, ipſarumque electionum confirmationes per quoſcunque, cujuſvis ſtatus, gradus, Ordinis, & conditionis exiſtant, & quamvis etiam Archiepiſcopali, Patriarchali, aut majori dignitate præfulgeant, hactenus ſic præſumptas, nullas, & invalidas, ac pro nullis, invalidis, & prorſus infectis habendas eſſe, perſonaſque ſic, ut præfertur, electas, & confirmatas, Monaſteria, aliaſque dignitates hujuſmodi ſine legitimo titulo poſſediſſe, & poſſidere, nec non illorum fructus redditus, & proventus indebitè percepiſſe, & percipere, ac perſonas ipſas ad abſolutionem, & habilitationem ſuper his, necnon confirmationem electionum de ſe factarum à Sanctitate ſua, ſeu Romano Pontifice pro tempore exiſtente, aut Sede prædicta infra ſex menſes à data præſentium computandos impetrandam, ac literas Apoſtolicas ſuper hujuſmodi confirmatione in totum expediendum omnino teneri declaravit; & nihilominus hac ſua perpetuà valitura conſtitutione ſtatuit, & ordinavit, quòd nullus de cætero ſe in regimine, & adminiſtratione Monaſterii, vel alterius dignitatis Conventualis, ad quod, ſeu quam illum eligi contigerit, in ſpiritualibus, vel temporalibus, antequam ritè celebrata electio à Sanctitate ſua, aut Romano Pontifice pro tempore exiſtente, & Sede prædicta confirmata, & literæ Apoſtolicæ deſuper expeditæ fuerint, per ſe, vel alium in toto vel in parte, quovis quæſito colore immiſcere, aut ad illud, vel iſtam ſe recipi facere, vel alias, ſe pro ejus Prælato gerere præſumant.

Decernens, omnes, & ſingulos, qui ſecus fecerint, jure quod illis ad Monaſteria, vel eorum Conventuales dignitates per electionem hujuſmodi quæſitum fuerit eo ipſo privatos, & deinceps ibi ineligibiles eſſe, ipſaque Monaſteria, & aliàs dignitates ab eadem Sede impetrari poſſe; qui verò ſimiles electiones confirmare præſumpſerit, etiam eo ipſo Superiores Ordinum, videlicet ſuis dignitatibus privatos, Ordinariis autem locorum, etiamſi Achiepiſcopali, & Majori præcellant dignitate, ingreſſum Eccleſiæ interdicendum, eoſque ab Eccleſiarum ſuarum regimine, & adminiſtratione ſuſpenſos exiſtere.

Habetur *in Bullar. novo* 86. *in ordine inter conſtitutiones dicti Pontificis, tom.* 2. & refertur in Stephan. Quaranta *in ſum. Bullar. verbo beneficiorum poſſeſſio.*

QUÆSITUM II.

A quibus Abbatum electiones confirmandæ ſint.

SUMMARIUM.

1 *Electiones Abbatum ſecularium à quibus confirmandæ ſint.*
2 *Confirmatio electionum Abbatum, & Prælatorum Regularium inferiorum ad quem ſpectet.*
3 *Generalium electiones à quibus confirmandæ ſint.*
4 *Eligendi ſimul, & confirmandi facultatem habens, eligendo cenſetur confirmare, & confirmando eligere; etiamſi jure devoluto id faciat, n.* 5.
6 *Confirmatio electionis facta, abſque cauſa cognitione an valeat.*
7 *Electus ſi eſt valde notus, & communiter uti dignus approbatus, non eſt opus examine.*
8 *Confirmans electionem indigni in quas pœnas incidat.*
9 *Electus idoneus repertus, circumſcripto legitimo impedimento, debet abſque dilatione confirmari.*
10 *Confirmare ubi recuſat ſuperior abſque legitima cauſa, quid agendum.*
11 *Confirmari an poſſit electio, invito electo.*

12 *Monachi velle, & nolle non habent.*
13 *Electus, & confirmatus potest cogi ad acceptandum, ubi rationabilem causam non assignat.*

1 Abbates seculares, si sint exempti, à Summo Pon-
tifice, sive à legato Apostolico, si quis in illa Pro-
vincia adsit, confirmantur; Si autem non sunt exem-
pti, confirmationem ab Episcopo recipiunt, Panormit.
in cap. 1. de supplen. neglig. Prælat. Hodie verò, quia
Canonicorum Collegiis eligendi facultas sublata est,
hujusmodi Abbates seculares, cum non ampliùs eli-
gantur, nec etiam indigent confirmatione; confirma-
tio enim, sicuti & electio in desuetudinem abiit; in
illis autem locis, ubi eligendi usus adhuc fortè retine-
tur, electi à proximo Superiore necessariò erunt confir-
mandi, ut dictum est. Abbates autem Regulares, quia
olim ab Episcoporum jurisdictione exempti non erant,
postquam à Monachorum Conventu eligebantur, ab
Episcopis, quibus proximè Monasteria subjecta erant,
confirmationem accipiebant; sed postquam Religio-
nes, Summorum Pontificum indultis, ab Episcopis
exemptæ fuerunt, factum est, ut Abbates, & Prælati
Regulares inferiores, sive locales à Generalibus unius-
cujusque Congregationis respectivè confirmarentur;
2 nam quando electus est exemptus, confirmatio debet
peti à Papa, vel ab ejus Legato de Latere (ut supra di-
ctum est,) quando scilicet talis exemptus est immedi-
atè Papæ subjectus; secus autem, si habet alium Præla-
tum medium, cui subsit, prout Abbates, & Prælati lo-
cales habentes Abbatem, & Præsidentem Generalem,
3 vel Provincialem à quo confirmantur. Et ipsi Abbates,
& Prælati Generales regulariter à Summo Pontifice,
qui est eorum immediatus Superior, confirmandi sunt.
Notandum autem, quod confirmatio electionis potest
à Summo Pontifice fieri, sive immediatè ei subsint ele-
cti, sive non; quia Summus Pontifex concurrit in
4 potestare, & jurisdictione cum quolibet alio inferiori,
can. ad Romanum 2. q. 6. can. cuncta per mundum, &c.
per principalem 9. quæst. 3. Ita expressè Card. & Imo-
la *in cap. cum Ecclesia, de caus. poss. & propriet.* At ho-
die speciali Sedis Apostolicæ concessione, ut plurimùm
omnes Regulares Abbates, seu Præsidentes Generales,
statim ac sunt canonicè electi, intelliguntur per Sum-
mum Pontificem confirmati, ut in ordine Cistercien-
sium patet ex privilegio Eugenii IV. concesso Gene-
rali reformatori dicti Ordinis. *Quod ubi Capitulum
Generale hujus sacræ Congregationis secundum suas de-
finitiones, & statuta Reformatorem Generalem elegit, is
statim, ac concorditer electus est, absque alia confirmati-
one, auctoritate Apostolica, in spiritualibus, & tempora-
libus officio suo fungi potest.* Ita refertur *in Compend.
privil. d. Ord. tit. de elect.* §. 1. & refert Roder. *quæst.
reg. tom. 2. quæst. 52.* Simile privilegium concessum
fuit nostræ Congregationi Vallis Umbrosæ à Paulo III.
sub datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis
Dominicæ 1539. 5. Kalendas Februarii Pontificatus sui
anno 6. *Quod qui in Abbatem Monasterii Vallis Um-
brosæ*, (quod tunc erat totius Ordinis caput) *electus
fuerit, eo ipso intelligatur confirmatus, & absque alia
desuper adhibenda solemnitate, Generalis totius Ordi-
nis, & congregationis ejusmodi pro triennio existat, &
esse censeatur, officiumque Generalatus hujusmodi statim
exercere possit*: ut habetur in privilegiis authenticis d.
nostræ Congregationis. Simili indulto potiuntur Mo-
nachi Congregationis Cælestinorum, quod eis conces-
sum fuit à Cælestino V. ejusdem Congregationis insti-
tutore, sub datum Aquilæ 5. Kal. Octobris Pontificatus
sui anno 1. & alio indulto Benedicti XI. sub datum Ro-
mæ anno Domini 1304. die 24. Martii, Pontificatus
sui anno 1. ut habetur in privilegiis impressis in calce
Constitut. d. Congregationis. Idem privilegium con-
cessum est à Clemente IV. Fratribus Minoribus, ut re-
fertur *in Compend. privileg. Mendic. verb. electio*, §. 3.
Et Fratribus Minimis à Julio II. per Bullam, quæ in-
cip. *Virtute conspicuos*, quam refert Laurent. de Pei-
rin. *tom. 1. privileg. d. Ord. constit. 2. ejusd. Pont.* §. 1.
& à Paulo III. per Bullam incip. *Sinceræ devotionis af-
fectus*, quam refert idem Laurent. de Peirin. *tom. 2.
ejusdem oper. const. 4. ejusd. Pont.*

Pariter neque Abbates, & Prælati Locales, qui per 4
electionem conventuum non creantur, sed à Genera-
li, unà cum Definitorio providentur, indigent confir-
matione; quia quando ad eligentem spectat electio,
& confirmatio eodem jure, putà, quod alicui conces-
sum est, ut eligat, & confirmet, uti in casu, de quo agi-
mus; tunc eo ipso, quòd eligit, confirmare videtur.
Ita gloss. *in cap. ut circa, verbo electiones, & in cap. 1.
verb. provisionem, de elect. in 6.* Compostell. *in cap.
cùm inter Canonicos, extra de elect.* ubi etiam Innoc. &
Hostiens. Archidiac. *in can. in Synodo, n. 263. dist. & in
d. cap. 2. de elect. in 6.* ubi etiam Joan. Monach. Nicol.
Milis. *in repertor. verb. electio.* §. 2. Rebuff. *in Concor-
dat. rub. de reg. ad Prælat. nom. fac.* §. *Monasteriis,
vers. nota tamen, quòd si ad eligentem*, Panormit. *cap.
ne pro defectu, & in cap. causam, quæ extra de elect.* &
alii apud Sigismund. à Bononia *de elect. & potest. Præ-
lat. Regular. dub. 119. num. 6.* Felin. *in cap. eam te,
num. 3. de rescript.* Abb. *in cap. post electionem, num. 3.
de concess. præbend.* Rot. *in d. Novarien. Præpositura
28. Junii 1632. coram R. P. D. Verospio, quæ in fine ope-
ris est decis. 25. num. 12.* Quod procedit, etiam si jure
devoluto superior electionem faceret, idem Abb. *in*
cap. dilectus filius 12. n. 3. de concess. præbend. Gloss. *in* 5
cap. 1. verb. provisionem, de elect. lib. 6. Rota *in d. No-
varien. Præpositura eodem num. 12.*

In illis igitur electionibus in quibus necessaria est 6
confirmatio, si fiat absque causæ cognitione, est ipso
jure nulla; Debet enim confirmator de electionis for-
ma, electique meritis inquirere; Panormit. *in cap. ni-
hil num. 1. de elect.* Si autem electus esset valde notus, 7
& communiter uti dignus approbatus; tunc non est
opus, illum examinari, *cap. in Lateranen. de præbend.
& dignit. cap. consistentus, sl. 1. de appellat.* Navar. *cons.
2. num. 3. tit. de elect.* Quod si is, ad quem pertinet con- 8
firmatio, ob negligentiam, hominem insufficientis
scientiæ, vel inhonestæ vitæ, vel illegitimæ ætatis admi-
serit, ipsius successorem confirmandi facultatem a-
mittit, & à perceptione fructuum sui beneficii, quous-
que à suo Superiore restitutus fuerit, suspenditur; si
verò id ex malitia fecerit, graviùs punietur; ut habe-
tur expressè *in d. cap. nihil est.* Si electus fuerit idoneus, 9
etsi non extiterit aliquod legitimum impedimentum,
debet sine dilatione confirmari, *cap. postquam extr. de
elect.* & *ibi* Panormit. *num. 1.* Quod si is, ad quem spe- 10
ctat confirmatio, recusat electionem confirmare, nulla
legitima causa in contrarium existente, recurrendum
est ad Superiorem, qui poterit ipsi Confirmatori man-
dare, ut intra certum tempus electionem confirmet, quo
elapso, jus confirmandi ad ipsum Superiorem devolvi-
tur. Ita Panor. *ubi proximè n. 8.* Rot. *in una Legio-
nen. confirmationis 1607. coram Illustriss. Cardin. Pam-
philio*, Castellin. *in tract. de elect. c. 14. de Confirmatore,
num. 18.* Superior autem, electo invito, non potest ejus 11
electionem confirmare, gloss. *in cap. innotuit eod. tit.
de elect. per cap. cum nobis olim, eodem titul.* Ratio est,
quia cum inter eligentes, qui repræsentant ipsam Eccle-
siam, seu Congregationem, & electum contrahatur
matrimonium spirituale, *cap. cùm inter Canonicos eodem
tit. cap. licet in tantùm de translat.* requiritur consensus,
non solùm ipsorũ eligentium, sed etiam electi, qui est fu-
turus sponsus; Panorm. *in d. cap. innotuit, n. 13.* Verùm 12
cùm Monachi velle, & nolle non habeant, sed eorum ar-
bitrium non ex propria, sed Prælati, cujus imperio se
subjecerunt, voluntate dependeat *cap. si. religiosus de
elect. in 6, cùm concord.* Panormit. *in cap. non est. n. 4. de
Regul.*

13 *Regul.* poteſt electus & confirmatus ad acceptandum officium, ad quod eſt confirmatus, compelli, dummodò non aſſignet cauſam rationabilem. Caſtell. *loco cit. num. 22.*

QUÆSITUM III.

De forma confirmationis Abbatum, & intra quod tempus ſit petenda, & à confirmatore facienda.

SUMMARIUM.

1 *Confirmationis forma in jure nulla reperitur.*
2 *Ad confirmandum non requiritur prolatio verborum, ſed ſufficit actus aliquis exterior confirmantis.*
3 *Confirmatio quo tempore ſit petenda.*
4 *Ad confirmationem non eſt tempus à jure præfixum.*
5 *Confirmator ſi renuit electionem confirmare, quid ſit faciendum.*

1 NUlla confirmationis forma à jure invenitur præſcripta: ſed ſufficit aliquod dictum, vel factum, quo Confirmator voluntatem ſuam confirmandi declaret; in hoc enim nihil refert, quomodò confirmator ſuam oſtendat voluntatem, ut benè docet Archid. *cap. ut quis duas de elect. in 6.* & Innoc. *de re judic. cap. cum Bertholdus in gloſſ. mirum videtur.*

2 Pro confirmationis igitur forma non erit neceſſaria aliqua prolatio verborum, ſed erit ſufficiens actus aliquis à Superiore confirmante procedens, quo, (ut dictum eſt) voluntatem ſuam declaret. Ita Sigiſmund. à Bononia *de elect. & poteſt. Prælat. dub. 94. n. 4.* & alii apud eum.

Quod verò ad confirmationis tempus, dico, quòd confirmatio petenda eſt intra tres menſes poſt præſtitum conſenſum; aliàs ſi, impedimento legitimo ceſſante ab electoribus, vel ab electo, vel ab alio pro ipſo electo non petatur, electio eſt nulla, *cap. quam ſit & cap. cupientes de elect. in 6.* quando verò confirmatio electionem Abbatum, & Prælatorum Regularium à Sede Apoſtolica eſt petenda, ſervanda eſt moderatio tradita *in d. cap. cupientes.* Tempus autem, intra quod confirmator electionem confirmare teneatur, nullum eſt à jure præfixum; licet enim ad conferendum, & eligendum, ac etiam ad confirmationem petendam ſit tempus à jure ſtatutum: non tamen confirmatori ad electionem confirmandam, ut ait Panormitanus *in cap. poſt quam. in fin. de elect.* ubi dicit, quòd ſi Confirmator renuit electionem confirmare, debet recurri ad Superiorem, qui poterit eidem Confirmatori præfigere certum terminum ad confirmandum, intra quem terminum ſi non confirmaverit, poteſtas confirmandi ad Superiorem devolvitur, argumento *cap. nullus de jure patronatus.* 3 4

DISPUTATIO VII.

De Nominatione, & Præſentatione Abbatum, & aliorum Prælatorum Epiſcopis inferiorum.

Quæſt. I. *Quinam Abbates, & Priores Regulares in Gallia à Rege nominentur.*
II. *Virum Abbatiæ, & Prioratus ſeculares in Gallia Regiæ nominationi ſubjiciantur.*
III. *Quæ conditiones requirantur ad nominationem, quæ fit à Rege Galliæ ad Abbatias, & Prioratus Regulares.*
IV. *Abbates in Gallia quomodo nominentur per Regem, & Scholaſticos.*
V. *An adſint aliquæ Abbatiæ, ad quas Abbates præſentare ſpectet ad Patronos.*
VI. *An ad Patronum ſpectet jus eligendi Abbatem ſimul cum aliis Monachis.*

QUÆSITUM I.

Quinam Abbates, & Priores Regulares in Gallia à Rege nominentur.

SUMMARIUM.

1 *Nominatio quid ſit.*
2 *Nominatio quotuplex ſit.*
3 *Quinque Monaſteria Caſalis Benedicti, unita Congregationi S. Juſtinæ de Padua Regiæ nominationi non ſubſunt.*
4 *Abbatiæ, & Prioratus perpetui electivi in Gallia Regiæ nominationi ſubjiciuntur.*
5 *Villelmitani, ſive Alborum Mantellorum Prælati in Gallia à Rege nunquam nominantur. Item nec Cæleſtini,* num. 6.
7 *Abbas Ciſtercii, qui eſt Caput Ordinis, & alii quatuor Coabbates cum aliis quibuſdam ejuſdem Ordinis Abbatibus Regiæ nominationi non ſubſunt.*
8 *Generales Ordinum in Gallia non nominantur à Rege, ſed eliguntur à Religioſis.*
9 *Grandimontani Ordinis Prioratus Regiæ nominationi non ſubjiciuntur.*
10 *Commendæ Ordinis S. Antonii Viennen. Regiæ nominationi non ſubſunt.*

UT hujus quæſiti, & totius diſputationis materia magis eluceſcat, præmittendum videtur, quid ſit nominatio, & quotuplex ſit.
1 Nominatio autem, juxta Sylv. *in eodem verbo*, dicitur propriè eſſe unus modus providendi in Eccleſiis vacantibus; & (prout etiam poſtulatio) ſumitur tum latè, tum ſtrictè; latè ſumpta confunditur cum electione, ut conſtat ex *cap. cum olim de ſent. & re jud.* Stricto modo ſumpta diſtinguitur ab electione, & poſtulatione; quia nominatio abſque ullo ſcrutinio, & ſcriptura fit; Electio autem, & per ſcrutinium, & per ſcripturam celebratur, à poſtulatione differt, quia poſtulatio de uno tantum fit; Nominatio autem fieri poteſt de pluribus & poteſt fieri nominatio alternativè, licèt poſtulatio non. Joan. Andr. Imol. & alii *in cap. bonæ memoriæ il. primo de poſtulat. Prælat.* Porrò nominatio (ſecundùm Panormit. *in cap. quod ſicut §. ſuper eo n. 1. de elect.* & Jo. de Selv. *de Benef. p. 3. quæſt. 1. num. 14.* Sylv. *ubi ſuprà*, & Rebuff. *in tract. de nominat. quæſt. 1. num. 26. & plurib. ſeqq.*) multipliciter accipitur. Prima quidem eſt, quæ dicitur minùs ſolemnis, quæ fit de aliquo eligendo; quando ante ſcrutinium aliqui ab electoribus nominantur tanquam digni, & idonei in Capitulo, ut de eis fiat ſcrutinium, & ex hac nominatione nullum jus acquiritur nominato, *c. quod ſicut in princ. de elect.* quia exprimitur conſenſus de futuro; & ſicut per hæc verba, *De nomine te in uxorē*, non contrahitur matrimonium; ita neque per hanc nominationem in Prælaturis, & beneficiis ſic factã, Gloſſ. *in can. quanto 63. diſt.* Rebuff. *loc. cit. num. 26.* Secunda eſt, qua electorum ſinguli aliquem ſecretè nominant, quando in ſcrutinio electionis quiſque eorum ſcribere ſolet in ſchedula, *Eligo, aut nomino N. in Abbatem, &c.* per quam nec ullum etiam jus nominato acquiritur: Et de his duobus modis nominandi tractavimus ſuprà, cùm egimus de electione. Tertia item nominatio eſt, quæ dicitur ſolemnis, & eſt, cùm duo vel plures à Capitulo Monachorum, vel Collegio Canonicorum Principi nominantur, & offeruntur, & petitur, ut ex his unum, quem maluerit, eligat, & confir- 2

met in eorum Prælatum; quia nominatione Principi præsentata, nominantes amplius variare non possunt, ut voluit Ostien. *in cap. bona memoria il.* 1. *de postul. Prælat.* & Calder. *consf.* 5. *de elect.* 10. de Selva *in tract. de benefic. in* 3. *part. quæst.* 1. & hæc nominatio strictè sumpta hodie non est valdè in usu, nisi tantùm ea, quæ fit à Principibus in locis eorum dominii ad Ecclesias Cathedrales, & Metropolitanas, & ad Abbatias, & Prioratus Conventuales electivos ex indulto speciali Sedis Apostolicæ, quæ nominatio præcipuè in Gallia est valde in usu, ex concordatis inter Leonem X. Summum Pontificem, & Franciscum I. Galliæ Regem. Et de hac nominatione in præsenti disputatione tractabitur. Erat olim alia nominatio, quæ concessa fuit Regi Franciæ ab Innocentio VI. ut possit nominare ad præbendas in triginta, tam Metropolitanis, quàm Cathedralibus, & Collegiatis Ecclesiis sui Regni, ut citat gloss. *in pragmat. sanct. in §. placuit, verb. facultates, tit. de collat.* & hæc nominatio, non habuit effectum. Alia est nominatio, quam idem Galliæ Rex facit pro jucundo adventu in Ecclesiis, quas prædecessores Reges fundaverunt, & hic nominatus est aliis præferendus. Interdum Rex nominat veteranum quendam militem, qui vocatur oblatus; & hanc nominationem etiam facit in Monasteriis suæ fundationis, Rebuff. *loco citato num.* 34. *& in prax. inter rescript. mixta tit. de oblat.* Aliæ sunt nominationes in eodem Galliæ Regno, quæ conceduntur ab Universalibus ejusdem Regni graduatis, & debito modo qualificatis, ut ipsis de beneficiis provideatur, ut *in* 4. *quæst.* latiùs dicemus? His igitur præmissis, ut præsenti quæsito satisfaciamus,

3 Dicendum est, non omnes Cœnobiorum, & Abbatiarum Præfectos in Gallia Regiæ nominationi esse subjectos. Constat enim, quod in quinque Abbatiis ex Reformatione Casalis Benedicti, quæ ad instar Congregationis S. Justinæ reformatæ sunt, (ut patet ex Bullis Clementis VII. *sub dat. die* 2. *Martii ann.* 1525. & Pauli III. *Kal. Junii ann.* 1537. Julii III. *anno* 1551. 3. *non. Octobris*, & Pauli IV. *nonis Februarii anno* 1555.) Monachi liberam habent facultatem, Abbatem sibi eligendi; ut constat ex indulto Henrici II. edito anno 1547. de mense Februatii, & ex alio privilegio Caroli IX. dato 3. nonas Octobris anno 1571. qui etiam concessit, ut prædicta quinque Cœnobia immunia, exemtaque essent à Regia nominatione; prædictorum Cœnobiorum Abbates ad tempus triennii tantùm, non autem ad vitam creantur. Renat. Choppin. *Jure in suo Monast. lib.* 1. *titul.* 1. *num.* 4.

4 Quamvis enim Galliæ Rex, (ut diximus) jus habeat nominandi Abbates, & alios Monasticos Prælatos Summo Pontifici in Monasteriis, ad quæ antea Prælati per electionem assumebantur; §. *Monasteriis, & Prioratibus, rub. de Reg. ad Prælat. nominat. in Concord.* Tamen hoc limitandum est, ut intelligatur de perpetuis, non autem de temporariis dignitatibus, quæ vivo auferri possunt aliquando, Renat. Chopp. *d. tit.* 1.
5 *num.* 5. Qua de causa similiter Prælati Ordinis Villelmitani, sive Alborum Mantellorum nuncupati, sub Regula pariter S. Benedicti militantes, non subduntur Regiæ nominationi, sed ex canonica Monachorum electione creantur; eorum enim officia non peperuò, sed statutum in tempus, nempe quadriennii, ut plurimùm, durant, ut refert Renat. Chopp. *d. num.* 5. subdens etiam, ita fuisse decisum in Regio Senatu Parisiensi. die 20. Junii 1597. pro Priore quodam electo à Conventu, contra nominatum à Rege.

6 Eadem quoque ratione in Cælestinorum singulis Conventibus Abbates, & Priores à Provinciali præficiuntur, nec à Rege, quasi Conventuales Priores, (juxta *cit. §. Monasteriis*) nominantur; eorum enim Abbatiæ, & Prioratus temporales sunt non perpetui, & potiùs nuda officia, quàm Ecclesiastica beneficia dici possunt; Ipsorum Provinciales singulo quoque triennio communibus singulorum Priorum suffragiis eliguntur, ut patet *lib.* 1. *Const. d. Ordinis*, ubi dicitur: *De triennio in triennium in principali Monasterio Capitulum provinciale est celebrandum, quando, scilicet, Provincialis officio suo renunciaturus est, & alius loco ejus per electionem canonicam subrogandus.*

Pariter in Ordine Cisterciensi, Abbas Cistercii, qui est Generalis totius Ordinis Cisterciensis, & alii quatuor Coabbates, scilicet, Clarevallen. Pontiniacen. Morimundi, & Firmitatis, cum aliis quibusdam ejusdem Ordinis Abbatibus in Gallia Regiæ nominationi non subsunt, sed à Conventu Monachorum eliguntur, ex privilegio Henrici II. dat. idibus Julii anno 1558. quod refert Renat. Chopp. *de Sacra Polit. Forensi, lib.* 1. *tit.* 7. *num.* 28. 7

Ab hac lege, subjacendi Regiæ nominationi in Gallia exempti sunt omnes Religiosorum Ordinum Generales, ex Regii codicillis prædicti Henrici II. datis die 19. Julii 1550. qui deinde promulgati sunt in Consistorio Principis die 4. Augusti anni ejusdem 1550. ita referente eodem Renat. Chopp. *de Sacra Polit. d. lib.* 1. *tit.* 2. *num.* 5. subdente, idem esse de Prioratibus Ordinis Grandimontani, qui non nominantur à Rege, sed ab Abbate Grandimontis totius Ordinis Generali 8
conferuntur. Pariter ex eadem ratione Commendæ 9
Ordinis S. Antonii Viennensis immunes sunt à Regia nominatione: quia non per electionem, sed per collationem providentur, ut ait idem Renat. Chopp. *d. tit.* 2. *num.* 5. 6. & 7. referens, ita decretum fuisse à Regio Senatu Parisien. arresto 5. idus Septembris anni 1575.

QUÆSITUM II.

Utrùm Abbatiæ, & Prioratus seculares in Gallia Regiæ nominationi subjiciantur.

SUMMARIUM.

1 *Abbatia, & Prioratus seculares in Gallia Regiæ nominationi non subsunt.*
2 *Abbatia, & Prioratus Conventualis intelligitur de Regulari, non de seculari.*
3 *Monasterii appellatione non veniunt Ecclesiæ seculares.*
3 *Conventualis Ecclesiæ appellatione, venit Ecclesia Regularium, non secularium.*

RESpondeo, quòd non. Quia id Concordia inita 1
Bononiæ anno 1516. inter Leonem X. Summum Pontificem, & Franciscum I. Galliæ Regem conventum fuit, ut Reges Galliæ haberent jus nominandi Prælatos ad Abbatias, & Prioratus Conventuales electivos §. *Monasteriis verò, & Prioratibus Conventualibus, rubr. de reg. ad Prælat. nominat. in Concordat.* Quo-
ties autem in Pontificiis constitutionibus fit mentio de 2
Abbatiis, vel Prioratibus Conventualibus, est intelligendum de Regularibus, non autem de secularibus. Ita expressè tenent Dominicus de sancto Geminiano *cons.* 131. dicens, Pontificiam constitutionem disponentem, Prioratus Conventuales vacare, si electi non fuerint intra sex menses ad Ordines requisitos promoti, non extendi ad Prioratum Collegii Canonicorum secularium, nec ad seculares Præpositruras; & ratio est, quia in materia exorbitanti, quæ disponit contra jus antiquum, ut est hæc, de qua in præsenti loqui-
mur, appellatione Monasterii seculares Ecclesiæ non 3
veniunt, text. *in clem.* 1. *de elect.* ubi glos. *in verb. Monasteriis, cap. grandi, de supplend. neglig. Prælat.* Joan. Andr. *in cap. Joannes, col* 2. *de Regul.* Et appellatione
Ecclesiæ Conventualis venit Ecclesia Regularium, 4
non autem secularium, *clem. prima de reb. Eccles. non alienand.* Alia ratio esse videtur, quia text. *in dd. Concordatis in §. in. ejusd. rub. de reg. ad Prælat. nomin. faciend.* ponit differentiam inter Capitulum, & Conventum, & exprimit utrumque: idcirco pariter

si volu-

ſi voluiſſet de utroque intelligere, ſicut expreſſit de Prioratibus Conventualibus, expreſſiſſet etiam de ſecularibus; & juxta hanc doctrinam in eadem materia judicatum fuiſſe in magno Galliæ Regis Conſilio de Prioratu Pontis montium Diœceſis Vaſten. in Aquitania die 10. Septembris 1526. refert Renat. Chopp. *de Sacra Polit. Forenſ. lib. 1 tit. 5. num. 17.* Rebuff. *in Concord. d. rub. de Reg. ad Prælat. nom facienda dicto §. Monaſteriis verb. Prioratibus Conventualibus.*

QUÆSITUM III.

Quæ conditiones requirantur ad nominationem quæ fit à Rege Galliæ ad Abbatias, & Prioratus Regulares.

SUMMARIUM.

1 *Enumerantur conditiones ad hujuſmodi nominationem requiſitæ.*

QUia nominatio (ut dictum eſt,) & prout ad rem noſtram facit, viam, & aditum aperit ad Regulares Præfecturas obtinendas, proinde ac electio, vel poſtulatio, in cujus locum ſucceſſit, ex Apoſtolicæ Sedis conceſſione, obſervandum eſt, Principes, quibus hujuſmodi conceſſio facta eſt, idoneum nominare debere; in quo reperiantur conditiones tam de jure communi requiſitæ, quàm particulariter ex Concordia inita inter Summum Pontificem, & Galliæ Regem, quas omnes recenſet Rebuff. *ſuper d. Concord. tit. de Reg. ad Prælat. nominat. facien.* §. 2. & ſunt quæ ſequuntur:
1 Prima eſt, ut qui ad Abbatias, vel Prioratus Conventuales, & electivos nominatur, ſit Religioſus. Secunda, ut ſit ejuſdem Ordinis, cujus Religioſis præficiendus nominatur. Tertia, ut ſaltem in ætate 23. annorum conſtitutus ſit. Quarta, ut præficiendus nominetur à Rege Summo Pontifici, aut Sedi Apoſtolicæ, ita ut non ſufficiat Regis nominatio, niſi ſequatur ejuſdem Sedis Apoſtolicæ proviſio. Quinta, ut Abbatia, vel Prioratus ad quem facienda eſt nominatio, vacet; nominatio enim ad Abbatiam vel Prioratum nondum vacantem non valet. Sexta, ut Rex intra tempus ſex menſium à die ſcientiæ vacationis nominet; & ſi nominatus a Summo Pontifice tanquam indignus recuſabitur; intra tres menſes à die recuſationis notificatæ ejuſdem Regis Sollicitatori nominet alium dignum. Septima eſt, quod Abbatia, vel Prioratus ſit verè electivus, non autem collativus. Octava eſt, ut electio ſpectet ad Conventum; ſecus autem, ſi ad ſeculares, vel alios. Nona eſt, quod in electione nominandi ſervetur forma *cap. quia propter, de electione.* Decima eſt, quod Abbatia, vel Prioratus ſit conventualis, ſecus, ſi eſſet ſecularis, vel alius à Conventuali. Undecima eſt, quòd hujuſmodi nominatio fiat Summo Pontifici. Ultima eſt, ut nominandus ſit profeſſus expreſsè eandem Religionem, cujus Religioſis præficiendus eſt.

Hæ omnes conditiones deſiderantur in nominatione ad Abbatias, & Prioratus Regulares à Principe facienda, de qua videndus eſt Rebuff. *ſuper prædictis Concord. tit. de Regia ad Prælat. nominat. facien. §. Monaſteriis, verb. modo ſupradicto, pag mihi* 193.

QUÆSITUM IV.

Abbates in Gallia quomodo nominentur per Regem, & Scholaſticos.

SUMMARIUM.

1 *Traditur modus, quo in Gallia per Regem, & Scholaſticos ad Eccleſias Cathedrales Metropolitanas, vel inferiores vacantes fit nominatio.*

1 IN Gallia duobus modis fit nominatio in beneficiorum inſtitutione, nempè à Rege, & à Scholaſticis, Rex ita nominat. Cum vacat Eccleſia Cathedralis, vel Metropolitana, intra ſex menſes Rex Summo Pontifici nominat virum idoneum; quæ idoneitas admittitur, ſi nominatus habet ad minus annos viginti ſeptem, ac ſi in aliquo ſtudio celebri Doctoratus inſignibus munitus fuerit; nempe ſi in Theologia, vel jure Civili, aut Canonico doctoratus, aut licentiatus fuerit; quem Romanus Pontifex, ſi idoneum repererit, inſtituere debet in Epiſcopum, ſin verò, Rex alium digniorem intra ſpatium aliorum trimum menſium Papæ nominare tenetur. Et quod dictum eſt de Epiſcopis, habet etiam locum in Abbatibus, in quorum nominatione ſufficit ætas viginti trium annorum, nec aliqui Scholaſtici in eis honorum gradibus deſiderantur. Scholaſtici verò nominationem habent circa tertiam partem cæterorum beneficiorum, exceptis Cathedralibus, Metropolitanis, & Abbatialibus Eccleſiis, quæ tertia pars ea eſt, quæ vacat tertia parte anni, & conferri debet viris literarum cultoribus, qui ſunt Scholaſticis honoribus inſigniti: quam nominationem habent publicæ, & celebriores Scholæ Regni Delphinatus, & Comitatus Dien. ac Valen. illæ videlicet, quæ publica auctoritate erectæ ſunt, ac univerſitates appellantur, ut patet *in rubr. de elect. in princip. in Concord.* & *in §. præfati* 1 *de collat. ibid.* & *in verſ. beneficia verò.* & *alibi per totum tit.* & ex Rebuff. *in tractat. nominat. quæſt. 6. in princ.* Nominandi autem ad illa beneficia tribus his titulis inſigniti eſſe debent, nempe Baccalaureatu, Licentiatura, & Magiſterio, ſeu Doctoratu; ante quorum graduum adeptionem opus eſt, quamplurimos in ſtudiis conſumpſiſſe annos, nempè in ſtudio Theologiæ ante infimum gradum ſexennium, ante ſupremos decennium; In ſtudio Juris Civilis, & Canonici, ante gradum infimum, nempe Baccalaureatum, quinquennium, ante medium, & ſupremum, ſeptennium. Inſuper oportet etiam, quòd nominandus declaret; quæ beneficia obtinet, una cùm vero annorum fructuum valore; non enim poſſunt nominari, qui poſſident beneficia ducentorũ aureorum proventum reddentia, & idcircò hujus quantitatis mentio fieri debet. Sic autem nominatus acquirit jus, ut beneficium poſtea vacaturum ab Epiſcopo, aut Collegio, ſive iis, qui beneficia conferendi jus habent, ſibi conferatur. Et fiunt de his quatuor denunciationes in Quadrageſima. Prima de Scholaſtico gradu, quem obtinet nominatus: altera de legitimo ſtudiorum tempore: tertia de nominatione à publica Schola facta: quarta de genere, & nobilitate, quas denunciationes ſemel factas, ampliùs repetere non cogitur nominatus; benè verò quotannis nomen ſuum profiteri; ne fortè voluntatem mutaſſe, & nullum ampliùs beneficium optare credatur. Beneficia igitur menſe Januario, Aprili, Julio, atque Octobri vacantia per obitum obtinentis non niſi nominatis à Schola publica conferuntur, videatur Rebuff. *in tract. Nominat. per tot.*

QUÆSITUM V.

An poſſit acquiri juſpatronatus in Abbatiis, & Eccleſiis Conventualibus.

SUMMARIUM.

1 *Abbas S. Benedicti de Caſtello Sovanen. Diœceſis noſtræ Congregationis Vallis-Umbroſæ à Communitate Sovana nominatur, & à Præſidente Generali confirmatur.*

2 *Juſpatronatus acquiritur in Eccleſiis Conventualibus ex fundatione, vel dotatione, dummodo concurrat privilegium Apoſtolicum in limine fundationis, vel dotationis,* & num. 9. *ubi quod nova conceſſio non ſuffragatur.*

3 *Juſpatronatus acquiritur nedum in Eccleſia Conventuali actu, ſed etiam habitu tantum.*

4 *Juſpatronatus in Eccleſiis Regularibus non eſt ſublatum per Concil. Trident.*

5 *Privilegium Apoſtolicum ex curſu 30. annorum cum obſervantia, præſumitur interveniſſe in limine fundationis*

dationis jurispatronatus in Ecclesia Conventuali, etiam quòd non sit enunciatum.

6 *Privilegium Apostolicum in fundatione jurispatronatus Ecclesiæ Conventualis non præsumitur ex diuturnitate temporis, quando agitur cum personis, in quibus cadit præsumptio usurpationis.*

7 *Privilegium Apostolicum ad effectum acquirendi jurispatronatus in Ecclesia Conventuali non præsumitur ex diuturnitate temporis, quod ex facie instrumenti apparet, intervenisse confirmationem alterius Papæ inferioris: etiamsi adesset cursus longissimi temporis unà cum observantia,* n. seq.

9 *Titulus validus, & legitimus supervenisse præsumitur ex cursu longissimi temporis cum observantia.*

10 *Privilegium concessum, post fundationem, vel dotationem Ecclesiæ Conventualis, est merè gratiosum, & non suffragatur ad acquirendum juspatronatus.*

11 *Juspatronatus Ecclesiæ Conventualis, in confirmatione Apostolica, interposita in limine fundationis, vel dotationis, enunciatum ex privilegio dumtaxat, intelligitur esse ex privilegio habente originem à fundatione vel dotatione.*

12 *Privilegium in limine fundationis in Ecclesia Conventuali probatur ex fama. Et ideo datur remissoria ad probandum famam,* num. seq.

14 *Privilegium non intervenisse in limine fundationis Ecclesiæ Conventualis, non probatur ex diligentia in registro, cum non sit necessaria probatio per scripturam.*

15 *Privilegium in limine fundationis, vel dotationis est necessarium, quando agitur de acquirendo jurepatronatus in tota Ecclesia Conventuali: Secus in altari posito in ipsa Ecclesia, quia tunc sufficit consensus Regularium.*

16 *Juspatronatus honorificum in Ecclesia Conventuali acquiritur ex sola constitutione, etiam absque dote.* num 17.

18 *Juspatronatus honorificum acquiritur absque expressa reservatione, modò expresiè non sit remissum.*

19 *Patronus pauper est alendus ab Ecclesia.*

20 *Pauper quando dicatur Patronus, ad effectum consequendi alimenta ab Ecclesia.*

21 *Patronus pauper non est alendus ab Ecclesia, quando habet alium sibi ad alimenta præstanda obligatũ.*

22 *Ecclesia tenetur alere patronum pauperem ex redditibus, qui supersunt deductis expensis necessariis pro alimentis Monachorum, & familiæ Monasterio servientium, & pro cultu divino, & reparatione Ecclesiæ.*

RESpondeo, quòd reperiuntur quarundam Congregationum Cœnobia, in quibus Abbates à Regibus, vel Potentatibus, aut Populis, Universitatibus, sive aliis secularibus personis præsentantur, ac nominantur, jure aliquo, aut privilegio, quod super ipsa Monasteria obtinent. Istius nominationis exempla in Congregationibus Monasticis aliqua reperiuntur; prout in nostra Congregatione Vallis-Umbrosæ Abbas S. Benedicti de Calvello Sovanæ Diœcef. à Communi-
1 tate Sovanæ tempore vacationis Abbatiæ nominatur.
Cùm enim dictum Monasterium ex vetustate, ac aliis sinistris eventibus ad totalem ruinam devenisset; eadem Communitas Sovanæ aliud Cœnobium in congruentiori ipsius Civitatis loco ex propriis bonis erexit; Unde conventum fuit inter ipsam Communitatem, & tunc temporis Generalem, ac Monachos ejusdem Congregationis, ut stante dicta erectione, Communitas ipsa haberet jus nominandi tres ex Monachis dicti Ordinis, quorum unum Abbas Generalis in Abbatem dicti Monasterii præficere teneretur, quæ conventio demum ab Alexandro VI. Summo Pontifice confirmata fuit sub dat. Romæ anno 1496. pridie Idus Maji, Pontificatus sui anno 5. in hanc, quæ sequitur, formam.

BULLA ALEXANDRI VI.

Pro Monasterio Sancti Benedicti de Calvello Sovanen. Diœcesis.

ALEXANDER EPISCOPUS

Servus Servorum Dei,

Dilectis filiis Præposito, & Bernardo Duccio, & Dominico, ac Andreæ, Canonicis Ecclesiæ Sovanæ salutem, & Apostolicam benedictionem.

SAcri Apostolatus ministerii, meritis quamvis insufficientibus, divina nobis dispositione crediti, sollicitudo nos continuè admonet, & hortatur, ut opem, & operam ampliùs impendamus, quòd sacra Religio ubique floreat, & accrescat, & divini nominis laudes debita cum devotione decantentur, officium, juxta cordis nostri desiderium, subsequi valeat, opportunæ provisionis auxilia favorabiliter impendamus. Sane pro parte dilectorum filiorum Blasii, Monasterii Vallis Umbrosæ Fæsulanæ Diœcesis, ac totius Ordinis Generalis Abbatis, necnon Communitatis Civitatis Sovanæ, nobis nuper exhibita petitio continebat, quòd Monasterium sancti Benedicti loci de Calvello dicti Ordinis Sovanen. Diœcef. illiusque Ecclesia, causantibus illorum vetustate, & temporum malitia, ac aliis sinistris eventibus, ad totalem, & miserabilem ruinam devenerunt: adeò quòd in dicto loco nulla forma Monasterii apparet, nec ibidem divina officia possunt aliquo modo celebrari. Quodque si in dicto loco nomen, & titulus Monasterii supprimeretur, & extingueretur, ac in aliquo alio loco dictæ Civitatis ad id convenienti, & honesto per eandem Communitatem deputando unum aliud Monasterium dicti Ordinis cum necessariis officinis pro usu, & habitatione perpetui Abbatis, & nonnullorum Monachorum dicti Ordinis erigeretur, construeretur, & ædificaretur, ac fructus, redditus, proventus, bona, & jura quæcunque dicti Monasterii de Calvello, ibique erigendo Monasterio perpetuò applicarentur, & appropriarentur; profectò Communitas prædicta loco ipsius Monasterii de Calvello aliud Monasterium hujusmodi, cum eisdem officinis ex eorum propriis bonis construerent, & ædificarent; illique aliqua bona immobilia pro illius dotis augmento assignarent. Ex quibus erigendum Monasterium prædictum ultrà alia, fructus, & bona prædicta viginti florenorum auri de Camera annis singulis pro tempore posset, ... & in illo aliqui Religiosi dicti Ordinis residere, & commodè substentari possent, qui ibidem divina officia celebrarent; ex quo divinus cultus, cum fidelium illarum partium devotione, & animarum salute non modicum susciperet incrementum. Quare pro parte Blasii Abbatis, & Conventus prædictorum asserentium, quod fructus, redditus, & proventus dicti Monasterii de Calvello 24. florenorum similium secundùm communem extimationem, valorem annuum non excedunt, nobis fuit humiliter supplicatum, ut in dicto Monasterio de Calvello, nomen, & titulum Monasterii penitus supprimeretur, & extingueretur, ac eidem Communitati, loco dicti Monasterii de Calvello, unum aliud Monasterium in dicta Civitate loco ad id commodo, & honesto, ubi eidem Communitati magis videbitur expedire, cum necessariis officinis hujusmodi construendi, & ædificandi licentiam elargiri; necnon eidem Monasterio sic tunc constructo fructus, redditus, proventus, jura, & bona quæcunque dicti Monasterii de Calvello perpetuò applicare, appropriare, necnon dilecto filio moderno Abbate dicti Monasterii de Calvello cedente, vel decedente, ex tunc deinceps perpetuum jus nominandi tres ex Monachis dicti Ordinis, quorum unum præfatus Blasius, & pro tempore existens Generalis Abbas dicti Ordinis in Abbatem dicti erigendi

Monaste-

Monasterii præficere teneatur, perpetuò concedere, & aliàs in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui religionis, & divini cultus augmentum, & animarum salutem synceris desideriis expetimus, de præmissis certam notitiam non habentes, ac Blasium, & singulos ex Communitate hujusmodi à quibuscunque excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis auctoritate, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existant, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus vos, duo, aut unus vestrûm (si est ita) eidem Communitati unum Monasterium dicti ordinis In præfata Civitate loco ad hoc congruo, & honesto, prout eidem Communitati amplùs visum fuerit, cum necessariis officinis prædictis pro usu, & habitatorio perpetui Abbatis, & nonnullorum Monachorum dicti Ordinis, cujus modernus Abbas Monasterii de Calvello hujusmodi, quoad vixerit, absque alia provisione, & præfatione de eo facienda, Abbas sit, & esse censeatur, & illi præsit, prout dicto Monasterio de Calvello præest, construendi, & erigendi licentiam auctoritate nostra concedatis, ac postquam sic constructum, & ædificatum fuerit, in præfato Monasterio de Calvello nomen & Titulum Monasterii, ac dictum Ordinem penitùs supprimatis, & extinguatis: necnon eidem sic constructo Monasterio fructus, redditus, proventus, bona, & jura quæcunque dicti Monasterii de Calvello, eadem auctoritate in perpetuum applicetis & approprietis, necnon dicto moderno Abbate cedente vel decedente, ex tunc deinceps perpetuò eidem Communitati postquam bona prædicta, ad valorem annuum dictorum viginti ducatorum assignaveritis, ut præfertur jus nominandi tres ex Monachis, quorum unum Blasius, & pro tempore existens Abbas Generalis, prædictus in Abbatem dicti eligendi Monasterii præficere teneatur perpetuò dicta auctoritate concedatis. Nos enim si erectionem, constructionem, suppressionem, extinctionem, applicationem, appropriationem, & concessiones prædictas vigore præsentium contingat, eidem erigendo Monasterio, illiusque Abbati, & Monachis pro tempore existentibus; ut omnibus, & singulis privilegiis, prærogativis, libertatibus, exemptionibus, immunitatibus, favoribus, gratiis & indultis, quibus alia ejusdem Ordinis Monasteria, Abbates, & Monachi utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum similiter uti, potiri, & gaudere, liberè, & licitè valeant, Apostolica auctoritate tenore præsentium indulgemus; Decernentes, bona per eandem Communitatem in augmentum dotis dicti erigendi Monasterii assignata pro constructione illius, donec constructum, & completum fuerit, per aliquem probum virum per generalem Abbatem pro tempore deputandum, applicare debere, non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac statutis, consuetudinibus Monasterii de Calvello, & Ordinis prædictorum juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis, cæterisque contratiis quibuscunque. Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1496. pridiè Idus Maji, Pontificatus nostri anno quinto.

Habetur hæc Bulla originaliter in Archivio Vallis Umbrosæ.

2 Acquiritur utique juspatronatus ex fundatione, vel dotatione; etiam in Ecclesiis Conventualibus, dummodo tamen concurrat privilegium Papæ in limine fundationis, vel dotationis, *c. nobis, §. cæterum*, ubi gloss. *in verb. de tua jurisdictione*. Ostien. *col.* 2. Ancharan. *sub n. 9. vers. si verò quæratur*; Abb. *n. 9. de jurepatronatus*, Anchar. *in c. sacrosancta, n. 3. de Elect.* Archid. *in c. an. Imperiũ, n. 3. dist. 10.* Lambert. *de jurepatronatus, lib. 2. q. 5. part. 1. art. 1. n. 10. & 11.* Covarruvias *in regul. possessor, part. 2. §. 10. n. 5. vers. alter casus*, ubi de communi Put. *decis. 356. n. 3. lib. 3. in correct.* Rota *decis. 564. n. 2. & 3.* & *decis. 573. n. 1.* & *574. num. etiam 1. part. 4. divers.* & *decis. 53. n. 1. part. 1.* & *decis. 421. n. 2. p. 2. recent.* Seraphin. *decis. 1305. n. 5. & decis. 1353. num. etiam 5. & decis. 1395. n. 2.* & fuit dictum *in Oveten. Abbatiæ 3. Aprilis 1595. coram Penia, & in Nolana juspatronat. 4. Decemb. 1602. coram Cardin. Pamphilio seniore*, cum aliis congestis per D. Ferentilium *in annot. ad decis. 1. Buratt. n. 15.* Quod procedit nedum in Ecclesia Con-
ventuali actu, sed etiam in Ecclesia Conventuali ha- 3
bitu tantum, Alexand. *consil. 74. num. 4. & 5. lib. 4* Seraphinus *dict. decisione 1395. numerò 3.* D. Ferentilius *loco citato numero 16.* Et juspatronatus in Ecclesiis
Conventualibus non esse sublatum per Concilium 4
Tridentinum *sessione 25. cap. 9. §. reliqui, de reformat.* resolvit sacra Congregatio Concilii, ut dixit Rota *in Caputaquen. juspatronatus 6. Martii 1587. coram Rubeo.* Verùm ex cursu triginta annorum
juncta observantia præsumitur hujusmodi privilegi- 5
um, & confirmatio Apostolica intervenisse in limine fundationis, etiam quòd non sit enunciata ac tradita per Doctores *in Cod. sciendum, ff. de verbo obligat.* Felinus *in capit. Alberic. numero 4. de testibus.* Covarruvias *pract. quæst. cap. 21. num. 7* Surdus *decisione 334. num. 19. in fine, & sequentibus*, Puteanus *decisione 345. libr. 1. in nov.* cum aliis cumulatis *in nullius seu Squillacen. Jurisdictionis 4. Martii 1616. coram Andrea, quæ in fine operis est decisio 69. numer. 23.* & in terminis ita resolvit Rota *d. decisione 537. numer. 2. & 774. sub numer. 1. part. 4. divers.* Nisi agatur
cum personis, in quibus cadit præsumptio usurpatio- 6
nis, nam tunc ex diuturnitate temporis privilegium non præsumitur. Rota *d. decisione 564. num. 6. part. 4. divers.* & *d. decis. 53. sub numer. 2. part. 1. recentior.*
Vel nisi ex facie instrumenti appareat intervenisse con- 7
firmationem alterius Papa inferioris, ad tradita per Castren. *cons. 81. num. 3. vers. & si dicatur, lib. 2.* Alexan. *cons. 1. numer. 22. lib. 4.* Nevizan. *47. num. 40. & consil. 81. num. 24.* Cravett. *cons. 25. num. 5.* Surd. post alios, *cons. 28. numer. 110.* Card. Cavaler. *decis. 613. n. 2.* & in terminis Rota *d. decis. 53. sub. n. 2. part. 1. recent.*
Quod procedit, etiamsi adesset cursus longissimi tem- 8
poris unà cum observantia, quo casu præsumitur supervenientia validi & legitimi tituli per novam concessionem Apostolicam, *ad decis.* Cassad. *4. & 5. de caus. possess.* Dec. *consil. 152. col. penult. num. 3.* cum aliis per Gabr. *consil. 88. num. 17. & seqq. lib. 1.* & resolvit Rota *in Sulmonen. beneficii 7. Junii 1627. coram Reverendiss. Durano*; Quia hoc casu nova concessio non
suffragatur, cùm privilegium Apostolicum debeat 9
intervenire in limine fundationis, ut tradit Gloss. *in d. cap. nobis, §. cæterum verb. de sua jurisdictione de jurepatr.* cum aliis *in principio allegatis*, & clarè Rota apud Put. *d. decis. 369. n. 2. lib. 2. in correct. & d. decis.*
564. post num 7. vers. præterea part 4. divers. In qui- 10
bus fuit dictum, privilegium concessum post fundationem, vel dotationem Ecclesiæ Conventualis esse merè gratiosum, quod per decretum Concilii Trident. est revocatum, non secus atque illud, quod absque dotatione, & fundatione potuit per Papam laico concedi; & ideo præsumptio supervenientiæ novæ concessionis, quæ oritur ex cursu longissimi tempo-
ris, non suffragatur. Notandum tamen, quòd licèt in 11
confirmatione Apostolica interposita in limine fundationis, vel dotationis, enuncietur juspatronatus ex privilegio dumtaxat, intelligitur de privilegio habente originem à fundatione, vel dotatione. Rota *d.*

decis. 573. sub num. 5 vers. nec obstat, quod ibi, part. 4.
12 divers. Item notandum, quòd privilegium in limine
fundationis in Ecclesia Conventuali probatur ex fama,
ut fuit resolutum per sacram Congregationem Concilii,
& per Rotam in Albanen. Prioratus 21. Maji, & 17.
13 Novembr. 1603. coram Penia; Et ideo datur remissoria
ad probandum famam privilegii, Put. decis. 256.
post num. 4. lib. 2. in correct. & Rota in d. Albanen.
14 Prioratus coram Penia. Et negativa, quòd non intervenerit
privilegium in limine fundationis, non probatur
ex diligentia in registro; cùm possit probari per famam,
& non sit necessaria probatio per scripturam, Rota
in d. Albanen. Prioratus 17. Novembris 1603. coram
Penia.

15 Item notandum, privilegium Apostolicum in limine
fundationis, vel dotationis esse necessarium, quando
agitur de acquirendo jurepatronatus in tota Ecclesia
Conventuali; secus vero ubi agendum esset in altari
posito in ipsa Ecclesia; quia tunc sufficit consensus Regularium,
Paris. cons. 35. n. 10. lib. 4. & fuit resolutum
per Rotam in Segobien. Cappellania 28. Februarii 1625.
coram Ubaldo, quam refert D. Ferentill. d. annot. ad
decis. 1. Buratt. n. 17.

16 Item notandum, quòd cùm non agitur ad affectum
acquirendi jus præsentandi, seu eligendi, sed solum juspatronatus
honorificum, non est nessarium privilegium
in limine fundationis, sed sufficit sola constructio d. cap.
nobis, & ibi Abbas, numer. 9. de jurepatronatus, Cassador.
eod. tit. decis. 6. numer. 2. Lambertin. eod. tract.
lib. 1. part. 1. quæst. 11. artic. 7. num. 5. Anast. cons. 24.
num. 4. Franc. Leo in thesaur. forens. Eccles. part. 2.
art. 16. numer. 72. cum aliis allegatis, & probatis per
Rotam in Toletana jurispatronatus 17. Novembris
1628. coram Reverendiss. D. Coccino, in Calaguritana
jurispatronatus 16. Februarii 1629. coram bonæ memoriæ
Cardin. Virile, & in Januen. Juris honorifici 17. Maji
1630. coram R. P. D. Pirovano, quæ in fine operis sunt
17 decis. 28. & 29. etiam absque dote, d. cap. nobis de jurepatronatus,
Lambert. part. 1. quæst. 11. artic. 7 num. 5.
& lib. 3. quæst. 1. principali, num. 3. cum pluribus seqq.
& Rota in d. Calaguritana coram D. Card. Virile.

18 Nec requiritur expressa reservatio, modo expressè
non remittatur, ex quo ex canone conceditur reservatio,
Rota decisione 5. de jurepatronatus in antiquis.
Lambertin. lib. 1. par. 1. q. 2. art. 5. num. 12. & fuit firmatum
in Tacen. portionis 10. Decembris 1591. coram
Cardin. Pamphilio seniore, in d. Calaguritana Jurispatronatus
coram Cardin. Virile, in d. Januen. juris honorifici
coram R. P. D. Pirovano, & in Florentina Subdecanatus
22. Maji 1628. coram R. P. D. Durano.

19 Item notandum, quòd Ecclesia tenetur alere patronum
pauperem can. quicunque 16. quæst. 7. d. cap. nobis
de jurepatron. & ibi, DD. præsertim Abbas n. 6. Felin.
in cap. cùm omnes, num. 32. vers. adde, de constit.
Lambertin. de jurepatron. lib. 3. quæst. 3. principali, in
princ. & art. 1. Anton. à Cordub. in Cod. si quis à liberis,
§. solent. num 20. ff. de liber agnoscen. cum aliis per Surd.
de alimen. titul. 1. quæst. 54. numer. 1. Cassador. decis. 3.
num. 2. de jurepatron. Rota in Regien. Prioratus. 1. Julii
1596. coram Penia, quæ est decis. 594. num. 1. p. 4. divers.
& in eadem causa 5. Decembris 1597. & 19. Januarii
1598. coram eod. & in Neapolitana alimentorum 30.
Maji 1606. coram Patriarcha Manzanedo, quæ est decis.
454. part. 2. recent. per errorem posita sub anno 1613.
confirmata coram R. P. D. Pirovano 11. Januarii 1666.
quæ in fine operis sunt decisiones 26. & 27.

20 Pauper autem ad hunc defectum dicitur patronus,
quando tendit ad inopiam, attenta etiam conditione
personæ; nec requiritur, quòd summa inopia, vel egestate
laboret, Abbas in d. cap. nobis, numer. 5. de jurepatron.
ut quæst. 3. num. 14. vers. tertio fortius. Paul. de
Citadinis de jurepatron. in 4. art. 6. part. num. 6. Lambert.
d. quæst. 1. art 3. num. 3. 4. & 5. Menoch. cons. 281.
num. 21. & de arbitr. cas. 65. num. 9. Covar. var. resolut.
lib. 2. cap. 6. num. 8. Rota in d. Regien. Prioratus 1.
Julii 1596. & 19. Januarii 1598. coram Penia, quæ secuta
est in d. Neapolitana alimentorum coram R. P. D.
Pirovano num. 3. Nisi patronus alium haberet sibi ad 21
alimenta præstanda obligatum, Surd. d. quæst. 54. n. 16.
vers. ego tamen. Rota in d. Neapolitana alimentorum
coram Manzanedo num. 4. & coram R. P. D. Pirovano
num. 9.

Declarantur tamen prædicta procedere, quando de- 22
ductis expensis necessariis pro alimentis Monachorum;
& familiæ Monasterio servientium, & pro cultu divino,
& reparatione Ecclesiæ, supersunt redditus, ex quibus
monasterium potest alimenta patrono subministrare
Gloss. fin. in d. Can. quicumque 16. quæst. 7. Abbas
in d. cap. nobis, numer. 6. de jurepatron. Lambertin.
d. quæst. 3. art. 2. num. 2. lib. 3. Anton. à Cordub. in d.
l. si quis à liberis, §. solent num. 22. & 23. ff. de liber. agnoscen.
Rota in dicta Neopolitana alimentorum coram
Manzanedo num. 2. & 3. & coram R. P. D. Pirovano
num. 11.

QUÆSITUM VI.

An ad Patronum spectet jus eligendi Abbatem simul cum aliis Monachis.

SUMMARIUM.

1 *Ratio dubitationis adducitur.*
2 *Jus eligendi in Ecclesia Collegiata, vel Conventuali non potest cadere in laicum.*
3 *Laicus non potest ex consuetudine fieri capax juris spiritualis.*
4 *Respondetur ad rationem dubitandi.*
5 *Prælati obitus ut Principi nuncietur, & ab eo licentia successorem eligendi petatur, consuetudine introduci potest.*

RAtio dubitandi est, quia in can. Abbatem il. 2. 18. 1
quæst. 2. dicitur: In Monasterio illum volumus ordinari
Abbatem, quem sibi de sua Congregatione, & Monachorum
electio, & possessionis dominus poposcerit ordinari.
Per quæ verba videtur, ad patronum simul cum
aliis Monachis, jus eligendi etiam pertinere: ad quod
videtur etiam facere can. decernimus, 19. q. 7. & can.
principali 63. distinct. Verùm in contrarium est, quod
habetur in cap. sacrosancta, & in cap. Massana extra de
elect. ubi expressè dicitur, quod jus eligendi non cadit
in laicum in Ecclesia Collegiata: nec valere aliquo mo- 2
do consuetudinem, ut laicus intersit cum clericis in electione
Prælati; & gloss. in cap. quod sicut de elect.
verb. impedire, quæ dicit, quòd laicus, etiam patronus, 3
non potest ex consuetudine sibi vendicare jus interessendi
electioni Prælati, consuetudo enim non facit laicum
capacem juris spiritualis, cap. causam de præscript. electio
autem est actus mere spiritualis; quia per illam
transfertur in electum jus Prælaturæ saltem in habitu,
& contrahitur matrimonium spirituale, ut not. gloss. in
cap. quanto, 63. distinct. & Oldrad. cons. 1 de elect. facit
text in cap. cum inter canonicos ex eod. tit. At in laicum
jus spirituale non cadit. d. cap. sacrosancta, & d. cap.
Massana, & can. benè quidem 96. dist. gloss. in d. cap.
causam, verb. detinere. Confirmatur; nam qui non
est professus ejusdem Religionis, etiamsi sit clericus,
non potest Regularem Prælatum eligere, juxt. cap.
ex eo, & cap. indemnitatibus de elect. in 6. & diximus
suprà.

Ad rationem dubitandi respondetur, Patronum laï- 4
cum non habere jus eligendi simul cum aliis Monachis;
sed tantùm electioni celebratæ assensum præbendi, ut
habetur in cap. nobis de jurepatron. ubi dicitur: In Conventuali
Ecclesia non electioni Prælati facienda, sed jam
facta honestius præstolatur assensus. Ex quibus verbis
patet,

patet, quòd non habet jus ferendi suffragium in electione cum aliis Monachis, sed ejus assensus post electionem est requirendus, &c. ita solvit dubium prædictum gloss. *d. canon. Abbatem*, videatur etiam Abbas Panormit. *d. c. nobis, & in cap. cum terra, n. 2. &*
4 *cap. quod sicut, de elect.* ubi Innoc. signanter advertit, posse ex consuetudine introduci, ut Prælati obitus Principi nuncietur, & ab eo petatur licentia successorem eligendi; adeò ut electio aliter facta non teneat. Interest enim Principis, ne eligatur alius sibi suspectus, qui possit revelare secreta Regni sui, arg. *in l. omne delictum, §. exploratores. ff. de re milit.* ita enim Joan. de Selva *de benefic. in 2. p. qu. 23.* gloss. *in pragm. sanct. tit. de elect. cap. 1. §. veruntamen in verb. Pontif.* Vide quæ dicta sunt *suprà hac eadem disp. quæst. 5.*

DISPUTATIO VIII.

De modo formandi processus, & forma expediendi aliquas Abbatias, & Ecclesias in Consistorio.

Quæst. I. *Utrùm de promovendis ad Abbatias, & Monasteria, quæ in Consistorio providentur, sit habenda informatio eo modo, quo habenda est de promovendis ad Cathedrales, vel Superiores Ecclesias.*

II. *De forma faciendi processus, & inquisitiones super promovendis ad regimen Monasteriorum, & Abbatiarum, quæ in Consistorio providentur.*

III. *Utrùm Abbates, & alii Prælati Episcopo inferiores in sui promotione teneantur fidei promissionem emittere.*

QUÆSITUM I.

Utrùm de promovendis ad Abbatias, & Monasteria, quæ in Consistorio providentur, sit habenda informatio eo modo, quo habenda est de promovendis ad Cathedrales, vel superiores Ecclesias.

SUMMARIUM.

1 *De promovendis ad Abbatias, & Monasteria, quæ in Consistorio providentur, facienda est inquisitio, & fabricandi processus eo modo, sicut de promovendis ad Ecclesias Cathedrales.*

GREGORIUS XIV. per Bullam incip. *Onus Apostolicæ.* dat Rom. anno 1590. die 15. Maji, quam refert Quaran. *in sum. bullar. verb. elect. pag. mihi 226.* statuit, ut super promo-
1 vendis ad regimina Ecclesiarum Cathedralium, Abbatiarum, & Monasteriorum fabricentur processus, & fiant inquisitiones, & habeantur informationes; quæ omnia traduntur in eadem Bulla, cujus tenor propositæ materiæ necessarius hic apponitur.

GREGORIUS EPISCOPUS
Servus Servorum Dei.
Ad perpetuam rei memoriam.

ONus Apostolicæ servitutis, ad quod nuper nos dignatio divina provexit, assiduè admonet, in eam potissimum curam nobis esse pastorali sollicitudine incumbendum, ut quæ à Sacris, Oecumenicisq; Conciliis pro communi totius Christiani populi salute, piè, prudenterq; statuta sunt, nulla aut temeritate violentur, aut negligentia deserantur, ea præsertim, quæ ad bonos idoneósq; Pastores Cathedralibus, ac Superiorib. Ecclesiis gubernandis præficiendos pertinent. Nam si in quibusvis Ecclesiæ gradib. & ministris curandum est tales eligi, qui Religione, & Sanctitate fideles ædificent, multò certè magis laborandum est, ne in ejus electione erretur, qui supra omnes gradus constituitur, cui tanquam servo fideli, & prudenti totius familiæ cura traditur, qui ad omnem virtutem, & mandatorum Dei observantiam aliorum forma esse debet; cùm certum sit, gregis salutem magnopere pendere ex boni Pastoris præstanti vita, & doctrina. Sanè venerabiles patres, qui ex toto terrarum Orbe ad sacrum generale Trid. Concil. à Summis Pontificibus prædecessoribus nostris evocari magna frequentia convenerunt, cùm in aliis rebus multis præclarum studium ad corrigendos depravatos mores, & collapsam Ecclesiasticam disciplinam restituendam ostenderunt, tum in eo potissimum insigni zelo, magnáq; cum laude laborarunt, ut ratio nem invenirent, qua viri doctrina, pietate, prudentiáque excellentes, & in Ecclesiasticis functionibus diu multumq; versati, Ecclesiis Cathedralibus præficerentur. Nos igitur, qui cum in minoribus constituti Cremonen. Ecclesiam regeremus, in eodem Concilio cum Sanctis, & egregiis illis Patribus interfuimus, & Concilio absoluto ad Ecclesiam nostram reversi, magno semper desiderio flagravimus, ut tam salubria generalis Concilii decreta executioni debitæ mandarentur, atque ut id fieret, pro virili parte curavimus. Multò nunc magis, cum disponente Domino, omnium Ecclesiarum cura, & solitudo nos premit, summo desiderio tenemur, ut Pastores ii præficiantur Ecclesiis, qui opus suum, & ministerium impleant, & de ovium salute nos in Domino lætificent. Illud autem in hoc saluberrimo, & pernecessario negotio, quod est de Episcopis eligendis, & præficiendis, videtur esse præcipuum, ut instructio, examen, & inquisitio de fide, vita, moribus, doctrina, & prudentia promovendorum, tam accuratè, fideliter, ac seriò instituatur, ut omnis fallaciæ fuco semoto, certò confidere valeamus, tales à nobis Christi gregi pascendo esse præpositos, quales tantum onus, Angelicis videlicet humeris formidandum exigit, & quales ille expetit, qui pro iisdem ovibus redimendis propriæ vitæ ac sanguini non pepercit; & quidem in hac parte providentia dicti Concilii Triden. minimè defuit, cum statuerit, ac mandaverit, ut in Provinciali Synodo per Metropolitanum habenda præscribatur quibusq; locis, & Provinciis propria examinis, seu inquisitionis, aut instructionis faciendæ forma Rom. Pontificis arbitrio approbanda, quæ magis eisdem locis utilis atque opportuna esse videretur. Verùm neque id hactenus nisi à paucissimis factum est, neque spes est nisi longissimo temporis spatio, ut ab omnibus fiat, atque interim, dum certa examinis, sive inquisitionis ratio à Provincialibus Conciliis expectatur, perit uber ille fructus, qui ex tam utilibus Concilii generalis decretis sperari posse videbatur: & experientia ipsa docuit per tot annos à publicatione Concilii prædicti elapsos, quid in unaquaque Provincia opus sit, quidve possit fieri. Habita igitur cum venerabilibus fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalib. matura deliberatione, ac de eorum unanimi consilio, & assensu, præsenti nostra perpetuò valitura constitutione decernimus, ut si extra Roman. Curiam examen, instructio, sive inquisitio facienda erit, nemo

omnium

omnino cujuscumque status, gradus conditionisque fuerit, inquisitionem prædictam sibi arrogare præsumat, sed integrum hoc negotium iis, qui à prædicto Trident. Concilio designantur, Apostolicæ videlicet Sedis Legatis, seu Nunciis Provinciarum, aut ejus, de quo inquisitio fit, Ordinario, eóque deficiente, Ordinariis vicinioribus relinquatur; nisi justis de causis nobis, aut pro tempore existenti Romano Pontifici, per speciale mandatum alicui alteri hoc munus quandoq; committendum esse visum fuerit. Quod si fortè aliquis prædictorum cosanguinitate, aut affinitate, usque ad tertium gradum inclusivè promovendum contingeret, ut omnibus suspicio carnalis affectus à tam sancto negotio repellatur, ille quidem eo casu censeatur exclusus, atque ad eum, qui proximè sequitur, hoc est, si Legatus excludendus erit, ad Nuncium, si Nuncius, ad Ordinarium, si Ordinarius, ad viciniorem Ordinarium inquisitionis officium deferatur. In Curia verò hæc functio spectet vel ad eos Cardinales, qui à nobis, vel pro tempore existente Rom. Pontifice deligentur, vel ad Cardinales earum Provinciarum, seu Regnorum apud nos, & Sedem Apostolicam Protectores, in quibus Ecclesiæ ipsæ consistunt, si tamen ad ipsos hujusmodi vacantium Ecclesiarum relatio pertinebit. Quòd si de Episcopo, vel Metropolitano extra Rom. Curiam degente ab una Ecclesia ad aliam ex aliqua gravi, & justa causa transferendo agetur, hoc munus deficientibus Legato, vel Nuncio Apostolico ejus Provinciæ, aut Regni, ubi Ecclesia ipsa, à qua transfertur, sita erit, ad Metropolitanum, si Episcopus, ad Suffraganeum verò antiquiorem residentem, si Metropolitanus transferendus erit, pertinere declaramus. Deinde quia sacrum Tridentinum Concilium, non sine magna ratione eminentes personas, & quæ negotii magnitudinem probe intelligerent, ad hoc officium nominavit: Declaramus, & statuimus, tam Legatos, sive Nuncios, quam Ordinarios, vel alios ab hac sancta Sede fortè delegandos non per Auditores, aut Vicarios, aliósve ministros, sed per seipsos inquirendi munus exercere debere: quamvis ab hujusmodi personis aliísque viris peritis adjuvari possint, & si Prælatus inquirens per se non posset, ob locorum distantiam, testes examinare circa articulum aliquem, vel legitimos natales, vel ætatem, aut aliquod ejusmodi licebit ei articulum illum alteri personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ subdelegare, non autem universalem inquisitionem. Quod si fortè contingat, aliquem supradictorum legitime impediri, ut per se hoc munus præstare non possit, ad alios ea cura transferatur, qui sunt ab eodem Concilio Trident. ad hoc officium designati, ut supra dictum est de iis, qui ob consanguinitatem, vel affinitatem ab hoc munere excluduntur. Ad hoc, ut mens ejusdem sacr. Concil. rectè, ac fideliter debitæ executioni mandetur, & tale sit examen, quale requiritur in negotio tanti ponderis, declaramus, aut statuimus, non esse in vita, ac doctrina promovendi investiganda eam rationem adhibendam, ut ab ipso promovendo articuli offerantur, ac testes producantur, sed oportet, ut Prælatus, qui munus inquirendi suscepit, articulos conscribat, atque ipse ex officio suo illos testes vocet, atque examinet, quos de rebus inquirendis sincerum, ac fidele testimonium daturos esse existimet. Verùm, ut inquisitio prædicta faciliùs, ac pleniùs perfici, atque expediri queat, utile erit, si Prælatus, qui inquisitionem facturus est, vel à promovendo, vel ab aliquo alio confici curet schedulam, in qua sit ordine descriptum nomen promovendi, cognomen, patria, parentes, ætas, ordo, gradus, professio, functio, si quam is fortè exercuit, loca, in quibus aut Theologiæ, vel juri Canonico operam dederit, aut longo tempora versatus fuerit, denique amici, ac familiares qui tam ipsum, quàm parentes ejus intimè norint. Quòd si promovendus documentum aliquod exhibere voluerit, unde ipsius ætas, gradus, dignitas, sacri ordines, functio, officia, muneráque, aut aliquid ejusmodi comprobetur, admittendum, ac processui inserendum erit, modò documentum publicum, seu authenticum fuerit. Illud quoque prohibendum censuimus, ac expressè prohibemus, ne ad testimonium dicendum de Fide Catholica, vita, moribus, doctrina, atque aptitudine ad regendam Ecclesiam, quilibet homines admittantur, sed viri tantùm graves, pii, prudentes, docti, qui de qualitatibus promovendorum rectum judicium ferre valeant, ac, ut supra diximus, sincerum, ac fidele testimonium dare velint. Proinde tam cognati ac nimium familiares, quàm inimici, atque æmuli excludendi erunt. Porrò testes ejusmodi, Prælatus, qui examen, seu inquisitionem habiturus erit, seorsim, ac singillatim examinabit, & si quando judicaverit expedire, eis ad memoriã reducet tum juramenti vim, tũ perjurii gravitatem: eosdem etiam serio, & graviter admonebit, ipsos reos futuros apud omnipotentem Deum eorum omnium, quorum, vel committendo, vel omittendo rei erunt qui promovebuntur, si vel falsa narrando, vel reticendo vera, causa, erunt, ut homines indigni, vel minùs idonei ejusmodi Ecclesiis præficiantur. Diligenter etiam testium qualitates cognoscere studebit, ac proximum, quam sint ad promovendos affecti, ut inde conjiciat, utrum ex affectu, an ex veritate testimonium dicant. Deniq; cùm testes de qualitatibus promovendi interrogabit, dabit operam, ut quoad fieri poterit omnia, & singula, quæ ad prædictam inquisitionem facere videbuntur, per ipsos exprimantur. Quamvis autem qualitates omnes promovendorum, quæ in generalium Synodorum decretis, aliisque Canonicis sanctionibus continentur probè cognitæ esse debeant iis, quibus inquisitioni officium demandatum est, quales sunt, natum esse ex legitimo matrimonio, atque ex parentibus catholicis, annum trigesimum jam explevisse, sacris Ordinibus saltem ante sex menses initiatum esse, gradum Doctoratus, aut licentiæ in Theologia, vel jure Canonico, aut certè publicum alicujus Academiæ testimonium obtinuisse, quo ad alios docendos idoneus esse declaretur; ad hæc in Ecclesiasticis functionibus diu esse versatum, item fidei puritate, innocentia vitæ, prudentia, usu rerum, integra fama, doctrina denique præditum esse: tamen quia circa doctrinam plures fraudes committi solent, & sæpè contingit, ut nonnulli scientia vacui de solo Doctoris titulo, aut privilegio glorientur, volumus, ut de eorum etiam doctrina diligenter inquiratur, qui vel Doctoratus, aut Licentiæ titulis, & privilegiis gaudent, vel etiam à publicis Academiis testimonium habuerunt, quòd idonei essent ad alios docendos, nisi fortè aliquorum insignis doctrina ex publica ipsorum functione notoria esset. Ita verò inquisitio facienda erit, ut quibus in locis, quanto tempore, & quo fructu Theologiæ, vel juri Canonico promovendus operam dederit, cognoscatur: & quoniam in quibusdam Provinciis nulla sunt studia generalia, neque ullæ publicæ scholæ, neque usus habet, ut qui studiis operam navant, ullis Doctoratus aut Licentiæ insignibus decorentur, declaramus in ejusmodi locis sufficere, si testimonio virorum gravium, & sacræ Theologiæ, vel juria Canonici peritorum constet, promovendos ea scientia Theologiæ, vel Canonum verè pollere, ut idonei sint ad ea docenda, quæ populum Christianum scire oportet, ac muneris sibi injungendi necessitati valeant satisfacere. Testes præterea deponant, se de scientia promovendorum certos redditos esse ex eo, quòd prædictos promovendos specimen suæ doctrinæ publicè, vel privatim dedisse cognoverint. Quod autem ad Regulares pertinet, cum ad Ecclesias Cathedrales promovendi fuerint, ne fraus ulla subrepere possit in eo, quod idem Trid. Concil. statuit, ut Regulares à suis Superioribus sufficientis doctrinæ testimonium habeant:

Declara-

Declaramus, nomine Superiorum duntaxat intelligendos esse, qui nullum sui Ordinis Superiorem agnoscunt, sive ii cujusvis Ordinis Abbates, Magistri, aut Ministri, aut Præpositi, Generales, aut quarumlibet Congregationum Præsidentes, sive Definitores, aut Visitatores Capitulum Generale repræsentantes, sive alii quocunq; vocabulo nominentur, & in eorum absentia ipsorum Vicarii, seu Commissarii Generales, vel in Roman. Curia Procuratores Ordinum, aut Congregationum Generales in hac parte succedant; & nihilominùs præter Superiorum testimonium, qui fidem faciant, ejusmodi Regulares ad alios docendos idoneos esse, volumus ea servari, quæ de iis diximus, qui publicum suæ doctrinæ ab aliqua Academia testimonium habent, ut videlicet seriò inquiratur, an Regulares ad Cathedrales Ecclesias promovendi eos progressus in studiis fecerint, qui in futuro Antistite requiruntur. Post inquisitionem verò de fide, vita, moribus, doctrina, & prudentia promovendi, nec non informationem de statu Ecclesiæ, aliisque necessariis rebus, quæ pariter eorum superiùs expressis Prælatis, juxta ejusdem Concilii decreta, fieri debent, professio fidei Catholicæ à promovendo facienda erit, quam quidem ab eo duntaxat recipiendam esse declaramus, ad quem inquisitio pertinebit, nisi fortè qui possessionem emissurus est à Prælato inquirente longè distet, tunc enim is Prælatus ex subdelegatione inquirentis professionem admittere debebat, qui promovendo vicinior erit; quod idem intelligatur, de informatione de statu Ecclesiæ accipienda, si quando contingeret, ut in alia Provincia, sive Regno esset Ecclesia, in alia promovendus. Recipiet autem Prælatus professionem promovendi præsente Notario publico, ac testibus, atque eam à se admissam ac receptam propriæ manus subscriptione testabitur. Is quoque, qui professionem ejusmodi fecerit, in eo loco ubi proprium nomen profitentis exprimi solet, nomen suum manu propria adscribat. Denique his peractis, Notarius publico instrumento fidem faciat de professione prædicta adhibitis testibus, ut præfertur. Ubi verò totum examen, seu inquisitio de persona promovenda perfecta fuerit, ea in instrumentum publicum redacta cum toto testimonio, ac professione fidei emissa ad hanc sanctam Sedem, ut Concilium statuit, quamprimum clausa, & obsignata in forma authentica transmittenda erit. In qua id observari volumus, ut professio fidei iisdem omnino verbis descripta sit, quæ in ea forma continentur, quam fel. record. Pius Papa IV. prædecessor noster statuit observandam, & ut Prælatus qui instructionem, examen, & inquisitionem fecit, vel per litteras separatas, simul tamen cum processu mittendas, vel per subscriptionem dicti processus significet, quanta fides testibus examinatis, eorúmq; dictis, & scripturis productis suo judicio habenda sit, simul etiam quid de promovendo ipse sentiat; processus autem sic formati, & ad Curiam transmissi, à Cardinali, cui promovendi munus incumbet, & à tribus Prioribus Ordinum Cardinalibus, ut moris est, juxta formam Concilii prædicti subscribentur, & ea pedientur. Volumus autem, ut Cardinalis relator moneat promovendum, si præsens in Curia fuerit, ut juxta Concilium Lateranense novissimè celebratum, omnes Cardinales, sive majorem partem Collegii adeat, antequam Ecclesiam proponat, ut quæ à ferente Collega sint adjutori occulta fide, quantum ad personam promovendi attinet, cognoscere possint. Hæc porrò omnia, quæ de promovendis ad Ecclesias Cathedrales dicta sunt, ad eos etiam pertinere, atque in eorum promotione servanda esse declaramus, & decernimus, qui nominari, præsentari, aut electi fuerint, ad dignitates Abbatiales, ac Prioratus, seu Præpositatus, Monasteriorum regimina, aut alias Regularium cujusvis Ordinis, aut etiam secularium Præfecturas, de quibus Consistorialiter provideri contigerit, atque eos præsertim, quibus præter curam, & regimen Monachorum, aut Canonicorum, Clericorúmq; Regularium, vel secularium, annexa est in populũ jurisdictio spiritualis, vel temporalis; excepta tamen ætate, circa quam nihil innovamus. Quò verò ad doctrinam, cum generalia Concilia non statuant in personæ promovendæ ad Regulares dignitates, Doctoratus sive Licentiæ gradum suscipere, vel publicum testimonium ab Academia aliqua habere teneantur; & tamen æquum sit, ut ea doctrina polleant, qua onus sibi imponendum sustinere valeant; declaramus, & statuimus, ut Prælati qui inquirendi munus susceperint sunt, studiosè, ac diligenter inquirant super doctrina ejusmodi personarum juxta modum, & formam superius præscriptam, ut nos, & pro tempore futuri Romani Pontifices habita de illis vera informatione per processum, qui ab inquirente transmittetur, certò statuere, ac judicare possimus, an persona promovenda verè sit talis qualem dignitas illa, ad quam provehenda est, exigit, & requirit. Hortamur verò in visceribus Domini nostri Jesu Christi, ac paterna charitate monemus eos omnes, qui ab hac sancta Sede nominandi ac præsentandi, vel etiam eligendi futuros Episcopos, vel Abbates, jus habent, ut seriò apud se cogitent, quanti momenti sit hoc negotium, ea quo salus animarum, tranquillitas Reipublicæ, incolumitas Religionis, propagatio fidei, aliáque permulta, & maxima bona dependent. Illud etiam sæpe, & sæpius ad mentem revocent, quod sancta Tridentina Synodus admonet, nihil se ad Dei gloriam, & populorum salutem utilius posse facere, quàm si bonos Pastores, & Ecclesiæ gubernandæ idoneos promoveri studeant, eosque alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, non quidem precibus, vel humano affectu, aut ambientium cupiditatibus, sed eorum exigentibus meritis præfici diligenter curaverint. De nominandis verò, præsentandis, vel eligendis ad Regulares dignitates præter ea, quę superius observanda esse declaravimus, illud quoque paternis his nostris hortationibus, & monitionibus adjiciendum censuimus, ut nominationis, præsentationis vel electionis jus habentes eos deligere studeant, atque omninò conentur, qui non modo eundem Ordinem sint ante professi; sed in eodem etiam sint diu laudabiliter versati; neque enim decet, ut Magistri aliorum esse incipiant, qui non fuerint ante discipuli, & subditis imperare præsumant, qui priùs non didicerint Superioribus obedire. Eos denique, qui vel examinando, & inquirendo, vel testimonium ferendo operam suam in hac re præstabunt, seriò admonemus, ut ea fide, ac diligentia in negotio tanti momenti versentur, ut à Deo, & nobis laudem pro bono opere expectare valeant. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ prohibitionis, voluntatis, declarationis, decreti, statuti, hortationis & monitionis infringere, vel ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ in Monte Quirinali, anno Incarnationis Dominicæ 1591. Idibus Maji, Pontificatus nostri anno 1.

QUÆSITUM II.

De forma faciendi processus & inquisitiones super promovendis ad regimen Monasteriorum, & Abbatiarum, quæ in Consistorio providentur.

SUMMARIUM.

1 *Quando conficiendi sint processus, ut dici possint & videantur confecti per viam inquisitionis.*

2 *Quid sit observandum circa qualitates testium vocandorum & examinandorum quoad personam promovendi.*

3 *Quo-*

3 *Quomodo Prælatus inquirens procedere possit per viam Inquisitionis, quando non habet notitiam personæ promovendæ.*
4 *Interrogatoria, quæ necessaria sunt ad inquirendum in omnes qualitates, quæ in promovendis requiruntur.*
5 *Quæ requirantur ad perfectam inquisitionem, præter ea, quæ ex testibus habebuntur.*
6 *Quid servandum quoad probationem doctrinæ, quando promovendi orti sunt in Provinciis, in quibus non sunt Universitates studiorum, neque consuetum est, suscipi gradum aliquem.*
7 *Quid servandum, si promovendus sit Regularis.*
8 *Interrogatoria pro habenda informatione status alicujus Monasterii.*
9 *Quid agendum perfecta inquisitione.*
10 *Forma pronunciationis electi in Abbatem.*

VIsum est in superiori quæsito circa qualitates eorum, qui in Consistorio ad Abbatiales dignitates, & Monasteriorum regimina vel alias Regulares præfecturas promovendi, vel confirmandi sunt, servanda esse ea omnia, quæ servari debent in promovendis ad Ecclesias Cathedrales; & hoc præcipuè, quando Abbatiæ, & Monasteria præter curam, & regimen Monachorum, habent annexam jurisdictionem spiritualem, vel temporalem in populum, necessarium ergo est videre, quis modus præscriptus sit inquisitionibus faciendis super qualitatibus eorum, qui Cathedralibus Ecclesiis præficiendi sunt; particularis autem instructio super hoc edita est jussu S. D. N. Urbani VIII. Pontificis Optimi Maximi: cujus verba pro præsenti materia necessario apponenda esse visa sunt.

Instructio circa personas, ad quas spectat dictos processus conficere.

SI processus inquisitionis conficiendus sit extra Romanam Curiam, hoc munus spectat ad Legatos Sedis Apostolicæ, vel ad Nuncios Provinciarum in locis, in quibus commorantur: Si non adsint Legati, neque Nuncii, spectat ordinarios personarum promovendarum, & ipsis deficientibus ad Ordinarios viciniores; qui ordo gradatim servandus est, nec quisquam debet sibi hoc munus arrogare, præter ordinem supradictum, nisi Romano Pontifici per speciale mandatum alicui alteri illud mandare placuerit; quo casu apparere debet de mandato speciali in principio processus.

Si aliquis ex Prælatis, ad quem ordine supradicto spectat processum conficere, consanguinitate, vel affinitate usque ad tertium gradum inclusivè promovendum contingat, ille excludatur ab hoc munere, quod eo casu deferatur ad illum, qui proximè sequitur, servato ordine, & gradu.

Si quis etiam sit legitimè impeditus, ut per seipsum processum conficere non possit, & ea adimplere quæ continentur in §. inferiùs scripto, qui incipit, *Quicunque confecturus est*, ea cura transferatur eodem ordine, & gradu ad alium Prælatum viciniorem Prælato impedito.

Si processus sit conficiendus in Romana Curia, videndum est, an Ecclesia, vel Monasterium, cui est providendum, sit ad nominationem, vel præsentationem Imperatoris, vel alicujus Regis, aut Principis, quo casu munus conficiendi processum in Curia spectat ad Cardinalem, qui apud Pontificem, & Sedem Apostolicam est Protector illius Provinciæ, in qua sita est Ecclesia, vel Monasterium.

Quod si Ecclesia, vel Monasterium non sit ad nominationem, aut præsentationem, ut præmittitur, processus conficiendus, erit per Cardinalem, à Romano Pontifice deligendum, qui de hujusmodi deputatione curabit aliquid apparere, vel saltem vigore suæ assertionis aliquid narrari à Notorio in principio processus.

Si Prælatus inquirens ob locorum distantiam non posset commodè per seipsum testes examinare super aliquo articulo, ut puta, super legitimis natalibus, ætate, aut aliquo ejusmodi; licebit ei partem illam alteri personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ subdelegare, non autem universam inquisitionem.

Quoad processus conficiendos, pro habendâ informatione status Ecclesiarum, vel Monasteriorum, quibus providendum erit, hoc etiam conficere debeant iidem Prælati, qui processum de qualitatibus promovendorum confecturi sunt. Si verò contingat, in alia Provincia, vel Regno esse Ecclesiam, & in alia promovendum: tunc Prælatus inquirens poterit subdelegare Episcopo, qui erit vicinior ipsi Ecclesiæ, vel Monasterio, munus conficiendi processum super statu dictæ Ecclesiæ, vel Monasterii.

Quomodo conficiendi sint processus, ut dici possint & videantur confecti per viam Inquisitionis.

QUicunque confecturus est processum Inquisitionis in qualitates promovendi, etiam si sit Legatus, non per suos Vicarios, Auditores, vel alios ministros, sed per seipsum id munus exercere debet: licèt possit, ab hujusmodi personis, vel aliis viris peritis adjuvari. Hæc autem in specie servanda sunt.

Non recipiantur testes à promovendo, vel pro parte sua inducti, neque articuli ab ipso, vel nomine suo producti, sed Prælatus inquirens interrogatoria, seu articulos per seipsum formatos habeat, & super eis examinet testes, quos de rebus inquirendis syncerum, & fidele testimonium daturos esse existimet: ipse ex officio suo secretò vocari mandet, & secreto examinet: ipsemet recipiat in manibus suis singulorum testium juramentum, quod ab Episcopis præstetur tacto pectore, à cæteris verò inferioribus, cujuscunque qualitatis sint, tactis sacris scripturis, & ita respectivè referat Notarius processum scripturus, qui etiam afferat, testem fuisse ex officio vocatum, & examinatum à Prælato Inquirente. Insuper Prælatus ipse testes interroget super unoquoque articulo: ipsorum autem testium dicta unà cum reliquis hoc negotium tangentibus scribat aliquis Notarius publicus, qui debet etiam tam dicta testium, quàm scripturas, & documenta producenda, ut inferiùs dicetur, in processum, & publicum instrumentum redúcere. Articuli autem, & interrogatoria inferiùs describentur.

Circa qualitates testium vocandorum, & examinandorum quoad personam promovendi.

TEstes sint viri graves, pii, prudentes, docti, & qui de qualitatibus promovendorum rectum judicium ferre valeant; syncerúmque, ac fidele testimonium verisimiliter sint daturi; præsertim verò hujusmodi qualitatis esse debent in testibus, qui interrogandi erunt de Fide Catholica, vita, moribus, doctrina, aptitudine promovendi ad regendam Ecclesiam; scire enim debent ipsi testes, quæ requirantur in eo, qui rectures est Ecclesiam Cathedralem, ad hoc, ut sit idoneus ad alios docendum, aptus ad illam gubernandam, & dignus, qui ad eam promoveatur.

Non sunt recipiendi testes cognati, vel nimium familiares, aut inimici, sive æmuli personæ promovendæ.

In investigandis testium qualitatibus, adhibenda est diligentia per Prælatum inquirentem, ut cognoscere possit, quàm sint erga promovendum affecti, ex indéque conjicere, utrùm ex affectu, an ex veritate testimonium dicant.

Si aliquando Prælato inquirenti ita expedire videbitur,

tur, testibus ad memoriam reducet vim juramenti, & gravitatem perjurii, admonebitque ipsos, reos futuros apud Deum eorum omnium, quorum, vel committendo, vel omittendo rei erunt, qui promovebuntur, si vel falsa narrando, vel reticendo vera, causa erunt, ut homines indigni, vel minùs idonei Ecclesiis præficiantur.

Quomodo Prælatus inquirens procedere possit per viam inquisitionis, quando non habet notitiam personæ promovendæ.

SI contingat, Prælatum inquirentem non habere sufficientem notitiam personæ promovendæ, ad hoc, ut possit deligere, & vocare testes ex officio; absque scientia ipsius promovendi, & secretò poterit curare, ut ipsemet promovendus, vel aliquis alius det ei schedulam, in qua sint ordine descripta, nomen dicti promovendi, cognomen, patria, ætas, parentes, ordo, gradus, professio, functio, si quam is fortè exercuit, loca, in quibus Theologiæ, vel Juri Canonico operam dederit, aut longo tempore versatus fuerit, amici, & familiares, aliævæ personæ, quæ tam ipsum, quàm parentes ejus intimè norint.

Cùm autem hujusmodi schedula petenda sit tantummodo ad habendam quandam extrajudicialem notitiam eorum, quæ Prælatum inquirentem scire oportet pro inquisitione facienda; non debebit ipsa schedula inseri processui, neque de ea aliqua mentio in dicto processu fieri: sed ad partem servari, donec inquisitio perficiatur & ea perfecta, poterit lacerari, si Prælato videbitur.

Interrogatoria, quæ necessaria sunt ad inquirendum in omnes qualitates, quæ in promovendis requiruntur.

PRimò, an testis cognoscat promovendum, quomodo, à quo tempore citra, an sit ipsius consanguineus, cognatus, affinis, nimium familiaris, æmulus, vel odiosus.

Secundò, an sciat in qua Civitate, vel loco, & Diœcesi promovendus sit natus, & quæ sit causa scientiæ.

Tertiò, an sciat, ipsum natum esse ex legitimo matrimonio, atque honestis & Catholicis parentibus; & quæ sit causa scientiæ.

Quartò, an sciat cujus ætatis sit, præsertim an expleverit annum 30. & quæ sit causa scientiæ.

Quintò, an sciat, eum esse in sacris ordinibus constitutum, quibus, à quo tempore citra, præsertim an ante sex menses, & quæ sit causa scientiæ.

Sextò, an sciat eum esse in Ecclesiasticis functionibus, & in exercitio ordinum susceptorum diù versatum, in susceptione Sacramentorum frequentem, & devotum, & quæ sit causa scientiæ.

Septimò, an sciat, eum semper catholicè vixisse, & in fidei puritate permansisse, & quæ sit causa scientiæ.

Octavò, an sciat, eum præditum esse innocentia vitæ, bonisque moribus; & an sit bonæ conversationis, & famæ, & quæ sit causa scientiæ.

Nonò, an sciat, eum esse virum gravem, prudentem, & usu rerum præstantem, & quæ sit causa scientiæ.

Decimò, an sciat, eum aliquo gradu in Jure Canonico, vel sacra Theologia insignitum esse, quibus in locis, quanto tempore, & quo fructu ipse Theologiæ, vel Juri Canonico operam dederit, & an verè ea doctrina polleat, quæ in Episcopo requiritur, ad hoc, ut possit alios docere, & quæ sit causa scientiæ.

Undecimò, an sciat, eum aliquo munere aliquando functum esse, vel circa curam animarum, aut regimen alterius Ecclesiæ se exercuisse, & quomodo in eis se gesserit, tàm quoad doctrinam, quàm quoad prudentiam, integritatem, & mores, & quæ sit causa scientiæ.

Duodecimò, an sciat, eum aliquando publicum aliquod scandalum dedisse circa fidem, mores, sive doctrinam, vel aliquo corporis aut animi vitio, aliove canonico impedimento teneri, quominùs possit ad Ecclesiam Cathedralem promoveri, & quæ sit causa scientiæ.

An eum idoneum existimet ad benè regendam Ecclesiam Cathedralem, & præsertim eam, ad quam ipse est promovendus; an dignum, qui ad illam promoveatur, & an ipsius promotionem eidem Ecclesiæ utilem, & proficuam futuram esse censeat, & quare ita existimet. Depositiones testium seriatim, & per extensum scribantur; neque præcisæ affirmationes, seu negationes tantummodo admittantur.

Quæ requiruntur ad perfectam inquisitionem, præter ea, quæ ex testibus habebuntur.

QUoad sacros ordines, petendæ sunt à promovendo, & in processu inserendæ originales Bullæ, vel literæ testimoniales collationum ipsorum ordinum, vel saltem earum exemplaria in forma authentica: præsertim si testes in sufficienti numero non deposuerint, se non modò vidisse eum cantantem Epistolam, & Evangelium, vel celebrantem, sed etiam legisse dictas Bullas, vel literas testimoniales, vel interfuisse collationibus ordinum ei collatorum. Quoad gradum similiter inserendum est processui privilegium originale, vel ejus exemplar in authentica forma.

Si prælato inquirenti, vel promovendo videbitur, processui etiam adjungantur aliqua Brevia, literæ patentes, vel aliæ scripturæ, aut publica documenta, quibus major, aut melior probatio habeatur de natalibus, & functionibus promovendi, vel aliud ejusmodi, præsertim si testes circa ea sufficienter, & plenè non deposuerint, recipiantur, & adjungantur.

Si fortè promovendus nullum habet gradum in sacra Theologia, vel in jure Canonico, necesse est, ut præter probationem aliunde habendam circa ejus doctrinam, juxta præinsertum decimum interrogatorium, pro parte promovendi exhibeatur publicum alicujus Academiæ testimonium, quo idoneus esse declaratur ad alios docendos, quæ populum Christianum scire oportet. Persona promovendi enuntietur hac nota, videlicet, si sit Prælatus, Admodum R. P. si verò non sit R. N.N. Promovendus nunquam vocetur electus, neque ipse se talem vel nominet, vel scribat, nisi ubi præcesserit electio Capituli, aut Conventus.

Quid servandum quoad probationem doctrinæ, quando promovendi orti sunt in Provinciis, in quibus non sunt universitates studiorum, neque consuetum est suscipi gradum aliquem.

IN hujusmodi locis, & personis sufficiet, si testimonio virorum gravium, & Sacræ Theologiæ, vel juris Canonici peritorum constet, promovendos ea scientia Theologiæ, vel Canonum verè pollere, ut idonei sint ad ea docenda, quæ populum Christianum scire oportet: ac muneris sibi injungendi necessitati valeant satisfacere. Ideò formandum erit interrogatorium ad hunc sensum, juxta quod si testes deposuerint, se de scientia promovendorum certos redditos esse, ex eo, quòd prædictos promovendos specimen suæ doctrinæ publicè, vel privatim dedisse cognoverint: hoc modo sufficiens causa scientiæ dici potest; alias non plenè probabunt doctrinam ad mentem supradictæ Constitutionis Gregorii XIV.

Quid servandum, si promovendus sit Regularis.

OMnia, quæ servari debent in promovendo ad Ecclesiam Cathedralem, si sit secularis, servanda etiam sunt, si sit Regularis.

Sed quia Regulares non solent ut plurimùm suscipere insignia Doctoratus in Universitatibus studiorum; necesse est juxta decretum Concilii Tridentini, ut promovendus Regularis à suis Superioribus Regularibus testimonium habeat sufficientis doctrinæ, &

quod sit aptus ad alios docendos. Nomine autem Superiorum intelligendi sunt duntaxat, qui nullum sui Ordinis Superiorem agnoscunt, sive ii cujusvis Ordinis Abbates, Magistri, Ministri, aut Præpositi generales, vel quarumlibet Congregationum Præsidentes, sive Definitores, aut Visitatores, Capitulum Generale repræsentantes: sive alii quocunque vocabulo nuncupentur, & in eorum absentia ipsorum Vicarii, seu Commissarii Generales, vel in Romana curia Procuratores Generales Ordinum, aut Congregationum succedunt.

Animadvertendum tamen, quòd præter suprascriptum superiorum testimonium, est etiam aliunde inquirendum in hujusmodi Regularium doctrinam, quemadmodum dictum est de seculari, qui habet suæ doctrinæ testimonium à publica aliqua Academia.

Prædicta omnia servari debent circa inquisitionem faciendam in qualitates eorum, qui in Consistorio promovendi sunt, vel confirmandi ad dignitates Abbatiales, & Prioratus, & regimina Monasteriorum, vel alias Regularium Præfecturas. Præsertim quando, præter curam, & regimen Monachorum, annexa est Monasterio jurisdictio spiritualis, vel temporalis in populum.

Idcirco super eisdem interrogatoriis examinandi sunt testes, mutatis tamen mutandis, respectu Ecclesiæ Cathedralis, & respectu Monasterii, vel dignitatis Regularis.

Addendum tamen est interrogatorium circa professionem Ordinis, & tempus, à quo eam emisit promovendus. Circa verò ætatem sufficiat, interrogare & scire, cujus ætatis sit, non restringendo se ad trigesimum annum expletum: postea enim videbitur, an in hujusmodi promovendo sit ætas legitima respectu dignitatis, ad quam promoveri debet.

Quoad doctrinam, cùm promovendi ad hujusmodi dignitates Regulares non sint per Concilia Generalia adstricti ad gradum Doctoratus, sive licentiæ, vel publicæ Academiæ testimonium; & nihilominus æquum sit, ut ea doctrina polleant, qua onus sibi impónendum sustinere valeant; Prælati inquirentes studiosè ac diligenter inquirere debebunt super doctrina ejusmodi personarum juxta modum, & formam superiùs notatam, ut Romanus Pontifex, habita informatione, quænam sit promovendi doctrina, judicare possit, an sit talis, qualem dignitas illa exigit, & requirit.

Insuper tenentur ad fidei professionem, quæ emitti debet in manibus Prælati, ad quem inquisitio (servato ordine superiùs dicto) pertinet: à quo si promovendus longè distet, poterit idem Prælatus subdelegare receptionem dictæ professionis Ordinario cui promovendus vicinior sit.

Prælatus recipiet professionem fidei à promovendo, præsente Notario publico, ac testibus; ipse autem promovendus eam emittet genibus flexis ante Prælatum, & in fine tangendo ambabus manibus Sacrosancta Evangelia, & spondendo, vovendo, ac jurando, prout in forma, ea deosculatur.

Profitens duobus in locis, in quibus nomen, & cognomen suum exprimendum erit, ea dumtaxat sua propria manu adscribet.

Prælatus propriæ etiam manus subscriptione in fine exemplaris dictæ professionis testabitur, eam à se receptam fuisse, sub hac forma: Ego N. fidei professionem juxta suprascriptam formam à R. P. D. N. in manibus meis ad verbum emissam recepi, & ita testor manu propria.

Demùm Notarius, qui præsens fuit publico instrumento, in calce ejusdem exemplaris immediatè post subscriptionem Prælati inquirentis extenso, fidem faciet de prædictæ professionis emissione, ac receptione, præsentibus testibus quorum nomina, & cognomina exprimet.

Maximè curandum est, ut exemplaria professionis fidei transmittantur absque mendis, ne levibus quidem; cùm nec in minimis liceat immutare formam à Sede Apostolica præscriptam: manusque non modò Notarii scribentis, sed etiam præcipuè Prælati inquirentis in curia circa hoc notetur in Sacro Consistorio, quando in eo fit relatio processus, & mendorum in professione fidei repertorum; cùm necesse sit, ea etiam nominatim referre; ideò expediens erit ad tollendam occasionem errorum, provenientium ex incuria scribentis, ut ubique imprimantur exemplaria juxta formam Romæ impressam: & maxima diligentia adhibeatur, ne mendosè imprimantur. Cum verò transmittenda sunt instrumenta professionis fidei, hæc ipsa scribantur à profitente, & à Prælato inquirente, & in eisdé Notarius extendat instrumentum, prout dictum est.

Interrogatoria pro habenda informatione status, alicujus Monasterii.

PRimò, interrogandus est testis, an sciat, in qua Provincia, & Diœcesi sit Monasterium, & quæ sit causa scientiæ.

Secundò, an sciat cujus Ordinis sit, & quæ sit causa scientiæ.

Secundò, an sciat cujus Ordinis sit, & quæ sit causa scientiæ.

Tertiò, quis sit numerus Monachorum, & quis eos tanquam caput regere consueverit; & quæ sit causa scientiæ.

Quartò, sub qua invocatione sit Ecclesia ipsius Monasterii, cujus structuræ, & qualitatis. An indigeat reparatione; & quæ sit causa scientiæ.

Quintò, qui sunt redditus mensæ Abbatialis, & Prioralis, qui redditus mensæ Conventualis, & quæ sit causa scientiæ.

Sextò, an Monasterium habeat aliquam jurisdictionem temporalem, aut spiritualem, quam, in quos, quæ sit causa scientiæ.

Septimò, an habeat curam animarum, per quem hæc exerceatur, & quæ sit causa scientiæ.

Octavò, an vacet, quomodo, & à quo tempore citra, & quæ sit causa scientiæ.

Quid agendum perfecta Inquisitione.

CUm totum examen, seu Inquisitio de persona promovenda, & informatio de statu Monasterii perfectæ fuerint: Notarius eas, unà cùm scripturis, & documentis publicis, & authenticis, ac professione fidei in Instrumentum publicum rediget.

Si processus inquisitionis confectus fuerit extra Rom. Cur. Prælatus, qui eum confecerit, ad Pontificem clausum, & obsignatum transmittet, si Monasteria non sint ad nominationem, vel præsentationem Imperatoris, vel alicujus Regis, si de hujusmodi nominatione, vel præsentatione, transmittet processum ad Cardinalem illius Regni, vel Provinciæ Protectorem, in qua est Monasterium providendum.

Ipse autem Prælatus, vel per literas separatas, simul tamen cum processu mittendas, vel per subscriptionem hujusmodi processus significabit, quanta fides testibus examinatis, eorumque dictis, & scripturis productis suo judicio habenda sit, simul etiam quid de promovendo ipse sentiat.

Processus sic formatus, & transmissus primùm a Cardinale, cui illum in consistorio referendi munus incumbet: deinde à tribus Cardinalibus Prioribus Ordinum subscribetur; & posteà fiet relatio in Consistorio.

Cardinalis relator monere debet promovendû, si præsens in Curia sit, ut juxta Concilii Later. novissimè celebratû, omnes Cardinales, vel majorem partem Collegii, adeat, antequam Monasterium proponatur, ut quæ referente Collega sunt audituri, oculata fide, quantum ad personam ipsius promovendi attinet, cognoscere possint.

Confecto

Confecto proceſſu, & habita prædicta informatione, Cardinalis Commiſſarius in ſecreto Conſiſtorio refert publicè omnia, quæ in proceſſu continentur ſummariè, & ſimpliciter, ac dilucidè proceſſum ipſum in ſcriptis per Scribam ſuum redactum ſecum habens, Demùm Summus Pontifex, audita relatione, exquirit primò votum Commiſſarii proponentis, deinde aliorum Cardinalium ſententias; & ſi ſuæ Sanctitati expedire videtur, remoto è capite bireto, pronunciat in hanc formam:

Auctoritate Omnipotentis Dei, & Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac noſtra, providemus Monaſterio S. N. Ordinis N. Diœceſis N. de perſona dilecti filii, A. ejuſdem Monaſterii Monachi profeſſi, in Sacerdotio, & legitima ætate conſtituti, præficientes eum illi Monaſterio in Abbatem, curam, regimen, & adminiſtrationem ipſius Monaſterii in ſpiritualibus, & temporalibus eidem plenariè committendo. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen. Ita habetur *in lib. 1. Sacrarum Ceremoniarum, ſive Rituum Eccleſiaſticorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ſect. 10. cap. 4. & 5.*

QUÆSITUM III.

Utrùm Abbates, & alii Prælati Epiſcopis inferiores in ſuo promotione teneantur fidei profeſſionem emittere.

SUMMARIUM.

1 *Proviſi de beneficiis curam animarum habentibus tenentur infra duos menſes fidei profeſſionem emittere; quod extenſum fuit etiam ad Regulares Prælatos,* num. 2.

3 *An Prælati Regulares hodie teneantur fidei profeſſionem emittere.*

4 *Abbates ſeculares habentes curam animarum tenentur ad fidei profeſſionem faciendam. Item Abbates Commendatarii,* num. 5.

6 *Abbates ſeculares, qui ſunt dignitates in Eccleſiis Cathedralibus, tenentur ad fidei profeſſionem emittendam.*

7 *Proviſi non ſunt de neceſſitate monendi, ſed debent ultrò ſe offerre ad faciendam fidei profeſſionem.*

8 *Proviſi tenentur ad fidei profeſſionem; etiamſi aliàs emiſiſſent ex alia cauſa.*

9 *Fidei profeſſionem intra duos menſes emittendi obligatio, illis elapſis non cenſetur emiſſa.*

10 *Canonicus ante fidei profeſſionem emiſſam pro præſente haberi non poteſt.*

11 *Fidei profeſſio an per procuratorem emitti poſſit.*

12 *Quicquid fieri poteſt per ſemetipſum, etiam fieri poteſt per procuratorem.*

13 *Fidei profeſſio facienda eſt per procuratorem, tamen de voluntate ejus coram quo eſt facienda.*

14 *Fidelitatis juramentum præſtaturus arctatur ad perſonaliter comparendum, etiamſi ſit Monialis, & perſona Religioſa ad clauſuram adſtricta; etiamſi pro nulla alia cauſa ad perſonaliter comparendum adſtringi poſſit.*

15 *Ad fidei profeſſionem pro alio emittendam requiritur ſpeciale mandatum.*

16 *Poſſeſſio capta, non emiſſa Fidei profeſſione licèt non ſuffragetur, acquiritur tamen, & acquiſita infecta non remanet, ſed eſt manutenibilis,* n. ſeq.

1 SAcroſancta Synodus Tridentina *ſeſſ. 24. de reformatione c. 12.* diſpoſuit, *Ut proviſi etiam de beneficiis quibuscunque curam animarum habentibus, teneantur à die adeptæ poſſeſſionis ad minus intra duos menſes in manibus ipſius Epiſcopi, vel eo impedito, coram Generali ejus Vicario, ſeu Officiali, Orthodoxæ ſuæ fidei publicam facere profeſſionem, & in Romanæ Eccleſiæ obedientia ſe permanſuros ſpondeant, ac jurent.* Hanc diſpoſitionem Concilii deinde Pius IV. extendit ad quoscunque, qui de Monaſteriis, Conventibus, Domibus, & aliis quibuscunque locis Regularium quorumcunque Ordinum, etiam militarium, quocunque nomine, vel titulo providerentur: prout patet in ejus Conſtitutione incip. *Injunctum nobis,* edita idibus Novembris 1564. ob quam Conſtitutionem Regulares Prælatos ad fidei profeſſionem emittendam adſtrictos eſſe tenent Navarr. *conſ. 2. tit. de Sum. Trinit. in antiq. aliàs conſ. 50. tit. de jurejur. in 2. edit.* Roder. *quæſt. Regul. tom. 2. q. 22. art. 1. & in Sum. tom. 1. cap. 10. n. 7.* Eman. Sà *verb. fides in fin.* Sayr. *deciſ. 12. tit. de Summ. Trinit. & fid. Catholic.* Petr. de Ledeſm. *in Sum. tom 2. tract. 1. c. 4. in fin.* Ugolin. *de poteſt. Epiſc. c. 5. §. 16. num. 17.* D. Auguſt. Barboſ. *de poteſt. Epiſc. p. 3. alleg. 61. n. 7.* Reverendiſſ. D. meus Antonius Ricciullus Bellicaſtren. Epiſcopus, & nunc Illuſtriſſ. Cardinalis Mellini Vicarii in urbe Vicesgerens, meritorum ſuorum intuitu propediem ad majora evehendus, *in tract. de jur. perſon. extra grem. Eccl. exiſtent. lib. 1. cap. 13. à n. 5. uſq; ad 8. incluſivè.* 2

Attamen in illis Religionibus in quibus prædicta Conſtitutio Pii IV. non eſt uſu recepta, vel eſt contrario uſu aboleta, Abbates, & cæteri Regulares Prælati non tenentur ad fidei profeſſionem emittendam; Ita Hieron. à Sorb. *in annot. ad Comp. privil. tit. profeſſio fidei verſ. & eſt primò advertendum,* ubi dicit, Sacram Congregationem reſpondiſſe prædictam Conſtitutionem quoad Prælatos Regulares non eſſe in uſu, atque ita pariter conſuluiſſe alios Doctiſſimos viros, & in praxi obſervari, quam ſententiam amplectitur Sanch. *in præcepta Decalog. lib. 2. c. 5. n. 3.* & de eadem praxi teſtatur Frat. Sigiſmund. à Bonon. *in tract. de elect. & poteſt. Præl. Regul. dub. 50. in fin.* quicquid dicant alii, quia reverà hodiè in Religionibus prædicta Conſtitutio non obſervatur. 3

Abbates autem & Prælati ſeculares quibus animarum cura commiſſa eſt, abſque dubio ex diſpoſitione Concilii Tridentini tenentur intra duos menſes ad prædictam fidei profeſſionem emittendam; quia Concil. *loc. cit.* loquitur generaliter de univerſis proviſis de beneficiis curam animarum habentibus. 4

Abbates item Commendatarii perpetui, cum facultate diſponendi de fructibus, ſicut veri beneficiati tenentur fidei profeſſionem emittere; quia cum hujusmodi Commendæ cenſeantur habere vim & effectum tituli canonici, *cap. dudum el. 2. de elect. can qui plures, 21. quæſt. 5.* Archid. *in cap. ſi propter, in fin. de reſcript. in 6.* Federic. *in tract. de permut. benefic. quæſt. 15.* Nicol. Miliſ. *in repert. in verb. benefic. §. 25.* Guid. Pap. *deciſ. Delphinat. quæſt. 152. num. 1.* Card. Florent. *in cap. ſi conſtiterit. ſub num. 3 verſ. circa hujus materiam de accuſat.* Rebuff. *de pacificis poſſeſſor. n. 47. & pluribus ſeqq.* Put. *deciſ. 14 num. 4. lib. 1.* Navarr. *lib. 5. conſil. tit. de conſtitut. conſ. 1. num. 39.* Garc. *de benefic. part. 4. cap. 4. à num. 20.* & alii quos retulimus *ſuprà diſput. 4 quæſ. 5. num. 5.* meritò tenentur ad fidei profeſſionem emittendam. Ita Fuſcus *de viſitat. lib 2. cap. 9. num. ult.* D. Auguſtin. Barboſ. *d. alleg. 61. num. 52.* 5

Idem pariter dicendum eſt de Abbatibus ſecularibus, qui ſunt dignitates in Eccleſiis Cathedralibus, ex diſpoſitione Sacri Concil. Trident. *d. cap. 12.* ubi voluit, quòd proviſi de Canonicatibus, & dignitatibus in Eccleſiis Cathedralibus idem facere teneantur. 6

Et hi proviſi debent ultrò ſe offerre; nec eſt neceſſarium, ut moneantur ad profeſſionem faciendam; prout declaravit Sacra Congregatio, teſtibus Garc. *de benef. p 3. cap. 3. n. 19. & 20.* D. Ant. Ricciull. *d. c. 13. num. 58.* 7

Hæc obligatio extenditur etiam ad eos, qui aliàs fidei profeſſionem emiſerant, ut teneantur in adeptione alterius beneficii curati, Canonicatus, vel di- 8

gnitatis, &c. ad eam de novo faciendam: prout declarasse Sacram Congregationem refert idem Garc. *d. cap. 3. num 17. & 18.* & ideò ita firmant D. Ant. Ricciull. *d. c. 13 n. 19.* D. Barbos. *d. alleg.* 61. *n.* 8. *alios citans*; & Fr. Sigismund. à Bonon. *d. dub.* 50. *n.* 4. contra Sanch. *d. lib. 1. cap. 5. num. 6.*

9 Hæc fidei professio fieri debet intra duos menses ad minùs à die captæ possessionis beneficii, Canonicatus, vel dignitatis, ut statuit Concil. Trid. *loco cit.* aliàs provisi fructus beneficiorum non faciunt suos. Verùm notandum est, quòd si intrà hujusmodi terminum non emittatur, duobus mensibus elapsis beneficiarius vel provisus non remanet solutus obligatione illam in posterum emittendi, sed nihilominus semper ad eam faciendam tenetur; quia terminus duorum mensium à Concilio assignatus non est præfixus ad remittendam, ac terminandam obligationem, sed ad differendam pœnam; ut colligitur à simili ex text. *in c. cum dilectis, §. praeterea, extr. de dol. & contumac.* & docent Petr. de Ledesm. *in Sum. tract. 1. cap. 4. post* 10. *concl. different. 3.* Azor. *instit. mor. p. 2. lib. 7. c. 2. quaest. 5.* Rodet. *tom. 1. Sum. cap. 119. num* 7. & alii apud D. Ant. Ricciull. *loco cit. n. 37. & seq.*

10 Supradicta conclusio extenditur, ut ante emissam professionem Canonicus pro præsente haberi non possit, & ideò nec vocem in Capituli actibus, nec fructus, & quotidianas distributiones lucretur. Ita Navarr. *loc. cit.* & tenuit Sacra Congregatio, quam secuta est Rota *in Oveten. Mercedis 12. Decembris* 1605. *coram Illustriss. D. Coccino Decano, quae est decisio 157. part. 2. recent.*

11 Utrum autem fidei professio fieri possit per procuratorem, aliqui negant, Gonzal. *in reg. 8. Cancell. §. 7. num. 169. vers. similiter.* Stephan. Grat. *discept. forens. cap. 166. num. 22.* Addentes ad Navarr. *d. cons. 11, sub tit. de jurejur. in 2. edit. quod in antiquis erat quartum, sub tit. de Summ. Trinit.* Ugolin. *de potest. Episc. cap.* 30. §. 16. *num. 1.* dicentes, ita respondisse Sacram Congregationem. Ita etiam Garc. *d. cap. 3. n. 75.* Rota *in Carthaginen. fructuum, 19. Februarii* 1588. *& 1. Julii, & 22. Novembris ejusdem anni coram Card. Platto,* Sigismund. à Bononia *d. dub. 50. n. 5.*

Contrariam sententiam tenent Navarr. *d. cons. 11. num. 2.* Petr. de Ledesm. *ubi proximè differt. 3.* Azor. *Instit. moral. p. 2. lib. 7. cap. 2. q. 6.* Sanch. *d. cap. 5. num. 7.* Campanil. *in divers. jur. canon. rub. 8. cap. 3. n. 19.* Rota *in una Varmien. Canonicatus 13. Junii* 1608. *coram Sacrato,* D. Barbos. *d allegat.* 61. *num.* 20. D. Ant. Ricciul. *d. cap. 13. à num. 21. usq. ad 25. exclusivè,* & novissimè D. Joannes Antonius Massobrius *in suo tractatu de Synodo Diœcesana juxt. ultimam impress. anni* 1627. ubi *cap. 4. dub. 40. per totum,* pluribus disertissimis ac appositissimis rationibus hanc sententiam enixè tuetur contra P. Sigismund. à Bonon. *loco cit.* qui adversus D. August. Barbos. contrariam opinionem sustinet. Idem etiam tenuit D. Ferentill. *in annot. ad decis. 522. Buratt. num. 16. lit. G.*

Probatur, quia neque Concilium, neque Constitu- 12
tio Pii IV. utuntur verbis significantibus personalitatem: & propterea succedit regula. Quicunque potest aliquid facere per semetipsum, potest illud facere per procuratorem, *l. 1 ff. de procurat. cap. qui per alium, & cap. potest quis, de reg. jur. in 6.* Preterea, quòd fidei professio fieri possit per procuratorem, probatur expressè *in can. optatum 100. dist. in fine,* in illis verbis *nec aliquem, qui hanc jurejurando firmaret, miseris,* ubi Præpos. hoc expressè notat; nam figurando casum, ait, quod qui desiderat pallium suscipere, per se vel per procuratorem habentem ad hoc speciale mandatum, debet profiteri fidem Catholicam, & jurare, se servaturum canones Conciliorum, & decreta Romanorum Pontificum: idem etiam ibidem notat Turrecrem.

Hæc autem omnia intelligenda sunt, ut procedant, 13
permittente illo, in cujus manibus fidei professio facienda est; quia si is recusaret, obligatus ad eam faci-
endam teneretur personaliter accedere: quia pro præ- 14
stando juramento fidelitatis arctatur quis ad personaliter comparendum; etiamsi habentes præstare tale juramentum, sint Moniales, & Religiosæ personæ adstrictæ ad clausuram; etiamsi pro nulla alia causa adstringi possint ad personaliter comparendum *cap. 3. de judic. in 6. cap. unic. §. verùm,* ubi Franch. *n. 2. de stat. Regular. eod. lib.* D. Anton. Ricciull. *d. cap. 13. num. 29.*

Ut autem possit quis fidei professionem pro alio emit- 15
tere, non sufficit generale mandatum cum libera: sed requiritur, quòd ad id specialiter constituatur; quia habet jurare in animam sui principalis; quo casu semper requiritur speciale mandatum, *cap. nullam,* & ibi Franch. *n. 1. de jur. calum. lib* 6. Barthol. & Imol. *in l. qui bona §. si aliena ff. de damn. infect.* & ità docet D. Ant. Ricciull. *loc. cit. n. 30. & duobus seqq.*

Verùm si provisus non emittat fidei professionem 16
intra spatium duorum mensium à die captæ possessionis, vel illam emittat per procuratorem minus legitimum, licèt possessio capta illi non suffragetur, ut decrevit Concil. Trid. *sess. 24. c. 15. §. provisi*; tamen d. decre-
tum Concilii intelligitur habere locum quoad fructus, 17
quos eo casu provisus non facit suos, quousque fidei professionem legitimè emittat; possessio verò per eum nihilominus acquiritur, ac quæsita infecta non remanet, sed est manutenibilis, ut declaravit Rota *in d. Varmien. Canonicatus 28. Aprilis* 1608. *coram Card. Sacrato, & in Tiburtina Parochialis 27. Junii* 1629. *coram R. P. D. Pirovano,* quas refert D. Ferentill. *ubi proximè num. 17.*

DISPUTATIO IX.

De Diplomatibus Apostolicis à quibusdam Abbatibus, & Prælatis in Curia Romana expediendis.

Quæst. I. *An aliqui Abbates teneantur in Curia Romana suarum Abbatiarum Bullas expedire.*

II. *An Abbates, qui non expediunt Bullas Jurispatronatus donati Monasterio, incidant in aliquas pœnas.*

III. *An Abbates Congregationum Regularium teneantur solvere Quindemnium Cameræ Apostolicæ.*

QUÆSITUM I.

An aliqui Abbates teneantur in Curia Romana suarum Abbatiarum Bullas expedire.

SUMMARIUM.

1 *Ad possessionem beneficii, vel dignitatis adipiscendam, usu Romanæ Curiæ, Pontificis diploma requiritur.*

2 *Possessio Abbatiæ, & beneficii à Papa obtenta, capta ante literarum Apostolicarum expeditionem non est valida.*

QUAMVIS

Quamvis jure communi ad Abbatiam, vel beneficium obtinendum nulla scriptura sit necessaria, sed cùm supplex Papæ libellus offertur, in quo beneficium Ecclesiasticum petitur, solo verbo ipsius, quo respondet, *Fiat, aut placet ut petitur*, Pontificia gratia jure communi, & in foro conscientiæ perficiatur: ac proinde firmata est rata statim, ut est signata: licet nondum Pontificio diplomate confecto, *canon. institutionis 25. quæst. 2. clem. dudum 5. nos enim, de sepultur*, imò (ut ait Baldus, Geminianus, Felinus, & alii plures, quos refert Flaminius Parisiens. *de resignat. benef. lib. 8. quæst. 2. num.* 8. cùm primùm Papa aliquem certæ Civitatis Episcopum, aut certæ Ecclesiæ Abbatem nominat, talis ita nominatus est verè Episcopus, aut Abbas, videlicet potestate jurisdictionis, non ordinis; illa enim 1 potestas solo verbo traditur: hæc autem non nisi consecratione datur. At usu Curiæ Romanæ ad possessionem adipiscendam omninò scriptura, hoc est Pontificium diploma requiritur, adeò ut possessio capta, ante expeditionem literarum nulla sit, & invalida ex *reg. 25. Cancellariæ*; Imò contra retinentes beneficia Ecclesiastica, absque litteris Apostolicis, nec non contra quoscunque apprehendentes possessionem beneficiorum Ecclesiasticorum, absque eisdem literis Apostolicis, emanaverunt nonnullæ Constitutiones Summorum Pontificum, inter quas fuit illa Bonifacii VIII. *in cap. Injuncta*, quæ habetur inter *Extravagantes communes de elect.* ubi sic dicitur: *Præsenti Constitutione sancimus, ut Episcopi, & alii Prælati Superiores, necnon Abbates, & cæteri Monasteriorum regimina exercentes, quocunque nomine censeantur, qui apud dictam Sedem promoventur; aut confirmationis, consecrationis vel benedictionis munus recipiunt, ad commissas eis Ecclesias, & Monasteria, absque dictis Sedis literis, hujusmodi eorum promotionem, confirmationem, consecrationem, seu benedictionem continentibus accedere, vel bonorum Ecclesiasticorum administrationem accipere, nullique eos absque dictarum literarum ostensione recipiant, vel intendant; quod si forsan aliter præsumptum fuerit, ipsi Episcopi, & cæteri prædicti Prælati nihil de Ecclesiarum, vel Monasteriorum proventibus percipere queant; & irritum habeatur, quicquid per eos interim factum fuerit. Capitula verò, & Conventus Ecclesiarum, & Monasteriorum, & quicunque ipsos absque hujusmodi literis receperint, vel eisdem obedierint, tamdiu sint à beneficiorum suorum perceptione suspensi, donec super hoc ejusdem Sedis gratiam meruerint obtinere.* Denique Julius II. edidit aliam Constitutionem, incip. *Romanus Pontifex*, quæ complectitur omnes Episcopatus, Abbatias, Prioratus, sive in titulum, sive in commendam, sive in administrationem datos, aliam similem edidit Paulus III. incip. *Cum nobis*, & aliam Julius III. incip. *Sanctissimus*, quam in fine hujus Quæsiti apponemus, quia ad hujus rei notitiam plurimùm necessaria esse videtur; & aliam denique edidit Pius IV. quæ etiam incipit, *Sanctissimus in Christo Pater*; ex quibus constat, quòd ad omnes Abbatias, Prioratus, & Monasteria virorum, quocunque nomine censeantur, valorem ducentorum floreorum auri communi æstimatione excedentia, specialiter Sedi Apostolicæ reservata, quorum provisiones ad dictam Sanctam Sedem spectant, nec etiam ad alias Abbatias, & Monasteria, quorum Præpositi à Conventu eliguntur, & ipsarum electionum confirmationes ad Summum Pontificem, & dictam Sanctam Sedem pertinent, necessarium est, expedire literas Apostolicas super confirmatione electionis, adeò ut qui sine hujusmodi literis possessionem beneficiorum apprehenderint, vel ab alio, quàm à Sede Apostolica confirmationem suarum electionum acceperint, pro intrusis, & violentis possessoribus haberentur. Tales sunt Abbates, Priores, aut Præpositi Monasteriorum Germaniæ, ubi vigore Concordiæ initæ inter Fridericum Imperatorem, aliosque Principes ejusdem Nationis ex una, & Nicolaum V. Summum Pontificem ex alia, in Metropolitanis, & Cathedralibus Ecclesiis, necnon Monasteriis Apostolicæ Sedi immediatè subjectis Pastores canonicè eliguntur à Capitulis Canonicorum, & conventibus Monachorum, & deinde electiones ad dictam Sedem Apostolicam, pro confirmatione obtinenda deferri debent intra tempus à Nicolao III *in cap. cupientes de elect. in 6.* constitutum, ut videre est in Bulla ejusdem Nicolai V. quæ est prima in ordine in Bullar. novo *tom. I. inter Constitut. d. Pontificis*. De his Concordatis fit pluries mentio *in Treveren. Abbatia S. Maximini, coram Illustriss. D. Coccino Decano*, quam suprà in calce 1. *quæst. 3. disput.* apposuimus; videatur insuper Joan. à Chokier *in commentar. in reg. 2. Cancell. num. 16.* & hi Abbates non solvunt Cameræ quindennium, sed annatam, sicut etiam pleríque alii Abbates, & Prælati Regulares in Gallia, qui Monachorum votis deliguntur. Tenor autem Constitutionis à Julio III. super hac materia editæ, est qui sequitur.

Sanctissimus in Christo Pater, & Dominus noster, D. Julius divina providentia Papa III. cùm nuper innotuit, quòd licèt alias fel. rec. Gregorius X. in Generali Concilio Lugdunensi, sua generali Constitutione sanciverit, quòd nullus ex tunc de cætero administrationem dignitatis, ad quam electus esset, priùs quàm celebrata de ipso electio confirmaretur, sub œconomatus, vel procurationis nomine, aut alio de novo quæsito colore, in spiritualibus, vel temporalibus per se, vel per alium pro parte, vel in totum gerere, vel recipere, aut illis se immiscere præsumeret; omnes illos, qui secus fecissent, jure, si quod illis per electionem quæsitum foret, decernens eo ipso privatos. Et piæ memoriæ Bonifacius VIII. etiam sua perpetuò valitura constitutione sanciverit, ut Episcopi, & alii Prælati Superiores, nec non Abbates, Priores, & cæteri Monasteriorum regimina exercentes, quocunque nomine censerentur, qui apud Sedem Apostolicam promoverentur, aut confirmationis, consecrationis, vel benedictionis munus reciperent, aut commissas eis Ecclesias, & Monasteria, dictæ Sedis literis eorum promotionem, confirmationem, consecrationem, seu benedictionem hujusmodi continentibus non confectis accedere, vel bonorum Ecclesiasticorum administrationem acciperet non præsumerent, nullique eos absque dictarum literarum ostensione reciperent, aut eis parerent, vel intenderent. Quòd si forsan contra præsumptum fuisset, quod per Episcopos, Prælatos, Abbates, Priores, & alios Monasteriorum regimina exercentes prædictos medio tempore actum foret, irritum haberetur, nec quicquam interim iidem Episcopi, vel Prælati, Abbates, Priores, vel alii Monasteriorum regimina exercentes de Ecclesiarum, vel Monasteriorum eorundem proventibus perciperent. Et Paulus III. Roman. Pont. prædecessor noster quibuscumque tabellionibus publicis, sub excommunicationis latæ sententiæ pœna inhibuerit, ne ex tunc de cætero transumptis supplicationem, præterquàm habentium clausulam, quod earum sola signatura sufficeret: ac decreto, & concessione litterarum, seu mandatorum possessionem beneficiorum Ecclesiasticorum vigore supplicationum hujusmodi apprehendi, rogari deberent, neve illa scribere, vel subscribere, aut quovis modo authenticare, vel partibus tradere præsumerent; volens, & Apostolica auctoritate statuens, inter cætera, quòd partes transumptis, seu literis, aut mandatis hujusmodi, ex tunc deinceps utentes, ac illorum prætextu possessionem hujusmodi apprehendentes fructus, quos ex illis pro tempore perciperent, suos non facerent. Quinimò ad beneficia in eisdem transum-

tramumptis, & literis, ac mandatis expressa efficerentur ipso facto perpetuò inhabiles, & ad restitutionem fructuum, ex illis pro tempore perceptorum in utroque foro tenerentur; decernens sic judicari debere, ac irritum, &c. Et successivè Sanctitas sua, attendens, quòd ante confectionem literarum gratia Apostolica est informis, inter alia voluerit, statuerit, & ordinaverit, quòd Judices in Romana Curia, vel extra pro tempore existentes, etiam si essent Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, vel causarum Palatii Apostolic Auditores, aut quicunque alii non juxta supplicationum super impetratione signatarum tenores, & formas judicare deberent, etiamsi decreto irritanti adjecto. Nihilominus diversi Episcopi, & alii Prælati Superiores, & Abbates literis super dispensatione retinendi beneficia per eos, antequam promoverentur, aut eorum electiones confirmarentur obtenta, per prædictam Sedem pro tempore concessis minimè confectis beneficia per eos obtenta prædicta retinere; & diversæ aliæ personæ Ecclesiasticæ possessionem beneficiorum Ecclesiasticorum eis dicta autoritate conferri, seu commendari, vel in eorum favorem uniri, aut aliàs disponi, possessionem literis Apostolicis desuper non expeditis apprehendere præsumunt inhabilitatem, & alias pœnas in sanctionibus, & inhibitione, & voluntate, & statuto prædicto contentas damnabiliter incurrendo in animarum suarum periculum. Volens periculis animarum hujusmodi latiùs occurrere, sanctiones, & inhibitionem, ac voluntatem, & statutum hujusmodi, quorum tenores Sanctitas sua, ac si de verbo ad verbum insererentur, haberi voluit pro expressis, approbans, & innovans, ac perpetuò observati debere decernens, & sanctiones ipsas ad inferiora beneficia Ecclesiastica quæcumque, quomodocunque qualificata amplians, & extendens, ac sua in perpetuum valitura Constitutione statuit, & ordinavit; quòd omnes, & singulæ personæ Ecclesiasticæ, tam seculares, quàm quorumvis Ordinum Regulares cujusvis status, gradus, Ordinis, vel conditionis existant, etiamsi Episcopali, vel Archiepiscopali, aut Patriarchali, vel alia majori dignitate præfulgeant, quòd de cætero literis super dispensationem retinendi beneficia per eos antequam promoveantur, aut eorum electiones confirmentur, obtenta eis per Sedem eandem pro tempore concessis minimè confectis, beneficia ipsa retineri, aut possessionem alicujus, seu aliquorum beneficiorum Ecclesiasticorum cum cura, vel sine cura secularium, vel quorumvis ordinum Regularium quomodocunque, & qualitercumque qualificatorum eis dicta autoritate Apostolica conferri, seu commendari, aut in eorum favorem, & commodum uniri, seu aliàs disponi concessionem, literis Apostolicis super collatione, seu commenda, aut unione, seu alia dispositione hujusmodi non expeditis per se, vel per alium, seu alios ejus nomine, etiam supplicationum, seu sumptorum, vel transumptorum hujusmodi, aut collationum eis postmodum de ipsis beneficiis tanquam etiam tunc certo modo in supplicatione expresso vacantibus, ordinaria, vel alia quavis auctoritate factarum prætextu apprehendere præsumpserint, aut per alios apprehensam ratam, & gratam habuerint, ipsorum beneficiorum non possessores, sed meri & nudi detentores, ac violenti, sine aliquo titulo in eis intrusi censeantur, & pro talibus habeantur, & reputentur, nec fructus suos faciant, sed ad illorum restitutionem, ut præfertur, teneantur, & obligati existant, Constitutiones, seu dictæ Cancellariæ regulæ de annali, & triennali possessore in illis locum non habeant, nec eisdem detentoribus, & intrusis in aliquo suffragentur. Quinimmo beneficia per eos tempore promotionis suæ, aut eorum electionis, confirmationis obtenta literis, super dispensatione ea retinendi sibi concessa, non expeditis retinentes, aut possessionem beneficiorum literis Apostolicis super illis non confectis apprehendentes, seu per alios apprehensam, ratam, & gratam habentes; beneficia sic retenta, aut apprehensa, & omne jus, quod in illis, vel ad illa pro tempore quomodolibet habuerit, eo ipso amittant, illisque, & illo privati, & ad illa de cætero obtinenda perpetuò inhabiles, nec illa ulteriùs, & prætextu novi tituli, aut novæ commendæ, vel unionis, seu alterius dispositionis, etiam Apostolica auctoritate facta assequi valeant; sed beneficia ipsa tanquam de jure, & facto vacantia ad hos conferri, seu commendari, & per quosvis, tam ab eorum Ordinariis collationibus, quàm a Sede prædicta liberè impetrari possint, & si beneficia ipsa ligitiosa fuerint, collitigantes in omni jure, & ad omne jus, quod beneficia retinentibus, aut possessionem apprehendentibus hujusmodi in eisdem beneficiis, vel ad illa quomodolibet competebat, aut competere poterat, eo ipso absque juris, aut hominis ministerio, subrogentur, & subrogati esse censeantur, ac in eorum favorem causam desuper pendentem advocatam, & litem extinctam fuisse, & similiter esse censeantur. Quodque de cætero supplicationes etiam manu nostra, & motu proprio signatæ, nisi habuerint clausulam, quòd eorum sola signatura sufficiat, nullam aliam, quam literarum super illis conficiens fidem aut probationem faciant, seu præstent, nec ulla eis in aliquo alio casu fides adhibeatur, & adhiberi possit. Decernentes sic, & aliter, tam in eadem Curia, quàm extra eam, & in partibus, per quoscunque Judices, ac Commissarios quamvis etiam Apostolica auctoritate prædicta fungentes, etiam causarum Palatii Auditores, & ipsius Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales in quavis causa, & instantia, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi auctoritate, facultate, judicari, & definiri debere, ac irritum.

Habetur apud Stephanum Quarant. *ver. Beneficiorum possessio.*

QUÆSITUM II.

An Abbates, & Prælati, qui non expediunt Bullas Jurispatronatus donati Monasterio, incidant in aliquas pœnas.

SUMMARIUM.

1 *In donatione Jurispatronatus facta loco Religioso non requiritur Episcopi assensus.*

2 *Abbates, & Prælati non expedientes litteras assensus super Jurepatronatus donato Monasterio in nullas pœnas incidunt.*

Videtur primò, quòd Abates, qui non expediunt, 1
Bullas jurispatronatus donati Monasterio incidant in pœnas contentas *in cap. cura pastoralis de jure patron.* in quo textu probatur, quod Religiosi non possunt vendicare, vel retinere Ecclesias sibi concessas à laicia, sine Diœcesani consensu, cujus pœna est annullatio actus donationis; & idem disponitur per text *in cap. nullus: eodem tit.* scilicet, quòd Patronus non potest, sine Episcopi, vel Papæ consensu, etiam loco Religioso conferre Ecclesiæ decimas, vel aliud spirituale. Nec non videtur, quòd incidant in pœnas contentas in Bullis Pontificiis emanatis contra retinentes beneficia absque literis Apostolicis.

Sed contra est, quod disponitur *in cap. quod autem, & cap. illud ex tit. de jure patron. & cap. unic. eodem tit. in 6.* ubi habetur, quod si laicus juspatronatus Ecclesiæ sibi competentis, eidem, vel alteri Ecclesiæ, seu loco pio duxerit conferendum, hujusmodi collatio, (quamvis absque assensu Episcopi facta fuerit) efficax est censenda. Ita etiam affirmant Panormitanus *super dict. cap illud. num. 7.* Roch. de Curth. *in tract. de jurepatron. verb. ipse vel is, quæst. 7. num.*

num. 16. Paulus de Ciradin. *in eodem tractat.* 9. *part. num.* 10. 2. *quæſt. lib.* 8. *tit.* 15. *part.* 5. Lambertin. *eodem tract. lib.* 1. *part.* 2. *quæſt.* 1. *artic.* 2. *&* 3 *cum ſequent.* ubi teſtatur de communi, Molina *de Hiſpan. primogenitur. lib.* 1. *cap.* 24. *num.* 13. Vivius *commun. opin. tom* 1. *lib.* 1. *titul.* 4. *num.* 9. Azor. *inſtit. moral. part.* 2. *lib.* 6. *cap.* 20. *quæſt.* 5. Stephanus Grat. *diſceptat. forenſ. tom.* 1. *cap.* 177. *num.* 3. Suar. *de Religion. tom.* 1. *lib.* 4. *de ſimon. cap.* 28 *num.* 16. D. Auguſtinus Barboſa *de officio & poteſtate Epiſcopi, part.* 3. *allegat.* 71. *num.* 10. *&* 26. Rota *deciſ.* 9. *de jurepatronatus in nov. & in Piſana altaris* 1. *Julii* 1587. *coram Corveſulo.*

2 Ex quibus patet, quod Abbates, qui non expediunt Bullas jurispatronatus donati Monaſterio, in nullas pœnas incidunt. Benè verùm eſt, quod Gloſſa notat in ſupra allegato *cap. ſi laicus de jurepatronat. lib.* 6. in figuratione caſus, *in verſ. tamen dicens. Per hoc non fit præjudicium Diœceſano, & ideo Eccleſia, cui facta fuit donatio juriſpatronatus, habebat collationem, & præſentationem; ſed Diœceſanus habebit inſtitutionem.* Ex quibus Gloſſæ dictis ſolùm elicitur, quòd Abbas debet præſentare in beneficio jurispatronatus, & ipſe Diœceſanus inſtituere.

Ad argumenta unà cum juribus in contrarium adductis reſpondemus; & primò, non obſtare text. in contrarium adductos; quia reſpondetur cum Gloſſa *ibid.* quam dicit communiter receptam Azorius *dicto cap.* 20. *quæſt.* 5. quòd in his juribus ſolùm decernitur, patronum non poſſe conferre Eccleſiam etiam Monaſteriis, aut Collegiis Clericorum abſque Epiſcopi conſenſu, quod attinet ad proprietatem, vel titulum non autem quod ſpectat ad juspatronatus.

Nec item obſtant Bullæ Pontificiæ, nam pœnæ in illis contentæ afficiunt eos tantùm, qui recipiunt beneficia Eccleſiaſtica à Sede Apoſtolica, abſque literarum Apoſtolicarum expeditione, ut diximus in primo quæſito præſentis diſputationis; ſecus eſt quando juspatronatus donatum eſt Monaſterio à particulari patrono, cùm non ſit conceſſum à Sede Apoſtolica; ergo.

QUÆSITUM III.

An Abbates Congregationum Regularium teneantur ſolvere quindemnium Cameræ Apoſtolicæ.

SUMMARIUM.

1 *Quindemnium quid ſit.*
2 *Annata quid ſit.*
3 *Annatæ quo tempore exigi cœperunt.*
4 *Quindemnium ſucceſſit in locum annatæ.*
5 *Annata ſolvitur pro Monaſteriis non Conſiſtorialibus, nam pro Conſiſtorialibus ſolvitur commune ſervitium, & minuta ſervitia, prout ſolvuntur pro Epiſcopatibus.*

1 QUindemnium eſt quoddam penſionis genus, quod ſolvitur Summo Pontifici, ac illius Apoſtolicæ Cameræ decimo quinto quoque anno ex beneficiis dimiſſis, & annexis alicui Communitati, ſive Collegio aut Monaſterio: & ſuccedit in locum annatæ; quæ annata eſt genus quoddam penſionis, cùm is, 2
qui beneficium Eccleſiaſticum obtinuit, aut de certa aliqua Eccleſiaſtica præfectura proviſus eſt, integros fructus, qui primo anno colliguntur, vel dimidiam eorum partem Apoſtolicæ Cameræ ſolvere tenetur, ſi beneficii, vel præfecturæ fructus 24. ducatorum auri de Camera valorem annuum excedunt de annatis notatur *in clem, quia Regulares* §. *præmiſſa, de ſuppl. neglig. Prælat.* & dicuntur annalia *in extr. Joann. XXII. ſuſcepti.*

Hæ annatæ ante tempora ejuſdem Joannis XXII. 3
rarò, vel nunquam exigebantur, ſed ipſe Summus Pontifex per *extravagant. cùm nonnulla*, in qua ſupponit, aliam priùs edidiſſe, ad quam ſe refert, aſſerit, fructus primi anni Eccleſiarum Cathedralium vacantium ad triennium in aliquibus Orbis partibus pro neceſſitatibus Romanæ Eccleſiæ Cameræ Apoſtolicæ reſervaſſe; quod poſteà in perpetuum, & ad omnes Eccleſias extenſum fuit à Bonifacio IX. qui primus indifferenter Eccleſiaſticis annatarum uſum impoſuit. Videantur Ferrandus Cordubenſis *in ſuo tractatu de annata, ſeu fructibus med. exig.* Gloſſa. *in pragmatic. Sanct. titul. de annata, verbo annatarum*, & Azorius *in parte* 2. *inſtitutionum moralium, lib.* 7. *cap.* 12. *per totum.* In harum igitur annatarum locum ſucceſſit quindemnium, 4
ſæpe enim beneficia Apoſtolicæ Sedis auctoritate Monaſteriis Religioſorum, & ſecularium Clericorum, Collegiis, Hoſpitalibus, vel aliis Communitatibus annectuntur; & quia Univerſitas nunquam perit, ideo beneficia annexa, vel quæ adhærent Monaſteriis, vel Communitatibus, finguntur vacare decimo quinto quoque anno, & denuò conferri; & ideo exactis quindecim annis ſolvuntur Pontifici fructus unius anni, vel dimidia eorum pars, ac ſi beneficium vacaſſet, & alteri denuò collatum eſſet. Et hoc quindemnium ante Sixtum V. ſolvebatur ex beneficiis, quæ erant annexa Communitati auctoritate Apoſtolica; poſtea vero edita eſt ab eodem Pontifice Conſtitutio, qua ſancitum eſt, ut quindemnia ſolvantur ex quibuslibet beneficiis dimiſſis, & unitis, cauſa alicujus Collegii, vel Univerſitatis auctoritate Legatorum, vel Nunciorum Apoſtolicorum, vel etiam Ordinariorum alicujus loci. Sic Abbates noſtræ Religionis ſoliti ſunt ſolvere tale quindemnium, ex cauſis ſupradictis. Videatur Azorius *inſtitutionum moralium, tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 13. Videatur etiam Galleſ. *de annata in fine*, Cardinalis Seraphinus *deciſ.* 1401. *&* 1411. *per totum.* Lott. *de re benefic. lib.* 1. *quæſt.* 29. *à num.* 1. *uſque ad num.* 5. Annata ſolvitur pro Monaſteriis non Conſiſtorialibus: nam pro Con- 5
ſiſtorialibus ſolvitur commune ſervitium, & minuta ſervitia prout ſolvuntur pro Epiſcopatibus, Galleſ. *ibi num.* 3. *&* 4. & notatur *in Palentina Abbatia* 14. *Decembris* 1618. *coram Reverend. D. Coccino Decano, quæ in fine operis eſt deciſ.* 16.

DISPUTATIO X.

De ſimoniaca inſtitutione, & illegitima procuratione Abbatiæ, & Prælaturæ vitanda.

QUÆSITUM I.

An expediat, Monachum Abbatiam expetere, & an possit illam per externos favores procurare.

SUMMARIUM.

1 *Omne, quod hîc eminet, plus afficitur mœroribus, quàm honoribus gaudeat.*
2 *Ambitio pestis est Religionis.*
3 *Religiosus, qui Prælaturam desiderat, non Religiosus, sed mundanus homo appellandus est.*
4 *Omne, quod est in Mundo, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ.*
5 *Ambitiosè ad dignitatem se ingerens, est ab ea repellendus.*
6 *Non Prælatura, sed vitæ merita nos Deo commendant.*
7 *Religiosi non debent, per externos favores dignitates, & officia Religionis procurare.*
8 *Difficile est, ut bono peragantur exitu, quæ malo sunt inchoata principio.*
9 *Quos amor dominationis invadit, etiam jugum Ecclesiasticæ disciplinæ facit respuere.*
10 *Procurantes officia, & dignitates in nostra Congregatione per externos favores per biennium ad illas, vel similia inhabiles redduntur.*
11 *Constitutiones Summorum Pontificum contra procurantes Prælaturas, & dignitates per extraneos favores, referuntur.*

DILIGENTER curare deberet, ad culmen
dignitatis alicujus ascendere exoptans, ejúsque onus subire cupiens, ne fortè cùm exiguæ
staturæ sit, gigantum induat arma, quæ tum
incursu, tum in prælio impedimento sint; cum in his
permulti decipiantur, ea tentantes, quæ sunt supra vires,
2 attestante D. Gregorio *in Moral. part. 6. lib. 32. c. 56.*
*Omne, quod hîc eminet, plus mœroribus afficitur, quàm
honoribus gaudeat*; ut refert Gratianus *can. nervi, §.
alius pensare pondus, 23. dist.* Et Pater Benedictus *Regulæ, cap. 2. part. 4.* sic ait, *meminisse debet semper
Abbas quod est, meminisse, quod dicitur, & scire, quia
cui plus committitur, plus ab eo exigitur, sciatque quàm
difficilem, & arduam rem suscepit, regere animas, &
multorum servire moribus*: & infra: *Semper cogitet, quia
animas suscepit regendas, de quibus, & rationem redditurus est*: & infra: *& quantum sub cura sua fratrum
se habere scoverit numerum, agnoscat pro certo, quia
in die judicii ipsarum omnium animarum est redditurus
Domino rationem sine dubio, addita, & sua animæ.* In
quibus verbis ostendere conatur D. Pater, quantum
difficultatis & laboris Abbatia, necnon aliæ Præfecturæ animarum curam annexam habentes in se contineant; & propterea illam ambientes, grave quippe onus
exoptant. Ideo S. Greg. Nazianz. *in orat. de moder. in
disp. adhiben.* de his loquens, dicebat: *Quid in cœlum
provolas cùm pedes sis? quid turrim exstruis, cum iis robus careas, quæ ad eam perficiendam requiruntur? quid
ipso quoque aquam metiris, & cœlum palmo, terramque
omnem pugillo, elementa magna, & hujusmodi, ut ea Creator solus demetiri possit? Si enim tunc primùm* (inquit
Bernardus) *hæsitare incipias, id quidem serò antè, juxta
consilium Salvatoris,* Lucæ 14. *fecisse debueras, ante æstimasse opus, metiri vires, ponderasse sapientiam, meritum comparasse, sumptus computasse virtutum. Quis
enim sanus, & sobrius, cum perspexerit, vix se ferendis
oneribus suis sufficere, aliena quoque onera libenti animo
suscipiat? quis cum vix reddendis domesticis rationibus
suis se parem agnoscat, in publicis, vel alienis spontè operam profiteatur? quisnam æger suorum vulnerum curandorum non satis peritus, alterius morbis mederi aggrediatur.* Ex his igitur patet, non esse expediens, imò 2
non debere Religiosum Abbatialem dignitatem expetere, eò præcipuè, ne incidat in ambitionem, quæ est
pestis Religionis, *cap. quorundam de elect. in 6.* Unde
nihil Monacho est in hac vita periculosius, quàm officium, vel Prælaturam expetere; nam qui ambitiosè exquirendo, tale onus desiderat, non Religiosus Monachus, sed mundanus homo est appellandus; juxta illud
Joan. 15. *Si de mundo fuissetis, Mundus, quod suum e- 3
rat, diligeret; quia verò de Mundo non estis, sed ego elegi
vos de Mundo, propterea odit vos Mundus*: & juxta illud Petri 1. *fugientes ejus, quæ in Mundo est, concupiscentiæ corruptionem*; & juxta illud Joannis *Epist. 1. cap.
2. nolite diligere Mundum, neque ea, quæ in Mundo sunt.
Si quis diligit Mundum, non est charitas Patris in eo, 4
quoniam omne, quod est in Mundo, aut est concupiscentia
carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ,
quæ non est ex Patre, sed ex Mundo est, & Mundus
transit, & concupiscentia ejus.*

Præterea qui se ambitiosè ad dignitatem ingerit est 5
ab ea repellendus; sicuti invitatus renuens est promovendus, *can. sicut 1. quæst. 7.* cujus text. verba tanquam
alta mente reponenda hîc referre decrevi: *Sicut is, qui
renuit, quæsitus fugit, sacris est altaribus admovendus;
sic qui ultrò ambit, vel importunè se ingerit, est procul
dubio repellendus; nam quis sic nititur ad altiora conscendere, quid agit, nisi ut crescendo decrescat, & ascendendo descendat*; & D. Basilius *in Const. Monast. cap.
10.* sic ait: *Inter Fratres principatum nullo modo appetere Monachus debet; siquidem diabolica ista pestis est &
dominandi labes*: & infrà: *Qui autem ab eo vitio capti
tenentur, eos invidos, contentiosos, simulatores, imprudentes, calumniatores, assentatores, veteratores, humiles
ubi non convenit, illiberales, gloriosos, sexcentis denique
alius hujusmodi vitiis refertos esse, necesse est.* Præterea 6
non Prælatura, sed vitæ merita nos Deo commendant,
ut colligitur ex *can. ante omnia 40. dist.*

Ex his consequenter patet, non posse, nec debere 7
Religiosos Abbatiam, vel alias dignitates, & officia
Religionis per externos favores procurare. Nihil enim
magis Religiosorum statum perturbat, quàm favorum,
& suffragiorum secularium conquisitio, & procuratio;
nam ex his Superiores coguntur, digniores prætermittendo, indignos nonnunquam ad munera, & dignitates Religionis assumere, in non parvum ipsius Religionis præjudicium; unde *in can. miramur. 61. dist.* Leo
Papa graviter reprehendens, non solùm eos, qui ad Episcopatum eligi procurant, sed etiam illos eligentes,
sic ait: *Non est hoc, consulere populis, sed docere, nec præstare regimen, sed augere discrimen; integritas enim
præsidentium salus est subditorum, & ubi est incolumitas
obedientiæ, ibi est etiam forma doctrinæ; Principatus autem, quem, aut seditio extorsit, aut ambitus occupavit,
etiamsi moribus, aut actibus non offendit, ipse tamen ini- 8
tii sui est perniciosus exemplo: & difficile est, ut bono peragantur exitu, quæ malo sunt inchoata principio*: quæ
sententia præcipuè locum habet in Religionibus, ac earum personis; nam totum Religiosus bonum pendet
ex obedientia, quæ ex ambitione maximè pervertitur;
quia Religiosus dignitatem ambiens, propriæ professionis oblitus, incipit retrò respicere, & sic non est aptus
Regno Dei, Lucæ *cap. 9.* & *cap. magna de voto, & voti
redempt.* Et (ut ait Symmachus Papa *in Synodo Romana, cap. 1.*) *Quos amor dominationis invadit, etiam ju- 9
gum Ecclesiasticæ disciplinæ facit respuere.* Unde idem
Pontifex *epist. 1. cap. 5.* relatus à Gratiano *in can. nullus
itaque 1. quæst 1.* inquit: *Cùm hic excessus in laicali conversatione culpetur, quis dubitat, quin Religiosis, & Deo
servientibus injiciat, vel incutiat opprobrium*, at ubi
magis, quæso, ambitionis vitium à Religioso ostenditur, quàm per externos favores, dignitates, & officia
in Religione procurando? Propterea in nostra Congregatione statutum est, ut procurantes externos favores, 10
& suffragia ad consequendas dignitates, gradus, vel
officia ejusdem Congregationis, ipso facto illis indigni
reputentur,

reputentur, ac per ſpatium biennii immediatè ſequentis ad eoſdem, vel ſimiles gradus aſſumi nequeant, ut habetur *noſtrarum Conſt. cap.* 42. Et in Congregatione Caſinen. per duas Bullas Pii V. altera ſub die 7. Aprilis, & altera ſub die 28. ejuſdem menſis ann. 1571. & demum diſtinctius per aliam Gregor. XIII. die 7. April. ann. 1574. quæ incipit, *In unaquaque.* præcipitur Præſidenti, & Definitoribus, ne ullum omninò ad dignitates, Prælaturas, vel officia ejuſdem Congregationis promoveant, ad favorem cujuſvis Principis, aut Prælati extra Congregationem. Idem expreſsè præcepit Paulus V. Monachis Congregationis Cæleſtinorum per Bullam, quæ incipit, *Quoniam nemo*, editam anno Domini 1616. die 27. Auguſti, & Monachis Congregationis Ciſtercien. Italiæ per Bullam editam anno 1613. die 3. Martii, incipit, *Alias per nos* & Congregationi S. Salvatoris Canonicorum Regularium per Bullã, quæ incipit, *Quoniam nemo*, editam die 22. Septembris 1607. & Congregationi Camaldulen. Clemens VIII. per Bullã, quæ incipit, *Ambitioſam honorũ*, editam die 3. Septembris anno 1596. Et Fratribus Ordinis Cruciferorum idem Pontifex per Bullam, quæ incipit, *Quoniam nemo*, editam anno 1604. die 23. Julii. Item contra Fratres Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo idem Pontifex edidit aliam Bullam anno 1593. die 21. Maij. quæ incipit, *Quoniam nemo*, & Bullam contra Fratres Eremitas S. Hieronymi Congregationis B. Petri de Piſis, anno Domini 1600. die 23. Dec. quæ incipit *Ambitioſam honorum.* Item extat alia Bulla Gregorii XIII. quæ incipit, *Cum nihil magis*, quã ampliavit Clem. VIII. per Bullam, *Religioſos viros*, & confirmavit, ac roboravit Paulus V. per Bullam, quæ incipit, *Admonemur paſtoralis*, editam die 7. Januarii 1608. contra Fratres Ordinis Prædicatorum, qui per emendicatos favores, & ſuffragia ſibi dignitates, vel Prælaturas, &c. procurant. Idem ſtatuit Pius V. contra Fratres Minores de Obſervantia per Bullam quæ incipit, *Paſtoralis officii*, editam anno 1571. die 28. Maij, quam moderatus eſt Gregor. XIII. per aliam Bullam editam anno 1573. die 8. Septembris, quæ incipit, *Romanus Pontifex.*

QUÆSITUM II.

An Monachus in Abbatem electus teneatur Abbatiale onus acceptare.

SUMMARIUM.

1 *Invitus ordinari non debet.*

2 *Honor etiam à digno cum metu eſt ſuſcipiendus.*

3 *Prælaturam non acceptans Religioſus, contra præceptum ſui Superioris, peccat mortaliter.*

4 *Agnoſcens veriſimiliter ſe cæteris magis idoneum, ſi Prælaturam renunciat, peccat mortaliter.*

5 *Via illicita Prælaturam ſuſcipere fugiens peccat mortaliter.*

1 VIdetur primò, quod electus in Abbatem non teneatur, ſi nolit, Abbatiale onus acceptare: nam Epiſcopus invitus ordinari non debet, ut *in cap. Epiſcopus, diſt.* 54. ex quo text. infertur, quòd nemo ad aliquam dignitatem acceptandam de jure aſtringitur; ergo neque ipſe Abbas electus, cogi poteſt, Abbatiale onus acceptare, ſi nolit.

2 Secundò, præterea honor etiam à digno cum metu eſt ſuſcipiendus, ut *in cap. non eſt, in fine* 1. *quæſt.* 1. ergo à fortiori, non eſt acceptandus ab eo, qui ſe cognoſcit indignum; ſed nemo eſt honore dignus, niſi à Deo vocetur, ut *in cap. in ſcripturis* 8. *quæſt.* 1. & quia nemo cognoſcere poteſt hanc vocationem, quando ſit à Deo, ergo quiſque ſe honore indignum reputare debet; ergo, &c.

Sed contra eſt, quod habetur in ſupra allegato *cap. in ſcripturis, §. & ſicut*, his verbis. *Si enim Unigenitus Patris pro explenda utilitate omnium de ſecreto Patris ad publicum noſtrum egreſſus eſt; nos quid dicturi ſumus, qui ſecretum noſtrum præponimus utilitati proximorum? quies itaque nobis ex corde appetenda eſt, & tamen pro multorum lucro aliquando eſt poſtponenda.* Ex quibus verbis text. & ſequentibus, & etiam antecedentibus colligitur, quod acceptanda eſt dignitas pro ſalute proximorum. Unde in tribus caſibus Monachus tenetur ſub mortali, electioni de ſe factæ conſentire, & Abbatiam, vel prælaturam, ad quam electus eſt acceptare.

Primò cùm ſibi à Superiori ſub pœna ſanctæ obedientiæ injungitur, argumento text. *in cap. cum pridem de renunciat.* nec ſuffragatur ei juſta cauſa non conſentiendi: puta, quod ſit certus de notabili ſcientiæ defectu, vel alio hujuſmodi, propter quem illud munus ſine peccato exercere non valet, nam ſi illum Superiori expoſuit, & Superior nihilominus perſiſtit in præcepto, electus tenetur, Prælaturam acceptare; quia ſubditus non ſolùm voluntatis affectum, verum etiam intellectus judicium Superioris ditioni ſubjicere debet; ita Gerſon. *Alphab.* 55. *lit. R.* & Cordub. *cap.* 10. *quæſt.* 7. *punct.* 2. *verſ. quod talis frater*; quos refert, & ſequitur Sigiſmund. à Bononia *de elect. & poteſt. Prælat. Regular. dub.* 41. *num.* 17. 3

Secundò, tenetur ſub mortali electus Prælaturam acceptare, quando veriſimiliter agnoſcit, vix adeſſe alium, qui velit & poſſit Monaſterii neceſſitatibus, ſicut ipſe, ſubvenire, & propterea notabile detrimentum, & periculum Monaſterio imminere, niſi conſentiat, juxta text. *in d. cap. in ſcripturis, & in cap. olim*, 8. *quæſt.* 1. 4

Tertiò, quando aliqua illicita via dictum onus ſuſcipere aufugit: niſi id ſpeciali Spiritus Sancti inſtinctu faceret; ſi autem refugit per viam licitam propter pigritatem, peccat venialiter; ſed ſi propter humilitatem, quia reputat ſe indignum, meretur, ut ait S. Thom. *quodlib.* 5. *art.* 22. & 23. Angel. *verb. electio, num.* 30. Sylveſt. *eod. verb.* 1. *quæſt.* 19. Mirand. *in Man. Prælat. tom.* 2. *quæſt.* 23. *art.* 31. Sigiſmund. à Banon. *d. dub.* 41. *à num.* 16. 5

Ad contraria argumenta reſpondemus, quòd quamvis text. *in cap. Epiſcopus*, probet quòd invitus non poteſt cogi, loquitur de eo, qui penitus eſt invitus; nos verò loquimur non de invito, ſed utrùm Monachus electus teneatur acceptare onus Abbatiale, & jam cauſas enumeravimus, propter quas Monachus teneatur tale onus acceptare.

Ad ſecundum argumentum reſpondemus, quòd quamvis quiſque deberet ſe reputare indignum, argumento text. *in cap. ante omnia* 40. *diſtinct.* tamen electus eſt promovendus, ut *in can, is, qui invitatus* 1. *quæſt.* 6. & cognoſcere poteſt, quod à Deo ſit vocatus, quando quis à Superiore, vel à Congregatione eſt electus.

QUÆSITUM III.

Quibus modis quis tam Regularis, quam ſecularis ſimoniam incurrat, procurando Abbatiam, vel alias dignitates & Prælaturas.

SUMMARIUM.

1 *Simoniam incurrit, dans aliquod munus à manu, vel ab obſequio, vel à lingua pro conſequenda aliqua dignitate, vel officio Eccleſiaſtico, etiam ſi alius, electo ſciente, & non contradicente pecuniam dedit,* num. 7. limita, ut num. 8.

2 *Munus à manu, à lingua, & ab obſequio quid ſit.*

3 *Simonia contrahitur, quando electores conveniunt, ut alter ſuffragetur uni in una electione, quia ille, cui ſuffragatur, dabit ſuum votum ſuffraganti in alia.*

4 Simo-

4 *Simonia committitur, si datur pecunia alicui pro voce obtinenda, etiam quòd ejus suffragium non esset necessarium.*

5 *Beneficium aliquod, pro suffragio ferendo alicui promittere, simonia est.*

6 *Dans pecuniam electori, ne suffragetur alicui digno, simoniam contrahit.*

9 *Aliud est, vendere, seu emere, aliud, venditioni, seu emptioni ex post facto assentiri.*

10 *Simonia an sit Electoribus indignum eligere volentibus, pecuniam tradere ne illum eligant, & quid, si pecunia tradatur ad eligendum dignum, vel digniorem, omisso indigno, vel minùs digno.*

MUltis modis, tam Regulares, quàm seculares procurando sibi dignitatem, vel Prælaturam simoniam incurrere, in præsenti quæsito demonstrabitur. Primò, tàm secularis Clericus, quàm Regula-
1 ris Monachus simoniam committit, si dat temporale aliquod munus, vel à manu, vel à lingua, vel ab obsequio, pro conseqoenda Abbatia, Prioratu, Provincialatu, Generalatu, Vicariatu, Collegiatu, Definitoriatu, ita Suarez *tom. 1. de Religione, lib. 4. cap. 54. num. 3.* & habetur *in cap. non satis, & in cap. mandato de simonia, & in cap. 2. §. prioratus de stat. Monach. & in cap.*
2 *quàm pio 1. quæst. 1. &c.* Munus à manu intelligitur pecunia, *can. sunt nonnulli 1. quæst. 1.* Unde cum quæcunque homines possident in terra pecunia dicatur *can. totum 1. quæst. 3.* dicendum est, per munus à manu intelligi pecuniam, & quidquid pretio æstimabile electoribus datur. Per munus à lingua intelligitur favor: ut sunt humanæ preces, laudes commendationes, & similia, ut *d. can. sunt nonnulli.* Per munus denique ab obsequio intelligitur omne obsequium, præstitum Ecclesiæ collatori, electoribus, vel eorum amicis, Azor. *instit. moral. part. 3. lib. 12. cap. 2. quæst. 2.* Less. *de just. lib. 2. cap. 35. dub. 20. n. 115. 117. & 118.* Suarez *de Relig. tom. 1. tract. 3. lib. 4. cap. 38. 39. & 41. per tot.* Sigismund. à Bonon. *de elect. & potestat. Prælat. Regul. dub. 54. num. 4.*

3 Secundò, simoniaca est illa electio, in qua electores conveniunt, ut alter suffragetur uni in una electione, quia alter suffragabitur alteri in alia, sive placeat tibi, suffragium tuum in hac electione mihi præstare, & ego tibi dabo meum in alia. Ita Navarr. *in Summa cap. 23. num. 100. vers. secundo, quòd duplex,* Angel. *verbo simonia 3. num. 3.* Sylvest. *verb. simonia, quæst. 13. num. 13. dist. 4.* Roderic *tom. 3. quæst. Regul. quæst. 63. art. 4.* Reginald. *in prax. lib. 23. n. 44. vers. quintum est.*

Probatur ex *d. can. quàm pio, 1. quæst. 1.* & ex Gloss. ibi; Nam, cùm quoddam Monasterium longo tempore caruisset Abbate: tandem Monachi sibi Abbatem de alio Monasterio pauperrimo elegerunt; sed ille venire recusabat, vel Monachi eum non concedebant, nisi illi Monachi suo pauperrimo Monasterio aliqua conferrent; unde præfati Monachi consuluerunt Papam, si hoc eis liceret, quod penitus prohibet, docens, exemplo Apostolorum, neminem ad Religionem, Fidem, vel Ecclesiæ regimen, interventu munerum, accedere debere; cùm sit simoniacum; quia nunquam à Sanctis Patribus talia petita fuerunt; & probatur *in cap. pridem, & cap. pactiones de pactis, & cap. præterea, il. 1. de transact. & cap. tua nos, de simon.*

Secundò, probatur, quia in istis conventionibus datur jus spirituale cum onere, ut fiat aliquid, quasi pro pretio rei spiritualis, vel causa mediata eam habendi. Tertiò, probatur ex *cap. quæsitum, de rerum permutat.* ubi definitur, quòd semper continet simoniæ labem datio rei spiritualis pro alia spirituali, interveniente pacto, v. g. Beneficium pro Beneficio, votum pro voto. Atque ita etiam tenet Vega *2. part. Sum. c. 101. can. 12.* Unde scientes se fuisse tali pacto electos, tenentur renunciare, ut dicemus inferius.

Tertiò, simonia etiam committitur, si datur pecu- 4
nia pro voce obtinenda, etiam si illa vox non esset necessaria ad validitatem electionis, *cap. Matthæus,* & *ibi* Panorm. *n. 3. de sim.* Ludovic. Roman. *cons. 317.* & alii. Ratio est; quia tunc pecunia acquiritur quid spirituale.

Quarto, committitur etiam simonia, si pro suffra- 5
gio ferendo Beneficium aliquod promittatur; v. g. si promittatur Prioratus, vel Cellariatus, &c. Electio secuta est simoniaca. Ita Azor. *tom. 3. Instit. mor. lib. 11. c. 7. quæst. 1. vers. est iisdem,* & habetur expressè *in cap. de hoc, de simon.*

Quintò, simonia committitur, si quis det pecuni- 6
am alteri, ne consentiat in tali electione, seu ne suffragetur alicui digno, Gloss. *in cap. nemo, de simon. verbo calce,* & probatur · nam simonia committitur, quandocumque spirituale committitur, vel omittitur pro commodo temporali. Ita Panormit. *ubi suprà,* licitum est autem, pecuniam offerre, non solum, ut non eligatur indignus, sed etiam ut eligatur dignus in communi, in casu, quo electores essent determinati eligere indignum, prætermisso digno. Ita Sot. *lib. 9. de just. quæst. 6. art. 1. ad 2.* Valent. *tom. 3. disput. 6. q. 16. punct. 3. col. 13. vers. quartò sequitur.* Contra Bonacin. *de simon. q. 4 punct. 5. num. 12.*

Probatur, quia procurare bonum Ecclesiasticum, licitum est, etiam si alter propter hoc sit peccaturus. Imò concedunt Suarez, & Lessius *ubi suprà,* quod si aliqui electores injustè electionem impedirent, posset illis pecunia offerri pro radimenda vexatione Ecclesiæ, cujus plurimum interest, Pastorem habere.

Sextò, committitur simonia, si alius dedit pecuni- 7
am, sciente illo, cui electio procurabatur, & non contradicente; unde talis electio est ipso jure nulla, & sic electus renunciare tenetur. Ita Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 4. cap. 57. num. 28.* Gloss. *in cap. sicut tuis, verb. præbere, de simon.* Pariter si electoribus promissa fuit pecunia ad hoc, ut aliquem eligant, quamvis electus ignoret: tamen simoniaca est electio, & consequenter nulla, tenetúrque sic electus, eo ipso, quòd de simonia certioratus fuerit, dignitatem dimittere; dummodo tamen hoc in ejus fraudem factum non sit, per *cap. nobis fuit, & cap. sicut tuis, de simon.* & *ibi* Panormit. D. Thom. 2. 2. *quæst. 100. art. 6. ad 3.* Suarez *d. cap. 50. num. 35.* Reginald. *in prax. lib. 23. num. 177.* Felin. *cap. ex insinuatione, num. 4. eodem tit.* Ampliatur, ut electio nulla sit, ac simoniaca censeatur, si intercessit pecuniæ solutio ad eam faciendam, etiam ignorante electore, & electo, ut si v. g. data est pecunia alicui consiliario, & intimo eligentis amico à consanguineo, vel familiari electi, per text. *in cap. de Regularibus, de simon.* Suar. *d. cap. 50. num. 40.*

Si verò electus ignoravit, pro sua electione pecuni- 8
am solvi, & ita simoniam committi: tamen ob suspicionem, quam habuit ne cōmitteretur, contradixit, & nunquam consensit, electio est firma, & valida, *d. cap. sicut tuis, de simon.* Suarez *loc. cit. num. 30.* & hoc sive is, qui dedit pecuniam, sit amicus, sive inimicus. Nam motivum aliorum inordinati amoris, vel odii non debet innocenti, & contradicenti obesse. Sicut neque si iste electus, adepta dignitate, ratum habere, quod suo nomine gestum non est, pecuniam solvendo, propriè simoniam committeret. Quia aliud est vendere,
seu emere, & aliud venditioni, seu emptioni ex post fa- 9
ctæ assentiri *l. aliud. ff. de reg. jur.* Ita Gloss. *in d. cap. sicut tuis, verb. consenserint,* & ibi Panormitan. *num. ult.* ubi subdit, illum peccare, qui approbat factum damnabile, ac quòd teneatur beneficium adeptum renunciare, & posset etiam per Judices privari. At Lessius *de just. lib. 2. cap. 35. dub. 25. num. 144* Suar. *loco cit. n. 31.* Reginald. *in praxi lib. 23. num. 179.* distinguunt; quòd, vel electus non consenserit in factum alte-

rius,

rius, habendo ratam promissionem simoniacam, vel solutionem pecuniæ ab amico factam, sed tantùm ex amicitia reddat pecuniam, ab eo ipsius amore promissam, vel jam solutam, ne amicus gravetur: & sic non committit simoniam, nec est privandus; quia illud non est approbare id quod illicitum est: sed tantum solvere ex amicitia, ne amicus sui causa detrimentum patiatur. Si verò solvit pecuniam factum approbando, simoniam incurrit, ac tenetur dignitatem, seu beneficium renunciare.

10 Septimò non est simonia, tradere pecuniam electoribus indignum eligere volentibus, ne illum eligant. Ita Sotus *de just. lib. 9. quæst. 6. art. 1.* Suar. *c. 22. num. 6.* Gregor. à Valent. *tom. 3. disp. 6. q. 16. punct. 3. col. 16. vers. quartò,* Martin. Bonac. *de simoniac. quæst. 4. punct. 5. num. 12.*

QUÆSITUM IV.

An absque simonia possit electus ad Abbatiam, vel aliam Prælaturam redimere vexationem sibi illatam.

SUMMARIUM.

1 *Jus in re in beneficiis, seu dignitatibus habere dicitur electus confirmatus, vel institutus, aut provisus, qui electionem, vel collationem, aut provisionem acceptavit, aut ratificavit; nec est necessaria apprehensio possessionis,* num. 2.

3 *Gratiæ vis, & substantia consistit in sola collatione, vel provisione, cùm scriptura immissio in possessionem, & alia quæ sunt præter ipsam gratiam, solùm requirantur vel in ipsius testimonium, vel propter commoditatem provisi.*

4 *Præsentato jus in re acquiritur ex sola præsentatione, quando necessariò venit instituendus, quia nemo alius præter ipsum præsentatus fuerit.*

5 *Præsentato, qui solus inter cæteros habet conditiones requisitas ex fundatione, dicitur quæsitum jus in re ex sola præsentatione.*

6 *Jus ad rem quibus modis acquiratur remissivè.*

7 *Vexationis redemtio, ut licita sit oblata pecunia, inspiciendum est, an persona, cui datur pecunia, obesse tantùm, vel obesse simul, & prodesse valeat.*

8 *Vexationem ab his, qui non obesse tantum, sed prodesse valent, pecunia oblata redimere nequit jus in re nondum habens, absque simonia.* Declara, ut num. seq.

10 *Vexatio, oblata pecunia, redimi potest ab injustè vexantibus, qui obesse solùm, & non prodesse valent, etiam ante jus quæsitum.*

11 *Vexationem à subornatoribus electorum redimere, licitum est absque simonia.* Declara. ut num. seq.

13 *Vexationem injustam patiens, ad illam redimendam spirituale aliquid dare absque simonia non potest.*

PRo hujus quæsiti intelligentia notandum, quod a-
liud est in beneficiis, seu dignitatibus habere jus in
1 re, aliud habere jus ad rem; Jus in re habere dicitur,
electus, confirmatus, vel institutus, aut provisus, qui
electionem, vel collationem, aut provisionem accep-
tavit, vel ratificavit, ut probat text. *in cap. ult. §. sanè
de concess. prabend. & decis. 87. de reservat. in antiq.*
2 Nec est necessaria apprehensio, vel adeptio possessionis.
Rota *d. decis. 24. de praben. & d. decis. 87. de reservat.
in antiq.* Mohed. *decis. 9. ut lit. pend.* Gonzal. *ad reg.
8. Cancellar: gloss. 15. §. 1. num. 15. & 33* Garz. *de benef.
3 p. 4. cap. 2. n. 1.* Vis enim & substantia gratiæ consistit
in sola collatione, vel provisione, cùm scriptura, im-
missio in possessionem, & alia quæ sunt præter ipsam
gratiam solum requirantur, vel in ipsius testimonium,
vel propter commoditatem provisi, juxta opinionem
Rotæ, de qua Cassad. *decis. 4. n. 4. de caus. possess. &
propriet. decis. 1. de renunciat. & decis. 2. de pension. n.
10. super reg.* Verabl. *d. decis. 88. n. 3. part. 3.* Rota *de-
cisione ult. num. 3. & 4. de reservat. in antiquit. & de-
cis. 336. n. 11. & 12. & decis. 585. n. 2. p. 1. recent.* Simo-
nett. *de reservat. cap. 55. & 56.* ubi quod jura, in qui-
bus præter collationem videtur possessio requiri, ut *in
cap. commissa de elect. in 6. & in cap. de multa præben.*
intelligenda sunt respectu pœnæ, quæ in dictis Capi-
tulis possessori irrogatur, cùm non absolutè negent jus
in re ex sola collatione quæsitum censeri: & conside-
ravit etiam Rota *in d. decis. 24. de prabend. in antiq.
& in Novarien. Præpositura 28. Junii 1632. coram R.
P. D. Verospio, quæ in fine operis est decis. 25. num. 5. &
6. ubi n. 14.* quòd dicitur item jus quæsitum jus in re
præsentato per solam præsentationem, quando neces- 4
sariò venit instituendus, ex quo præter ipsum nemo a-
lius præsentatus fuerit; *& num. 15.* quòd idem sit de 5
præsentato, qui solus inter cæteros habet conditiones
requisitas ex fundatione. Ius ad rem acquiritur de 6
commodis, de quibus latè Garz. *dict. part. 4. cap. 3.
per tot.*
Secundò notandum est, quòd ad discernendum, quo- 7
modo, & quando, & cui possit dari pecunia pro vexa-
tione redimenda, plurimùm conducit, respicere, an
persona cui datur pecunia, possit obesse solùm, num
autem prodesse electioni: an verò non obesse tantùm,
sed etiam prodesse valeat; sive an habeat votum in ele-
ctione, vel non habeat. Quæ distinctio sumitur ex
Cajetano *2. 2. quæst. 100. art. 2. §. ad hoc dicit,* & appro-
batur à Lessio *lib. 7. de just. cap. 35. dub. 18. n. 108. &
seq.* Suar. *tom. 1. de Relig. lib. 4. cap. 50. n. 22.* & aliis;
ab illis enim, quamvis injusta sit, non licet pecunia ve-
xationem redimere: ab istis autem sic; quia obtinere
ab eo, qui potest prodesse electioni, ut desistat ab injuria
inferenda; consequenter esset pretio beneficium ab ip-
so obtinere. At obtinere ab eo, qui non habet suffragi-
um, & sic obesse tantùm potest, ut desistat, non est ab
eo quidquam spirituale obtinere, sed solùm vexatio-
nem redimere. Ita Aragon. *distinct. quæst. 100. art. 3.
in sol. ad 3. dict. 1.*
His ita notatis, pro quæsiti solutione sit prima con- 8
clusio. Is, qui nondum habet jus in re, nequit abs-
que simoniæ labe, oblata pecunia, redimere vexatio-
nem ab his qui non obesse tantùm, sed prodesse pos-
sunt. Quia dando pecuniam ei qui prodesse potest, cen-
setur illum adducere ad non opponendum, quod de ju-
re opponere posset, & ad præstandum consensum suæ
electioni, & ita directè, ac propriè viam sibi ad dig-
nitatem parare. Hanc communem omnium senten-
tiam dicit Lessius *de just. lib. 2. cap. 35. dub. 18. num.
106.* Suarez *d. cap. 50. n. 18.* Bonac. *de simon. q. 4. parte
5. sub num. 4.*
Quod intelligendum est, modò vexator, qui prodes- 9
se potest vexet ut talis, seu formaliter quatenus prodesse
potest, seu quatenus habet jus, seu potestatem ad pro-
movendum in ea re, in qua molestiam infert; nam si
inferret molestiam, quam etiam persona privata hujus-
modi potestatem non habens inferre posset, ut infa-
mando, vel subornando alios electores, ne votum su-
um ei conferant, non esset simonia, redimere talem ve-
xationem; quia non emitur electio, seu beneficium,
aut Prælatura, sed cessatio à molestia inferenda; unde
idem est, ac si vexatio fieret à persona distincta: per
accidens enim est, quòd in eadem personam cadat.
Nec obstat, quòd vexator inde sumat occasionem, non
solùm cessandi ab injustè illum molestando, sed etiam
ad electionem cooperandi; quia hoc etiam est per acci-
dens respectu redimentis iniquam vexationem, qui jure
suo utitur, & vexationem solùm removere intendit,
prævia pecunia; intentio autem distinguit actiones, &
maleficia. Atque ita docent Less. Suarez, & Bonac.
loc. cit. Sit secunda conclusio.

Non

10 Non est simonia, redimere, oblata pecunia, vexationem ab injustè vexantibus, etiam antequam in re jus acquisitum sit, si tales obesse tantùm possunt, & non prodesse; v.g. si quis injustè me infamaret, vel in carcerem truderet, ne ad Capitulum accederem, vel detineret aliquem electorem, ne mihi suffragaretur. Ita Sotus *lib. 9. de just. quæst. 6. art 1. ad quintum*, Lessius *d. dub. 18. n.* 108. Suar. *tom. 1. de Relig. lib. 4. c. 50. n.* 23. qui testatur de communi; Ledesma *2. p. Summ. tract. 12. concl. 29.* Aragon. *loc. cit. dicto 2.* Bonac. *d. p. 5.* Gomes. *in Reg. de annal. q. 2. col. 3. vers. & sic videmus*, Ant. August. *in Repertor. de timor. convent. n. 4.* Rebuff. *in prax. benefic. tit. de sim. in renunciat. n. 18. cum seqq.* Redoan. *de simon. p. 2. c. 31. n. 48. & p. 3. cap. 2. n. 5.* Menoch. *cons. 67. num. 17. cum seq.* Caned. *ad decretal. collect. 164. num. 1.* Gurtier. *quæst. canonic. lib. 2. c. 23. n. 37. cum seqq.* D. August. Barbos. *in collect. ad cap. Matthæus num. 4. de simon.* Rota *in Lunen. Sarzanen. confidentiæ 9. Junii 1600. coram Pamphilio, quæ est decis. 135. n. 4. post cons. Farinac. lib. 1.* & alii plures apud Cened, & D. August. Barbos. *locis cit.* Ratio est, quia redimere se hoc pacto à tali vexatione, intrinsecè malum non est; licet enim unicuique suum jus, & famam tueri, & injustas vexationes propulsare; neque hoc est directè sibi aditum ad dignitatem parare, sed iniquæ alterius machinationi obstare: datur enim pretium pro cessatione nocumenti. Sit tertia conclusio.

11 Licitum est, pecunia redimere vexationem, qua quis non elector, precibus, vel muneribus electores conatur corrumpere; seu licitum est, redimere vexationem à subornatoribus electorum. Ita Suar. *loco cit. num 25.* Lessius *loco cit. num. 109.* Valent. *2. 2. disput. 6. q. 16. punct. 3.* Filliuc. *moral. quæst. tract. 45. cap. 11. q. 3. ad finem*, Bonacin. *d. punct. 5. num. 6.* & alii contra Sotum, *ubi suprà*; Aragon. *loc. cit. d. 3.* Quia licet is, qui precibus, vel muneribus corrumpit suffragatores in aliquem inclinantes, non faciat illi injuriam, adeo, ut ad restitutionem teneatur, tamen affert ei grave nocumentum absque justa causa; ergo poterit ei aliquid offerri, ut à tali nocumento desistat, maximè, cùm illa cessatio non sit aliquid spirituale, nec viam ad spirituale paret.

12 Supradicta conclusio declaratur primò, ut procedat, quando pecunia traditur illi, qui obesse tantùm potest; quia si traderetur ei, qui non obesse solùm, sed etiam prodesse valet in tali materia, ut si habeat potestatem ad eligendum, vel providendum de Prælatura, vel beneficio, utique simonia esset illi pecuniam ad redimendam vexationem tradere: ut patet ex dictis in prima conclusione, quod intellige juxta declarationem ibidem. Secundò declaratur, ut procedat, quando pecunia traditur solùm ad removendam vexationem injustam; Secùs enim dicendum esset, si pecunia solveretur, ut iniquus vexator non solùm desistat à vexatione, sed etiam ut cooperetur, & faveat electioni ejus, qui pecuniam tradit, aut alterius, quem ipse intendit; in hoc enim casu non modò redimitur vexatio, sed emitur etiam electio. Ita Suar. Filliuc. & Bonac. *locis cit.*

13 Advertendum autem, quod si patiens vexationem injustam non temporale quid ad illam redimendam, sed spirituale traderet, utique simonia committeretur; ut si electus ad Generalatum, vel Provincialatum, sibi injustè molestiam inferentibus, ut desisterent, Abbatiam, Prioratum, vel aliud hujusmodi beneficium Regulare aut aliam rem spiritualem offerat. Quia dat spirituale pro temporali; injusta enim vexatio temporale impedimentum est, & ideo redimi non potest re spirituali; tum etiam, quia molestiam inferens tunc simoniacus est, non quia vendit vexationis cessationem, sed quia rem spiritualem pro illa emit. Tum etiam quia dignitas, vel beneficium non simpliciter datur, nec accipitur, sed cum pacto, & conditione iniqua. Ita Suarez *d. cap. 50. sub n. 14. vers. unde obiter colligo.* Bonacin. *d. punct. 5. n. 2.*

QUÆSITUM V.

In quas pœnas incidat, qui in Abbatem, vel Prælatum simoniacè eligi procurat.

SUMMARIUM.

1 *Electio, provisio, nominatio, & confirmatio simoniacè facta, est ipso jure nulla, etiamsi simonia esset occulta*, num. 2. *& sive simonia sit commissa ab eo, qui dignitatem, vel beneficium obtinuit, sive ab aliis, etiam ipso nesciente*, n. 3.

4 *Simoniacè Abbatias assequentes, tenentur in conscientia eas renunciare, aliàs absolvi nequeunt.*

5 *Dignitatem simoniacè adeptus redditur inhabilis ad alias dignitatis in posterum obtinendas. Et an prædicta inhabilitas incurratur ante Judicis sententiam declaratoriam*, num. seq.

7 *Simoniacè ad dignitates, vel beneficia, aut officia, Ecclesiastica promoti, sunt excommunicati ipso facto excommunicatione majori.*

8 *Simonia punibilis non cadit in ignorantem.*

9 *Accusator nullus auditur in crimine simoniæ, nisi ad pœnam talionis,, vel aliam extraordinariam arbitrio Judicis se subscripserit.*

10 *Simonia est plenè, & evidenter probanda, quando agitur ad privationem ex ea; & non admittuntur testes singulares.*

11 *Probatio qualibet non sufficit, sed requiritur exactissima, quando ad privationem instituitur actio.*

12 *Simonia an conjecturis, & præsumptionibus probetur.*

13 *Socius criminis non admittitur ad simoniam probandam, ad effectum privationis.*

14 *Simonia crimen non probatur per famam, ad effectum privationis, etiamsi civiliter agatur.*

15 *Simoniæ exacta probatio non est necessaria, quando agitur ad effectum repellendi aliquem à beneficio obtinendo, vel in judicio Prælationis.*

Omnis electio, provisio, nominatio, & confirmatio simoniacè facta, est ipso jure nulla, ante omnem Judicis sententiam, etiam declaratoriam, nullùmque jus, vel effectum sic electio confert; imò tenetur in conscientia Prælaturam renunciare: nec potest absolvi, priusquam renunciet, per text. *in Extravag. cum detestabile de simon.* D. Thom. *2. 2. q. 100. art. 6. ad 3.* Ostiens. *in cap. bona memoria il. 2. §. electionem col. 2.* ubi etiam Bullam *num. 4. d. elect.* Azor. *instit. mor. p. 3. lib. 12. cap. 20. q. 8.* Rebuff. *in praxi tit. de sim. in resignat. n. 7. & seqq.* Lessius *lib. 2. de justit. cap. 35. dub. 25. n. 157.* Suar. *de Relig. tom. 1. lib. 4. cap. 57. n. 10. & 25.* & alii apud Sigismund. à Bonon. *de elect. & potest. Prælat. Reg. dub. 18. n. 8.* qui testatur de communissima; Rota *decis. 516. num. 1. coram Seraph.* 1 2
Quod procedit etiamsi simonia commissa fuisset cum uno solo, *capite nobis*, & *ibi* Panormit. *numer. 2. de simonia*, Rota *loco proximè cit.* etiamsi simonia esset occulta per text. *in cap. Matthæus, de simon.* qui de secreta loquitur, & expressius *in dicta Extravaganti* ibi: *& eorum quemlibet tam manifestum, quàm occultum*, quod confirmant Rebuff. *num. 12.* Suar. *d. cap. 57. num. 27.* & alii apud Sigismund. *loc. cit.* Et hoc, sive simonia 3
sit commissa ab eodem, qui dignitatem obtinuit, sive ab aliis, ipso etiam nesciente. Quæ omnia procedunt in simonia commissa in quibusvis beneficiis, dignitatibus, personatibus, aut officiis Ecclesiarum, vel Monasteriorum, quæ per electionem, postulationem, provisionem, aut quamcumque aliam canonicam dispositionem assequuntur, per *d. Extravag. cum detestabile de simon.* ibi: *Per electiones verò, postulationes, confir-*

confirmationes, proviſiones, ſeu quarum alias diſpoſitiones, quas ſimoniaca contigerit labe fieri, & quæ viribus omninò careant, in Eccleſiis, Monaſteriis, dignitatibus, perſonatibus, officiis Eccleſiaſticis, & quibusvis be-
4 *neficiis, &c.* Igitur Abbates, & Prælati, qui ſimoniacè Abbatias, Prælaturas, & dignitates aſſequuntur, nullum jus per hujusmodi proviſionem acquirunt, ſed tenentur in conſcientia Abbatias renunciare, ante quam renunciationem nullo modo abſolvi poſſunt. Ita Sorb *in annot. ad Compend. privil. Mendic. tit. de ſim. verſ. 2. notandum.* Roder. *quæſt. reg. tom. 1. q. 20. artic. 13. in princip.* Leſſ. *d. dub. 25. num. 137.* Suar. *cap. 27. num.* 47. & alii apud eum, Sigismund. à Bononia *dub.* 58. *n.* 18.

5 Is qui ſimoniacè Abbatiam adeptus eſt, redditur ipſo jure inhabilis ad quascumque alias dignitates obtinendas, per Bullam Pii V. quæ incipit, *Cum primùm*, quàm refert Cherubinus *tom. 2. Bullarii conſtitutione ejus 5. ubi* §. 8. ſic habetur: *Qui dignitates Eccleſiaſticas ſimoniacè acquiſierit, illis ſit ipſo jure privatus, & in futurum inhabilis ad eas, & quascunque*
6 *alias obtinendas.* Dubium eſt autem, an hæc inhabilitas incurratur ante Judicis ſententiam declaratoriam. Azor. *inſtit. mor. part. 3. lib. 12. cap. 21. quæſt. ult.* tenet, quòd ſic. Suar. autem *d. lib. 4. cap. 58. numer.* 10. ait, quòd licèt de rigore juris ita procedat, tamen concludit cum Navar. *lib. 5. conſil. 92. de ſimon.* illam pœnam quoad hoc uſu receptam non eſſe, & ideo Judicis ſententiam condemnatoriam fore expectandam, idem videtur tenere Garc. *de benefic. part. 8. capit. 1. num.* 73. Lauren. de Peirin. *tom. 1. Religioſi q. 1. cap. 31. §. 9. diſt. 20. verſ. dubitat.* Sigiſmund. à Bonon. *de elect. & poteſt. Prælat. Regul. part. 2. cap. 1. dub. 58.*
7 *num.* 7. Eſt etiam excommunicatus ipſo facto excommunicatione majori, cujus abſolutio eſt Pontifici reſervata per *d. Extravag. cum deteſtabile, de ſimonia,* in qua ita habetur: *Statuentes præterea, quod univerſi, & ſinguli etiam præmiſſis dignitatibus præditi, qui quomodolibet dando, vel accipiendo ſimoniam commiſerint, ſeu procuraverint; ſententiam excommunicationis incurrant; à qua niſi à Romano Pontifice pro tempore exiſtente non poſſint abſolvi, præterquam in mortis articulo conſtituti.* Et fuit confirmata per Bullam Pii V. citatam. Ita etiam quoad Abbatias, & alias dignitates, ac Prælaturas, Regulares, cenſent Suar. *d. cap. 57. numer.* 47. Cajetan. *in Summ. verb. excommunicatio, cap.* 72. Roder. *d. art.* 13. Armill. *verbo excommunicatio numer.* 59. Reginal. *d. lib. 23. numer.* 182. Quam tamen excommunicationem non incurrit, qui acquirit beneficium per ſimoniam verè realem, ignoranter tamen; ſimonia enim punibilis non cadit in ignorantem *cap. nobis de*
8 *ſimon.* Samen. *ad reg. de immunit. quæſt. 12. verſ. & iſta, quæ dicta fuerunt,* Navarr. *conſ. 60. numer. 2. tit. de ſimon.* Pariſ. *de confidentia quæſt. 24. numer.* 44. ubi teſtatur de communi, Rota *deciſ. 166. num. 2. circa med. part. 2. Recent.*

Hîc autem notandum primò, quòd in crimine ſimoniæ nullus accuſator auditur, niſi ad pœnam talionis ſe ſubſcripſerit, *cap. licet nullus de ſimon. cap. dudum il. 2. verſ. & ideo, de elect.* vel ſaltem & pœnam extraordinariam arbitrio Judicis, juxta *cap. ſuper his, de accuſat.* Creſcent. *deciſ. 159. in manuſcript.* quam refert Farinac. *poſt conſil. 75. lib. 1. deciſ. ult.* idem Farinac. *d. conſil. 75. num.* 23.

10 Secundò notandum, quòd quando agitur ad effectum privandi aliquem Abbatia, Prælatura, vel beneficio propter ſimoniam, illa debet plenè, & evidenter probari, Gloſſ. *in cap. veniens il. 1. in verb. illorum*, ubi etiam Panormit. *num. 4. de teſtib.* quam gloſſ. eſſe communiter approbatam teſtatur Alciat. *conſ. 2. numer. 40. & 41. lib. 1. tom.* 1. Seraphin. *deciſ. 1029. numer.* 1. Rota *coram Buratt. deciſ. 445. numer. 6. & ibi latè.* D. Ferentill. *litera A. ubi num.* 12. quod ad probandum ſimoniam non admittuntur teſtes ſingulares, poſt Putean. *deciſ. 271. numer. 11. lib. 2.* Seraphin. *deciſ. 1029. numer. 11. & ſeqq. & 29.* & Rota *in Leodien. Canonicatus ſancti Joannis 18. Decembris 1619. coram Franciſco Ubaldo.* quia quando 11
ad privationem inſtituitur actio, non ſufficit qualibet, ſed requiritur exactiſſima probatio, etiamſi civiliter agatur, Gloſſ. & Panormit. & Alciat. *locis cit.* Decius *in d. cap. veniens numer.* 8. Natta *conſ. 29. numer. 19. verſ. quia reſpondetur lib.* 2. Rota *in Tullen. prætenſa ſimonia 21. Aprilis 1597. coram Orano, & in Imolen. confidentia 24. Februarii 1592. coram Pamphilio:* quas deciſiones refert Farinac. *poſt d. conſ. 75. num. 106. & 108.* Unde licèt ad ſimoniam proban- 12
dam conjecturæ, ac præſumptiones, & indicia admittantur, cùm ſit de numero eorum delictorum, quæ occultè patrari ſolent, & ideo difficilis probationis, Gomeſ. *in regul. de triennal. quæſt. 18. verſ. ſed etiam,* Menoch. *de arbitr. Jud. lib. 2. centur. 2. caſu 116. numer. 12. & conſ. 67. num.* 7. Maſcard. *de probat. concluſ.* 1304. D. Auguſtinus Barboſa *in Collect. ad cap. ſi dominus, numer. 2. de ſimon.* Tamen hujusmodi conjecturæ, & præſumptiones debent eſſe evidentes, & claræ, ac ſimoniam neceſſariò concludentes, adeò ut nihil aliud importare poſſint. Felinus *in cap. ſuper his, numer. 12. de accuſat.* Natta *conſil 299. numer.* 13. Verall. *deciſ. 202. part. 1.* Alex. de Novo *conſ. 64. num.* 4. Jul. Clar. *§. Simonia, in fine,* Farinac. *d. conſil. 75. num.* 26. Seraphin. *d. deciſ. 1029. numer.* 2. Caputaquen. *deciſ. 202. per tot. lib.* 2. Seraphin. *deciſ. 1359. num.* 2. Gregor. XV. *deciſ. 238. numer. 2. & deciſ. 517. num. 2. & 3.* Cardin. Cavaler. 352. *numer.* 3. Buratt. *d. deciſ. 445. num.* 7. & ibi D. Ferentill. *lit. B.* qui alias deciſiones allegat. Item hujusmodi conjecturæ debent plenè & concludenter probari, Greg. XV. *d. deciſ. 517. num.* 4

Tertiò notandum eſt, quòd ad Simoniæ crimen 13
probandum ad eundem effectum privationis non admittitur ſocius criminis, *cap. ſicut de teſtibus.* Alexand. de Nevo *d. conſ. 64. num.* 4. Fab. *deciſ. 47. lib.* 2. gloſſ. *in d. cap. veniens, verb. confeſſo.* Alciat. *d. conſ. 2. num. 3. & 4.* Seraphin. *d. deciſ. 1029. numer.* 4. Rota *in d. Leodien. Canonicatus ſancti Joannis 18. Decembris 1619. coram Ubaldo,* quam refert D. Ferentill. *in annotat. ad d. deciſ. 445. Buratt. ſub litt. A.* Sicut 14
nec etiam admittuntur teſtes de fama deponentes, etiamſi civiliter agatur. Gloſſ. *in d. cap. veniens,* & ibi Panormit. *num.* 8. & Dec. *num. 12. de teſtib.* idem Decembr. *conſil. 210. circa fin.* Clarus *d. §. ſimonia, in fine.* Gabriel. *concluſ. 1. de probat. num.* 12. Puteanus *deciſ. 171. in fine lib.* 7. Seraphinus *loc. citato numer.* 6. Verum adeo exacta & concludens probatio ſimoniæ 15
eſt neceſſaria, quando agitur ad effectum privationis, ſecus autem ſi agatur ad effectum repellendi aliquem ab aſſecutione beneficii obtinendi, vel in judicio prælationis, Seraph. *deciſ. 516. numer. 3. & 4.* Rota *deciſ. 77. num. 2. poſt 1. vol. conſ. Farinac.* Mareſcott. *var. reſol. lib. 2. c. 35. num.* 19. D. Ferentill. *loco cit. ſub litera A. in fine.* In materia ſimoniæ ex quibus probatur, quæ probatio ſit neceſſaria, & quando pacta illicita illam inducant. Latiſſimè Farinac. *d. conſ. 75. lib.* 1. ubi plures deciſiones adducit. Videatur etiam Maſcar. *de probat. concluſ.* 1405. & Seraph. *d. deciſ.* 1029.

præcedenti die, tam Pontifex consecraturus, sive benedicturus, quàm electus consecrandus, sive benedicendus jejunent. Pro utraque functione in Ecclesia duæ Capellæ præparandæ sunt, item duæ credentiæ pro utraqueparte, paramenta Pontificalia pro Pontifice, faldistorium, Pontificalia pariter, & insuper pluviale pro electo, & scabella pro electo, & assistentibus: in utraque actione assistentes cum paramentis necessarii sunt in consecratione duo Episcopi, in benedictione duo Abbates.

5 Secundò conveniunt in eo; nam in utraque actione senior assistentium petit Pontificem, in illa, ut electum consecret, in hac, ut benedicat, in utraqe legitur mandatum Apostolicum de provisione electi: uterque electus post professionem juramentum præstat; uterque electus examinatur, licet diversimodè.

6 Tertiò conveniunt, nam in utraque actione post examen, ante consecrationem, vel benedictionem, Pontifex celebrans facit confessionem cum electo, in utraque electus accipit paramenta Pontificalia in minori Capella, sibi parata; utrobique dum Pontifex in Altari procedet ad Missam, electus cum suis assistentibus in sua Capella eodem modo procedit usque ad *Alleluja*, vel ultimum versum inclusivè.

7 Quartò conveniunt, nam in utraque actione electo prostrato à sinistris Pontificis dicuntur Litaniæ; sed in benedictione Abbatis etiam adduntur septem Psalmi pœnitentiales dicendi ante Litanias. In Episcopi consecratione proceditur ad Missam usque ad Offertorium. Sic peracta benedictione eodem modo proceditur in utroque; eodem modo intortitia, panes, & vinum offeruntur; in utraque eodem modo proceditur post offertorium ad Missam, licet cum aliquo discrimine; in utraque datur à Pontifice pax electo; & ab ei assistentibus, utrobique imponuntur electo Mitra, & Chirothecæ; utrobique intronizatur electus, ducitur per Ecclesiam, & populo benedictionem elargitur; in utraque electus in fine Missæ solemniter populo benedicit; utrobique dicitur, *ad multos annos*; & in fine consecratus, sive benedictus gratias reddit Pontifici, & assistentibus.

8 In eo autem partim discrepant, & partim conveniunt, quòd tam consecratio Episcopi, quàm Abbatis benedictio die Dominico, vel festivo fieri debet; sed Episcopi consecratio regulariter die tantùm Dominico facienda est, *canon. quis in aliquo, 51. dist.* ut autem fiat qualibet die festiva præter Dominicam, opus est speciali Summi Pontificis indulto, ut videre est in Pontificali Romano, *eo tit. de consecrat. electi in Episcop. in princ.* Abbatis autem benedictio qualibet die festiva absque limitatione fieri potest, ut inferiùs videbitur.

QUÆSITUM III.

Utrùm *Abbates necessariò benedici debeant.*

SUMMARIUM.

1 *Abbates necessariò benedicendos esse arguitur.*

2 *Episcopus electus, & confirmatus ante consecrationem habet ea, quæ sunt jurisdictionis, non autem ea, quæ sunt Ordinis Episcopalis.*

3 *Benedictio non est simpliciter necessaria Abbati ad hoc, ut possit actus Ordinis exercere.*

4 *Si Episcopus tertiò humiliter requisitus Abbates benedicere renuerit, possunt ipsi Abbates, ea quæ ad suum munus spectant, exercere.*

5 *Benedictio non traditur propter officium temporale.*

6 *Benedictio Abbatis an à Christo Domino sit instituta.*

7 *Benedictio Abbatis non est de essentia ad hoc, ut Abbates ea, quæ sunt Ordinis exercere possint.*

8 *Abbas sine benedictione potest ea quæ sunt sui Officii.*

Videtur, quòd Abbates necessario sint benedicendi, ad hoc, ut Ordinis potestatem acquirant. 1
Nam *in cap. quoniam, 69. dist.* & *in cap. cum contingat de ætat. & qualit.* dicitur, quod Abbates possint in proprio Monasterio Lectores ordinare, si eisdem manus impositio facta noscatur ab Episcopo; illa autem manus impositio, ut gloss. *ibi* advertit, aliud non est, nisi benedictio; ergo ad hoc, ut Abbates Ordinis potestatem acquirant, necessariò erunt benedicendi, alias non poterunt Monachos suos benedicere, nec ordinare; ergo sicut Episcopi per consecrationem acquirunt Ordinis potestatem, *c. transmissam*, & *ibi* gloss. fin. *ante med. de elect.* ita Abbates per benedictionem.

Confirmatur. Nam sicut Episcopus electus, & 2
confirmatus ante consecrationem habet ea, quæ sunt jurisdictionis, *d. cap. transmissam, cap. qualiter de elect. c. inter corporalia de translat. Episcop.* non tamen ea, quæ sunt Ordinis; ita Abbas electus, & confirmatus potest, jurisdictionis actus exercere, quòd suprà *in disput. de confirmatione* Abbatum probavimus; tamen benedicere, vel ordinare, qui sunt veluti actus Ordinis, non potest nisi sit benedictus, ut supponitur *in d. can. quoniam, & d. cap. cum contingat*, & tradit Gloss. & Panormit. *in c. 1. de suppl. negl. Prælat. 2. col.* & Sylv. *verb. Abbas n. 4.*

Nihilominus contrarium dicendum est, nempe, il- 3
lam benedictionem non esse simpliciter necessariam Abbati, ad hoc ut actus Ordinis exercere possit: quod probatur per *d. c. 1. de suppl. negl. Prælat.* ubi Alexander III. concessit Cistercien. *Ut si Episcopus tertiò, cum*
humilitate, ac devotione, sicut convenit, requisitus, Ab- 4
bates benedicere renuerit: liceat Abbatibus proprios Monachos benedicere, & alia, quæ ad hoc officium pertinent, exercere. Ergo hæc benedictio non est simpliciter necessaria Abbati ad acquirendam potestatem Ordinis; si enim fuisset simpliciter necessaria, Summus Pontifex in negligentiam, vel contumaciam Episcopi Diœcesani tradidisset Abbatibus facultatem, eligendi potius quem maluissent Episcopum, qui illis hoc benedictionis munus impenderet, quàm absque benedictione, exercendi omnia, quæ ad eorum officium pertinere noscuntur.

Præterea Abbates non perpetui, licet non benedicantur, eo quod benedictio est etiam quasi perpetua, & indelebilis, nec repeti potest, & ideo non traditur propter officium temporale, prout statutum est ab Eugenio IV. in privilegio Cisterciensibus in Hispania con-
cesso; tamen gaudent omnibus prærogativis, & in- 5
dultis, quibus frui, & gaudere possunt Abbates benedicti: ut infra videbimus.

Insuper hæc benedictio non imprimit characterem, 6
neque est à Christo Domino instituta; ita ut ad talem potestatem acquirendam simpliciter necessaria putanda
sit. Patet igitur, quod hæc benedictio non est de es- 7
sentia, nec est simpliciter necessaria, ad hoc, ut Abbates ea, quæ sunt Ordinis, exercere possint; nam potestatem, exercendi actus Ordinis, consequuntur ex privilegio generali concesso Abbatibus benedictis *in d. c. quoniam, & in d. c. cum contingat*, quod per Summos Pontifices extensum fuit ad Abbates non benedictos; non autem per benedictionem, ut videtur tenere Panorm. *in d. c. 1. col. 3. de suppl. neglig. Prælat.*
Card. expressè *in clem. attendentes §. statuimus quæst. 5.*
& seq. de stat. Monach. dicens: Abbatem etiam sine 8
benedictione posse ea, quæ sunt suit officii: per *d. cap. 1.* & quòd hæc benedictio sit potius de solemnitate, & ad bene esse, quàm de substantia, quem sequitur Imola *ibi col. 8.* ita etiam Felin. *in cap. eam te, col. 6. num. 7. de rescript. & in cap. inter Monasterium, col. 2. n. 2. de sent. & re judic.*

QUÆSITUM IV.

Utrùm per benedictionem in Abbatibus imprimatur character.

SUMMARIUM.

1 *Character quid sit.*
2 *Benedictio Abbatis est quædam Orationum solemnitas.*
3 *Benedictione in Abbatibus non imprimitur character.*
4 *Cardinales Presbyteri conferunt Ordines minores.*
5 *Benedictio non potest dici absolutè consecratio.*

1 Videtur quòd sic, & primò, quia character est signaculum quoddam, quo aliquid insignitur, ut ordinatum in aliquem finem, ex S. Thoma 3. p. q. 63. art. 3. sed per benedictionem Abbatibus imprimitur hujusmodi signum: ergo benedictio Abbati imprimit characterem: Minor patet; nam antequam Abbas benedicatur, non habet hanc potestatem spiritualem ordinatam ad divinum cultum, quam postea sortitur per benedictionem: ergo in benedictione imprimitur hæc potestas, ac per consequens character.

Secundò probatur ex Felin. *in c. inter Monast. n.* 2. *de re judic.* ubi ex mente Ostien. ait benedictionem Abbatibus Cistercien. esse quasi consecrationem, ut refert Illustriss. Card. Tusch. *Practic. Conc. Jur. lit. A. concl.* 18. sed per consecrationem imprimitur character ex Innoc. & Panorm. *in c. meminimus de accusat.* ergo per benedictionem imprimitur character.

2 Contraria tamen sententia communis est, per benedictionem in Abbatibus non conferri Ordinem, nec imprimi characterem, sed esse tantùm quandam orationum solemnitatem. Ita Oldrad. *consl.* 14. *per totum*, Felin. *d. cap. inter Monasterium, loco cit. & in cap. cùm te, num.* 7. *col.* 6. *de rescript.* Gloss. & Card. *in clem. attendentes §. statuimus, q.* 5. *& seq. de stat. Monac.* ubi Joan. de Imol. *col.* 8. & communiter scribentes, Archidiac. *in c. quoniam* 69. *dist. & in cap. manus.* 1. *q.* 1. Navar. *cons. de Sacram. non iter.* Azor. *instit. moral. p.* 1. *lib.* 12. *cap.* 20. *q.* 4. Franc. Marc. *in suis decis. q.* 1086. ubi Innoc. & Panorm. & alios citat atque communiter omnes.

3 Ideo dicendum est, per benedictionem in Abbatibus non imprimi characterem: sed tantùm tradi quoddam exercitium collationis Ordinum Minorum, Baculi Pastoralis, & Mitræ, ut benè Oldrad. *loc. lit.* unde talis benedictio fertur potiùs ad solemnitatem, & consuetudinem, quàm ad substantialia, ut supra probavimus.

Ad argumenta in contrarium respondendo, ad primum dico, Abbatem ante benedictionem habere hanc potestatem, sed non exercitium illius potestatis. Quinimo etiam nulla habita benedictione, potest Abbas Mitra, Baculo, & aliis Pontificalibus uti, ut *in seq. quæst. n.* 4. dicemus, cùm illa concedantur potiùs ad decorem, quàm ut aliquid Ordinis denotent, secundum Joan. Andr. *in c. ut Apostolicæ de privil. in* 6. ubi exemplificat de Cardinalibus Presbyteris, qui ex privilegio
4 conferunt Ordines minores.

Ad secundum respondeo, admisso hoc, quòd benedictio sit quasi consecratio, non tamen est absolutè con-
5 secratio, ultra quòd idem Felin. *in d. c. meminimus n.* 3. ait, licet benedictio habeatur loco consecrationis, tamen non est propriè consecratio.

QUÆSITUM V.

Utrùm promotus ad Abbatiam ante benedictionem vocetur Abbas, sive electus.

SUMMARIUM.

1 *Consecratio tribuit nomen Episcopo, qui ante consecrationem vocatur electus.*
2 *Abbas ante benedictionem vocatur Abbas.*
3 *Benedictio in Abbate potiùs est de solemnitate, quàm de substantia.*
4 *Abbas ante benedictionem utitur Anulo, Baculo, Mitra, & cæteris Pontificalibus.*

Ostien. *in cap. tuam de ætat. & qualit. & in c. inter Monasterium de sent. & re jud.* quem videtur sequi Atchid. *in c. alienationes super gloss.* 1. 12. *q.* 2. tenet, quòd non debeat vocari Abbas, sed electus, quamvis esset electus, & confirmatus per text. *in d. c. inter Monast. in fi.* Quia sicut consecratio tribuit nomen Episcopo; nam antea vocatur electus quamvis sit confirmatus, ut not. *in c. tua de his, qui fiunt à Prel. & c. nisi specialis, in fine, de usu pall.* ita & benedictio. 1

Contrarium tamen est verius; quia Abbates non constituuntur in suo munere per benedictionem, sed per electionem, & confirmationem: probatur *in c.* 1. *de supplen. neglig. Prel.* & *ibi* Gloss. Panorm. & omnes, & *in cap. meminimus de accusat. & clem. attendentes §. statuimus de stat. Monach.* in quibus juribus electus appellatur Abbas. Ita sentiunt Joan. Andr. *in cap. inter Monasterium, num.* 6. *de sent. & re judic.* & *ibi* Panormit. *num.* 25. Butr. & Card, & Felin. *num.* 1. Oldrad. *etiam cons.* 14. *col.* 2. dicens, de stylo Cancellariæ provisum esse, electum confirmatum vocari Abbatem: 2 subdens, Abbatis beneficia vacare post adeptam possessionem ante benedictionem; & ita communiter omnes, ut referunt Bertachin. *verbo Abbas* 5. Brunon. à Sole *in locis communibus eod. verbo num.* 2. August. Barbos. *in collect. ad d. cap.* 1. *de suppl. negl. prælat. num.* 3
6. Nec est eadem ratio de hujusmodi benedictione, quæ de consecratione Episcopi; quia hæc benedictio potius est de solemnitate, & ad bene esse, quàm de substantia.

Unde ante benedictionem Abbas Baculo pastorali, 4 & reliquis Pontificalibus uti potest: ita Card. *in d. clem. attendentes d. §. statuimus q.* 5. *& seq. de stat. Monach.* & *ibi* Imol. per text. *in d. cap.* 1. *de suppl. neglig. Prelat.* Panormit. *ubi suprà, & in c. quantò de offic. ord.* Felin. *in cap. cùm te num.* 7. *vers. tertio restringuntur, de rescript.* Eandem benedictionem minus Abbati necessariam putat Ivo Carnotensis Episcopus *epist.* 37. *&* 57. *ad Bernardum Majoris Monasterii in Gallia Abbatem* sic dicens: *Promotionem Abbatis non facit Episcopalis benedictio, sed Fratrum communis electio,* Renat. Chopp. *in suo Monast. lib.* 2. *tit.* 1. *n.* 7.

QUÆSITUM VI.

Utrùm Abbatum benedictio reiterari possit.

SUMMARIUM.

1 *Benedictio Abbatum reiterari non potest.*
2 *Benedictio nuptialis, sicut & solemnis pœnitentia non reiteratur.*
3 *Abbas quid facere debeat, si benedictionem receptam probare nequit, & hujusmodi probatio sibi necessaria esset.*

Communis Doctorum sententia (prout refert, & sequitur Bonifac. *in clem. attendentes §. statuimus, n.* 20. *de stat. Monach.* & Navar. *consil.* 2. *de sacrament. non iterand.*) est, Abbates semel benedictos, si deinde ad aliam Abbatiam eligantur, non esse iterum benedicendos; quamvis enim hujusmodi benedictio characterem non imprimat, nihilominus non propterea erit reiterabilis: nam multa sacramentalia, quæ non imprimunt characterem, non sunt reiterabilia: ut benedictio nuptialis, quæ non reperitur, *cap.* 1. *&* 3. *extra de secund. nupt.* nec etiam pœnitentia solemnis reiteratur, *can. quamvis, & can. in cap. dist.* 3. Ita etiam Azor. *Instit. moral. part.* 1. *l.* 12. *c.* 10. *q.* 4. Roderic. *quæst. regul. tom.* 1. *quæst.* 12. *art.* 3. ubi de mente Navarri ait, quò si Abbas benedictionem receptam probare non potest, & hujusmodi probatio sibi quoad externum forum 3
necessaria

neceſſaria foret, non debet dicere, ſe benedictionem recepiſſe, ſed dubitando de prima benedictione recipere ſecundam, cum conditione apponi conſueta in baptiſmo illius, de quo in dubium vertitur, an ſit baptizatus: nempe, *Si es benedictus, non te benedico, ſi autem non es benedictus, ego te benedico.* Ita etiam Ugolin. *de poteſt. Epiſc. part. 2. alleg. 27. n. 51.* & hæc de præſenti quæſito.

QUÆSITUM VII.

Utrùm Abbates qualibet die benedici poſſint.

SUMMARIUM.

1 *Abbates Dominicis & feſtis tantum diebus benedici debent.*

2 *Abbatum benedictio eſt major collatione Ordinum Minorum, & ideo facienda eſt cum majori ſolemnitate.*

1 REſpondeo, quod non, ſed in Dominicis, & feſtivis tantum diebus. Quia ſicut minores Ordines, non poſſunt conferri, niſi diebus Dominicis, & feſtivis propter reverentiam, ut *in cap. 1. & 3. de tempor. ordin. in 6.* ita à fortiori Abbatum benedictio quæ ipſis tribuit minores Ordines conferendi facultatem, & eſt
2 major collatione Ordinum minorum: cum iſta ab illa dependeat, *cap. cum contingat. de atat. & qualit. & 69. diſt. can. quoniam*: ergo facienda eſt cum majori ſolemnitare. Et hoc ſentiunt Oſtienſ. & Joan. Andr. *in d. cap. cum contingat. num. 9. de atat. & qualit.* Abbas Panormit. *in cap. cum ſit, in fine, de conſecrat. Eccleſ. vel altar.* Felin. *in cap. inter Monaſterium num. 2. verſ. de iſta benedictione de ſent. & re jud.* idem Panormitan. *in d. cap. cum contingat. num. 3.* Sylveſt. *verb. Abbas num. 4.* Angel. *eodem verbo num. 6.* D. Barboſ. *de offic. & poteſt. Epiſcop. part. 2. alleg. 27. num. 35.*

QUÆSITUM VIII.

Intra quod tempus poſt confirmationem Abbates benedictionem petere debeant.

SUMMARIUM.

1 *Benedictio, ſecundùm Oldradum, non habet tempus determinatum, & quomodo intelligatur.*

2 *Benedictio, univerſaliter loquendo, intra annum petenda eſt.*

1 OLdrad. *conſ. 14. in princ. verſ. item ſi hoc*, aſſerit, benedictionem Abbatis non habere tempus determinatum, intra quod ſit petenda. Quæ fortè ſententia non eſt refellenda, ſi de Abbatibus Regularibus, qui poſſunt ad eorum placitum benedici, & non bene-
2 dici, erit intelligenda. Tamen univerſaliter loquendo, dicendum eſt, benedictionem hanc intra annum ab electione computandam, poſtulandam eſſe: ita annotatur *in clem. 1. §. ſtatuimus, de ſtat. Monach.* Dixi (ſi loquamur de Abbatibus Regularibus) quia cùm illis indultum ſit a Summis Pontificibus, ut ſtatim electi omnia jura, & præeminentias obtineant, ac ſi eſſent benedicti; per conſequens benedictionis tempus nullum illis præfigitur, immo illis benedictio neceſſaria non eſt.

QUÆSITUM IX.

Abbates de jure communi à quibus benedici debeant.

SUMMARIUM.

1 *Abbates de jure communi ab Epiſcopo benedicendi ſunt.*

2 *Abbates quidam antiqui à Summo Pontifice benedictionem recepiſſe leguntur.*

1 BEnedictio Abbatum de jure communi ad Epiſcopum ſpectat, ut probatur *in cap. 1. de ſuppl. negl. Prælat. & cap. quoniam 69. diſt. & cap. cum contingat de atat. & qualit.* Ex quibus juribus, ad Epiſcopum Abbatum benedictionem ſpectare, notant Sbroz. *de Vicar. Epiſcop. lib. 2. quæſt. 8. num. 1.* Azor. *inſtit. moral. part. 2. lib. 12. cap. 20. q. 6.* Ugolin. *de poteſt. Epiſc. cap. 31. §. 1. num. 1.* Barboſ. *de offic. & poteſt. Epiſcop. part. 2. alleg. 27. num. 51.*

Nonnulli autem Abbates præcipuè ex Congre- 2
gatione Caſinen. olim à Summis Pontificibus benedicebantur, ut refertur de Stephano Nono, qui cum eſſet in Religione à Monachis Montis Caſini in Abbatem electus, Victorem Secundum Pontificem, Florentiæ commorantem adiens, ab eodem benedictus fuit: ita Petr. Record. *Hiſt. Monaſt. gior. 1.* & de aliis idem teſtatur ceremonia benedictionis Abbatialis deſcripta à Petr. Diac. Caſin. *in com. ſuper cap. 64. Reg. S. Benedict.* in ea enim ceremonia non ab Epiſcopo ſed à Summo Pontifice benedictionem recepiſſe nominantur, ut *in ultimo quæſit. hujus diſput.* dicetur. Poſtea factum eſt, ut etiam Abbates Sanctiſſimæ Trinitatis de Cava, & Sublacenſes, ac alii multi à Summo Pontifice fuerint eo tempore benedicti, ſicut teſtantur Monaſterii Caven. & Sublacen. antiquæ in ſcriptis regiſtratæ rerum memorabilium annotationes, & memoriæ. In noſtra etiam Congregatione Vallis-Umbroſæ aliqui olim Abbates à Summo Pontifice benedicebantur, ut legitur *in Bulla Alexandri III. ſub Dat. Beneventi 13. Kalend Junii anno 1186. Pontif. ſui ann. 9.* cujus copia authentica habetur in Archivio Vallis-Umbroſæ: in ea etenim conſtat Abbatem S. Mariæ apud Bibbonam noſtræ Congregationis à Monachis electum pro benedictione accipienda ad Sedem Apoſtolicam accedere debuiſſe.

QUÆSITUM X.

Utrùm Abbates poſſint benedictionem à quocunque Epiſcopo ſuſcipere.

SUMMARIUM.

1 *Abbates ab Epiſcopo benedici volentes, poſſunt benedictionem à quo maluerint Epiſcopo ſuſcipere.*

2 *Privilegium à Martino V. Abbati S. Pancratii de Florentina noſtra Congregationis conceſſum refertur.*

AFfirmativa propoſiti quæſiti reſolutio habetur, 1
ex nonnullis Romanorum Pontificum privile-
giis ſuper hoc Monachalibus Congregationibus 2
conceſſis: ita indulſit Martinus V. Abbati Sancti Pancratii de Florentia noſtræ Congregationis Vallis-Umbroſæ, ut in ſequenti diplomate videri poteſt.

MARTINUS EPISCOPUS
Servus Servorum Dei,

Dilectis filiis Riccardo Abbati, & Conventui Monaſterii S. Pancratii Florentiæ, Ordinis Vallis Umbroſæ, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

SAcræ Religionis, ſub qua devotum, & ſedulum §1
exhibetis Domino famulatum, promerentur honeſtas, ut votis veſtris, illis præſertim, quæ ad veſtri Monaſterii decorem cedere valeant, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus. Cùm itaque fuerit exhibita nobis pro parte veſtra petitio, continebat, Abbates, qui pro tempore fuerunt veſtri Monaſterii, quod ſolemne eſt, & cujus Eccleſia etiam Parochialis exiſtit, & non modica Parochianorum multitudine abundat, hactenus benedici non conſueverint;

vosque cupiatis, ut tu fili Abbas, & successores tui Abbates ejusdem Monasterii in laudem Dei, ac pro honore Monasterii, & devotione, ac consolatione Parochianorum eorundem augmentandis, benedici pro tempore possitis, & debeatis. Nos vestris in hac parte supplicationibus inclinati, ut tu fili Abbas, & successores hujusmodi, aliàs tamen ritè pro tempore benedici possitis, & debeatis; quòdque etiam tu fili Abbas, à quocunque malueris Catholico Antistite gratiam, & communionem Apostolicæ Sedis habente munus benedictionis ex nunc recipere, ac eidem Antistiti, ut munus prædictum auctoritate nostra impendere liberè tibi possit, devotioni vestræ auctoritate Apostolica tenore præsentium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Florentiæ anno 1420. 8. Idus Martii, Pontificatus nostri anno 3.

Habetur *in libro Authentico Bullarum Apostolicarum nostra Congregationis in Archivio Vallis-Umbrosa.*

Idem concessit Eugenius IV. Congregationi Cælestinorum confirmando privilegium Cælestini V. ejusdem Congregationis Institutoris, sub datum Florentiæ anno Domini 1434. 5. Kal. Novembris Pontificatus sui anno 4. ut habetur *in nova Collect. Roder. Bulla* 9. ejusdem Pontificis. Ex quo concluditur, Abbates posse à quocunque Antistite benedici, nulla in hac re obligatione locorum Ordinariis debita. Adde, licere etiam, ut ab Abbatibus benedicerentur, dummodo in propriis Ecclesiis talis fieret benedictio.

QUÆSITUM XI.

Utrùm Abbates Regulares possit alios Abbates benedicere.

SUMMARIUM.

1 *Abbates Regulares possunt à Generali, sive à Vicariis ab eodem delegatis benedici.*

1 INnocentius VIII. sub datum Romæ apud S. Petrum anno Domini 1489. die 9. Aprilis Pontificatus sui anno 5. concessit Joanni Abbati Monasterii Cistertii, ut Abbates, & Abbatissas sui Ordinis benedicere possit per hæc verba: *Innocentius Episcopus, &c. Dilecto filio Joanni &c. Et quia interdum propter munus benedictionis, quod per Episcopos Abbatibus dicti Ordinis impenditur, contentiones, ac privilegiorum Ordinis vestri læsiones oriuntur, sub eo prætextu, quòd Episcopi prædicti ex impensione muneris hujusmodi prætendunt, aliquam postmodum in eos, & eorum Monasteria jurisdictionem, & superioritatem, contra dicti Ordinis vestri privilegia habere; tibi, & successoribus tuis prædictis dumtaxat, ut munus benedictionis hujusmodi quibuscunque d. Ordinis Abbatibus, & Abbatissis impendere, ac Abbatibus, & Abbatissis prædictis, ut dictum munus à te, & successoribus tuis prædictis recipere liberè, ac licitè, possitis, & possint, auctoritate Apostolica, & ex certa scientia, tenore præsentium, de specialis dono gratiæ indulgemus.* Quæ Bulla refertur à Roderico *in nova Collect. privileg. Mendic. & non Mendic.* 5. *inter Bullas ejusdem Pontificis.* Et Clemens VIII. sub datum Romæ die 24. Julii anno Domini 1599. concessit eidem Abbati Cistercii Generali totius Ordinis, ut possit deputare, & deligere Vicarios per Provincias, qui benedictionem novis Abbatibus, & Abbatissis dicti Ordinis impenderent. Refert Renat. Chopp. *in suo Monast. lib. 2. titul. 1, num. 7. in margine.*

QUÆSITUM XII.

De his, quæ Abbates in benedictionis receptione promittere tenentur.

SUMMARIUM.

1 *Forma juramenti observandi ab omnibus Abbatibus, qui benedicendi sunt.*

2 *Abbates omnes in benedictionē, præter prædictum juramentum, debent fidem, subjectionem, obedientiam, & reverentiam Summo Pontifici promittere.*

3 *Abbas non exemptus fidem, subjectionem, obedientiam, & reverentiam suo Ordinario in benedictione promittere debet.*

4 *Abbas exemptus in benedictione fidem, subjectionem, obedientiam, & reverentiam suo Abbati Generali, & Prælatis Ordinariis Religionis promittere tenetur.*

5 *Abbatis benedicendi, qui professionem emittere debeant, qui verò non.*

IN Pontificiali Romano Clem. VIII. jussu edito, ubi traditur forma juramenti ab Abbate benedicendo in manibus Pontificis benedicentis præstandi, quæ est sequens, videlicet: 1

Ego N. electus Monasterii N. Ordinis Sancti N. ab hac hora inantea fidelis, & obediens ero B. Petro Apostolo, Sanctæque Romanæ Ecclesiæ, & Domino nostro Domino N. Papæ N. suisque successoribus canonicè intrantibus. Non ero in consilio, aut in consensu, vel facto, ut vitam perdant, aut membrum, seu capiantur mala captione; aut in eos violenter manus quomodolibet ingerantur: vel injuria aliqua inferantur, quovis quæsito colore. Consilium verò, quod mihi credituri sunt, per se, aut Nuntios suos, seu literas, ad eorum damnum me sciente nemini pandam. Papatum Romanum, & Regalia Sancti Petri, adjutor eis ero, ad retinendum, & defendendum, salvo meo Ordine, contra omnem hominem. Legatum Apostolicæ Sedis in eundo, & redeundo honorificè tractabo, & in suis necessitatibus adjuvabo. Iura, honores, privilegia, & auctoritatem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Domini nostri Papæ, & Successorum prædictorum conservare, defendere, augere, & promovere curabo. Neque ero in consilio, vel facto, seu tractatu, in quibus contra ipsum Dominum nostrum, vel eandem Romanam Ecclesiam aliqua sinistra, vel præjudicialia personarum juris, honoris, status, & potestatis eorum machinentur. Et, si talia à quibuscunque tractari, vel procurari novero, impediam hoc pro posse: & quanto citiùs potero, significabo eidem Domino nostro, vel alteri, per quem possit ad ipsius notitiam pervenire. Regulas Sanctorum Patrum, decreta, ordinationes, seu dispositiones, reservationes, provisiones, & mandata Apostolica, totis viribus observabo, & faciam ab aliis observari. Hæreticos, schismaticos, & rebelles eidem Domino nostro, vel successoribus prædictis pro posse persequar, & impugnabo. Vocatus ad Synodum, veniam, nisi præpeditus fuero canonica præpeditione. Possessiones verò ad Monasterium meum pertinentes non vendam, nec donabo, neque impignorabo, nec de novo infeudabo, vel aliquo modo alienabo, etiam cum consensu Conventus Monasterii mei, inconsulto Romano Pontifice. Et si ad aliquam alienationem devenero, pœnas in quadam super hoc edita constitutione contentas, eo ipso incurrere volo.

Juxta quam formam juramenti omnes Abbates benedictionem recipientes, tam exempti, quàm non exempti jurare debent. Ultra prædictum juramentum Abbates ab Ordinariorum jurisdictione immunes promittunt insuper fidem, subjectionem, obedientiam, & reverentiam Sanctæ Ecclesiæ Romanæ, & Summo Pontifici ejusque successoribus devotè, & fideliter perpetuò exhibere. 2

Quòd

3 Quòd si Abbas benedicendus non esset exemptus, præter supradicta, promittere debet fidem, subjectionem, obedientiam, ac reverentiam Episcopo ejus Ordinario; quæ omnia puto esse promittenda ab Abbati-
4 bus Regularibus exemptis eorum Abbatibus Generalibus in manibus ipsorum Abbatum Generalium, vel aliorum ab eisdem delegatorum, à quibus ipsi Abbates noviter electi benedictionem suscipiunt.

5 Notandum autem, quòd electi, sive potius postulati, vel aliàs promoti ad Regulares Abbatias, si erunt seculares, debent in primis professionem coram Pontifice illos benedicente, juxta præscriptum uniuscujusque Congregationis emittere: ut notatur in Pontificali in ceremonia benedictionis Abbatum in principio. Circa quod advertendum est, quod Lucius III. Pont. Max. 11. Kalend. Decembris anni 1183. in quodam privilegio Cistercien. concessum voluit: *Quod Episcopi in benedictionibus Abbatum sint contenti professione, quæ noscitur instituta ab initio Ordinis; scilicet, quod Abbates tunc debent dicere (salvo ordine suo, & privilegiis Ordinis) nec compellantur aliam tunc facere professionem, contra Ordinis instituta*, & refert Renat. Chopp. *in Monast. lib. 2. tit. 1. n. 7.* Subdens ex Aimoyno, quòd Monachi Cœnobii D. Germani de Pratis, qui ab Episcopi Parisien. jurisdictione exempti erant, ab Abbatia, & Conventu Villelmum Abbatem expulerunt ex eo quia ipse Abbas edita solemni professione benedictionem ab Episcopo recepisset.

QUÆSITUM XIII.

Utrùm Abbates non benedicti gaudeant iisdem privilegiis, quibus fruuntur benedicti.

SUMMARIUM.

1 *Abbates Regulares ad tempus creati, licèt non benedicantur, tamen gaudent omnibus prærogativis, quibus potiuntur benedicti.*

2 *Recensentur privilegia quarundam Congregationum, quarum Abbates, virtute eorundem privilegiorum, eadem possunt, ac si essent benedicti.*

1 Abbates Regulares, licet eis benedictionis munus non impendatur, illis tamen Monasteriis, ad quæ electi, vel nominati fuerint, præesse possunt; ac illa in spiritualibus, & temporalibus regere, & gubernare, nec non omnia, & singula, quæ per Abbates aliorum Monasteriorum, & locorum suæ Congregationis, juxta illius constitutionis, & statuta hujusmodi fieri poterunt, ac si essent benedictionis munus consequuti, facere, & exercere liberè, & licitè valent.

2 Ita concessit Eugenius IV. Congregationi S. Justinæ de Padua, sub datum Florentiæ anno 1434. 3. Idus Januarii, & per aliam Bullam sub datum Bononiæ anno Domini 1436. pridie Kal. Julii Pontif. sui anno 6. sub his verbis: *Volens insuper, quòd Prælati Congregationis præfatæ, licèt benedictionis munus non acceperint, perinde tamen Monasteria ipsius Congregationis regere, & administrare, ac omnes actus in ipsis valeant exercere, & insignia deferre, ac si munus hujusmodi fuissent consecuti.* Refert. Roderic. *in collect. Bullar. Apostolicar. pro Regular. Bulla 11. d. Pontificis sub num. 15.* quæ privilegia ad nostram Congregationem extensa, ac de verbo ad verbum eidem concessa fuerunt à Julio II. anno Domini 1507. Idibus Julii Pontif. sui anno 4. ut patet *ex ejus Bulla* § 43. quam inferius disput. de communicat. privileg. integram referemus. Et ab eodem Julio II. idipsum privilegium concessum fuit Monachis, & Abbatibus Olivetanis sub datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1507. pridie Kal. Junii Pontif. sui anno 8. ut notatur *in libro privilegiorum Congregationis Montis Oliveti pag. 76.* his verbis: *Præfatique sic electi, seu nominati, absque alicujus dictæ Sedis, vel alterius provisionis, vel dispensationis adminiculo, etiam præter hoc, quod eis munus benedictionis impendatur ipsis Monasteriis, & Prioratibus, ad quæ sic electi, vel nominati fuerint præesse, ac illa in spiritualibus, & temporalibus regere, ac omnes actus ibidem exercere, & insignia deferre, ac si munus hujusmodi suscepissent.* Alia ejusdem tenoris privilegia elargita fuit quibusdam aliis Monachorum Congregationibus; nimirum Camaldulensibus à Leone X. de quo in compendio privilegiorum ejusdem Congregationis fol. 34. Idem privilegium concessum fuit Abbatibus Canonic. Regularium à Pio V. anno Dominicæ Incarnationis 1566. 17. Kal. Februarii Pontificatus sui anno 1. cujus privilegij tenor est: *Nec non singulis ipsorum Monasteriorum Abbatibus pro tempore existentibus (tametsi munus benedictionis non suscepissent) quòd omnibus, & singulis privilegiis, prærogativis, immunitatibus, exemptionibus, favoribus, gratiis, indulgentiis, & indultis, quibus tam Ordinis, & Congregationis prædictorum, quàm aliorum Monasteriorum, & Ordinum Abbates in Generalibus, & provincialibus Conciliis utebantur, potiebantur, & gaudebant, ac uti, potiri, & gaudere poterant quomodolibet in futuram uti, potiri, & gaudere, liberè, ac licitè possint, & valeant, Apostolica auctoritate de speciali gratia induisit:* ita habetur *in lib. privileg. dictæ Relig. pag. 542.*

QUÆSITUM XIV.

De ritu benedicendi Abbates.

SUMMARIUM.

1 *Benedictionis Abbatum Casinen. antiqua forma à Petro Diacono descripta refertur.*
2 *Præparatio Summi Pontificis ad sacrificium Missæ &, ad benedicendum Abbatem.*
3 *De juramento ab Abbate coram Summo Pontifice præstando.*
4 *Summus Pontifex tradit Abbati Regulam.*
5 *Summus Pontifex benedicit Baculum, illumque benedictum tradit Abbati.*
6 *Summus Pontifex benedicit Anulum, & illum deinde benedictum dat Abbati.*
7 *Abbas ponitur in sua sede.*
8 *Oblatio, & abstinentia die benedictionis ab Abbate facienda.*
9 *Summus Pontifex Abbatem benedicit.*
10 *Exhortatio Summi Pontificis ad Monachos.*
11 *Exhortatio ejusdem ad Abbatem benedictum.*
12 *Omnes antiquæ benedicendi Abbates cæremoniæ per Clem. VIII. sublatæ sunt, & nova formula per eundem instituta traduntur.*
13 *Mandatum Apostolicum ante benedictionem necessarium.*
14 *Dies quo Abbas benedici potest.*
15 *Capella quomodo præparanda.*
16 *Majoris Capellæ ornatus.*
17 *Credentia Episcopi quomodo præparanda cum paramentis Pontificalibus.*
18 *Minoris Capellæ ornatus, & paramenta electi.*
19 *Credentia pro electo præparanda.*
20 *Vestes electi.*
21 *Assistentium paramenta.*
22 *Ordo accedendi ad Missam.*
23 *Ordo emittendi professionem Monasticam.*
24 *Electus in Capella paratus ad Episcopum ducitur.*
25 *Abbatis benedictio quomodo petenda.*
26 *Juramentum, & examen electi.*
27 *Confessio quomodo facienda.*
28 *Electus induitur in Capella, & Missam prosequitur.*
29 *Septem Psalmi, & Litaniæ super electum dicuntur.*

30 *Præfatio super electum dicenda.*
31 *Traditio Regulæ, Baculi, & Annuli.*
32 *Missa prosequenda cum oblationibus.*
33 *Pax quomodo danda.*
34 *Communio quomodo fiat.*
35 *Mitra, & Annulus Abbati imponitur, & quomodo.*
36 *Abbas quomodo inthronizatur.*
37 Te Deum *dicitur, benedicit populo, & recipit Monachos ad osculum.*
38 *Populo solemniter benedicit, & Episcopo gratias agit.*
39 *Differentia inter Capellam Episcopi, & Abbatis, nec non ornatum utriusque.*
40 *Prætermittenda, si Abbas fuerit professus.*
41 *In Missis privatis quænam omittenda.*
42 *Differentia in benedictione quæ fit in propria Ecclesia electi, vel in aliena.*
43 *Differentia observanda in benedictione Abbatis habentis usum Mitræ, vel non habentis.*
44 *Mutanda cùm Abbas non auctoritate Apostolica, sed ordinaria benedicitur.*

1 DUplicem modum benedicendi Abbatem in præsenti recensebo; primus erit juxta quem antiquitus Abbas Montis Casini benedicebatur, atque illum in medium adducam, prout refertur à Petro Diacono ejusdem Monasterii Monacho *in expos. c. 64. Regulæ D. Patris Benedicti*, cujus commentaria in eandem Regulam manuscripta habui à R. P. D. Domino Constantino Cajetano Casinen. Congregationis, Abbate S. Baronti, viro in historiis non parum versato. Alter erit modus, qui in Pontificali Romano jussu Clem. VIII. edito assignatur, juxta quem hodie, aliis omnibus abolitis, benedici debent Abbates, si qui sunt qui benedictionem suscipere consueverunt. Priorem modum sic tradit Petrus Diaconus.

2 Inprimis præparet se Pontifex ad Missam celebrandam, completa autem epistola, prosternat se Pontifex ante altare; & Abbas electus sacris vestibus indutus, & Paraphonista incipiat Litaniam, sequitur Dominica oratio, *Pater noster, &c. Et ne nos inducas, &c. Salvum fac servum tuum, &c. Dominus conservet eum, & vivificet eum, &c. Dominus custodiat introitum tuum, & exitum tuum, &c. Dominus custodiat te ab omni malo, &c. Mittat tibi auxilium suum de sancto, &c. Nihil proficiat inimicus in eo, & filius iniquitatis, &c. Esto illi Domine, &c. A facie, &c. Exurge Domine, & libera nos, &c. Domine exaudi, &c. Et clamor, &c. Dominus vobiscum, &c.*

ORATIO.

COncede, quæsumus omnipotens Deus, affectui nostro, tuæ miserationis effectum, & famulum tuum, quem ad regimen animarum elegimus, gratia tua dono prosequere, ut te largiente, cum ipsa tibi nostra electione placeamus, &c. Cunctorum bonorum institutor Deus, qui per Moysem famulum tuum ad gubernandas Ecclesias Præpositos instituisti, tibi supplices effundimus preces, teque devotis mentibus exoramus, ut hunc famulum tuum, quem conniventia, & electio famulorum tuorum Abbatem hodie ovium tuarum instituit, protectionis tua gratia munire digneris, sicque regere subditas, commendatasque oves concedas, ut cum illis omnibus regna cælorum adeptus, quatenus te, Domine, opitulante, Apostolicis jugiter fultus doctrinis, centesimo cum fructu lætus introeat portas Paradisi, atque te, Domine, collaudante, audire mereatur, Euge serve bone, & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui, quod ipse præstare digneris.

ALIA ORATIO.

EXaudi Domine preces nostras, & super hunc famulum tuum spiritum tuæ benedictionis emitte, ut cælesti munere ditatus, intercessione sanctissimi confessoris tui P. nostri Benedicti, quem præcipuè monasticæ disciplinæ legislatorem dedisti, & tuæ majestatis gratiam possit acquirere, & bene vivendi aliis exemplum præbere. Per Christum.

ALIA ORATIO.

DEus innocentiæ, & totius sanctitatis amator, qui omnia per filium tuum Iesum Christum Dominum nostrum mirabiliter dispensas, effunde quæsumus, super hunc famulum tuum, quem in officium Abbatis ordinamus, gratiam Spiritus sancti, ut illius servitium tibi omni tempore dignanter complaceat, eumque dextera potentiæ tuæ benedicere digneris in opus ministerii tui condignum, quatenus actum ministrationis tibi per B. Benedictum fideliter exequatur, & ejusdem sancti Spiritus septiformis gratiæ virtute corroboretur. Requiescat ergo super eum, precamur, Domine, spiritus sapientiæ, & pietatis, repleat eum spiritu timoris tui, concedas gravitatem actuum, censuram vivendi, ut in lege tua die, ac nocte meditetur, mandata tua custodiat, dictis tuis obediat, sacris lectionibus insistat, terrena, & transitoria despiciat, atque omni tempore bonis operibus inserviat, omnem libidinem pravæ voluntatis superet, amorem honestæ castitatis teneat, redundet in eo Sancti Patris nostri Benedicti constantia, animi fortitudo, Mauri obedientia, totius forma virtutis, auctoritas modesta, pudor constans, innocentia puritas, & spiritualis observantia disciplinæ; in moribus ejus Benedicti Regula fulgeat, & cunctis sibi subditis verbo & exemplo imitationem bonam præbeat, & usque ad exitum in sancta conversatione firmus ac stabilis perseveret: atque ita hanc obedientiam, te auxiliante, peragat, qualiter ad æternam remunerationem, te donante, pervenire mereatur. Per eumdem.

Post hæc, ante Pontificem promittat sub jurejurando, coram Deo, & Sanctis ejus, observaturum se Regulam B. Benedicti usque ad jota unum, & unum apicem, secundum suum scire, & posse, & nullum Monachum, nisi clarescentibus culpis, de Monasterio projecturum, vel degradaturum: & ut thesaurum, possessiones, Ecclesias, & omnem substantiam Monasterii ubique terrarum non subtrahat, vel alienet: obedientias sicut B. Benedictus jussit, distribuat, & laicum super Monachum non præponat. Hoc facto, reducatur ad Pontificem, & Pontifex imponat manum super caput ejus, dicens sequentem orationem, in modum Præfationis.

OMnipotens sempiterne Deus, affluentem spiritum &c. ut in Pontif. Rom. *Rub. de Ben. Abb. fol.* 224.

Hoc expleto, incipiat Paraphonista Responsorium, *Indicabo tibi homo, quid sit bonum.* Et Chorus respondeat: *Facere judicium, & justitiam.* Finito Responsorio tradat Papa Regulam in manus Abbatis dicens: *Accipe Regulam, Spiritu sancto inspirante dictatam, & sacratissimis manibus Patris Benedicti descriptam, ad regendum, custodiendumque gregem tibi à Deo creditum, quantum Deus ipse te confortaverit, ac fragilitas humana permiserit. Accipe Monasticæ conversationis Regulam, ad quam propriam, & subditorum corrigere debes vitam: & vide, ut non solùm auditor, sed etiam satagas esse illius operator.*

Tunc intonat Paraphonista antiphonam. *Confirma hoc Deus, &c.* & chorus ℟. *A templo sancto tuo, &c.* Deinde dicat Papa hanc Orationem.

ORATIO.

TE Omnipotens, & piissime deprecamur, Domine, hunc famulum tuum propitius intuere, ut gratia tua auxiliante, in sua, subditorumque conversatione, præcepta sanctæ Regulæ efficaciter studeat adimplere, ut transacto villicationis suæ tempore, unà cum commisso grege perpetua potiatur beatitudine.

ALIA

ALIA ORATIO.

DOmine Deus omnipotens exaudi preces nostras, & super hunc famulum tuum N. spiritum tuæ bonitatis emitte, ut cælesti munere ditatus, & tua gratiam possit majestatis acquirere, & benevivendi aliis exemplum præbere. Per Dominum, &c.

ALIA ORATIO.

REspice Domine super hunc famulum tuum, quem ad regimen animarum Abbatem ordinamus, sit in te, Domine, per donum Spiritus tui, prudens modestia, sapiens benignitas, gravis lenitas, casta libertas, ferveat in charitate, & nihil extra te diligat, laudabiliterque vivat, & laudari non appetat, te timeat, tibi amore serviat, tu honor ei, tu gaudium tu in mœrore solatium, tu in ambiguitate concilium, tu in injuria defensio, tu in tribulatione patientia, in paupertate abundantia, in jejunio cibus, in infirmitate sis medicina; quod est professus custodiat, ut & hostem antiquum devincat, & vitiorum squalores expurget, quatenus electorum tuorum consortio, te donante, mereatur uniri. Per Dominum, &c.

ALIA ORATIO.

OMnipotens clementissime Pater, tuam omnipotentiam supplices deprecamur, ut infundere digneris super hunc famulum tuum N. quem tuo, servorumque tuorum servitio mancipamus, spiritum sapientiæ, & intelligentiæ, discretionisque: dona ei Casinensi cœnobio tua ita agere, & injunctum sibi temporibus officium suum administrare, ut & tibi placere valeat, & utilitatem servorum tuorum, te auxiliante, perfectissime expleat, propter quod hic, & in futuro seculo mercedem laboris sui in consortio Sanctorum tuorum à te piissimo largitore percipiat. Per, &c.

BENEDICTIO BACULI.

5 *TU Baculus noster, & rector per secula vitæ. Justum sanctifica pietatis jure bacillum, quo mala sternantur, quo semper recta regantur.*

Tunc intonat Chorus. *Virga æquitatis, Alleluja. Virga regni tui, Alleluja.*

Tunc tradat Papa ei Baculum dicens: *Accipe Baculum pastoralitatis, quem præferas catervæ tibi commissæ ad exemplum justæ severitatis, & correptionis. Accipe Prælationis virgam, Pastoralis custodiæ curam significantem, & diligentiam, quatenus in commissis tibi ovibus, tam in coercendis errantibus, quàm in omnibus providendis utilitatibus omninò sis sollicitus. Accipe Baculum pastoralis officii, & Monastici regiminis, ut sis in corrigendis vitiis sæviens, in ira judicium sine ira tenens, cum iratus fueris misericordiæ reminiscens; accipe, inquam, Baculum sacri moderaminis signum, ut imbecilles consolides, titubantes confirmes, pravos corrigas, rectos dirigas in viam salutis æternæ. Præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre, & Spiritu sancto vivit, & regnat, &c.*

Dehinc intonat Paraphonista Antiphonam hanc: *Dixit autem Pater ad servos suos, citò proferte stolam primam, & induite illum, & date Anulum in manu ejus, & calciamenta in pedes ejus.*

6 Dehinc Papa dicat super Anulum hanc Orationem.

BENEDICTIO ANULI.

DEus cælestium, terrestriumque creaturarum, atque humani generis benignissime reparator, dator spiritualis gratiæ, omniumque bonorum largitor, qui justitiam tuæ legis in cordibus credentium digito tuo, id est, unigenito tuo scribis, cui Magi in Ægypto resistere non valentes concinebant, dicentes, digitus Dei est hic, tu immitte Spiritum sanctum tuum Paraclitum de cælis super hunc Anulum arte fabrili decoratum, & sublimitatis tuæ potentia ita eum emundare digneris, ut omni nequitia lividi, venenosique serpentis procul expulsa, metallum à te bono conditore creatum, immune à cunctis sordibus inimici maneat. Benedic Domine, & sanctifica Anulum istum, & mitte super eum septiformem Spiritum tuum sanctum, quo famulus tuus eo fruens Anulo fidei subarratus, virtute Altissimi sine peccato custodiatur, & omnes benedictiones, quæ in scripturis divinis reperiuntur, super eum copiosè descendant; circunda eum Domine ubiquè potentia dexteræ tuæ, quo Sanctissimi Patris Benedicti insigniis redimitus, & vitæ merito decoratus, tibi in omnibus actibus suis complaceat, & per tramitem recti itineris inoffenso gradu incedendo, te opitulante in Patris Benedicti cathedra collocatus, diu hic incolumis, & post succedentia tempora perennibus bonis locupletari mereatur, per eum, cui cum Æterno Patre manet honor, & perpetuitas per immortalia seculorum secula, &c.

Post hæc Papa det Anulum Abbati dicens, *Accipe Anulum discretionis, & honoris, integræ fidei signaculum, ut quæ signanda sunt signes, & quæ aperienda sunt aperias, & ut credentibus per fidem baptismatis, divinæ misericordiæ viscera pandas: lapsis autem, & pœnitentibus per mysterium reconciliationis januas Regni cælestis aperias; tibi verò commissis fratribus simul & cunctis fidelibus de thesauro Dominico, nova, & vetera proferas ad æternam salutem, omnibus tua consolatione consolatis, largiente gratia Domini nostri Jesu Christi, qui cum Patre, &c.*

ALIA ORATIO.

DEus cui omnis potestas & dignitas famulatur, da famulo tuo N. prosperum suæ dignitatis effectum, 7
in quo te semper timeat, tibique jugiter placere contendat. Post hæc incipiat Paraphonista ℟. *Vos qui secuti estis me, dicit Dominus, sedebitis, &c.*

Et sic ducatur Abbas à Diaconibus, ex præcepto Pontificis, & ponatur in sede, quæ est juxta Chorum, tenens in manu sua Cambuttam, & Regulam, & juxta eum sint sex Presbyteri, ac sex Diaconi, qui eum omni tempore custodiant nocte, dieque simul, sicut sanctus Maurus præcepit, ne in aliquo à rectitudine Regularis tramitis declinet. Hi autem, qui Abbatem custodire debent, digni, & irreprehensibiles sint, & omni careant suspicione, vel inimicitia, & qui sanctiores, & meliores, & Religiosiores in Congregatione, in activa, & contemplativa vita permanserint. Expleto autem Responsorio; dicat Papa hanc Orationem.

OMnium Domine, fons bonorum, justorumque provectuum remunerator, tribue, quæsumus, huic famulo tuo N. adeptam benè gerere dignitatem, & à te sibi præstitam bonis operibus comprobare. Per &c. Et sic peragatur Missa ordine suo.

Completo Evangelio, offerat Abbas Papæ duas ob- 8
lationum coronas, & duas faculas accensas, & eo die Abbas nihil aliud, nisi panem, & aquam comedat.

Postea Pontifex Abbatem benedicit; ante expletio- 9
nem namque Missæ dat ipse Papa hanc super eum benedictionem.

BEnedicat te Deus cœli, adjuvet te Christus filius Dei; corpus tuum in servitio suo custodire, & conservare dignetur, mentem tuam illumines, sensum tuum custodiat, gratiam suam ad perfectum animæ tuæ tibi porrigat, ab omni malo te liberet, dextera sua te defendat, & qui Sanctos suos semper adjuvat, ipse te adjuvet, & ad cælestia Regna perducat. Aspiciat, & benedicat te Dominus Rector æternus, & in omni parte conservet; det tibi Dominus Angelum suum lucis, ut conservet in te gratiam, quam profudit, mentem regat, vias dirigat, actus probet, cogitationes sanctas instruat; opera confirmet, vota perficiat, præterita indulgeat, præsentia emendet, futura moderetur, quietem nutriat, prospera tribuat, charitatem muniat, & ab omnibus diabolicis, & humanis insidiis sua te semper protectione, & virtute defendat; &

ita

ua devotionem tuam placatus semper suscipiat, ut quæcumque ab eo postulaveris clementer concedat. Sit manus Domini auxiliatrix tui, & brachium sanctissimum, optuleatur tibi. Sit misericordia ejus super te, & pietas illius subsequatur te; benedictio Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, descendat super te, & pax Domini sit semper tecum.

10 Post hæc vadant ad comedendum, & postquam comederint, vadant in Capitulum, & residentibus eis, dicat Papa ad Monachos: [Vos charissimi fratres & filii mei, huic, qui præsidet vobis ad veritatem docendã in omnibus obedite, sciente, quod si quis hunc contristaverit, Christum, & Patrem sanctissimum Benedictum, qui ei suam Cathedram credidit, non recipit, & qui Christum, & Patrem sanctum Benedictum non suscepit, nec Deum patrem suscepisse judicabitur: & ideò nec ipse suscipietur, in regno cœlorum; quapropter diligentiam adhibete, ut non velut negligentes, & desides à Judice Christo condemnemini; convenientes verò ad vestrum Abbatem date omnes operam pro ipso sentire, & summo studio favorem vestrum erga ipsum dependere: scientes quia propter singulos vos ipsos magis infestat inimicus, & in ipso majora suscitat bella. Oportet ergo vos summo studio niti, ut omni erga illum vinculo amoris innexi, plenissimo erga eum inhærenti affectu. Sed vos quoque ipsi unanimes in omni concordia perdurate, quo faciliùs etiam illi obedire omnes pari consensu, & unanimitate possitis, propter quod & vos salutem consequi, & ille possit obtemperantibus sibi vobis promptius impositi honoris pondus exhibere. Quædam etiam ex vobis ipsis intelligere debetis, si quæ sunt, quæ ipse propter insidias hominum malorum non potest evidentiùs, & manifestiùs perloqui. Si autem inimicus est alicui pro actibus suis, vos nolite expectare, ut ipse vobis dicat, cum illo nolite amici esse: sed prudenter observare debetis, & voluntati ejus absque communicatione obsecundare, & avertere vos ab eo, cui ipsum sentitis adversantem: sed ne loqui his, quibus ipse non loquitur, ut unusquisque qui in culpa est, dum cupit omnium vestrum amicitias ferre, festinet citiùs reconciliari ei qui omnibus præest, ut per hoc redeat ad salutem, cum obedire cœpit monitis Præsidentis. Si verò quis amicus fuerit, amicus his, quibus ipse non loquitur, unus est, & ipse ex illis qui exterminare Dei monasterium voluit. Et cum corpore vobiscum esse videatur, mente & animo contra vos est. Et est multò nequior hostis hic, quàm illi, qui foris sunt, & evidenter, inimici sunt. Hic enim per amicitiarum speciem quæ inimica sunt, gerit, & Monasterium dispergit, ac devastat. Abbatis autem est, vos instruere ea, quæ ad vitam æternam attinet. Vestrum est, ei obedire, ut Deo, cujus legatione fungitur, dicente Domino; *qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit, & qui vos recipit, me recipit, & qui me recipit, recipit eum, qui me misit*; nihil enim injustius, vel inhonestius est, quàm filios patribus rebelles, aut Monachos Abbatib9, seu discipulos magistris inobedientes, vel protervos existere. Si quando enim nostis primum Hominem per inobedientiam cecidisse: idcirco omnes hoc vitium cavere monemus, quia Deus superbis resistit; humilibus autem dat gratiam. Præcepit Beatus Benedictus Abbati docere, præcepit Monachis Abbati suo fideliter obedire; quoniam nec aliter terra patit fructus suos, nisi antea recipiat semen, & irrigata germinaverit, & pariat, quæ est paritura. Omnis autem Monachus, qui libenter non recepent verbum Dei, illudque in corde suo germinare non siverit, ac minimè crediderit Abbati, & ei non benevolus, sed rebellis extiterit, fructum non faciet, nec pariet, sed similis est arbori illi, de qua Dominus ait, *omnis arbor, quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur.* Majores ergo vestros, fratres, ut filii honorate; Abbatem vestrum Patris Sanctissimi vestri Benedicti locum tenentem diligite, ad salutem animarum vestrarum in his, quæ ad Deum, & ad Beati Benedicti Regulam pertinent, fideliter obedite, scientes, quòd sive honor, sive injuria, quæ ei defertur, in legislatore Benedicto redundat, & à Benedicto in Jesum Christum Deum, & Dominum nostrum; quòd si secus egerit, dicite ei, *obedire oportet Deo magis, quàm hominibus*: & quia Moab homo, & non Deus, & quia super cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi, nam Pater Benedictus Abbatem non prodigum, non luctis secularibus inhiantem, sed justum, & sanctum requirit. Audiri ergo bonum Abbatem à Monachis attentiùs oportet, & ab ipso suscipere salutaria monita; nam sicut antea vobis dixi, qui rebelliter vivit, & discere, vel agere bonum recusat, magis diaboli quàm Christi membrum esse ostenditur, & potius infidelis, quàm fidelis monstratur. Vestrum ergo est præbere obedientiam, & occupationes superfluas, ac sollicitudinem amputare, ne bonum semen, noxium fiat germen. Potest enim fieri, ut multi temporis negligentiam brevis & assidua reparet diligentia; incertum namque est uniuscujusque tempus: & ideo festinandum est ad salutem, ne forte cunctantem mors repentina præveniat: & ob hoc acrius vobis innitendum est, ut dum est temporis spatium, collecta malæ consuetudinis vitia resecentur; quod non aliter facere poteritis, nisi ut irascamini quodammodo adversùs vosmet ipsos pro his, quæ inutiliter geritis multoties. Hæc enim est justa, & necessaria iracundia; ut unusquisque Monachus, in his in quibus erravit, & perperam gessit, indignetur, & semetipsum accuset, ex qua indignatione accenditur in nobis ignis quidam, qui velut agro sterili immissus, consumptis, & excoctis radicibus pessimæ voluptatis, bono semini Verbi Dei fœcundiorem cordis præparat glebam. Semper mortificationem Jesu in corpore vestro circumferte, quia carnalis amor non habet ubi se intra vos diffundat necessariò, sed omnis vestra delectatio in Deum transeat. Prudens etenim Monachus, & ad salutis suæ custodiam vehementer intentus, tanta reprimendis vitiis sollicitudine semper invigilat, ut perfectæ mortificationis cingulo lumbos suos, & ventrem, renes una cum lateribus undique circumstringat; sed quid prodest à peccatorum perpetratione desistere, nisi & hæc ipsa, quæ perpetrata sunt, studeans pœnitentiæ satisfactione delere;]

Deinde ab Abbatem conversus idem Summus Pontifex ait:] fili charissime Abbas, fac ipse quod præcipis, exerce quod prædicas, imple quod mandas; non vita discordet à lingua, non opera videantur à sermone discreta, nec aliud doceat auctoritas Præsidentis, aliud exhibeat operatio conversantis. Raro autem processurus egredere, ut semen verbi, quod sparseras, jugiter valeas excolendo rigare; non itaque hospitem te Casinensis Monasterii frequens discursus exhibeat, sed habitatorem potiùs, atque domesticum diuturnitas morosæ gravitatis ostendat. Commendet inedia jejunia prædicantem, nec loquentis sententias comedentis fauces impugnent. Meliùs nempe sobrietate docet manus, cum ad os sub moderamine ducitur, quàm si nesciensis lingua loquatur. Porrò vivida satis, & efficax in Monachorum mentibus prædicatio est, alii os ad mensam impellere, impellentem verò in rigore jejunii permanere; sic intenta delinquentibus ferulam, ut in te motum iracundiæ sub rigida cohibeas disciplina. Interim verò dum corripis, dum minaris, dum terroribus culpabilem concutis in temetipsum oculos revoca, modum humanæ fragilitatis attende, & temetipsum corripi posse, si censor adesset, subtiliter meditare. Nec mireris si subditus quispiam forte transgrediens cuncta jussionis tuæ mandara non impleat, cum tanta sit conditio humanæ fragilitatis, ut ipsa etiam corporis tui membra prorsus in omnibus tibimet obtemperare 11

rare non possint. Ut autem quod dicimus evidenter eluceat, præcipe oculis tuis, ut eis acedia non obrepat, dordi, ut cogitationum phantasmata non admittat. Indic genitalibus pudicitiam, ut aliquando incentiva luxuriæ non titillent, gulæ sobrietatem, ut ad alimenta esculentiora non prutiat: postremò toti simul corpori; ut morbis irruentibus non patescat, & cum liquidò probaveris hæc à temetipso exigere quod est, sed penitùs impetrare non posse: quid mirum si in his, qui à te personis, & moribus disjuncti sunt, perfectam in omnibus nequeas obedientiam reperire? planè si hæc in te solerti meditatione consideres, fraternæ quoque imbecillitatis excessum æquanimiter feres. Si quid forte patrimonii latioris accesserit, si suppetere copia cernitur, si Dei domus augetur, noli tuis meritis, sive studiis arrogare, sed beneficiis dumtaxat divinis, ac Benedicti Patris intercessionibus, & meritis ascribere. Revoca ante oculos tempora quando privatus eras, & recole, quia tibi nullatenus provenerant; constat ergo quia non tibi, sed Christi confertur Ecclesiæ, quod tu sine illa assequi nequivisti. Non mensam fratrum cœnaturus, exhorreas: non te convivia privata delectent, & cum quibus tibi est altaris mensa communis, non indignos judices, qui tibi participent in corporalibus alimentis. Noli Monasterii bona prodigere, nec popularis auræ favorem proprium de communi velis utilitate captare. Si enim credimus, quod ditantium Ecclesias peccata solvuntur; credendum est etiam, quia minuentes, & dilapidantes eas gravis sacrilegii vinculis innectuntur; & inde sunt illi peccatis obnoxii, unde reperiuntur isti peccatorum suorum nexibus absoluti. Planè timendum tibi est valdè quod dicitur, quia de omnibus animabus tibi commissis redditurus es rationem, addita, & animæ tuæ. Stude igitur fili, ita pro te, & pro grege tibi commisso, ut cum eis, Sanctissimo Legislatore Benedicto intercedente, ad vitam pervenias sempiternam. Quia autem qualiter debeat eligi Abbas dicti Sanctorum Romanæ urbis Pontificum Gregorii, & Zachariæ sequentes ostendimus, ad Regulam explanandam redeamus. Sequitur, quòd si etiam omnis congregatio &c.]

12 Hac ergo forma, & ritu jam Abbates Casinenses benedicebantur, quod probabile satis est alios etiam Abbates aliarum Religionum sub Regula Sancti Benedicti militantium eundem modum, & formam in eorum benedictionibus ab Ecclesia Casinensi, tanquam à prima Sancti Benedicti planta, & Sede desumpsisse: & loco Summi Pontificis, si exempti erant Apostolica auctoritate, Archiepiscopum, vel Episcopum, aut alium Prælatum benedicendi facultate pollentem adhibuisse.

Aliæ ceremoniæ benedicendi Abbates ante Pontificale Clem. Octavi jussu editum consuetæ, hic recenseri possent, sed quoniam per eundem Clem. VIII. omnes sublatæ, suppressæ, abolitæ, & prohibitæ, nec non novæ benedictionum, aliarumque ceremoniarum formulæ institutæ sunt, ut patet *ex bulla ejusdem Summi Pont. sub datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Anulo Piscatoris die decima Februarii 1596. Pontificatus sui anno V. initio Ceremonialis, seu Pontificalis apposita*; ideo hæc sola benedicendi Abbates Casinenses ceremonia inter alias antiquas magis insigni, & scitu digna contentus, novum ritum, & modum ab omnibus Prælatis in benedictionibus Abbatum observandum juxta *Rubricas ejusdem Pontificalis Romani pag. 87. & pag. 94. & pag. 117.* & *Praxin Cerem.* Andreæ Piscaræ *lib. 1. sect. 11. cap. 2. 3. & 4. breviter hic apponendum duxi.*

13 Antequam ergo Abbas benedicatur, si ejus benedictio fiat auctoritate Apostolica, necessarium est, ut provideat de mandato Apostolico quo benedictio sibi impendenda Pontifici, id est, Episcopo, vel alteri Ecclesiæ Prælato committatur; Dixi (si ejus benedictio fiat auctoritate Apostolica) quia si Ordinarii auctoritate benediceretur, prædictum mandatum non erit necessarium. Modus verò observandus circa mandatum Apostolicum, quando auctoritate Summi Pontificis benedicitur, videatur in dicto Pont. Rom. *pag. 44. & in Praxi Cerem.* Pisc. *loc. cit.*

14 Ipsa benedictio fit ab Episcopo, assistentibus duobus Abbatibus, non nisi in die Dominico, vel festivo, ut diximus *in Quæsito septimo hujus Disputationis*, die præcedenti convenit, ut Pontifex, & ipse electus jejunent.

15 In Ecclesia in qua fieri debet benedictio, parentur duæ Cappellæ, major pro Pontifice, & minor pro electo.

16 In majori sit Crux, & ad minus quatuor candelabra cum cereis, & reliquis ornamentis: ante gradus Altaris in terra sternantur tapetia.

17 Credentia Episcopi cum omnibus ornamentis, & necessariis, pro solemni Missarum celebratione, more solito è latere Epistolæ disponatur. Paramenta Pontificalia, quæ officio Missæ conveniunt, præparentur; faldistotium pro Pontifice, & tria scabella pro electo, & assistentibus.

18 In Cappella minori paretur Altare cum Cruce, quatuor, vel saltem duo candelabra cum cereis, ita ut semper numerus cereorum minoris Cappellæ minor sit, quàm in majori, si ibi fuerint sex, hic quatuor: si ibi quatuor, hic duo apponantur. Disponatur pro electo Missale, & Pontificale; paramenta item Pontificalia, & Pluviale.

19 Credentia pro electo propè Altare ipsius disponatur cum vasis ad abluendas manus, & quinque Mappulæ æqualis mensuræ facta ex una canna cum dimidia panni linei subtilis.

20 Item præparentur vestes Monasticæ, duo intortitia, duo barrilia vini, & panes, omnia ornata auro, & argento cum insignibus Pontificis, & Monasterii, vel electi. Hic adverte circa munera, quæ offert suo benedicenti Abbas benedicendus, denotare paupertatem illam Monasticam, quam semper observarunt Abbates & Prælati primitivæ Ecclesiæ, in qua summæ opes, summæ divitiæ, panis & vinum fuerunt, sicut de paupertate Episcoporum optimè docuit D. meus August. Barbos. *de offic. & potest. Episc. part. 1. cap. 5. num. 17.*

Illa verò duo intortitia, quæ similiter offeruntur ab Abbate benedicendo, non vacant mysterio; quia, ut de Episcopo notat Barbos. *loc. cit.* dantur clara luce, & duabus facibus accensis, ne quid inter hæc levia munera speciosius colore, pondere preciosius subrepat, & subjiciatur; Malè etenim agitur, quando illa, quæ virtuti, & pietati debentur, Asino onusto auro conferuntur.

21 Pro duobus Abbatibus assistentibus præparentur duo Superpellicea, Stolæ, Pluvialia, & duæ Mitræ simplices albæ.

22 Ipso die, hora congrua, Pontifex facta oratione ante altare ascendit ad sedem, vel faldistotium, si non fuerit in propria Ecclesia, sibi à latere Epistolæ præparatum, ibique Pontificalibus induitur. Electus in suo habitu quotidiano medius inter Abbates assistentes paratos, & mitratos ducitur ad Pontificem paratum jam, & sedentem super faldistorium; eique reverenter tradunt mandatum Apostolicum, quod per Notarium Pontificis publicè legitur.

23 Si electus non fuerit professus, facit priùs solemnem professionem coram Pontifice, hoc ordine: Electus genuflectit ante Pontificem, qui surgens, deposita Mitra, dicit super eum Orationes, prout in Pontificali: benedicens deinde vestes ipsas, eum induit. Sedente Pontifice cum Mitra, professionem emissurus

jam

jam indutus, junctis ante pectus manibus, dicit *Suscipe me Domine, &c.* circumstantibus respondendus, *Suscepimus*, quod ter per electum, & circumstantes repetitur; electus in terram prosternitur, & cantantur Psalmi, *Magnus Dominus, &c. Miserere, & Ecce nunc, &c.* quibus completis Pontifex deposita Mitra surgit, & dicit Versus, & Orationem, *Deus qui non vis, &c.* Dicta Oratione, sedet Pontifex cum Mitra, & electus emittit professionem, legens ex charta scripta, quam in manu tenet, & ipsa lecta, ponit chartam super altare, rursumque genuflectit coram Pontifice, qui inchoat Antiphonam *Confirma hoc Deus, &c.* Pontifex adhuc sedens cum Mitra accipit electum in Congregationem aliorum Monachorum dicens: *Omnes quamvis, &c.* Pontifex & omnes Monachi præsentes recipiunt professum ad osculum pacis, & hoc si Monachus non fuerit professus, quòd raro contingit.

24 Lecto mandato, vel professione emissa, electus in sua Capella paratur Amictu, Alba, Cingulo, Stola in modum Presbyteri, & Pluviali, ac (si videbitur) potest accipere Sandalia dicendo Psalmos consuetos. Abbates assistentes induti Superpelliceo, Stola, Pluviali, & Mitra simplici, electum medium habentes, ducunt ad Pontificem in faldistorio ante Altare sedentem, cui deposito bireto, electus, se humiliter inclinans, reverentiam facit, & assistentes pariter detectis capitibus se inclinant.

25 Sedentibus omnibus, senior assistentium surgens, detecto capite petit à Pontifice, ut electum velit ordinare in Abbatem, & illo interrogante, si habeant mandatum Apostolicum, respondent, *Habemus*: tunc Pontifex dicit, *Legatur*, & per Notarium Pontificis dum legitur, omnes tecto capite sedent, & in fine totaliter perlecto, Pontifex dicit, *Deo gratias*.

26 Electus lecto mandato surgens coram Pontifice genuflexus legit juramentum. Post juramentum Pontifex prosequitur examen, & ad singulas interrogationes electus assurgens detecto capite, respondet, *Volo*, Completo examine electus ante Pontificem genuflexus osculatur ejus manum.

27 Pontifex surgens deposita Mitra ante Altare, facit confessionem cum electo, qui à sinistris ei respondet. Et ad Altare ascendens procedit ad Missam usque ad *Alleluja*, vel si non dicatur, usque ad ultimum versum, *Tractus*, vel *Sequentia*, exclusivè.

28 Electus cum assistentibus procedens ad Capellam, deposito Pluviali, si fortè in principio non acceperit, accipit Sandalia, dicens Psalmos consuetos: & accepta Cruce pectorali, aptatur ei Stola: deinde accipit Tunicellam, Dalmaticam, Planetam, & Manipulum, & medius inter suos assistentes in altari minori sibi parato prosequitur Missam pariter usque ad *Alleluja*, si sit dicendum, vel ultimum versum, *Tractus*, vel *Sequentia*, exclusivè; dicens, *Dominus vobiscum*, non se vertit. Missa erit de die, cum collecta pro electo dicenda sub uno, *Per Dominum*, cum Collecta diei.

29 Accedente electo, surgit Pontifex, & genuflexus cum Mitra procumbit in faldistorio suo: electus verò prosternit se ad sinistram Pontificis, & dicuntur septem Psalmi pœnitentiales, & Litaniæ, in quibus dicto, *Ut omnibus fidelibus defunctis*, surgens Pontifex cum Baculo conversus ad electum dicit, *Ut hunc præsentem electum*, semel atque iterum producens super electum manu dextera signum Crucis, & iterum redit ad accubitum, donec perficiantur Litaniæ. Post Litanias Pontifex surgens, stansque sine Mitra dicit super electum prostratum *Versus, & Orationes*, prout in *Pontificali*.

30 Electo surgente, & ante Pontificem genuflectente; Pontifex extensis manibus ante pectus dicit, *Præfationem*, in qua cùm pervenerit ad §. *ut qui per nostra*, imponit ambas manus extensas, digitis non disjunctis, super caput electi, eas sic tenens donec perveniat ad §. *suscipiat te*, nam tunc eas amovens de capite electi, ante pectus extensas tenebit usque ad finem *Præfationis*, qua completa, subdet Orationes, *Deus cui, &c.*

Completis Orationibus Pontifex sedens cum Mitra tradit electo Regulam dicens, *Accipe*, illo ambabus manibus eam tangente, & recipiente; qua tradita, si Baculus non fuerit benedictus, Pontifex surgens sine Mitra illum benedicit, & sedens cum Mitra tradit Baculum Abbati coram se genuflexo ambabus manibus illum capienti, dicens, *Accipe Baculum, &c.* Ac deinde surgens sine Mitra benedicit Anulum, si fortè non sit benedictus. Sedens cum Mitra Anulum in digito anulari dexteræ manus Abbatis immittit, dicens *Accipe Anulum, &c.* Pontifex surgens, stansque sine Mitra dicit versus Abbatem coram se genuflexum orationem, *Te Omnipotens*, deinde completa oratione, accipit Abbatem ad osculum pacis, quod pariter faciunt Assistentes. De Mystico Anuli significato vide infra *in Disputat. de ornamentis Abbatis*, ubi omnium paramentorum, & vestium ejusdem habetur prædictus sensus; de traditione verò Regulæ videantur ea, quæ *in Ceremonia Benedictionis Abbatis Casinensis* dicta sunt, dum Summus Pontifex Abbati Regulam porrigit. 31

Pontifex in altari si Missa legatur, vel cantetur in faldistorio prosequitur Missam usque ad Offertorium inclusivè: Abbas verò cum suis assistentibus ad Capellam procedens pariter in suo Altari procedit ad Offertorium. Post Offertorium Abbas medius inter assistentes ducitur ad Pontificem sedentem ante Altare in faldistorio cum Mitra, & coram, eo genuflexus offert ei duo intortitia accensa, duos panes, & duo barrilia vino plena, manum recipientis reverenter osculando. Pontifex lotis manibus procedit ad Missam in altari, in qua dicitur secreta pro Abbate, cum secreta de die, sub uno *Per Dominum, &c.* Abbas verò in scabello sibi in loco congruo parato, medius inter suos Assistentes habens ante se Missale, genuflexus legit totam Missam, exceptis verbis consecrationis. 32

Dicta Oratione, *Domine Jesu Christe, &c.* Abbas accedens ad Altare ad dexteram Pontificis cum illo osculatur Altare, & accipit ab eo pacem, cui dicenti, *Pax tecum*, respondet, *Et cum spiritu tuo*, & ad suum scabellum rediens eodem modo, dat pacem suis Assistentibus. 33

Pontifex assumpto toto sanguine Abbatem ante se genuflexum communicat de corpore tantùm, deinde lavat manus, & prosequitur Missam usque ad finem, dicens cum Postcommunione diei propriam orationem pro Abbate, sub uno *Per Dominum, &c.* & in fine dat solemnem benedictionem. Abbas etiam in scabello suo perficit Missam. Completa Missa, reponitur faldistorium ante medium Altaris, & Pontifex cum Mitra in eo sedet; Abbas verò cum biretto in capite coram eo genuflectit. 34

Deinde Pontifex imponit ejus capiti Mitram, dicens, *Imponimus, &c.* & si non sit benedicta, stans sine Mitra eam prius benedicit: deinde extracto Anulo de manu Abbatis, imponit ejus manibus Chirothecas, & iterum Anulum, & si non sit benedictus, priùs illum benedicit. 35

Si Abbas benedictus sit in proprio Monasterio, pulsantibus campanis, Pontifex ducit eum ad Chorum, & statuens eum in sede sui prædecessoris, dat ei Baculum Pastoralem in manu sinistra, dicens, *Accipe plenam, &c.* Si verò benedictio fiat extra Monasterium, Pontifex statuit illum in faldistorio, quo ipse usus est dicens, *Ista in justitia, &c.* cujus loci verba quædam, Sancti Bernardi, *lib. 2. de consider.* ab Abbate animadvertenda sunt, ne in tanta honoris, & præeminentiæ gloria positus superextollatur, & laudabilem Pastoris humilitatem omittat; ait enim, *in altum positum* 36

non altum sapere difficile est, & omnino inusitatum, sed quanto inusitatius, tanto gloriosius: timor de adepta jam altitudine tadere magis facit, quàm placere ipsam altitudinem. Nulla splendidior gemma in omnis præcipuè ornatu Pontificis ipsa humilitate, quo enim celsior cateris, eo humanitate apparet illustrior, & se ipso.

7 Abbate sedente, Pontifex stans à dextris ejus, conversusque ad Altare, deposita Mitra, inchoat Hymnum, *Te Deum*, Cantoribus prosequentibus usque in finem: dictoque primo versu, surgit Abbas, & ab assistentibus cum Mitris associatus circumiens Ecclesiam, benedicit populo; Pontifex verò manet sine Mitra apud sedem. Quòd si Abbas fuerit in suo Monasterio rediens ad sedem suam, ibique sedens recipit omnes Monachos suos ad manus, & oris osculum, ipsis ei reverentiam exhibentibus; & completo Hymno, Pontifex stans sine Mitra à dextris Abbatis sedentis cum Mitra, dicit Versus, & Orationem *Exaudi, &c.* qua Oratione completa, Pontifex accipit Mitram, & procedit ad cornu Evangelii Altaris, adstantibus assistentibus sine Mitris.

38 Abbas cum Mitra, & Baculo ante medium Altaris solemniter benedicit populo; deinde ad cornu Epistolæ Altaris cum Mitra, & Baculo genuflexus, versus Pontificem dicit cantando, *Ad multos annos*, & Pontifex recipit eum surgentem ad osculum pacis: idem faciunt assistentes; ac deinde recedens cum assistentibus dicit Evangelium S. Joannis, *In Principio, &c.* Pontifex verò in Altari ipsum dicit submissa voce, & & apud sedem, vel faldistorium deponit sacras vestes. Abbas in sua Capella sacris vestibus depositis, Pontifici, & assistentibus gratias agit, & omnes in pace recedunt.

39 Præterea observandum est, quòd Capella Pontificis in omnibus debet solemnius ornari, quàm Capella electi, & si in illa majori fuerint sex cerei, in minori apponantur quatuor; si verò in majori fuerint quatuor tantum, duo in minori collocentur, ita ut minor semper sit numerus candelarum Capellæ minoris, quàm majoris; pariter, & in credentiis ornandis eadem differentia sit; decet etiam, ut paramenta pro Pontifice celebrante sint pretiosiora, pro Abbate verò minùs ornata, prout gradus, ac personarum distinctio requirere videtur.

40 Si electus Abbas fuerit professus, prout regulariter non nisi professus eligi solet: omnia, quæ circa Ordinem professionis sunt adnotata, prætermitti debent.

41 Si Missa cantetur, Pontifex in Principio osculabitur librum, & incensabit Altare; deinde in sede sua, si sit in propria Ecclesia, vel in faldistorio ad latus Epistolæ in aliena Diœcesi cum suis ministris dicit *Introitum*, & reliqua usque ad *Alleluja*: ibidem adstabit dum cantatur Evangelium, & in fine osculabitur librum, & incensabitur. Item post Offertorium thurificabit Oblata, & Altare, & incensabitur. Si verò Missa legatur, omittuntur incensationes, neque Pontifex osculabitur librum, & omnia quæ ad Missæ celebrationem spectant, in Altari leget.

Si electus in proprio Monasterio benedicitur, inthronizatur in choro in sede sui prædecessoris; si verò extra Monasterium in faldistorio, quo usus est Pontifex. Item in proprio Monasterio, dum dicitur, *Te Deum laudamus.* Postquam Ecclesiam introierit, benedicendo, accedentibus Monachis suis, eique reverentiam exhibentibus, recipit eos ad osculum oris. 42

Si Abbas electus non habeat usum Mitræ, non assistunt ei Abbates Mitrati, sed duo seniores sui Monasterii, vel alterius Superpelliceo, & Pluviali induti. Peracto examine antequam Missa inchoetur, dum sacris induitur, non accipit Sandalia, neque Crucem pectoralem, neque Tunicellam, & Dalmaticam: sed deposito Pluviali, & retenta Stola in modum Presbyteri, accipit tantùm Casulam, & ei assistunt duo seniores Superpelliceo, & Pluviali induti sine Mitra. In fine Missæ non datur Abbati Mitra, neque Chirothecæ, neque Anulus; & cum in sede collocatur, stat cum bireto, non tamen circuit Ecclesiam benedicens populo, sed dum dicitur Hymnus, *Te Deum laudamus, &c.* manet etiam in sede, seu faldistorio cooperto capite à principio Hymni, usque ad finem, recipitque Monachos, (dummodo in suo Monasterio existat) ad osculum pacis, & dum dicuntur Versus cum Oratione à Pontifice post Hymnum, sedet in faldistorio cum bireto, in fine non dat benedictionem solemnem populo, sed dicit, *Ad multos annos*, & sine Mitra. 43

Si sit benedicendus Abbas auctoritate Ordinarii omnia fiunt, ut supra, & electus insuper ab assistentibus ductus ante Pontificem prosternit se in terram ante Altaris medium, & Pontifex deposita prius Mitra, incipit Antiphonam, *Confirma hoc, &c.* quam Chorus prosequitur; sedens deinde cum Mitra dic- cum assistentibus Psalmum, *Exurgat Deus, &c.* & repetita Antiphona surgens deposita Mitra super electum Versus, cum Orationibus, ut in Pontif. Rom. *pag.* 165. quibus completis electus surgens coram Pontifice genuflectit, sed non litigat mandatum, sed primus assistentium rogat Pontificem, ut dignetur electum ordinare, unde factis à Pontifice (ut mos est) interrogationibus debitis, ut habetur in Pontific. Roman. *loc. citat.* Electus coram Pontifice genuflectit, & ante se tenet cedulam scriptam sigillo pendente, juramentum Pontifici Ordinario præstat, ut in Pontif. *loco cit.* habetur, & deinde cedulam illam Pontifici tradit, & præstito juramento surgens Pontifex sine Mitra, facit cum Electo confessionem, &c. ut in eod. Pontifical. Roman. *loco cit.* & in ead. Prax. Ceremon. Andr. Pisc. *loco cit.* 44

DISPUTATIO XII.

De duratione Abbatum, & aliorum Prælatorum Episcopis inferiorum.

Quæst. I. *Utrùm Abbates de jure divino, & communi sint perpetui.*
II. *Utrùm ex jure speciali Abbates sint perpetui, vel temporales.*
III. *An magis expediat, Abbatem esse perpetuum, quàm ad tempus.*
IV. *An Abbates seculares, & Commendatarii sint perpetui, vel ad tempus.*

QUÆSITUM I.

Utrùm Abbates de jure divino, & communi sint perpetui.

SUMMARIUM.

1 *Abbates perpetuos esse in jure communi positivè probari non potest, sed negativè*, num. 1.
3 *Mos antiquorum Monachorum eligendi Abbatem.*
4 *Generaliter dictum generaliter debet intelligi.*
5 *Abbates de jure communi per electionem creandi sunt.*
6 *Dignitates electiva perpetua censentur.*
7 *Perpetuus censetur, qui deponi non potest ab officio, non nisi certis de causis.*

DE jure divino nihil in hac materia in particulari, nec scriptum nec traditum ostendi potest. De jure autem communi dupliciter potest intelligi, Abbates esse perpetuos.

Primo modo positivè, seu definitivè. Secundo modo negativè tantùm. Primo modo, nullum jus reperitur positivè definiens, quòd Abbates perpetui sint; 1

quamvis enim, Navarr. *comment.* 3. *de Regul. n.* 3. affirmet Monasteriorum Prælatos secundum jus commune perpetuos esse debere, id probans per text. *in cap. nullam* 18. *q.* 2. tamen in eo text. non videtur aliquid positivè super hoc determinari; ibi enim nihil aliud statuitur, nisi ut non possint Monachi deponere Abbatem pro eorum arbitrio, aut alium creare, quando voluerint; per quæ verba non videtur determinari, Abbates perpetuos esse debere; quia etsi Prælatura sit ad tempus, non poterunt Monachi, juxta proprium arbitrium Abbates deponere, sed ii definito tempore à lege, seu statuto, vel ipso jure desinerent esse Abbates, & & Abbatiam renunciare tenerentur, & ad id cogi possunt juxta Constitutiones uniuscujusque Ordinis, & Congregationis.

2 Secundo modo, nempè negativè, verùm esse videtur de jure communi Religionum Prælaturas perpetuas esse; per illud enim jus non prohibetur, quin perpetuæ sint, aut temporales: tum quia in eo semper est sermo de tali dignitate, tanquam perpetua, immo quæ de illa statuit valdè perpetuitati congruunt ut videre est *toto titulo de statu Monach.* unde dictum *cap. nullam*, & si positivè non definiat Abbatum perpetuitatem, tamen eam videtur approbare, declarans, quòd postquam Monachi aliquem sibi in Abbatem creant, absolutè, & sine ulla temporis limitatione, talis Prælatus ita sit

3 perpetuus, ut nequeant eum inferiores deponere, & hic videtur fuisse mos antiquorum Monachorum, ut colligitur ex Regula S. Patriarchæ Benedicti *cap.* 2. *&* 64. ubi licèt expressè non dicatur, Abbatem perpetuum esse debere, tamen nullus ei terminus assignatur, sed tanquam de perpetuo ibi sermo est. Ex quibus colligitur, Abbatialem dignitatem de jure communi potiùs perpetuam, quàm ad tempus dici debere, licet enim non diffinitivè, tamen præsuppositivè de illa tanquam de perpetua loquitur. Unde gloss. *in d. c. nullam*, figurando casum, dicit, quòd quidam Monachi pro suo arbitrio deponere volebant Abbates, ac alios quandoque malos, sicut volebant, ordinabant; quare Papa Pelagius præcepit Opilioni defensori, ut de cætero Monachos talem licentiam habere non permittat, &c. Quapropter cum Papa non restringat ad aliquod tempus de-

4 terminatum, & indeterminatè, ac generaliter loquatur, ideo succedit Regula, quòd generaliter dictum, generaliter debet intelligi, *l. fin. C. de tot. promiss.* & ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus, *l. de pretioss. de public.* & non est recedendum à verbis legis, etiamsi lex sit perquam dura *l. prospexit ff. qui, & à quibus cap. in memoria* 19. *dist.*

Confirmatur; nam ubicunque in statuto generali habente scriptam rationem vel non aliquid cavetur, servari debet illud statutum, prout jacet ad literam, tunc enim non restringitur per ullam rationem, ita expressè probatur *in d. l. prospexit*, sed *in d. cap. nullam*, expressè Papa præcipit, quòd Monachi non possint deponere Abbatem, & ratio in eo *cap.* est expressa, ergo servandum est, prout jacet, & non est facienda distinctio, & taxatio.

5 Secundò probatur, quia de jure communi Abbates per electionem creandi sunt per *can. congregatio* 16. *q. ult. & can. Abbatem* 1. *&* 2. *& can. quàm sit necessarium* 5. *defuncto verò* 18. *q.* 2. *cum simil.*

6 At de jure communi dignitates, quæ sunt electivæ perpetuæ censentur, Panormit. *in cap. Monachi n.* 5. *vers. item nota, de statu Monach.* Joan. de Selva *de benef. part.* 3. *q.* 68. *n.* 2. Cassador. *decis.* 4. *n.* 3. ergo Abbatia de jure communi est perpetua.

7 Probatur præterea tertiò; nam generaliter perpetui censentur, qui deponi nequeunt, nisi certis de causis à jure concessis, gloss. *in clem. unica verb. per electionem de rescript.* Nicol. Miliss. *in Reper in verbo beneficium num.* 28. Anton. *in cap. porrecta ad finem de confirmat. utili*, quos refert & sequitur Azor. *instit. mor. p.* 2. *lib.* 3. *cap.* 1. *q.* 4. *vers. quintò dividitur.* Sed Abbates de jure communi deponi nequeunt, nisi certis de causis, *d. c. Monachi in fine*, & *ibi* Panorm. *n.* 8. *vers. in gloss. penult. ibi.* & *in c. cum ad Monasterium n.* 20. & *in cap. fin. n.* 3. *eodem tit de stat. Monach.* Ergo Abbates de jure communi sunt perpetui: & hæc de præsenti Quæsito.

QUÆSITUM II.

Virùm ex jure speciali Abbates sint perpetui, vel temporales.

SUMMARIUM.

1 *Abbas Cistercii, qui est Caput totius Ordinis eligitur à Conventu, & est perpetuus.*
2 *Abbatialis dignitas an hodie sit perpetua, vel ad tempus.*
3 *Institutionum genera tria sunt in Ecclesia Dei.*
4 *Id, quod sæpius fieri consuetum est, necessarium non arbitrarium dicitur.*
5 *Clausulæ in Bullis Apostolicis apponi solitæ omittantur, subintelliguntur in eis, & habentur pro expressis.*
6 *Papa si rescribat pro aliquo beneficiando, etiam motu proprio, non præsumitur velle aliter, quàm sit consuetum.*
7 *Dignitas Abbatialis de jure communi est perpetua, secus verò de jure speciali.*

De jure speciali, nempe particularium uniuscujusque Religionis Constitutionum, aliqua est super hoc in Monachorum Congregationibus varietas, & dissimilitudo; nam in aliquibus Generalis perpetuus est, ut in Congregatione Monachorum Cisterciens. in qua Abbas Cistercii, qui est Caput, & Generalis totius Ordinis, à Conventu eligitur, & electus, ac à Sede Apostolica confirmatus, ad vitam durat; similiter reliqui Abbates inferiores ejusdem Ordinis in Gallia. In Italia autem, & Hispania ejusdem Ordinis Abbates, tam Provinciales, sive Nationales, quàm inferiores, sive Locales ad tempus creantur, sicut & in aliis Monachalibus Religionibus; & in hoc modo creandi Abbates ad tempus, est etiam inter easdem Religiones nonnulla varietas: nam aliquæ ipsarum consueverunt per biennium, aliæ per triennium, aliæ per quadriennium Abbates creare, deinde Abbatias ab illis auferre, & aliis tradere. Itaque non potest statui certa conclusio hujus propositi Quæsiti; ideo ad speciales Constitutiones singularum Religionum recurrendum est. 1

Si tamen strictò jure loquamur, dicendum erit, Abbatialem dignitatem ex consuetudine ipsarum Religionum potius perpetuam esse, quàm temporalem. Nam est mos, & consuetudo Religionum Monasticarum ferè omnium, ut quem in Abbatem semel assumpserunt, nunquam nisi gravibus de causis, Abbatiali dignitate privent, sed licet illum uni Monasterio per spatium biennii, plùs, vel minus, juxta propria statuta præficiant; tamen, expleto tempore prædicto, vel in ejusdem Monasterii administratione illum confirmare, vel ad aliud transferre consueverunt, & ita observari solitum est in nostra Congregatione, ac etiam in aliis ferè omnibus. 2

Præsumendum est autem pro his, quæ diu agitata sunt in Ecclesia Dei, patiente, & tolerante Superiore, *c. constitutus*, & *ibi* Panorm. *de Relig. dom. &c. Ecclesiasticarum* 11. *dist.* & *ibi* Gloss. ubi habetur, quod tria sunt genera institutionum in Ecclesia, quædam in scripturis, quædam ab Apostolis tradita, & per successores confirmata, quædam verò sola consuetudine roborata, quibus omnibus par observantia debetur: alioquin si consuetudines in Ecclesia non servarentur, multum detrimentum pateretur. Sed quia videmus in Religionibus diu observatum fuisse, & adhuc observari, 3

Abbates

Abbates, qui præficiuntur in uno loco ad tempus de-
terminatum, transacto tempore, eosdem præfici in a-
lio, & hoc ſæpè ſæpius, dicendum eſt, id quod conſue-
tum eſt fieri non dici arbitrarium, ſed neceſſarium, ut
4 eleganter dicit Bald. *in l. quicunque C. de ſer. fug.* ideo
attendendum eſt, quod fieri ſolet; unde dixit Innoc.
in cap. olim in princ. de verb. ſignif. quem refert, & ſe-
quitur Panorm. *in cap. certificari in princ. de ſepulturis*,
quòd omnis diſpoſitio mundi, ſive lagalis ſive ultima-
rum voluntatum, ſive contractuum, recipit interpre-
tationem, & ſupplementum à conſuetudine, & ab eo,
quod fieri ſolet.

5 Hinc videmus, quòd omnes clauſulæ, quæ ſolent apponi in Bullis Apoſtolicis, ſi ſint omiſſæ ſubintelliguntur in eis, & habentur pro expreſſis, ita probat text. *in cap. accepimus*, & *ibi*, hoc notat Ant. de Butr. *de ætat. & qual.* & pro noſtra corroboratione facit text. *in l. magiſtratus*, & *ibi* notat hoc Bart. *ff. ad municip.* ubi probatur, quòd officia intelliguntur concedi ſecundum conſuetudinem.

6 Hinc etiam eſt, quòd ſi Papa reſcribat pro aliquo beneficiando, etiam motu proprio, non præſumitur tamen velle aliter, quàm ſit conſuetum; ergo ſi clericus ſecularis impetravit beneficium non ſolitum dari ſecularibus, non valet talis impetratio, etiamſi in Bulla ſit clauſula *motu proprio*: ita dicunt Bald. & Florianus de S. Petro *in l. fideicommiſſa §. ſi ſervo* per illum text. *ff. de leg. 3.* & bonus text. *in cap. cum beneficio de preben. lib. 6. & in cap. poſſeſſiones juncta gloſſa de rebus Eccleſ. non alien.*

7 Ex his ergo dicendum eſt, Abbatialem dignitatem de jure communi perpetuam eſſe; de jure vero ſpeciali in temporalem in multis Religionibus converſa eſt, ut in noſtra Congregatione Vallis-Umbroſæ, in qua Abbates perpetuò ſuarum Abbatiarum, & Cœnobiorum adminiſtrationem habuerunt usque ad tempora Innocentii VIII. ſub cujus Pontificatu in Congregationem uniri cœperunt, ac regimini Monaſteriorum, quibus ipſi in perpetuum præfecti erant, cedere in manibus Præſidentis Generalis, & Definitorum, ac viſitatorum ejusdem Congregationis, qui poſtea, eorum renunciationibus admiſſis dictis Monaſteriis eidem Congregationi aggregatis, ipſos ſic cedentes ad tempus, ſeu ad vitam, prout eis magis videbatur, præficiebant, quibus vita functis, alios eisdem Monaſteriis, qui ea ad tempus regerent, præficiebant, ut elicitur ex quadam *Bulla* Alexandri VI. *ſub dat. Romæ apud S. Petrum anno 1492.* in qua aſſeritur dictum Summum Pontificem, Innocentium VIII. confirmaſſe unionem Monaſterii SS. Trinitatis Florentiæ. Factum dictæ Congregationi, necnon conventiones inter ejusdem Monaſterii Abbatem, & Generalem, ac Definitores, & Viſitatores d. Congregationis adhibitas, & quia idem Summus Pontifex Innocentius gratia ſignata, & literis non confectis deceſſit: Alexander VI. illi ſuæ auctoritatis robur adjecit, confirmans omnia, quæ geſta erant. Idem habetur paſſim de nonnullis aliis Abbatibus, qui cùm perpetui eſſent, eorum regimini in manibus Generalis, & Definitorum ceſſerunt, à quibus iterum ad vitam Abbates creati ſunt, ſed poſt eorum obitum in eisdem Monaſteriis Abbates ad tempus triennii præfecti fuerunt, ut D. Sylveſtro de Benedictis Abbate Sancti Sepulchri de Aſtino extra, & propè muros Bergomi ejusdem noſtræ Congregationis habetur, in alia *Bulla* Alexandri VI. *ſub datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Domini 1492. 15. Kal. Februarii Pontificatus ſui anno 1.* quæ eſt in Archivio Vallis-Umbroſæ cum aliis ejusdem tenoris. Nunc verò Abbates ejusdem noſtræ Congregationis non ad triennium, ſed ad placitum Definitoris Monaſteriis præficiuntur.

QUÆSITUM III.

An magis expediat, Abbatem eſſe perpetuum, quàm ad tempus.

SUMMARIUM.

1 *Incommoda, quæ ex temporanea Abbatum duratione manare ſolent, enumerantur.*

2 *Humani moris eſt, illum vereri, cujus judicio, & voluntate, nunc erigeris, nunc deprimeris.*

3 *Abbates an in perpetuum potius, quàm ad tempus creari, expediat*, ut num. 4.

DE hac re fuſè tractat Navarr. *Commentar. 3. de Regul. n. 3. & lib. 3. conſil. ſubdit. de ſtat. Monach. conſ. 7. n. 8.* & ex eo Azor. *inſtit. moral. p. 1. lib. 12. c. 20. q. 21.* Mirand. *in man. Prælat. tom. 2. q. 7. art. 6.* Suar. *de relig. tom. 4. tract. 8. lib. 2. cap. 7. à n. 5.* Navarr. *de Comment. 3. n. 3.* ait, nunquam ſibi in animum cadere potuiſſe, animarum ſaluti expedire, quòd Abbates, & alii Regulares Prælati, qui ſecundùm jus commune, & Regulam perpetui eſſe debent, creentur ad tempus à Capitulis.

Ducitur ex incommodis, & vitiis, quæ inde regu-
lariter manare ſolent. Num ultrà quod ex temporanea 1
duratione fit, ut Abbates certo modo à ſubditis de-
pendeant, cum ab eis deprimi, & erigi poſſint, & per
conſequens fit, ut eorum auctoritas multum diminua-
tur, *cum humani moris ſit, illum vereri, cujus judicio
& voluntate nunc erigeris, nunc deprimeris, can. vi-* 2
ſis, 62. q. 2.

Inſuper movetur, quia ex hac temporanea Præfe-
ctura ambitionis vitium oritur, quòd Religionis pe- 3
ſtis eſt, ac Religioſorum oculos ſic excæcat, ut ſui ſtatus
obligationem non agnoſcant, ut dicitur *c. quorundam
de elect. lib. 6.* Ex qua ambitione Religioſæ diſciplinæ
nervus, & rigor relaxatur; dum eligi cupientes plura
diſſimulant, ut gratos habeant ſuffragatores, quibus a-
nimi gratitudinem declarare cupientes, majora, quàm
convenit, pollicentur.

Exoriuntur etiam ſubornationes, ſimulationes, diſſidia, factiones, & colluſiones, quæ fraternam pacem, & concordiam mirum in modum impediunt, ac perturbant, & alia hujusmodi, quæ latè proſequitur prædictus Navarr. *d. Com. 3. n. 3.*

Quibus fortè, & aliis ſimilibus incommodis proſpectis antiqui Religionum Inſtitutores ſtatuerunt, Abbates perpetuos creari. Favet etiam (ut ait Suar. *loc. cit.*) generalis Eccleſiæ conſuetudo, ut Epiſcopi, & alii ſecularium Eccleſiarum Prælati perpetui, & ad vitam durent, ita ut Epiſcoporum translationes regulariter ipſi Eccleſiæ diſpliceant. Utile enim cenſetur, eundem Epiſcopum in eadem Eccleſia perpetuò manere.

Unde colligitur, magis expedire, Prælaturas perpetuas eſſe, quàm temporales; non ſolùm, quia ex iſtis incommoda proveniunt; verùm etiam, quia ex perpetua duratione unius perſonæ in eodem officio utilitates, & commoda ſequuntur: tum quia ex majori conſuetudine, & quaſi perpetuo vinculo, major affectus generatur, tum quia homo majori cura ſuſcipit munus, in quo perpetuò eſt duraturus: tum etiam, quia longa experientia valdè confert ad benè, & cum providentia gubernandum. Non ſic autem in temporalibus Prælatis, qui quando incipiunt ſui muneris experientiam habere, tunc deficiunt, nec de rebus perpetuis nimium curant.

Verùm licet his rationibus ſuadeatur, magis expe- 4
dire, Abbates perpetuos eſſe, quàm ad tempus creari;
nihilominùs non deſunt etiam rationes, & conjectu-
ræ, quibus contrarium ſuaderi poſſit. Nam (ut ait
Suar. *d. cap. 7. num. 6.*) plus movere debet mutatio an-
tiquæ illius conſuetudinis, quàm ipſa antiqua con-
ſuetudo, cùm enim non in uno, aut altero loco, ſed
in omnibus ferè Religionibus, etiam iis, in quibus
antiquus, ac primarius fervor, ac regularis diſciplinæ

rigor observatur, hæc mutatio facta sit, indicat, eam non ex privato errore, aut imperfectione contigisse; sed quia experientia rerum magistra compertum est, tale regimen esse magis Religioso statui accommodatum. Præterea Summi Pontifices semper in hanc partem magis inclinarunt, ut Religionum Prælati, vel Prælatæ temporales sint, ut patet; sæpè enim illorum auctoritate, modus regiminis à perpetuo in temporalem, mutatus est, à temporali autem in perpetuum nunquam; immo potiùs temporaneus à majori in minorem annorum numerum limitatus, eorumque auctoritate abbreviatus est; ergo est signum, Apostolicæ Sedi hunc regendi modum Religioso statui magis convenientem videri. His, & aliis rationibus, & conjecturis hoc firmat Suarez *dicto num. 6.*

5 Ego vero in hac re aliorum judicio me remitto, nam res arbitraria est, & sine imprudentia, alterutra pars eligi potest; dummodo incommoda, quæ in unaquaque illarum contingere possunt, quantum fieri possit, evitentur. Illud unum scio, quod Religiones aliquæ antiquam Abbatum, & Prælatorum perpetuitatem rejecerunt, & illorum temporaneam creationem paucorum selectorum, utpote Generalis, & definitorum judicio tradiderunt; aliæ verò eamdem perpetuitatem adhuc retinent; quocumque modo sit, ad omnia evitanda scandala, & incommoda, quæ tam ex perpetua, quàm ex temporali duratione contingere possent, præcipit sacrosanctum Concil. Tridentinum *cap. 8. sess. 25.* ut fiant Capitula, & in eis statuantur necessaria, & opportuna ad conservationem, & regimen Ordinum, & Visitatores deputentur, qui Monasteria in capite, & membris visitent, & faciant illa servari secundum statuta, & notata *in cap. in singulis, & c. ea, quæ de stat. Monach.* Concil. Trident. verba sunt hæc: *Monasteria omnia, quæ generalibus Capitulis, aut Episcopis non subsunt, nec suos habent ordinarios Regulares visitatores sed sub immediata Sedis Apostolicæ protectione, ac directione regi consueverunt, teneantur infra annum à fine præsentis Concilii, & deinde quolibet triennio, sese in Congregationes redigere juxta formam constitutionis Innoc. III. in Concilio generali, quæ incipit: In singulis. Ibique certas regulares personas deputare, quæ de modo, & ordine de prædictis Congregationibus erigendis, ac statutis in eis exequendis deliberent, & statuant. Quod si in his negligentes fuerint, liceat Metropolitano, in cujus provincia prædicta Monasteria sunt, tanquam Sedis Apostolicæ delegato, eos pro prædictis causis convocare. Quod si intra limites unius provinciæ non sit sufficiens talium Monasteriorum numerus, ad erigendam Congregationem, possint duarum, vel trium Provinciarum Monasteria unam facere Congregationem. Ipsis autem Congregationibus constitutis; illarum generalia Capitula, & ab illis electi Præsides, vel Visitatores eandem habeant auctoritatem in eis commorantes, quam alii Præsides ac Visitatores in cæteris habent Ordinibus, teneanturque suæ Congregationis Monasteria frequenter visitare, & illorum reformationi incumbere, & ea observare, quæ in sacris canonibus, & in hoc sacro Concilio sunt decreta. Quod si etiam Metropolitano instante prædicta exequi non curaverint, Episcopis, in quorum diœcesibus loca prædicta sita sunt, tanquam Sedis Apostolicæ delegatis subdantur.* Hæc ibi. Quæ si mediocriter servarentur, & consequenter Prælati prodigi, & avari removerentur, suspenderentur, aut aliàs sufficienter punirentur, satis profectò temporariis bonis servandis, & regularium victui, & Ecclesiarum fabricæ, & ornatui simul, & pauperibus à perpetuis Præfectis virtutis amore, vel formidine pœnæ provideretur, juxta *l. 1. ff. de just. & jur. & cap. irrefragabili de offic. ordin.*

QUÆSITUM IV.

An Abbates Commendatarii, & alii seculares Prælati sint perpetui, vel ad tempus.

SUMMARIUM.

1 *Commenda ad tempus quæ dicatur.*
2 *Commenda perpetua quæ dicatur.*
3 *Commendatarius quando dicatur perpetuus.*
4 *Prælati seculares de jure perpetui sunt.*

DE Abbatibus Commendatariis egimus *in disput. de Commendis, & eorum origine*; ut autem nostrum institutum prosequamur, ideo præsens Quæsitum apposuimus. Priusquam igitur ad propositi dubii resolutionem deveniamus, necessarium esse duximus, Commendæ divisionem ponere, quæ est duplex, una temporalis, perpetua altera, ut in eadem disputatione *de Commendis* dictum est.

Temporalis est illa, quæ fit ad utilitatem Ecclesiæ, & non ad favorem Commendatarii, nam Commendatarius, in tali commenda est quasi Depositarius, & est Procurator ipsius Ecclesiæ, &, durante tali Commenda temporali, Ecclesia vacat, quousque eligatur Abbas per Capitulum. 1

Perpetua est illa quæ fit ad utilitatem, & favorem Commendatarii, & est in usu suo, & Ecclesia non dicitur vacare, dum durat utilitas hujus Comendatarii; & ratio est, quia talis Commendatarius dicitur Procurator cum legitima administratione. 2

Unde si commenda fit ad utilitatem, & favorem Commendatarii, ipse Commendatarius dicitur perpetuus. Hodiæ omnes Commendæ sunt perpetuæ, & Commendatarius dici potest, Prælatus, vel Abbas perpetuus. Si autem Commenda fit ad utilitatem Ecclesiæ: Commendatarius non solum non est perpetuus, sed neque potest dici Abbas, quia neque habet proprietatem, neque possessionem Ecclesiæ, sed dumtaxat detentionem; quia nihil aliud est, quam depositarius; ex quibus patet differentia inter Abbates Commendatarios perpetuos, & temporaneos. De Abbatibus, & 3 4
aliis Prælatis secularibus idem dicendum est, quod de reliquis Ecclesiasticis dignitatibus, & beneficiariis; qui de jure perpetui sunt, ut *in Disputatione de Beneficiis*, Deo dante, dicemus.

DISPUTATIO XIII.

De renunciatione, & dispositione Abbatum, & aliorum Prælatorum Episcopis inferiorum.

Quæst. I. *Utrùm Abbas Abbatiam renunciare possit, & in cujus manibus.*
II. *Utrùm Abbas ab Abbatia deponi, & removeri possit, & ex quibus causis.*
III. *Utrùm Abbati dari possit Coadjutor.*
IV. *An Abbas, qui renunciavit, vel depositus fuit ab Abbatia remaneat Monachus Monasterii, cui præfuit.*
V. *An Abbas possit suam Abbatiam in gratiam alicujus resignare.*
VI. *An Abbas possit suam Abbatiam resignare, reservato sibi regressu, & accessu & ingressu.*
VII. *An liceat resignare Abbatiam secularem, vel Commendam cum reservatione certa pensionis.*

VIII.

VIII. *Virùm Abbates, & Prælati Epiſcopò inferiores poſſint beneficiorum reſignationes recipere, nec non permutationes admittere, & approbare.*

QUÆSITUM I.

Virùm Abbas Abbatiam renunciare poſſit, & in cujus manibus.

SUMMARIUM.

1 *Beneficio regulariter quilibet renunciare poteſt.*
2 *Renunciare quilibet poteſt jure juri, & beneficio ſibi competenti, tã in ſpiritualibus quã in temporalibus.*
3 *Renunciare debet Abbas in manibus Generalis, vel alterius Superioris, qui aliàs illum invitum juſtis de cauſis deponere poteſt.*
4 *Infertur Epiſcopo, licèt conferendi poteſtatem habeat, non tamen poteſt beneficiorum reſignationes recipere, niſi id ſit ei ſpecialiter conceſſum.*
5 *Argumentum à poteſtate conferendi ad poteſtatem reſignationes recipiendi, & è contra non valet.*
6 *Reſignatio facta in manibus Vicarii non habentis ad id ſpeciale mandatum, non valet.*
7 *Abbatia, & Prælatura ſeculares inferiores, quæ à Papa conferuntur, in manibus ipſius Papæ reſignãdæ ſunt.*
8 *Abbatia, & Prælatura electiva in manibus Superioris poteſtatem confirmandi, & deſtituendi habentis, non autem Capituli, vel Conventus reſignandæ ſunt.*
9 *Renunciationes factæ in manibus non habentis poteſtatem inſtituendi, & deſtituendi, non nocent renuncianti, neque quoad poſſeſſionem.*
10 *Cauſæ enumerantur, ob quas Prælatus ad ſui officii renunciationem admittitur*, num. 10. & ſeqq. uſque ad num. 16. incluſivè.
17 *Promotus ad Abbatiam nequit beneficia priùs obtenta favorem renunciare, idem de Priore* n. 20.
18 *Abbatia, & Epiſcopatus æquiparantur.*
19 *Epiſcopatus aſſecutione vacant beneficia Eccleſiaſtica per promotum antea obtenta.*

1 REGULARITER quilibet poteſt beneficio renunciare, ut colligitur ex Joan. Andr. *in rubr. de renunciat. num.* 4. Bald. *in cap. cum omnes, num.* 24. *de conſtitut.* Rota *deciſ.* 26. *in fin. de procurator. & deciſ.* 31. *num.* 4. *de re judic. in antiq.* Boërius *deciſione* 205. *numero* 4. *& deciſ.* 308. & aliis apud Flamin. Pariſ. *de reſignat. benefic. lib.* 3. *quæſtione* 1. *in princip.* Quia quilibet poteſt renunciare ju-
2 ri, & beneficio ſibi competenti tam in ſpiritualibus, quàm in temporalibus, *l. ſi quis in conſcribendo C. de pact.* Archidiac. *in can. quàm periculoſum* 7. *q.* 1. *num.* 4. *& in canon. denique* 6. *quæſt.* 3. *num. etiam* 4. Alexand. *conſ.* 116. *num.* 2. *lib.* 3. Cardinal. Pariſ. *conſ.* 65. *num.* 24. *lib.* 2. Menochius *conſ.* 57. *num.* 15. *& conſ.* 84. *num.* 61. *vol.* 1. & alii. Et quod Abbates, Priores, aliique hujusmodi Prælati poſſint eorum Prælaturis renunciare, latè Flamin. Pariſ. *de eraſt. lib.* 2. *q.* 1. *num.* 63. *& pluribus ſeqq.*

3 Hujusmodi autem renunciatio fieri debet in manibus Generalis, vel Definitoris, aut alterius, qui habet poteſtatem inſtituendi, & deſtituendi ſimul invitum juſtis de cauſis; adeò ut fieri nequeat in manibus illius, qui jus conferendi tantùm habet, invitum autem deſtituere nequit. Gloſſ. *in Clement.* 1. *in verb. in manibus, de renunciat. & in clem. etiam* 1. *de rer. permut.* quam dicit ſingularem Cardinal. *in dicta clem.* 1. *quæſt.* 7. *de renunciat.* idem Cardinal. *in clem.* 2. *de pœn.* Innoc. *in cap. quod in dubiis. in fine, & ibi* etiam Panormitan. *n.* 3. *extra de renunciat.* Rota *deciſ.* 6. *num.* 2. *circa med. de rer. permutat. & deciſ. etiam* 6. *de renunciat. in novis*, Gabriel. *conſ.* 187. *num.* 4. *&* 5. *lib.* 1. Biſignet. *deciſ.* 5. *in fine de renunciat.* Gemin. *conſil.* 117. *in fin. verſ. ſecunda ratio.* Ægid. Bellamer. *deciſ.* 731. Pariſ. *de reſignat. benef. part.* 1. *lib.* 7. *q.* 15. *in fine.* Eraſm. à Chokier. *de juriſdict. ordinar. in exempt. p.* 4. *q.* 67. *in fin.* Rota *in Nolana Abbatia Junii* 1578. *& deciſ.* 529. *n.* 7. *p.* 4. *diverſor.*

Ex quibus infertur primò, quòd licet collatio alicujus beneficii ſpectet ad alium, quàm ad Epiſcopum, 4
puta ad ali quem Prælatum inferiorem: nequibit tamen ipſe reſignationes recipere, niſi etiam reſignationis receptio ſit ei conceſſa, Rota *deciſ.* 5. *&* 13. *de renunciat. in antiq.* Biſignet. *deciſ.* 2. *eodem tit.* Gabriel. *d. conſil.* 187. *ſub num.* 5. & alii, quia ex poteſtate conferendi non arguitur ad poteſtatem reſignationes recipiendi, 5
ſicut econtrà ex poteſtate reſignationes recipiendi non infertur ad poteſtatem conferendi, Rota, & Gabriel. *locis citatis.* An autem hujusmodi Prælati Epiſcopo inferiores poſſint beneficiorum reſignationes recipere, inferiùs dicemus.

Secundò infertur, reſignationem factam in manibus 6
Vicarii non habentis ad id ſpeciale mandatum, non valere. Calderin. *conſ.* 3. *de renunciat.* Staphil. *de liter. grat. tit. de reſignat. mod. & method. n.* 19. Rota *d. deciſ.* 529. *n.* 6. *p.* 4. *Diverſor.*

Tertiò infertur, Abbatias, & Prioratus, ac cæteras 7
Prælaturas ſeculares, quarum collatio, aut proviſio ad Summum Pontificem ſpectat, (de quibus ſuprà) reſignari non poſſe, niſi in manibus ſolius Papæ; quia illarum inſtitutio, & deſtitutio ad Summum Pontificem tantùm ſpectat, ſicut de Epiſcopatibus, & Superioribus dignitatibus docent Gloſſ. *in d. clem.* 1. & *ibi* etiam DD. *de renunciat.* Oſtien. *in Sum. eod. tit. ſub. num.* 8. *verſ. ſi verò renunciatur, & in cap.* 2. *num.* 8. ubi etiam Panormit. *num.* 7. *de translat. Epiſ.* cum aliis relatis per Flam. Pariſ. *de reſign. benefic. lib.* 7. *quæſt.* 11. *num.* 17. cum. pluribus ſeqq.

Quartò infertur, Abbates, & Prælatos, qui in Germania, vel alibi à Collegiis Canonicorum, vel monachorum Conventibus eliguntur, in manibus eorundem Collegiorum, vel Conventuum renunciare non poſſe eorum Prælaturis; quod ſi nihilominus id faciant, & Capitula, ſive Conventus ad electionem novi prælati procedant, electio ſic celebrata nulla erit; & Superior legitimus ut ſupra poterit hujusmodi Prælaturas, cui velit, conferre, absque eo, quod ad electionis ceſſationem priùs procedat, per ea, quæ in ſimili de Epiſcopo docet Navar. *conſ.* 2. *de renunciat.* 8

Quintò infertur, renunciationem factam in manibus 9
non habentis poteſtatem inſtituendi, & deſtituendi, nullam eſſe, nullumque renuncianti præjudicium inferre, etiam quoad poſſeſſionem. Rebuff. *de pacif. poſſeſſor. num.* 311. Rota *in d. Nolana Abbatia Junii* 1578. *coram Blanchetto & d. deciſ.* 529. *num.* 7. *part.* 4. *Diverſ.*

Cauſæ autem legitimæ, ob quas Prælatus ad ſui officii renunciationem admitteretur, ſine culpa, nonnullæ colligi poſſunt ex *cap. niſi cùm pridem, & ex cap. poſt translationẽ*, & *ibi notatis* per Doctores, *de renũciat.*

Prima cauſa legitima ad cedendum Prælaturæ, eſt 10
conſcientia criminis, quod tale eſſe debet, ut Ordinis executionem, poſt peractam pœnitentiam impediat; quæ autem ſint hujusmodi crimina, exemplificat Ant. de Butr. poſt Panormit. *d. cap. niſi cùm pridem, àn.* 3. *uſque ad* 8. *incluſivè.*

Secunda cauſa legitima ad dandam licentiam cedendi, eſt, quando Abbas, vel Prælatus eſſet ſenex, *d. cap. niſi cum priorem*, §. *alia verò*, ubi Anton. apud Panormit. *num.* 8 *de renunciat.* quod eſt intelligendum de illis ſenibus, qui ſunt adeò corpore debiles, ut nequeant rectè ſuo muneri ſatisfacere; quia juxta text. *d.* §. *alia verò. Interdum non plus hortatur ſenilis debilitas aliquem cedere, quàm moralis maturitas quæ in ſenibus eſſe ſolet, iqſum in ſuo ſuadet officio permanere*, unde qui dicantur ſenes in tali caſu, remittitur arbitrio Judicis, 11

Judicis, considerata personarum qualitate, propter complexionum diversitatem: consideratis etiam oneribus Abbatiæ, Menoch. *de arbitr. Jud. casu* 19. *num.* 3. Hamin. Paris. *de resignat. benefic. lib.* 5. *q.* 6. *num.* 8. Marc. Ant. Genuen. *in prax. Archiepisc. Neapol. c.* 53. *n.* 1. *in ult. edit.* D. meus August. Barbos. *de offic. & potest. Episc. p.* 3. *alleg.* 69. *n.* 32. Hic autem Judex erit ille Superior, in cujus manibus, & de cujus licentia renunciatio facienda est.

12 Tertia causa legitima cedendi Abbatiæ est infirmitas corporis, *d. §. alia causa*, quæ infirmitas frequens esse debet, adeo, ut volens renunciare non possit rectè suum munus adimplere, sicut de senibus dictum est; unde quis etiam dicatur valetudinarius, remittitur arbitrio Judicis juxta Menoch. *de arbitr. casu* 60. Marc. Ant. Genuen. & Barbos. *locis citatis.*

13 Quarta causa legitima esset defectus scientiæ, *d. c. nisi cum pridem. §. pro defectu*; notandum tamen, quòd Prælato competens scientia sufficit, nec propter carentiam eminentis datur legitima cedendi causa, ut notat idem Anton. de Butr. *loc. cit. n.* 10.

14 Quinta est, ut grave scandalum, quod aliter sedari non potest, vitetur, *d. cap. nisi cum pridem, §. pro gravi quoque.* Quia Prælatus sicut, & quilibet alius plùs æternam salutem, quam temporale commodum appetere debet: tum quia scandalum semper vitandum est, quando scilicet, absque æternæ vitæ periculo evitari potest; aliàs autem potiùs scandalum eligendum est, quàm sit omittendum bonum vitæ æternæ, ut ajunt Gloss. & Anton. de Butr. *in d. §. pro gravi quoque.*

15 Sexta causa est, quando Prælatus est corpore impeditus, & impedimentum esset tale, ut non possit præstare id, ad quod tenetur, Paris. *d. q.* 6. *n.* 32.

16 Septima causa est irregularitas, *d. c. nisi cum pridem, § persona verò.* ubi Anton. de Butr. latè id explicat *à num.* 14. *usque ad* 20. *inclusivè.*

17 Dubium est autem, utrùm promotus ad Abbatiam
possit in alterius gratiam renunciare beneficia, quæ ante obtinebat. Ad quod respondendum est negativè,
quia talia beneficia vacant ipso jure, statim post obtentam pacificam Abbatiæ possessionem, etiamsi non fuerit benedictus, Oldrad. *cons.* 14. Panormit. *in cap. quantò de offic. ord. & in c. cùm in cunctis, §. cum verò*, ubi
etiam Dec. *num.* 2. *de elect.* Gigas *de pension. q.* 56. *num.* 50. Rebuff. *tit. de mandat. Apostol. §. statuimus, vers. Monasteria in Concord.* Alphonsus Hojeda *de incompatib. benef. p.* 1. *c.* 5. *num.* 6. Eorum ratio est, quia
18 Abbatia, & Episcopatus æquiparantur, ut ex pluribus
juribus allegatis per Hojed. *d. p.* 1. *c.* 6. *num.* 5. nam
Abbatiæ sunt de majoribus dignitatibus, & speciali nota dignæ, ut resolvimus *suprà disput.* 1. *q.* 2. & 3. &
ideo sicuti per assecutionem Episcopatus vacat quodcunque Ecclesiasticum beneficium per promotum an-
19 tea obtentum, text. *in d. cap. cum in cunctis, §. cùm verò, de elect.* & *ibi* gloss. *in verb. ad quem Innocent.* Panorm. & communiter Doctores prout de communi
20 testatur Hojed. *d. tract. part.* 1. *cap.* 4. *in princ.* Paris.
de resignat. benefic. lib. 3. *q.* 1. *n.* 76. *& plurib. seqq.* ita per assecutionem Abbatiæ: & hoc, sive Abbatia sit secularis, sive Regularis, Hojed. *d. cap.* 5. *num.* 6. Paris. *loc. cit. num.* 99. & ea, quæ dicta sunt de Abbate, habent etiam locum in Priore Conventuali, nam promotus ad Prioratum in Regulari, vel Collegiata Ecclesia non potest renunciare in favorem beneficia priùs obtenta, quia vacant ipso jure, sicut beneficia promoti in Abbatem; ea enim, quæ locum habent in Abbate, vel Abbatia, militant etiam in Priore, & Prioratu, qui est principalis Prælatura in Ecclesia Regulari, vel Collegiata, & habet jurisdictionem quasi Episcopalem. Joan. de Selva *in tract. de benef. q.* 2. *num.* 53. Hojed. *d. p.* 1. *cap.* 6. *n.* 2. Paris. *d. q.* 1. *n.* 100 *& duobus seqq.* idem dicendum est de aliis Prælatis Episcopo inferioribus jurisdictionem quasi Episcopalem habentibus: eadem enim ratio militat.

QUÆSITUM II.

Utrùm Abbas ab Abbatia deponi, & removeri possit, & ex quibus causis.

SUMMARIUM.

1 *Abbates, & Prælati Regulares inferiores, qui ad vitam, vel ad certum tempus creantur, nequeunt, intra illud tempus, absque justa causa à Superioribus deponi.*
2 *Provisio facta ab habente potestatem eligendi simul & confirmandi, habet vim electionis, & confirmationis.*
3 *Deponi potest Abbas ab officio ex duplici causa, & quænam sit.*
4 *Dilapidatio bonorum Monasterii, vel negligentia in eorum administratione, est justa causa deponendi Abbatem.*
5 *Dilapidatio bonorum Monasterii non probatur ex eo, quòd Monasterium ære alieno gravatum reperiatur de tempore administrationis Prælati, de cujus depositione agitur.*
6 *Innocentia est sufficiens causa deponendi Abbatem.*
7 *Deponi potest Abbas inventus Regulæ prævaricator.*
8 *Prævaricator regulæ qui dicatur.*
9 *Ratio urgens majoris boni communis est justa causa deponendi Abbatem.*
10 *Ineruditio est sufficiens causa deponendi Abbatem.*
11 *Ineruditus non dicitur Abbas sciens benè legere, & benè loqui latinè.*
12 *Ineruditus non dicitur nesciens respondere interrogatoriis sibi factis.*
13 *Abbates quibus de causis deponantur apud Cistercienses.*
14 *Abbas deponi non potest, etiam in notoriis criminibus, nisi ei legitima priùs permittatur defensio.*

OLim Abbates ab Episcopo, in cujus Diœcesi Monasterium situm erat, deponebantur, ut colligitur ex Concilio Turonen. II. *cap.* 1. §. 7. ubi sic dicitur: *Episcopus nec Abbatem, nec Archipresbyterum, sine omnium suorum Compresbyterorum, & Abbatum consilio, de loco præsumat ejicere, neque per præmia alium ordinare: nisi facto Concilio, tam Abbatum, quàm Presbyterorum suorum, ut quos culpa, aut negligentia ejecit, cum omnium Presbyterorum suorum consilio re-
fatentur.* Nunc autem, postquam Religiones ab E- 1
piscoporum imperio solutæ sunt, Abbates, & Prælati Regulares inferiores, qui ad vitam, vel etiam ad certum tempus creantur, nequeunt intra illud tempus licitè, sine justa, & legitima causa, & pro solo arbitratu, à Superioribus suo munere privari, *cap. nullam* 18. *q.* 2. *cap. Monachi in fine*, ubi gloss. *verb. non mutentur*, & Panormit. *num.* 8. *de stat. Monach.* Suar. *de Relig. tom.* 4. *tract.* 8. *lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 25. Ratio est, quia electus, & confirmatus acquirit aliquod jus in Abbatia, & Prælatura, ad quam electus fuit. Similiter etiam provisus à Generali, vel aliis Superioribus Religionis Prælatis, ad quos id spectat; cùm provisio facta ab eo
qui habet potestatem eligendi simul & confirmandi eo- 2
dem jure, habeat vim electionis, & confirmationis Innoc. *in cap. cum olim de caus. poss. & propriet.* gloss. *in cap.* 1. *verb. provisionem, & in cap. ut circa, verb. electiones de elect. in* 6. & alii quos in simili adduximus in disputatione de confirmatione. Non potest autem quis jure, quod habet in aliqua re, sine justa, & legitima causa privari: esset enim contrà charitatem, & justitiam legalem; alia ratio esse potest, quia privare Religiosum Abbatia sine causa esset illi pœnam sine culpa imponere, quod absque dubio illicitum est.

Causa autem, propter quam Abbas ab Abbatia de- 3
poni

poni potest, duplex esse videtur: altera sufficiens culpa ipsius Abbatis; ob eam enim potest justè à Superioribus puniri, sed privatio officii justa pœna esse potest,
4 ergo, &c. Sufficiens autem culpa censeretur primò, si Abbas esset dilapidator bonorum Monasterii, & negligens in eorum administratione, *cap. si quis Abbas 18. quæst. 2. c. dictum, 81. dist. cap. quoniam 100. dist. cap. cum ad Monasterium, §. fin. de stat. Monach.* ubi gloss. *verb. negligens*, & Panormit. *num. 10.* idem Panormit. *in d. cap. 2. num. 6. & in cap. ult. num. 3. eod. tit.* Joan. Andr. *in cap. 1. de supplend neglig. Prælat.* Felin. *in cap. 1. num. 2. col. 2. de tregua, & pace.* Quod est intelligendum, ut procedat, quando negligentia esset magna, & supina, *cap. quidquid 1. quæst. 1.* gloss. *d. c. cum ad Monasterium, d. verb. negligens*, & Gloss. 3. *in cap. eaque, de offic. Archidiac.* Joan. Andr. & Felin.
5 *loc. cit.* Non probatur tamen dilapidatio bonorum Monasterii, ex eo, quòd Monasterium ære alieno gravatum reperiatur de tempore administrationis Prælati, de cujus depositione agitur; quia esse potest, quòd illud æs alienum fuerit contractum ex justa causa. Imo. *in cap. venerabilis, num. 23. de offic. deleg.* & fuit dictum per Rot. *in Tullen. seu nullius Senonen. Monasterii 29. Martii 1610. coram Card. Sacrato.* Sufficiens
6 etiam culpa censeretur, si Abbas incontinenter viveret: nam sola incontinentia absque alia delicti qualitate est sufficiens causa ad deponendum Abbatem; ita Panormit. *d. cap. 2. num. 6. de stat. Monach.* Item sufficiens
7 culpa censeretur, si Abbas invotus esset Regulæ prævaricator, *d. cap. cum ad Monasterium, d. §. fin.* Præ-
8 varicator verò est, qui Regulam prædicat, & eam non observat, vel qui exteriùs videtur Religiosus in habitu, intrinsecùs autem est lupus rapax; arg. *l. Athletas, §. penult. ff. de his, qui notant. infam. l. 1. ff. de prævar. Matth. 7. Attendite à falsis prophetis.* Vel dicitur prævaricator, qui falsas culpas subditis imponit; Joan. Andr. *super d. §. fin. n. 18.* Graff. *decis. aur. pars. 2.*
9 *lib. 3. cap. 23. num. 27.* Alia justa causa removendi Abbatem à sua Abbatia est aliqua urgens ratio majoris boni communis; cum enim Abbates non ad privatum ipsorum commodum, sed ad commune Religionis bonum ordinentur, & cum hujus communis boni cura, & jurisdictio ad illud tuendum proportionata, maximè ad supremos Religionis Prælatos pertineat, in eo casu sufficientem habent causam faciendi hujusmodi mutationem, & removendi Abbatem ab eorum muneribus, ita Panormit. *loco proximè citato*; & Suar. *d. cap. 2. num. 25.*

10 Est item sufficiens causa deponendi Abbatem, in-
11 eruditio, *cap. final. de ætat. & qualit.* toleratur tamen si sciat bene legere, & bene loqui latinè, Gloss. & DD. *in clem. 1. de concess. præbend.* Crescent. *decis. 12. eod. tit.* & in terminis de Abbate tradit Panormit. post Innocent. & Archidiac. *in cap. cum in cunctis, num. 4. vers. religiosi verò de elect.* & Rota *in d. Tullen. seu nul-*
12 *lius Monasterii coram Card. Sacrato.* Nec probatur ineruditio, ex quo quis nescit respondere interrogatoriis sibi factis; cum esse possit, quòd cum revolutione librorum sciat quærere veritatem eorum, quæ scire tenetur. Innoc. *in d. cap. cum in cunctis, num. 1. in fin.* Burr. *n. 10.* Abbas *num. 4. vers. mediocris verò de elect.* Rota *in d. Tullen. seu nullius coram Cardin. Sacrato.* Hæc autem intelligenda sunt, ut procedant per se, & de jure communi, quia ex specialibus singularum Religionum institutis, & consuetudinibus esse potest, ut aliter statutum habeatur; & ideo illa consulenda erunt.
13 Causæ autem, ex quibus Cisterciensis Ordinis Abbates deponi possunt, statutæ sunt à Clemente IV. in quadam ejus Constitutione *edita anno Domini 1265. 5. Idus Junii Pontif. sui anno 1.* incipit *Parvus fons*, in qua nonnullas ordinationes pro bono ejusdem Cistercien. Ordinis regimine posuit, habetur *in Bullar. novo Laërt. Cherub. tom. 1. Bulla 3.* d. Pontificis ejus verba ad propositum conducentia sunt hæc: *Et ne in Abbatibus prædicti Ordinis subtrahatur materia delinquendi, nec ipsi conqueri valeant, per eorum Abbates se indebitè fore gravatos; statuimus, & ordinamus, quòd Abbas subjectum sibi Abbatem deponere debeat pro causis dumtaxat inferiùs annotatis; videlicet, pro hæresi: pro simonia manifesta: pro immunditia carnali; pro dilapidatione sui Monasterii, enormiter alienando, vel dissipando bona: pro furto, homicidio, gravi sortilegio, solemni perjurio: pro conspiratione, & si falsarius fuerit literarum Summi Pontificis, vel S.R.E. Cardinalium, Principum, Episcoporum, vel Abbatum Ordinis supradicti; & si contra communia instituta ipsius Ordinis privilegia impetraverit, vel retinuerit, aut iis præsumpserit impetratis. In aliis autem casibus superiùs non expressis injungat eis Abbas, vel visitator, ut veniam petat in sequenti Capitulo Generali ad arbitrium ipsius Capituli, per depositionem, vel aliter puniendus. Depositus autem à regimine Abbatiæ, si sententia depositionis suæ apparuerit injusta, ex ordine, & ex causa restituatur per Generale Capitulum, & deponens ibidem recipiat talionem. Si verò circa hujusmodi depositionis sententiam in modo tantùm, vel in ordine sit erratum, causa depositionis legitima existente: tunc non restituatur depositus & deponens circa depositionem ad arbitrium dicti Generalis Capituli puniatur. In casibus quoque in quibus peracta pœnitentia, infamia remanet, depositus ineligibilis sit omninò; in illis in quibus post peractam pœnitentiam nulla infamia remanet, postquam impositam pœnitentiam peregit, eligibilis habeatur.* Hæc Summus Pontifex. Advertendum tamen
14 est, non posse Abbatem deponi etiam in criminibus notoriis, nisi ei legitima priùs permittatur defensio: ità statuit Leo X. *in Const. 7.* sacrosancto approbante Concil. Lateran. §. 7. quæ habetur *in tom. 1. Bullar.* Laërt. Cherub. cujus Constitutionis verba ad rem nostram sunt: *Et quoniam Episcopalem dignitatem tueri illæsam, & ne improborum impugnationibus, aut accusantium calumniis passim pateat, muniri par est; statuimus, ut nullus Episcopus, aut Abbas quovis instante, ac requirente, nisi sibi copia, & facultas legitimæ defensionis permittatur, etiamsi crimina fuerint notoria diligenterque partibus auditis causa plenariè probata fuerit, privari valeat.*

QUÆSITUM III.

Utrùm Abbati dari possit Coadjutor, & à quo.

SOMMARIUM.

1 *Coadjutorem Abbati olim dare poterat Episcopus, & in Monasteriis vacantibus Oeconomum constituere.*

2 *Coadjutor Abbatibus Regularibus dandus est à Generale, vel Diffinitorio.*

3 *Coadjutor Prælatis exemptis, datur à Papa, non ab alio inferiore.*

4 *Coadjutor cum futura successione à solo Papa constitui potest, nedum Episcopis, & aliis Prælatis exemptis, sed etiam aliis quibuscunque beneficiis inferioribus.*

1 DE jure communi Episcopus poterat Monasteriis, ac Regularibus Ecclesiis vacantibus Oeconomum constituere, ut notat Innoc. & Ostien. *in cap. ult. §. quòd si Abbas, verb. ac Monasterio, de stat. Monach.* poterat, necnon etiam dare Coadjutorem Abbati, ac ipsum à suo officio justis, ac legitimis causis intercedentibus removere, & illo amoto administratorem idoneum Monasterio constituere, qui bonorum temporalium curam gereret, quousque ipsi Monasterio de Abbate provisum fuisset, ut notat idem Ostien. *ibid.* Archid. *in cap. ult. num. 4. de offic. ordin. in 6.* & habetur in Synodo Nicena II. *can. 11. Act. 7.* prout refert

Renat. Choppinus *Monastic. lib. 2. tit. 3. sub. n. 7.* Verùm quia demum Sedis Apostolicæ privilegio Religiones ferè omnes ab Episcoporum, & aliorum Ordinariorum jurisdictione exemptæ fuerunt; ita potestas, quam ipsi Ordinarii in Regulares habebant, translata fuit in Superiores intra ipsas Religiones, idcirco quan-
2 do contingeret, aliqua de justa causa alicui Abbati Coadjutorem dari oportere, puta ex causa infirmitatis perpetuæ, *cap. 1. de cleric. ægrotant.* vel senii; tunc datio talis Coadjutoris spectaret ad Abbatem Generalem, sive ad Diffinitorium. In qua re, quemadmodum per privilegium Summorum Pontificum hæc provisio Coadjutoris, sicut, & tota alia Religionis administratio data est Religionis Prælatis; ita etiam eorum Prælatorum in hoc negotio decreta observanda sunt, & uniuscujusque Congregationis Constitutiones à Sede Apostolica approbatæ inspiciendæ.

3 Potest item dari Coadjutor Abbatibus, & Prælatis exemptis à Summo Pontifice, non tamen ab alio inferiori, ut de Coadjutoribus, qui dantur Episcopis, notant Gambar. *de offic. & potest. legat. tit. de Coadjut. n. 5.* Paris. *de resignat. lib. 7. q. 20. n. 4.* Campanil. *in divers. jur. Canonic. rubr. 7. cap. 6. num. 105. vers. est tamen.* Quarant. *in summ. Bullar. verb. Archiepiscopi auctoritas, num. 9.* Barbos. *de offic. Episcop. allegat. 50. n. 8.* quod intelligo de Coadjutore temporali, & revocabili;
4 quia perpetuus, & irrevocabilis, ac cum futura successione à solo Papa constitui potest, nedum Episcopis, aut aliis Prælatis exemptis, sed etiam aliis quibuscunque beneficiis inferioribus, ut notant Paris. *de resignat. lib. 6. q. 5. n. 15. & lib. 7. d. q. 20. n. 14.* Gonzal. *ad reg. 8. Cancell. gloss. 5. §. 9. n. 91.* Monet. *de distrib. quotit. p. 2.* In materia justificationis Coadjutoriæ monasterii datæ cum assensu Abbatis, & Monachorum. Vide pulchram decisionem *in Argentina Coadjutoria 21. Febr. 1631. coram R. P. D. Shisilerio quæ in fine operis est decis. 30.*

QUÆSITUM IV.

An Abbas, qui renunciavit, vel depositus fuit ab Abbatia, remaneat Monachus Monasterii cui præfuit.

SUMMARIUM.

1 *Abbas, qui renunciavit Abbatiæ, non remanet Monachus Monasterii, cui præfuit.* Contrarium num. sq.

3 *Abbas depositus ab Abbatia remanet Monachus Monasterii, in quo depositus fuit.*

4 *Depositus ab officio, præsumitur culpabilis.*

5 *Abbas ab Abbatia depositus, vel renuncians, hodie sub cujus obedientia remaneat.*

6 *Abbas, qui suo muneri sponte cessit, & ab eo sine culpa depositus fuit, habet primum locum post Abbatem in choro, & Conventu.*

7 *Dignitatis prærogativa, & privilegia retinentur dimisso officio, cui est annexa dignitas.*

8 *Beneficium per dignitatem quæsitum durat, etiam deficiente dignitate.*

9 *Dignitatis prærogativa, & privilegia amittuntur, quando quis deponitur ab officio, vel privatur dignitate propter aliquod delictum.*

10 *Dignitas cessat, dimisso officio, quod pretio, aut suffragio aliquo acquisitum fuerat.*

11 *Dignitatem propria virtute acquirens, plùs meretur, quàm qui pretio, aut suffragio aliquo illam adeptus est.*

12 *Nobilis propter feudum, quod pretio, vel suffragio acquisivit, si postea illud vendat, desinit esse nobilis.*

1 IOan. Andr. *in c. cum ad Monasterium, de stat. Monach.* tractans hanc quæstionem concludit cum Guid. Mutinen. Abbatem, qui renunciavit Abbatiæ, non remanere Monachum illius Monasterii, cui præfuit, sed sub obedientia Episcopi loci; ejus ratio est, quia jus Monachatus, & jus Abbatiæ sunt diversa: nam Monasterium obligatur Abbati, ut Patri, Monacho autem, ut filio; sed Monachus per promotionem ad Abbatiam cessit juri, & obligationi Monachatus, quod jus non potest de novo reviviscere, alio non interveniente, *cap. quarto, de consecrat. d. 4.* Joan. Andr. sequitur Federic. de Senis *consil. 19.* & Joan. de Lignan. *in clem. ne in agro de stat. regul.*

Quòd autem remaneat Monachus illius Monaste- 2
rii, ubi deponitur, vel renunciat, tenet Panormit. *in d. cap. cùm ad Monasterium, num. 13.* ubi plenè respondet rationibus in contrarium à Joan. Andr. adductis, & *ibi* etiam Anton. de Butr. idem tenet Bald. *in l. penult. ff. de Senato.* & Brixien. *in repertor. suo in verbo Abbas,* quos refert additio Panorm. *in d. cap. cum ad Monasterium verb. numquid Abbas lit. A.* & hanc ultimam opinionem procedere de æquitate, licèt prima procedat, de rigore juris, ait idem Panormit. *in d. cap. sicut ex literis 13. num. 1.* ubi etiam Felin. *col. 1. num. etiam*
1. aliis citatis, *de jurejurand.* Graff. *decis. aur. part. 2.* 3
lib. 3. cap. 23. n. 29. Horum ratio est, quia aliàs pejor esset conditio innocentis, quàm ejus, qui culpa caret; nam depositus ab Abbatia remanet Monachus in Monasterio, in quo depositus fuit, ut ibi pœnitentiam agat, secundum Abbatis judicium, & Regulam, secundum Ostien. *in d. cap. cum ad Monasterium.* quod colligit ex illis verbis text. *Depositum castigandum, secundum Re-*
gulam. Depositus autem ab officio præsupponitur 4
culpabilis *l. filius: §. Senator, ff. ad municipal. cap. at si clerici de judic. cap. super his, cap. qualiter il. 2. de accusat.* ergo si depositus remanet Monachus Monasterii, à cujus administratione deponitur, multò magis renuncians remanebit Monachus Monasterii, cui præfuit, quia renunciatio etiam sine culpa fieri potest.

Verùm hæc quæstio fortè olim locum habere po- 5
terat, quando Monasteria nondum erant sub uno capite simul congregata, nec efficiebant unum corpus Religionis, sed erant veluti diversa membra inter se divisa; nec dum etiam ab Episcoporum jurisdictione exempta erant; postquam autem omnia Monasteria unius Ordinis se in unum congregaverunt, unum Abbatem Generalem sibi præficiendo, cui cæteri inferiores Abbates subjecti sunt ab Ordinariorum jurisdictione immunes, & quælibet Religio, & Congregatio Religiosa unum tantùm Monasterium repræsentare videtur, cessat suprapicta proposita quæstio; est enim certum, quod Abbas ab Abbatia justis de causis depositus, vel sponte illi cedens remanet sub obedientia sui Generalis, vel alterius Superioris, in cujus potestate est, illum assignare in aliquo ex Monasteriis suæ Religionis ad ipsius Superioris arbitrium.

Notandum autem, quòd Abbati qui à suo munere,
& dignitate Abbatiali sine culpa depositus fuit, vel illis 6
sponte renunciavit, competit primus locus in Choro, & Conventu post Abbatem, in memoriam pristinæ dignitatis, ita Joan. de Lignano *in clem. ne in agro de stat. Monach.* & *ibi* Joan. de Imola *vers. in ult. quæst.* quos refert & sequitur Felin. *in cap. quæ in Ecclesiarum, col. 38. n. 81. de rescript.*

Et regulariter dimisso officio, cui est annexa digni-
tas, quis retinet prærogativas, & privilegia dignitatis 7
quamdiu vivit *l. 1. & l. eam legem, C. de excusat. muner.*
lib. 10. quia beneficium per dignitatem quæsitum du- 8
rat, etiam deficiente dignitate, *l. major dignitas, C. de dignit. lib. 12.* Gloss. *in l. eos qui verb. creverint,* & *ibi* etiam Joan. Plat. *C. de excusat. numer.* Bart. Salycet. & alii *in l. 5. C. de advocat. divers. judic.* cum aliis adductis, & Tiraquel. *in tract. cessant. caus. limit. 15.* Guido Papa *quæst. 377.* Boer. *decis. 246. n. 4. in 5. col. vers. quinimò videtur,* Buratt. *decis. 811. num. 2.* Rot. *decis. 70. num. 10. part. 1. divers.* ubi quòd in memoriam pristinæ

pristinæ dignitatis retinentur reliquiæ & vestigia quæ-
dam, hoc est nomen, seu honor, & prælatio honoris,
cum privilegiis immunitatis tertio non nocivis, sine ali-
quo exercitio præcedentis dignitatis. Rebuff. *in l. 1. C.
de proposit. sacr. cubic. lib. 12.*
9 Quod tamen non procedit, quando quis deponitur
ab officio, vel privatur dignitate propter aliquod deli-
ctum, *l. judices, Cod. de dignit. lib. 12. C. Senatorem, ff. de
Senator. l. final.* juncta Gloss. *verb. decurio, ff. de decu-*
10 *rion.* & patet ex superiùs dictis. Item non procedit, ubi
quis pretio, aut suffragio aliquo adeptus est hujusmodi
officium cum dignitate; tunc enim dimisso officio,
cessat etiam dignitas, & omnes reliquiæ, ita quod non
remaneant vestigia aliqua, *l. univers.* & *ibi* Bart. Joan.
de Plat. & Jacob Rebuff. *C. de legat. lib.* 10. idem Joan.
de Plat. *in d. l. eos, & in l. eam legem, in fine, C. de ex-
cusat. muner. lib. 12.* Roland. *cons. 66. num. 47. lib. 21.*
11 Rot. *d. decis. 60. sub num. 10. part. 1. divers.* Plus enim
meretur, qui virtute propria acquirit dignitatem, quàm
qui pretio, vel suffragio aliquo illam adeptus est, *l. 1.
& 2. ff. de offic. proconsul.* Bart. *in l. quod Principi, ff. de
delegat. 2.* Natt. *consil. 163. num. 24. & consil. 129. n. 8.*
12 Unde nobilis propter feudum, quod pretio, vel nau-
fragio acquisivit, si postea illud vendat, nihil retinet,
sed desinit esse nobilis. Tiraquell. *in tract. de nobilit.
cap. 7. in fine*, Rota *d. decis. 70. sub num. 10. part. 1.
divers.*

QUÆSITUM V.

*An Abbas possit suam Abbatiam in gratiam ali-
cujus resignare.*

SUMMARIUM.

1 *Renunciatio Ecclesiasticorum beneficiorum de jure Ca-
nonico libera, & sine ulla pactione esse debet.*
2 *Episcopo, & Prælato non licet successorem sibi nomi-
nare.*
3. *Resignationes beneficiorum in alterius gratiam co-
ram Romano Pontifice, de stylo Curiæ, admit-
tuntur.*
4 *Commendatarius an possit beneficium sibi commenda-
tum in alterius gratiam resignare.*

1 DE jure Canonico renunciatio beneficiorum Ec-
clesiasticorum libera, & pura sine ulla pactione
esse debet *cap. ex parte lo primo* cum gloss. *ibi in verbo
omnino, de offic. deleg.* quia cum quis suum beneficium
renunciat ea conditione, ut alteri conferendum sit,
videtur successorem in beneficio constituere, & no-
minare, qui modus in nullo Prælaturæ, aut dignitatis
vel beneficii Ecclesiastici genere usu receptus est; ne
Ecclesiastica beneficia quasi testamento legari, vel re-
linqui viderentur, quod maximè sacri Canones abhor-
rent ad præcavenda pericula, quæ facilè evenirent, si
quilibet secundùm proprium affectum successorem si-
2 bi nominare, & eligere posset. Unde in Concilio An-
tiocheno relato *in can. Episcopo, 8. q. 1.* statutum est:
*Episcopo non licere pro se alterum successorem sibi con-
stituere, licèt ad exitum vitæ perveniat, quod si tale
aliquid factum fuerit, irritum sit hujusmodi consti-
tutum.* pro Abbatibus in Concilio Cabilonen. *cap. 1.
§. 12.* super hac materia, ita statutum reperio: *Si qui-
libet Abbas elegerit successorem, ipse, qui sic eligitur,
de facultatibus ipsius Monasterii, ad regendum nullam
habeat facultatem*; idem habetur ex pluribus aliis ju-
ribus seqq. ex quibus, & aliis similibus expresè perci-
pitur, quàm sit sacris Canonibus exosa, hæreditaria
successio in beneficiis Ecclesiasticis, nec non etiam
omnia ea, quæ hæreditariæ successionis imaginem, ac
speciem præseferunt.
3 Verùm de stylo, & usu Curiæ Romanæ introdu-
ctum est, ut coram Summo Pontifice hujusmodi re-
signationes fierent, & admitterentur, sub ea conditio-
ne, ut beneficia Titio conferantur, addito in renun-
ciatione ab eo, qui renunciat, se non aliter, nec alio
modo renunciare, quàm si Titio conferantur. Ut
scribit Cassador. *decis. ult. de renunciat. & decis. 2. de
simon.* Covar. *var. resol. lib. 1. cap. 5. sub num. 5.* Azor.
instit. moral. part. 2. lib. 7. cap. 21. quæst. 1. Abbatia au- 4
tem, seu beneficium ad tempus alicui commendatum
in alterius gratiam, & favorem à Commendatario re-
signari non potest, quia jus, & titulum in Abbatia non
habet, sed solam administrationem quam poterit et-
iam coram loci Ordinario dimittere, quia tunc licèt
nullum jus, aut titulum à se abjicit, deponit tamen
simplicem illam curam, & administrationem, quam
habebat. Si vero Abbatia ei in perpetuum commen-
data sit, saltem durante ejus vita, poterit illam in ma-
nibus Summi Pontificis, etiam in favorem alicujus re-
signare, quia Commendatarius ad vitam jus habet in
Abbatia, sicut obtinens beneficium in titulum, ita
Azor. 2. *part. inst. moral. lib. 7. cap. 25. q. 10.* Semper
autem Abbatiæ, Prioratus, qui Consistoriales dicun-
tur, & alia hujusmodi beneficia commendata, quæ
Sedi Apostolicæ reservata sunt, coram Summo Ponti-
fice resignari debent, si resignatio fiat alterius gratia,
& favore, quia cum sint reservata provisioni, & colla-
tioni Apostolicæ, ab inferioribus in eis manus imponi
non possunt. Azor. *d. cap. 25. q. 2. & 9.*

QUÆSITUM VI.

*An Abbas possit suam Abbatiam resignare, reser-
vato sibi regressu, accessu, & ingressu.*

SUMMARIUM.

1 *Regressus, accessus, & ingressus, qui dicantur.*
2 *Regressus, accessus, & ingressus sublati, & quare.*
3 *Regressus, accessus, & ingressus quare inventi.*
4 *Renuncianti non datur regressus ad jus, cui renun-
ciavit.*
5 *Regressus, &c. potest Summus Pontifex ad sui libitum
concedere.*
6 *Regressus, accessus, & ingressus in Curia dantur pen-
sionario, ob non solutam pensionem.*
7 *Regressus, qui petitur ob non solutionem pensionis
est pœnalis, & odiosus, nec habet locum, nisi quan-
do titularis est nimis pertinax in solutione pensio-
nis.*
8 *Pertinacia nimia, & protervia titularis ad effectum
regressus probatur ex eo, quod per triennium dis-
tulit solvere pensionem, & declaratus censuras
sustinet.*
9 *Regressum ad evitandum Rota facilè solet admittere
purgationem moræ.*
10 *Regressus pro canonizatione prima citatio contra ti-
tularem debet fieri personalis.*

PRo hujus quæsiti intelligentia sciendum est, quòd 1
quando coram Romano Pontifice aliquis benefici-
um suum in alterius gratiam, & favorem resignat, so-
let resignans impetrare à Papa facultatem, qua certis
de causis possit ad beneficium resignatum regredi, &
hic dicitur regressus, qui nihil aliud est, nisi jus, ad
cessum, vel dimissum beneficium, vel illius jus in
quodam eventu revertendi; regredi enim est, redire
ad locum, à quo quis discesserat. Et hoc jus triplici-
ter nominatur: nempè regressus, accessus, & ingres-
sus. Regressus conceditur, quando traditur resignan-
ti facultas, ut si resignatarius præmoriatur, possit ipse
resignans propria auctoritate ad beneficium dimissum,
quod ante resignationem legitimè possidebat, redire.
Est enim ad regressum necesse, ut is, cui conceditur
beneficii possessionem antea obtinuerit. Accessus ad
beneficium tunc reservatur, cum alicui sit potestas
intrandi, seu adipiscendi beneficium, vel illius posses-
sionem, quam antea nunquam habuerat. Ingressus
reser-

reservatur beneficium resignanti, cum quis cedit beneficio, cujus titulum, & jus canonicè obtinuerat, sed non dum erat possessionem adeptus, & datur ei facultas, ut si resignatarius præmoriatur, beneficium dimissum ipse propria auctoritate accipiat, & illius possessionem adeat, latè de his Rebuff. *in prax. benefic. part. 3. tit. de regressib.* Mandos. *de signat. gratia verb. regressus, & accessus,* Azor. *instit. moral. part. 2. lib. 7. cap. 21. quæst. 2.*

2 His ita notatis dicendum est; quod hodie præter Constitutionem Pauli IV. quæ incipit, *Ad Romani Pontificis*, in qua irritantur regressus, & accessus Cardinalibus concessi ad plures Ecclesias Cathedrales, & Metropolitanas: & præter id, quod decernitur in Conc. Trid. *sess. 25. de reform. cap. 7.* extat etiam Bulla Pii V. quæ incipit, *Romani Pontificis Providentia*, in qua omnes regressus, accessus, & ingressus sub quibuscunque formis, & quibuscumque personis, & quomodocumque concessi tolluntur, & à Summis Pontificibus irri-
3 tantur; tum quia jure communi introducti non sunt, nisi in utilitatem, & cautelam resignantium beneficia inventi: quia de jure communi cedenti, seu renun-
4 cianti non datur regressus ad jus, cui renunciavit. juxta text. *in l. quæritur, ff. de ædilit, edict. cap. quam periculosum*, juncta gloss. *7. quæst. 1. cap. sic illis 25. quæst. 4. cap. eos ext. de pact.* notat Paris. *cons. 5. num. 165. vol. 4.* tum etiam, ut omnis in beneficiis, & commendis obtinendis removeatur ambitiosa cupiditas, & ut quædam, (ita ut dicam) hæreditariæ successionis species auferatur, & ne Ordinariis facultas in conferendis beneficiis minueretur; ita docet Mandos. *in prax. sign. grat. tit. regressus, & accessus, §. regressus, & accessus, ex decreto Pauli IV. §. seq.* Azor. *instit. moral. part. 2. lib. 7. cap. 21. quæst. 3. & 4.*

5 Verùm Summus Pontifex ad sui libitum regressus, & accessus, & ingressus ad beneficia concedere potest; ipse enim in beneficialibus est Dominus absolutus, *cap. cuncta per mundum, 9. quæst. 3.* gloss. fin. *in cap. de præbend. in 6. notat.* Mandos. *loc. cit. vers. non tamen negaverim.*

6 Item, adhuc in Curia Romana regressus, & accessus, & ingressus conceduntur pensionario, si ei temporibus statutis debita pensio non solvitur; quia hujusmodi regressus, accessus, & ingressus non fuerunt per Concil. Trident. neque per constitutionem prædictam Pii V. sublati, nec etiam omnes alii jure communi subsistentes, ut de regressu, qui habetur *in cap. si benefic. de præbend. in 6.* ut notat Azor. *dict. cap. 21. quæstione 5.* & latè explicat Paris. *de resignat. lib. 6. quæst. 5. num 110.* Lotter. *de re beneficiar. lib. 1. quæst. 40. num. 266.*

7 Notandum autem in hac materia, quod regressus, qui petitur ob non solutionem pensionis, dicitur esse pœnalis, & odiosus, & ideo nunquam habet locum, nisi quando titularis est nimis pertinax in solutionis pensione, Gig. *de pensionibus, quæst 93. num. 19.* Cassad. *decis. 2. num. 3. vers. quod procedit etiam de locat.* Paris. *de resignat. d. lib. 6. quæst. 6. num. 15.* & firmavit Rota *in Cæsaraugustana pensionis 13. Novembris 1591, coram D. Cardin. Pamphilio Seniore*, apud Marches. *de commiss. part. 1. fol. 567.* & *in Salamantina beneficiorum 7. Aprilis 1617. coram bon. mem. Franc. Ubaldo, & in Neapolitana Parochiali 3. Junii 1628. coram Eminen-*
8 *tiss. D. Cardin. Ubaldo.* Censetur tamen titularis nimis pertinax, si per triennium differt solvere pensionem, & declaratus censuras sustinet, surda aure pertransiens per menses, & annos. Paris. *dict. lib. 6. quæst. 3. num. 14.* & firmavit Rota *in Bracharen. Thesauraria*
9 *22. Junii 1629. coram R. P. D. Pirovano.* Verùm Rota facilè solet admittere purgationem moræ ad effectum evitandi regressum, ut *in dicta Cæsaraugustana pensionis coram Card. Pamphilio*, & *in dicta Salamantina beneficiorum coram Ubaldo*, & *coram eod. in Messanen. regressus 24. Januarii 1622.* & *in dicta Neapolitana Parochialis coram Eminentiss. Cardinali Ubaldo*, in qua
etiam fuit dictum, quod pro canonizatione regressus 10
prima citatio contra titularem debet fieri personalis.

QUÆSITUM VII.

An liceat resignare Abbatiam, cum reservatione certa pensionis.

SUMMARIUM.

1 *Pensionem super beneficii redditibus justa de causa imponi de jure communi licitum est.*
2 *Pensio in vitæ subsidium, & alimentorum gratia assignata censetur in piam causam imposita.*
3 *Pensio etiam super beneficiis commendatis imponi potest.*
4 *Pensio super Abbatiis Consistorialibus Ordinariorum imponi nequit.*
5 *Ad impositionem pensionis requiritur major auctoritas, quàm ad conferendum beneficium.*

DE jure communi licitum est, ut ex justa causa 2
pensio ex beneficii redditibus solvenda imponi possit, *cap. ad audientiam 2. de rescript. cap. quamvis de præbend. in 6. cap. conquerente de Cleric. non resid.* & *ibi* Doct. Sed præter prædictum jus commune, introductum est etiam, ut spontè dimittenti beneficium pensio reservetur, vel quando vacat beneficium conferatur uni, alteri verò detur pensio ex fructibus beneficii jam collati solvenda: quæ pensio cum concedatur in
vitæ subsidium, & alimentorum gratia, censetur in 3
piam causam imposita. Dec. *cons. 72. incip. viso puncto, ante num. 3. & cons. 120. incip. & pro tenui, ferè per tot.* Mandos. *de signat. grat. verb. pension. §. pensio aut conceditur.* Quòd autem talis pensio imponi etiam possit super Abbatiis, & cæteris beneficiis commendatis, ex eo probari potest; quia beneficia in perpetuum commendata censentur, æquè ac beneficia in titulum collata, Præposit. *in cap. 2. num. 4. & 5. 1. quæst. 3.* Anan. *in c. non satis de Simon.* Gambar. *de off. deleg. lib. 6. n. 154.* Sed, de stylo Curiæ, beneficio in titulum collato pensio constituitur, ut omnes fatentur; ergo & in Abbatia commendata.

Hìc autem notandum, quòd Abbatiæ Consistoria- 4
les, quarum Abbates à Sede Apostolica suarum electionum confirmationem obtinere habent, loci Ordinariorum jurisdictioni non subsunt, & ideo super iis pensiones auctoritate Ordinariorum imponi nequaquam possunt; quia id esset actus jurisdictionis Episcopalis, cui præfatæ Abbatiæ minimè subjiciuntur.

Præterea hoc magis confirmatur; quia ad pensio- 5
nis impositionem major auctoritas requiritur, quàm ad beneficium conferendum; cum hoc sit juri communi conforme, illud verò contra *tit. ut Ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur*; sed Abbatiæ Consistoriales à Sede Apostolica conferri debent (propter hoc enim Consistoriales dictæ sunt, quia in Consistorio à Summo Pontifice providentur) ergo, &c. de qua re latè Franciscus Zypæus *in 3. lib. Juris Pontificii Novi controvers. 2. & 3.*

QUÆSITUM VIII.

Utrùm Abbates, & Prælati Episcopo inferiores, possint beneficiorum resignationes recipere, nec non permutationes admittere, & approbare.

SUMMARIUM.

1 *Instituendi jus habens an possit recipere resignationes beneficiorum, ad quæ potest instituere.*
2 *Resignatio habet vim destitutionis.*
3 *Prælati inferiores non exempti nequeunt beneficiorum resignationes recipere.*

4 Præ-

4 *Præſcribens facultatem conferendi beneficia, non præſcribit facultatem deſtituendi illos, quos inſtituit.*
5 *Præſcriptum tantum cenſetur, quantum poſſeſſum.*
6 *Prælati exempti jurisdictionem Epiſcopalem habentes poſſunt beneficiorum reſignationes recipere.*
7 *Epiſcopi poſſunt beneficiorum reſignationes recipere.*
8 *Inſtituere, & deſtituere eſt jurisdictionis.*
9 *Prælati inferiores exempti jurisdictionem Epiſcopalem habentes dicuntur Ordinarii.*
10 *Eccleſias pleno jure ſubjectas habere quid ſit.*
11 *Reſignationes conditionales, & ad favorem certæ perſonæ coram Ordinario admitti nequeunt, ſed fieri debent coram Papa.*
12 *Permutatio beneficiorum Superioris auctoritate fieri debet.*
13 *Superior cujus auctoritate beneficiorum permutatio fieri debet, intelligitur Epiſcopus.*
14 *Abbates, & Prælati Epiſcopo inferiores exempti jurisdictionem Epiſcopalem habentes poſſunt beneficiorum permutationes admittere, & approbare.*
15 *Prælati inferiores non exempti poſſunt beneficiorum permutationes approbare, ſi hanc facultatem præſcriptione acquiſierint.*

1 QUoad primum hujus quæſiti partem notandum eſt, quòd regulariter habens jus, & poteſtatem inſtituendi in beneficio, habet etiam facultatem recipiendi reſignationem illorum beneficiorum, ad quæ poteſt inſtituere. Ita Anton. de Butr. *in cap. 2. num. 3. de in integr. reſtit. & in cap. ad audientiam, num. 6. de his quæ vi, metuve cauſ. fiunt, & in cap. quod in dubiis, num. 11.* ubi etiam Compoſtell. *de renunciat.* & alii, quos refert Flamin. Pariſ. *de reſignat. benefic. lib. 7. q. 1. num. 2.* quod eſt intelligendum, ſi ille, qui poteſt inſtituere, poteſt etiam beneficiarios invitos juſtis de cauſis deſtituere: aliàs non poterit hujusmodi reſig-
2 nationes recipere, quia reſignatio habet vim deſtitutionis: per eam enim renuncians deſinit eſſe intitulatus, & beneficiatus. Sic docent Panormit. *in dicto cap. quod in dubiis, num. 6. & in cap. cùm ex injuncto num. etiam 6. de hæretic.* Rota *deciſ. 6. propè med. de renunciat. & deciſ. etiam 6. num. 2. de rer. permut. in nov.* Gabriel. *conſ. 187. num. 4. lib. 1.* & alii.

3 His poſitis, pro ſolutione quæſiti, dico primò; Abbates, & Prælati Epiſcopo inferiores non exempti nequeunt beneficiorum reſignationes recipere: quod eſt certum, & clariùs patebit ex inferiùs dicendis; & ideo licet horum aliqui præſcripſerint facultatem conferendi beneficia, non tamen potuerunt eorundem reſignationes recipere; niſi hanc etiam facultatem præſcripſerint, ut docent Zabarell. *in clem. 1. ſub num. 16. verſ. aliquando de renunc.* Ant. de Butr. *in d. cap. quod in dubiis, num. 7.* Panormit. *dict. cap. cùm ex injuncto, §. ult. num. 3.* Rebuff. *in prax. tit. forma viſit. num. 108.* & alii apud Flamin. Pariſ. *dict. lib. 7. quæſt. 10.*
4 *num. 9.* Quia præſcribens facultatem conferendi beneficia non videtur præſcribere facultatem removendi, vel deſtituendi illos, quos ipſe inſtituit. Et licèt regulariter qui poteſt inſtituere, poſſit etiam deſtituere: *cap. 1. & 2. de capell. Monach. cap. cum & plantare,*
5 *§. & in Eccleſiis, de privileg.* tamen hoc non habet locum in præſcriptione, in qua eſt Regula, quod tantum præſcriptum, quantum poſſeſſum. Gloſſ. *in cap. auditis, in verb. interruptione, de præſcript.* Alexand. *conſ. 120. in fine, lib. 4* Cardin. Pariſ. *conſ. 114. col. penult. vol. 1.* & alii.

6 Dico ſecundò, Abbates, & Prælati inferiores exempti Epiſcopalem jurisdictionem habentes poſſunt beneficiorum reſignationes recipere. Probatur primò, quia qui poſſunt deſtituere, poſſunt etiam beneficiorum reſignationes recipere, ut ſupra diximus; ſed Abbates, & Prælati exempti poſſunt deſtituere, Cardinal. Pariſ. *conſ. 22. num. 14. vol. 4.* & hoc importat jurisdi-
ctio Epiſcopalis quam habent. Secundò probatur, 7
quia ſicut Epiſcopi poſſunt beneficiorum reſignationes admittere, ut probatur *in cap. admonet de renunciat. & in clem. multorum de pœn. & in cap. 1. de rer. permut. in 6.* notant Zabarell. *in cap. dilectis, num. 1. de præbend.* Panormit. *in dict. cap. admonet,* Rebuff. *de pacif. poſſeſſor. num. 104.* Fuſch. *de viſitat. lib. 2. cap. 10.*
num 19. & cap. 28. num. 11. ita etiam Abbates, & Præ- 8
lati exempti, de quibus loquimur: inſtituere enim, & deſtituere, eſt jurisdictionis, non Ordinis Epiſcopalis, ut conſtat.

Tertiò, quia hujusmodi Abbates, & Prælati dicun- 9
tur Ordinarii, ut probavimus *in 1. diſputat. quæſ. 4.* & habent Eccleſias ſibi pleno jure ſubjectas, adeò quòd in illis Epiſcopus ſe intromittere nequit. At habere Ec-
cleſias pleno jure ſubjectas, idem eſt, ac habere in eis 10
poteſtatem inſtituendi, & deſtituendi, viſitandi, & corrigendi, Card. Pariſ. *d. conſ. 22. & conſ. 35. n. 9. vol. 4.* Prædicta intelliguntur de reſignatione pura, & ſim-
plici: nam reſignationes conditionales, & ad favo- 11
rem certæ perſonæ coram Ordinario admitti nequeunt, ſed fieri debent coram Papa. *Sarnen. de triennal. quæſt. 16.* Mandoſ. *reg. 19. de infirm. quæſt. 16. num. 11.* cum aliis per Garz. *de benef. part. 11. cap. 3. num. 152.* Rot. *in Gerunden. beneficii 16. Junii 1628. coram R. P. D. Pirovano.*

Quoad ſecundam quæſiti partem, certum eſt, quòd 12
beneficiorum permutatio Superioris auctoritate fieri debet, *cap. quæſitum, & cap. penult. ext. de rer. permutat.* Navarr. *conſ. 42. num. 1. tit. de ſimon.* Coraſ. *de benefic. part. 1. cap. 9. num. 2.* Ugolin. *de ſimon. tab. 1. cap. 27. §. 2.* Leſſ. *de juſtit. lib. 2. cap. 34. num. 196. & cap. 5. num. 10.* Azor. *moral. inſtit. part. 2. lib. 7. cap 29. quæſt. 3. 4. & 18.* latè Suarez *de relig. tom. 1. tract. 3. de ſimon. lib. 4. cap. 32. per tot.* Garc. *de benefic. part. 11. cap. 4. n. 56.* Joan. à Chokier. *de permut. benefic. cap. 2.* & alii.

Quòd autem hic Superior intelligatur Epiſcopus, 13
apertè colligitur ex *d. cap. quæſitum,* ibi, *ſi autem Epiſcopus,* & ex *cap. unic. de rer. permut in 6.* ibi, *in manibus tuis ipſa reſignant,* quod eſt intelligendum reſpectivè de unoquoque Epiſcopo pro ſua Diœceſi. Atque ita firmant Coraſ. *d. cap. 9. n. 3.* Azor. *d. q. 4.* Suar. *d. cap. 32. n. 9.* Garc. *d. cap. 4. n. 60.* Joan. à Chokier. *d. c. 2. n. 6.* Bonac. *in tract. de ſimon. q. 4. §. 12. n. 7.* & alii
locis cit. Qua ratione etiam Abbates, & Prælati Epi- 14
ſcopo inferiores exempti jurisdictionem quaſi Epiſcopalem habentes poſſunt hujusmodi beneficiorum permutationes facere, & approbare. Quia hæc facultas competit Epiſcopis ratione jurisdictionis, non verò ratione dignitatis, aut ordinis; & ideò cùm hi Prælati Epiſcopalem jurisdictionem habeant: non videtur, cur illis deneganda ſit facultas, permutationibus beneficiorum auctoritatem interponendi. Et licèt *in cap. quærenti de rer. permut.* ſolius Epiſcopi mentio fiat: id tamen non refert, tum quia denominatio ſumi ſolet ab eo, quod eſt regulare, & ordinarium, per quod non excluduntur, immo comprehenduntur ea, quæ ſunt ejusdem rationis, Tiraquell. *lib. 1. de retract. §. 20. à n. 4. uſque ad* 10 tum etiam, quia Epiſcopus uno modo, & quaſi formaliter dicitur ratione jurisdictionis Epiſcopalis, id eſt quoad officium, & curam: licèt non ſit talis quoad dignitatem, & conſecrationem; qua ratione Abbates, & Prælatos hujusmodi Epiſcoporum appellatione aliquo modo venire, docuimus ſupra *diſp. 1. quæſ. 5.* unde quando id, de quo agitur, pertinet purè ad jurisdictionem ordinariam Epiſcopi, intelligitur habens jurisdictionem Epiſcopalem, character enim, & dignitas nihil ad talem actum influunt; exprimi tamen ſolet Epiſcopus, potiùs quàm alius: quia Epiſcopus Ordinariam jurisdictionem habere conſuevit. Atque quòd Prælati Epiſcopo inferiores jurisdictionem

dictionem Episcopalem habentes veniant hîc appellatione Superiorum, & possint beneficiorum permutationes admittere, & approbare, docent, Panormit. *in d. cap. quæsitum, n.4* Coras. *d.c.9. num.4.* Gregor. Lopez *l.2.tit.6.part.5. gloss.6.* Rebuff. *in praxi tit. de permut. n.20.* Rot. *decis.5. & 6. de rer. permut. in nov.* Suar. *d. cap 32. à num.11. usque ad 14.* Garc. *d. cap.4. num.70.* Joan. à Chokier. *dict. tract. cap.6. num.2.* Reginald. *in prax. fori pænit. lib.23. num.261.* Bonacin. *dict. §.12. sub num.7. vers. alii verò, & seq.*

Cæteri autem Prælati Episcopalem jurisdictionem non habentes, non possunt permutationibus beneficiorum auctoritatem interponere; nisi hanc facultatem præscriptione acquisierint, Less. *d. cap.34. n.196.* Azor. *d. cap.29. quæst.4. in fine.* Chokier. *d. cap.2. n.12. & cap.6. n.2.* Garc. & alii.

DISPUTATIO XIV.

De residentia Abbatum, & aliorum Prælatorum Episcopis inferiorum.

Quæst. I. *Utrùm Abbates, & alii Prælati Episcopis inferiores teneantur ad residentiam.*
II. *Utrùm Abbates, & alii Prælati Episcopis inferiores de jure divino ad residentiam teneantur.*
III. *Utrùm Abbates Generales possint cum Abbatibus Conventualibus super residentiam dispensare.*
IV. *Quibus de causis possint Abbates, & alii Prælati inferiores à sua residentia recedere.*
V. *Quantum possint Abbates, & alii Prælati à suis Ecclesiis abesse.*
VI. *Utrum Abbates Commendatarii teneantur in Ecclesiis, & Monasteriis sibi commendatis residere.*
VII. *In quas pœnas incidant Abbates, & alii Prælati non residendo.*

QUÆSITUM I.

Utrùm Abbates, & alii Prælati Episcopis inferiores teneantur ad residentiam.

SUMMARIUM.

1 *Beneficium quodlibet de jure communi residentiam requirit.*
2 *Residentiam non requirunt de generali consuetudine beneficia simplicia, nisi per aliquod particulare Statutum contrarium caveatur.*
3 *Residere personaliter tenentur omnes habentes beneficium cum cura animarum.*
4 *Abbates, & Prælati Regulares residere tenentur. Et quid de Prælatis sæcularibus,* num.5.
6 *Abbates, & Prælati inferiores, habentes propriam Diœcesim cum jurisdictione Episcopali possunt cum beneficiariis sibi subjectis super non residendo dispensare, sicut Episcopi cum suis.*
7 *Abbates, & Prælati inferiores à quo ad residendum cogi possint.*
8 *Abbates, & Prælati Generales non coarctantur ad residendum in particulari loco Religionis, sed debent residere, ubi magis ipsorum præsentia necessaria fuerit.*
9 *Generales Religionum an possint ad alicujus Principis instantiam ad partes aliquas remotas, extrà limites suarum Religionum, accedere.*
10 *Rectores Parochialium Ecclesiarum, ubi residere teneantur quando duas habent Ecclesias Parochiales, alteram in Civitate, & alteram extrà ejus mœnia,* & numero 12.
11 *D. Joannes Carolus Pica Aquilanus laudatur.*
12 *Dignitas loci an conferat ad insignitatem, & majorem dignitatem Ecclesiæ, ita ut Rector duas habens Ecclesias Parochiales in ea residere teneatur remissivè.*
13 *Rectori duas Parochiales habenti, quale dominium remaneat in altera provisa de Vicario.*
14 *Decisiones Rotæ super hac materia referuntur.*

1 DE jure communi quodlibet beneficium residentiam requirit *can. Sanctorum 70. dist. cap. quia nonnulli, cap. relatum, cap. conquerente, c. inter quatuor, cap. fin. de cleric.*
2 *non residen. cap. ad hoc de præbend.* tamen de generali consuetudine id non procedit in Beneficiis simplicibus, ut tradunt Panormit. *in cap. extirpanda, §. qui verò, num.31. de præbend.* Felin. *in cap. dilectus il 2. num.1.* Rebuff. *in praxi tit. de dispensat. de non resid. num.8.* Mandos. *in reg. 1. Cancell. quæst.13. num. 8.* Cæsar. de Crass. *decis.4. num.3. de præbend.* Seraph. *decis. 639. num. 5.* Rota *decis. 86. num. 3. & decis. 375. num.2. & 489. num.1. part.2. recent. & decis. 375. num. 2. & decis. 108. num. 4. coram Gregorio XV.* Nisi tamen adesset aliqua specialis consuetudo, vel statutum in aliquo particulari loco, per quod beneficia simplicia obtinentes arctarentur ad residentiam, esset enim attendendum; qui per illud revertitur ad jus commune, & de facili unaquæque res vertitur ad suum statum antiquum, Rota *d. decis. 375. num. 2. & 489. num. etiam 2. part.2. recent. & d. decis. 175. n.4. coram Greg. XV.* ubi *Adden.*

Omnes habentes beneficium cum animarum cura, 3
sive in foro interiori tantùm, sive in exteriori tantùm, sive in interiori, & exteriori simul (ut est Episcopatus, Abbatia, & quodcunque aliud jurisdictionem simul cum Pastorali cura annexam habens:) ad residendum in suis Ecclesiis, & Monasteriis, vel locis sui beneficii adstricti sunt, *cap. ad hæc, & cap. extirpanda, §. qui verò de præbend. cap. quia nonnulli de cleric. non resident. & cap. licèt de elect. in 6.* quos Canones innovavit & confirmavit Synodus Tridentina *sess.6. de re-* 4
format. cap.1. & sess. 23. de reformat. cap. etiam 1. Igitur Abbates Conventuales Regulares, quos verè, & propriè Prælatos esse, atque animarum curam simul cum jurisdictione in suos Monachos habere jam probatione non indigent, procul dubio tenentur personaliter residere, & adesse in Monasteriis, & locis, quorum administratio, & cura ipsi tradita est; quod est certum, & ab omni ambiguitate remotum.

Idem dicendum est de Abbatibus secularibus & Præ- 5
latis Episcopo inferioribus: nam ipsi ad residendum quoque personaliter in locis suorum Beneficiorum adstringuntur, prout præter citata jura, voluit Concil. Trident. *in d. sess.24. de reformat. cap.12.* & reformavit Rota *apud* Seraphin. *decis. 1452. num.1.* Immo Abbates, Priores, Præpositi, & alii Superiores Ecclesiarum Collegiatarum, licet jurisdictionem in Canonicos habeant, nihilominus cogi poterunt ad residendum ab Episcopis, sub quorum Diœcesi extant, ut decisum fuisse referunt Garc. *de benefic. part.3 cap. 2. num.181.* Aloys. Ricc. *in Collect. dec. p.7. collect.1592.*
& alii apud Barbos. *de offic. & potesta. Episcop. part. 2.* 6

*alleg.53.n.*108. Secus dicendum censeo de aliis Prælatis, qui nullius sunt Dioecesis, sed habent proprium territorium, ubi curam animarum cum Episcopali jurisdictione exercent; hi enim sunt Episcoporum loco, & cum canonicis & Parochis, vel aliis hujusmodi Beneficiatiis sibi subjectis possunt, super non residendo
7 dispensare, sicuti possunt Episcopi cum suis subditis, *cap. licèt canon. §. fin.* juncta gloss. *de elect. in* 6. Et ideo ipsi non ab Episcopo, sed à Summo Pontifice ad residendum cogi poterunt, & licentiam super non residendo ab eisdem; à quibus Episcopi, obtinere debent.

8 Dubium est autem, an Abbates, & Prælati Generales ad residendum in aliquo particulari Religionis loco teneantur. In quo si Abbatis Generalis nomen, & rem ipsam perpendamus, eorum residentia non videtur uni loco coarctanda: sed modò, in hoc, modò in alio Religionis Monasterio ad eorum libitum, vel prout necessitas exegerit, residere poterunt: ex quo residentiæ obligatio in eis locum non videtur habere. Nihilominus Generalis Abbas, nec non Provincialis, sive Nationalis: sicut præ aliis Abbatibus magis Episcopis assimilantur: & sicut Episcopi ad residentiam tenentur jure Divino, & Pontificio; ita Abbates Generales, & Provinciales, sive Nationales, qui licèt certum, & determinatum locum residentiæ non habeant, tenentur tamen residere in eo loco, ubi magis ipsorum præsentia fuerit necessaria.

9 Sed dubium est, an ad aliquorum Regum, sive Principum instantiam ad partes aliquas remotas, extrà limites suæ Religionis possint accedere. Cui dubio respondetur, quòd si eorum absentia ultrà tres menses durare debet, absque speciali Summi Pontificis licentia, id facere non possent, juxta præceptum Concil. Trident. *locus citatus*; Et id, quod dictum est de Abbate Generali respectu totius Ordinis, & Congregationis, dicendum est de Provincialibus, seu Nationalibus Prælatis respectu suarum Provinciarum, seu Nationum. In nonnullis autem, ac ferè omnibus Monachorum Congregationibus Abbates Generales ordinariam residentiæ sedem in aliquo præcipuo, & particulari loco habere solent, in quo magis eorum persona est necessaria: puta ubi major Monasteriorum est numerus; ut Generalis Cisterciens. cujus ordinaria sedes Cistercii Monasterium est, sic etiam Generalis Cluniacensium, ac Cælestinorum, & olim Generalis nostræ Congregationis Vallis Umbrosæ, qui ordinariam sedem in Cœnobio D. Mariæ Vallis Umbrosæ habebat, nunc autem in Cœnobio S. Bartholomæi de Ripolis propè Florentiam, & extra ejus mœnia, quæ ordinariæ Generalium Abbatum, & Præsidentium sedes speciali gaudent privilegio, ut Parochi in eis ad ipsorum Generalium nutum deputentur, nec ab Episcopis, vel eorum Vicariis examinandi sunt; neque in eorum institutione, aut destitutione Episcoporum consensus requirendus est; ut voluit Concil. Trid. *sess.25. de Regular. cap.*11. de qua re alibi.

10 Quòd autem hic principaliter diximus, Abbates Generales ordinariam residentiæ sedem habere in aliquo præcipuo, & particulari loco, in quo magis eorum persona necessaria est, puta ubi major Monasteriorum est numerus; non est inducendum à paritate rationis, ut Rectores Ecclesiarum Parochialium, sive Regulares, sive seculares illi sint, perinde teneantur residere in loco, ubi magis necessaria est ipsorum persona, ob majorem filianorum multitudinem, si duas habeant Ecclesias Parochiales, unam in civitate, alteram extra mœnia alicujus Urbis; hi enim debent residere in Civitate, provisa tamen Ecclesia extra Urbem juxta dispositionem *cap. ad audientiam, de Eccles. ædific.* & decreti Concilii *sess. 21. cap.4.* ut ad petitionem Episcopi Aquilani 15. Januarii 1576 Sacra Congregatio Concilii declaravit. Et declarationem, quam duximus inferiùs subscribendam post Episcopi quæst. in supplici libello, quia apud alios mutila, & alterata reperitur impressa, mutuavimus ab originali literarum exemplo, quod asservatur in manibus D. Joannis Caroli Picæ Aquilani Patritii Sacræ Theolog. & U. J. D. 11
Protonotarii Apostolici, & nobis ob spectatam illius animi ingenuitatem, morum suavitatem, & singulare judicii acumen, doctrinarum varietate refertum, amicitia conjunctissimi. Tenor autem literarum, & declarationis in margine petitionis, aliis quàm plurimis petitionibus, & declarationibus ad rem nostram non facientibus ibi relictis, talis est. A tergo Reverendiss. Domino uti fratri Episcopo Aquilano; intùs verò *Reverendiss. Domine, Sacra Congregationis Cardinalium Tridentini Concilii interpretum sententiam de iis, quæ per libellum his literis adjunctum proponebantur, in margine illius descriptam Amplitudo sua videbit. Quam diligenter servandam curabit, & bene in Domino valebit. Romæ die 15. Januarii 1596.*

Uti Frater Philippus Boncompagnus
Card. S. Sixti.

Illustriss. & Reverendiss. Signori.

LA Cità dell' Aquila fù fondata da diversi Popoli di Castelli, che habitavano, & habitano hoggi intorno alla Città predetta: & ogn' uno di quei popoli, che concorsero all' edificatione di essa, si fece, è fabricò una Chiesa, dotandola chi di poco, & chi d'assai, secondo quei Popoli potevano. Li Rettori di quelle chiese erano, si come sono, obligati alla cura d'elli parocchiani, che habitano tanto dentro la Città, come di quelli, che restorono fuori in quei Castelli, & non potendo far residenza di persona, se non in un loco solo, hanno eletto di risedere nelle Chiese dentro la Città, & in quelle di fuora mandano un sustituto, & così hanno osservato, & osservano tuttavia. A me è parso, che tal cosa non passasse molto bene, atteso che molte di dette Chiese fuora hanno mille, dua mila, & alcuna da cinque mila anime da curare, & nella Città ne haueranno diece, venti, ò cinquanta. Et perciò li diceva, che andassero à risedere, dove havevano maggior numero di Parocchiani. Replicano loro, de la residenza si deve fare nella Città, comme loco piu degno, ancorche ci habbino manco Parocchiani, & che chosi è stato sempre osservato fino ad hoggi. Desidero sapere quelche ne risolse la Sacra Congregatione per mandarlo poi alla debita essecutione, è questo il secondo dubio.

Sacra Congregatio hisce precibus sic respondit.

Congregatio Concilii censuit teneri eos residere in loco, in quo sita est Ecclesia Parochialis: & ideo si ea intra mœnia Civitatis sit, ibi ipsos residere oportere. Quòd si Parochiani, qui extra Civitatem habitant ob locorum distantiam, seu difficultatem, patiuntur incommoda in percipiendis sacramentis, & divinis officiis audiendis, succurrendum illis esse remedio cap. ad audientiam de Eccles. ædific. & decreti Concilii sess. 21. cap. 4.

Et ne super hoc aliquid intactum relinquatur, quandoquidem in prædictis libello, & declaratione duo 12
tanguntur respectivè; dignitas quippe loci in quo sita est Ecclesia, & provisio juxtà *cap. ad audientiam* in alia Ecclesia ubi Rector non tenetur residere. Ad sciendum an dignitas loci conferat ad insignitatem; & majorem dignitatem Ecclesiæ, remittimus lectorem ad D. Massombrium *in sua praxi haben. Concur. P. 2. dub. secundo per totum*: qui multis congestis juribus, & auctoritatibus, Rot. præsertim, disputativè concludit insignitatem loci præbere majorem dignitatem & insignitatem Ecclesiæ: adeò, ut dignior aliqua Ecclesia dicatur, in digniori loco sita aliis,

quæ in minùs digno constitutæ reperiuntur; & habetur etiam ibi ex illo, unde dignus reputetur aliquod Oppidum, & omninò proinde est videndus, etiam *in tractatu ejusdem de Synodo* in loco à se hîc citato.

13 Sicut quoad multa, quæ spectant ad supradictum *cap. ad audientiam* quando debeat adhiberi, quale dominium remaneat Rectori principali super Ecclesia provisa de Vicario in terminis *d. cap.* cuique pertineant oblationes, & alia similia, tres offerimus eidem lectori Rotæ decis. pro capitulo insignis Collegiatæ S. Mariæ de Paganica extra mœnia Civitatis Aquilæ pro quo à Vicario ab ipso constituto in executionem ejusdem *cap. ad audientiam* exercetur cura animarum in Oppido ipso Paganicæ extra, & propè Civitatem prædictam, promiscuique cum ea Territorii, ut cæteræ Terræ, seu Castra adjacentia, Urbanumque potiùs quàm Paganicum meritum nomen, sive sanguinem, & civitas qualitates incolarum, sive amœnitatem, & rerum optabilium omnium ubertatem consideraveris, quatenus oculari testis verissimæ attestationi præstanda fides extiterit; ibi enim anno proximè præterito Evangelicæ prædicationis munus absolvi cum divinis cessantibus in prædicta nobilissima Civitate, ad quam Quadragesimales Conciones habiturus à prædicto D. Joan. Carolo Pica vocatus, fueram benignè auditus, non minus, quàm ab oppidanis à maximo confluentium numero nobilium Aquilanorum, & à cunctis benè visus fui. Decisiones super hac materia à Sacra Rota factæ sunt impressæ *in calce tertii tom*, una cum reliquis, & sunt 32. 33. *&* 34. in ordine.

QUÆSITUM II.

Vtrùm Abbates, & alii Prælati Episcopo inferiores de jure divino ad residentiam teneantur.

Summarium.

1 *Refertur sententia negativa.*

2 *Refertur sententia affirmativa.*

3 *Prælati curam animarum in utroque foro, vel in alterutro tantùm habentes, de jure divino ad residentiam personalem coguntur.*

4 *Quos æternus Paster sanguine suo redemit, Pastoribus, non verè mercenariis commendavit.*

5 *Responsio ad objecta.*

1 QUæstio hæc à sacris Theologis agitatur, non modò quoad Episcopos, verùm etiam quoad Abbates, ac etiam quoscunque alios, quibus animarum cura commissa est; In qua re aliqui tenent indistinctè quòd non, & hoc pluribus rationibus probare contendunt. Primò sic probant; in sacra Scriptura nullum adest præceptum, quo ordinetur Pastoribus, ut in suis Ecclesiis per se ipsos resideant, sed solùm, ut commissum sibi gregem pascant, at pascere gregem, illumque custodire, & tueri possunt etiam per Vicarios; ergo residentia non erit de jure divino; & hoc maximè militat quoad Abbatem Regularem, cum ipse habeat suum Priorem Claustralem, cui totius Conventus cura in Abbatis absentia succedit. Secundò Abbatiæ, & Parochiæ non sunt à Christo Domino erectæ, & institutæ, sed ab Ecclesia, & à Summis Pontificibus; ergo in illis residere, erit de jure Ecclesiastico, & Pontificio, non divino; Atque ita tenent Ambros. Catharin. *in opuscul. de resident.* & Albitt. *eodem tractatu*, quos refert Azor. *inferiùs citandus.*

2 Secunda, & verissima sententia est Navar. *in man. cap.25. num* 121. Anton. Cordub. *quæst. Theolog. lib.1. quæst.19.* Cajet. 2. 2. *q.185. art.5.* Sor. *de justit. & jur. lib.10. quæst. 3. art.1.* Covar. *var. resolut. lib. 3. cap. 13.* quos citat & sequitur Azor. *instit. moral. part.2. lib.7. cap.4. quæst.1. vers. secunda sententia*, & post eos Alphons. Alvar. *in speculo jur. Pontif. cap.9. vers. de resid.* Nicol. Garc. *de benef. part.3. cap.2. num.*16. Reginald. *in prax. lib.30. tract.3. num.*52. & aliorum plurium apud Barbos. *de offic. & potestat. Episc. part. 3. alleg. 53. num. 2.* qui partem affirmativam tenent; quæ sententia (ut benè notant citati Doctores) probatur, ex Con-
cil. Trident. *sess.23. de reformat. cap.1.* ubi sic dicitur: 3
Cum præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbiq; divini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere, pauperum, aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, & in cætera munia Pastoralia incumbere; quæ omnia nequaquam ab iis præstari, & impleri possunt, qui gregi suo non invigilant, neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt. Sacrosancta Synodus eos admonet, & hortatur, ut divinorum præceptorum memores, factique forma gregis in judicio, & veritate pascant, & regant. Sententia ergo hæc auctoritate Concil. Trident. comprobata amplectenda est, non solùm, quia prædicto
Concil. & Sacr. Canon. sed quia etiam rationi con- 4
sentanea est, nam quos æternus Pastor Deus non corruptibilibus auro, & argento, sed pretiosissimo sanguine suo redemit: non Mercenariis, sed propriis Pastoribus, credibile est, commendasse, quando dixit Petro, & in ejus persona omnibus animarum custodibus: *Pasce oves meas.* Matth. *cap.* 20. & Joan. 10. *Mercenarius autem, & qui non est pastor, cujus non sunt oves propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit*, D. Petrus *cap.5. epist.1. Pascite eum, qui in vobis est gregem Dei.* Ex quibus scripturæ locis colligitur, pastores personaliter suo gregi instituere debere, illum præire, pecoris sui vultum agnoscere, oves suas nominatim vocare, invisere, aspicere, easque præsentia sua consolari: & consequenter illos de jure divino ad residendum cogi.

Ad argumenta ergo primæ sententiæ antequam respondeamus, notandum cum Soto *loco citat.* paulò ante secundam conclusionem, per jus divinum illud esse intelligendum, quod, & si in sacra Scriptura expressè non contineatur, colligitur tamen ex æquipollentibus ejusdem sacræ Scripturæ verbis, eamdem prorsus significationem habentibus. Unde ad primum argumentum respondetur; dato, quòd in sacra scriptura non esset præceptum, quòd jubeatur pastoribus, ut in suis Ecclesiis per se ipsos resideant: tamen colligitur hujusmodi præceptum ex aliis, quæ ipsamet Scriptura tradit, & Sotus *ibid.* luculenter explicat. Ad secundum argumentum respondeo, Abbatias, & Parochias non fuisse sub his nominibus à Christo Domino institutas, sed sub aliis titulis, & vocabulis, nempè, gregis, ovilis, populi, Ecclesiæ, familiæ & similium, quod idem est. 5

QUÆSITUM III.

Vtrùm Abbates Generales possint cum Abbatibus Conventualibus super residentiam dispensare.

Summarium.

1 *Concilium Tridentinum prohibet omnibus curam animarum gerentibus, ne maneant extra residentiam.*

2 *Dispensare cum Prælatis Conventualibus super residentiam, spectat ad Generalem, vel Provincialem.*

3 *Non residendi facultatem is indulgere valet, qui residendi obligationem imposuit.*

4 *Generales Ordinum sunt Ordinarii Abbatum, & aliorum Prælatorum Conventualium suorum Ordinum.*

COnc. Trident. *sess.23. c.1.* in antecedenti quæsito citatum, prohibuit universaliter omnibus ani- 1

m-

marum curam gerentibus, ne maneant extra residentiam, sed personaliter resideant, & insuper eodem loco citato præcipit, ut super residentia nullus Prælatus Romano Pontifice inferior possit dispensare, nisi ad certum, & determinatum tempus; quod etiam habetur *in cap. extirpanda, §. quia verò de preben. & cap. relatum de cleric. non resid.* ut aliquibus verò casibus, scilicet pro universali, vel particulari Ecclesiæ commodo, & utilitate, ut inferiùs dicetur, excusantur; ut videtur voluisse Concil. *loc. cit.* in illis verbis: *Nam cum Christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, ac evidens Ecclesia, vel Republica utilitas aliquos nonnunquam abesse postulent, & exigant:* ubi voluit, in talibus casibus ad Summum Pontificem seu ad Metropolitanum recurrendum esse, in quibus juribus, & Sacro Concil. Trident. quamvis habeatur sermo de Episcopis, & Primatibus, & de omnibus Presbyteris, curam animarum gerentibus, tamen dubio procul idem erit intelligendum de Abbatibus, ac quibuscunque Religionum Prælatis similem curam habentibus, quorum recursus non ad Metropolitanum, à quo per privilegia Pontificia exempti sunt, sed ad Generales Provinciales, Superioresque Abbates juxta
2 constitutiones singularum Congregationum à Sede Apostolica approbatas, fieri debet.

Item *in cap. licèt canon. §. fin. de elect. in 6.* tribuitur etiam Ordinario potestas dispensandi super non residendo, ubi gloss. per Ordinarium intelligit etiam Prælatum Episcopo inferiorem. Quapropter Generalis Abbas, aliique Superiores cum legitima causa super residentia Abbatum inferiorum dispensare poterunt.
3 Quod insuper probatur. Nam is facultatem, non residendi indulgere valet, qui residendi obligationem imponit; ejus enim est solvere, cujus est ligare, *l. si puella. ff. de sponsal. l. 4. ff. de re jud. l. ejus est velle ff. de reg. jur.* Rebuff. *in prax. benefic. tit. dispensatio de non resid. n. 75* sed Abbatibus localibus obligatio residendi imponitur à Generalibus, hi enim sunt horum
4 Ordinarii Superiores, & alii onus Abbatiarum suscipiunt; ergo Generales Prælati poterunt inferiores ab hujusmodi onere ex justa causa, & per modicum tempus eximere.

QUÆSITUM IV.

Quibus de causis possint Abbates, & alii Prælati inferiores à sua residentia recedere.

SUMMARIUM.

1 *Charitas Christiana à residentia excusat, & quanam intelligatur.*
2 *Necessitas corporis excusat à residentia.*
3 *Necessitatis corporalis appellatione quid intelligatur.*
4 *Causa justa, & rationabilis excusat à residentia, & qualis esse debeat.*
5 *Absentia pro negotiis propriis an sit justa causa non residendi.*
6 *Impedimentum justum excusans à residentia non dicitur negotium, quando est tale, quod per procuratorem tractari potest*
7 *Obedientia debita excusat à residentia.*
8 *Utilitas evidens Ecclesia, vel Republica est justa causa non residendi.*
9 *Utilitas Ecclesiæ excusans à residentia consideratur respectu Ecclesiæ, in qua tenetur quis residere*, limita, ut num. seq.
11 *Residere non tenetur, cui indultum est à Summo Pontifice.*
12 *Causa justa, & licentia Superioris copulativè requiruntur, ad excusandum à residentia.*
13 *Causa justa sola sufficit ad excusandum à residentia si ex consuetudine Prælati licentia non requiratur.*

Multæ sunt causæ, ex quibus excusatur quis à residentia, quæ videri poterunt *toto tit. ex de cleric. non resid. & in 6. eod. tit. & cap. cum non deceat, de elect. & cap. 2. de privileg. eod. lib. 6.* & in Concil. Trid. *sess. 23. cap. 1. de reformat.* & apud Joan. de Selva *de benefic. part 4. quæst. 6.* Rebuff. *in prax. tit. de dispensat. de non residend.* Navarr. *in man. cap. 25. num. 121.* & alios.

Prima causa, ob quam quis potest à sua Ecclesia, 1
& residentia abesse, est Christiana charitas, ut tradit Concilium Trident. per quam intelligi debet proximorum utilitas, v. g. eis aliquo gravi periculo hæresis, vel belli imminente, succurrat Prælatus sua prædicatione, & exhortatione, vel ob pacem inter magnates componendam. Verùm hoc intelligi debet, dummodò in propria Ecclesia non sequatur notabile detrimentum, quia esset contra ordinem charitatis, Tolet. *Instruct. Sacerd. lib. 5 cap 4. n. 3.* Marc. Anton. Genuen. *in Manual. Pastor. c. 51. n. 3.* Sanctarel. *var. resol. q. 3. n. 5.* Molfes. *in sum. tract. 6. cap. 11. n. 29* D. Barbos. *de offic. & potest. Episcop. allegat. 53. num. 6. juxt. Lugdunens. impress.*

Secunda causa est, quando quis ob corporis necessi- 2
tatem impeditur à residentia, *cap. 1. §. qui verò, de cleric. non resident. in 6.* Concil. Trident. *loc. cit.* Et ap- 3
pellatione corporalis necessitatis intelligitur omne justum impedimentum, quo quis impeditur residere, ut per Archidiac. *in d. cap. 1. n. 2.* quem ibi, *in §. qui verò*, sequuntur Geminian. *num. 5.* & Franch. *num. 2.* Federic. de Sen. *consil. 246. sub num. 2. vers. item infirmitas*, Calderin. *consil. 15. circa finem vers. unde notat*, Archidiac. *de prabend.* Navarr. *consil. 9 num. 4. in fine, & Sum. 5. tit. de cleric. non residend.* Verùm hoc intelligitur de justo impedimento corporali, per quod Prælatus, vel beneficiatus, etiamsi velit non possit ire ad residendum, vel saltem non sine periculo læsionis corporis, vel amissionis rerum suarum, ut colligitur ex juribus allegatis per Archidiacon. & videtur esse de mente ipsius, & aliorum Doctorum supra relatorum.

Tertiò excusatur quis à residentia ex justa, & ra- 4
tionabili causa, *clem. 1.* ubi gloss. *de stat. Monach.* Ostiens. *in Sum. tit. de cleric. non resident. §. qua sit pœna num. 5.* & alii. Et absentia pro propriis negotiis dici- 5
tur causa rationabilis, & justa, *canon. præsentium, 1. quæst. 7.* gloss. *in cap. relatum, in verb. Prælatorum, & in cap. ex parte il. 2. in verb. perjurium, de cleric. non resid.* Petr. Gregor. Tholosan. *de benef. cap. 7. num. 16.* Natr. *consil. 41. num. 6. lib. 1.* Adde, quòd justa causa debet esse rationabilis, & talis, quòd justum impedimentum dici valeat, ut per Archidiac. *dict. cap. 1. de cleric. non resid in 6.* Prob. *ad Monach. ibid. num. 25.* Seraphin. *decis. 1131. num. 3.* & Rota *in una Alerien. fructuum 21. Aprilis 1603. coram Pamphilio.* Et ideo prædictum negotium, pro quo quis abest, est tale, 6
ut per procuratorem tractari possit, non dicitur justum impedimentum, ut per Barthol. *in l. sed & si §. 1. ff. quib. ex caus. major. &c.* Bald. *in l. eos, § Apostolos, in princ. C. de appellat.* Boër. *decis. 41. n. 9.* Aymon. *cons. 179. n. 9. in fine.* Seraph. *d. decis. 1131. n. 4. & 5.*

Quartò excusat à non residendo debita obedientia 7
ex Concil. Trid. *loc. cit.* ut si quis à Summo Pontifice vocetur ad tempus aliquod breve pro ministerio aliquo, & bono Ecclesiæ universalis, vel Reipublicæ Christianæ, dummodo ministerio expedito, ad propriam revertatur Ecclesiam: Barbos. aliis relatis, *alleg. 53. num. 10.*

Quintò excusatur à residentia, & facit fructus suos 8
ille, qui abest propter evidentem Ecclesiæ, vel Reipublicæ utilitatem, *d. cap. cum non deceat, de elect. in 6. cap. ex parte il. 2. de cleric. non resid. d. cap. 1. §. qui verò, eod. tit. in 6.* Concil. Trident. *loco cit.* Afflict. *decis. 289. n. 35.* & fuit dictum *in una Burgen. jurisdictionis*

9 4. *Maji* 1584. *coram Seraphino.* Et ista utilitas consideratur respectu Ecclesiæ, in qua tenetur residere; & ideò si est absens pro utilitate, alterius Ecclesiæ, non excusatur à residentia, nec facit fructus suos, ut colligitur clarè ex *d. cap. cum non deceat*, ibi, *in illis Ecclesiis, quarum negotia prosequuntur*, ubi hoc notant Joan. Monach. *sub num. 1. in verb. residerent*, *Archidiac. in fine in eod. verb.* Joan. Andr. *in d. cap. 1. n. 3. vers. item intelligendum, de cleric. non resident. in 6.* & *ibi* Anchar. *n. 4. in fine 5. not.* Prob. *n. 29. vers. attende, & num. seq.* Geminian. *in §. qui verò, num. 8. vers. & debet intelligi.*

10 Limita, id non procedere, quando beneficia alterius Ecclesiæ haberent dependentiam ab Ecclesia, cujus absens negotia gerit, ut puta si jure communi, vel ex privilegio Ecclesiæ, vel sui ipsius residendo in dicta Ecclesia percipit fructus beneficiorum aliarum Ecclesiarum; hoc enim casu omnium beneficiorum fructus percipit. Ita expressè loquitur text. *in d. cap. cum non deceat*, & ibi declarat gloss. *in versic. residende*, Joan. Monach. *num. 1.* Archidiacon. *in verb. reciperent*, Joan. Andr. *num. 2. in fine, & seq.* Geminian. *sub num. 5. super ead. gloss.* Franch. *num. 1.* Butr. *ante num. 1.* Evidens Reipublicæ utilitas, quæ intelligatur, exponit latè Barbos. *dict. alleg. 53. num. 15. & sequentibus.*

11 Sextò excusatur à residentia, cui indultum est à Summo Pontifice, *cap. penult.* ubi omnes, *de cleric. non resident.* Selva *d. p. 4. q. 8. num. 1.* Rebuff. *loco citato num. 19.*

12 Verùm sola justa causa non sufficit ad excusandum à non residendo, sed requiritur etiam licentia Superioris; hæc enim duo copulativè requiruntur, & unum sine altero non sufficit, *cap. relatum*, ubi gloss. per illum text. *in verb. Prælatorum*, & Panormit. *in cap. inter quatuor, num. 4. eod. tit.* Sylvest. *ver. residentia, n. 3.* Pisanell. *num. 4.* Rosell. *num. 3.* Angel. *in verb. clericus 7. num. 3.* Tabien. *verb. beneficiorum 3. num. 8. vers. dicit etiam Innocentius*, Selva *d. p. 4. quæst. 6. n. 34. & 35.* & ita loquitur text. *in d. can. præsentium 1. q. 7.* Natt. *cons. 41. num. 2. lib. 1.* Rota *in Burgen. residentia 4. Julii 1585. coram Platto.* Seraphin. *dict. decis. 1131. num. 6. & in Placentina salarii 7. Maji* 1607. *coram Pena*, & clarè habetur ex Concil. Tridentin. *d. cap. 1.* ubi ad hoc, ut Parochi justè possint à suis residentiis abesse, duo requirit, nempè justam causam, & ejus approbationem ab Episcopo faciendam cum licentia ab eodem in scriptis, & gratis concedenda. Limita, nisi adsit consuetudo, quòd sine licentia Prælati beneficiatus ab- 13 esse possit ex justa, & rationabili causa, secundùm Innocent. *in cap. ex tua, de clericis, non resident.* Panormitanus *in cap. quatuor, num. 3.* Sylvest. Angel. & Tabien. *locis citatis.*

QUÆSITUM V.

Per quantum temporis spatium possint Abbates, & alii Prælati à suis Ecclesiis abesse.

SUMMARIUM.

1 *Episcopi, ac etiam Abbates, & cæteri Prælati Episcopis inferiores possunt per spatium duorum, vel saltem trium mensium à suis Ecclesiis abesse, & quomodo.*

2 *Parochi ex justa causa, & cum licentia Ordinarii in scriptis possunt à suis Ecclesiis abesse.*

3 *Hujusmodi licentiam possunt Abbates, & alii Prælati locorum Ordinarii Episcopo inferiores concedere.*

PEr quantum temporis spatium possunt Episcopi, ac item Abbates, & alii Prælati Episcopis inferiores, ab eorum tamen jurisdictione exempti, à suis Ec- 1 clesiis abesse, declaratur in Concilio Tridentino *sess. 23. cap. 1.* his verbis: *Quoniam autem qui aliquantisper tantùm absunt, ex veterum Canonum sententia, non videntur abesse; quia statim reversuri sunt: Sacrosancta Synodus vult, illud absentiæ spatium singulis annis, sive continuum, sive interruptum extra prædictas causas nullo pacto debere duos, aut ad summum, tres menses excedere, & haberi rationem, ut id æqua ex causa fiat, & absque ullo gregis detrimento.* Ex quibus verbis patet, Episcopis, ac per consequens etiam Abbatibus, & aliis hujusmodi Prælatis curam animarum cum Episcopali jurisdictione exercentibus concedi, ut possint à sua residentia per duorum, vel trium mensium spatium, sive interruptum, sive continuum abesse: quod tempus eis concessum est, causa animum relaxandi; dummodò id fiat, ex justa causa quæ an talis sit, eorum conscientiæ relinquitur, & dummodo id fiat sine gravi gregis sibi commissi detrimento, ut notat Azor. *instit. mor. part. 2. lib. 7. cap. 4. quæst. 9.*

Reliquis autem Episcopo subditis animarum cu- 2 ram gerentibus idem Concilium abesse permittit per duos menses. Ad quam licentiam Navarr. *in Manual. cap. 26. num. 121.* ad finem, arbitratur non requiri licentiam scriptam Ordinarii, dummodo habeat justam causam, cui opinioni videntur esse omnino contraria verba illa Concilii *sess. 23. de reformat. cap. 1.* scilicet: *Quandocumque eos, causa priùs per Episcopum cognita, & probata, abesse contigerit Vicarium idoneum ab ipso Ordinario approbandum, cum debita mercedis assignatione, relinquant. Discedendi autem licentiam in scriptis, gratisque concedendam, ultra bimestre tempus, nisi ex gravi causa non obtineant.* Quod etiam notant Less. *de just. lib. 2. cap. 34. dub. 26. num 159.* Tolet. *lib. 5. cap. 5.* Reginald. *in praxi lib. 30. tract. 3. num. 55.* & alii, apud Barbos. *de offic. & potest. Episcop. part. 3. alleg. 53. num. 96.* 3 Et hanc discedendi licentiam Parochis ad tempus non solùm Episcopus, sed etiam Abbas, & alius Prælatus Episcopo inferior, qui sit loci Ordinarius, concedere potest, ut ait gloss. *in cap. licet can. §. fin. de elect.* Reginald. *d. tract. 3. num. 57.* Barbos. *d. alleg. 53. num. 95.*

QUÆSITUM VI.

Utrùm Abbates Commendatarii teneantur in Ecclesiis, & Monasteriis sibi commendatis residere.

SUMMARIUM.

1 *Abbatias, vel Prælaturas, vel alias hujusmodi Ecclesias, vel Monasteria commendata habentes tenentur in eis residere.* Limita, ut num. seq.

3 *Secularis habens Monasterium in Commendam non habet curam Conventus, vel Monachorum, sed ea est penes Priorem, aut Vicarium à Generali constitutum.*

4 *Commendatarii residere tenentur, si eis cura animarum aliquo modo incumbit.*

5 PRo hujus rei determinatione in medium afferam Constitutionem Pii IV. quæ incipit, *In suprema militantis Ecclesiæ specula*, Romæ editam, & publicatam die 14. Decembris 1564. in qua hæc præcipuè adnotantur verba: *Motu proprio, & ex certa scientia nostra, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, omnibus, & singulis Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis præfatis, ac aliis quibuscumque etiam quavis auctoritate, dignitate, gradu, vel præeminentia præfulgentibus, prædictas Ecclesias in Commendam, vel administrationem, aut alio quovis nomine obtinentibus, & aliis quibuscumque Beneficiariis curam animarum habentibus, qui, juxta decreti super residentia in Concilio prædicto promulgati tenorem, personalem in suis Ecclesiis residentiam facere teneantur; in virtute sanctæ obedientiæ*, ex qua Constitutione constat, quòd etiam habentes Abbatias, vel Prioratus, vel alias hujusmodi Ecclesias, & Monasteria in Commendam,

vel perpetuam administrationem etiam quoad spiritualia, tenentur in eis residere; quia habent eandem obligationem, & idem onus, quod haberent, qui in titulum hujusmodi Beneficia, & Ecclesias obtinerent, ut ait Reginald. *in praxi, lib. 30. tract. 3. n. 49. in fine.*

2 Verùm non semper Abbas Commendatarius ad residentiam in Abbatia sibi commendata adstringitur. Si enim Monasterium non habet curam animarum se-
3 cularium, Abbas non tenetur ad personalem in eo residentiam; quia secularis habens Monasterium in commendam, non habet curam Conventus, nec Monachorum; sed ea tota est penes Priorem Conventualem, seu Vicarium à Generali constitutum, ut decisum est à Rota Romana apud Farinac. *decis. 112. n. 10. in noviss.* & Commendatarii Abbatiarum curam jurisdictionalem tantùm, non autem Sacramentalem habentes nullo Concilii decreto ad residendum adstringuntur, neque si non resideant, pœnis ab eodem Concilio in non residentes constitutis arctantur; ut à sacra Congregatione decisum fuisse refert Garc. *in addit. ad cap. 2. 3 part. de benefic. n. 81. & seq.* Barbos. *de offic. & potest. Episc. part. 3. alleg. 53. n. 112.*

4 Igitur si cura animarum sacramentalis personarum secularium, vel aliquo modo Monachorum personis ipsorum Commendatariorum incumbit, absque dubio residere tenebuntur.

QUÆSITUM VII.

In quas pœnas incidant Abbates, & alii Prælati non residendo.

SUMMARIUM.

1 *Pœna à Concilio Tridentino statuta pro Episcopis non residentibus.*

2 *Abbates, & Prælati Episcopo inferiores habentes territorium cum jurisdictione Episcopali, si non resideant, incurrunt easdem pœnas, quas incurrunt Episcopi non residentes.*

3 *Abbates, & Prælati Regulares, non residendo, an incurrant pœnas à Concilio Tridentino Episcopis statutas.*

4 *Pœna non residentibus à Pio IV. constituta.*

1 CONcilium Tridentinum *supradicta sess. 23. de reformat. c. 1.* statuit, ut Episcopus absque justa causa à sua Ecclesia absens, qui propriæ salutis immemor terrena cœlestibus, ac divinis humana præferens in diversis curiis vagatur, aut in negotiorum temporalium solicitudine ovium sibi commissarum cura neglecta, se detinet occupatum, ultra peccati mortalis reatum, quem incurrit, pro rata temporis absentiæ, fructus non facit suos, sed tenetur in conscientia eos fabricæ Ecclesiæ, vel pauperibus erogare. Quod si Episcopus aliquis annum continuè à sua Ecclesia sine dicta approbatione abfuerit, Metropolitanus tenetur eum sub pœna interdicti ingressus Ecclesiæ eò ipso incurrenda intra tres menses Romano Pontifici denunciare. Ita decrevit idem Concil. *sess. 6. de reform. c. 1.* ubi licèt statuerit, ut Episcopi per sex mensium spatium absentes à residentia quartam partem unius anni fructuum amittant, tamen, *d. c. 1 sess. 23.* augendo pœnam, voluit, ut fructus omnes pro rata absentiæ amittant.

3 Eisdem pœnis puto affici Abbates, & Prælatos inferiores habentes territorium cum jurisdictione Episcopali, & qui nullius sunt Diœcesis; hi enim se habent Episcoporum loco; & sicut, quando Episcopi amplius per annum continuè, absque justa causa, & Superiore approbante, à sua residentia abfuerint, Metropolitanus tenetur, intra tres menses de eorum absentia Romanom Pontificem certiorem reddere; ita etiam de horum Prælatorum absentia; non enim cogi possunt ab Episcopis, cum nec in eorum Diœcesi, nec sub eorum jurisdictione sint, & hæc coactio sit potestatis jurisdictionis, non enim est Ordinis, quod constat. Præterea possunt (sicut Episcopi) cum Parochis, vel Canonicis aut aliis hujusmodi Beneficiariis sibi subditis super non residendo dispensare, sicut probavimus supra. Igitur non residendo eisdem pœnis, quas Episcopi incurrunt, subjiciuntur, & idem tempus scilicet trium mensium eis abessendi conceditur. De obligatione Abbatum Commendatariorum, ac pœnis, quas incurrunt, si non resideant, egimus in antecedenti quæsito.

Difficultas autem est, utrùm etiam Abbates, & Prælati Regulares non residentes in suis Ecclesiis, & Monasteriis ligentur, & subsint pœnis à prædicto. *Concilio Tridentino*, contra Episcopos, & Prælatos positis. Ad quod respondetur, illos hisce pœnis non arctari, nisi habeant curam animarum secularium per ipsosmet administrandam; quia de hujusmodi cura loquitur Concilium, ut respondit Sacra Congregatio Illustrissimorum Cardinalium, teste Lessio *de justit. lib. 2. cap. 24. dub. 29. num. 161.* At Regulares Prælatos in administratione, & cura suorum subditorum Regularium, relinquit propriis statutis, & suorum Superiorum ordinationibus, quas omnes profectò determinatis pœnis Abbates, & Prælatos non residentes credibile est afficere. 3

Præter pœnas prædictas à Concil. Trident. statutas, operæ pretium est, alias pœnas pro Prælatis non residentibus *in Constitutione fel. rec. Pii IV.* quæ incipit: *In suprema militantis Ecclesia, sub datum Romæ 14. Decembris* 1564. narrare, quæ Constitutio cum sit valde conformis pœnis à *Concil. Trident. loc. cit.* editis, hic recensetur verbatim, quoad ea, quæ ad rem nostram pertinent. 4

MOtu proprio, & ex certa scientia nostra, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, omnibus & singulis Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis præfatis, ac aliis quibuscunque, etiam quavis auctoritate, dignitate, gradu, vel præeminentia præfulgentibus, prædictas Ecclesias in Commendam, vel administrationem, aut alio quovis nomine obtinentibus, & aliis quibuscunque Beneficiariis, curam animarum habentibus, qui juxta decreti super residentia in Concilio prædicto promulgati tenorem, personalem, in suis Ecclesiis residentiam facere tenentur, in virtute sanctæ obedientiæ, & ultra pœnas in dicto decreto Concilii contentas, etiam sub privationis eorum à regimine, & administratione Ecclesiarum suarum, ac aliis, nostro, & pro tempore existentis Romani Pontificis successoris nostri arbitrio, imponendis pœnis, districtè præcipiendo per Apostolica scripta mandamus, quatenus omni mora cessante in eisdem suis Ecclesiis juxta formam; & tenorem dicti Concilii personaliter resideant. Et nihilominus, si quos mandato nostro hujusmodi, quod absit, non parere contigerit; ne etiam tales absentes melioris in hac parte conditionis, quàm cæteri in suis Ecclesiis residentes existant: Hac nostra perpetuò valitura Sanctione per præsentes statuimus, & ordinamus, quòd deinceps omnia, & singula mobilia, & immobilia etiam in Urbe, vel ejus districtu existentia, & se moventia, res, & bona, jura, & actiones cujuscunque qualitatis, & quantitatis, & valoris, ac ubicunque locorum consistant ad Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos, & alios quoscunque, etiam quavis auctoritate, dignitate, gradu, præeminentia præfulgentes, Ecclesias prædictas in titulum, vel Commendam, sive administrationem, aut alio quovis nomine obtinentes, & alios, quocunque Beneficiatos curam animarum habentes qui extra prædictas Ecclesias, ac diœceses, etiam in Romana Curia, aut alibi degentes, & juxta decretum, & formam Concilii hujusmodi non residentes decesserint, pertinentia, & per illos suarum Ecclesiarum, ac quorum-

cunque Monasteriorum, Prioratuum, Præpositurarum, & aliorum Beneficiorum Ecclesiasticorum, cum cura, & sine cura, secularium, & Regularium, quæ illi quomodolibet obtinuerint, ac fructuum, redditumm, & proventuum Ecclesiasticorum, nec non pensionum annuarum sibi super similibus fructibus, redditibus, & proventibus reservatarum, & assignatarum occasione quæsita, etiam si facultatem specialem de illis, aut eorum parte testandi, & aliàs liberè disponendi à nobis, & quibuscunque aliis Romanis Pontificibus prædecessoribus, & successoribus nostris, etiam cum clausulis, quòd facultates hujusmodi revocari non queant; aliisque irritantibus decretis obtinuerint, & in vim illarum literarum desuper confectarum de rebus, & bonis hujusmodi jamque disposuerint, tanquam spolia ad Cameram Apostolicam legitimè pertineant, liceatque delictis filiis moderno, & pro tempore existenti commissario nostro generali, & suis, dictæque Cameræ deputatis, in eventum decessus hujusmodi, solitum inventarium super rebus, & bonis præfatis conficere, illaque, prout de reliquis Clericorum spoliis fieri solet, ad dilecti filii nostri moderni, & pro tempore existentis Generalis Thesaurarii manus redigere, dictæque Cameræ applicare cujusvis licentia desuper minimè requisita. Ac facultates, & desuper confectas literas prædictas, etiam motu, & scientia similibus, etiam in recompensam laborum, & obsequiorum etiam nobis, & Ecclesiæ Romanæ, dictæque Sedi impensorum, quomodolibet concessas, & etiam iteratis vicibus approbatas illarum omnium tenores præsentibus pro sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, in eventum obitus ejusmodi, etiam si in Urbe, aut ejus districtu, vel alibi extra suas Ecclesias, ut præfertur, contigerit, ex nunc prout ex tunc, & contrà, in dictæ contumaciæ pœnam ejusdem potestatis plenitudine, & tenore revocamus, cassamus, & annullamus; Ac tam eas, quàm earum prætextu quomodolibet pro tempore, condita, factaque testamenta, codicillos, legata, donationes, & alias dispositiones quaslibet, etiam ad pias causas, vel in remunerationem servitiorum, nulla, invalida, nulliusque roboris, vel momenti fore, neque cuiquam contra præsentium tenorem suffragari. Et sic per quoscunque Judices, & Commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales in quavis instantia, sublata, eis, & eorum cuilibet quavis aliàs judicandi, & interpretandi facultate, judicari, & diffiniri debere, ac quidquid secus, à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter attentari contigerit, irritum, & inane decernimus. Per hoc autem nostris, & Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum ordinationibus, reservationibus, & decretis, quoad Prælatorum, & aliorum Beneficiatorum, etiam in suis Ecclesiis, aut Diœcesibus residentium, & ibi decedentium, quæ etiam ampliamus, & extendimus ad habentes Ecclesias in Urbis districtu, ibique residentes, & decedentes, spolia Cameræ Apostolicæ applicata hactenus emanatis nullatenus præjudicare, neque quidquam in eis alterare intendimus; sed ea in suo robore, ut antea manere volumus, præterquam quoad eos, qui in suis Ecclesiis juxta formam prædicti Concilii resederint, & specialem licentiam testandi habuerint, hanc enim tantùm salvam eis esse volumus; ita ut generalis licentia testandi eis, quamquam residentibus minimè suffragetur; sed sola speciali, si quam habuerint, tueri se possint. Ceterum, &c. Non obstan. &c.

Aliam Constitutionem edidit idem Pius IV. anno 1560. die 13. Septembris, incipientem, *de salute gregis Domini*, quæ pariter conformis est pœnis constitutis à Concil. Trident. *loc. cit.* quæ videri potest apud Quarant. *verb. residentia pag. mihi* 446. Post quam Constitutionem idem Pontifex pro executione decretorum d. Concilii Tridentini & ejusdem Constitutionis edidit illam, quam supra retulimus.

DISPVTATIO XV.

De exemptiõnibus Abbatum, & aliorum Prælatòrum Episcopis inferiorum.

Quæst. I. *Vtrùm Abbates, & Prælati Regulares, eorumque Monasteria ab Ordinariorum jurisdictione exempta sint.*

II. *Quo jure Abbates, & Prælati Regulares, ac Religiosi ab Ordinariorum jurisdictione exempti sint.*

III. *Vnde habuit originem hujusmodi exemptio Abbatum, Prælatorum, & Monachorum.*

IV. *Quandonam Abbates, ac alii Regulares Prælati, & Religiosi ab Ordinariorum jurisdictione exempti esse cœperint.*

V. *Qua forma, & per quæ verba probetur Abbatiarum, & Religionum exemptio ab Ordinariorum jurisdictione.*

VI. *Qua ratione Abbas, & Prælatus Regularis ab Ordinariorum molestiis jura sua tueri possint.*

VII. *Vtrùm per privilegia exemptionum Abbates, & cæteri Regulares in omnibus ab Ordinariorum jurisdictione exempti sint.*

VIII. *Vtrum exemptis, ad evitandam manutentionem Ordinario debitam in quasi possessione jurisdictionis, sufficiat exhibere privilegiorum exemptiones.*

IX. *Vtrum per privilegia exemptionis Abbates, & Prælati Episcopo inferiores dicantur habere territorium, vel nullius Diœcesis sint.*

X. *Pendente lite inter Abbatem, & Episcopum super exemptione, ad quem pertineat jurisdictio.*

XI. *Vtrum Abbatia Regularis exempta effecta secularis remaneat exempta.*

XII. *Vtrum Abbates, & Prælati exempti possint exemptioni renunciare.*

XIII. *Vtrum Episcopus Regulares Ecclesias, & Monasteria sibi subjecta à sua jurisdictione eximere possit.*

XIV. *Vtrum Episcopus in Monasteriis, & locis Abbatum, & Prælatorum exemptorum pro tribunali sedere possit.*

XV. *Vtrum Episcopus in Ecclesia Abbatiali exempta Pontificalia exercere possit.*

XVI. *Vtrum de legatu factis Monasteriis, & Ecclesiis exemptis teneantur earum Abbates, & Prælati canonicam portionem Episcopo solvere.*

XVII. *Vtrum Abbates, & Prælati Regulares teneantur quartam funeralem Parochis, vel Episcopis solvere.*

XVIII. *Vtrum Abbates, & Prælati Regulares, & Religiosi à decimarum solutione sint exempti.*

XIX. *An Abbates, & alii Prælati Ecclesiastici à civili potestate sint exempti, & quo jure.*

XX. *Vtrum Abbatum aliorumque Prælatorum facultates, & bona à civili, & laïca potestate sint exempta.*

XXI. *Vtrum Abbates, & Prælati Ecclesiastici à datiis, gabellis, vectigalibus, & aliis oneribus tam realibus, quàm personalibus exempti sint.*

XXII. *An Monasterium hæres institutus à Laïco, qui coram Iudice suo in jus vocatus fuerat super aliqua causa civili, coram Iudice laïco super eadem causa respondere, vel coram suo Iudice Ecclesiastico remitti, & conveniri debeat.*

QUÆSITUM I.

An Abbates, & Prælati Regulares, eorumque Monasteria ab ordinariorum jurisdictione exempta sint.

SUMMARIUM.

1 *Religiosi omnes olim Episcopo Diœcesano subjiciebantur.*

2 *Episcopus in tota sua Diœcesi super omnimoda jurisdictione contra omnes Ecclesiasticos fundatam habet intentionem de jure communi.*

3 *Joannes III. Summus Pontifex Primus in Gallia Monasterium Divi Medardi Suessonum exemit.*

4 *Divum Gregorium Magnum primum in Italia Regulares ab Ordinariorum jurisdictione eximere cœpit.*

5 *Gratiani error in superscriptione* Canonis, quam necessarium 18. quæst. 2. *deprehenditur.*

6 *Exempti ab ordinariis an censeantur exempti à Legatis Papæ.*

7 *An à legatis natis.*

MONACHOS omnes olim Episcoporum jurisdictioni subjectos fuisse, probatur per nonnulla jura, & Concilia. Primò ex Concilio Calcedonensi *Action. 6. can. 1. & act. 15. can. placuit*, ubi dicitur: *Placuit nullum usquam ædificare, aut constituere Monasterium, vel Oratorii domum præter conscientiam Episcopi Civitatis, Monachos verò per unamquamque Civitatem, aut Regionem subjectos esse Episcopo.* Et in fine Can. subditur: *Veruntamen Episcopum convenit Civitatis competentem Monasteriorum providentiam gerere.* Refertur à Gratiano *in Can. quidam Monachorum 18. q. 2.* Concil. Trullanum *cap. 40. & 41.* prohibet, quemquam in Monasterium admitti, aut in Eremum secedere, & Anachoresim profiteri, sine prævia examinatione Episcopi, quod latè prosequitur Synodus Provincialis Constantinopolitana *cap. 2.* Idem habetur in Concilio Niceno I. *c. 14.* ex Arabico. Item Synodus prima secunda *can. 17.* docet: nec ullum Monasterium sine Episcopi consensu ædificandum; additque ritum, scilicet, ut Episcopus Crucem figat eo loco, ubi Monasterii fundamenta jacienda sunt, precesque tum fundat, ac præmissa ædificatione curet describi, quæ ad Monasterii dispensationem, & Monachorum sufficientiam à fundatore danda sunt; atque adeò Monasterium Episcopatui subjiciatur, harumque rerum omnium breve, & instrumentum publicum conficiatur, quod in Archiviis Episcopalibus reponatur; & in eadem Synodo prima secunda *can. 4.* statuitur, in Episcoporum potestate situm esse, non solùm Monachos ex uno in aliud Monasterium transferre, verùm etiam illos secularibus ædibus præficere. Item ex Concilio Calcedonen. *can. 23.* non licebat Monachis Constantinopolim proficisci absque proprii Episcopi, vel mandatis negotiis, vel saltim literis dimissoriis. Item ex Concilio Carthaginen. V. cui Episcopi ex universa Africa interfuerunt *can. 13.* habetur, quòd nullus Monachus, vel ordinari possit, & in Clerum coaptari, vel alicui Monasterio præfici ab alio Episcopo sine proprii Episcopi licentia, & consensu. Item in Concilio Toletano II. *can. 1.* dicitur: *Quos voluntas parentum à primis infantiæ annis in Clericatus officio, vel Monachali posuit, statutum, ut cum mox detonsi, vel Monasterio electorum contraditi fuerint, in domo Ecclesiæ sub Episcopali præsentia à præposito sibi debeant erudiri, & ubi legitimam attigerint ætatem, ab Episcopo de promissione castimoniæ sua absque conjugali necessitate, examinentur.* Item Concil. Tolet. IV. *cap. 50. qui nec inter Clericos, nec inter Monachos habentur, sive hi, qui per diversa loca vagè feruntur, ab Episcopis, in quorum Conventu commorari noscuntur, licentia eorum coerceatur, ut aut in Clero, aut in Monasterio deputentur præter eos, qui ab Episcopo suo, aut propter ætatem, aut propter languorem fuerint absoluti.* Item Concil. Cabilon. I. *can. 15. Abbates, vel Monachi, aut agentes Monasteriorum patrocinio seculari penitùs non utantur, seu ad Principis præsentiam, sine Episcopi sui permissa, ambulare audeant; quod si fecerint, à suis Episcopis excommunicentur.* Item in Synodo Augustana celebrata circa annum Domini 952. *cap. 6.* sic dicitur: *Oportet etiam Episcopum in cujus Diœcesi Cœnobium situm est Monachorum providentiam gerere, & si aliquod correctione dignum repererit, corrigere festinet.* Et Concil. Vernen. *cap. 3. Ut unusquisque Episcoporum potestatem habeat in sua Parochia tam de Clero, quàm de Regularibus, vel secularibus ad corrigendum, & emendandum Ordinem Canonicum spiritualem, ut sic vivant, qualiter Domino placere possint.* Item in Concilio Aurelianen. I. *cap. 21.* dicitur: *Abbates pro humilitate Religionis in Episcoporum potestate consistant, & si quid extra Regulam fecerint ab Episcopis corrigantur, qui semel in anno in loco ubi Episcopus elegerit, accepta vocatione conveniant;* refertur *in can. Abbates 18. quæst. 2.* Idem Concil. Aurelianen. II. *can. 21. Abbates, qui Episcoporum præcepta despiciunt, ad communionem, nec penitùs admittantur, nisi contumaciam humilitate suscepta deponant.* Idem habetur 18. *quæst. 2. per totum.* Idem colligitur ex jure Cæsareo, nam Justinianus *in novella* 123. *cap. 4.* ait: *Sed etiam uniuscujusque Civitatis Episcopus hujus rei (id est Monasteriorum, & Monachorum regendorum) providentiam habeat, sive Patriarcha, sive Metropolita, sive singuli sunt Episcoporum, & Reverendissimos Defensores mittant hæc requirentes, & servantes, & non sinentes quidquam fieri extra, quàm decet: sed & si quod fiat, velociter hoc emendare.* Item *l. 40. C. de Episcop. & Cleric. Monasteria degunt, seu censentur Episcopis subditorum suorum, & Abbatum quidem curam gerunt Episcopi, Monachorum verò Abbates.* Et *l. 44. tit. eod. Sed, & observatione, & cautela diligenti opus est, ne ullo modo prætereantur hæc (agitur de Sanctimonialibus*

monialibus ab omni virorum consortio removendis) quod non aliter contingent, quàm si Deo amantissimi ujusque Civitatis Episcopi inspiciant diligenter Monachorum degentium in Monasteriis sub sua cura ordinatis conversationes: & si quid senserint hujusmodi lapsus, omnibusque modis compescant tale ipsorum inceptum, & pœnis subjiciant eos, qui post nostram prohibitionem adhuc talia perpetrant. Et *tit. eodem l. 47.* Imperator vult, Abbatem à Monachis electum ab Episcopo confirmari debere. Item *l. 6. C. de Episcop. audient.* sic dicitur: *addictos supplicio, & pro criminum immanitate damnatos nulli Clericorum, vel Monachorum eorum, etiam quos synoditas vocant, per vim, atque usurpationem vindicare liceat, ac tenere. Sed & reos ad locum pœna sub persecutione pergentes, nullus teneat, aut defendat, sed sciat se cognitor triginta librarum auri mulcta, & primates officii capitali esse sententia feriendos, nisi usurpatio ista vindicetur. At si tanta Clericorum, aut Monachorum audacia est, ut bellum, quod judicium futurum esse existimetur, ad elementiam nostram commissa referantur, ut arbitrio nostro mox severior ultrò procedat ad Episcoporum sanè culpam, ut cætera redundabit, si quid fortè in ea parte Religionis, in qua ipsi Populos Christiana Religionis doctrina insinuatione moderantur, ex iis quæ fieri hac lege prohibemus, à Monachis perpetratum esse cognoverint, nec vindicaverint.* Qui plura conciliorum antiquorum decreta, & auctoritates super hac materia desiderat, legat Joannem Filesac. *in tractatu de Sacra Episcoporum auctoritate per tot.* ubi fusiùs hanc rem prosequendo, quamplurimas Conciliorum, tam Generalium, quàm Nationalium, & Provincialium, sanctiones congessit.

Ex quibus omnibus clarè constat, Abbates, & Monachos olim locorum Ordinariis subjectos fuisse, & tunc Episcopi in eorum Diœcesibus se habebant uti Generales, & recipiebant Novitios, & admittebant ad professionem in Monasteriis, ut constat ex *d. cap. viduitatis 27. quæst. 1.* præficiebant Abbates Monasteriis, ac illos ex causa deponebant, ut traditur *in cap. si quis Abbas* 18. *quæst. 1.*

2 Et ideò Episcopi, in tota sua Diœcesi super omnimoda jurisdictione, tam contra Regulares, quàm contra seculares, de jure fundatam habent intentionem, *cap. cùm persona de privileg. in 6. cap. cùm contingat,* & *ibi* DD. *de for. compet. c. 1. de offic. Ordin.* Dec. *in cap. sua nobis 4. notab. de confirmat. util. vel inut.* Caputaq. *decis. 306. part. 1. & 203. p. 2.* Rota *decis. 15. n. 2. & decis. 17. n. 1. & decis. 156. n. 4. & decis. 491. num. 1. in fine, & decis. 171. num. 2. part. 1. Recentior.* & alii communiter.

3 Verùm postea, cùm ipsi Episcopi, variis suorum munerum occupationibus distracti, atque impediti, Religiosorum moribus parum curarent, ac illos multoties defatigarent, effecerunt, ut Monasteria pleraque ipsorum excuterent jugum, ac Apostolicæ Sedis jurisdictione sese immediatè subjicerent.

Primam exemptionem Regularibus concessam fuisse reperio anno 5·9. die 21. Augusti, Abbatiæ D. Germani Parisien. ut refert Renat. Choppin. *Monast. lib. 1. tit. 2. n. 19. in margine,* ubi refert etiam aliud privilegium concessum Monasterio D. Medardi Suessionum à Joanne III. qui Pontifex assumptus fuit ad Pontificatum anno 559. & sic triginta circiter annos ante D. Gregorium Magnum, qui anno 590. exemptionem pro Monasterio à Joanne III. concessam confirmavit, & de novo concessit, quorum diplomata *inferiùs quæst. 4. hujus disput.* afferam; idem D. Gregorius Magnus primus in Italia prohibuit, *Episco-
4 pum cathedram suam in Monasterio collocare, vel quamlibet potestatem habere imperandi, vel aliquam ordinationem, quamvis levissimam faciendi, nisi ab Abbate loci fuerit rogatus, quatenus Monachi semper maneant in Abbatum suorum potestate. Nec ullus Episcoporum ultrà præsumat, de redditibus, vel rebus, vel chartis Monasteriorum, vel de cellis, vel de villis quæ ad ea pertinent, quocunque modo, qualibet exquisitione minuere, vel dolos, vel immissiones, aut violentias aliquas facere.* Quæ omnia habentur *in can. quàm sit necessarium, & can. luminoso, 18. quæst. 2.* Et hæc fuit prima Monachorum, & Monasteriorum exemptio ab Episcoporum potestate in Italia, auctore B. Gregorio.

5 Verùm hæc exemptio à D. Gregorio Magno concessa, & à Gratiano *in d. can. quàm sit necessarium,* relata, universalis non fuit; quia licèt omnibus Monachis concessa sit, (quod non est verum, ut infra patebit) tamen ibi non plenariè, & omninò, ab Episcoporum jurisdictione eximuntur, ut patet legenti, & notat Suarez *de Relig. tom. 4. tract. 8. lib. 2. c. 1. num. ult.* tum etiam, quia, etsi ex superscriptione *d. canoni, quàm sit necessarium,* à Gratiano apposita, videri possit, illam concessionem omnibus Monachis factam fuisse, sic enim inscripsit, *Item Gregorius omnibus Episcopis de libertate Monachorum*: tamen, ut observat insignis I. V. peritus Augustinus Barbosa *in suo eruditissimo tractatu de officio, & potestate Episcopi, part. 3. allegat 105. num. 11. & sequenti*: veritas aliter se habet; nam si spectetur originale unde d. canon desumptus fuit, quod est Registratum D. Gregorii *lib. 7. epist. 1. & epist. 18.* auctoritas illa sub longè diversa subscriptione reperitur; non omnibus, namque Episcopis, neque pro omnibus Monachis, sed pro uno tantùm Monasterio, uni tantùm Episcopo directa est, sic enim habet: *Gregorius Episcopo Ravennati privilegium dat Monasterio SS. Joannis, & Stephani*; Gratianus ergo in superscriptione illius canonis tripliciter erravit; primo narrando Epistolam D. Gregorii ad omnes Episcopos directam fuisse, & originale, ad solum Ravennaten. Episcopum missum fuisse ostendat; secundò, quia inquit indefinitè de libertate Monachorum, unde videtur velle, eas exemptiones omnibus Monachis concessas fuisse, quia indefinita æquipollet universali, gloss. *in cap. ut circa verb. aliorum Ecclesiasticorum, de elect. in 6.* & tamen D. Gregorius *ibi* uni tantùm SS. Joannis, & Stephani Cœnobio libertatem dederit, ut patet ex contextu originali, ibi *& ideo, quia Monasterium, &c.* & ibi *prædicti Monasterii*; tertiò, quia in d. canone, *quàm sit necessarium,* in plurali retulit verbum, *Monasteriorum,* & tamen in originali, in numero tantùm singulari, reperitur; quæ veritas insuper apertè colligitur, ex textu *in cap. cùm dilectus, de relig. domib. & cap. in singulis, & cap. ult. de stat. Monac.* ex quibus supponitur aliqua extitisse Monasteria exempta, licèt alia ejusdem Ordinis Diœcesano Episcopo subjecta essent, prout hodie sunt etiam Monialium Monasteria, quæ cùm sub eadem Regula, v. g. Sancti Benedicti, aut Francisci militent; tamen alia Ordinariis, alia Regularibus Prælatis exemptis subsunt: & tamen dicti textus longè post D. Gregorii tempora emanarunt; quòd si omnia Monasteria exempta fuissent, non supponerentur in citatis juribus, aliqua eorum Ordinarii ditioni subjacere.

Hodiè verò de Regularium libertate nullus est dubitandi locus; quia deinde per lapsum temporis omnes Monachorum Congregationes, & Religiones, ex speciali Sedis Apostolicæ gratia, & Summorum Pontificum benignitate, plenariam, ac omnimodam exemptionem obtinuerunt, ut patet in libris privilegiorum singulorum Ordinum. Immo in approbatione, seu confirmatione alicujus Religionis, videtur Summus Pontifex tribuere ejus Prælatis facultatem, & auctoritatem seipsos, & sibi subditos gubernandi, & videtur omnes ejusdem Religionis alumnos, & possessores, ipsorum Prælatorum jurisdictioni, & Domino, subji-

cere: ut docet Bannes 2. 2. q. 1. *art.* 10. *dub.* 8, *concluſ.* 6. & quod Religioſi exempti ſint, hodie eſt certiſſimum apud omnes; exinde iidem Monachi, & Religioſi in Concilio Tridentino exempti paſſim appellantur, ut obſervat Navarr. *in cap. non dicatis. num.* 63. *& in cap. nullam* 18. *quæſt.* 1. *num.* 40. *& ſeq.*

6 Advertendum autem, quòd exemptus à Summo Pontifice à jurisdictione cujuslibet ordinarii, non cenſetur exemptus à jurisdictione Legati ipſius Summi Pontificis, per text. *in cap. ſi Abbatem, de elect. in* 6 notant Joan. Andr *in cap.* 1. *poſt princ. verſ. ergo cùm Legatus liget eos*, per illum text. *de verb. ſignif. eod. lib.* 6. Ludovic. Roman. *ſingul.* 507. An exemptus, Man-
7 doſ. *de ſignat. grat. verb. exemptiones ab Epiſcopis, verſ. amplio, ut exemptio*; ſecus tamen dicendum eſt de Legatis natis, quia exempti eis non ſubjiciuntur, Bald. *conſ.* 337. *vol.* 4. *juxta novam impreſſ.* Marian. Soccin. *de viſitat. lib.* 11. *in* 2. *q.* 15. *q. princ. poſt n.* 46. *verſ. ſed in Legatis natis*, quos refert & ſequitur Mandoſ. *loco cit. verſ. ſeq.*

QUÆSITUM II.

Quo jure Abbates, & Prælati Regulares, ac Religioſi ab Ordinariorum juriſdictione exempti ſunt.

SUMMARIUM.

1 *Abbates, & Religioſos, de jure communi exemptos eſſe, arguitur.*

2 *Poteſtas ordinaria in propria Diœceſi de jure communi eſt tota penes Epiſcopum.*

3 *Exemptio ab Ordinariorum juriſdictione Regularibus ex privilegio, non ex jure communi provenit.*

4 *Abbates, & Prælati Regulares habent juriſdictionem quaſi Epiſcopalem.*

1 VIdetur dicendum, quòd ſint exempti de jure communi: nam *in can. nullam* 18. *quæſt.* 2. dicitur totam poteſtatem Monaſterii ad Abbatem pertinere; quæ verba videntur, non ſolùm quoad forum interius, ſed etiam quoad exterius omnem jurisdictionem in Monachos Abbatibus tribuere; cum abſolutè in eo dicatur, totam poteſtatem ad Abbatem pertinere; & ſic quod Regulares, & Monachi coram ſuo Abbate indiſtinctè conveniri debeant; exceptis graviſſimis criminibus, per quæ venirent deponendi, ut ait gloſſ. *in c. quod, de offic. Ordin.* & alii multi, qui eam ſequuntur, & communem teſtatur Romanus *conſ.* 375. *n.* 2. & Boër. *deciſ.* 271. *n.* 4 qui moventur auctoritate *cap. ſicut il.* 2. *de ſimon.* ubi probatur, Abbates aliquando ſuos Monachos judicaſſe.

2 Verùm his auctoritatibus non obſtantibus, eſt reſolvendum de jure communi Monachos Epiſcopis ſubeſſe; quia cùm eodem jure communi tota poteſtas ordinaria in propria Diœceſi ſit penes Epiſcopum, *cap. omnes Baſilicæ, & cap. domus* 16. *quæſt.* 7. *&* 10. *q.* 1. *per tot. & cap. venerabiles de Relig. domib.* facit *cap. cùm Epiſcopus de offic. Ordin. in* 6. *cap.* 1. *exer. de offic. Ordin. cap. obitam* 61. *diſt.* non eſt ab illis auferenda, & inferioribus contra jus tradenda; niſi hoc per aliquam legem expreſſum habeatur, adnotata per Dec. *in l.* 1. *ff. de reg. jur.* Nulla autem extat lex Canonica, per quam tota jurisdictio in Monachos Abbatibus tribuatur, & Epiſcopis eximatur; ſecundùm regulam prædictæ legis; ergo ex eodem jure communi non poteſt hujuſmodi plenaria jurisdictio Abbatibus competere; ſi enim ad illos pertineret, hoc eſſet, vel ex eo quòd ſunt Rectores illius Monaſterii, vel ex eo quia à Sede Apoſtolica approbationem habent; vel quia ex aliquo jure illis jurisdictio eſſet impartita. Primo modo non poteſt contingere; privati enim homines non poſſunt jurisdictionem, quæ eſt publica poteſtas, tribuere; nec ſecundo: nam Summus Pontifex, approbando regulam non tribuit, niſi poteſtatem ad Monaſterii gubernationem, & obſervantiam Regulæ neceſſariam; nec ex aliqua lege: nam illud *can. nullam* 18. *quæſt.* 2. ſubjicit Monachos Abbatibus in his quæ ſpectant ad Regulæ obſervantiam, & Religionis adminiſtrationem tantùm, ut patet ex his verbis *d. c. ad divini cultus reverentiam, & utilitatem Monaſterii*, neque dum inquit, *totam poteſtatem Monaſterii ad Abbatem pertinere*, excludit Epiſcopum, ſed Monachos, ut notat gloſſ. ibi, *in verb. tota*, Rota *deciſ.* 15. *n.* 11. *p.* 1. *recent.* Nec obſtat *de cap. ſicut*, ubi probatur, aliquando Monachos à ſuis Abbatibus fuiſſe judicatos. Reſp. enim, id feciſſe non ex jure communi, ſed ex ſpeciali conceſſione, ſeu privilegio Sedis Apoſtolicæ.

Igitur conſtat de jure communi Monachos Epiſcoporum jurisdictioni eſſe ſubjectos, & quod exemptiones illis ex privilegiis proveniant; attentis enim Summorum Pontificum indultis, Religioſi ferè omnes à Diœceſanorum Epiſcoporum, & Ordinariorum jurisdictione hodie exempti ſunt; ſive per privilegia directè eis conceſſa, ſive indirectè per communicationem. 3

Unde Abbates, & Prælati Regulares hodie habent jurisdictionem quaſi Epiſcopalem, juxta gloſſ. *in clem.* 1. *verb. propriis de reb. Eccleſ. non alien.* Navar. *comment.* 2. *de Regular. n.* 63. *verſ. addo ſecundo*, Chokier. *de juriſd. Ordin. in exempt. p.* 1. *q.* 17. *n.* 9. *&* 25. Sayr. *de cenſur. lib.* 4. *cap.* 2. *n.* 12. Mandoſ. *de ſignat. grat. verb. exempt.* Anton. Corn. *in tract. de abſolut. à juram. p.* 2. *q* 4. *n.* 28. Campanil. *in diverſ. jur. canonic. rub.* 12. *c.* 13. *n.* 2. Fuſch. *de viſit. lib.* 2. *c.* 15. *ant. n.* 1. Zuch. *inſtit. can. lib.* 1. *tit.* 6. *n.* 68. Roderic. *regular. q. tom.* 2. *q.* 63. *art.* 3. Aug. Barboſ. *de offic. & poteſt. Epiſc. alleg.* 105. *n.* 4. & alii. 4

QUÆSITUM III.

Vnde habuit originem exemptio Abbatum, & Monachorum.

SUMMARIUM.

1 *Exemptiones unde ortum habuerint.*

2 *Pater iniquè ſe habens in filium, cogitur illum emancipare.*

3 *Dominus iniquus in ſervum cogitur eum manumittere.*

4 *Vaſſallos gravans, feudo privatur.*

5 *Exempti fuerant Religioſi ab Ordinariis, ob diverſa gravamina, quæ illis inferebant:* & num. 16.

6 *Subditi, ex moribus Principis, ſive cujuſque Superioribus aſperioribus, & pravo juriſdictionis uſu, ſubducuntur ab ejus juriſdictione.*

7 *Exemptio ſubdito ab ordinario conceditur propter litem gravem, nec temerè ſuſceptam:* Contrarium, num. 10.

8 *Exemptio ut concedatur ſubdito ab Ordinario propter litem, non eſt neceſſaria aliqua probatio malæ tractationis, aut vehementis ſuſpicionis futuræ ſævitiæ, ſed ſufficit, ut de ea dubitari poſſit ex præſumptionibus quæ ex ſola lite oriuntur.* Contrarium, num. 12.

9 *Exemptio conceſſa ſubdito durante lite, cenſetur etiam durare in judicio reſtitutionis in integrum.*

11 *Exemptio propter litem non eſt indiſtinctè concedenda, ne aliàs ſubditi facilè procurent lites contra Superiores, & eas diutiùs protrahant.*

13 *Eximere, eſt propriè Summi Pontificis; & exemptionis materia tota poſita eſt in arbitrio Papæ,* num. 14.

15 *Exemptionis cauſa finalis quænam ſit.*

ORtum habuerunt exemptiones ex jure emancipationum, & manumiſſionum, à privatione dominii, vel jurisdictionis, & ſimilium, ut aſſerit Chokier. *de juriſdiction. ordin. in exempt. part.* 1. *quæſt.* 1. *numer.* 12. 1

Quia

2 Quia sicutipater, iniquè se habens in filium, compelli-
tur, ut illum emancipet, gloss. *in* §. *ultimo Instit. qui-*
bus mod. jus. patr. potestat. solvit. gloss. *in cap. constitu-*
tus, verb. emancipavit, de restitut. in integr. & sicut Do-
minus iniquus in servum, ut eum manumittat, *l. si leno-*
3 *nes C. de Episcop. audient. l. fui C. de spectat. lib.* 11.
Quemadmodum etiam Dominus, subditos, vel vassal-
4 los suos gravans, jurisdictione, seu feudo privatur, ut ait
Boer. *decis.* 305. *num.* 5. Curt. *de feud. part.* 6. *per tot.*
5 Ita cùm, succedente tempore, compertum esset,
quòd Episcopi, Archiepiscopi, & Patriarchæ suarum
Prælationum administratione occupati, de Cœnobita-
rum moribus parum solliciti, illos, eorumque Mona-
steria, & Capitula plerumque defatigabant diversimo-
dè; prout *in cap. nimis iniqua, & cap nimis prava, de*
excess. Prel. ubi describuntur viginti septem gravamina,
quæ Prælati Religiosis inferebant, & *clem. unica eodem*
tit. ubi Clemens V. in Concilio Viennen. providet
contra triginta gravamina per Episcopos, & Superiores
inferri solita; Sedi Apostolicæ expediens visum fuit,
concedere exemptiones omnibus ferè Congregationi-
bus, & Religiosis, ac illos sibi immediatè subjicere;
ut patet in eorum privileg. seu indultis Apostolicis, ita
Quintil. Mandos. *de signat. grat. verb. exemptiones ab*
6 *Episcop.* Ren. Chop. *Monast. lib.* 1. *tit.* 2. *n.* 19. Erasm.
Chokier. *d. q.* 2. *n.* 13. Sicut etiam ex moribus Principis,
sive cujusque Superioris asperioribus, aut pravo jurisdi-
ctionis usu subducuntur subditi ab ejus jurisdictione
cap. olim, & cap. ex parte de accusat. Joan. Faber. *in* §.
fin. instit. de his qui sunt sui vel alien. jur. Roland. *cons.*
13. *n.* 30. *vol.* 3. & *cons.* 40. *n.* 23. & 32. *vol.* 4. Guipod.
q. 62. *n.* 1. Achill. *decis.* 362. *alias* 16. *de privileg.* &
Rota *in Gerunden. exemptionis* 11. *Maji* 1629. *coram R.*
P. D. Verospio, qua in fin. operis est decis. 35. in qua fuit
7 dictum, posse concedi exemptionem subdito ligitanti
cum suo Ordinario durante lite, & quod eam concedere
solet tam signatura quàm Sacra Congregatio super ne-
gotiis Episcoporum, & Regularium, ubi litem gra-
vem, nec temerè susceptam cognoverit, ut post Cassa-
dor. *decis.* 6. *de privileg.* restantur etiam Lancellot. *de*
attent. lit. pend p. 2. *c.* 4. *declarat.* 4. *n.* 41. Gonzal. *ad*
reg. 8. *Cancellar. gloss.* 46. *n.* 18. Marches. *de commiss.*
avocat. causar. p. 2. §. 1. *n.* 76. Paris. *de resignat lib.* 3. *q.*
8 11 *n.* 7. Nec est necessaria aliqua probatio malæ tracta-
tionis, aut vehementis suspicionis futuræ sævitiæ, sed
sufficit, ut de ea dubitari possit, ex præsumptionibus,
quæ ex sola lite oriuntur. Mandos. *de inhibit. q.* 104.
n. 5. Marches. *d. n.* 36. Rota *decis.* 3. *de rescript. in nov.*
cum aliis alleg. in d. Gerunden. exemptionis n. 4. & 6.
9 Quæ exemptio concessa subdito durante lite, censetur
durare etiam in judicio restitutionis in integrum. Lan-
cellot. *de attent. restit. in integrum pend. n.* 130. ubi re-
fert *decisionen in Barchinonen. exemptionis coram Ca-*
pizucco, & dixit etiam Rota *in Romana aditionis hæ-*
reditatis 20. *Martii* 1628. *coram Reverendiss. D. Cocci-*
no Decano.
10 Verum aliquando signatura propter litem non solet
simpliciter rescribere super exemptione, sed cum fa-
cultate inhibendi causa cognita, quo casu Rota non
dat inhibitionem nisi constet de sævitia Superioris, ut *in*
decis. Achill. 16. *de privileg.* in qua exemptio fuerat
commissa cum clausula *constito de sævitia, & in Hi-*
spalen. exemptionis 15. *Decembris* 1614. *coram Eminen-*
tiss. D. Cardinale Joanne Baptista Pamphilio, qua in fine
operis est decis. 36. *num.* 2. & 3. *ubi num.* 4. quòd hu-
11 jusmodi exemptio non est indistinctè concedenda, ne
aliàs subditi facilè procurent lites contra Superiores, &
eas diutius protrahant, ut exemptionem obtineant, &
sic præstetur eis occasio delinquendi, ut tradit Cassador.
12 *d. decis.* 6. *de privileg. num.* 5. Nec dicitur constare
de sævitia, ex quo superior carceraverit subditum, cum
quo litigabat, nisi carceratio probetur propter lites,
quod non præsumitur. Achill. *d. decis.* 16. *de privileg.*
Rota *in d. Hispalen. exemptionis in fine.*
Causa autem efficiens harum exemptionum est pro- 13
priè Summus Pontifex, *cap. frater, verb. & cùm opor-*
tuisset 16. *qu.* 1. *cap. luminoso* 18. *q.* 2. *cap.* 1. *junctâ*
gloss. verb. exemptiones, de privileg. in 6. Ancharan.
cons. 152. *num.* 5. Mandos. *loc. cit.* Et tota hæc materia 14
exemptionis est posita in arbitrio Summi Pontificis. Ab-
bas *in cap. litteras num.* 7. *de restit. spol.* Roman. *cons.*
37. cum aliis per Marches. *de commiss. part.* 2. *tit. de*
commiss. avoc. §. 2 *sub. num.* 36. Rota *in d. Gerunden.*
exemptionis 11. *Maji* 1629. *coram R. P. D. Verospio*
num. 1.
Impulsiva est oppressio Ordinariorum, ut ait Re- 15
buff. *resp.* 142. Mandos. *loco cit. vers. verùm succeden-*
te tempore. Rota *in Ulixbonen. Monasterii* 19. *No-*
vemb. 1625. *coram Reverendiss. D. Coccino Decano quæ*
in fine operis est decis. 82. *n.* 25.
Finalis causa exemptionis est, tum favor Sedis Apo- 16
stolicæ, cujus interest multos sibi proximè subjectos
habere, *clem. Pastoralis de re jud.* Rebuff. *de resp.* 142.
tum etiam, ut exempti cum majori quiete sub umbra
ejusdem Sedis positi Religioni officiis, & contempla-
tioni operam dare valeant, *canon. quàm sit necessarium*
18. *qu.* 2. Rebuffus *loco cit.*

QUÆSITUM IV.

Quandonam Abbates, ac alii Regulares Prælati, & Religiosi ab Ordinariorum jurisdictione exempti esse cœperint.

SUMMARIUM.

1 *Exemptio antiquissima quorundam Monasteriorum & Abbatiarum recensetur, cum testimonio Apostolicarum Constitutionum.*
2 *Cluniacensis Ordo à quonam exemptionem totalem obtinuerit.*
3 *Casinensis Congregatio à quo plenariè ab Ordinariorum jurisdictione soluta fuerit.*
4 *Canonicorum Regularium exemptionis initium.*
5 *Camaldulensis Ordinis plenaria exemptio.*
6 *Universalis omnium nostra Congregationis Monasteriorum, ac locorum, & personarum immunitas ab ordinariorum, & aliorum potestate.*
7 *Cistercien. Ordinis exemptio.*
8 *Celestinorum Ordinis exemptio.*
9 *Sylvestrinorum exemptio.*
10 *Ordinis Monachorum Montis Oliveti exemptio.*
11 *Ordinis Monachorum Beatæ Mariæ Montis Virginis exemptio.*
12 *Præmonstratensis Ordinis exemptio.*
13 *Carthusianorum Ordinis exemptio.*
14 *Ordinis D. Basilii exemptio.*
15 *Ordo Fratrum S. Spiritus de Urbe à quo exemptionis privilegium obtinuerit.*
16 *Ordo S. Antonii Viennen.*
17 *Prædicatorum Ordinis exemptiones.*
18 *Fratrum Minorum S. Francisci exemptio.*
19 *Ordinis Eremitarum S. Augustini exemptio.*
20 *Ordinis Carmelitani exemptio.*
21 *Fratres Cruciferi à quonam fuerint exempti.*
22 *Ordinis Servorum B. Mariæ exemptio.*
23 *Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula exemptio.*
24 *Congregationis Clericorum Regularium Theatinorum exemptio.*
25 *Clericorum Regularium S. Pauli Decollati exemptio.*
26 *Societatis Jesu exemptio.*
27 *Clericorum Regularium de Somascha exemptio.*
28 *Clerici Regulares Ministrantes infirmis à quo exemptionis indultum acceperint.*

89 *Religionis devoti Joannis Dei exemptio.*
90 *Clerici Regulares Scholarum piarum à quo fuerint exempti.*
31 *Exemptionis privilegium sustinetur etiam absque expressa derogatione regulæ de jure quæsito non tollendo.*

CUm omnium Monasteriorum, & Religionum, aliarumque Ecclesiarum (de quarum Abbatibus, & Prælatis est noster sermo) exemptiones in jure non habeantur, maximè quoad earundem exemptionum initium; ideò quoad fieri poterit quorundam Cœnobiorum antiquiores, deinde Religionum ferè omnium posteriores exemptiones hic recensentur, præcipuè Bullarum Apostolicarum verba easdem exemptiones indicantia, nec non aliquas Constitutiones Apostolicas, quæ non de facili reperiuntur, hoc eodem loco per extensum describam.

1 Prima ergo exemptio ab Ordinariorum jurisdictione illa videtur, quæ à D. Germano Parisien. Episcopo Monasterio D. Vincentii Ordinis S. Benedicti Parisiis donata fuit anno 509. die 21. Augusti, quam postea exemptionem D. Gregorius Magnus confirmavit & roboravit, sic attestante Aymon. *rer. Francic. lib. 2. cap. 2.* & Renat. Choppin. *Monast. lib. 1. tit. 2. n. 19.* cujus privilegii tenor est, qui sequitur:

Dominis Viris Apostolicis, Sanctis, & in Christo Fratribus omnibus Episcopis Parisiacæ Urbis, cum gratia Dei futuris, & cœlesti visione ditatis, Germanus Peccator &c. Childebertus Rex, post Deum, dum superesset, fuit nostra immunitas, securitas, pax, & recuperatio, ac sequestratio omnis à civili negotio. Nos vero in hac re pietati illius consulentes, cæterorum Regum velle stabiliri conantes, charitatem fraternæ dilectionis vestræ nobiscum volumus concordari: quatenùs illius sancti loci honor celeberrimus, & memoria jamdicti Principis gloriosè eniteat eodem in loco omnibus hujus ævi temporibus, habeatque Abbatem ex propria Congregatione ipsa Ecclesia, &c. Sancimus, ut nullus Metropolitanus, aut aliquis Suffragoneus ejus, causa alicujus ordinationis illud ingredi præsumat: nisi solummodò ab Abbate ejusdem loci vocatus venerit ad sanctitatis ministerium celebrandum, aut ad Ecclesias consecrandas, aut ad benedictiones Clericorum, vel Monachorum instituendas. Quod debitum renuere nullatenus debet. Cæterùm quidquid à die præsenti; tam à tempore meo, quàm Successorum meorum in Sede Parisiorum residentium Episcoporum, vel à Deum timentibus Principibus ejusdem plebis, in fiscis, villis, agris, in auro vel argento fuerit delegatum, sive donatum, ot ad integrum habeat, volo, rogo, conjuro. Decrevi etiam per hanc chartulam immunitatis, & cessionis; meam Basilicam Domini Vincentii supranominatam, sine gestorum obligatione manere. Et quia id antea consuetudo non fuit, modò à Regibus, & Principibus mihi est concessum, voluntatem pietatis vestræ in hoc prætermittere nolui, sed rationibus per vos roborari, & confirmari exposco, &c.

Renatus Choppin. *in Monasticon. lib. 1. titul. 2. num. 19.*

Anno verò circiter 559. Joannes III. Summus Pontifex exemptionem jam incœptam in Ecclesia Dei prosequens, Monasterium S. Medardi apud Suessones Ordinis S. Benedicti, in hanc, quæ sequitur, formam ab Ordinariorum imperio, & jurisdictione exemit.

Divina inspirante gratia, & præcellentissimi Regis Clotharii suadente clementia, Monasterio Sanctæ Mariæ, & Sancti Petri quod est extrà Suessorum Civitatem situm, ubi D. Medardus requiescit, & Daniel Abbas præesse videtur, hoc privilegium indulgemus: ut terras quas filius noster Clotharius ob salutem animæ suæ dedit, Croniacum scilicet, &c. liberè possideat. Hoc quoque autoritate Sanctæ Trinitatis, & inseparabilis Unitatis, vice Beati Petri Apostoli, coram Rege Clothario, & omnibus plebibus Franchorum, scilicet Archiepiscoporum, Episcoporum, Judicum, & omni populo Christianorum, Romanorum Principum decernimus, ut nullus Regum, Antistitum, Judicum, terras sanctæ Mariæ, & Domini Medardi, sive Ecclesias, Altaria, thelonea, decimas novas, banna, & freda exigat &c. Statuimus etiam, ut velut hæc Sedes Beati Petri libera constat ab omni servitio Regum & potentum, ita remota omni consuetudine pessima, Monachi Deo vacent liberi, & per omnia Regulæ sancti Benedicti artibus obediant sine ulla inquietudine. Præsenti quoque privilegio, hanc illis concedimus licentiam, ut defuncto Abbate quemcunque voluerint Archiepiscopum, Episcopum, causa ordinandi Abbatem, vocent, &c. Ac ne tantæ sublimitatis locus vilescat, eum Caput constituimus Monasteriorum totius Galliæ, nolliusque ditioni patimur esse subjectum, sed semper sub Regali custodia positus, hujus S.R.E. Antistitum auctoritate advocationem B. Petri habeat, &c.

Habetur apud Renatum Choppin *in Monast. lib. 1. num. 19.*

Hanc exemptionem confirmavit Sanctus Gregor. Papa anno circiter 592. per hæc quæ seqvuntur verba:

Auctoritate divina vice Beati Petri Apostolorum Principis, consensu omnium Romanorum Pontificum, & voluntate totius Senatus Romani, suadente nobis Viro Apostolico Anserico Suessorum urbis Pontifice, & omnium Galliæ Episcoporum favente judicio decernimus: ut nullus Archiepiscoporum, vel Archidiaconorum Fratres præfatæ Basilicæ, de ordinatione sui Abbatis, vel Ecclesiasticorum graduum assumptione inquietet: sed secundum prærogativam ipsius loci vobis modò recitatam, Beati prædecessores nostri Domini Joannis Papæ tempore decretam, & Apostolica auctoritate firmatam ordinationem sui Abbatis ipsi Fratres peragant, & Ecclesiasticorum graduum dignitatem suscipiant, consecrationes quoque fontium, & scrutinii mysteria in ipso Monasterio celebrent. Chrismatis quoque ac Olei, Altaris, Calicis, Corporalis, à quocunque voluerint Pontifice benedictionem expetant. Ne tantus honor à quocunque Rectore ullius occasionis causa, vel necessitas, intermittatur: ne vilescat tantæ sublimitatis locus S. Mariæ, & B. Petri, necnon, & Protomartyris, & Domini Medardi meritis sacratus, quem Caput Monasteriorum totius Galliæ constituimus, nulliusque ditioni patimur subesse: sed velut hæc sedes Romana speculationem suam toti Orbi indicit, & novas consuetudines omnibus mittit, & omnium personarum servitio caret; ita præfatus locus remota omni consuetudine pessima Regum, Antistitum, Judicum, exemplum divinæ Religionis, & honestatis cæteris exhibeat Monasteriis, & super ea plena gaudeat libertate, cujus Rectores, & filii præsentes, & successuri, tantùm sub Regum custodia positi, admonitionem S. Petri, & successorum suorum, hujus S. Romanæ Sedis Pontificum auctoritate proclament, &c.

Habetur ex Registro Gregoriano *lib. 12. cap. 32.* & apud Renatum Choppin. *in Monastic. lib. 2. titul. 1. num. 4.*

Et parùm post tempora Joannis III. & sancti Gregorii Magni summorum Pontificum subsecuta est exemptio Abbatiæ Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli Civitatis Dorombernìæ anno circiter. 604. per privilegium Bonifacii IV. quod hic verbatim apponitur.

BONIFACIUS EPISCOPUS
Servus Servorum Dei,

Glorioso filio Regi Anglorum Æthelberto, salutem, & Apostolicam benedictionem.

OMnipotentis Dei institutione, & Apostolica salubertima incitamur monitione, ut pro omnium fidelium regimine impigra vigilemus solicitudine. Et quia divina providente clementia totius Sanctæ Ecclesiæ per universum Orbem diffusæ curam gerimus, omnibus nostra suffragia quærentibus auctoritate Apostolica subvenire cupimus: quoniam, & humana dispensatione sancitum est, cunctarum Ecclesiarum negotia nostra reparari vigilantia. Quapropter Rex inclyte, ac fili carissime, omnia quæ tuæ amplectendæ voluntatis studium per Coëpiscopum nostrum Mellitum poscebat, Apostolica auctoritate libentissimè concedimus: quia nec æqvum videtur difficultates pati hujusmodi rem petitam; laudabilis, atque Deo placita petitio tua hæc est, ut Ecclesia Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli ad Orientem Civitatis Doroberinæ sita (quam Catholicæ Religionis amore succensus, & Sanctissimorum Patrum Gregorii & Augustini hortatu admonitus in sepulturam tui, & successorum tuorum Regum, & præfatæ Urbis Præsulum à fundamentis construxisti, & ob honorem divini cultus habitantium sustentationem diversis donis ditasti, in qua & Monachorum Religiosorum Congregationem sub Abbate Joanne ab hac Apostolica Sede directo collocasti, ubi, & ipse vester præfatus verè Deo dilectus, & in gloria resurrecturus Pater Augustinus requiescit;) Apostolicis privilegiis roborata perpetua libertate donaretur, atque illius spiritualis petræ soliditate solidaretur, cui Salvator ait: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claves Regni Cælorum. Hujus igitur Beatissimi Apostolorum Principis auctoritate ordinamus, atque perpetua stabilitate stabilimus; ut præfatum Monasterium Apostolicis prærogativis præmunitum in initio nascentis Christianæ Religionis in vestro Regno constructum, atque in Monastico Ordine primum, cum omnibus ad se pertinentibus, ab omni servitio sit liberum, ab omni mundiali strepitu inconcussum: nec Ecclesiasticis conditionibus, seu angariis, vel quibuslibet obsequiis secularibus, ullo modo subjaceat, nullis canonicis juribus deserviat; quia indignum valde videtur qualicunque modo alterius ditioni deservire, quod apud vos est primum in hac Religione. Unde interdicimus in nomine Domini nostri Jesu Christi, ex auctoritate ipsius Beatissimi Apostolorum Principis Petri, cujus vice huic Romanæ præsidemus Ecclesiæ, ut à præsenti nullus Præsulum, nullus secularium præsumat in dominium hujus Ecclesiæ aliquo modo se ingerere, vel quamlibet imperandi potestatem sibi usurpare, vel alicujus inquietudinis molestias inferre, vel aliquam omnino consuetudinem, quamvis levissimam, sibi attribuere, vel etiam, nisi rogatu, Abbatis ac Fratrum in ea Missas facere: Sed communis filius noster Abbas Joannes omnia liberè teneat, possideat, cum consilio Fratrum Dominum timentium omnem utilitatem loci intùs, vel foris bene ordinet, atque disponat, & sic remota vexatione, & cuncto gravamine, divinum servitium peragant cum tota animi devotione. Post cujus obitum non extraneus assumatur, sed de ea congregatione, & quem sibi propria voluntate concors Fratrum societas elegerit, & qui electus fuerit, sine dolo vel venalitate aliqua ordinetur, atque in eodem loco consecretur. Si autem, quod non optamus, aptam inter se personam invenire nequiverint, solerter sibi de aliis Monasteriis similiter eligant ordinandum. Hæc itaque nostræ institutionis decreta in Synodo Episcoporum Italiæ, cui interfuit tuæ dilectionis Legatus Mellitus Coëpiscopus noster, recitari, & roborari facimus, tibique, & Ecclesiæ tuæ suprascriptæ Joanni Abbati, & cunctis successoribus suis custodienda, atque perpetualiter observanda tibi, & genti tuæ per manum ipsius dirigimus. Quæ si quis successorum tuorum Regum, sive Episcoporum, clericorum, sive laicorum contempserit, aut irrita facere tentaverit, ab officio Cleris summotus Apostolicæ autoritatis reus, & Sanctorum communione judicetur alienus, quoad usque, quod temerario ausu præsumpserit, congrua satisfactione recognoscat, & tanti excessus pœnitudinem gerat. Ipsa verò sæpedicta Ecclesia, tua largiente regali munificentia, ab hac (ut ita dicam) Sede Apostolica constructa, ordinata, atque educata, si qua sibi contingat adversa indurata aliquorum pestilentium pertinacia, ad Matris Ecclesiarum recurrat limina, Apostolica utatur audientia, ipsiusque in perpetuum consoletur, & regatur vigilantia. In Christo Domino bene valeas, &c.

Ex Clemente Reynerio *de antiquit. Benedictinorum in Anglia* §.13. *circa finem.*

Cassinensis Abbatia tempore Zachariæ Papæ ab omnium Episcoporum, & Ordinariorum jurisdictione cum omnibus cellis, omnibusque ad se pertinentibus ubique terrarum exempta fuit, & protectioni Summi Pontificis constituta fuit. Anno VII. sui Pontificatus Kalen. Martii, videatur per extensum in *fine* Chron. Casinen. hîc tantùm verba rem nostram concernentia referuntur.

Simili modo licentiam damus, & corroboramus in præfato Monasterio, & in omnibus ejus Ecclesiis per totum Orbem Terrarum constructis, fontem benedici, & Sacrum Baptisma celebrari, & non solùm ibi, sed & in his quoque, quæ amodò in possessionibus prædicti Cœnobii præsentibus, vel futuris temporibus Ecclesiæ ædificandæ sunt, remota scilicet cujuscunque Episcopi interdictione. Addimus etiam, ut nullus Episcopus prohibeat Christianum Populum ingredi ad easdem Ecclesias, vel in eisdem de suis rebus aliquid offerre, ut solet fieri Religione pia. Observari quoque hac nostra jussione volumus, ut nullus Episcopus in jam dicto Casinensi Cœnobio, & in omnibus ejus Cellis per totum Orbem terrarum constructis decimas tollat, Sacerdotem excommunicet, vel ad Synodum provocet. Simili etiam modo licentiam damus eisdem dilecto filio, ejusque posteris Abbatibus Monachorum Synodum congregandi, & quemcunque Clericum voluerint cum suis substantiis suscipere ad habitandum in omnibus Casinensis Monasterii possessionibus, sive Presbyter sit, aut Diaconus, vel cujuslibet Ecclesiastici Ordinis, & nullius Episcopi timere contradictionem; & liceat eidem Religioso Petronaci, ejusque posteris, & eorum Præpositis in perpetuum judicare prædictas Ecclesias, Curtes, & possessiones, per totum Orbem Terrarum, & omnem in eisdem possessionibus degentem Clericum ad officium promoveri absque personæ secularis potestate, & cujuslibet Episcopi prohibitione. Si quis autem, quod absit, ea quæ ad laudem Dei pro stabilitate, ac Casinensis Cœnobii conservanda dignitate, & possessionum ejus rutela à nobis statuta sunt, nefario ausu corrumpere, violare, aut refragari præsumpserit, nisi resipuerit, sciat se anathematis vinculo innodatum, & à Regno Dei alienatum, & cum Diabolo, & ejus pompis, & Juda Jesu Christi Domini nostri traditore æterno supplicio, æternaque maledictioni deputandum. At verò qui pio intuitu hujus nostri Apostolici constituti observator exstiterit, benedictionis gratiam à misericordissimo Domino Deo nostro per intercessionem Beatissimi Patris nostri Benedicti consequatur, & vitæ æternæ præmia adipisci mereatur.

De Cluniacensis Monasterii immunitate, & exemptione, & sub Romanæ Sedis receptione, videatur Odericus Vitalis Anglus *lib. 12. histor. suorum temporum*

in fine

in his verbis, quæ propter tempus ejusdem exemptionis computandum necessariò apponi debent.

Matisconensis Episcopus ad hanc sanctam Synodum clamorem fecit, quòd Pontius Cluniacen. Abbas ipsum, Ecclesiamque suam damnis, injuriisque multis affecerit, Ecclesias, decimas que suas, debitasque subjectiones sibi abstulerit, & congruas dignitates, suorumque ordinationes Clericorum denegarit. Sed Cluniacensis Abbas sic respondit: Cluniacensis Ecclesia soli Romanæ Ecclesiæ subdita est Papæ propria, & ex quo fundata est, à Romano Pontifice obtinuit privilegia: quæ proclamator iste abolere nititur. Notum autem sit vobis, quòd ego, & fratres nostri Monasticas res, sicut eas venerabilis Ugo, alii que sancti prædecessores nostri habuerunt, servare contendimus. Nulli damna, vel injurias ingessimus, res alienas non diripuimus. Verùm res pro amore Dei nobis datas à fidelibus, quia pertinaciter defendimus, à raptoribus invasores dicimur. Nimia de his ad me sollicitudo non pertinet. Ecclesiam suam Dominus PP. si vult, defendat, & Ecclesiam, decimasque cum aliis possessionibus, quas ipse mihi commisit, custodiat. Tum Joannes Cremensis, eloquens Presbyter, qui cum PP. venerat, dixit: Ducenti, & eo amplius anni sunt, ex quo Cluniacen. Ecclesia fundata est, & ab ipso primordio fundationis suæ Romano Pontifici donata est, à quo utilibus privilegiis in Romana Synodo coram multis arbitris insignita est. Ratum est, & chartis insertum legentibus liquidò patescit, quod Girardus Aquitanicus Cluniacense Cœnobium in alodio suo construxit, & illud Romam pergens Romano Pontifici devotissimè commisit; nec id frustrà fieri voluit; nam ipse tunc duodecim aureos Papæ obtulit, & exinde totidem singulis annis dari decrevit. Præfata ergò Ecclesia nulli Principum, seu Præsulum, usque nunc nisi Papæ, subjacuit, &c. Conventus Monachorum secundum Regulam S. Patris benedicti Abbatem elegit, electum Papæ cum literis attestantibus dirigit: quem ipse, secundum Ecclesiasticum morem consecrat, ac benedicit. Igitur, cum Cluniacen. Abbatia soli Papæ subjiciatur, Romana auctoritas Cluniacen. privilegia corroborat, & in virtute Dei omnibus Ecclesiæ filiis imperat, ne quis eos temerè pristina libertate privet, nec possessionibus olim habitis spoliet, nec insolitis exactionibus prægravet.

Synodus autem de qua prædictus Auctor loquitur, fuit Remense Concilium sub Calixto II. anno 1119. quo tempore annotato elicitur antiquissimam etiam esse hujus Monasterii exemptionem.

2. Exemptio verò pro toto Ordine Cluniacen. facta fuit à Clem. IV. anno 1265. die 2. Novemb. Pontificatus sui anno I. ut habetur in ejusdem Pontificis Bulla apud Renat. Choppin. *Monast. lib. 1. tit. 2. n. 29.* cujus privilegii verba ad rem nostram sunt.

Dilectis filiis Abbati, & Conventui Cluniacensi.

Vestra sanè petitio nobis exhibita continebat, quòd cùm Monasterium vestrum, quod ejusdem Sedis specialiter juris existit, à primo suæ fundationis exordio usque ad moderna tempora multis Romanorum Pontif. privilegiis, & indulgentiis sit munitum, & donatum libertatibus ab eisdem; nonnulli Archiepiscopi. & Officiales eorum, aliisque Ecclesiarum Prælati non attendentes, quòd nobis principaliter injuriari probantur, qui privilegia Sedis Apostolicæ impugnant contra eadem privilegia, & indulgentias ad Synodos & Conventus Forenses vos illi compellunt, ad domos vestra causa ordines celebrandi, causas tractandi, & Missas celebrandi interdum accedunt, ab Abbate, vel priore Monasterii nullatenus invitati; à Fratribus etiam Cluniacensis Ordinis obedientiam, & reverentiam extorquere, ac in ipsos ubilibet commorantes jurisdictionem exercere, interdicti sententias proferre, in Prioratibus, & cellis ejusdem Ordinis Abbates ordinare, infrà Parochias locorum eidem Monasterio Cluniacensi subditorum, absque Cluniacensis Abbatis assensu, Ecclesias, & Cappellas constituere, Cœmiteria benedicere, de vestris Monachis, & Monasteriis judicare, ad judicia sua eos invitos protrahere ac pro controversiis vestris in Parochianos, homines, & servientes vestros animadvertere præsumentes &c. Cùm autem sit à prædicta Sede statutum, ut omnes Ecclesiæ, Cappellæ, & Cœmiteria vestra, libera & immunia ab omni exactione consistant, & Fratres cellarum, seu locorum vestrorum ubilibet positorum pro interdicto, aut excommunicatione quibuslibet suspensionem divinorum officiorum minimè patiantur, & tam Monachi prædictorum locorum, quàm eorum famuli, & qui se Monasticæ professioni devoverunt, divinæ servitutis officia celebrent, & debita peragant sepulturæ; iidem Prælati vos uti liberè statutis hujusmodi non permittunt, nec Diœcesani Episcopi, aut Officiales eorum præsentatos sibi à vobis ad Parochiales Ecclesias, quos habetis Sacerdotes admittunt, nec celebrare vobis est ex Apostolicæ Sedis benignitate concessum, si dicti Episcopi præsentatos eosdem malitiosè non duxerint admittendos. Præterea cùm ex indulgentia Sedis ejusdem Ecclesiarum vestrarum decimas, quæ à laicis detinentur, si secundùm Deum ab eorum potestate subtrahere vestræ Religionis reverentia poterit, ad vestram, & pauperum gubernationem vobis, & Ordini vestro liceat retinere, ac laicos, vel clericos seculares per loca vestra ad conversionem, sive ad sepulturam suscipere, nisi pro certis criminibus fuerint excommunicati, iidem super his vobis temerè se opponunt, alium, quàm Cluniacensem Ordinem in parochiis ad jus vestrum spectantibus de novo creare nihilominus præsumentes: licèt ab eadem Sede id fieri cuilibet inhibitum sit expressè. Ad hæc, cùm vos & Fratres vestri ubilibet commorantes conveniri, vel ultrà duas dietas à Monasteriis vestris ad judicium pertrahi, seu ad cujuslibet provisionem compelli per literas Apostolicas non possitis, nec alicui liceat auctoritate ipsarum in fratres ipsos jurisdictionem aliquam exercere, nisi exdem literæ plenam de ordine vestro, & indulgentia vobis super iis ab eadem sede concessa, fecerint mentionem, ipsi Prælati, vel alii à Sede Apostolica delegati indulgentiam hujusmodi voluntate propria non servantes, super his vos sæpiùs aggravant. Audimus præterea, quod alicui Prælati Ecclesiarum, & Officiales eorum, licèt in vos, & alios Cluniacensis Ordinis Monachos, vel Conversos ubilibet commorantes, pro eo quod de istis Apostolicæ Sedis privilegiis communiri, eis non liceat excommunicationis, aut interdicti sententiam promulgare in molentes in molendinis, & coquentes in furnis, in contrahentes vobiscum, & servientes, & familias vestras, in locantes eis operas suas in illos etiam qui Missas, & horas vestras audiunt, decimas, reditus, & oblationes, & alia vobis debita reddunt, seu aliàs vobis communicant, proferunt sententias, &c. Quare nobis humiliter supplicastis, ut tantis vestris gravaminibus providere misericorditer curaremus, &c.

Casinensis Congregatio, etsi multa ejus Monasteria à primæva eorumdem fundatione exempta habeat: tamen plenariè totam Congregationem exemit Eugenius IV. qui eamdem quamplurimis aliis privilegiis auxit, & decoravit, ut patet ex ejus Bulla incip. *Regularem vitam*, sub Dat. Bononiæ 1436. pridie Kalend. Julii, Pontif. sui anno sexto, & est nona in ordine in Bullar. novo Laërt. Cherubin. *tom. 1.* cujus verba ad rem nostram sunt:

Cumque aliàs per easdem nostras litteras Congregationem præfatam ab omni jurisdictione Ordinariorum, & à charitativis subsidiis, ac omnibus oneribus eximentes sub nostra, & Beati Petri protectione suscepi-

suscepimus, prout in dictis literis pleniùs continetur, quarum tenorem hic volumus haberi pro sufficienter expresso, in dubium posteà versum est (prout nobis relatum extitit) an antiquos census, ratione visitationis, aut subjectionis hujusmodi Ordinariis, Universitati, Collegiis, sive Capitulis hactenus debitos, Monasteria dictæ Congregationis de cætero solvere teneantur. Nos volentes super hoc de opportuno remedio providere, declaramus, & nihilominus de novo statuimus, quòd d. Congregationis Monasteria, sive loca à die exemptionis hujusmodi ab omnibus censibus, redditibus, & solutionibus, ratione visitationis, aut subjectionis, quocunque jure hactenus debitis, aut in futurum debendis, quibuscunque Ordinariis, Capitulis, Collegiis, Congregationibus, Universitatibus, aut aliis quibuscunque personis de plenitudine potestatis Apostolicæ omnino liberamus, & penitus absolvimus. Non obstantibus præscriptionibus, constitutionibus, consuetudinibus, statutis, decretis, & privilegiis Apostolicis, quibuscunq; in contrarium facientibus, de quibus specialis, & expressa, ac de verbo ad verbum esset mentio facienda.

4 Canonicorum Regularium Lateranensium exemptio cùm in multis Monasteriis, & etiam in toto illo Ordine antiquissima sit, & non ita facilè illius initium ostendi poterit; nam in 1. 2. & 3. Bulla Paschalis II. dicto Ordini concessis, relatisque in principio libri Privileg. Canonic. Regular. Lateranen. ab Ordinariorum jurisdictione exemptus præsupponitur, multisque privilegiis à Benedicto XII. ab Eugenio IV. & Sixto IV. & aliis summis Pontificib. decoratur.

5 Congregationis Camaldulensis quandam exemptionem Leonis X. adinvenio in *tom. 1.* Bull. Laërt. Cherub. *Constit. 2. dicti Leonis*, sub datum Romæ apud S. Petrum anno 1513. quarto Nonas Julii, Pontif. sui anno I. cujus verba ad rem nostram spectantia sunt hæc:

Et ut dictæ de novo erectæ Congregationis Monachi, divinis beneplacitis quietius, & liberius insistant: eosdem dicti Ordinis Generalem, ac de novo erectam Congregationem, & illius Abbates, & Visitatores, & alios Prælatos, ac Monachos, Conversos, Commissos, Novitios, Personas, & Capellanos, etiam curam habentes animarum, necnon familiares, & servitores eorum, nunc & pro tempore existentes, ac ipsius de novo erectæ Congregationis Monasteria, Prioratus, & loca, etiam quæ in posterum eidem de novo erectæ Congregationi quandocunque uniri, vel incorporari, seu subjici, vel aliàs quomodolibet aggregari contigerit, omniaque & singula dictorum Monasteriorum, Prioratuum, & locorum præsentium, & futurorum Ecclesias, Capellas, etiamsi ipsis cura immineat animarum, Oratoria, manualia, membra, castra, hortalitia, ædificia, villas, grangias, vineas, oliveta, hortos, sylvas, nemora, prata, pascua, piscationes, molendina, aquas, aquarum decursus, jura, jurisdictiones, prædia, possessiones, & bona quæcunque, quæ in præsenti sunt, & in futurum erunt dictæ de novo erectæ Congregationis, quæ omnia & singula, per eorum vocabula, fines, valores, qualitates, & quantitates hic habere volumus pro sufficienter expressis, à quorumcunque Legatorum, etiam de latere, & Subdelegatorum, nec non Nunciorum dictæ Sedis, ac Vicariorum, Rectorum, & quorumvis Officialium Romanæ Ecclesiæ, nec non Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum, Electorum, Administratorum, & aliorum quorumcunque Judicum Ordinariorum, quavis auctoritate, potestate, dominio; visitatione, reformatione, & correctione, ita quòd in dictam de novo erectam Congregationem, vel ejus singulares personas, seu benefactores occasione beneficiorum ejusdem collatorum ab eis, aut quia subditi eorum, cum eisdem Monachis conversentur, seu ab ipsis recipiant absolutionis, & Eucharistiæ Sacramentũ. Nec non in Monasteria, Prioratus, loca, & personas in eis degentes ratione delicti, excessus, seu contractus, aut rei de qua agitur, ubicunque ineatur contractus, committatur delictum aut reus ipse consistat, excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aut alias quasvis sententias, nisi de speciali Sedis prædictæ commissione quomodolibet directè, vel indirectè, proferre, seu promulgare non possint, prorsus eximimus, & totaliter liberamus. Eaque omnia, & eorum quodlibet, in jus, & proprietatem Beati Petri, & Sedis ejusdem, & sub eorum, & nostra protectione suscipimus, ac nobis, & dictæ Romanæ Ecclesiæ annuum censum unius unciæ auri, per eandem de novo erectam Congregationem, in festo Beatorum Petri & Pauli Apostolorum annis singulis, Cameræ Apostolicæ persolvendum, in signũ perceptæ perpetuæ libertatis, & exemptionis assignamus. Quod si Legati, Subdelegati, Ordinarii, seu aliæ personæ prædictæ contra exemptionem, & liberationem vestras hujusmodi, quidquã attentare quoquomodo præsumpserint, ac requisiti, vigore præsentium per ipsius de novo erectæ Congregationis Prælatos, vel Monachos, infrà tres dies, à die requisitionis hujusmodi, non destiterint, excommunicationis sententiæ ipso facto noverint se subjectos. Et nihilominus quod aliter actum fuerit, eo ipso sit irritum, & inane, nulliusq; roboris, vel momenti.

Nostra Vallumbrosana Congregatio, licèt à Paschali II. & aliis Summis Pontificibus sub D. Petri, & Sedis Apostolicæ protectione recepta sit; omnimodam tamen, & plenariam omnium suorum Monasteriorum, ac locorum & personarum exemptionem ab Ordinariorum, & aliorum imperio obtinuit ab Innocentio IV. per privilegium tenoris sequentis, videlicet. 6

INNOCENTIUS EPISCOPUS
Servus Servorum Dei,

Dilectis filiis Abbati Monasterii Vallis Umbrosæ, ejusque fratribus, tam præsentibus, quàm futuris Regularem vitam professis in perpetuum.

Religiosam vitam eligentibus Apostolicum convenit adesse præsidium, ne fortè temeritatis incursus, aut eos à proposito revocet, aut robur (quod absit) sacræ religionis infringat; eapropter dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & Monasterium Vallumbrosanum, quod pro B. Mariæ Virginis reverentia Deo dicatum est, in quo divino estis obsequio mancipati, ad exemplar fel. rec. Paschalis, Adriani, Alexandri, Lucii, Urbani, Cælestini, Innocentii, Honorii, & Gregorii prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum in Romanæ Ecclesiæ proprietatem, tutelam, & protectionem Apostolicæ Sedis suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus. Inprimis siquidem statuentes, ut Ordo Monasticus, qui secundùm Deum, & B. Benedicti Regulam in eodem loco institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascunq; possessiones, quæcunque bona idem Monasterium, omnisque Vallumbrosana Congregatio justè, ac canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis, vestrisque successoribus, & illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum in quo præfatum Monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis suis, Ecclesiis, & aliis quæ ad idem Monasterium pertinere noscuntur. In Diœces. Fesulan. Cultus Boni, Montis Scalaris, Taleafunis, Passiniani, & de Caprilia Monasteria cùm omnibus pertinentiis eorundem. In Civitate, & Diœces. Florentina sanctæ Trinitatis, sancti Pancratii, sancti Salvii, sancti Bartholomei de Ripolis, sancti Petri de Musceto, S. Pauli de Razolo, & de Rivo Cæsaris Monasteria cum omnibus pertinentiis eorundem,

In Ci-

In Civitate & Diœcef. Pistorien. de Furculis, de Pacciano, de Griniano, de Vajano, de Fonte Thaonis & de Monte Plano Monasteria cum omnibus pertinentiis eorundem. In Diœcef. Lucana de Fiedo, & de Capiano Monasteria cum omnibus pertinentiis eorundem. In Civitate Pisarum Monasterium sancti Pauli cum omnibus pertinentiis suis. In Diœcef. Vulterrana de Conco, & de Serena Monaria cum omnibus pertinentiis eorundem. In Civitate, & Diœcef. Senen. sancti Michaëlis, S. Jacobi, S. Trinitatis, sancti Andreæ, & de Altiano Monasteria cum omnibus pertinentiis eorundem. In Diœcef. Aretina, Monasterium S. Fidelis de Strumis in Diœcef. Clusina S. Trinitatis, & de monte Pisis. Monasteria cum omnibus pertinentiis eorundem. In Diœcef. Soanen. Monasterium de Calvello. In Civitate Tudertina, Monasterium S. Fortunati cum omnibus Pertinentiis eorundem. In Urbe Roma Monasterium S. Praxedis cum omnibus pertinentiis suis. In Diœcef. Spoletana Monasterium Eremitæ. In Diœcef. Bononien. S. Cæciliæ de Monte Armato, & de Opleta Monasteria. In Diœcef. Imolen. Monasterium de Trecentis. In Diœcef. Faventina sanctæ Reparatæ & de Crispino Monasteria cum omnibus pertinentiis eorundem. In Civitate, & Diœcef. Forolivien. sancti Mercurialis, sanctæ Mariæ de Flumara Monasteria. In Diœcef. Parmen. Monasterium de Cavanna. In Civitate Placentina, Monasterium sancti Benedicti. In Civitate Terdonen. Monasterium S. Pauli. In Diœcef. Januen. Monasterium S. Bartholomæi de Fossato. in Diœcef. Saonen. Monasterium S. Jacobi de Lateranario. In Diœcef. Asten. Monasterium S. Jacobi. In Diœcef. Vercellen. Monasterium de Muleggio. In Diœcef. Novarien Monasterium S. Bartholomæi. In Diœcef. Pergamen. Monasterium de Astino. In Diœcef. Veronen. Monasterium S. Trinitatis. In Diœcef. Cremonen. Monasterium S. Sigismundi cum omnibus pertinentiis eorundem. In Diœcef. Panien. S. Sepulchri de Herba Armata, de Monte Oliveti, & Hierico Monasteria cum omnibus pertinentiis eorundem. In Diœcef. Taurinen. de Stura, de Ponte Stura, de Targenaria, & de Polezien. Monasteria cum omnibus pertinentiis eorundem. In Diœcef. Mediolanen. de Grattasolio, S. Carposari de Ripa Adue, & de Canobio Monasteria cum omnibus pertinentiis eorundem. In Diœcef. Brixien. sancti Gervasii, & de Liganna Monasteria cum omnibus pertinentiis eorundem. In Diœcef. Turitan. de Plajano, de Salvenero, & de Tamis Monasteria, cum omnibus pertinentii eorundem. De Dova, de Serena, & de Ardinga Monasteria cum omnibus pertinentiis eorundem. S. Jacobi de Castello, de Osellis, de Petreolo, sancti Apollinaris de Faventia, & sancti Lazari Priorat. cum omnibus pertinentiis eorundem, sanctæ Mariæ de Turliono, sancti Juliani, sancti Martiani de Figino, & de Gallo Ecclesias cum omnibus pertinentiis earundem. De Munzon de Pontigio, de Faventia, de Rutio, de Florentia, de Corino, de Pinti, de Murian, de Cumbiate, de Vigesimo, & sanctæ Fidei Mediolanen. Hospitalia cum omnibus pertinentiis. De Magnale, de Ristonchio Castra cum omnibus pertinentiis eorundem, cum terris, pratis, vineis, nemoribus, usagiis, & pascuis in bosco, & plano, in aquis, & molendinis, in viis, & semitis, & omnibus aliis libertatibus, & immunitatibus suis. Sanè laborum vestrorum de possessionibus habitis ante Concilium Generale, ac etiam novalium, quæ propriis manibus, aut sumptibus colitis, de quibus novalibus aliquis hactenus non percepit, sive de hortis, virgultis, & piscationibus vestris, seu de vestrorum animalium nutrimentis, nullus à vobis decimas exigere, vel extorquere præsumat. Liceat quoque vobis Clericos, vel laicos, liberos, & absolutos, & à seculo fugientes ad conversionem recipere, & eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus in super, ut nulli Fratrum vestrorum, post factam in Monasterio vestro professionem, fas sit, sine Abbatis sui licentia, nisi arctioris Religionis obtentu, de eodem loco discedere: discedentem verò, absque communium literarum vestrarum cautione nullus audeat retinere. Cùm autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis, clausis januis exclusis excommunicatis, & interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce divina officia celebrare; dummodo causam non dederitis interdicto. Chrisma verò, Oleum sanctum, consecrationes Altarium, seu Basilicarum, Ordinationes Clericorum, qui ad Ordines fuerint promovendi, à quocunque malueritis, suscipietis Episcopo, siquidem Catholicus fuerit, & gratiam, atque communionem Sacrosanctæ Romanæ Sedis habuerit, & ea vobis voluerit sine pravitate aliqua exhibere. Prohibemus insuper, ut infrà fines Parochiæ vestræ nullus, sine assensu Diœcesani Episcopi, & vestro, Capellam, seu Oratorium de novo construere audeat, salvis privilegiis Pontificum Romanorum. Ad hæc novas, & indebitas actiones ab Archiepiscopis, Episcopis, Archidiaconis, seu Decanis, aliisque omnibus Ecclesiasticis, aut secularibus personis à vobis omninò fieri prohibemus. Sepulturam quoque vobis liberam esse decernimus, ut eorum devotioni, & extremæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi fortè excommunicati, vel interdicti sint, aut etiam publici usurarii, nullus obsistat, salva tamen justitia illarum Ecclesiarum à quibus mortuorum corpora assumuntur. Decimas præterea, & possessiones ad jus Ecclesiarum vestrarum spectantes, quæ à laicis detinentur, redimendi, & legitimè liberandi de manibus eorum, & ad Ecclesias, ad quas pertinent, revocandi, libera sit vobis de nostra auctoritate facultas. Sanè cùm terminus Pastori vestro divina dispositione contigerit, qui ejus loco substituendus fuerit, quia vobis, & aliis omnibus præesse debebit, omnium, quæ cæteris præstant Monasteriis, consensu, & judicio eligatur. Quòd si fortè ex ipsis Abbatibus aliquis, Domino disponente, ad hoc generale regimen electus fuerit, ad vestrum principale Cœnobium transeat, & ejus mox judicio, sicut in diebus venerandæ memoriæ Beati Joannis I. Abbatis vestri factum constat, cætera Ordinis vestri Monasteria disponantur. Statuentes, ut Monasterium, quod in Valle-Umbrosa situm est, caput prædictorum Monasteriorum omnium habeatur. Et quoniam Apostolica Sedes nulli debet delinquendi præparare materiam, vel favorem; adjicientes statuimus, ut Abbates, sive Fratres vestræ Congregationis, qui occasione protectionis Sedis Apostolicæ minùs regulariter, quàm Ordo Monasticus, vel consuetudo Vallumbrosanæ Congregationis exigat, vivere cupiunt; Vallumbrosanus Abbas canonicè illos corrigendi liberam habeat facultatem, & ut nullis Fratribus ejusdem Congregationis liceat constituere sibi Abbatem, sine consensu ejus, sicut à tempore Beati Joannis prædicti noscitur observatum. Nulli quoque liceat, aliquod vestræ Religionis Monasterium à loci sui stabilitate evellere, ac movere, sine Abbatis, & Congregationis communi consensu. Sancimus insuper, ut nulli Episcoporum fas sit, in vos excommunicationis, vel interdicti sententiam promulgare, ut qui in speciales estis filios Apostolicæ Sedis assumpti, nullius alterius judicium temere subeatis. Paci quoque, & tranquillitati vestræ paternæ in posterum providere volentes, auctoritate Apostolica prohibemus, ut infra clausuras locorum, seu Grangiarum vestrarum nullus rapinam, seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem temere capere, vel interficere, seu violentiam audeat exercere. Præterea omnes libertates, & immunitates à fel. rec. Victore, Gregorio VII. Urbano II. Innocentio II. & Eugenio, ac dictis Paschale, Alexandro, Lucio, Urbano, Cælestino, Innocentio, Honorio, & Gregorio Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris vobis concessas, & usque ad hæc tempora pacificè observatas:

nec non libertates, & exemptiones secularium exactionum à Regibus, & Principibus, vel aliis fidelibus rationabiliter vobis indultas auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti privilegio communimus. Ad iudicium autem hujus præceptæ à Romana Ecclesia libertatis per annos singulos duodecim sagi cilicini brachia Lateranen. palatio persolvetis. Decernimus ergo, ut nulli omninò hominum liceat præfatum Monasterium temerè perturbare, aut ei possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur, eorum, pro quorum gubernatione, ac substentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura; salva Sedis Apostolicæ Auctoritate. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica, secularisque persona hanc nostræ Constitutionis paginam sciens contra eam temerè venire tentaverit, secundò, tertióve commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis, honorisque sui careat dignitate, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, ac à Sacratissimo corpore, ac sangvine Dei, & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat atque in extremo examine districta subjaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus, & hi fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

Ego Innocentius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.
Ego Ranaldus Ostien. & Velletren. Episcopus.
Ego Jacobus Portuen. Sanctæ Ruphinæ Episcopus.
Ego Stephanus S. Mariæ in Transtiberim tit. Calixti Presbyt. Card.
Ego Fr. Joann. tit. S. Laurentii in Lucina Presbyt. Card.
Ego Riccardus Sancti Angeli Diaconus Cardinal.
Ego Octavianus Sanctæ Mariæ in Via-lata Diac. Cardin.
Ego Petrus S. Georgii ad velum aureum Diac. Card.
Ego Joannes S. Nicolai in Carcere Tullianen. Diacon. Card.
Ego V. tit. S. Eustachii Diac. Card.
Ego Octobonus S. Adriani Diac. Card.

Dat. Assisii per manum Joannis de Camezan. Auditoris contradictarum S. R. E. Vicecancellarii Vicesgerentis 12. Kal. Julii, Indictione undecima, Incarnationis Dominicæ anno M. CC. LIII. Pontificatus verò D. Innocentii Papæ IV. anno 10.

Habetur Originaliter in Archivio Vallis-Umbrosæ.

7 Cistercien. Ordo ab omni Diœcesanorum imperio & jurisdictione solutus fuit ab Alexandro III. Summo Pontifice idib. Novembris anno 1161. Pontificatus sui 3. ut patet ex ejus privilegio, quod refert Renat. Chopp. *de Sacra politia Forensi lib. 2. tit. 3. num. 5.* in hæc verba.

Dilectis filiis Abbati Cistercii, ejusdem Conventibus universis Cisterciensis Ordinis, &c.

EXparte vestra fuit propositum coram nobis, quòd nonnulli Ecclesiarum Prælati vestris libertatibus invidentes, cum eis non liceat ex Apostolicæ Sedis indulto in nos, &c. excommunicationis, vel interdicti sententias promulgare, in tenentes, seu firmarios ad annuum reditum terrarum vestrarum extraneos, & eas proprio nomine excolentes, vel aliàs vobis communicantes, sententias proferunt memoratas. Nos verò supplicationibus vestris inclinati, ne quis Prælatorum hujusmodi sententias in fraudem privilegiorum Apostolicæ Sedis de cetero promulgare præsumant, auctoritate præsentium decernimus, eas non tenere. Insuper vobis, & Ordini vestro concedimus, quòd firmarii, tenentes, seu servientes vestri, in terris vestris situati, à jurisdictione cujuscunque Judicis Ordinarii Ecclesiastici sint quieti: & liceat vobis de cetero in Capitulo vestro de adulteriis, & aliis fornicationib. coram vobis, seu aliis commissariis vestris, & eos corrigere, ac etiam divina audire in Capellis vestris, & Ecclesiastica Sacramenta recipere: ac eisdem firmariis, tenentibus, seu servientibus in Capellis vestris Sacramenta ministrare, tam intra, quàm extra Monasteriorum vestrorum situationem, &c. Sanè si quis Archiepiscopus, Episcopus, Archidiaconus, Decanus, aut aliquis eorundem Officiariorum propter hoc in vos, vel in Monasteria, Ecclesias, seu Capellas vestras tenentes, firmarios, aut servientes vestros in terris vestris situatos, vel Sacerdotes vestros nomine vestro in Ecclesiis vestris, seu Capellis ministrantes, aut Ecclesiarum ministros aliquos, aliquam sententiam protulerit, illam omninò non valere censemus, &c. Idibus Novembr. Pontificatus anno 3.

Ordo Cœlestinorum ob omni Episcoporum jurisdictione exemptionem, & immunitatem obtinuit è Cælestino V. ejus institutore anno Domini 1294. Kal. Octobris, cujus privilegium habetur *in Bullar. novo Laërt. Cherub. Bulla unica ejusdem Pontif.* & refertur à Renat. Chopp. *Monastic. lib. 2. tit. 1. n. 13.* cujus verba sunt hæc. 8

CÆLESTINUS EPISCOPUS
Servus Servorum Dei,

Dilectis filiis Honufrio Patri, & Prioribus, & Prælatis Monasteriorum, Prioratuum, Ecclesiarum, membrorum, & colonum, d. Monasterio S. Spiritus subjectorum, eorumque Conventibus, Collegiis, & Fratribus Ordinis S. Benedicti, &c.

STatuta, & ordinamenta, in eodem Ordine pro salute vestra facta, auctoritate Apostolica confirmamus, ac eundem Ordinem, Monasterium sancti Spiritus de Sulmona, & alia Monasteria, Ecclesias, Prioratus, membra, & alia loca d. Monasterio S. Spiritus subjecta, ubicunque consistentia, eidem Ordini incorporata, vel incorporanda, eorumque personas ab omni jurisdictione, potestate, & Dominio Archiepiscoporum, Episcoporum, & Abbatum omnium, in quorum Civitatibus, ac Provinciis illa consistant, eximimus, & liberamus, &c. Sane de fructibus terrarum vestrarum, ac etiam novalia, quæ propriis manibus, & sumptibus colitis, vel per homines vestros, aut aliàs excoli facitis in propriis prædiis, aut alienis, sive de hortis, piscationibus vestris, vel de nutrimentis animalium vestrorum, nullus à vobis decimas exigat. De decimis namque quæ pro subsidio Dominorum temporalium, de mandato Sedis Apostolicæ ab Ecclesiasticis in Italiæ partibus pro tempore exiguntur, circa vos, & vestra Monasteria, & loca sic volumus observari: quod vobis pro singulis vestris Monasteriis, cum Grangiis, & pertinentiis eorundem pro decimis prædictis singulos florenos auri plenè solventibus, ad solutionem majorem pro dd. decimis faciendam decernimus, vos non teneri. Liceat quoque vobis Clericos seculares, vel Religiosos cujusvis Religionis existant, vel laïcos quoscunque ad Ordinem vestrum in locis vestris recipere, ac retinere: non obstantibus quibuscunque privilegiis Apostolicis super hoc cuicunque Ordini, vel Religioni concessis. Prohibemus insuper, ut nulli Fratrum vestrorum post factam in Monasterio vestro vel aliis locis vestris professionem, fas sit, sine Abbatis sui licentia Ordinem vestrum relinquere, & ad aliud Religionis alterius, vel ad alium Ordinem se transferre. Discedentem verò alter nullus, cujuscunque Religionis, vel status existat, audeat retinere,

retinere, &c. illud quoque diſtrictius inhibentes, ne tu fili Pater Abbas, vel aliquis ex Prælatis tuis terras ſuas dare, vendere, aut alienare abſque conſenſu totius Capituli Generalis, aut majoris, vel ſanioris partis ipſius, & in caſibus à jure permiſſis modo quolibet præſumatis, &c. Cæterum, ne Monachus, vel converſus in Monaſteriis, & locis veſtris profeſſus abſque licentia proprii Abbatis, vel majoris partis Conventus, pro aliquo fidejubeat, vel ab aliquo pecuniam mutuam recipiat, quoque modo, diſtrictiùs inhibemus, &c. Etiam, ne aliquis Epiſcopus, vel alia perſona ſpiritualem, vel aliam juriſdictionem habens, vos ad Synodos, & Conventus Forenſes, nec ad convocationes ſuas accedere, vel cum eis intra, vel extra Civitates vel terras, proceſſionaliter exire, aut ſuis Conſtitutionibus ſubjacere, ſeu Capitula, ſcrutinia, inquiſitiones in locis veſtris, vel aliqui de vobis, &c. facere, &c. vos compellat, &c.

9 Ordinem Sylveſtrinorum ab Epiſcoporum juriſdictione immunem, & exemptum præſupponit Innocentius IV. qui Eremum S. Benedicti de Monte Fano, ejus Ordinis Caput ſub D. Petri, & Apoſtolicæ Sedis protectione ſuſcipiens 5. Kal. Julii anni 1247. Pontificatus ejus 5. ait *in Bulla, quæ eſt quinta inter ejuſdem Conſtitutiones in Bullar. novo tom. 1. §. 15. Præterea omnes libertates, & immunitates à prædeceſſoribus noſtris Rom. Pont. Eremo veſtro conceſſas, necnon libertates, & exemptiones ſecularium exactionum à Regibus, & Principibus, vel aliis fidelibus rationabiliter, vobis indultas, auctoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti privilegio communimus.*

10 Ordo Monachorum B. Mariæ Montis Oliveti omnimodam & plenariam exemptionem à Diœceſanorum juriſdictione habuit à Julio II. anno Domini 1507. Pont. ejus 4. ut patet ex ejus *Bulla edita apud S. Petrum pridie 9. Junii ejuſdem anni, quæ eſt 12. in Ordine inter Bullas d. Pontificis in Bullar. novo* Laërt. Cherub. cujus verba, ad propoſitum conducentia, ſunt hæc;

IUlius Epiſcopus, &c. Etſi ad univerſos Regulares, &c. Et ut d. Congregationis Monachi divinis beneplacitis quietius, & liberius inſiſtant, eandem Congregationem, & illius generalem Abbatem, ac Viſitatores, Novitios, & Capellanos, etiam habentes curam animarum, necnon perſonas familiares, & ſervitores ipſorum, nunc & pro tempore exiſtentes, ac ipſius Congregationis, Monaſteria, Prioratus, & loca, etiam, quæ in poſterum eidem Congregationi quandocunque uniri, vel incorporari, ſeu ſubjici, vel aliàs quomodolibet aggregari contigerit, omniaque, & ſingula dictorum Monaſteriorum, Prioratuum, & locorum præſentium, & futurorum, Eccleſias, Capellas, etiamſi in ipſis cura animarum immineat, oratoria, manualia, membra, Caſtra, fortalitia, ædificia, villas, grangias, vineas, oliveta, & hortos, ſilvas, nemora, prata, paſcua, piſcationes, prædia, poſſeſſiones, & bona quæcunque, quæ in præſentia ſunt, & in futurum erunt dictæ Congregationis, & quæ omnia ſingula per eorum vocabula, fines, valores, qualitates, & à quorumcunque Legatorum etiam de Latere, & ſubdelegatorum, necnon Nunciorum dictæ Sedis, & Vicariorum, Rectorum, & quorumvis Officialium Romanæ Eccleſiæ, nec non Patriarcharum, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Electorum, Adminiſtratorum, & aliorum quorumcunque Judicum, Ordinariorum quavis auctoritate, poteſtate, dominio, viſitatione, reformatione, & correctione; ita quod in dictam Congregationem, vel ejus ſingulares perſonas ſeu benefactores, occaſione beneficiorum eiſdem collatorum ab eis, aut qui ſubditi eorum cum eiſdem Monachis converſentur, ſeu ab ipſis recipiant abſolutionis, & Euchariſtiæ Sacramentum, necnon in Monaſteria, Prioratus, loca, & perſonas in eis degentes, ratione delicti, exceſſus, ſeu contractus, aut rei, de qua agitur ubicunque ineatur contractus, committatur delictum, aut res ipſa conſiſtat, excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aut alias quasvis ſententias, niſi de ſpeciali Sedis prædictæ commiſſione quomodolibet, directè, vel indirectè, proferre, ſeu promulgare non poſſint, prorſus eximimus, & totaliter liberamus. Eaque omnia, & eorum quomodolibet in jus, & proprietatem B. Petri, & Sedis ejuſdem, & ſub eorum, & veſtra, protectione ſuſcipimus, ac Nobis, & dictæ Romanæ Eccleſiæ annuum cenſum unius unciæ auri per eandem Congregationem in feſto beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum, annis ſingulis Cameræ Apoſtolicæ perſolvendum in ſignũ perceptæ perpetuæ libertatis, & exemptionis, aſſignamus. Quòd ſi legati, Subdelegati, aut Ordinarii, ſeu aliæ perſonæ prædictæ contra exemptionem, & libertatem noſtram hujuſmodi, quidquam attentare, quoquomodo præſumpſerit, ac requiſiti vigore præſentium per ipſius Congregationis Prælatos, vel Monachos, infrà tres dies, à die requiſitionis hujuſmodi, non deſtiterint, excommunicationis ſententiæ, ipſo facto, noverint ſe ſubjectos. Et nihilominus, quod aliter actum fuerit, eo ipſo, ſit irritum, & inane, nulliuſque roboris, vel momenti.

Ordo Monachorum B. Mariæ Montis Virginis etiam ab Ordinariorum juriſdictione exemptus eſt; cujus principale Monaſterium, quod eſt totius Congregationis caput, ſub D. Petri, ac Sedis Apoſtolicæ protectione receptum fuit à Cæleſtino III. anno Domini 1197. Pontificatus ejus 7. die 4. Novembris. 11

Poſtmodum Sixtus V. ſolvit eandem Congregationem à juriſdictione Sacroſancti Hoſpitalis B. Mariæ Virginis Annunciatæ Neapolitanæ, cui antea Leo X. eam univerat, & incorporaverat: ſtatuens, quòd pro tempore exiſtens Sacriſta dicti Hoſpitalis, ejuſdem Congregationis Monachorum Superintendens, ac Ordinarius Judex eſſe deberet. Ita habetur ex *Conſtit.* 85. ejuſd. Pontif. *in Bullar. novo* Laert. Cherub. *tom.* 2. quæ incipit, *Dudum fel. rec. &c.* edita die 27. Auguſti anno Domini 1588. Pontificatus ejus 4.

Præmonſtratenſes ab Epiſcoporum juriſdictione exempti fuerunt ab Alexandro V. anno Domini 1409. die 31. Julii, Pontificatus ſui anno 1. cujus verba ad rem facientia ſunt, videlicet: 12

Patres Abbates, Præpoſitos, Priores, Decanos, Canonicos, Converſos, Donatos, Abbatiſſas, Prioriſſas, Moniales, & perſonas Præmonſtratenſis Ordinis cùm omnibus membris, curtibus, grangiis, domibus, bonis mobilibus, & im̃obilibus, & aliis rebus quas poſſident, & in futurum poterunt legitimè adipiſci: necnon Eccleſias, & alia loca ab eiſdem Monaſteriis dependentia, ab omni ſuperioritate, dominio, juriſdictione, necnon viſitatione quorumcunque Patriarcharum, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & aliorum Judicum Ordinariorum, & Officialium Eccleſiaſticorum, plenariè eximimus, & totaliter liberamus, illaque ad jus, & proprietatem B. Petri Apoſtoli, & Sedis Apoſtolicæ, ac ſub eorum ſpeciali protectione ſuſcipientes, ea omnia decernimus prædictæ Sedi ſoli, & immediatè ſubjacere.

Ita refert Renat. Chopp. *de ſacr. polit. lib. 1. titul. 3. num. 7.*

Cartuſienſium Ordo plenariam exemptionem, & immunitatem ab Ordinariorum, & aliorum juriſdictione obtinuit à Bonifacio IX. anno Domini 1391. die 17. Martii, Pontificat. ſui anno 2. ut patet ex ejus *Bulla, quæ eſt tertia in ordine Bullar. nov. tom.* 1. cujus verba ad propoſitum facientia, ſunt hæc: 13

BOniſacius Epiſcopus, &c. Dilectis filiis Priori, Generali, & univerſis Fratribus Ordinis Cartuſien. &c. Sanè petitio pro parte veſtra Nobis nuper exhibita continebit, quòd licet prædictus Ordo veſter, cùm omnib. Monaſteriis, Prioratibus, domibus, & locis ejuſdem, atque perſonis degentib. in eiſdem, ab olim reputatus fuerit, & adhuc etiam communiter reputetur

fore, à jurisdictione quorumlibet Ordinariorum Judicum, exemptus, & soli Sedi Apostolicæ immediatè subjectus. Tamen nonnulli locorum Ordinarii cupientes vestra, & dicti Ordinis privilegia, & libertates infringere, & alias diversis ex causis vos inquietare, & multipliciter molestare, & personas ejusdem Ordinis ad forum suum trahere, & aliàs vexare præsumunt; propter quæ nonnunquam vos à contemplatione, & quiete vestra contra Religionis vestræ statum retrahi, & secularibus negotiis implicare oportet. Quare pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum, ut ad evitandam cujuslibet molestiæ, & inquietationis materiam, & gravamina, quæ contra hujusmodi exemptionis libertatem possent vobis inferre, & ut tollatur quælibet contra vos occasio malignandi, vos, & eundem vestrum Ordinem, cum omnibus Monasteriis, Prioratibus, domibus, ac locis ejusdem, pro incremento vestri status, & pro pace, & tranquillitate personarum degentium in eisdem, de novo plenariè eximere, de speciali gratia, dignaremur. Nos igitur hujusmodi supplicationibus inclinati, vos, & prædictum Ordinem vestrum cum omnibus, & singulis Monasteriis, Prioratibus, domibus, & locis ejusdem, quæ nunc habetis, & in posterum vos habere contigerit, & cum personis degentibus in eisdem præsentibus, & futuris ab omni Ordinaria jurisdictione, dominio, visitatione ac potestate qualibet omnium, & singulorum Patriarcharum, Archiepiscoporum, & aliorum quorumlibet Judicum Ordinariorum, & de specialis dono gratiæ, de novo prorsus eximimus, & totaliter liberamus, illaque in jus, & proprietatem B. Petri, ac Sedis Apostolicæ, ac sub eorum, & nostra speciali, & immediata protectione, præsentium tenore, suscipimus. Decernentes Ordinem, Monasteria, Prioratus, domos, ac loca, & personas hujusmodi, soli, & immediatè Sedi prædictæ fore subjecta: & quòd locorum Ordinarii, seu Diocesani, vel alia quævis persona, in vos, seu Monasteria, Prioratus, domos, aut loca, vel personas præfata, utpotè prorsus exempta, non possint auctoritate Ordinaria excommunicationis, suspensionis, aut interdicti sententias promulgare, vel alias etiam ratione delicti, vel contractus, aut rei de qua agetur, ubicunque committatur delictum, ineatur contractus, vel res ipsa consistat, jurisdictionem aliquam exercere.

14 Ordo Divi Basilii jam penè collapsus à Gregorio XIII. instauratus, atque ab Ordinariorum, & aliorum jurisdictione exemptus fuit anno 1576. Kalend. Novembris, Pontificatus sui anno 8. ut patet ex ejus Bulla incipien. *Benedictus Dominus*, quæ est 58. *in Ordine in Bullar. nov. collect. Bullar.* Roderic. *Constit.* 12. *d. Gregorii* edita pro reformatione, & bono regimine ipsius Ordinis, cujus verba ad exemptionem pertinentia sunt.

Eandemque Congregationem Sancti Basilii, illiusque Conventus, Monachos, & personas quæcunque ab omni Ordinariorum locorum, ac etiam, qui Monasteria dicti Ordinis, etiam Archimandritatus appellata, in commendam, vel aliàs quomodolibet obtinuerint, eandemque Ordinem S. Basilii expressè professi non fuerunt, jurisdictione, auctoritate, & potestate penitus eximimus, & liberamus, ac sub Nostra & Beati Petri protectione immediatè suscipimus. Ita tamen, ut omnes sub dicta exemptione comprehensi, Abbatis Generalis, Visitatorum, Abbatum, Priorum, & aliorum Officialium, tam in dicto Generali Capitulo, quàm extra illud, canonicè electorum, & aliorum, qui pro tempore eligentur jurisdictioni, visitationi, morumque correctioni, juxta eandem Regulam S. Basilii, ac ejus Ordinis instituta, omninò, prout eorum incumbit muneri, sint subjecti.

15 Fratres Sancti Spiritus de Urbe à superioritate, & jurisdictione omnium Prælatorum, & aliorum, præterquam Magistri Generalis, exempti fuerunt à Sixto IV. anno 1483. ut habetur *in Constitut.* 22. *ejusdem Pontif. tom.* 1. *Bullar.* Laërt. Cherub. cujus verba sunt hæc:

Præterea, ut Præceptores, & Fratres prædicti quietiùs, & liberius sua vota Altissimo exsolvere, ac Præceptoriæ, Ecclesiæ, Hospitalia, & alia loca eorum à dicto Hospitali de Urbe, ut suprà dependentia, meliùs, & salubriter gubernari possint, quo Sedis ejusdem fuerint præsidio communita: Hospitale prædictum, illiusque modernum, & pro tempore existentem Præceptorem, ac Conventum, & Fratres, & Personas, ac familiares omnes, eorumque quoslibet, & alias Præceptorias, membra, Hospitalia, & loca ab ipso Hospitali vestro dependentia, illorumque similiter Præceptores, Fratres, Conventum, & personas: necnon Castra, Terras, & Oppida, illorumque vassallos, & subditos, bonaque omnia, & singula, mobilia, & immobilia, quæ ad præsens possident, & in futurum, largiente Domino, poterunt adipisci, sub B. Petri, & dictæ Sedis, ac Nostra protectione, motu, auctoritate, & scientia prædictis, suscipimus, ac ab omni jurisdictione, superioritate, visitatione, correctione, dominio, & potestate Ordinariorum, & eorum Vicariorũ, & Officialium quorumcunque, etiam quoad curam animarum ipsis, & Ecclesiis eis subjectis imminentem, perpetuò, penitus, & omnino eximimus, & totaliter liberamus, ac prorsus exemptos, & liberos, exemptaque & libera fore, ac Nobis, & dictæ Sedi duntaxat immediatè, quoad omnia subjacere (eorundem Præceptoræ, Conventus, & Hospitalis S. Spiritus de Urbe, jurisdictione, superioritate, potestate, & præeminentia semper salvis) decernimus, & declaramus. Ita quod Ordinarii, Vicarii, & Officiales prædicti, etiam ratione dicti contractus, aut rei, de qua agitur, ubicunque committatur delictum, ineatur contractus, aut res ipsa consistat, in eos, vel in ea, tanquam prorsus exemptos, & exempta, jurisdictionem, dominium, & potestatem, aut superioritatem, quomodolibet exercere, aut excommunicationis, suspensionis, vel interdicti, aliasque sententias, censuras, & pœnas promulgare, neque ipsi Præceptores, Fratres, & personæ coram illis, Sedis Delegatis, vel Subdelegatis, pro tempore directis, de præsentibus literis specialis, & expressa mentio fiat, ad judicium evocari, aut quovis modo directè vel indirectè inquietari, vel molestari possint, nec debeant quoquomodo. Decernentes omnes, & singulos processus, sententias, censuras, & pœnas, quos, & quas contrà exemptionem, liberationem, susceptionem, decretum, & declarationem hujusmodi forsan haberi, vel promulgari, necnon quidquid secus super iis à quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irrita, & inania, nulliusque roboris, vel momenti.

Ordo Sancti Antonii Viennensis exemptus est per multa privilegia Summorum Pontificum, præsertim Urbani IV. Gregorii X. Benedicti XI. Nicolai IV. Martini V. Calixti III. Pii II. Sixti IV. Alexandri VI. & aliorum; postremum verò, cum hæc omnia privilegia, immunitates, & exemptiones confirmatæ essent a Clemente VII. *Constitution.* 2. ejusdem Pontificis apud Laërtium Cherub. *tom.* 1. *Bull. nov.* per eandem Bullam exemptus est, ut videre est per totam, & præcipuè *in* §. 16. 17. 18. 19. *& sequentibus.* 16

Fratres Prædicatores à multis Summis Pontificibus exemptos fuisse, testantur eorum privilegia, ut habetur *in Compendio Indultorum* ejusdem Religionis, & præcipuè à Gregorio XI. per *Constitutionem* ejus septimam, relatam *in tom.* 1. Laërt. *cit. in* §. 27. 28. 29. *&* 30. sed præcipuè §. 31. cujus verba sunt hæc: 17

Cæterum, cum fel. record. Innocentius Papa IV. prædecessor noster, olim duxerit statuendum, ut exempti, quantacunque gaudeant libertate, nihilominus tamen ratione delicti, seu contractus, aut rei, de qua contra ipsos agitur, ritè possint coram locorum Ordinariis,

nariis conveniri, & illi quoad hoc, suam in illis jurisdictionem, prout jus exigit, exercere.

A Martino V. pariter exempti sunt, ut habetur apud Roder. *quæst. Regul. tom. 2. quæst. 62. articul. 3.* sub his verbis:

Vestigiis nonnullorum prædecessorum nostrorum inhærentes, Ordinem ipsum, ac Magistrum Generalem, & Priores, & Patres prædictos, nec non & quascunque Sorores, ac domos, Monasteria, & Hospitalia quæcunque sub cura, & regimine Fratrum Prædicatorum fuerint, & eorum Rectores, & Gubernatores, cum omnibus suis juribus, & pertinentiis, quæ in præsentiarum obtinent, & in futurum (dante Domino) justis modis poterunt adipisci, ab omni jurisdictione, dominio, & subjectione, & potestate quorumlibet Ordinariorum, & Prælatorum, ac Personarum Ecclesiasticarum, nec non à solutione cujuscunque collectæ, pedagii, aut cujuscunque alterius generalis exactionis de Apostolicæ potestatis plenitudine, & de certa scientia prorsus eximimus, & totaliter liberamus illam in jus, & proprietatem Beati Petri, & Sedis Apostolicæ, & sub eorum speciali, & immediata protectione suscipimus. Decernentes, Ordinem, Magistrum, Priores, Fratres, & Sorores, qui nunc sunt, & erunt pro tempore domus, Monasteria, loca, & Hospitalia supradicta, eorumque Rectores, & Gubernatores, cum omnibus juribus, & pertinentiis hujusmodi solùm immediatè Sedi Apostolicæ subjacere. Ita quòd Ordinarii, & Prælati hujusmodi, sive quævis alia persona generaliter, vel specialiter, aut communiter, vel divisim, non possint quavis auctoritate excommunicationis, suspensionis, & interdicti sententias promulgare, aut aliàs etiam ratione delicti, seu contractus, vel rei, de qua agitur, ubicunque committatur delictum, ineatur contractus, aut res ipsa consistat, potestatem, seu jurisdictionem aliquam quomodolibet exercere.

18 Fratres Minores à pluribus Summis Pontificibus exempti fuerunt, & præcipuè à Clemente IV. ut testatur Roder. *quæst. Regul. tom. 2. q. 62. art. 3.* cujus privilegii verba, ad rem nostram sunt hæc:

Quòd nullus Archiepiscopus, vel Episcopus, nullusque alius Prælatus Ecclesiasticus valeat compellere Fratres Minores ad portandum, seu deferendum literas, vel exequendum, aut denunciandum sententias contra Principes seculares, communicantes, populos, seu alios quoscunque benefactores eorundem Fratrum. Ac etiam, quòd nullus Delegatus, vel Ordinarius Judex possit eosdem Fratres compellere ad faciendum citationes, vel commissiones recipiendas, sive ut sint in aliquib. casibus assessores, sive ad lites, & controversias contingentes in causis, quæ coram ipsis tractantur, sine Sedis Apostolicæ speciali mandato, vel licentia expressam faciente de hujusmodi indultu mentionem. Nec quisquam eorum teneatur parere, vel intendere super his monitionibus, seu mandatis, aut jussionibus eorumdem, aut facere, aut implere, quòd in hac parte duxerit injungendum.

19 Ordo Eremitarum S. Augustini exemptus fuit ab Ordinariorum Jurisdictione per Alexandrum IV. anno 1255. ut habetur *in Bullario ejusdem Ordinis noviter impresso, Const. 3.* ejusdem Pontificis, §. 7. sub his verbis:

Insuper auctoritate Apostolica inhibemus, ne ullus Episcopus, vel quælibet alia persona ad Synodos, vel Conventus forenses, vel judicio seculari de propria substantia, vel de possessionibus vestris subjacere compellat: nec ad Domos vestras causa Ordines celebrandi, causas tractandi, vel aliquos Conventus publicos convocandi, venire præsumat: nec regularem Prioris vestri electionem impediat, aut de instituendo, vel removendo eo, qui pro tempore fuerit, contra statuta Ordinis vestri se aliquatenus intromittat. Illud adjicientes, ut scilicet Priores ipsi Episcopo, salvo Ordine suo, profiteri debeant, & contra statuta Ordinis sui nullam professionem facere compellantur.

Pro consecrationibus verò Altarium, vel Ecclesiarum, sive pro Oleo sancto, vel quolibet alio Sacramento, nullus à vobis sub obtentu consuetudinis, vel alio modo quidquam audeat extorquere: sed hæc omnia gratis vobis Episcopi Diœcesani impendant. Alioquin liceat vobis quoscunque malueritis Catholicos adire Antistites, gratiam, & Communionem Apostolicæ Sedis habentes, qui nostra freti auctoritate, vobis, quod postulatur, impendant. Quòd si sedes Diœcesanorum Episcoporum fortè vacaverint, interim omnia Ecclesiastica Sacramenta à vicinis Episcopis accipere liberè, & absque contradictione possitis: sic tamen ut ex hoc impostetum propriis Episcopis nullum præjudicium generetur. Quia verò interdum propriorum Episcoporum copiam non habetis, si quos Episcopos Romanæ Sedis, ut diximus, gratiam, & communionem habentes, & de quibus plenam notitiam habeatis per vos transire contigerit, ab eis benedictiones vasorum, & vestium, & consecrationes Altarium, auctoritate Apostolicæ Sedis recipere valeatis.

Posset hic tota Constitutio hujusmodi describi, quia plena est exemptionibus ab omnibus Archiepiscopis, Episcopis, Archidiaconis, Decanis, aliisque Ecclesiasticis, & secularibus personis, sed quia typis demandata est, poterit videri in supracitato Bullario in principio.

Fratres Carmelitani à multis Summis Pontificibus 20
fuerunt ab Ordinariorum jurisdictione exempti, ut apparet in Bulla præcipuè Sixti IV. sub datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1477. Kalendis Aprilis, Pontificatus sui anno 6. In qua Bulla multi Summi Pontifices antecessores ejusdem Sixti IV. enumerantur, qui prædictum Ordinem variis gratiis, privilegiis, & indulgentiis, immunitatibus, & exemptionibus decorarunt, ut eorumdem Summorum Pontificum constitutiones in libro Bullarum hujus Ordinis contentæ testantur.

Carmelitanos verò Discalceatos ab Ordinariorum jurisdictione exemptos fuisse probat Bulla Clementis VIII. sub datum Romæ apud Sanctum Marcum anno 1603. die 20. Augusti Pontificatus sui anno 12. qui extat *in 2. tomo Bullar.* Roderic. *constit. 22. Clement. VIII.* in qua omnia privilegia Ordini superiori concessa communicantur, & unum esse ex quatuor Mendicantium declaratur, ut patet in his verbis:

Quocirca motu proprio, & ex certa scientia Nostra, deque Apostolicæ potestatis plenitudine Ordinem, & Congregationem dilectorum filiorum Reformatorum Discalceatorum Ordinis Beatissimæ Virginis de Monte Carmelo, unum esse ex quatuor Ordinibus Mendicantibus, Ordinem scilicet Carmelitarum, cujus Religiosi strictiùs regulam à bon. mem. Alberto Patriarcha Hierosolymitano habitantibus in Monte Carmelo traditam, & à fel. record. Innocentio IV. prædecessore nostro confirmatam profitentur; & observant: Ipsisque omnia ad prædictum Ordinem, tam de jure, quàm ex privilegiis attinentia, tanquam propria competere, auctoritate Apostolica, tenore præsentium declaramus, cui declarationi nostræ si quis contradicere præsumpserit, illum anathematis vinculo innodamus.

Fratres Cruciferi approbati, & sub Sedis Apostolicæ protectione fuerunt recepti ab Urbano III. ut constat ex *ejus Constitutione* 1. apud Laert. Cherubin. *Bullar. tom. 1.* hujus Constitutionis tenor est:

Cùm antecessor tuus fili Prior à Prædecessore nostro fel. mem. Alexandro Papa, lapidem primarium ad Ecclesiam construendam acceperit, in territorio Bononiensi, ubi domus vestra nunc constructa dignoscitur: Nos vestris postulationibus justis inducti, eamdem

Ecclesiam, in qua divino estis, & pauperum obsequio mancipati, in jus, & proprietatem B. Petri, & Nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus. Statuentes, ut quascunque possessiones, quæcunque bona, eadem Ecclesia vestra cum Hospitali in præsentiarum, justè, & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poteritis adipisci, firma vobis, vestrisque successoribus, & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis.

22 Ordo Servorum B. Mariæ Virginis ab Ordinariorum jurisdictione exemptus fuit ab Urbano VI. ut elicitur ex ejus *Constitutione secunda, Bullar. loc. citat.* his verbis:

Volentes igitur præmissorum intuitu, vos, ac loca vestra præsentia, & futura prærogativa specialis favoris, & gratiæ insignire, ac singulari privilegio decorare; Vestris in hac parte supplicationibus inclinati, vos, vestrasque personas, ac omnia loca vestra, tam præsentia, quàm futura omni jurisdictione, potestate, dominio, visitatione, charitativi subsidii, subventionum, & exactionum quorumlibet præstatione, nec non à Synodalis, & alterius cujusvis Congregationis evocatione omnium, & singulorum Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum, & quorumlibet aliorum Judicum Ordinariorum, de speciali dono gratiæ, plenariè eximimus, & totaliter liberamus; vosque, ac personas, & loca ipsa in jus, & proprietatem B. Petri, & Sedis Apostolicæ, & sub eorum, & nostra protectione speciali, & immediatè suscipientes decernimus, vos, ac personas, & loca prædicta sola, & immediatè Sedi prædictæ subjacere: volentes, quòd locorum Diœcesani, vel alia quævis persona, vestras, vel loca prædicta utpotè prorsus exempta, & dictæ Sedi immediatè subjecta non possint auctoritate ordinaria excommunicationis, suspensionis, vel interdicti, aut alias sententias specialiter, vel generaliter promulgare, vel alias ratione cujuslibet delicti seu contractus, aut rei, de qua ageretur ubicunque committatur delictum, ineatur contractus, aut res ipsa consistat, potestatem, dominium, jurisdictionem aliquam quomodolibet exercere.

23 Ordo Minimorum receptus est sub protectione Sedis Apostolicæ à Sixto IV. ut habetur ex *Const. 5. ejusdem Pontificis, tom. 1. Bullar.* §. 10. & 11. per hæc verba:

Hujusmodique Oratorium, sive Ecclesiam S. Francisci de Paula, ac alia quæcunque loca, Oratoria, & Ecclesias per vos in posterum acquirenda, & acceptanda cum omnibus juribus, & pertinentiis suis, Eremisque, & personis, ac rebus omnibus, & singulis ad vos, vestraque loca quomodolibet spectantibus, & pertinentibus, personisque hujusmodi inibi pro tempore degentibus, ac ab omni jurisdictione, subjectione, superioritate matrum Ecclesiarum, ac sua, suæque Ecclesiæ Consentinæ, cæterarumque personarum ex certa sua scientia, & motu proprio in perpetuum exemit, & totaliter liberavit. Ac sub protectione, submissione, jurisdictione, & superioritate Sedis Apostolicæ prædictæ totaliter, & specialiter, singulariter, & expressè remisit, & relaxavit, prout in literis dicti Archiepiscopi pleniùs continetur.

24 Clerici Theatini similiter recepti fuerunt sub protectione Sedis Apostolicæ, & à jurisdictione Ordinariorum exempti a Clem. VII. ex *eod. Bullar. citat, Constit. 98. dicti Pontific.* hujus Constitutionis verba ad propositam materiam spectantia, hæc sunt:

Nos qui fidelium omnium, & præsertim sub paupertate, obedientia, & castitate Altissimo famulantium votis, quantum cum Deo possumus libenter annuimus, Vestrum Institutum plurimum in Domino commendantes, & approbantes, vestris in hac parte supplicationibus inclinati præmissa omnia, ac alia & quæcunque per nos vobis hactenus concessa innovamus, vestrisque piis votis, & desideriis, quæ circa infrascripta omnia & singula habere nobis exponi fecistis, & sub Nostra, & hujus S. Sedis Apostolicæ speciali protectione, & humili subjectione, & ab omni alio Superiore, penitus liberi, & exempti, solo Romano Pontifici canonicè intranti, & Superiori vestro canonicè electo pro tempore existentibus, subditi degere debeatis.

Clerici Regulares S. Pauli Decollati, sub protectione Sedis Apostolicæ recepti fuere à Paulo III. ut constat ex *Bulla* 5. ejusdem Pontificis eodem *tom. 1. Bullar. cit.* per hæc verba: 25

Nec sub solito, & communi habitu Clericali, subque nomine, & nuncupatione Clericorum Regularium in communi, ac de communi viventes in locis Religiosis aut secularibus, prout vobis ab illis, quorum loca ipsa fuerint, seu expedire videbitur sub Nostra, & hujus Sanctæ Sedis Apostolicæ immediata subjectione, & speciali protectione ad quinquennium dumtaxat in unum habitare.

Societas Jesu recepta est sub protectione Sedis Apostolicæ, simulque exempta, ac multis privilegiis munita à Paulo III. anno 1549. ex Roder. *loco cit.* per hæc verba: 26

In quo etiam refertur eos, qui in Societatem admissi biennio probationis peracto, tria vota substantialia, tametsi simplicia, emiserint, aut in futurum emittent, à quorumvis Ordinariorum, & Delegatorum, seu aliorum Judicum jurisdictione omnino exemptos esse.

Et apud Laërt. Cherub. *in tom. 1 Bullar. nov. in Bullar.* ejusdem Pontificis, 48. sub datum Romæ, apud Sanctum Marcum, eodem anno, die 18. Octobris, Pontif. sui anno 15. ejusdem Societatis amplior legitur exemptio ab Ordinariorum potestate in his, quæ sequuntur verbis:

Ipsamque Societatem, & universos illius Socios, & personas, illorumque bona quæcunque ad omni superioritate, jurisdictione, correctione quorumcunque Ordinariorum eximimus, & liberamus, ac sub nostra, & præfatæ Sedis protectione suscipimus.

Hæc *ibid. in §. 13.*

Clericos Regulares de Somascha exemit Sixtus V. *in Bulla* 4. ejusdem Pontificis, quæ habetur *in Bullar. citato tom.* 2. per hæc verba: 27

Nec non, quòd omnes, & singuli ipsius Congregationis Presbyteri Regulares, à suis Superioribus ad id specialiter approbati, eorumque licentia, vel consensu desuper requisito, & obtento, possent in Ecclesiis propriis ipsius Congregationis, vel in aliis quibuscunque de licentia illorum Superiorum, Missas celebrare, confessiones quoruncunque Christi fidelium, etiam alienæ Parochiæ subditorum, audire, & Sanctum Eucharistiæ Sacramentum ministrare quibuscunque festivis, ac non festivis, ac Dominicis diebus, & omnibus temporibus, Paschatis dumtaxat exceptis, neque sub prætextu antiquæ consuetudinis, & ex eo, quòd Ecclesiæ, in quibus Sacramenta hujusmodi ministrarent, & munera prædicta obirent, aut alio modo iis deservirent, subditæ essent alteri Ecclesiæ tanquam Matrici, aut Cathedrali, seu titulari, vel aliàs, idcircò in aliquibus solemnitatibus, aut temporibus juxta priscum morem Clericorum deservientium in talibus Ecclesiis subditis, ipsi Presbyteri, & Clerici Regulares dictæ Congregationis majoribus hujusmodi Ecclesiis, vel locorum Ordinariis, & Episcopali, & Archiepiscopali, aut majori dignitate fungentibus, etiam S. R. E. Cardinalibus; quocunque privilegio, &

facul-

facultate suffultis assistere, seu inservire, sive illum servitium personale præstare, aut aliquo modo ministrare, neque ad funera defunctorum, nisi eorum, quos in Ecclesiis ipsius Congregationis sepelire contigerit, etiam vocati, accedere tenerentur, neque ad id cogi, aut compelli ullo modo possent, de eadem auctoritate concessit, & indulsit.

28 Clerici Regulares Ministrantes Infirmis eximuntur, & multis privilegiis decorantur à Gregorio XIV. ut habetur *tom. 2. Bullar. cit. consist.* 17. dicti Pontificis per hæc verba :

Nec non Præfecto Generali, & aliis Superioribus, nec non de eorum etiam facultate, universis Fratribus, & Sociis Congregationis Ministrantium Infirmis hujusmodi, & Presbyteratus Ordine constitutis, ut in locis, ubi degunt, & eos pro tempore morari contigerit, habere Oratoria, & in eis Missas, & alia Divina Officia celebrare, ac Ecclesiastica Sacramenta recipere liberè, & licitè possint, & valeant, respectivè etiam concedimus, & indulgemus. Ipsamque Congregationem Ministrantium Infirmis, & universos illius Socios, & personas singulas, ac eorum bona, & res quascunque ab omni superioritate, jurisdictione, correctione, & visitatione quorumcunque locorum Ordinariorum, & Episcoporum, salva tamen decretorum dicti Concilii dispositione, eximimus, & penitus liberamus.

29 Religio Devoti Patris Joannis Dei motu proprio Pauli V. fel. record. exempta fuit anno 1619. die 16. Martii, Pontificatus sui anno 14. ut apparet in Bulla, quæ incipit *Romanus Pontifex*, quam hic apponendam duxi, quia *in Bullar. novo Laert. Cherub.* haud reperitur.

PAULUS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

Romanus Pontifex ex supremo dispositionis arbitrio ad hoc potissimum solicitudinis suæ nervos intendit, ut Religionum omnium, præsertim ad curam infirmorum, & miserabilium personarum institutarum, indemnitati consulrat: exemptionesque, & alias gratias illis intuitu charitatis, & laborum per Sedem Apostolicam concessas à noxiis, & obstaculis quibuslibet præservet, aliasque officii sui partes solerter impendat, statuat, & declaret, prout rerum, temporum, & personarum qualitates debitè pensatis, conspicit in Domino salubriter expedire. Dudum siquidem cùm Congregatio Joannis Dei sub Regula S. Augustini in Republica Christiana introducta, & subinde Apostolica auctoritate recepta, atque admissa fuisset, & gratia cooperante divina, per varias Mundi partes multiplicatis illius Fratribus mirabiliter propagaretur, & quamplurima Hospitalia, tam in Italia, quàm in Hispaniis, aliisque partibus ex congestis Christi fidelium eleemosynis, construerentur, in eisque innumerabiles Christi pauperes, utriusque sexus, videlicet senes, mente captos, membrorum & virium impotentia, atque debilitate laborantes, aliasque miserabiles personas pro eorum morbis, & infirmitatibus, etiam incurabilibus, sublevandis, refovendis, & sanandis continuò reciperet, diversi Romani Pontifices prædecessores nostri præfatæ Congregationi nonnulla privilegia, gratias, & indulta benignè concesserunt. Volentes tamen quòd Hospitalia, & alia loca, ac Fratres in eis pro tempore degentes sub obedientia Ordinariorum locorum, in quibus Hospitalia, & loca hujusmodi consisterent, perpetuò subessent, & subjacerent, & cùm plerique Fratrum dictæ Congregationis tria vota substantialia, & quartum de juvando Infirmos emitterent, generalem tamen, ac Constitutiones, aut certum vivendi modum non haberent, felicis recordat. Sixtus Papa V. etiam Prædecessor noster omnia Hospitalia Joannis Dei nuncupata, tam in Italia, quàm in cæteris quibusvis Provinciis, etiam transalpinis existentia invicem univit, & ex eis unam Congregationem Confratrum Joannis Dei nuncupan. erexit, Provinciasque distinxit. Subinde piæ memoriæ Clemens Papa VIII. etiam prædecessor noster, inter alia perpetuò statuit, & ordinavit, quòd de cætero Fratres dictæ Congregationis unum dumtaxat inservien. prædictis Hospitalibus sub obedientia Ordinarii, votum emitterent. Postremò, Nos ad summi Apostolatus apicem, divina favente clementia, assumpti etiam statuimus, & ordinavimus, quòd ex tunc deinceps perpetuis futuris temporibus in Hospitalibus, & locis Regnorum Hispaniarum, quæ proprium Confratrem Majorem eorum regimini, administrationi sub jurisdictione tamen, & visitatione Ordinarii loci Præfectum habere consueverant, Fratres ejusdem Congregationis, anno eorum probationis elapso, aut aliàs juxta Sacrorum Canonum, & decretorem Concilii Trident. præscriptum, tria Vota antedicta, videlicet Obedientiæ, Castitatis, & Paupertatis, & insuper, quartum Votum serviendi Infirmis in suorum Superiorum manibus, solemniter omninò emittere tenerentur, & subinde eos, qui sic professi forent propriè Religiosos, ac proprios, & veros Regulares esse, & fore, ac pro talibus ab universis Christi fidelibus habendos, & recipiendos, ac Congregationem hujusmodi veram, ac propriam sub Regula Sancti Augustini Religionem, & inter reliquas Ecclesiæ Catholicæ Religiones esse connumeran. Præterea eisdem Hospitalibus dictorum Regnorum, ut deinceps in eorum singulis duo Fratres manere, & ali possent, qui confessiones tam infirmorum, quàm aliorum Confratrum, & Ministrorum ejusdem Congregationis audire, & injuncta pœnitentibus pœnitentia salutari, eos à peccatis suis absolvere, illisque Sanctissimum Eucharistiæ, & Extremæ Unctionis Sacramenta ministrare liberè, & licitè valere concessimus, & indulsimus, ac omnia Hospitalia, & loca dictorum Regnorum, illorumque personas, & Superiores etiam quòd personæ Religiosæ essent, ac etiam dictum Confratrem majorem, & quemcunque alium pro tempore existentem jurisdictioni, superioritati, & correctioni Ordinariorum locorum perpetuò subesse, dictosque Ordinarios in loca, & personas hujusmodi, quoad causas civiles, & criminales, ac mixtas, & tam in visitatione, quàm extra plenam facultatem, & auctoritatem perpetuis futuris temporibus habere, ac rationem omnium, & singulorum bonorum, proprietatem, & rerum, tam mobilium, quàm immobilium, decimas, primitias, novalia, & alia opera quomodolibet nuncupata, solita, & consueta quibuscunque locorum Ordinariis Monasteriis, Domibus, Capitulis, Hospitalibus, Parochialium Ecclesiarum Rectoribus, aliisque personis, & locis, quibus ea colligen. jus competit solvere teneri, & ad id per opportuna juris remedia, (nisi privilegio, vel legitima præscriptione eatenus observata munirentur) cogi, & compelli, nec deinceps contra jurisdictionem, & superioritatem Ordinariorum, vel solutionem decimarum, primitiarum, novalium, & aliorum onerum præmissorum ullo unquam tempore, quantumvis longissimo præscribere, aut præscripsisse dici, vel censeri; quinimo si quando in Hospitalibus & locis supradictis Hospitalitas deficeret eosdem Ordinarios, illa, eorumque bona per Fratres hujusmodi, aut alias personas etiam sæculares administrare, ita quòd Hospitalia, & loca præfata, eorumqua bona, nullatenus unquam dictæ Congregationi incorporarentur, committere & mandare posse, ac etiam debere voluimus, & decrevimus. Volentes etiam, quòd dum dictorum Hospitalium administratio ad Fratres dictæ Congregationis pertineret, & singulis

gulis annis suæ administrationis rationem Ordinario ad præscriptum Concil. Trident. reddere tenerentur. Postremò pariter statuimus & ordinamus, ut quotquot in posterum dict. m Congregationem Italiæ nuncupatam ingredi vellent, anno probationis expleto, ac aliàs juxta Sacrorum Canonum, & decretorum Concilii Trident. præscriptum, tria vota substantialia hujusmodi, ac præterea quartum de juvandis Infirmis in suorum superiorum manibus solemniter emittere, vel à Congregatione præfata ejici deberent; eos verò sic professos proprios, & veros Regulares esse, ipsamque Congregationem ac ejus tam in Italia, quàm sub jurisdictione Fratris Majoris ejusdem Congregationis in Germania, Gallia, & Polonia erecta, & de cætero erigen. Hospitalia, quæ sub eadem Congregatione Italiæ comprehenduntur jurisdictione Ordinariorum, salva tamen ejusdem Congregationis apud Nos, & præfatam Sedem, Protectoris juxta illius facultates, ac Fratris Majoris, pro tempore existentium, auctoritate, & jurisdictione perpetuò subesse debere, ac aliàs, prout in diversis, tam nostris, quàm supradictorum prædecessorum nostrorum desuper confectis literis, pleniùs continetur. Cùm autem, sicut accipimus, nonnulli locorum Ordinarii, in quibus dicti Fratres reperiuntur, præter obedientiæ, cui iidem Fratres, ac Hospitalia, tam Italiæ, quàm Hispaniæ Provinciarum hujusmodi, ut præfertur, subjectæ existunt, iisdem nimis se extendentes, nedum circa regimen, & gubernium Hospitalium ipsis Fratribus commissorum, ac Sacramentorum Ecclesiasticorum in eis administrationem, atque in eis idem Hospitalibus receptorum, & expositorum rationis redditionem, seu receptionem; verùm etiam privatam dictorum Fratrum correctionem, & disciplinam Regularem, omnemque in eos jurisdictionem exercere consueverint, Superioresque dictæ Congregationis, ac Presbyteros, seu Capellanos, qui dictis Hospitalibus in divinis inserviant eligere, ac Medicos, Chirurgos, & alios Ministros, ac officiales gubernio, ac regimini ipsorum Hospitalium necessarios deputare, Novitiosque recipere, ac generaliter omnia, & singula, quæ ad Regularem disciplinam, ac correctionem dictorum Fratrum spectant, ac quæ juxta Regularia instituta dictæ Congregationis à præfata Sede approbata per Superiores ejusdem Congregationis peragi debent, facere, & exequi intendant, ipsorumque Fratrum quietem circa præmissa diversimodè perturbent, ob idque Superiorum dictæ Congregationis auctoritas, ac illius Regularis instituti observantia evanescat, dictaque Hospitalia, ac Fratres in illis degentes in spiritualibus, & temporalibus non levia sustineant incommoda, ob idque operæ pretium sit, ut tot, tantisque incommodis aliquo opportuno, & salubri remedio provideatur.

Nos igitur cupientes, ut omnis difficultatis, & ambiguitatis materia, quæ desuper oriri posset, prorsus tollatur, ac Congregationis hujusmodi singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium, dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, nec non singula singularum literarum Apostolicarum, tam à præfatis, quàm à quibusvis aliis Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, & Nobis ad favorem ejusdem Congregationis emanatarum, nec non quorumcunque privilegiorum, & indultorum illi per Sedem prædictam quomodolibet concessorum veriores, & totos tenores, ac dat. præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes. Motu proprio, non ad ipsius Congregationis, vel ejus Superiorum, aut alicujus alterius pro eis Nobis desuper oblatæ petitionis instantiam; sed ex mera deliberatione, ac scientia nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine; ex voto tamen Congregationis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis Episcoporum, & Regularium Præpositorum, quibus negotium hujusmodi maturè discutiendum, & referendum commisimus Congregationem Joannis Dei, hujusmodi, ac omnes, & singulas ipsius Congregationis domos Superiores etiam Majorem, ac Fratres, & personas, ac ministrantes, tam in Italia, quàm Hispaniis, aliisque Mundi partibus consistentia, & tam hactenus fundata, quàm de cætero fundan. in his dumtaxat, quæ Regularia instituta juxta Constitutiones d. Congregationis Joannis Dei à Sede Apostol. approbatas, & confirmatas concernunt, à Superioritate, visitatione, correctione, ac etiam obedientia Ordinariorum locorum, ita ut Religiosi Congregationis Joannis Dei hujusmodi Regularibus institutis suis se conformare debeant, salvis reliquis, tam Sacr. Canonum, & Conc. Trid. decretis, quàm nostris, aliorumque Roman. Pontificum prædecessorum nostrorum literis in favorem Ordinariorum emanatis, quibus nullatenus derogare, quinimo eas in suo robore, & firmitate permanere intendimus penitùs & omninò Apostolica auctoritate tenore præsentium, perpetuò eximimus, absolvimus, & liberamus, ac eos in præmissis dumtaxat ab omnimoda Ordinariorum locorum jurisdictione perpetuò exemptos fore, & esse declaramus, ipsisque Ordinariis, & eorum cuilibet, etiamsi Cardinalatus honore præfulgeant, ne deinceps in his, quæ observantiam, disciplinam, & instituta Regularia Congregationis Joannis Dei hujusmodi, ut præfertur, concernunt præterquam in casibus sacris Canonibus, & Conc. Trid. & Literis Apostolicis præfatis quomodolibet contentis, se immiscere, aut intromittere valeant, seu præsumant, districtè præcipimus, & inhibemus. Decernentes præsentes literas etiam ex eo, quòd Ordinarii locorum, seu quicumque alii quavis auctoritate, dignitate, officio, ac etiam Cardinalatus honore fungentes, ac in præmissis quomodolibet interesse habentes, seu habere prætendentes, ad hoc vocati, & causæ, propter quas præmissa emanarunt, quomodolibet examinatæ, justificatæ, vel approbatæ non fuerint, nec præmissis consenserint, validas, & efficaces fore, sicque & non aliter censeri; & ita per quoscunque Judices quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, in quavis causa, & instantia judicari, & definiri debere, ac irritum & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca venerabili Fratri nostro Episcopo Ostiens. & dilectis filiis nostro & Sedis Apostolicæ Nuncio in partibus Hispaniarum commoran. ac Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ generali Auditori, Motu pari per præsentes committimus, & mandamus quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios præsentes nostras literas, & in eis contenta quæcumque, ubi quando opus fuerit, ac quoties pro parte Majoris, & superiorum, ac Fratrum Congregationis Joannis Dei hujusmodi, seu alicujus eorum fuerint requisiti solemniter publicantes, eisque in præmissis efficaces defensionis præsidio assisten. faciant auctoritate nostra Literas præfatas, & in eis contenta quæcunque hujusmodi inviolabiliter observari, ac Fratres Congregationis Joannis Dei hujusmodi illis pacificè frui, & gaudere non permittentes, eos desuper per Ordinarios locorum, seu quosvis alios contra præsentium tenorem quomodolibet molestari, impediri, aut inquietari. Contradictores quoslibet, & rebelles per Censuras Ecclesiasticas, & pœnas etiam pecuniarias, aliaque juris & facti remedia auctoritate nostra prædicta appellatione post-

posita

positis compescendo, ac legitimis super his habendis servatis processibus, censuras, & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, auxiliumque brachii sæcularis ad hoc, si opus fuerit, invocan. Non obstan. præmissis, ac singulis Literis præfatis, nec non fel. record. Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris nostri de una, & Concilii Generalis de duabus dietis, dummodò non ultra tres dietas ali quis auctoritate præsentium ad Judicium trahatur, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non Congregationis Joannis Dei, & Ordinis Sancti Augustini hujusmodi juramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis, quoque indultis, & literis Apostolicis dictæ Congregationis Joannis Dei, illiusque superioribus, & personis, ac quibusvis aliis sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis etiam motu simili, ac aliàs quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter, ac de verbo, ad verbum, nihil penitùs omisso expressis, & insertis habentes illis, alias, in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, contrariis quibuscunque. Aut si dictis Ordinariis, vel quibusvis aliis communiter, aut divisum ab eadem sit sede indultum, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per Literas Apostolicas, non facientes plenam, & expressam, ac de verbo, ad verbum de indulto hujusmodi, mentionem. Cæterum quia difficilè foret præsentes Literas ad singula quæque loca, in quibus opus fuerit deferri. Volumus, ac etiam præfata Apostolica auctoritate decernimus quòd earumdem præsentium, transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Dat. Romæ, apud Sanctam Mariam Majorem sub Anulo Piscatoris, die 16. Martii 1619. Pontificatus nostri anno 14.

S. Card. S. Susannæ.

30 Congregatio Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum, exempta fuit à Gregorio XV. fel. rec. anno 1622. die 15. Octobr. Pont. sui anno 2. ut testatur ejus Constitutio 4. *in libello Privileg.* ejusdem Congregationis; in illa enim Constitutione conceduntur omnes exemptiones Ordinum Mendicantium.

GREGORIUS PAPA XV.

Ad perpetuam rei memoriam.

31 AD uberes fructus, quos dilecti filii Minister Generalis, & Clerici Congregationis Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum in Militanti Ecclesia, cujus regimini, divina disponente clementia, præsidemus, in dies afferunt, mentis nostræ aciem convertentes, ac uberiores ex ipsa Congregatione fructus indies proventuros esse sperantes, ad ea meritò libenter intendimus, per quæ Congregatio ipsa fœlicioribus indies proficiat incrementis.

Ut igitur Minister, & Clerici prædicti eò ferventiùs in suo laudabili instituto perseverent, quò majoribus se viderint favoribus, & gratiis munitos, providere volentes, ac singulares Ministri, & Clericorum prædictorum personas à quibusvis excommunicationis, & suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis, inclinati, Congregationi prædictæ, illiusque Ministro, & Clericis, aliisque personis, ut omnibus, & singulis privilegiis, immunitatibus, libertatibus, exemptionibus, aliisque gratiis, & indultis, tam spiritualibus, quàm temporalibus, Ordinibus Mendicantium, illorumque Superioribus, professoribus, nec non Ecclesiis, Monasteriis, & Regularibus locis, etiam per viam communicationis, vel extensionis, aut aliàs quomodolibet per quoscunque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, ac etiam Nos quomodolibet concessis, & quibus ipsi, nec non Ecclesiæ, Monasteria, & Regularia loca hujusmodi de jure, usu, consuetudine, privilegio, aut concessione Apostolica in genere, vel in specie, ac tam conjunctim, quàm divisim, seu aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur, & gaudent, ac uti, frui, & gaudere possunt, & poterunt quomodolibet in futurum, dummodò tamen sint in usu, & non sint revocata, aut sub aliquibus revocationibus comprehensa, nec sacris Canonibus, & Concilii Tridentini decretis, aut Constitutionibus Apostolicis repugnent; pari modo non solùm ad eorum instar, sed pariformiter, & æquè principaliter, perinde ac si illis nominatim, & in specie concessa fuissent, uti, frui, & gaudere liberè, & licitè valeant, Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuò concedimus, & indolgemus; dictaque privilegia, immunitates, libertates, facultates, exemptiones, gratias, & indulta eis communicamus, illaque ad eos extendimus.

Decernentes præsentes literas, validas, firmas, & efficaces, existere, & fore suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, & Præposito & Clericis prædictis in omnibus, & per omnia pleniffimè suffragari.

Sicque per quoscunque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstante nostra de gratiis ad instar non concedendis. ac quibusvis Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit ordinum prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis eorum ten. præsentibus pro plene & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Majorem, sub Anulo Piscatoris, die decimaquinta Octobris, M.DC.XXII. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

S. Card. S. Susannæ.

His exemptionibus positis advertendum est primò; hic non esse omnium Ordinum exemptiones appositas, neque tempus, quo fuerunt à jurisdictione Ordinariorum exempti; quia vel prædictæ exemptiones ad manus meas non lum venerunt, vel propriæ, & explicitæ non habentur; sed tantum per communicationem; ideò Ordines illi tam Mendicantium quotumdam, quàm non Mendicantium, quorum exemptiones hic omittuntur, videantur infra in *Disput. de Communicatione Privilegiorum*, ubi saltem implicita nimirum per communicationem eorum exemptio demonstrabitur.

Secundò, advertendum est multos alios esse Abbates, & Prælatos inferiores sæculares exemptos, ut sunt

sunt Præpositus Prasensis, Præpositus Collegiatæ Sancti Michaelis in foro Lucensi in Etruria; Abbas secularis Guastallæ in Diœcesi Cremensi; Præpositus Atessæ in Provincia Theatina, Archipresbyter Altamuræ, & Præpositus Sancti Sabini in Apulia; Abbas Sancti Joannis de Luculo in Civitate, & Diœcesi Aquilana; & in eadem Diœcesi, Abbas Sancti Spiritus de Octo, hodie Illustrissimus, & Reverendissimus Cardinalis Barberinus, qui sicut, & Abbas Farfensis, habet etiam in Civitate, & Diœcesi prædictis multas Ecclesias, in quibus exercet jurisdictionem quasi Episcopalem privativè, quoad Episcopum, & in eadem Diœcesi reperitur etiam Abbas Bominaci; multi alii ferè innumerabiles, (ut ita dicam,) inveniuntur similes Prælati inferiores exempti in nostra Italia, in Germania, in Gallia, Hispania, Anglia, & ubique Orbis Christiani. Sed quoniam tempus exemptionis eorumdem Prælatorum mihi incognitum est, ideo de illorum particularibus exemptionibus non egi.

31 Præterea notandum tertiò, quòd cùm exemptio sit gratia de sui natura præjudicialis, sustinetur privilegiorum exemptionis absque expressa derogatione regulæ de jure quæsito non tollendo; quia cùm Papa sciat gratiam, non nisi cum magno tertii præjudicio verificari posse, & nihilominus illam concedit: censetur per necessariam antecedens illi juri derogari velle Dec. *cons. 113. num. 7. vers. non obstat.* Corn. *cons. 83. num. 16. vers. tertio respondetur lib. 5.* Gonzal. *ad reg. 8. Cancellar. gloss. 36. num. 48.* Cassador. *decis. 5. de privileg.* Seraphin. *decis. 762. num. 4. & decis. 1445. num. 7.* Rota *decis. 240. num. 22. part. 1. divers. & decis. 48. num. 1. per tot.* & *decis. 174. num. 2. part. 1. recent. in Mantuana pensionis 4. Decembris* 1616 *coram R. P. D. Merlino*, & *in Romana dotis de Ballapanibus 7. Maji* 1629. *coram R. P. D. Dunozetto juniore*; quas refert & sequitur D. Ferentill. *in addit. ad decis.* 577. Burat. *num. 13.* & *in Adrien. decimarum Decembris* 1607. *coram Patriarcha Manzanedo, in Bononien. usufructus* 23. *Maji* 1625. *coram Reverendissimo D. Coccino Decano, in Albanen. beneficiorum* 27. *Junii* 1614. *coram R. P. D. Pirovano*, & *coram in Cæsaraugustana Cameraria* 26. *Novembris* 1632. *quæ infrà est decisio* 78. *numero* 10.

QUÆSITUM V.

Quæ forma, & per quæ verba probetur Abbatiarum, & Religionum exemptio ab Ordinariorum jurisdictione.

SUMMARIUM.

1 *Exemptionis privilegio se gaudere asserenti, probandi onus incumbit.*
2 *Scriptura necessaria est ad exemptionem probandam.*
3 *Forma probandi exemptionis traditur.*
4 *Exemptio ab Ordinariis, an probetur, si in privilegio dicatur quid esse juris Divi Petri*, & n. 5. 6. & sequentibus.
7 *Census solutio, quæ fit Ecclesiæ Romanæ, an arguat exemptionem.*
8 *Probatio concludere debet per necesse, non per possibile.*
9 *Singula, quæ non prosunt multa collecta juvant*, & num. seqq.
11 *Exemptio probatur, si in Privilegio Summus Pontifex eximat ab Ordinariis potestate.*
12 *Exemptio ab Ordinariis concessa censetur, si in privilegio dicatur, Ecclesiam, seu Monasterium esse liberæ, seu quòd potiatur libertate Ecclesiæ Romanæ.*
13 *Receptio in specialis Romanæ Ecclesiæ subjectos exemptionem operatur.*
14 *Receptio in protectionem an operetur exemptionem.*
15 *Protegere idem est, ac defendere.*
16 *Imperator Ecclesiæ Romanæ protector dicitur.*
17 *Imperator Ecclesiæ Romanæ inferior est*, & num. seqq.
19 *Exemptio plenaria concessa censetur ex receptione sub protectione Sedis Apostolicæ, cum onere aliquid solvendi.*
20 *Verba privilegii*, tali Monasterio, vel Ecclesiæ; nec tu, nec Presbyteri tui aliquid molestiæ inferatis, *quid operentur.*
21 *Exemptionem, & jurisdictionis concessionem non infert privilegium usus mitræ, & annuli, ac baculi pastoralis.*
22 *Exemptio plenaria à quocunque jure ordinariis competente censetur concessa ex verbis* Perpetuò eximimus, ac totaliter liberamus.

QUoniam, ut prædiximus, Ordinarii jurisdictio ex juris præsumptione per totam Diœcesim extenditur; hinc fit ut asserenti se exemptionis privilegio gaudere, incumbat onus talem exemptionem probandi, gloss. *in cap. de Xenodochiis, verb. in quorum*, & *ibi* Ancharan. *num. 1. post med. de relig. domib.* Abb. *in cap. 1. num. 13. ff. de offic. Ordin. & cap. porrò num. 1. de privileg.* Philipp. Franc. per illum textum *in cap. cùm personanum. 3.* & *ibi* Gemin. *num. 2. in fin. de privileg. in 6.* Caputaquen. *decis. 328. num. 2. part. 1.* Rot. *decis. 529. num. 4. part. 4. divers.* 1

Ad ejus autem probationem scriptura necessaria est, ita ut probatio exemptionum pendeat ex privilegiorum inspectione, juxta quorum tenorem semper est judicandum, *cap. porrò, & cap. recepimus de privileg. cap. accepimus de fide instrument.* Et post Alexand. *in 6. certi condictio §. quoniam num. 5. ff. si cert. pet.* Alciat. *in l. pactum quod bona num. 20. C. de pact.* Rot. apud Mantic. *decis. 260. n. 6. quæ est eadem cum d. decis. 529. num. 5. part. 4. divers.* 2

Forma probandi exemptiones præscripta est à Bonifacio VIII. Pont. Max. his verbis: *Nos volentes, super hoc de salubri remedio providere, statuimus, ut hi qui se asserunt per privilegia, seu indulta Apostolicæ Sedis exemptos, à locorum Ordinariis requisiti hujusmodi privilegia, vel indulgentias, quibus se dicunt fore munitos, ipsis Ordinariis in loco congruo, & securo, aut aliquibus prudentibus viris, omni suspicione carentibus, ad hoc per dictos Ordinarios deputatis, infrà terminum competentem, pro facti qualitate ipsorum Ordinariorum, vel Delegatorum suorum arbitrio moderandum, justo impedimento cessante, ostendere, ac ad legendum integraliter exhibere: nec non de articulis, de quibus controversia fuerit transcriptum tradere teneantur*; ut habetur in *d. cap. cùm persona de privileg. in 6.* 3

Modi autem verborum, quibus probari potest, exemptionem fuisse concessam, quamvis non sint in jure determinati, tamen extant aliqui, qui sunt in eodem jure communi magis in usu. 4

Primus est, si dicatur in privilegiis, quid esse juris D. Petri, sive ad jus, & proprietatem Romanæ Ecclesiæ, vel ad Romanam Ecclesiam specialiter, & immediatè, vel etiam simpliciter spectare, Panormit. *in cap. recepimus num. 2.* ubi etiam Soccin. *n. 7. & 32. de privileg.* Erasm. de Chokier. *de jurisd. Ordin. in exempt. part. 1. quæst. 9. num. 1. vers. in primis*, Mascard. *de probat. concl. 713.*

Verùm in contrarium est text. *in d. cap. recepimus de privileg.* dum probat, ex eo, quòd aliqui specialiter juris B. Petri existant, non probari exemptionem ab Ordinariorum potestate, nisi concurrat solutio census in signum subjectionis facta, ut ibi notat contra alios Dec. *num. 11.* Notandum ergo cum peritissimo Domino meo Domino Augustino Barbosa, qui rem istam cæteris latiùs, & doctiùs pertractavit in suo eruditissimo opere noviter impresso Lugduni *de offic. & potest.*

potest. Episc. allegat.123. à num.15. usque ad 20. exclusivè, quatuor casus principales in hoc proposito considerari posse.

5 Primus est, quando privilegium, sententia, aut scriptura non fiunt principaliter super exemptione, seu libertate, sed incidenter propter aliud; tunc si enuncient, aliquod Monasterium, seu Ecclesiam, vel personam esse juris D. Petri, vel ad Ecclesiam Romanam pertinere, utique hujusmodi enunciativæ exemptionem non probant, ut decidit text. *in cap. si Papa de privileg. in 6.* & constat ex generalibus principiis, quòd verba narrativa, quæ non proferuntur principaliter propter se, plenam probationem non efficiunt, *l. ex hac*, ubi id notant omnes, *ff. de donat. l. ex his verbis, C. de testament. milit.* cum similibus, de quibus Mascard. *de probat. conclus.*622. Menoch. *de præsumpt. lib.3. præsumpt.*133. Mantic. *de conjecturis ultim. volunt. lib.3.tit.*12. Rota *decis.*176.*n.*4. *part.*1.*Recent.* & in enunciativa Summi Pontificis probat generaliter *clem.* 1. *de probat.*

6 Secundus casus proponitur *in d. cap. si Papa, vers. si autem:* nempè quando dicta verba, quòd Ecclesia, vel Monasterium, aut persona sit Juris B. Petri, sive ad Ecclesiam Romanam pertineat, vel similia enunciantur à Summo Pontifice exemptionis privilegium concedente, aut à Judice super exemptione sententiam proferente. Ratio d. textus est, quia de natura privilegii est, ut ejus verba aliquid operentur; at prædicta verba in privilegio apposita nihil operarentur, & sine effectu remanerent, si per ea non censeretur concessa exemptio ab Ordinariorum imperio, & quod soli Papæ D. Petri successori subjiciantur; nam regulariter omnes Mundi Ecclesiæ ad B. Petri jus pertinere, & Romanæ Ecclesiæ subjectæ esse noscuntur, *can. cuncta per Mundum*, 9. *q.* 3.

7 Tertius est casus *d. cap. recipimus, de privilegiis.* Quando, scilicet, præter verba privilegii enunciantia, Ecclesiam, vel Monasterium ad jus Beati Petri spectare, concurrit etiam solutio census: ex quibus simul junctis satis concludi videtur exemptio specialis ab Ordinariorum ditione, & subjectio immediata Romanæ Ecclesiæ, præsertim ex solutione census, à qua non leve exemptionis desumitur argumentum, *cap. quanto*, ibi, *cùm nihil teneatis ab eis, quod, &c. de censib.* Verùm non semper ex solutione census colligitur omnimoda exemptio, ut probatur text. *d. cap. recepimus*, ibi, *non omnes censuales ab Episcoporum subjectione habentur immunes*, ubi post Panormitan. notavit Soccin. *num.*3. & Dec. *num.* 2. *cum seqq.* confirmatur ratione, quia nomen census æquivocum est, varias habens significationes; & ideò ea ejus solutione non probatur necessariò specialis subjectio Sedis Apostoli-
8 cæ, & exemptio ab Ordinariorum potestate; ex vulgata regula, probationem concludere debere per necesse, non per potest esse, ut per Mascard. *de probat. conclus.* 671. *num.*11. Hoc tamen non procedit, aliis conjecturis, & adminiculis cum census solutione ad probandam exemptionem concurrentibus, ex vulgata regula, quæ non prosunt singula, simul unita juvant, *cap. causam de probat. gloss. in l.* 12. *verb. legitimis, ff. de excusat. tutor.* latè Gabr. *commun. conclus. lustio*, Rota *decis.*650.*num.*7.*part.*1.*Recentior.* Nec obstat, quòd *in d. cap. recepimus*, cum solutione census concurrebat receptio sub protectione Papæ, vel etiam narratio, quod de jure B. Petri existebat, & tamen hæc tria simul juncta non sufficere ad probandam exemptionem, decidit ibi Pontifex, & notant post Panormit.
9 ibi *num.*1. Soccin. *n.*8. & 43. & Dec. *in princip.* Quia respondetur, Regulam illam, quæ non prosunt singula, multa collecta juvant, procedere, quando singula genere suo perfecta sunt: non ita si vitiosa sint, & genere suo imperfecta, ex Menoch. *de præsumpt. lib.* 3. *præsumpt.*39. *n.* 6. & latè adductis per Gabr. *d. conclus.* 2. *n.*33. *cum seqq.* Sed ex dictis, census solutio, & narrativa, esse juris Beati Petri, sicut etiam receptio sub protectione, ut dicemus, leve faciunt adminiculum, debilemque tradunt conjecturam plenariæ immunitatis; ergo neque simul unita habebunt vim illam concludendi. Atque sic docet D. Barbosa *d. allegat.*123. *num* 23. *& seq.* ex his colligi poterit, quando solutio census Apostolicæ Sedi probet, solventem immediatè illi subjectum esse, ac ab Ordinariorum imperio solutum esse.

Quartus casus est, quando licèt verba privilegii, vel sententiæ non principaliter ad exemptionem concedendam, sed propter aliud prolata sint; tamen Princeps, aut Judex principaliter in illis suam intentionem fundat; ad hoc autem, ut ex hujusmodi enunciativa exemptio plenè probetur, tria copulativè requiruntur: Primum, quòd à Summo Pontifice, vel alio Principe Superiorem non recognoscente, proferantur. Secundum, quòd sint de facto proprio. Tertium, quòd super illis gratia, vel intentio Principis principaliter fundetur; ut ex verbis text. *clem.* 1. *de probat.* deducunt Gabr. *comm. concl. tit. de probat. concl.* 2. Flam. Paris. *de resignat. benefic. lib.* 8. *q.* 11. Mascard. *de probat. concl.*1233. & ex his Card. Tusc. *tom.*6. *concl.*62. *& seq.* ex quibus concludendum est, quòd si Princeps per verba narrativa, in quibus principaliter suam fundat intentionem, asserat, Monasterium, vel Ecclesiam esse juris B. Petri, plena exemptionis probatio, & immediata Sedi Apostolicæ subjectio inde resultet: non sic autem cùm eadem narrativa fieret in sententia Judicis inferioris. 10

Secundus modus est; si in privilegio Summ. Pont. eximat ab Ordinarii potestate *cap. si Papa de privileg. lib.*6. insuper si Pontifex eximat cum plena libertate, Innocent. *in cap. veniens, de verb. signif. n.*7. Bellenc. *de charitat. subsid. quæst.*32. *num.*8. Erasm. de Chokier. *loco citato vers. deinde.* Barbosa *d. allegat.*123. *num.*11. Si etiam appositum sit in concessione. Nec audeat Episcopus ibi Cathedram suam collocare, vel quamlibet potestatem exercere, aut ordinationem aliquam quamvis levissimam, facere, *cap. luminoso* 18. *quæst.*2. Bellenc. *dist. quæst.* 32. *num.* 3. Barbosa *loco citato, num.*12. 11

Tertius modus est; si dicatur, locum, sive Ecclesiam esse liberam: seu quòd potiatur libertate Ecclesiæ Romanæ: aut quòd ejus speciali prærogativa gaudeat per text. *in cap. cùm olim* X. *de privileg. d. cap. si Papa, §. & est idem*, Chokier. *loco cit. vers. si dixerit*, Barbos. *num* 13. 12

Quartus modus; si Pontifex privilegio in speciales Ecclesiæ Romanæ subjectos recipiat, *d. cap. si Papa §. similiter*, gloss. *in cap. ne aliqui in verb. à quocunque de privileg. in* 6. Abb. *in cap. recepimus de privileg.* Erasm. à Chokier. ubi proximè, *vers. si recipiat*, Barbosa *loco etiam cit. num.*20. secùs si Papa recipiat aliquos in filios, ut expressè probat idem *cap. si Papa §. noscat filios*, ubi gloss. & Doctores latè, D. Barbosa *d. num.* 20. 13

Quintus est; si in privilegio diceretur, *recipimus in protectionem*, quia sicut ex tacita submissione protectioni Papæ, sive Apostolicæ Sedi quis eximitur à jurisdictione, ac potestate Ordinarii: ut videmus in eo, qui appellat ad Papam, vel Sedem Apostolicam, & appellatione interposita, ligantur manus omnium inferiorum, *cap. sollicitudinem, cap. dilecti, & cap. ad audientiam de appellat.* ita expressa receptio in protectionem, non solùm idem, immo plus operari debebit, quàm tacita, *l. ult. C. de novat. l. à Titio, ff. de furt.* Ita Mandosi *de signat. grat. verb. exemptiones ab Episcopis vers. & de clausula privilegii*, Roderic. *quæst. regular. tom.*4. *q.*63. *art.*3. *in fine.* 14

15 Contrarium tamen probat text. *in cap. ex parte, & cap recepimus, de privileg.* ubi Cardinal. *in princ.* Soccin. *à num.7.* Dec. *à num.13.* Mascard. *de probat. conclus.713. num.2.* Chokier. *d. part.1. q 9. num.3.* Gail. *late lib.2. observat.54. à princip. ubi num.4.* testatur esse communem omnium scribentium sententiam. Ratio est, quia protegere idem est ac defendere ut notat gloss. *in l. desertorem § ult. ff. de re militar.* & ideo non importat superioritatem, immo verificatur in inferiori, sicut etiam defensio: ut patet in militibus, qui pro salute, & defensione Regis ad ejus custodiam assistunt, ut per gloss. *in rub. C. de domestic. & potest. lib. 12. ubi in l.1.* benè explicat Cujacius, protectores dici eos, qui armatam militiam subeuntes, non solùm defendendi corporis sui, verùm etiam protegendi lateris
16 Principis curam habent. Ita etiam Imperator dicitur Ecclesiæ Romanæ protector, *in clem.1. de jurejurand.* & tamen non ideò Superior est Papæ, aut ipsius Romanæ Ecclesiæ, *cap. solita. de majorit. & obed.* Immo
17 inferiorem se profitetur *in canon Valentinianus 63 dist.* ibi, *cui, & nos, qui gubernamus Imperium, sincerè nostra capita submittimus.* Sic etiam Civitates sub Imperii protectione positas non subjectas esse, sed confoederatas censeri, ex Barthol. *in l. 1. Cod. de excusat. mun. lib.10.* notat Decius *in dict. cap. recepimus, num. 17. & 18.* Gaill. *de observ. 54. num. 1.*

18 Nec obstat, quòd quando pendente aliqua causa in judicio quis propter gravamen sibi illatum, vel comminatum, submittens se protectioni Sedis Apostolicæ, eximitur à potestate, & jurisdictione Judicis Ordinarii: quia respondetur, talem subjectionem habere effectum appellationis, & consequenter, suspendendi jurisdictionem Judicis Inferioris, à qua sic tacitè appellatur, juxta generalem regulam text. *in c. si à Judice, de appellat. in 6.* & ideò exemptio tunc non provenit ex eo quòd ille se Apostolicæ Sedis protectioni submiserit, sed ex virtute tacitæ appellationis, quæ illis verbis includitur, ut explicat Præpositus *in d. cap. ad audientiam, num.3. cum seqq. de appellat.* Marant. *de Ord. Judic. p.6. cap. de appellat. num.133.* & in simili de arreptione itineris ad Papam ex causa gravaminis probat text. *in cap. meminimus, & in cap. dilectis, de appellat. cap. cum olim in fine, de dolo, & contumac.* Atque ita eleganter post Mascard. Chokier, Gaill. & alios supra adductos, docet D. August. Barbos. *cit. allegat.123 num.26, 27. & 28.* & tenuit Rot. *decis. 709. sub n.1 vers. ad primum de bulla part.4. divers.* Verùm quando una cum receptione sub protectione Sedis Apostolicæ concurrit etiam onus aliquid solvendi, censetur concessa plenaria exemptio, ut per Rot. apud Seraph. *decis.1025. num.8.* & *in Theatina, seu Nullius jurisdictionis de Bucclanico 23. Junii 1614. coram Reverendissimo D. Coccino Decano, quæ in fine operis est decis. 59 num.3.*

20 Notandum tamen, quòd quando dicitur, *Tali Monasterio, nec tu, nec Presbyteri tui aliquid molestia inferatis*; intelligitur tale Monasterium à lege Diœcesana, tantùm immune, & liberum, *cap. quàm sit 18. q.2.* Innocent. & Panormit. & Doct. *in c.1. de stat. Monach.* si autem dicatur; *Gaudeat plena libertate,* censetur exemptum tam à lege Diœcesana, quàm lege jurisdictionis Philipp. Franc. *cap.1. §. illam. num.3. de*
21 *verb. signif.* Adde etiam quòd ex privilegio usus Mitræ, & Anuli, ac Baculi pastoralis non infertur ad jurisdictionis concessionem, neque ad exemptionem, ut respondit Rota *in d. decis.709. n.4 part.4. divers.* quia ut inquit Joan. Andr. quem alii sequuntur *in c. Apostolica de privileg. in 6.* privilegium usus Mitræ, & Anuli, ac Baculi pastoralis datur in honorem Ecclesiæ, & non in amplitudinem officii.

22 Et ex verbis, *Perpetuò eximimus, & totaliter liberamus*, censetur Monasterium exemptum à quocunque jure Ordinariis competente, Hemin. *cons.72. in princ.* Vitalin. *element. 1. de censib.* Rota *in Cæsaraugustana Cameraria 26. Novembris 1632. coram R.P.D. Pirovano, quæ in fine operis est decis.78 num. 9.*

QUÆSITUM VI.

Qua ratione Abbas, & Prælatus Regularis ab Ordinariorum molestiis jura sua tueri possint.

SUMMARIUM.

1 *Abbas potest per declinatoriam fori ab Ordinariorum molestiis jura sua tueri.*

2 *Privilegia Regularium cum dubitatur an sint valida, Sedes Apostolica est consulenda.*

3 *Ordinarius in materia exemptionum de sua jurisdictione cognoscere non potest.*

4 *Judex in causa propria nemo esse potest.*

5 *Exemptionis de privilegio judicare, ad Papam spectat, ad quem solum pertinet eximere.*

DUpliciter potest Abbas exemptus ab Ordinariis
se tueri: Primò per declaratoriam fori, præsen- 1
tando in judicio exemptionis privilegium; Abbates enim, & exempti omnes ab Episcopo citati, si ad probandam suam exemptionem privilegium tantùm allegant, tenentur illud in loco congruo, & securo ipsis Ordinariis, vel aliquibus Jurisprudentibus, omni suspicione carentibus, ad id per eosdem Ordinarios deputatis, infra terminum competentem pro facti qualitate, arbitrio ipsorum Ordinariorum, vel suorum delegatorum moderandum, justo impedimento cessante, ostendere, & ad legendum integrum exhibere, ac transsumptum articulorum, super quibus erit controversia, tradere, *cap. cùm persona de privileg. in 6.* ubi notant gloss. & DD. quòd concedi debet ut totum privilegium inspiciatur, ita ut plenariè legi possit; copia verò est tradenda de iis tantùm articulis, de quibus est controversia. Idem notant Felin. *in cap. 1. num. 29. de probat.* Ratio est, quia ex transcriptione totius privilegii possent lites, & novæ differentiæ excogitari: hoc autem non ita facilè continget ex copia articuli controversi tantùm, ut ait ead. gloss. *in verb. integraliter*, & *ibi* Anchar. & alii. Si verò ad probandam hujusmodi libertatem, Canonicam tantùm præscriptionem allegaverint, tenentur de ea eisdem Ordinariis, vel ab eis delegatis fidem facere. Si verò qui se tueri velint, si privilegium exhibitum non sufficit, ad hujusmodi exemptionem plenè probandam, tenentur quadraginta annorum præscriptionem probare, & ea pendente, licèt Ordinariorum intentio de jure communi contra eos fundetur, tamen in libertatis, vel exemptionis possessione, de qua fidem coram eisdem Ordinariis fecerint, turbari nequeunt. Nam pendente lite super validitate privilegii, seu an fuerit privilegium concessum, vel non, privari quis non debet usu possessionis, vel quasi, etiamsi illa possessio sit contra jus, *d. cap. cùm persona §. quod si tales. de privileg. in 6.* Panormitan. *in cap. 1. num. 4. ut lite pend. innov.* Si verò non exhibent privilegium, quod saltem causas præscriptionis tradat: licebit Diœcesanis Episcopis in eosdem liberè jurisdictione sua uti; donec de canonica præscriptione plenam fidem faciant, ita habetur ex text. *in d. cap. cùm persona.* De qua re in duabus sequentibus quæstionibus latè agemus. Et videndæ sunt decisiones S. Rotæ Romæ *in Calagurritana jurisdictionis 1. Julii 1605. coram Justo, in Toletana jurisdictionis 26. Martii 1612. & 4. Decembris 1613 coram R. P. D. Pirovano, & in Toletana exemptionis 14. Maji 1614. coram Eminentiss. D. Cardinale Joanne Baptista Pamphilio, quæ in fine operis sunt decis.53. 67. & 68.*

Secundo modo possunt se tueri Abbates, ut si exhibito privilegio, Ordinarii de ejus validitate, vel invaliditate agunt, & illo rejecto, sententiam contra eos ferant, ea sententia nullius est momenti; nam
2 cum de validitate privilegiorum Regularium dubitatur, ad Summum Pontificem recurrendum est, qui sibi eorum interpretationem reservavit, ut habet Collector privilegiorum Societatis Jesu, *in compend. privileg. §.1. & 4.* inquiens: *Privilegiorum Societatis per Paulum III. usque ad 15. Kal. Novembris anno Domini 1549. concessorum interpretationem reservavit Sedi Apostolica, quia inhibitum est omnibus Prælatis, ne præsumant interpretari privilegia Regularibus concessa, sive clara sint quæ interpretatione non indigent, sive dubia contineant, prout concessit Clemens IV. Prædicatoribus, ac Minoribus, ut patet ex libro privilegiorum Sancti Augustini.* Insuper idem Collector refert concessum, quòd quoties super intelligentia privilegiorum dictæ Societatis aliqua difficultas orirètur, per Jurisperitos, & alios Judices ad favorem ipsius Societatis interpretatio fiat: ut etiam concessit Alexander VII. Congregationi Sanctæ Justinæ de Padua, sub Dat. Romæ Kalend. Aprilis 1501. Pontificatus sui anno VIII. quod extensum fuit ad nostram Congregationem à Julio II. anno 1507. Pontificatus sui anno IV. de quibus suprà *in disputatione de privilegiis.* Quòd autem in dubio interpretatio privilegiorum Regularium non spectet ad Prælatos seculares, præter privilegia, tenent etiam Doctores; quamvis etenim regulariter ad Judicem pertineat inspicere, ac decernere, an ad ipsum jurisdictio competat *l. 2. ff. si quis in jus voc. non ierit*, & ibi Doct. Abb. Felin. & alii Canonistæ in *cap. super literis de rescript.*
3 in materia tamen exemptionum Ordinarius de sua jurisdictione cognoscere non valet, ut expressè tenent idem Abbas Felin. & cæteri Doctores *in d. cap. super literis.* Idem tenuit Innocent. *in cap. venerabili*, & *ibi* Panormit. *num. 3. & 4. de censibus.* Item *in cap. ex parte de verbor. signification.* Ratio
4 horum potissima videtur: quia Episcopus cognoscens utrùm privilegium sit validum, nec ne, vel quidquam tale causam principalem attingens, esset judex in propria causa quod non licet per text. *in l. qui jurisdictio ff. de jurid. omn. Judic. & C. ne quis in sua causa, & in rubro, & nigro*, Innocent. *in d. cap. ex pars. num. 3. per tot. de verb. significat.* Alia ratio videtur,
5 quia ad summum Pontificem spectat, eximere, ergo ad ipsum pertinebit, de suo exemptionis privilegio judicare, *cap. cum venissent*, ubi gloss. *in verb. judicari de judic. cap. 1. de leg. Conrad.* Gaill. *lib. 1. obs. 1. num. 7.* Armill. *verb. interpretatio num. 4.* Et quamvis, *in d. cap. cùm persona*, dicatur, quòd exempti de suo exemptionis privilegio requisiti, debent illud ordinariis ostendere; ergo Ordinarii in causa propria possunt cognoscere. Resp. tamen, quòd allegantes exemptionis privilegium, debent illud Episcopis ostendere, non ut illi de eo judicent, sed ut se informent; ut docet Panor. *in d. cap. venerabilis n. 3. in fine*, ex Innocent. *ibidem.*

QUÆSITUM VII.

Utrùm per privilegia exemptionum, Abbates, & cæteri Regulares in omnibus ab Episcoporum jurisdictione exempti sint.

SUMMARIUM.

1 *Lex Diœcesana quænam sit.*
2 *Lex jurisdictionis, quænam sit.*
3 *Abbates & Religiosi de jure communi à Lege Episcopali Diœcesana, non autem à Lege jurisdictionis exempti sunt, per privilegia verò ab utroque.*
4 *Religiosi, licèt exempti, Episcopo tamen quoad sacrorum librorum editionem subjiciuntur.*
5 *Religiosos suæ diœcesis compellere potest Episcopus, ut lectionem Sacræ Scripturæ in suis Monasteriis habeant, si commodè fieri poterit.*
6 *Regulares subsunt Episcopis, quoad prædicationis munus, & quoad Parochos, ut populo sibi commisso prædicent in Dominicis, & festis solemnibus &, quid, si Ecclesiæ essent nullius Diœcesis.*
7 *Regulares extra Monasterium degentes, si delinquant, à locis Ordinariis puniuntur.*
8 *Regulares extra Monasterium degentes, in causis mercedum, & miserabilium personarum ab Ordinariis, tanquam Sedis Apostolicæ delegatis, ad solvendum debitum cogi & compelli possunt; non autem in aliis*, num. 10.
9 *Regulares quando hic dicantur extra Monasterium degere.*
11 *Regulares intra Monasterium degentes, si extra claustra ita notoriè deliquerint, ut populo scandalo sint, an & quando ab Episcopo puniri possint.*
12 *Personæ miserabiles quænam intelligantur.*
13 *Pauli V. Constitutio super cap. 14. sess. 7. Conc. Trid. de reformat. refertur.*
14 *Regulares quoad Ordines Episcopis subjiciuntur.*
15 *Pœnitentiæ Sacramentum exercere non possunt Regulares, nisi prævio examine ab Ordinario idonei judicentur.*
16 *Ædificare monasterium, sive Ecclesiam vel aliam Orationis Domum nemo potest, nisi ab Ordinario ei licentia impertiatur.*
17 *Ordinarii quam potestatem habeant quoad Clausuras Sanctimonialium exemptarum.*
18 *Regulares subjiciuntur Episcopis in festis colendis.* Intellige, ut ibidem.
19 *Regulares tenentur publicare interdicta, & censuras Ecclesiasticas in eorum Ecclesiis, si Episcopus præcipiat, easque servare.*
20 *Exempti, tam Regulares, quàm seculares, ad publicas processiones accedere tenentur, & lites, quæ inter personas Ecclesiasticas in processionibus oriuntur, ab Episcopo componi debent.*
21 *Novitii omnes subjacent Ordinariis locorum quoad renunciationes faciendas.*
22 *Regulares de professionis nullitate dicere volentes, eorum rationes coram suo superiore, ac Ordinario proponere debent.*
23 *Ordinarii cogunt* Regulares *testamentum, & ultimarum voluntatum executores, ad suscepti muneris rationem reddendam.*
24 Regulares *nequeunt sine Episcopi licentia, eleemosynas petere.*
25 Regulares *omnes in causis hæresis Episcopo subsunt, vel Inquisitoribus, non autem propriis Abbatibus, & Prælatis.*
26 Regulares *coram Episcopis reconveniri possunt, quoties coram eisdem alios conveniunt.*
27 *Exempti non censentur immunes à decimarum solutione.*
28 *Campana à* Religiosis *in Sabbato sancto in eorum* Ecclesiis *pulsari nequeunt, antequam pulsentur in Cathedrali, seu Matrici* Ecclesia, *sub pœna ducatorum centum. Fallit stante immemorabili in contrarium.* Et *quando immemorabilis censeatur legitima probata.*
29 Episcopi *possunt etiam per censuras cogere Prælatos* Regulares, *ad restituendum Novitiis egredi volentibus bona, quæ tempore ingressus attulerunt.*
30 *Religiosi de manibus laicorum* Ecclesias, *sine* Episcopi *consensu, recipere nequeunt.* Intellige, ut ibid.
31 Episcopi, *& hæreticæ pravitatis Inquisitores possunt severè animadvertere in* Regulares *audentes in publicis eorum actibus asserere, quòd Beatissima Virgo cum originali peccato concepta fuerit.*

32 *Episcopi & Inquisitores inquirire, & procedere possunt contra quoscunque, etiam exemptos, sollicitantes in confessionibus.*

33 *Episcopi possunt punire Regulares Mendicantes, qui cum tantum unica campana debeant esse contenti, plures tamen retinent.*

34 *Religiosi Episcopalia sibi arrogantes puniri possunt ab Episcopo, eorumque Ecclesias, in quibus ea exercentur, interdictas esse, potest Episcopus declarare.*

35 *Regulares sine Ordinarii licentia non possunt publicare Indulgentias, etiam quas à summo Pontifice receperunt.*

36 *Archiepiscopi, & Episcopi possunt in locis exemptis suæ Diœcesis facere solemnes benedictiones, & divina Officia celebrare.*

37 *Exempti subduntur Episcopis in causis matrimonialibus, nisi habeant jurisdictionem privativè ad Episcopos, vel consuetudinem immemorabilem.*

38 *Exempti subduntur* Episcopo *in hoc, ut per eum possint denunciari, & mandari, ut evitentur, quando essent notoriè excommunicati à jure, vel ab homine.*

39 *Regulares facientes processiones extrà claustra, vel ambitum suorum Monasteriorum, (nisi consuetudine, vel privilegio id fuerit ab eis obtentum) puniri, & impediri possunt ab* Episcopo.

40 *Religiosus exemptus si extrà Monasterium sine habitu incedat, potest ab Ordinario puniri, secùs verò si intrà.*

41 *Ordinarius potest exemptos capere si fuga periculum adsit, eosque ad forum competentem mittere*; sed limita, ut ibi.

42 *Exempti in omnibus illis subjiciuntur* Episcopis, *quæ ad Ordinem* Episcopalem *pertinent.*

43 *Exemptus ex justitia defectu, nisi possit ad Papam, vel Superiorem suum habere recursum, potest ad Episcopum loci recurrere.*

44 *Episcopus omnimodam habet jurisdictionem in Monachos Ecclesiæ Cathedralis, iis rebus exceptis, quæ Regularia instituta concernunt.*

45 *Exempti ab Episcoporum jurisdictione, an ab Episcopali quoque reverentia sint exempti.*

46 *Episcopus habet jurisdictionem in Regulares, qui animarum curam personarum secularium exercent, eique quoad Sacramentorum administrationem subjiciuntur.*

47 *Episcopus visitare debet absque gravamine Parochias Monasteriis annexas.*

48 *Regulares, delinquentes circa animarum personarum secularium Curam, puniri debent ab Episcopo per Prælatos suos Regulares.*

49 *Episcopi non possunt visitare personas seculares exercentes curam animarum in Monasteriis, in quibus residentiam habent Generales Ordinum.*

50 *Episcopi non possunt Ecclesias ipsas Monasteriorum exemptorum, nec ipsa Monasteria visitare.*

51 *Bulla Gregorii XV. de exemptorum privilegiis, circa animarum curam, & Sacramentorum administrationem, Sanctimonialium Monasteria, & prædicationem Verbi Dei.*

52 *Declarationes Sacræ Congregationis Illustriss. Card. Conc. Trid. Interpretum super constitutione prædicta.*

53 *Exempti omnes subduntur Ordinariis, & Inquisitoribus quoad expositionem Reliquiarum, & Imaginum.*

54 *Exempti subduntur Ordinariorum jurisdictioni in aliis casibus, de quibus hic.*

1 SUpponendum est, duplicem esse legem Episcopalem, nempe Diœcesanam, & jurisdictionis *cap. dilectus de offic. jud. Ordin.* & *ibi* gloss. Lex Diœcesana
ea est, per quam Episcopus Synodum cogit, ad exequias solvendas, & honorandos Clericos convocat,
ex iis, quæ pro funere offeruntur, quartam exigit, &
pariter eandem quartam ex omnibus Parochialibus decimis recipit, Charitativum subsidium, & Cathedraticum exigere potest, item onus imponit, Prælatos,
& alios primario viros hospitio suscipiendi. Lex dein- 2
de jurisdictionis est, per quam ipsemet Episcopus curam animarum committit, delicta punit, Ecclesias moderatur, & consecrat, Altaria quoque, & alia vasa, vestes, & Virgines consecrat, & Chrisma conficit, cæteraque ad Sacramenta spectantia præstat: & alia quæ numerantur *cap. conquerente §. præcedenti de offic. Ord.* usque ad *verb. Synodum.* His sic positis, ad
solutionem quæsiti dico, quòd vel loquimur de jure 3
communi, vel de jure privilegiorum. Si loquamur de jure communi Abbates & cæteri Regulares sunt exempti à lege Diœcesana, *cap.* 1. 10. *quæst.* 1. *& cap. inter cætera,* 10. *q.* 3. *& cap. quàm sit* 12. *quæst.* 2. *& cap. placuit* 17. *quæst.* 1. Non autem à lege jurisdictionis, ut gloss. Abb. Felin. Zabar. & alii in *d. cap. dilectus de offic. Ordinar.* idem Abb. *in cap.* 1. *de stat. Monach.* & Bertachin. *tract. de Episc. lib.* 4. *part* 2. *quæst.* 35 *num* 8. Erasm. Chokier. *de jurisdict. Ordinar. in exempt. part.* 1. *quæst.* 16. *num.* 1. Azor. *instit. moral. part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 32. *quæst.* 2. Si verò erit sermo de jure privilegiorum, secùs erit dicendum: per speciales enim Summorum Pontificum concessiones, Regulares ab utraque leges immunes existunt; in aliquibus autem casibus subduntur etiam Episcopis, partim de jure communi, partim ex Concil. Trid.

Primò, Religiosi licet exempti sint: Episcopis ta- 4
men subsunt quoad editionem librorum Sacrorum ex Concil. Trident. *sess.* 4. *in decreto de usu, & editione sacrorum librorum,* ubi sic habetur: *Non liceat Fratribus imprimere, seu imprimi facere libros de rebus sacris, sine approbatione Ordinarii, & licentia suorum Superiorum.* Hoc decretum Sacri Conc. Trid. rursus in indice librorum prohibitorum, & in Regulis superinde statutis: *in rubrica de impressione librorum §.* 2. ita exprimitur, *Regulares præter Episcopi, & Inquisitoris licentiam meminerint, teneri se Sacri Concilii Tridentini decreto operis in lucem edendi facultatem à Prælato, cui subjacent obtinere.*

Secundò, quòd Lectionem Sacræ Scripturæ haben- 5
dam in Monasteriis Monachorum, & aliorum Regularium Conventibus, *sess.* 5. *cap.* 1. per hæc verba: *In Monasteriis quoque Monachorum, ubi commodè fieri queat, etiam Lectio Sacræ Scripturæ habeatur, quæ in re, si Abbates negligentes fuerint, Episcopi locorum in hoc, ut Sedis Apostolicæ Delegati, eos ad id opportunis remediis compellant, in conventibus verò aliorum Regularium, in quibus studia commodè vigere possunt, Sacræ Scripturæ Lectio similiter habeatur, quæ Lectio à Capitulis Generalibus vel Provincialibus assignetur dignioribus Magistris.* Prædicti Magistri qui à Capitulis Generalibus, vel Provincialibus assignati non sunt, de vita, moribus, & scientia examinandi ab Episcopo loci, ut cavetur *eod. loc. Conc.* per illa verba: *Statuit eadem Sancta Synodus neminem ad hujusmodi Lectionis officium, tam publicè, quam privatim admittendum esse, qui prius ab Episcopo loci de vita, moribus, & scientia examinatus, & approbatus non fuerit, quod tamen de Lectoribus in claustris Monachorum, non intelligatur*; de hac re alibi.

Tertiò quoad prædicationem Verbi Dei, & quoad 6
Plebanos, & Parochos, vel alios curam animarum habentes, ut per se, vel per alios, plebes sibi commissas pascant salutaribus verbis, diebus saltem Dominicis, & festis solemnibus; & si ipsæ Ecclesiæ essent nullius Diœcesis, Archiepiscopi id præstare debent ut delegati, Concil. Trident. *sess.* 5. *cap.* 2. in hanc

sen-

ſententiam: *Archipresbyteri, Plebani, & quicumque Parochiales, vel alias curam animarum habentes, Eccleſias quocunque modo obtinent, per ſe, vel alios idoneos, ſi legitimè impediti fuerint, diebus ſaltem Dominicis, & feſtis ſolemnibus plebes ſibi commiſſas pro ſua, & earum capacitate paſcant ſalutaribus verbis, docendo ea, quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem: annunciandoque eis cum brevitate, & facilitate ſermonis vitia, quæ eos declinare, & virtutes, quas ſectari oporteat, ut pœnam æternam evadere, & cæleſtem gloriam conſequi valeant. Id verò ſi quis eorum præſtare negligat, etiamſi ab Epiſcopi juriſdictione quavis ratione exemptum ſe eſſe prætenderet, etiamſi Eccleſiæ quovis modo exemptæ dicerentur, aut alicui Monaſterio etiam extra Diœceſim exiſtenti, forſan annexæ, vel unitæ, modo re ipſa in Diœceſi ſint, provida Paſtoralis Epiſcoporum ſollicitudo non deſit, ne illud impleatur: parvuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis. Itaque ubi ab Epiſcopo moniti, trium menſium ſpatio munere ſuo defuerint, per cenſuras Eccleſiaſticas, ſeu alias ad ipſius Epiſcopi arbitrium cogantur, ita ut etiam ſi ei ſic expedire viſum fuerit, ex beneficiorum fructibus alteri, qui id præſtet honeſta aliqua perſolvatur, donec principalis ipſe reſipiſcens officium ſuum impleat.*

Si quæ verò parochiales Eccleſiæ reperiantur ſubjectæ Monaſteriis in nulla Diœceſi exiſtentibus, ſed Abbates, & Regulares Prælati in prædictis negligentes fuerint, à Metropolitanis, in quorum provinciis Diœceſis ipſa ſitæ ſunt, tanquam quoad hoc, Sedis Apoſtolicæ delegatis compellantur. Neque hujus decreti executionem, conſuetudo, vel exemptio, aut appellatio, aut reclamatio, ſive recurſus impedire valeat, quouſque deſuper à competenti Judice qui ſummariè, & ſola facti veritate inſpecta procedat, cognitum, & deciſum fuerit. Regulares verò cujuſcumque Ordinis, niſi à ſuis ſuperioribus de vita, moribus, & ſcientia examinati, & probati fuerint, ac de eorum licentia, etiam in Eccleſiis ſuorum Ordinum, prædicare non poſſint, cum qua licentia perſonaliter ſe coram Epiſcopis præſentare, & ab eis benedictionem petere teneantur, antequam prædicare incipiant. In Eccleſiis verò, quæ ſuorum ordinum non ſunt, ultra licentiam ſuorum Superiorum, etiam Epiſcopi licentiam habere teneantur, ſine qua in ipſis Eccleſiis non ſuorum Ordinum nullo modo prædicare poſſint: ipſam autem licentiam gratis Epiſcopi concedant.

Si verò (quod abſit) Prædicator errores, aut ſcandala diſſeminaverit in populum, etiam ſi in Monaſterio ſui, vel alterius Ordinis prædicet, Epiſcopus ei prædicationem interdicat; quòd ſi hæreſes prædicaverit, contra eum ſecundum juris diſpoſitionem, aut loci conſuetudinem procedat; etiamſi Prædicator ipſe generali vel ſpeciali privilegio exemptum ſe eſſe prætenderet. Quo caſu Epiſcopus *auctoritate Apoſtolica, & tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatus procedat. Curent autem* Epiſcopi, *ne quis Prædicator, vel ex falſis informationibus, vel aliàs calumnioſè vexetur juſtamve de eis conquerendi occaſionem habeat.* De qua re fusè in diſputatione de munere prædicationis; videri poteſt circa hanc materiam *Seſſ.24. cap. 4. de reformat.* Conc. Carth. 4. *cap.20.* Moguntin. *can.15.* Rhemen. *c.4. & 15. diſt.88. c. Epiſcopus nullam.* Conc. Trid. *ſeſſ.24. cap.4. de reformat.* Concil. Later. ſub Innocentio III. *cap.10. cap. inter cætera de offic. Ord.* & habetur etiam *in cap. exiit. de verb. ſignif.*

7 Quartò, Regularis extra Monaſterium degens, etiam ſui Ordinis privilegii prætextu tutus non eſt, quominùs, ſi delictum commiſerit, à loci Ordinario tanquam à Sede Apoſtolica delegato ſecundùm Canonicas ſanctiones viſitari, puniri, & corrigi poſſit, juxta Concil. Trid. *ſeſſ.6. c.3. de reformat.* cujus verba talia ſunt: *Eccleſiarum Prælati ad corrigendum Prælatorum exceſſus prudenter, ac diligenter intendant: & nemo ſecularis Clericus, cujusvis perſonalis, vel Regularis, extra Monaſterium degens, etiam ſui Ordinis privilegii prætextu, tutus cenſeatur, quominus ſi deliquerit ab Ordinario loci, tanquam ſuper hoc à Sede Apoſtolica delegato, ſecundum Canonicas ſanctiones viſitari, puniri, & corrigi valeat;* quod etiam complectitur Milites S. Joannis Hieroſolymitani Navarr. *conſil. 21. de Regular. in antiq. & 12. in nov.* Sayr. *in floris. deciſ. 26. eod. tit. de Regul.* Campanil. *in diverſor. jur. Canonici. rub.12. cap.13. num.12.* Azor. *moral. inſtit. part.1. lib.13. cap.4. quæſt.3.* neque prædicto text. Concilii obſtat Conſtit. Sixti V. incipiens, *Cùm primùm* 12. in ordine, qua aliquibus inibi nominatis Cardinalibus committit cauſas Religioſorum degentium extrà Clauſtra: tum quia delegatio illa fuit temporalis; tùm etiam quia loquitur de Religioſis vagantibus tantùm: Concilium verò de iis præſertim, qui licitè inibi commorantur: vel Conſtitutio loquitur de delicto commiſſo egrediendo, & conſequenter de Apoſtaſia, Concilium verò de delictis poſt egreſſum. Immo, & illos complectitur, qui in aliqua habitarent domo ad erectionem Monaſterii deſtinata, ſi Superiore caret. Rota *deciſ.223. num.5.*

Quibus poſitis ſciendum eſt, præterea extare Conſtitutionem S.D.N. Clement. VIII. ſuper executione Conc. Trid. *ſeſſ.25. cap.14.* contra Regulares non ſubditos Epiſcopo, intrà Clauſtra degentes, & extra ea ita notoriè delinquentes, ut populo ſcandalo ſint, ac contra eorum Superiores illos punire negligentes, aut impunitos ad alia ſuorum Ordinum loca transmittentes, vel transmiſſos ad locum in quo deliquerunt, non revocantes, Romæ publicatam die 18. Martii 1596. tenoris ſequentis:

Suſcepti muneris ratio poſtulat, ut ea quæ in Sac. Trident. Concil. providè conſtituta ſunt, ab iis, ad quos ſpectat, inviolatè obſervari curemus. Maturo ſanè conſilio ipſius Concilii decreto proviſum eſt, ut quicunque Regularis non ſubditus Epiſcopo, *intra Clauſtra degens, extra ea ità notoriè deliquerit, ut populo ſcandalo ſit,* Epiſcopo *inſtante, à ſuo Superiore intra tempus ab* Epiſcopo *præfigendum, ſeverè puniatur, & Superior de punitione* Epiſcopum *certiorem faciat, ſin minùs, ipſe à ſuo item Superiore officio privetur, & delinquens ab* Epiſcopo *puniri poſſit. Verùm quia experientia compertum eſt, interdum in hujuſmodi decreti executione nimis remiſſè procedi, cùm enim* Epiſcopus *inſtat, aliquem Regularem, eo quo ſuprà dictum eſt, modo, delinquentem, à ſuo Superiore puniri, ſæpe fit ut Superior Regularem delinquentem, ad alia ſuorum Ordinum loca, extra* Epiſcopi *Diœceſim, ex induſtria impunitum tranſmittat, atque etiam ipſe aliquando ad alias Provincias ſe conferat, nec ulteriùs ſuper delinquentis exceſſibus inquirat, & de ejus punitione* Epiſcopum *certiorem reddat. Unde nec Regularis delinquens tunc ab* Epiſcopo *puniri poteſt, cùm extra ipſius Diœceſim exiſtat, nec Superior, qui delinquentem corrigere negligit, officio privatur. Nos pro Paſtorali noſtra ſolicitudine, præfati decreti executioni, quantùm cum Domino poſſumus, favore, & præmiſſis malis (ut par eſt) opportuno aliquo remedio occurrere volentes, de Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardin. prædicti Concilii Interpretum ſententia, motu proprio, & ex certa ſcientia Noſtris, ac de Apoſtol. poteſtatis plenitudine, hac noſtra perpetuò valitura Conſtitutione, omnibus, & ſingulis cujuſcunque Ordinis, & inſtituti* Regularium, *etiam Mendicantium Superioribus, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub indignatione noſtra, ac privationis dignitatum, & officiorum per eos obtentorum, eo ipſo incurrendis pœnis præcipimus, & mandamus, ut juxta prædictum decretum, cuilibet ipſorum* Regularem *non ſubditum* Epiſcopo, *intra clauſtra degentem, & extra ea*

ita notoriè delinquentem, ut populo scandalo sit, Episcopo instante intra tempus ab Episc. præfigendum, severè puniat, ac de punitione Episcopum certiorem faciat, & aliàs decretum ipsum in omnibus, & per omnia exequatur. Cæterùm si Superior in Regularem delinquentem non animadverterit, quinimo si illum impunitum ad alia suorum Ordinum loca, extra Episc. Diœcesim, ut præfertur, transmiserit, volumus & simili motu, atque auctoritate decernimus, ut Superior instante Episc. intra terminum, ab Episc. præfigendum, & sub eisdem indignationis nostræ, ac privationis dignitatum, & officiorum obtentorum, nec non, & sub inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda, ac ulteriùs privationis, activæ, & passivæ vocis, ad quas à nemine, præterquàm à nobis, & à Rom. Pont. pro tempore existente, restitui possit, ipso facto similiter incurrendis pœnis, ipsum Regularem delinquentem à loco, ad quem transmissus fuit revocare, & in quo deliquit, constituere, seu sistere teneatur. Quod si hoc etiam facere prætermiserit, per præsentes similiter statuimus, ut Ordinarius loci, ad quem Regularis delinquens transmissus fuerit super præmissis ab ipso Ordinario loci, in quo deliquit, similiter requisitus, vel aliàs de illius delicto informatus, ut præfertur, tanquam Sedis Apost. delegatus prædictum Concilii decretum omnino exequi, & in Regularem delinquentem severè animadvere possit, & debeat. Decernentes sic, & non aliter per quoscunque Judices & Commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam ejusdem Rom. Eccl. Cardinales, & causarum Pal. Apost. Auditores, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ubique judicari, & diffiniri debere. Irritum quoque & inane, quidquid secus super his à quoquam, quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, Non obstantibus, &c.

8 Quintò. Etiam in Civilibus causis mercedum, & miserabilium personarum, Clerici seculares, vel Regulares extra Monasterium degentes, etiam si certum Judicem à Sede Apost. nominatum habeant in partibus. In aliis verò, si ipsum Judicem non habuerint coram locorum Ordinariis, tanquam in hoc ab ipsa Sede Apost. delegatis conveniri, ac ad solvendum debitum cogi, & compelli possint privilegiis & exemptionibus quibuscunque non obstantibus, quæ quidem apertè ostendit, & decrevit Conc. Trid. *sess. 7. c. 14. de reform.* cujus talia sunt verba præcisa: *In exemptorum causis Constitutio Innocentii IV. quæ incipit, Volentes, in generali Concilio Lugdun. edita servetur, quam eadem Sacros. Synodus innovandam censuit, & innovat. Addendo insuper, quòd in Civilibus causis mercedum, & miserabilium personarum, Clerici seculares aut Regulares extra Monasterium degentes, quomodolibet exempti, etiamsi certum Judicem a Sede Apost. deputatum in partibus habeant: In aliis verò, si ipsum Judicem non habuerint, coram locorum Ordinariis, tanquam in hoc ab ipsa Sede delegatis conveniri, & jure medio ad solvendum debitum cogi, & compelli possint privilegiis, exemptionibus, Conservatorum deputationibus, & eorum inhibitionibus adversus præmissa nequaquam valituris.* Ad majorem intelligentiam hujus decreti Conciliaris, & alterius *num. antecedenti* relati; notandum est primò, quòd *in cap. volentes, de privil. in 6.* hoc innovato, datur facultas Ordinariis locorum, ut possint contra exemptos procedere ratione delicti, vel contractus extra loca exempta factorum, vel rei sitæ extra illam.

9 Secundò notandum, quod Regulares degentes extra claustra possunt conveniri coram Ordinariis in duobus casibus; nimirum in Civilibus causis mercedum, & miserabilium personarum. Intelliguntur autem Regulares extra Monasterium degere, dùm non vivunt sub Superiore conventualiter; & qui habent domicilium extra Monasterium speciali licentia vel privilegio; si tamen maneant de superiorum licentia, sub Regulari observantia, in aliquo membro, vel Grangia sui Monasterii pro Religionis servitio, vel inserviant alicui beneficio, aut adjiciantur alicui Monasterio Monialium, non comprehuntur sub hoc decreto; quia non degunt extra illum ex speciali licentia, seu privilegio, sed ex instituto; & ideò si delinquant non ab Ordinario, sed à suo Superiore puniri debent secundùm justam formam Concilii *Sess. 25. de Regul. c. 14.* ita Roder. *q. Reg. tom. 2. q. 2. art. 7.* Aug. Barb. *de off. & pot. Episc. alleg. 105. num 17.* juxta Lugdun. impress. Laurent. de Peirin. *tom. 1. privil. Ordinis Minimorum, in annot. ad Constit. secundum Sixti IV. num. 29.*

Tertiò. Notandum est, Regulares intra claustra degentes per hoc decretum in nullo casu coram locorum Ordinariis conveniri posse, Navar. *comment. 2. de Regular. n. 63.* Roder. *d. art. 8.* Laurent. de Peirin. *loco cit. num. 30.* nec obstat *d. cap. volentes*; nam ei derogatum est per privilegia Regularium, sive tacitè, ut per concessiones, quòd non possint coram alio, quàm coram eorum Superiore Regulari conveniri: sive expressè, ut per privilegium ejusdem Innoc. IV. concessam Cisterciensibus, *sub datum Lugduni 4. Non. Maji, Pontif. sui anno 8.* confirmatum, ac de verbo ad verbum denuò concessum à Pio II. *sub dat. Mantuæ, anno 1459. 7. Kal. Aug.* per quod prædictus Summus Pont. Innoc. IV, concessit præfato Ord. Cistercien. ut ejus privilegiis, libertatibus, & immunitatibus nullum in posterum Præjudicium generetur ex Constit. ab ipso edita, quod exempti quantacunque gaudeant libertate, nihilominus tamen ratione delicti, seu contractus aut rei, de qua contra ipsos agitur, ritè possint coram Ordinariis locorum conveniri, & illi quoad suam in ipsos jurisdictionem, prout jus exigit exercere. Utrumque privilegium refert Roder. *in nova collect. Bullar. Apost. pro Regular. Bulla 27. & seq. Innoc. IV.* Et licet Conc. Trid. illud innovaverit; non tamen tolluntur à Concilio privilegia, contra *dictum caput concessa*, nisi in causis mercedum, & miserabilium personarum: & hoc quoad Regulares extra claustra degentes: atque ita declaravit Sacra Congregat. *die 19. Julii 1573.* in hæc verba: *Dubitatum fuit, an Regulares possint civiliter coram Episcopo à creditoribus suis conveniri: Et fuit responsum, quod possint conveniri, si non sint sub Regulari observantia, ut si sint sub Regulari observantia, non possunt conveniri coram Episcopo, quia habent proprium Superiorem, & nihil habent cum eo commune Episcopi propter exemptionem;* Refert Laurent. de Peirin. *loco cit. num. 30.* 10

Quartò. Notandum, quòd si Regularis intra Monasterii claustra degens, extra ea ita notoriè deliquerit, ut populo scandalo sit, Episcopo instante intra tempus ab eodem præfigendum, à suo Superiore, severè puniendus est, qui de punitione eumdem Episc. certiorem reddere debet, aliàs à suo Superiore officio privabitur; & delinquens ab Episcop. puniri poterit; ut habetur in Conc. Trid. *d. sess. 25. de Regul. cap. 14.* Videantur sub hac materia Navar. *comment. 2 de Regul. n. 63.* Roder. *quæst. Regul. tom. 2, q. 2. art. 6. & q. 63. art. 4.* Aug. Barbos. *in Collect. ad c. ult. num. 8. de stat. Monach.* & latè *d. alleg. 105. num. 19. & seq. secundùm Lugdun. impress.* sed de hac re *superiùs num. 7.* 11

Quintò. Notandum miserabiles personas, de quibus in præd. Concil. decreto, intelligi primò Viduas, Pauperes, Orphanos, nisi divites sint; Item senes decrepitos, diuturno morbo fatigatos, & omnes, quibus naturâ movemur ad miserandum propter fortunæ injuriam, etiam si divites sint. Dicitur etiam persona miserabilis puella nobilis, quæ juveni sibi nobilitate pari nubere non potest. Dicuntur etiam personæ miserabiles peregrini, publicè pœnitentes, infantes expositi, 12

cæci,

cæci, & mutilati membris, atque leprosi, ac debilitati, in carcere conjecti, Cruce signati, atque qui recenter ad Christianam fidem conversi sunt; ita Mascard. *de probat. concl.* 1065. Roder. *quæst. Regul. tom.* 1. *q.* 65. *art.* 3. Verùm in hoc casu nulla persona videtur dici posse miserabilis, si sit dives; omnes tamen suprà numeratæ tales censendæ sunt, si divitiis non affluant: uti probat Laur. de Peiriis. *loco cit. num.* 31.

13 Sextò. Notandum quod super *d. cap. Conc. Trid.* emanavit Constit. Pauli V. ad instant. Procuratoris generalis Ord. Carmelit. tenoris seq. *Religionum, &c. Cùm itaque nomine dilecti filii Basilii Angussola Procuratoris Gener. Ord. Fratrum Carmel. in Congreg. Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Card. Trid. Concil. Interpretum expositum fuerit, in Hispaniarum Regnis, quosdam Ordinarios locorum contendere, Religiosos intrà claustra degentes, coram ipsis Ordinariis conveniri debere in causis civilib.* c. volentes de priv. in 6. *comprehensis propter illius innovationem à* Conc. Trid. *factam sess.* 7. *c.* 14. *quo præf. Religiosos, eorum Privilegiis abrogatis, defendunt comprehendi. Præterea eosdem locorum Ordinarios pariter contendere, eosdem Religiosos intra claustra degentes in prima instantia coram ipsis conveniri debere ex decreto ejusdem* Conc. Trid. sess. 24. c. 20. de refor. *cumque ab eodem Basilio, Procur. Gen. in eadem Congreg. supplicatum fuerit, ut super utramque rem responsa darent, ab eadem verò Congr. fuerit responsum, neque constitutione in generali Conc. Lugd. quæ incipit,* Volentes, *neque decreto* Conc. Trid. *sess.* 14. *c.* 7. *comprehendi Regulares; ideoque eos juxta eorum privilegia, coram suis superioribus, vel Conservatoribus esse conveniendos; necnon decretum* ejusdem Conc. *c.* 20. *sess.* 24. *ad Regulares non pertinere, nec eorum conservatorias imminuere, nec quoad primam illarum instantiam aliquid novi inducere. Ipseque Basilius Procur. Gen. Nobis humiliter supplicari fecerit, ut pro sui Ordinis quiete supradictas declarationes ab eisdem locorum Ordinariis servari debere Apost. auct. præcipere dignaremur. Nos illius hujusmodi supplicationibus inclinati, omnibus, & singulis locorum Ordinariis, in virtute sanctæ obed. districtè præcipiendo mandamus; nè Fratres & Religiosos d. Ordin. Carmel. contra dispositionem declarationum prædictarum, perturbare, vel inquietare quoquemodo audeant, vel præsumant. Irritum nihilominus, & inane decernentes, quidquid secùs super his à quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Datum Romæ, apud S. Marcum, sub Annulo Piscatoris, die* 24. *Augusti,* 1607. *Pontif. nostri anno* 4.

14 Debet unusquisque Regularis, vel alter exemptus ordines suscipere à proprio Epis. de qua re in *disp. de Sacram. Ord.* latè tractabimus: nunc verba Conc. prout ad rem præsentem faciunt, recensentur (relicta in suo robore, auctorit. Abbatum conferendi Ordines Min.) *Unusquisque à proprio Episc. ordinetur. Quòd si quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei, etiam cujusvis generalis, aut specialis rescripti, vel privilegii, prætextu, etiam statutis temporibus permittatur, nisi ejus probitas, ac mores Ordinarii sui testimonio commendentur. Si secus fiat, ordinans à collatione ordinum per annum, & ordinatus à susceptorum ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, sit suspensus.*

15 Septimò. Regulares pœnitentiæ Sacramen. exercere non possunt, nisi ab Episc. prævio examine, idonei judicari fuerint per approbationem; prout expresse dictat Conc. Trid. *sess.* 23. *c.* 15. *de refor.* sub his verbis: *Quamvis Presbyteri in sua ordinatione à peccatis absolvendi potestatem accipiant; decernit tamen S. Synodus, nullum etiam Regularem, posse confessionem secularium etiam Sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur necessarium, aut alias idoneus judicetur; & approbationem, quæ gratis detur, obtineat, privilegiis, & consuetudine quacunque etiam immemorabili, non obstante.* De hac materia fusè *in disp. de Sacram. Pænit.*

Octavò. Privilegiis, & exemptionib. non obstantib. nulli licet Monasterium, sive Ecclesiam, vel Orationis Domum ædificare, antequam ab Ordinario suo licentiam obtineat; ita sancitum fuit in Con. Agaten. *can.* 27. *relatum in c. de Monach.* 18. *q.* 2. & Con. Calcedon. *act.* 11. *can.* 4. 4. *registratum in c. verè,* 16. *q.* 2. quibus accedit Conc. Trid. *sess.* 25. *cap.* 3. *de Regul.* sub his verbis. *Nec de cætero similia loca erigantur sine Episcopi, in cujus Diœcesi erigenda sunt, licentia prius obtenta.* 16

Nono. Episcopi, seu alii Superiores ordinarii in Monasteriis ipsis Episc. subjectis, ordinaria, in aliis verò Sedis Apost. Auctoritate, clausuram Sanctimonialium (ubi fuerit violata) magna cum diligentia restitui, & ibi inviolata est conservari, maximo studio curare debent; Conc. Trid. *sess.* 25. *c.* 5. *de Regul.* cujus verba hæc sunt: *Bonifacii VIII. Constit. quæ incipit, Periculoso, renovans S. Synodus, Universis Episcopis, sua obtestatione divini Judicii, & interminatione maledictionis æternæ præcipit, ut in omnibus Monasteriis sibi subjectis, ordinaria, in aliis verò, Sedis Apostolicæ auctoritate, clausuram Sanctimonialium, ubi violata fuerit diligenter restitui, & ubi inviolata est, conservari maximè procurent, inobedientes, atque contradictores per Censuras Ecclesiasticas, aliasque pœnas quacunque appellatione postposita compescentes, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Quod auxilium, ut præbeatur, omnes Christianos Principes hortatur S. Synodus, & sub excommunicationis pœna, ipso facto incurrenda, omnibus Magistratibus secularibus injungit,* de qua re vide Campanil. *in divers. Jur. can. Rub.* 12. *cap.* 13. *pluribus in locis,* & Quanta *verbo Monasteria Monialium per totum.* 17

Decimò. Regulares omnes etiam exempti subjacent Episcopis in colendis festis; nam dies festi, quos in Diœcesi sua observandos esse Episcopus mandaverit, ab illis servari debere decrevit, Concil. Trid. *Sess* 25. *cap.* 12. *de Regul.* sub his verbis: *Dies etiam festi, quos in Diœcesi sua servandos idem Episcopus præcipit ab exemptis omnibus etiam Regularibus serventur.* Quod Concilii Decretum Sacra Congregatio declarans, statuit intelligendum esse tantùm quoad lectiones, & conciones, quas iidem Regulares ad populum habuerint, in hæc verba. *Congregatio Concilii censuit, Decretum, cap.* 12. *vers. Dies etiam festi, sess.* 25. de Regul. *ita esse intelligendum, ut Regularium ritus illis festis semper permaneant, quoad Missas celebrandas, & cætera divina Officia tam publicè, quàm privatim ab ipsis Regularibus in eorum Ecclesiis persolvenda, nec circa hæc ab ipsis quoquo modo, quidquam in contrarium eisdem Regularibus præcipi posse; quòd si de facto præceperint, Regulares nequaquàm ipsis Episcopis obedire teneri. Verùm quoad conciones, & lectiones quas iidem Regulares ad populum habuerint, debere se conformare Evangeliis, Epistolis, quibus Clericus seculares utitur illis diebus festis.* Habetur apud D. Barbos. *de offic. & potest. Episc. alleg.* 105. *num.* 34. juxta impress. Lugdun. 18

Undecimò. Regulares subsunt Episcopo; nam interdicta, & censuras ab ipso promulgatas, ipsi Regulares in eorum Ecclesiis publicare, si Episcopus præcipiat, & servare tenentur; sic statuit d. Conc. Trid. *sess.* 25. *c.* 12. *de Regul.* sub illis verbis: *Censuræ, & interdicta, nedùm à Sede Apostolica emanata, sed etiàm ab Ordinariis promulgata, mandante Episcopo, à Regularibus in eorum Ecclesiis publicentur, atque serventur.* De qua materia alibi. 19

Duodecimò. Exempti omnes tam Clerici Regul. quàm seculares quicunque; etiam Monachi, ad proces- 20

fiones publicas accedere, cogi possunt à locorum Ordinariis; exceptis tamen illis, qui tantùm in strictiori clausura perpetuò vitam traducunt. Item differentiæ, & lites quæ ratione præcedentiæ inter Ecclesiasticas personas, in iisdem processionibus oriuntur, ab Episcopis brevi manu, omni appellatione remota componuntur, juxta Conc. Trid. *Sess. 25. c. 13. de Regular.* in hæc verba: *Controversias omnes de præcedentia, quæ persæpe maximo cum scandalo oriuntur, cujus Ecclesiasticas personas, tam seculares, quàm Regulares, cum in processionibus publicis, tum in iis, quæ fiunt in tumulandis Defunctorum corporibus, & in deferenda umbella, & aliis similibus, Episcopus amota omni appellatione, & non obstantibus quibuscunque componat. Exempti autem omnes, tam Clerici seculares, quàm Regulares quicunque etiam Monachi ad publicas processiones vocati accedere compelluntur: iis tantùm exceptis, qui in strictiori clausura perpetuò vivunt.* De quâ re inferiùs suo loco latè agendum erit.

21 Decimotertiò. Novitii omnes subjacent Episcopo, quoad renunciationes faciendas. Nulla etenim renunciatio, aut obligatio antea facta, etiam jurejurando ad cujuscunque favorem, etiam piæ causæ, valida est: nisi obtenta Episcopi licentia, sive ejus Vicarii, fiat intra duos menses proximos ante professionem, ac non aliàs intelligatur effectum fortiori, nisi secuta professione; sic enim disponit Conc. Trid. *Sess. 25. cap. 16. de Regul. Nulla quoque renunciatio, aut obligatio antea facta etiam cum juramento, vel in favorem cujuscunque causæ pia, valeat, nisi cum licentia Episcopi, sive ejus Vicarii fiat intra duos menses proximos ante professionem; ac non aliàs intelligatur effectum suum sortiri, nisi secuta professione, aliter verò facta, etiamsi cum hujus favoris expressa renunciatione, etiam jurata, sit irrita, & nullius effectus.* De renunciatione hujusmodi completus habebitur sermo alibi.

22 Decimoquartò. Quicunque Regularis prætendens per vim, & metum ingressum esse Religionem, aut etiam dicens ante ætatem debitam professionem emisisse, aut quid simile, volens que habitum dimittere quacunque ex causa, aut cum habitu discedere sine licentia Superiorum, non erit audiendus, nisi intra annos quinque tantùm à die professionis, & tunc non aliàs, nisi rationes suas, quas prætenderit, proposuerit coram suo Superiore, & Ordinario, ut per Concil. Trid. *Sess. 25. c. 16. de Regul.* cujus tenor talis est: *Quicunque Regularis prætendat, se per vim, & metum ingressum esse Religionem, aut ante ætatem debitam professum fuisse, aut quid simile, velitque habitum dimittere quacunque de causa, aut etiam cum habitu discedere sine licentia Superiorum, non audiatur, nisi intra quinquennium tantùm à die professionis, & tunc non aliter, nisi causas, quas prætenderit, deduxerit coram Superiore suo & Ordinario: quod si antea habitum sponte dimiserit, nullatenùs ad allegan. quamcunque causam admittatur; sed ad Monasterium redire cogatur, & tanquam apostata puniatur; interim verò nullo privilegio suæ Religionis juvetur.* Ar de hac re alibi:

23 Decimoquintò. Religiosi omnes etiam exempti ultimatum voluntatem, executores constituti, non possunt relictum sibi munus assumere, nisi Superioris licentia impetrata, per text. *in c. Religiosus de Test. in 6.* Suscepti autem muneris prædicti rationem reddere cogi possunt à locorum Ordinariis, à quibus debita eis pœna venit imponenda, si in munere ipso deliquisse comprehensi fuerint, *Clem. un. de test.* de hac re alibi:

24 Decimosextò. Regulares volentes quæritare per Civitatem nequeunt sine Episc. licentia eleemosynas petere, prout ita statuit Conc. Trid. *Sess. 21. c. 9. de refor.* cujus verba talia sunt: *Cum multa à diversis antea Conciliis, tam Lateranensi, ac Lugdun. quàm Viennensi, adversùs pravos eleemosynarum Quæstorum abusus remedia tunc adhibita, posterioribus temporibus reddita fuerint inutilia: potiusque eorum malitia, ita quotidie magno fidelium omnium scandalo, & querela excrescere deprehendatur, ut de eorum emendatione nulla spes amplius relicta videatur: statuit, ut posthac in quibuscunque Christianæ Religionis locis, eorum nomen, atque usus penitus aboleatur; nec ad officium hujusmodi exercendum, ullatenùs admittatur: non obstantibus privilegiis, Ecclesiis, Monasteriis, Hospitalibus, piis locis, & quibusvis cujuscunque gradus, status, & dignitatis personis, concessis, aut consuetudinibus: etiam immemorabilibus.*

Decimoseptimò. Regulares etiam omnes exempti in causis hæresis Episcopo subsunt, *cap. ad abolendam, §. fin. de hæret. & c. ut officii, §. denique de hæret. in 6.* qui text. cùm loquatur de Inquisitoribus absque dubio comprehendit Episcopos; ipsi enim dicuntur Ordinarii Inquisitores, ut inquiunt Roderic. *quæst. regular. tom. 1. q. 20. art. 10.* Pegna *in director. Inquisit. part. 3. q. 28. comment. 78. vers. justissimè verò, & alii apud Barbos. d. alleg. 105. num. 56.* Non enim subsunt in prædictis causis suis Abbatibus & Prælatis, sed Inquisitoribus. Ita decrevit Paulus V. Constit. sua 26. qua revocavit facultates Superioribus quorumcunque Ordinum & Religiosorum quoquomodo concessas, cognoscendi causas suorum subditorum ad Officium sanctæ Inquisitionis quomodolibet pertinentes. Quæ Constitutio in o. edit. hic inferiùs fuerat apposita: At in hac 1. edit. placuit illam rejicere imprimendam in calce hujus quæsiti, unà cum aliis Constitutionibus, & Decretis in eadem materia casuum ad sanctæ Inquisitionis officium spectantium, confirmatis à S. D. N. in decreto nuper edito die 4. Aprilis 1633. In quo mandavit omnibus Regularium Superioribus, ut suos subditos sæpè moneant de injuncta omnibus observantia & executione dd. Apostolicarum Constitutionum, & Decretorum ad Officium S. Inquisitionis spectantium. 25

Decimooctavò. Regulares omnes coram Episcopis reconveniri possunt quoties illi, aut ipsorum Monasteria coram illis conveniunt alios; nam si persona Ecclesiastica prorsus exempta à foro laicali, seculares conveniat coram illo; potest, ex communi sententia, coram eodem reconveniri. Abbas *in cap. nimis prava, num. 4. de Excess. Prælat.* Felin. Anton. de Butr. & cæteri Doctores *in c. at si Clerici, & cap. significaverunt, de Judic.* & Bald. *in l. 2. §. sed si agant de Judic.* Specular. *in tit. de reconvent. §. nunc dicemus, vers. sed pone Clericus*, & Decis. Neapol. 173. 26

Decimonono. Quicunque fuerit exceptione munitus, non ex eo censetur exemptus à decimis, tam de terris & possessionibus antiquitus acquisitis, quam postmodum acquirendis; ita namque probat text. *in c. statutum, §. cæterum; de decim. in 6.* Sed de hac re inferiùs. 27

Vigesimò. Religiosi, in Sabbato majoris hebdomadæ campanas in ipsorum Ecclesiis pulsare non possunt, antequam pulsentur in Cathedrali, seu Matrici Ecclesia, quòd si contrarium facere præsumpserint in pœnam ducatorum centum incurrere decrevit Concil. Lateranense sub Leone X. & Constit. quæ incipit, *Sacro approbante Concilio, §. & ut debitus.* Et idem statuitur in Ceremoniali Romano auctoritate Clementis VIII. publicato *lib. 2. cap. 27.* quod Ceremoniale, sicut etiam Pontificale, in ceremoniis Ecclesiasticis habetur ut lex scripta, & tanquam jus commune inviolabiliter est servandum. Mohedan. *dec. 5. de fid. instrument.* Rota *in Elboren. exemptionis 3. Martii 1600. coram Card. Sacrato.* Hoc tamen fallit, ubi Religiosi ex immemorabili consuetudine semper & continuò consuevissent ad libitum in die Sabbati sancti pulsare campanas, nulla habita ratione an priùs fuerint pulsatæ in 28

Ecclesia

Ecclesia Cathedrali, quæ immemorabilis non est sublata à Constitutione Leonis X. neque à d. Ceremoniali Clementis VIII. & sic relevat, ut censuit Rota *in Calaguritana juris pulsandi campanas 11. Martii 1619. coram Dunozetto Archiepiscopo Selenc. quæ in fine operis dest decis. 37.* ubi quod ita declaravit S. Rituum Congregatio, & *in eadem causa 17. Februarii 1620. Coram eminentissimo D. Cardinale Verospio, & coram R. P. D. Merlino 29. Aprilis 1624. quæ infra est decis. 38.* Immemorabilis quando censeatur legitimè probata, egregie D. Ferentill. *in Annot. ad decis. 673.* Buratt. in terminis, Rota *in dict. Calaguritana corā R. P. D. Merl.*

29 Vigesimoprimò. Novitiis professionem emittere nolentibus, sed à Religione egredi volentibus, restituenda sunt omnia bona, quæ tempore ingressus in Monasterium attulerunt, nec quid minimum retinere valent Regulares Prælati; ad quod rectè exequendum poterunt Episcopi, etiam per censuras Ecclesiasticas, si opus fuerit, eos dem Regulares Prælatos compellere, ut habetur in Conc. Trid. *sess 25. de Regular. cap. 19.*

30 Vigesimosecundò. Religiosi de manibus laïcorum Ecclesias, sine Episcopi consensu recipere nequeunt, *can. decimas 16. q. 7. c. quòd autem, in fine, cap. illud. vers. tum quia, cap. nullus de jurepatron. cap. cùm & plantare, in princ. vers. Ecclesias de privileg.* quòd est intelligendum de donatione Ecclesiæ, quam Laicus detinet, non autem de donatione jurispatronatus, facta loco Religioso, quia in hac Episcopi assensum non requiri diximus suprà *disp. 9. quæst. 2. n. 1.* videantur Lambertin. *de jure patron. p. 2. lib. 1. q. 1. art 9. & 10.* & D. August. Barbosa *de offic. & potest. Episc. Alleg. 105. num. 49 juxta impress. Lugdunens.*

31 Vigesimotertiò. Episcopi locorum Ordinarii, & hæreticæ pravitatis Inquisitores, ubique locorum deputati procedere possunt, & severe animadvertere in Regulares audentes in publicis concionibus, electionibus, conclusionibus, & aliis quibuscunque actibus publicis asserere, quòd beatissima virgo cum originali peccato concepta fuerit, ut censuit Sacra Congregatio Sanctæ Romanæ, & universalis Inquisitionis, habita in Palatio Apostolico, coram sanctæ memoriæ Paulo V. Feria quinta, 31. Augusti 1617. relata per Hieronymum Campanil. *in divers. Juris Canonici, rub. 12. cap 13. num. 140.* Deinde super eadem materia emanavit aliud decretum in Congregatione ejusdem S. Inquisitionis habita coram felic. record. Gregorio XV. ac Illustrissimis & Reverendissimis DD. Cardinalibus, adversùs hæreticam pravitatem, Inquisitoribus generalibus, à Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis, *die 24. Maji 1622.* cujus tenor habetur *in fine hujus quæsiti,* unà cum aliis constitutionibus, & decretis ad officium Sanctæ Inquisitionis spectantibus.

32 Vigesimoquartò. Omnes hæreticæ pravitatis Inquisitores, & locorum Ordinarii omnium regnorum, Provinciarum, Civitatum, Dominiorum, & locorum universi Orbis Christiani, in suis quisque Diœcesibus, & territoriis etiam privativè quoad omnes alios, perpetuò Judices delegati, inquirere, & procedere possunt contra quoscunque, etiam quomodolibet exemptos, & Sedi Apostolicæ immediatè subjectos quorumcunque Ordinum, Institutorum, Societatum, & Congregationum Regulares, cujuscumque dignitatis, & præeminentiæ, aut quovis privilegio muniti existant, qui personas, quæcunque illæ sint, ad inhonesta, sive inter se, sive cum aliis quomodolibet perpetranda in actu Sacramentalis confessionis, sivè ante, vel post immediatè, seu occasione, vel prætextu confessionis hujusmodi, etiam ipsa confessione non secuta, sive extra occasionem confessionis in confessionario aut in loco quocunque, ubi Confessiones Sacramentales audiantur, seu ad confessionem audiendam electo, simulantes ibidem confessiones audire, sollicitare, vel provocare tentaverint. Qui quidem hæreticæ pravitatis Inquisitores, & locorum Ordinarii contra quos in aliquo ex hujusmodi nefariis excessibus culpabiles repererint, pro criminum qualitate, & circumstantiis suspensionem ab executione Ordinis, privationis beneficiorum, dignitatum, & Officiorum quorumcumq;, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, necnon vocis activæ, & passivæ, & si Regulares fuerint, exilii, damnationis ad triremes, & carceres etiam perpetuos, absque ulla spe gratiæ aliasque pœnas decernant: eos quoque si pro delicti gravitate graviores pœnas meruerint, debita præcedente degradatione Curiæ seculari puniendos tradant. Ut statuit Gregorius XV. in suo Motu proprio contra sollicitantes mulieres in confessione, edito die 30. Augusti 1622. incipit *Universi,* quod apponitur per extensum *in calce hujus quæsiti.*

33 Vigesimoquintò. Episcopus punire potest Regulares Mendicantes, qui cùm unica tantùm campana contenti esse debeant, plures retinent, extravag. ult. incip. *quia cunctos de offic. custod.* qui text. indistinctè loquitur de omnibus mendicantibus, nec aliquem excipit, & ratio est, quia campana pulsatur propter audientes, & sic læduntur personæ non exemptæ, & committitur delictum extra locum exemptum; sicut projiciens lapidem ex loco exempto, & percutiens in loco non exempto puniri potest à loci Ordinario propter delictum commissum extra locum exemptum, *adnot. in reg. in obscuris de reg. jur. in 6.* sicut mandans delictum committi in uno loco, delicto ibi secuto potest mandans ibi puniri, quia videtur ibi delictum consummasse, ut in *clem. pastoralis, de re jud.* & notat Barthol. *in l. si ut proponitur ff. de fidejussor.* Panormit. *in cap. patentibus, num. 5. de privileg.*

34 Vigesimosextò. Religiosi Episcopalia jura sibi arrogantes puniri possunt ab Episcopo, qui etiam Ecclesias, in quibus ea exercuerint, interdictas declarat, *cap. cùm & plantare, §. de confratribus, vers. quod autem, de privileg.* ubi gloss. *verb. privilegiorum,* Chokier. *loco cit. num. 100.* D. Barbos. *num. 63.* quod intelligendum est de iis Religiosis, quibus Episcopalia jura Privilegio, aut præscriptione non competunt.

35 Vigesimoseptimò. Regulares sine Ordinarii licentia publicantes indulgentias, quas à Summo Pontifice impetrarunt subsunt Episcopali jurisdictioni, D. Barbos. *loco cit. num. 69.*

36 Vigesimooctavò. Archiepiscopi, & Episcopi possunt in locis exemptis suæ diœcesis facere solemnes benedictiones, & divina officia celebrare, Franc. *in cap. Abbates num. 1. vers. in gloss. de privileg. in 6. Clem. Archiepiscopo de privileg.* Franc. Bavin. *in tract. de visit. quæst. 3. 2. part. num. 9.* Chokier. *d. q. 45. num. 34. & 35.* de qua re latè *suo loco.*

37 Vigesimononò. Episcopis subduntur exempti in causis matrimonialibus, Conc. Trid. *sess. 24. de reform. cap. 20. §. ad hæc,* nisi habeant jurisdictionem privativè ad Episcopos vel immemorabilem pro se consuetudinem, ut censuit Sacra Congregatio, reste Flam. *d. num. 6. vers. duodecimo.* De qua re *infrà* latiùs agetur *in secundo Tomo.* Item Episcopo subduntur exempti 38 ad hoc, ut per eum possint denunciari, & mandari, ut evitentur, quando essent notoriè excommunicati à jure, vel ab homine. Joannes Andr. & Dominic. *in c. 1. de privil. lib 9.* Gambara *de officio Legati in Regulares, & exemptos.*

39 Trigesimò. Regulares qui extra claustra, vel ambitum suorum Monasteriorum faciunt processiones (nisi consuetudine, aut privilegio id fuerit ab eis obtentum) puniri possunt, & impediri ab Ordinario; & ratio est, quia non habent territorium, & id ita practicari vidisse testatur Zerol. *in praxi Episcopali part. 1. verb. processiones vers. ad quartum, quem refert Cened. dict. quæst. 16. num. 18.*

Trige-

40 Trigegimoprimò. Religiosus Monasterii exempti si extra Monasterium sine habitu incedat, potest ab Ordinario puniri, secus verò si intra Monasterium, Franch. *in cap.1. num. 5. de Privileg. in 6.* Fusc. *de visitat. lib.2. cap.16. num.2.* Chokier. *de jurisdict.* Ordin. *in exempt. part.2. q.49. num.33.* D. meus August. Barbos. *de offic. & potest. Episc. part. 3. alleg. 105. num. 61. Lugdunen. impress.*

41 Trigesimosecundò. Si fugæ periculum adsit, potest Ordinarius exemptos capere, & captos ad forum competentem mittere, Cardin. *in Clem. 1. q. 3. de offic. Ordin.* Felin. *in cap. final. num. 7. de foro compet.* Roderic. *qq. reg. tom. 2. quæst. 63. art. 3.* Henriq. *in summa libro 7. capite 25. §. 7. in litera* Q. Fuscus *de visit. lib. 2. cap. 8. num. 20. Cened. pract. & can. quæst. lib. 1. quæst. 26. num. 31. & part. 4. quæst. 52. à princip.* ubi ait si commodè, & citrà periculum haberi, aut expectari possit auctoritas judicis exemptorum illorum. Ordinarius propter capturam injuriam faceret Judici exemptorum, & exemptis captis, *per l. generali, ibi, si Præsidis copia desit. C. de Decurionibus, lib. 10.* non enim valet Ordinarius loci, tali semoto periculo exemptos capere, & captos carceribus mancipare, *clem. 1. §. nonnulli de excessib. Prælat.* & Roderic. *loc. cit.* etiam in illis casibus, in quibus tenentur exempti obedire Episcopis si non pereant: ex Nars. *cons. 257. numer. 7.* ubi subdit in tali casu debere Episcopum querelam ad Papam deferre, & contra eosdem impetrare delegatum, Camill. *ad Belng. rubr. 11. §. videndū, litt. F.*

42 Trigesimotertiò. Exempti in omnibus illis subjiciuntur Episcopo, quæ ad Ordinem Episcopalem pertinent, exempli gratia; in consecratione Ecclesiarum, petitione Chrismatis, & similium, *cap. veniens,* ubi Abb. *notab. 2. de præscript.* gloss. *in cap. Abbatibus 17. q. 2.* Barbos *in ead. alleg. 105. num. 65.*

43 Trigesimoquarto. Ex justitiæ defectu in exemptis, potest adiri Episcopus loci, ut suppleat, nisi facilè possit ad Summum Pontificem haberi recursus, seu ad Superiores illorum exemptorum, ita Aufrer. *in Repetit. Clem. 1. quæst. 10. num. 3. vers. unde in principali de offic. Ordin.* Chokier. *loc. cit. num. 34.* D. Augustin. Barbosa *loc. cit. num. 76.*

44 Trigesimoquintò. Episcopus habet omnimodam jurisdictionem in Monachos Ecclesiæ Cathedralis: iis rebus exceptis, quæ Regularia instituta respiciant, *cap. 1. ne Sede vacante* gloss. *fin. in cap. nullus de elect. in 6. &* ibi Anchar. *num. 3.* Joan. Andr. *n. 3.* Gemin. *n. 8.* Fran. *n. 3.* & Rot. apud Farinac. *part. 1. decis. 69. num. 2.*

45 Trigesimosextò. Exempti à Jurisdictione Episcopi, licèt non teneantur ad honorificentiam, tenentur tamen ad reverentiam ei præstandam qui per exemptionem non liberantur à jure reverentiali, ut tenuit Bald. *in l. final. num. 3. Cod. de bon. libert. Roman. singul.* 480. Henric. Bott. *de Synod. part. 3. num. 53.* Castren. *in l. sed si hac lege §. patronum, n. 4.* & *ibi* Addit. *ff. de in jus vocan.* Oldrad. *consil. 214.* Bald. *de præscript. part. 1. 5. part. princ. quæst. 12. num. 6.* Felin. *in cap. cum. inter, n. 3. & 4. de sent. & re jud.* & *in cap. cùm non liceat, n. 2. de præscript.* & *in cap. conquerente in princ.* ubi alios alleg. *de offic. Ordin.* Bellencin. *de charit. subsid. q. 28.* Hoc tamen non procedit, quando exemptio est omnimoda, & per Papam concessa, tunc enim exempti non tenentur ad jus reventiale Episcopi, ut declarant Mandos. *de signat. grat. verb. exemptiones ab Episcopis vers. an autem exemptio.* Roderic. *quæst. Regular. tom. 2. quæst. 63. art. 9.* Chokier *de jurisdict. ord. in exempt. p. 4. q. 34.* cum aliis per Barbos. *de of. Episc. alleg. 105. n. 75.* Rota *apud Put. decis. 114. l. 3. in correct.* & *in Calagurritana, seu Nullius jurisdictionis 16. Junii 1606. coram Ortembergo, quæ in fine operis est dec. 47. num. 18.* Quod est intelligendum de jure reverentiali, quod debetur, ratione jurisdictionis, non autem de eo quod debetur ratione dignitatis, istud enim nunquam tollitur per quancumque exemptionem, ut declarat Rota *in Cæsaraugustana praeminentiarum 29. Novemb. 1627. coram R. D. Coccino Decano.*

Trigesimoseptimò. Episcopus habet jurisdictionem in Regulares, qui animarum curam personarum secularium exercent, & in iis quæ ad dictam curam animarū, & Sacramentorum administrationem pertinent, jurisdictioni, visitationi, & correctioni Episcopi loci, subjiciuntur. Qui Regulares animarum personarum secularium curam exercentes, etiamsi sint ad nutum amovibiles per suos Abbates, & Prælatos: tamen per eosdem ad eam curam deputari non possunt, nisi accedente Episcopi consensu, & prævio examine; ex præcepto Concil. Trid. *sess. 25. de Regul. cap. 11.* exceptis locis in quibus Abbates Generales, & Capita Ordinum sedem ordinariam principalem habeant, & Monasterio Cluniacensi, & aliis Monasteriis, seu Domibus, in quibus Abbates, aut alii Regularium Superiores jurisdictionem Episcopalem, & temporalem in Parochos, & Parochiales exercent, salvo tamen Episcoporum jure quæ omnia sub his verbis Concil. Trid. *loc. cit.* continentur. 46

In Monasteriis, seu domibus virorum, seu mulierum, quibus imminet animarum cura personarum secularū, præter eas, quæ scilicet de illorum Monasteriorum, seu locorum familia personæ, tam Regulares, quam seculares hujusmodi curam exercentes subsint immediatè in iis quæ ad dictam curam, & Sacramentorum administrationem pertinent, jurisdictioni, visitationi, & correctioni Episcopi, in cujus Diœcesi sunt sita. Nec ibi aliqui etiam ad nutum amovibiles deputentur, nisi de ejusdem consensu, ac prævio examine per eum aut ejus Vicarium faciendo, excepto Monasterio Cluniacensium cum suis limitibus, & exceptis etiam iis Monasteriis, seu locis in quibus Abbates, Generales, aut Capita Ordinum sedem ordinariam principalem habet, atque aliis Monasteriis, seu domibus in quibus Abbates, aut alii Regularium Superiores jurisdictionem Episcopalem, & temporalem in Parochos, & Parochianos exercent: salvo tamen eorum Episcoporum jure, qui majorem in prædicta loca, vel personas jurisdictionem exercent.

Hic tamen primò advertendum est Episcopum Parochiam, Abbatiæ, sive Monasterio annexam visitantem debere eam absque gravamine, & Monasterii impensis visitare, juxta Leonis X. *Const. 26. §. 3.* ut benè notat Henriq. *lib. 7. de Indulgen. c. 25. n. 11.* 47

Secundò. Notandum est, Regulares curam animarum secularium exercentes, si delinquentes reperiantur non esse ab Episcopo puniendos, sed ab Episcopo suis Superioribus Regularibus tradendos ex *Constit.* ejusdem Leonis X. *loc. cit.* & facit *c. fin. de stat. Monachor. §. 1.* quod docet Abb. *in cap. cùm contingat de foro compet. num. 22.* Henriq. *loc. cit.* ubi alios Doctores cumular, affirmans præterea id fuisse declaratum à Sacra Congregatione Illustriss. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum. 48

Tertiò. Notandum est, non posse Episcopum visitare personas seculares exercentes curam animarum, in prædictis Monasteriis, in quibus residet Generalis alicujus Ordinis, ut declaravit Sacra Congregatio test. Zerola *2. part. Prax. verb. visitatio q. 13.* per hæc verba: *In Monasterio in quo Generalis alicujus Religionis Regularium sedem ordinariam principalem habeat, licèt personæ seculares sint in eodem Monasterio curam animarum exercentes, quantùm ad ipsam curam, & Sacramentorum administrationem spectat, nulli visitationi Episcopi Ordinarii Diœcesis, in quo ipsum Monasterium situm est, subjecta sint.* Sed de hac re redibit sermo in Bulla Gregor. XV. paulò inferiùs cum suis declarationibus Sacræ Congregationis, apponenda. 49

Quartò. Notandum est, Episcopos non posse Ecclesias ipsas Monasteriorum exemptorum, nec Mo- 50

nasteria

nasteria eadem visitare, nec Tabernaculum, nec Pixidem, & alia hujusmodi Monasteriorum, ut declaravit Sacra Congregatio Illustrissimorum Cardinalium, ex Quaranta *in Summ. Bullar. verbo privilegia Regularium pag mihi 514.* & Roderic. *in suo Bullar. in Clem. 8. in princip.* sub his verbis: *Congregatio Concilii censuit Episcopos, aut alios locorum Ordinarios vigore cujusvis decreti ejusdem Concilii, nullam habere facultatem quovis tempore in Monasteriis, Domibus, & Ecclesiis Regularium exemptorum, quibus non imminet cura animarum personarum secularium, visitando Sacristias, Paramenta, Vasa sacra, altaria, & cætera hujusmodi: aut etiam Tabernaculum, seu Pixidem, in qua Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum asservatur.*

Hinc est, quòd cùm Archiepiscopus Genuensis prætenderet posse Tabernaculum, in quo idem Eucharistiæ Sacramentum asservatur ratione acquisitæ possessionis visitare, quia ejus antecessor aliquas Regularium exemptorum Ecclesias visitaverat, Sacra Congregatio Concil. Trident. ad quam tale negotium deductum fuerat, respondit: *Cùm actum fuerit in Sacra Congregatione Cardin. Concil. Trident. interpretum, an liceat Amplitudini tuæ pergere in quasi possessione Ecclesias Regularium visitandi. Illustrissimi Patres perspectis scripturis huc ab Amplitudine tua non ita pridem delatis, censuerunt, debere eam abstinere ab hujusmodi Monasteriorum visitatione, atque Ecclesiarum Regularium exemptorum, quibus cura animarum secularium non imminet. Itemque Monialium iisdem Regularibus subjectarum in his, quæ ad ipsarum clausuram non pertinent. Reliquum est, ut Amplitudo tua Sacræ Congregationis responso prompte, quod suis literis pollicetur, adhæreat, & diu valeat in Domino, quem illi propitium ex animo cupimus. Romæ die 26. Januarii 1619. Hor. Cardin. Lancellottus.* Habetur apud Laurent. de Peirinis *in tom. 1. privileg. Minim. in annot. ad Constitut. 2. Sixti IV. § 10. num. 18.*

Quoniam verò ex supradictis casibus, aliqui à Gregorio XV. quoad animarum curam, & Sacramentorum administrationem, Sanctimonialium Monasteria, & Prædicationem Verbi Dei per tacti sunt in ejusdem constitutione de exemptorum privilegiis; ideò prædicta Constitutio hic cum declarationibus Sacræ Congreg. Illustriss. Cardin. Concil. Tridentini interpretum, (cùm summa animadversione digna sit) verbatim describitur.

GREGORIUS EPISCOPUS
Servus Servorum Dei,
Ad perpetuam rei memoriam.

§ 51 INscrutabili Dei providentia Universalis Ecclesiæ regimini, meritis licèt imparibus, præsidentes, pastoralis nostræ solicitudinis partes esse dignoscimus, in eam curam præcipuè incumbere, ut à dignis, & probatis tantum sacerdotibus sanctè administrentur Ecclesiastica Sacramenta; atque ut virginum Deo sacrarum Monasteria diligentissimè custodiantur; & viri assumantur idonei ad prædicationis officium salubriter exequendum. Sanè Tridentinæ Synodi decretis providè cautum est, nullum Presbyterum, etiam Regularem, posse Confessiones secularium, etiam Sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium habeat, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut aliàs idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat: necnon ut in Monasteriis, seu domibus virorum, seu mulierum, quibus imminet animarum cura personarum secularium, præter eas, quæ sunt de illorum Monasteriorum, seu locorum familia personæ, tam Regulares quàm seculares, ejusmodi curam exercentes, subsint immediatè in iis, quæ ad dictam curam, & Sacramentorum administrationem pertinent, jurisdictioni, visitationi, & correctioni Episcopi, in cujus Diœcesi sunt sita. Itemque ut Episcopi universi sub obtestatione Divini judicii, & interminatione maledictionis æternæ in omnibus Monasteriis sibi subjectis ordinaria, in aliis verò Sedis Apostolicæ auctoritate clausuram sanctimonialium, ubi violata fuerit, diligenter restitui, & ubi inviolata est conservari, maximè procurent; inobedientes, atque contradictores per censuras Ecclesiasticas, aliasque pœnas, quacunque appellatione postposita, compescentes. Atque ut Regulares in Ecclesiis suorum Ordinum prædicare volentes, se coram Episcopis præsentare, & ab eis benedictionem petere teneantur: in Ecclesiis verò, quæ suorum Ordinum non sunt, nullo modo prædicare possint, sine Episcopi licentia: contradicente autem Episcopo, nulli etiam in suorum Ordinum Ecclesiis, prædicare præsumant. Verùm quia experientia compertum est, Ecclesiastici regiminis rationes postulare, ut decretis hujusmodi aliquid adjungatur: matura deliberatione nostra, & ex certa scientia; ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, ac generali, ac perpetuò valitura Constitutione decernimus, statuimus, & declaramus, ut deinceps tam Regulares, quàm seculares quomodolibet exempti, sive animarum curam personarum secularium Monasteriis, seu domibus Regularibus, aut quibusvis aliis Ecclesiis, vel beneficiis, sive Regularibus, sive secularibus incumbentem exerceant; sive aliàs Ecclesiastica Sacramenta, aut unum ex illis ministrent prævia Episcopi licentia, & approbatione; sive quoque modo in dictæ curæ exercitio, aut in eorundem Sacramentorum, vel alicujus ex illis administratione de facto absque ulla auctoritate se ingerant: in his, quæ ejusmodi curam, seu administrationem concernunt, omnimodæ jurisdictioni, visitationi, & correctioni Diœcesani Episcopi, tanquam Sedis Apostolicæ delegato, plenè in omnibus subjiciantur. Ad hæc tam Regulares, quàm seculares hujusmodi nullis privilegiis, aut exemptionibus tueri se possint, quominus, si deliquerint circa personas intra septa degentes, aut circa clausuram, vel circa bonorum administrationem Monasterium Monialium etiam Regularibus subjectarum, ab Episcopo loci, similiter tanquam ad hoc Sedis Apostolicæ delegato, quoties, & quando opus fuerit puniri, & corrigi valeant. Confessores verò sive Regulares, sive seculares, quomodocunque exempti, tàm Ordinarii, quàm Extraordinarii ad Confessiones Monialium, etiam Regularibus subjectarum, audiendas nullatenus deputari valeant, nisi prius ab Episcopo Diœcesano idonei judicentur, & approbationem, quæ gratis concedatur, obtineant. Sed & Administrantes bona ad ejusmodi Monasteria Sanctimonialium, ut præfertur, etiam Regularibus subjectarum, pertinentia, sive Regulares extiterint, sive seculares, quomodolibet exempti, Episcopo loci, adhibitis etiam Superioribus Regularibus, singulis annis rationes administrationis, gratis tamen exigendas, reddere teneantur, ad idque juris remediis cogi, & compelli queant. Liceatque Episcopo, ex rationabili causa, Superiores Regulares admonere, ut ejusmodi Confessores, atque Administratores amoveant; iisque Superioribus id facere detrectantibus, aut negligentibus, habeat Episcopus facultatem prædictos Confessores, & administratores amovendi quoties, & quando opus esse judicaverit. Ac similiter possit Episcopus, unà cum Superioribus Regularibus, quorumcunque Abbatissarum, Priorissarum, Præfectarum, vel Præpositarum eorundem Monasteriorum, quocunque nomine appellentur, electionibus, per se, vel per alium interesse, ac præsidere; absque ulla tamen ipsorum Monasteriorum impensa. Ac demum habeat Episcopus, tanquam dictæ Sedis delegatus, auctoritatem coërcendi, ac puniendi quoscunque exemptos tàm seculares, quàm

quàm Regulares, qui in alienis Ecclesiis, aut quæ suorum Ordinum non sunt, absque Episcopi licentia, & in Ecclesiis suis, aut suorum Ordinum, non petita illius benedictione, aut ipso contradicente, prædicare præsumpserint. Ita ut Episcopi in supræscriptis casibus, & in prænominatas personas, in præmissis omnibus, & singulis, aut circa ea quoquo modo delinquentes, quoties, & quando opus fuerit etiam extra visitationem, per censuras Ecclesiasticas, aliasque pœnas, uti ejusdem Sedis delegati, procedere, omnemque jurisdictionem exercere liberè, & licitè valeant. Decernentes sic per quoscunque Judices quavis auctoritate fungentes, etiam Sacri Palatii Auditores, necnon Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet, quavis, aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere. Irritum quoque, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis in favorem quarumcunque personarum, atque Ordinum tàm Mendicantium, quàm non Mendicantium, Militiarum, etiam Sancti Joannis Hierosolymitani, Congregationum, Societatum, ac cujusvis alterius instituti, etiam necessariò, & in individuo exprimendi, Monasteriorum, Conventuum, Capitulorum, Ecclesiarum, & aliorum quorumcunque tam secularium, quàm Regularium locorum, necnon illorum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis, vel Consuetudinibus, etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque, indultis & privilegiis, etiam in corpore juris clausis, aut ex causa, & titulo oneroso, vel in limine fundationis concessis, etiam Mari Magno, seu Bulla aurea, aut aliàs nuncupatis; Conservatorum deputationibus, eorumque, atque aliis inhibitionibus, quibus Episcopi deferre minimè teneantur; & quibusvis aliis, sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus decretis, etiam Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ, potestatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet, etiam per viam communicationis, seu extensionis concessis, & iteratis vicibus approbatis, & innovatis; etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, & formis specialis & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma servanda esset; tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitùs omisso, & forma in illis tradita observata, inserti forent, præsentibus pro expressis habentes, quibus quoad ea, quæ eisdem præsentibus adversantur, illis aliàs in suo robore permansuris, specialiter, & expressè derogamus; cæterisque contrariis quibuscunque. Cæterùm quia difficile foret præsentes literas ad singula quæque loca deferri, ut eæ tamen omnibus innotescant, mandamus, illas ad valvas Lateranen. & Principis Apostolorum de Urbe Basilicarum atque Cancellariæ Apostolicæ, & in Acie Campi Floræ publicari, & inibi affigi, & per aliquod temporis spatium dimitti, eis que detractis, earum exempla eo in loco relinqui. Ac volumus, ut earundem præsentium literarum transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & Sigillo Prælati, seu Personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, in Judicio, & extra illud, ubi opus fuerit, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis originalibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostrorum Statuti, declarationis, decretorum, derogationis, mandati, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1622. Nonis Februarii, Pontificatus nostri anno 2.

V. Dat. S. D. Ursinis.

Registrata in Secretaria Brevium.

In nomine Domini Amen. Anno à Nativitate Domini nostri Jesu Christi 1623. indictione sexta, die vero octava Mensis Februarii; Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri D. Gregorii Divina providentia Papa XV. anno secundo, retroscripta litera Apostolica affixa, & publicata fuerunt ad Valvas Basilicarum S. Joannis Lateran. Principis Apostolorum de Urbe, ac Cancellaria Apostolica, & in Acie Campi Flora, dimissis ibidem earundem literarum originalibus appensis per aliquod temporis spatium, & exinde remotis, deinde dimissis earundem literarum copiis affixis, ut moris est, per nos Cosmum Modium, & Alexandrum de Rocchis Sanctissimi Domini nostri Papa Cursores,

Octavius Spada Magister Cursorum.

DECLARATIONES ALIQUOT Sacræ Congregationis Concilii, super d. Constitutione Gregorii XV.

Posita Constitutione fel. record. Gregorii XV. de exemptorum privilegiis, &c. Dubitatur,

I. An liceat Episcopis visitare Altaria Regularium Ecclesiarum, quibus cura animarum personarum secularium non incumbit, aut loca, ubi in iisdem Ecclesiis asservatur Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, vel ubi audiuntur Confessiones personarum secularium?

II. An Episcopi possint Regularibus præscribere, ut certis tantùm in locis, ac temporibus, aut certarum personarum Confessiones audiant, vel alias illorum privilegia restringere, ac moderari in Sacramentis administrandis?

III. An Facultas Episcopis per Constitutionem attributa in exemptos tam seculares, quàm Regulares, intelligatur etiam tributa in personas nullius Diœcesis?

IV. An eadem facultas competat inferioribus Prælatis proprium territorium, ac jurisdictionem quasi Episcopalem habentibus?

V. An per eandem Constitutionem in illis verbis, [possit Episcopus unà cum Superioribus Regularibus quarumcunque Abbatissarum, &c. electionibus per se, vel per alium interesse, ac præsidere] jus Abbatissas confirmandi attributum censeatur?

VI. An Confessores Monialium ante editam Constitutionem deputati, debeant ab Episcopo examinari, & approbari?

II. An Superiores Regulares similiter ante ipsius Constitutionis publicationem electi, seu deputati, alia indigeant Episcopi approbatione pro Confessionibus sanctimonialium sibi subjectarum audiendis?

VIII. An Confessiones, quas audiunt Superiores Regulares electi, seu deputati, vel confirmati post publicationem, & scientiam tenoris dictæ Bullæ, non obtenta Episcopi approbatione, sint nullæ, atque irritæ, necne?

IX. An Regulares generaliter ab Episcopo approbati ad Confessiones personarum secularium audiendas, censeantur etiam approbati ad audiendas Confessiones Monialium sibi subjectarum.

X. An Regularis ad audiendas Confessiones Monialium unius Monasterii ab Episcopo approbatus Confessiones Monialium alterius Monasterii audire possit?

IX. An

XI. An Confessores Regulares, extraordinarii semel ab Episcopo deputati, & approbati ad audiendas Monialium Confessiones pro una vice infra annum ad præscriptum Sacri Concilii Tridentini, possint, virtute dictæ approbationis, pluries, tanquam Confessores extraordinarii earundem Confessiones audire absque nova Episcopi licentia?

XII. Cùm in eadem Constitutione statutum sit, ut liceat Episcopo ex rationabili causa Superiores Regulares admonere, ut amoveant Confessores Monialium, atque administratores bonorum ad earundem Monialium Monasteria pertinentium, iisque Superioribus id facere detrectantibus, habeat Episcopus facultatem prædictos Confessores & administratores amovendi quoties & quando opus esse judicaverit: An ejusmodi causam Episcopus Superioribus Regularibus significare teneatur?

XIII. An eadem Constitutio qua parte supponit Episcopi jurisdictioni Regulares delinquentes circa personas degentes intra septa Monasteriorum Monialium, aut circa clausuram, vel bonorum administrationem eorundem Monasteriorum, habeat locum in omnibus delictis, an verò solùm in notoriis, & cum scandalo populi?

SACRA CONGREGATIO Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum censuit, Constitutionem fæl. mem. Gregorii XV. de exemptorum privilegiis nequaquam subjicere Regulares exemptos, quibus cura animarum personarum secularium non incumbit, Episcoporum jurisdictioni in his, quæ Sacramentorum administrationem concernunt, nisi in Sacramentis personis secularibus administrandis iidem Regulares delinquant: ac propterea,

AD Primum dubium respondit: Episcopis non licere in vim ejusdem Constitutionis visitare Altaria Ecclesiarum Regularium, quibus non incumbit animarum cura personarum secularium, nec loca, ubi in iisdem Ecclesiis asservatur Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, vel ubi Confessiones personarum secularium audiuntur.

Ad II. Hac in parte Constitutionem nihil novi juris induxisse, nec ullam novam authoritatem Episcopis in Regulares attribuisse: Ideoque in vim ipsius Constitutionis non posse Episcopos Regularibus præscribere, ut certis tantùm in locis, ac temporibus, aut certarum personarum Confessiones audiant, vel aliàs illorum privilegia in Sacramentis administrandis restringere, aut moderari. Quòd si aliunde Episcopis hujusmodi facultas competat, illam non fuisse ab eadem Constitutione sublatam.

Ad III. Constat ejusmodi facultatem non intelligi tributam Episcopis in personas nullius Diœcesis.

Ad IV. Non competere.

Ad V. Jus confirmandi Abbatissas minimè fuisse Episcopis per Constitutionem attributum.

Ad VI. Confessores quidem extraordinarios Monialium nullatenus posse post Constitutionem illarum Confessiones audire, nisi priùs ab Episcopo Diœcesano idonei judicentur, & approbentur. Ordinarios verò Confessores ante Constitutionis publicationem deputatos, posse durante triennio ab eorum deputatione inchoando, pergere, in Confessionibus Sanctimonialium audiendis absque alio examine, & approbatione Episcopi. Quòd si contingat, ut illorum facultas à Sede Apostolica ultra triennium prorogetur, tunc debere eos ab Episcopo examinari, & approbari.

Ad VII. Superiores Regulares electos, seu deputatos ante ipsius Constitutionis publicationem, quibus alioquin facultas competat audiendi Confessiones Monialium sibi subjectarum, posse, durante eorum officio, pergere sine alia Episcopi approbatione in Confessionibus audiendis illarum tantùm, quæ sponte, ac proprio motu id ab eis petierint. At verò eos, qui post Constitutionem eligentur, aut quoquo modo deputabuntur, vel qui in eorum officiis, seu dignitatibus, expleto jam tempore à Constitutionibus cujusque Ordinis, vel aliàs legitimè præfinito, ad aliud tempus confirmabuntur, nequaquam posse Sanctimonialium Confessiones audire, nisi prius à Diœcesano Episcopo idonei judicati, atque approbati fuerint.

Ad VIII. Confessiones hujusmodi nullas, atque irritas esse.

Ad IX. Regulares generaliter ab Episcopo approbatos ad Confessiones personarum secularium audiendas, nequaquam censeri approbatos ad audiendas Confessiones Monialium sibi subjectarum; sed egere, quoad hoc, speciali Episcopi approbatione.

Ad X. Regularem ad audiendas Confessiones Monialium unius Monasterii ab Episcopo approbatum, minimè posse audire Confessiones Monialiū alterius Monasterii.

Ad XI. Confessores extraordinarios semel deputatos, atque approbatos ab Episcopo ad Monialium Confessiones pro una vice audiendas, haud posse pluries in vim approbationis ejusmodi illarum Confessiones audire: sed ab Episcopo toties esse approbandos, quoties casus deputationis contigerit.

Ad XII. Non teneri ejusmodi causam significare Superioribus Regularibus; sed hoc relinqui arbitrio, & prudentiæ Episcoporum, quorum conscientiam Sacra Congregatio serio oneravit, ne facultate sibi hac in parte attributa, quoquomodo abutantur, cum res in districto Dei judicio rationem reddituri.

Ad XIII. Constitutionem habere locum in omnibus delictis, non autem in notoriis tantùm, & cum populi scandalo.

Quæ Sacræ Congregationis responsa ad se relata fel. rec. Gregorius XV. & Sanctiss. D. N. Urbanus VIII. in omnibus approbarunt.

A. Card. Caëtanus.

Prosper Fagnanus S. Congreg. Secr.

Post prædictas declarationes Sacr. Congregat. Illustriss. Card. Concil. Trid. Interpret. aliæ duæ declarationes emanarunt: prima anno 1624. altera verò anno 1626. in hac forma, quæ sequitur.

Posita Constitutione fel. record. Greg. XV. de exempt. Privileg.

XIV. Dubitatum fuit, an Regularis absque legitima licentia accedens ad Monasterium Monialium Regularibus subditarum, ibique in loco colloquiis destinato cum Moniali colloquens, à Diœcesano Episcopo tanquam Sedis Apostolicæ Delegato coerceri, & puniri possit.

Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Trid. Interpretum censuit, posse. Quam Congregationis sententiam S. D. N. Urbanus VIII. ad se relatam approbavit.

Cosmus Card. de Torres.

Locus † Sigill.

Prosper Fagnanus S. Congreg. Secr.

XV. An liceat Episcopo in vim Constitutionis fæl. memor. Gregorii XV. de exemptorum Privilegiis, punire Regulares, qui ad Abbatissæ electionem procedunt ante tempus ipsi Episcopo significatum, aut die electionis eidem nullatenus prænunciata.

Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum respondit, Regulares ex eadem Constitutione tunc demum teneri Episcopo significare diem electionis Abbatissæ, eumque usque ad præfinitum tempus expectare: si antea ipse expresse declaraverit, se uti velle facultate sibi hac in parte attributa, Abbatissarumque electionibus per se, vel per alium interesse, ac

præsidere. Post eam verò declarationem, licere Episcopo animadvertere in Regulares, qui ante tempus significatum, aut die electionis eidem non prænunciata, ad Abbatissæ electionem procedere.

Cosmus Card. de Torres.

Locus † Sigilli.

Prosper. Fagnanus S. Congreg. Secr.

53 Quam autem potestatem habent Ordinarii erga exemptos, quoad corpora, imagines, libros, tabellas, &c. quæ in locis publicis, seu privatis apponuntur, vide per extensum *in Const. seq.*

Feria quinta die 2. Octobris, 1625. In generali Congregatione Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis, habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis, coram Sanctissimo Domino Nostro D. Urbano, Divina Providentia Papa VIII. ac Illustrissimis, & Reverendissimis Dominus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, adversus hæreticam pravitatem Inquisitoribus generalibus, à Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

C*Um Sanctissimus in Christo Pater, & Dominus Noster D. Urbanus, Divina providentia Papa VIII. die 13. Martii, Decretum ediderit infrascripti tenoris, videlicet:*

Sanctissimus Dominus Noster sollicitè animadvertens abusus, qui irrepserunt, & quotidie irrepere non cessant in colendis quibusdam cum sanctitatis, & martyrii fama vel opinione defunctis, qui, etsi neque Canonizationis, neque Beatificationis honore insigniti sint ab Apostolica Sede; eorum tamen Imagines in Oratoriis, atque Ecclesiis, aliisque locis publicis, ac etiam privatis, cum laureolis, aut radiis, seu splendoribus proponuntur, miracula, & revelationes, aliaque beneficia à Deo per eorum intercessiones accepta, in libris rerum ab ipsis gestarum enarrantur, & ad illorum sepulchra, Tabellæ, Imagines, & res aliæ ad beneficia accepta testificanda, & lampades, & alia lumina apponuntur. Volensque proinde hujusmodi abusibus pro debito officii pastoralis occurrere, re etiam cum Illustrissimis, & Reverendissimis Dominis Cardinalibus, contra hæreticam pravitatem in universa Republica Christiana Generalibus Inquisitoribus communicata, & maturè considerata, ac discussa, declaravit, statuit, & decrevit: ne quorumvis hominum, cum sanctitatis, seu martyrii fama (quantumcunque illa sit) defunctorum Imagines, aliaque prædicta, & quodcunque aliud venerationem, & cultum præ se ferens, & indicans, in Oratoriis, aut locis publicis, seu privatis, vel Ecclesiis, tam secularibus, quàm Regularibus cujuscunque Religionis, Ordinis, Instituti, Congregationis aut Societatis apponantur, antequam ab Apostolica Sede canonizentur, aut Beati declarentur, & (si appositæ sunt) amoveantur, prout eas statim amoveri mandavit.

Ac pariter imprimi de cætero inhibuit libros, eorundem hominum, qui sanctitatis sive martyrii fama, vel opinione (ut præfertur celebres è vita migraverint, gesta, miracula, vel revelationes, seu quæcunque beneficia, tanquam eorum intercessionibus à Deo accepta continentes, sine recognitione, atque approbatione Ordinarii, qui in iis recognoscendis, Theologos, aliosque pios, ac doctos viros, in consilium adhibeat: & ne deinde fraus, aut error, aut aliquid novum, ac inordinatum in re tam gravi committatur, negotium instructum ad Sedem Apostolicam transmittat, ejusque responsum expectet. Revelationes verò, & miracula aliaque beneficia supradicta, quæ in libris horum hominum vitam, & gesta continentibus, hactenùs sine recognitione, atque approbatione hujusmodi impressa sunt, nullo modo approbata censeri vult, mandatque Sua Sanctitas.

Ad horum hominum sepulchra vetuit etiam ac inhibuit, Tabellas, atque Imagines ex cera, aut argento, seu ex alia quacunque materia, tam pictas, quàm sectas, atque exculptas, appendi, seu affigi, & lampades, sive alia quæcunque lumina accendi, sine recognitione ab Ordinario omninò, prout suprà, facienda, Sedique Apostolicæ referenda, ac probanda.

Declarans, quòd per suprascripta præjudicare in aliquo non vult, neque intendit iis, qui aut per communem Ecclesiæ consensum, vel immemorabilem temporis cursum, aut per Patrum, Virorumque Sanctorum scripta, vel longissimi temporis scientia, ac tolerantia Sedis Apostolicæ, vel Ordinarii coluntur.

Ut autem præmissa diligentiùs observentur universis, & singulis, tam Ordinariis, quàm hæreticæ pravitatis Inquisitoribus districtè præcipit, ut in sua quisque Diœcesi, vel provincia sedulò pervigilet, ne sine approbationibus prædictis, Imagines cum memoratis signis exponantur, aut miracula, revelationes, ac beneficia prædicta publicentur, aliáve contra superiùs disposita fiant; transgressores verò, si Regulares fuerint, privationis suorum officiorum ac vocis activæ, & passivæ, necnon & suspensionis à divinis; si verò Clerici seculares, privationis pariter suorum officiorum suspensionis à divinis, & ab administratione Sacramentorum, executioneque suorum Ordinum respectivè, aliisque, arbitrio prædictorum Ordinariorum, seu Inquisitorum, pro modo culpæ, infligendis pœnis plectendo. Qui autem libros impresserint, aut Imagines pinxerint, sculpserint, seu quoquo modo affixerint, vel formaverint, cæterique Artifices circa præmissa qualitercunque delinquentes, prædicta omnia amittant, & insuper pecuniariis, aliisque etiam corporalibus pœnis, juxta criminis gravitatem eorundem Ordinariorum, seu Inquisitorum arbitrio afficiantur. Contrariis quibuscunque non obstantibus.

Et ne præmissorum ignorantia possit ab aliquo prætendi, voluit, ut decretum hujusmodi, seu illius exemplum ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, Urbis, ac in acie Campi Floræ affixum, omnes proinde arctet, atque afficiat, ac si unicuique personaliter intimatum fuisset, quodque præsentium transumptis, etiam impressis manu Notarii publici subscriptis, ac sigillo alicujus personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides habeatur, quæ præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ:

Postmodum verò idem Sanctissimus Dominus Noster, à quibusdam revocari in dubium accepit, an Tabellas, & Imagines, quas in posterum offerri contigerit, recipere, & antea oblatas conservare liceret, Sanctitas sua, qua tantummodo voluit, occurrendo abusibus qui irrepere videbantur, certiorem parare viam ad eorum in terris gloriam, quorum sanctimonia divina Clementia placuerit, admirandis operibus illustrare; re priùs cum Illustriss. & Reverendiss. Dominis Cardinalibus contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus communicata, præsenti Decreto declaravit: Quòd sicut nunquam prohibuit, nec sua intentionis fuit prohibere oblationem, receptionemque Tabellarum & Imaginum hujusmodi, ita, ut nulli deinceps hæsitationi locus relinquatur, statuit in præsentiarum, & decernit, ut quoties ad aliquam Ecclesiam, aut Oratorium, locumve alium publicum secularem, seu Regularem, Tabellas, & Imagines, aliudve simile quispiam detulerit, ac intercessione hominum inter Sanctos, vel Beatos non ascriptorum, quamvis cum Martyrii, vel sanctitatis fama demortuorum, optata, se impetravisse dixerit, liceat Ecclesiasticis personis, Ecclesiarum locorumve prædictorum cura præpositis,

ſtiis, Tabellis, & Imagines, ſive pictas, ſive ex quavis materia fictas, atque alia quæcunque collata gratia fidem facientia, ſimul cum deferentis, aliorumque, qui conſcii fuerint atteſtationibus recipere, atque approbantibus Ordinariis, ad quos referre ſtatim omnia teneatur, in ſecreto aliquo, ſeorſum ab Ecclesia, loco cuſtodire, ibidemque jam amota collocare, & aſſervare, ut ſi quando Dominus talium Virorum merita Beatificationis, ſeu Canonizationis honore in terris decorare voluerit, extent hujuſmodi ſanctitatis qualeſcunque probationes Apoſtolica Sedis judicio tunc examinanda, contrariis quibuſcunque non obſtantibus.

Io. Anton. Thomaſius, S. Rom. & Univerſ. Inquiſitionis Not.

Anno Milleſimo ſexcenteſimo vigeſimoquinto, Indictione octava, Pont. S. D. N. Urbani, Divina providentia Papa VIII. die verò 30. menſis Octobris, ſupradicta Litera, ſive Decretum affixum, & publicatum fuit ad Valvas Principis Apoſtolorum Urbis, ac in acie Campi Flora, ut moris eſt, per me Brandimartem Latinum Pralibats Sanctiſſ. D. N. Papa Curſorem.

34 His præcipuis annotatis caſibus, in quibus Epiſcopi habent juriſdictionem in exemptos; alii ſeſe offerunt hîc breviter explicandi.

Primò. Prælati exempti ratione membrorum non exemptorum tenentur ire ad Synodum, & coram Epiſcopo poſſunt conveniri Abbas *c. ex ore, n.1. verſ.2. not. de privileg.* Hent. Botterus *tract. de Synod. Epiſc. p.1. n.9. 62. & ſeq. & p.2. n.4.* Conc. Trid. *ſeſſ.24. c.2. de reform.* Franc. *c. ut Apoſtolica de privileg. in 6.* Ratio eſt, quia licet probetur exemptio capitis, non ideo ſequitur, quòd probata ſit exemptio membrorum. Innocent. *d. c. ex ore arg. l. liberorum, ff. de adopt.* gloſſ. *c. rogamus, 24. quæſt.1.* Brixienſ. *in repert. verb. exemptio, verſ. an exempto Monaſterio,* Innocent. *c. quòd ſuper de major. & obed.* Sed de hac materia latè alibi.

II. Ordinarius poteſt declarare exemptum incurriſſe excommunicationem; idque ut ſui ſubditi illum evitent: Franc. *cap. Epiſcoporum, n.3. de privileg. in 6. cap. tuarum de privileg.* quæ tamen declaratio exemptis præjudicare non poteſt, ſed tantùm ſubditis, quibus Ordinarius prohibere poteſt converſationem cum exemptis excommunicatis. Navar. *conſil. 2. n 2. de ſent. excommunicat.* idque procedit, ſi priùs fuerint excommunicati per proprium ſuum Judicem, ſecundùm Navarrum *d. conſil. 2. & in Manuali cap. 27.* & non aliter Lancellotus *de attentatis part. 2. cap. 4 limit. 21. n.7. fol. 160.* & ita etiam elegantiſſimè concludit Boëtius Eponis *in cap. ult. n.4.*

III. Ordinarius punit exemptos ſuis privilegiis abutentes, Zabarell. *clem. abuſionibus, num.1. & ult. de pœnis.* & latè *in clem. unica, num. 16. fol. 30. de offic. Ordinarii.*

IV. Ordinarius poteſt ſe intromiſcere, ne excommunicati, vel uſurarii ſepeliantur in loco etiam exempto; dummodò tamen iſte locus ſit in Diœceſi. Abb. *cap. in ſacris, n.7. de ſepult.* Immò præcipere ut ſepulti humo eximantur, *cap. ad hæc. de privileg.* & contravenientes punire, latè Franc. *cap. Epiſcoporum, n.3. eodem in 6 clem. 1. & 2. de ſepult.* Felin. *c. ult. n.7. in fin. de ſepult.* rem hanc vide pleniùs apud Abbatem *dict. dict. cap. ſacris, n.7.*

V. Epiſcopus poteſt dotare Eccleſiam in ſua Diœceſi, quamvis exemptam, Abb. *cap. Apoſtolica n.3. 7. 8. de dotat.*

VI. Epiſcopus poteſt ſubditis ſuis injungere, ne communicent, aut accedant ad exemptos excommunicationis vinculo notatos, aut delinquentes, arg. *cap. de terris, de decimis, c. poſt miſerabilium de uſuris;* debent tamen exempti priùs declarari excommunicati per Judicem ſuum competentem, quemadmodum ex doctrina Navarri ſuprà retulimus, *eod. n.39.* Aufrer. *in repet. clem. 1. q.10. n.3. in fine de offic. ordin.* Maximè verò ſi delictum ſit notorium; vel excommunicatio patens, Lapus *cap. Epiſcoporum, de privileg. in 6.* Guhelm. *in clem. 2. de pœniten.* Joannes Ananiâ *cap. 1. de privileg. in 6.* Aufrer. *d. q. 10. verſ. & licet.*

VII. Exempti conveniri poſſunt coram Ordinario ratione publicarum functionum, ſeu officiorum, *l. unica, ubi expreſsè Caſtrenſis, C. in quib. cauſis milit. fori præſcript. Auth. & Judices, ſine quoque ſuffragio, §. volumus, in fine, l. 2. C. familiares Papæ,* & quoſvis exemptos ratione beneficiorum poſſe conveniri coram Ordinario. Abbas *cap. dilecti filii, n. 9. verſ. & nota, de foro compet.* quòd tamen non procedit, ſi poſſeſſio beneficii nondum plenè eſſet acquiſita, ſecundùm Calderin. *conſil. 13. & 14. de foro compet.*

VIII. Si exemptus contrahat in ſtudiis, ſeu univerſitate, poterit ratione hujuſmodi contractus conveniri coram Judice ſtudioſorum, Caſtrenſ. *d. l. unic. n.1.* Chokier. *de jurisd. Ordinar. in exempt. p.2. q.45. n.66.*

IX. Exempti ſubjiciuntur Epiſcopo ratione membrorum, ſive Cappellarum non exemptarum, Abbas *cap. ex ore, num.1. & 4. de privileg.* ubi Innocent. Ferrar. *in forma opponendi contra inſtrumenta, in gloſſ. verbo, aliis rationibus, n.4.* Licet enim probetur exemptio capitis; non ideò cenſetur probata exemptio membrorum; arg. *l. liberorum ff. de adopt.* quia exempta Eccleſia, non cenſentur exemptæ Cappellæ Eccleſiæ ſubjectæ accedentes, vel connexæ, gloſſ. *cap. rogamus, 24. quæſt.1.* gloſſ. *cap. cùm & plantare.* & text. *cap. cùm Cappella, de privil.* Brixienſ. *in repertor. verb. an exempto Monaſterio,* ex quo Eccleſia principalis eximi poteſt retenta in poteſtate Cappella, & è contra *dicta liberorum.* Brixienſ. *in repert. verb. exemptio col.6.* ideoque debent exempti conveniri ratione membrorum coram Epiſcopo; non verò ſi convenirentur nomine Monaſterii, vel rei exemptæ. Ubald. *de Canonica portione, cap. 4. quæſt. 8. & 9. n. 1.*

X. Exempti ſubduntur, ut præſentati admitti non poſſint, niſi prævio examine, Conc. Trid. *ſeſſ. 7. c. 13.*

XI. Exempti ſubjiciuntur approbationi ad beneficia curata per concurſum, Conc. Trid. *ſeſſ. 24. c. 18. de reformat.* quæ materia *in Diſput. de benefic. infrà.*

XII. Monaſteria etiam commendata, Prioratus, & Præpoſituræ, in quibus non viget Regularis obſervantia, viſitari poſſunt in annos ſingulos, Conc. Trid. *ſeſſ. 21. cap. 8.* propter negligentiam Superiorum illius Regulæ, ſubjiciuntur poſt monitionem, *d. c. 8. ſeſſ. 21.*

XIII. Ordinarius coërcet exemptos exercentes, illicitas negotiationes in locis non exemptis, gloſſ. *2. in clem. prima, de vita, & honeſtate cleric.* ubi Cardin. *in quæſt. 2.*

XIV. Epiſcopus cognoſcit contrà exemptos in omnibus criminibus actualem, ſeu ſolemnem degradationem requirentibus, Joann. de Lignano *in cap. ne in agro, de ſtatu Monach.* Abbas *in cap. cùm contingat, col. 6. circa med. de foro compet.* ut ſunt inter cæteros falſarii literarum Papæ, *cap. ad falſariorum, de crimine falſi;* & ibi latè Innoc. Oſtienſ. & Abbas Epiſcopi enim eſt degradare, non alterius inferioris, *cap. degradatio, de pœnis, in ſexto,* ubi Doctores.

XV. Epiſcopus animadvertit in exemptos, qui beneficia ad ſuam collationem ſpectantia gravant, præſtationibus, ſeu penſionibus illicitis, text. *in clem. unica, §. eadem quoque de ſuppl. negligen. Prælat.* Innoc. & Oſtienſ. *in cap. in Lateranenſi, de præbend. cap. paſtoralis, de privileg.*

XVI. Exempti conveniri poſſunt coram Ordinario pro ſalario cauſæ agitatæ coram ipſo, propter continentiam, & cauſæ connexionem, ratione unius; Gaillius tenuit ſalaria Advocatorum, & Procuratorum in Camera peti poſſe, prout ipſe Gaill. *lib. 1. obſerv. 1. num. 37.* & ita noviſſimè definivit Concil.

Trident. *sess. 7. cap. 1. de reformat. & sess. 14. cap. 5. de reformat.*

XVII. Episcopus potest examinare Capellanos exemptos, Canonicos, & habentes dignitatem, volentes exercere curam, eisdemque inhibere, ne curam exerceant, aut Sacramenta administrent absque sua approbatione, Sacra Congreg. quam refert Navarr. *consil. 8. in fin. de privil.*

XVIII. Episcopus certis in casibus habens jurisdictionem in loca exempta, potest iis in locis officialem deputare, jurisdictionemque exercere, Rota *noviss. decis. 145. n. 1. & 2. p. 2. alleg.* Joan. Monach. *cap. cum Episcopus, n. 3. vers. sed pone, de offic. ord. in 6.*

XIX. Ordinarius habet auctoritatem in Populum Ecclesiæ exemptæ, quamvis enim Ecclesia exempta sit; tamen Populus, nisi sit exemptus, subditur Episcopali jurisdictioni, *cap. per exemptionem de privileg. in 6.*

In his omnibus casibus, Episcopis, aut exemptis nullum præjudicium inferre suppono; maximè cùm breviter pertractentur; ea etenim, quæ sparsim in sacris Canonibus, & apud Doctores, circa præsentem materiam adinveni, hic in unum collegi; plerique etenim ex prædictis casibus limitatione, declaratione, & exceptione indigent, ut suo loco, Deo dante, latè ostendam.

Apponendum hic duxi decretum à S. D. N. Urbano VIII. editum super observantia & executione constitutionum Apostolicarum, & decretorum spectantium ad officium Sanctæ Inquisitionis: unà cum constitutionibus ipsis hactenus editis, quarum observantia, & executio in eodem decreto injungitur.

DECRETUM.

Ut omnes Regularium Superiores suos subditos, & Religiosos persæpè commoneant de injuncta omnibus observantia, & executione Apostolicarum Constitutionum, ac Decretorum ad Officium Sanctiss. Inquisitionis adversus hæreticam pravitatem pertinentium.

Feria 5. die 14. Aprilis 1633. In Generali Congregatione Sanctæ Romanæ & Universalis Inquisitionis, habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis coram Sanctissim. D. N. D. Urbano Divina providentia Papa VIII. ac Eminentissimis, & Reverendissimis Dominis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus adversus hæreticam pravitatem Inquisitoribus Generalibus à Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

Sanctissimus Dominus noster sedulò incumbens, ut ea, quæ salubriter Apostolicis Decretis, Constitutionibus statuta, & ordinata sunt, præsertim quæ ad Sanctum Officium Inquisitionis contra hæreticam pravitatem pertinent inviolabiliter observentur, & omnimodam sortiantur executionem, districtè mandat, & præcipit, ut omnes Superiores cujusvis Ordinis, Congregationis, Societatis, etiam de necessitate exprimendæ Regularis, aut cujusvis alterius Instituti, etiam quantumvis exempti, & privilegiati, teneantur sub pœna privationis officii, ac vocis activæ, & passivæ ipso facto incurrenda, aliisque arbitrio Sanctitatis Suæ infligendis, in perpetuum, semel saltem in anno, id est, feria sexta post Octavam Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis in publica mensa, vel in Capitulo ad hoc specialiter convocato, & insuper in quocunque Generali, ac Provinciali Capitulo, Conventu, Dieta, vel alio quovis nomine nuncupato Capitulari Congressu, suos subditos, ac Religiosos, commonere de injuncta omnibus observantia, & executione earundem Apostolicarum Constitutionum, & Decretorum, ad Sanctum Officium Inquisitionis adversus hæreticam pravitatem pertinentium, ac præsertim

Julii III. Constitut. 11. incipit: *Licet à diversis.* Contra impedientes Inquisitores hæreticæ pravitatis in eorum Officio, aut in causis Inquisitionis se ingerentes, eorumque complices, & fautores: Et contra ipsos Inquisitores admittentes laicos ad criminis hæresis cognitionem. Et pii V. Constitutio 82. incipit: *Si de protegendis.* contra occidentes, verberantes, dejicientes, aut perterrefacientes quemvis ex Ministris Sanctissimi Officii Inquisitionis, vel Episcoporum id munus in sua Diœcesi, vel Provincia, obeuntium, seu Accusatorem, Denunciatorem, aut Testem in causa fidei quomodocunque productum, vel evocatum: nec non contra diripientes, expugnantes, invadentes, incendentes, expilantes, aliòve exportantes alicujus prædictorum bona, libros, literas, auctoritates, exemplaria, regesta, protocolla, exempla, scripturas, aliàve instrumenta, sive publica, sive privata, ubicunque posita, eorumque complices, & fautores: & contra effringentes Carcerem, vel custodiam publicam, vel privatam extrahentes, vel emittentes Vinctum, prohibentes capiendum, captúmve eripientes, recipientes, occulentes, seu facultatem effugiendi dantes, seu id fieri jubentes, eorumque complices, & fautores, etiam effectu non secuto: nullatenus excusandos, nisi claras tantummodò probationes in contrarium adducentes: & contra Intercedentes pro præfatis delinquentibus: Inflictis contra quemlibet prædictorum pœnis, quæ damnatis ex primo capite legis Juliæ Majestatis, eorumque filiis, irrogantur: & oblata Revelantibus impunitate.

Pii IV. Constitutio 31. incipit: *Cùm sicut nuper.* Contra Sacerdotes, qui pœnitentes Mulieres in actu Sacramentalis Confessionis ad inhonestos actus provocare, & allicere tentant, & solicitant. Et Gregorii XV. Constitut. 54. incipit: *Universi Dominici gregis,* ampliativæ circa hujus criminis probationes, & extensivæ contra Confessarios, qui personas (quæcunque illæ sunt) ad inhonesta, sive inter se, sive cum aliis, quomodolibet perpetranda in actu Sacramentalis Confessionis, sive ante, sive post immediatè, seu occasione, vel prætextu Confessionis, vel extra occasionem confessionis in Confessionario, aut alio in loco ad audiendam Confessionem electo, solicitare, vel provocare tentaverint, aut cum eis illicitos, & inhonestos sermones, sive tractatus habuerint. Et contra Confessarios solicitatos esse, ut Inquisitoribus, vel Ordinariis, solicitantes denuncient, vel docentes eos ad id denunciandum non teneri.

Gregorii XIII. Constitut. 21. incipit: *Officii nostri partes,* De Jurisdictione Inquisitorum hæreticæ pravitatis in eos, qui ad ordinem Presbyteratus non promoti Missas celebrant, & sacramentaliter Confessiones audiunt. Clementis VIII. Constitut. 81. incipit: *Et si alias.* declaratoriæ pœnæ contra eos infligendæ per Judices laicos, prævia eorum degradatione. Et Sanctitatis Suæ Constitut. 79. incipien. *Apostolatus officium:* extensive adminotes 25. annis, dommodo vigesimum ætatis annum compleverint.

Sixti V. Constitut. 17. incip. *Cœli, & Terra Creator,* Contra exercentes artem Astrologiæ Judiciariæ, & alia quæcumque Divinationum genera, librósve harum artium legentes, vel tenentes. Et Sanctitatis Suæ Constitut. 113. incipiens: *Inscrutabilis Judicorum Dei,* extensivæ ad alia, & cum gravioribus pœnis.

Clemen-

Clementis VIII. Const. 42. incip. *Cùm sicut.* Contra Italos, ne extra Italiam proficiscantur ad loca, in quibus liber, & publicus cultus, sive usus Catholicæ Religionis non existat, minusque eis in locis habitent. Et Gregor. XV. Constit. 28. incip. *Romani Pontificis.* contra hæreticos, ne in locis Italiæ & Insularum adjacentium quovis prætextu commorentur, & contra eorum fautores, & Receptatores.

Pauli V. Constitut. 26. incipit: *Romanus Pontifex.* Revocatoriæ facultatum Superioribus quorumcunque Ordinum, & Religiosorum, quoquomodo concessarum, cognoscendi Causas suorum subditorum ad Officium Sanctæ Inquisitionis quomodolibet pertinentes.

Ejusdem Constitur. 97. incip. *Regis pacifici.* Innovatoriæ Constitutionum à Sixto IV. & Pio V. de Conceptione Beatæ MARIÆ Virginis editarum: Impositionis majorum pœnarum in transgressores, à locorum Ordinariis, & hæreticæ pravitatis Inquisitoribus puniendos. Et Gregor. XV. Constit. 29. incip. *Sanctissimus Dominus Noster auditis.* ampliativæ, & declaratoriæ prohibitionis asserendi Beatam MARIAM Virginem conceptam esse in peccato originali.

Gregorii XV. Constitutio 27. incipit: *Romanus Pontifex in specula.* revocatoriæ quarumcunque Concessionum vivæ vocis oraculo factarum. Et Sanctitatis Suæ Constitut. extensivæ ad quoscunque, quantumvis privilegiatos, & exemptos, incipit: *alias felicis record. Gregorius Papa XV. sub Datum Romæ* 10. *Decembris* 1631.

Ejusdem Constitut. 40. incip. *Apostolatus officium.* Et Sanctitatis Suæ Constit. 114. incip. eo modo revocatoriæ licentiarum quarumcunque legendi, & habendi libros prohibitos.

Sanctitatis suæ Constit. 37. incip. *Sanctissimus Dominus Noster solicitè animadvertens.* De Imaginibus nondum à Sede Apostolica Canonizatorum, vel Beatificatorum, cum Radiis, Splendoribus, aut Laureolis, non proponendis: Tabellis, aut Luminaribus ad eorum Sepulchra non apponendis: eorumve gestis, miraculis, revelationibus, Beneficiorum impetrationibus, non publicandis, aut imprimendis.

Pariter Sanctitatis suæ Constitut. 50. incipit *Sanctissimus Noster pro debito sui Pastoralis officii.* De libris ubicunque compositis, de quacunque materia tractantibus, ab his qui degunt in Statu Ecclesiastico, non transmittendis aliò, ut imprimantur, sine Vicarii, & Magistri Sacri Palatii in Urbe, vel extra eam, sine Ordinarii, & Inquisitoris, aut ab eis deputatorum licentia.

Et ejusdem Sanctitatis Suæ Constitut. sub Datum Romæ die 5. Novembris 1631. incip. *Cùm sicut accepimus.* Quod Constitutiones Apostolicæ in concernentibus Fidem Catholicam, & Sanctæ Inquisitionis Officium hactenus editæ, & in posterum etiam super quacunque alia re edendæ, omnes regulares quomodolibet privilegiatos comprehendat, nisi in edendis illi specialiter excipiantur.

Et insuper iidem Superiores teneantur, curare & efficere, ut hujus Decreti exempla aliquo in loco apud eos publico affigantur, & affixa conserventur ita, ut ab eisdem subditis Religiosis omnibus videri, ac legi commodè queant: Déque hujusmodi commonitione publico documento statim certiorem facere Congregationem Sanctissimæ Inquisitionis in urbe. Et ita mandat & præcipit Sanctitas sua.

Jo. Anton. Thomasius S. Romæ, & Universalis Inquisitionis Not.

Anno millesimo sexcentesimo trigesimotertio, Indictione prima, Pont. S. D. N. D. Urbani Divina providentia Papa VIII. die verò 7. mensis Junii, supradicta Litera, sive Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Principis Apostolorum Urbis, ac in acie Campi Floræ, ut moris est, per me Alexandrum Latinum, prælibati Sanctissimi Domini Nostri Papæ Cursorem.

Sequuntur Constitutiones relatæ in suprascripto Decreto.

JVLI III. CONSTITVTIO XI.

Contra impedientes Inquisitores hæreticæ pravitatis in eorum officio, aut in causis Inquisitionis se ingerentes. Et contra ipsos Inquisitores, admittentes laicos ad criminis hæresis cognitionem.

Julius Episcopus, Servus Servorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.

Licèt à diversis Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, etiam per speciales constitutiones in corpore juris insertas, fuerit ritè & salubriter sancitum atque decretum, ut sæculi potestates, & Domini temporales, ac provinciarum, civitatum, terrarum, & locorum quorumcunque rectores, quibuscunque dignitatibus vel officiis, aut nominibus censeantur, diœcesanis Episcopis & Inquisitoribus hæreticæ pravitatis in ipso inquisitionis negotio faveant & assistant nemoque ex prædictis potestatibus, dominis & rectoribus eorumque officialibus de crimine hæresis, cùm merè sit Ecclesiasticum, quoquomodo cognoscat vel judicet, neque diœcesano Episcopo vel Inquisitori ipsius Inquisitionis negocio incumbenti se opponere, aut ipsum aliquatenus impedire, vel impedientibus auxilium aut favorem scienter dare audeat, perpetuæ damnationis sententia in eos qui contra prædicta fecerint promulgata, quam si per annum animo sustinuerint pertinaci, ex tunc velut hæretici condemnentur: usque adeo tamen in omnibus ferè, non solum Italiæ, verum etiam aliis provinciis, civitatibus, terris, & locis, complurium laicorum, ut accepimus mundanæ gloriæ processit ambitio, vel sacrorum Canonum inscitia, vel Ecclesiasticæ disciplinæ contemtus, ut in animarum suarum perniciem atque interitum, diœcesanos Episcopos, & Inquisitores à Sede Apostolica institutos Inquisitionis officium exercentes, alii sub justitiæ prætextu, ne ulli scilicet fiat injuria, impedire, alii verò sub pietatis colore, ut sontes scilicet severiùs puniantur, se ipsis diœcesanis Episcopis & inquisitoribus adjungere, & una cum eis de ipso hæresis crimine cognoscere processus formare, formatosque suo judicio submittere non erubescant.

§. 1. Cui sanè morbo jam nimis latè progredienti, solitam ac salutarem Ecclesiæ medicinam pro nostra pastorali solicitudine afferre cupientes, sæculi potestates, dominos temporales, ac provinciarum, civitatum, terrarum, & locorum rectores supradictos, necnon quascunque alias seculares personas, tam privatas, quàm publico quovis munere fungentes, requirimus & monemus, ac eis JESU CHRISTI Redemptoris nostri (cujus vices, licet immeriti, gerimus in terris) nomine præcipimus, ne diœcesanos Episcopos & Inquisitores ipsos in suo Inquisitionis negotio, nullo modo impediant, seu perturbent, neque se in hæresis crimine cognoscendo, vel judicando, quovis etiam assistentiæ & favoris colore, causa vel occasione (nisi quatenus ab ipsis diœcesanis Episcopis, aut Inquisitoribus spontanea & libera eorum voluntate fuerint requisiti) se ingerant, ordinationes, provisiones & leges quascunque, de ipsius criminis co-

gnitione latas, sacris canonibus obsistentes, Ecclesiasticam jurisdictionem impedientes sine mora abrogent & deleant, prout etiam nos eas omnes invalidas fuisse & esse decernimus, & declaramus, ac ex nunc pro abrogatis & deletis haberi volumus & mandamus.

§. 2. Qui monitis his nostris non obtemperaverint, quive scienter in prædictis consilium, auxilium, aut favorem dederint, noverint se, non solùm per sacras dictorum prædecessorum nostrorum constitutiones, verum etiam per hanc nostram sanctionem sive sententiam & declarationem perpetuò duraturam (quam auctoritate Omnipotentis Dei, ac beatorum Apostolorum Petri & Pauli, ac nostra in ipsos non obtemperantes, quacunque illi præfulgeant dignitate, in his scriptis proferimus:) communione fidelium, & omnium Ecclesiasticorum Sacramentorum perceptione privatos, ac maledictionis, ac execrationis æternæ vinculo ligatos, anathematisque & majoris excommunicationis mucrone percussos, ita ut nemo unquam in præmissis delinquens, nisi à nobis & successoribus nostris canonicè intrantibus, etiam prætextu quarumcunque facultatum, concessionum & gratiarum, etiam confessionalium nuncupatarum, etiam à nobis & dicta Sede hactenus emanatarum, vel in posterum emanandarum, specificam, & expressam, ac aliàs quàm per verba generalia, de præsentibus nostris literis mentionem non facientium, præterquam in mortis discrimine, absolvi possit.

§. 3. Quibus etiam censuris ipsos diœcesanos Episcopos & Inquisitores subjacere volumus, si laicos secum quomodocunque de ipso crimine cognoscere aut judicare permiserint.

§. 4. Ut autem præmissa omnia, ad eorum quorum interest, notitiam deducantur, nullusque de eis ignorantiam justè prætendere possit, volumus & Apostolica auctoritate decernimus, quòd præsentes literæ per aliquos Cursores nostros, aut Notarios publicos in Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, & Ecclesiæ Lateranen. ac Cancellariæ Apostolicæ valvis, necnon acie Campi Floræ, ut moris est, publicentur, earum exemplo in singulis valvis, & acie hujusmodi affixo & dimisso. Nulli ergo, &c.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo quinquagesimo primo, quintodecimo Kal. Aprilis, Pontificatus nostri anno secundo.

Lecta & publicata fuit die Veneris sancti in Capella Sanctitatis suæ, dum divina celebrarentur officia.

Anno Domini 1551. indictione nona, die verò 24. mensis Martii, Pontificatus S. D. N. Julii divina providentia Papa III. anno ejus secundo; retroscripta litera affixa & publicata fuerunt in valvis seu portis Principis Apostolorum de Urbe, & sancti Joannis Lateranen, Cancellaria Apostolica, necnon in acie Campi Flora, dimissis copiis per nos Petrum Gomez. Freyle, & Franciscum Munos, S. D. N. Papa Cursores.

Ita est. Petrus Gomez. Freyle Cursor, manu propria.

Ita est, Franciscus Munos Cursor, manu propria.

Petrus Leobidis Magister Cursorum.

PII V. CONSTITUTIO LXXXII

Contra Offendentes statum, res, & personas sanctissimi Officii Inquisitionis hæreticæ pravitatis, eorumque filios, necnon complices, & fautores.

Pius Episcopus Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Si de protegendis cæteris omnibus Ecclesiæ ministris, quos in fidem & clientelam nostram à Domino recepimus, cura nobis quotidiana insidet, quanto majore studio eam nos sollicitudinem capessere necesse est, ut qui in sacro Inquisitionis hæreticæ pravitatis officio versantur, sub tutela inviolatæ auctoritatis hujus Sedis periculorum omnium expertes, quæque munera ad exaltationem fidei Catholicæ exequantur?

§. 1. Cùm itaque ejus generis impiorum vis quotidie magis invalescat, qui omnibus malis artibus prædictum officium subvertere, ministrosque functionibus disturbare moliuntur, eo jam nos detrusit necessitas, ut nefariam, & scelestam illorum audaciam acerbiore castigationis verbere reprimamus.

§. 2. Hac igitur generali constitutione de fratrum nostrorum consilio sancimus, ut quicunque sive privatus, sive cuncta civitas, sive populus, sive Dominus, Comes, Marchio, Dux, vel potiore titulo Illustris, quemvis ex Inquisitoribus, Advocatis, Procuratoribus, Notariis aliisve ministris prædicti Officii, vel Episcoporum id munus in sua diœcesi aut provincia obeuntium, seu accusatorem, denunciatorem, aut testem in causa fidei quomodocunque productum vel evocatum occiderit, verberaverit, dejicerit, seu perterrefecerit.

§. 3. Quive Ecclesias, ædes, aliasve res, sive publicas, sive privatas, officii, aut ministrorum, expugnaverit, invaserit, incenderit, expilaverit, aut libros, literas, auctoritates, exemplaria, regesta, protocolla, exempla, scripturas, aliave instrumenta, sive publica posita, sive privata, ubicunque, combusserit, diripuerit, seu interverterit, seu ex incendio aut direptione, aut alio quocunque modo, illa exportaverit, seu qui in conflagratione, expugnatione, aut direptione, etiam inermis, sive capiendi, sive comburendi, sive supprimendi causa, fuerit, sive res, aut personas, servari, defendive prohibuerit.

§. 4. Quive carcerem, aut aliam custodiam, seu publicam, seu privatam effregerit, vinctum extraxerit, seu emiserit, capiendum prohibuerit, captumve eripuerit, receperit, occuluerit, seu facultatem effugiendi dederit, seu jusserit id fieri, qui cœtum, concursumve fecerit, sive ut aliquid prædictorum fieret omnes accommodaverit, sive aliàs auxilium, consilium, aut favorem, publicè vel occultè, in quolibet prædictorum scienter præstiterit, licèt nemo occisus, nemo verberatus, nemo extractus, emissus vel ereptus, nihil expugnatum, nihil effractum, succensum, direptumve, nullum denique damnum re ipsa sit secutum: nihilominus is sit anathemate præsentis canonis auctoritate ligatus. Idem quoque læsæ Majestatis reus, dominio, dignitate, honore, feudo, ac quocunque alio beneficio, temporali & perpetuo eo ipso privatus, secularis judicis arbitrio relinquatur, qui de eo illas ipsas pœnas exigat quæ damnatis primo capite dictæ legis per constitutiones legitimas irrogantur, bonis, rebusque omnibus fisci juribus applicatis, ut etiam est do damnatis hæreticis per sanctiones canonicas constitutum, ejus filii paterna infamia subjecti, omnis & cujuscunque hæreditatis, & successionis, donationis, & legati, sive propinquorum, sive extraneorum omnino sint expertes, eisdem præterea portæ nunquam pateant dignitatum.

§. 5. Nemo autem expurgationem habere, aut causam ullam proponere vel prætendere possit, qui tantum nefas in contemptum & odium hujus officii admiserit, nisi contrarium per claras probationes docuerit se fecisse. Quod porro de prædictis, eorumque filiis statuimus, illud idem de omnibus clericis, & presbyteris secularibus, & quorumvis Ordinum etiam exemptorum regularibus, & quacunque etiam Episcopali, & majori dignitate prædiris, ac etiam privilegio quomodocunqua fulfultis, decernimus exequendum,

quendam, ita ut ipsi beneficiis, & officiis omnibus Ecclesiasticis, præsentium auctoritate privati, per judicem Ecclesiasticum hæreticorum more degradentur, demum potestati seculari traditi, pœnis prædictis laicorum instar subjiciantur.

§. 6. Pontificum tamen casibus, nobis, & successoribus nostris reservatis, ut re quæsita & nobis renunciata, contra eos ad depositionem, & alias pœnas prædictas procedamus, uti criminis atrocitas videbitur postulare.

§. 7. Quicumque autem pro talibus veniam petere, aut alias intercedere tentaverint, in easdem illas pœnas, quæ in hæreticorum fautores à sacris constitutionibus inferuntur, Ipso facto se noverint incidisse.

§. 8. Verum si quis etiam hujusmodi criminum conscius, vel affinis, sive Religionis studio, sive pœnitentia ductus rem adhuc incognitam retexerit, supplicio liberetur.

§. 9. Cæterum eam omnium, & quarumcumque absolutionem rationem à prædictis criminibus, nec non habilitationum & restitutionum; etiam ad famam & honores ita deinceps habendam optamus, ut successores nostri nullas nisi saltem semestri post cujusque assumptionem ad hujus dignitatis fastigium excursu, ac precibus apud supremum officium Inquisitionis hic institutum verificatis, concedant. Decernentes omnes & quascunque hujusmodi absolutiones, habilitationes, & requisitiones, quæ precibus sic non verificatis de cætero fient, nemini prorsus prodesse, sed nec præsentibus nisi toto ipsarum tenore ad verbum inserto, & gratia ex certa Romani Pontificis scientia facta, & propria manu subsignata, ulla in parte derogari, nec derogatum censeri debere, & si illis ex quacumque causa aliter derogari contigerit, derogationes hujusmodi nullius prorsus fore roboris & momenti.

§. 10. Jubemus igitur universos & singulos Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos; & cæteros Ecclesiarum Prælatos, per universum Orbem constitutos, ut per se, vel alium, seu alios, præsentes literas, aut earum exempla in suis quisque provinciis civitatibus, diœcesibus, & locis solemniter publicari, & quantum in se est, firmiter observari procurent, contradictores quoscunque, per censuras & pœnas Ecclesiasticas appellatione postposita compescendo, ipsasque censuras & pœnas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

§. 11. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscunque.

12. Volumus autem ut præsentium exempla etiam impressa edantur, eaque Notarii publici manu, & cujuscunque curiæ Ecclesiasticæ, vel Prælati sigillo obsignata, eamdem illam prorsus fidem ubique locorum faciant, quam ipsæ præsentes facerent, si essent exhibitæ vel ostensæ.

§. 13. Cæterum omnes orbis terrarum Principes, quibus gladii secularis potestas ad malorum vindictam est permissa, per eam quam se tueri promiserunt fidem, obtestamur, ita suas quisque partes, sive in præstando ministris prædictis auxilio, sive in criminum post Ecclesiæ sententiam animadversione, interponere, ut eorum quoque præsidiis ministri ipsi tanti officii munus pro Dei æterni gloria, & Religionis incremento feliciter exequantur, amplissimum à Domino præmium recepturi, quod fidei prædictæ assertoribus in æternæ beatitudinis consortio præparavit.

§. 14. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ sanctionis, legationis, statuti, decreti, jussionis, obtestationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotens Dei, ac Beatorum, &c.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quingentesimo sexagesimo nono, Kal. April. Pontific. nostri anno 4.

Ego Pius V. Catholicæ Ecclesiæ
Episcopus.

Utinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas.

F. Card. Pisanus Episcopus Hostien.
Jo. Card. Maronus Episcopus Portuen.
Christophorus Madrucius Episcopus Prænestin.
Otho Card. Truchses Episcopus Albanen.
A. Cardin. Farnesius Vicecancellarius Episcopus Tusculan.
Joann. Baptista Cicada Episcopus Sab. Cardinal. S. Clem.
Ego Ph. Card. à Burdisera.
Ego Anton. Card. Granuelanus.
Ego Franciscus Card. Pacecus.
Ego Hieronym. Card. de Corrigio.
Ego Jo. Franciscus Card. de Gambara.
Ego Nicolaus Card. de Sermoneta.
Ego Ind. de Avalos Card. Aragona.
Ego M. Anton. Card. Columna.
Ego Ptolomæus Card. Comensis.
Ego P. Card. de S. Cruce.
Ego Z. Card. Delphinus.
Ego Hu. Card. S. Sixti.
Ego Julius Card. Urbinus.
Ego Fulvius Card. Perusin.
Ego Jo. Riccius Card. Politianus.
Ego Scipio Card. Pisarum.
Ego Jacobus Card. Sabellus.
Ego Aloysius Card. Cornelius.
Ego Alexander Card. Cribellus.
Ego Guido Card. Vercellus.
Ego Guilhelmus Card. Sirletus.
Ego F. Michaël B. Card. Alex. Camer.
Ego Hieronym. Card. de Caravalle.
Ego Ludovic. Card. Madrutius.
Ego Innocentius Card. de Monte.
Ego Hieronym. Card. Simoncellus.
Ego Ferd. Card. de Medicis.
F. Card. Alciatus.
Jo. Paulus Cardinalis ab Ecclesia.
A. Cardinalis Caraffa.

Anno à Nativitate Domini 1569. indictione 12. die vero 2. Mensis Maji, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Pii divina providentia Papa V. anno 4 retroscripta litteræ Apostolicæ lectæ, affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ, ut moris est, dimissis in locis præfatis præsentibus litteris per aliquantulum temporis spatium affixis, & deinde amotis per nos Julium Parinum & Joannem Bernotum prælibati Sanctiss. Domini nostri Papæ Cursores.

PII IV. CONSTITUTIO XXXI.

Inquisitorum hæreticæ pravitatis facultas, procedendi contra Sacerdotes, qui mulieres pœnitentes in actu confessionis ad actus inhonestos provocare, & allicere tentant.

Pius Papa IV. Ven. Fratri Archiepiscopo Hispalensi in Regnis Hispaniarum hæreticæ pravitatis Inquisitori generali.

N 4 Cum,

CUm, ficut nuper, non fine animi noſtri moleſtia, accepimus, diverſi Sacerdotes in Regnis Hiſpaniarum, atque eam in eorum Civitatibus, & Dioceſibus curam animarum habentes, ſive etiam pro aliis exercentes, aut alias audiendis confeſſionibus pœnitentium deputati, in tantam proruperint iniquitatem, ut Sacramento Pœnitentiæ in actu audiendi confeſſiones abutantur, nec illi, & qui id inſtituit Domino Deo, & Salvatori noſtro Jeſu Chriſto injuriam facere vereantur, mulieres videlicet pœnitentes ad actus inhoneſtos, dum earum audiunt confeſſiones alliciendo, & provocando, ſeu allicere, & provocare tentando, & procurando, ac loco earum per ſacramentum hujusmodi Creatori noſtro reconciliationis graviori peccatorum mole eas onerando, & in manibus Diaboli tradendo, in divinæ Majeſtatis offenſam animarum perniciem, & Chriſti fidelium ſcandalum non modicum.

§. 1. Nos in animum inducere nequeuntes; quod qui de Fide Catholica rectè ſentiunt, Sacramentis in Eccleſia Dei inſtitutis abutantur, aut illis injuriam faciant, fraternitati tuæ de cujus eximia pietate, virtute, atque doctrina plurimum in Domino confidimus, per præſentes committimus, & mandamus, quatenus per te, vel per alium, ſeu alios à te deputandum, ſeu deputandos contra omnes, & ſingulos Sacerdotes dictorum Regnorum, ac illarum Civitatum, & Dioceſum de præmiſſis quomodolibet diffamatos, tam ſeculares, quam quorumvis etiam exemptorum, ac Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubjectorum ordinum Regulares cujuſcunque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, conditionis, & præeminentiæ exiſtant, tam ſuper præmiſſis, quam ſuper Fide Catholica, & quid de ea ſentiant diligenter inquiras, & juxta facultatem tibi contra hæreticos, aut de hæreſi quovis modo ſuſpectos à Sede Apoſtolica conceſſarum continentiam & tenorem procedas, ac culpabiles repertos juxta exceſſuum ſuorum qualitatem, prout juris fuerit, punias, eos etiam, ſi, & prout juris fuerit faciendum, debita præcedente degradatione ſecularis Judicis arbitrio puniendos tradendo.

§. 5. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Eccleſiarum & Monaſteriorum, nec non Ordinum quorumlibet quorum ipſi Sacerdotes fuerint, etiam juramento confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apoſtolicis ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clauſulis, & decretis, etiam Motu proprio, aut aliàs quomodolibet conceſſis, etiam iteratis vicibus approbatis, & innovatis, quibus omnibus eorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque.

Datum Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die decima ſexta Aprilis, milleſimo quingenteſimo ſexageſimo primo, Pont. noſtri anno ſecundo.

GREGORII XV. CONSTITUTIO XXXIV.

Confirmatio, & ampliatio Conſtitutionis Pii IV. editæ contra Sacerdotes in confeſſionibus Sacramentalibus Pœnitentes ad turpia ſollicitantes.

Gregorius Papa XV. Ad perpetuam rei memoriam.

UNiverſi Dominici gregis curam, quamquam immeriti, cœleſti diſpoſitione gerentes, ſedulò invigilare tenemur, ut ab omnibus pravis contagiis conſervetur immunis, multoque majori ſtudio providere, ut omnis peſtis ab iis avertatur, quibus alios ſanandi officium eſt commiſſum, ne quod Evangelica ſcripta Nos admonent, ſale infatuato non ſit in quo ſaliatur, & ad nihilum proſit ultra, niſi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.

§. 1. Quoniam autem à Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris quibuſdam in locis proviſum fuit, ut impium, ac nefandum ſcelus, quod non ſolùm inter Chriſti fideles non eſſe, ſed nec etiam nominari debet, procul ab iis arceatur, videlicet, ut aliquis Sacerdos ad Sacras audiendas confeſſiones deputatus, ſacroſancto Pœnitentiæ Sacramento, ſollicitando pœnitentes ad turpia, abutatur, ac pro medicina venenum, pro pane aſpidem porrigat, & ex cæleſti medico infernalis veneficus, ex parte ſpirituali proditor execrabilis animarum reddatur: idcirco, Nos ea quæ his pernicioſiſſimis diaboli inſidiis arcendis, certis locis ſalubriter conſtituta ſunt, ut nullibi deſiderentur, quantum ex alto conceditur, providendum duximus.

§. 2. Aliàs ſiquidem à fel. record. Pio Papa IV. prædeceſſore noſtro emanarunt litteræ tenoris ſubſequentis, videlicet: Pius Papa IV. Venerabili Fratri Archiepiſcopo Hiſpalen. in Regnis Hiſpaniarum hæreticæ pravitatis Inquiſitori generali. Cùm ſicut nuper, &c. *pag. ſuperiori.*

§. 3. Igitur ut litteræ prædictæ perpetuis futuris temporibus, & ubique locorum inviolabiliter obſerventur, Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtra, ac de conſilio Venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium contra hæreticam pravitatem generalium Inquiſitorum præinſertas literas hujusmodi, ac omnia, & ſingula in eis contenta, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium approbamus, & confirmamus, illiſque omnibus, & ſingulis inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, illaſque non ſolùm in prædictis Hiſpaniarum Regnis, ſed in quibusvis Chriſtiani orbis partibus firmiter & inviolabiliter obſervari præcipimus, & mandamus.

§. 4. Ac præterea ne in futurum de pœna delinquentibus imponenda, & de modo contra eosdem procedendi ab aliquo dubitari poſſit, ſtatuimus, decernimus, & declaramus, quòd omnes, & ſinguli Sacerdotes tam ſeculares, quam quorumvis, etiam quomodolibet exemptorum, ac Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubjectorum Ordinum, Inſtitutorum, Societatum, & Congregationum regulares, cujuſcunque dignitatis, & præeminentiæ, aut quovis privilegio muniti exiſtant, qui perſonas, quæcunque illæ ſint, ad inhoneſta, ſive inter ſe, ſive cum aliis quomodolibet perpetranda in actu Sacramentalis confeſſionis, ſive ante, vel poſt immediatè, ſeu occaſione, vel prætextu confeſſionis hujusmodi etiam ipſa confeſſione non ſecuta, ſive extra occaſionem confeſſionis in confeſſionario, aut in loco quocunque ubi confeſſiones Sacramentales audiantur, ſeu ad confeſſionem audiendam electo, ſimulantes ibidem confeſſiones audire, ſolicitare, vel provocare tentaverint, aut cum eis illicitos, & inhoneſtos ſermones, ſive tractatus habuerint, in officio Sanctæ Inquiſitionis ſeveriſſimè, ut infrà, puniantur. Et præterea omnes hæreticæ pravitatis Inquiſitores, & locorum Ordinarios omnium Regnorum, Provinciarum, Civitatum, Dominiorum, & locorum univerſi orbis Chriſtiani in ſuis quemq; Dioceſibus, & Territoriis per has noſtras litteras etiam privativè quoad omnes alios ſpecialiter, ac perpetuò Judices delegamus, ut ſuper his contra prædictos ſimul, vel ſeparatim in omnibus, prout in cauſis fidei, juxta Sacrorum Canonum formam, nec non officii Inquiſitionis hujusmodi conſtitutiones, privilegia, conſuetudines, & decreta diligenter inquirant, & pro-

procedant: & quos in aliquo ex hujusmodi nefariis excessibus culpabiles repererint; in eos pro criminum qualitate, & circumstantiis, suspen. ab executione ordinis, privationis beneficiorum, dignitatum, & officiorum quorumcunque, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, nec non vocis activæ, & passivæ, si regulares fuerint; exilii damnationis ad triremes, & carceres etiam in perpetuum absque ulla spe gratiæ, aliasque pœnas decernant; eos quoque si pro delicti enormitate graviores pœnas meruerint, debita præcedente degradatione, Curiæ sæculari puniendos tradant.

§. 5. Dantes etiam facultatem Venerabilibus Fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus generalibus Inquisitoribus, ne delictum tam enorme, & Ecclesiæ Dei tam perniciosum, remaneat, ob probationum defectum, impunitum, cùm difficilis sit probationis, testibus etiam singularibus, concurrentibus præsumptionibus, indiciis, & aliis adminiculis, delictum probatum esse arbitrio suo judicandi, & Curiæ sæculari, ut præfertur, reum tradendum esse, pronunciandi.

§. 6. Non obstantibus omnibus, quæ dictus prædecessor in suis litteris prædictis voluit non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 7. Mandantes omnibus Confessariis, ut suos pœnitentes, quos noverint fuisse ab aliis, ut supra, sollicitatos, moneant de obligatione denunciandi solicitantes, seu, ut præfertur, tractantes, Inquisitoribus, seu locorum Ordinariis prædictis: quòd si hoc officium prætermiserint, vel pœnitentes docuerint non teneri ad denunciandum Confessarios solicitantes, seu tractantes, ut supra; iidem locorum Ordinarii, & Inquisitores illos pro modo culpæ punire non negligant.

§. 8. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra ubique habeatur, quæ præsentibus haberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

§. 9. Quodque eædem præsentes litteræ seu illarum exempla ad valvas Basilicarum S. Joannis Lateranen. ac Principis Apostolorum de Urbe, & in acie Campi Floræ affixæ, omnes ita arctent, & afficiant, ac si unicuique personaliter intimatæ fuissent.

Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die xxx. Augusti MDCXXII. Pontificatus nostri anno secundo.

Anno à Nativitate D. N. Jesu Christi millesimo sexcentesimo vigesimo secundo, indictione quinta, die vero prima mensis Septembris, Pontificatus sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Gregorii, divina providentia Papæ XV. Anno ejus secundo: retroscripta Constitutio sive littera Apostolica affixa fuerunt ad valvas sancti Joannis Lateranen. & Principis Apostolorum Basilicarum de Urbe, & in acie Campi Floræ, ut moris est, per me Brandimartem Latinum Apostolicum cursorem.

Octavius Spada Magister Cursorum.

GREGORII XIII. CONSTITUTIO XXI.

Jurisdictio Inquisitorum hæreticæ pravitatis; in eos qui ad ordinem presbyteratus minimè promoti, Missas celebrant, & Pœnitentiæ Sacramentum ministrant.

Gregorius Papa XIII. Ad perpetuam rei memoriam.

Officii nostri partes sedulò præstare tenemur, ut dubia quæ variis Doctorum opinionibus hinc inde diversa sentientibus agitantur, ad jurisdictionem Sanctissimi Officii Inquisitionis hæreticæ pravitatis pertinent, nostræ declarationis oraculo (prout ratio ipsa suadere videtur) dilucidentur, ut nulla cuiquam dubitandi occasio in posterum relinquatur.

§. 1. Ad aures nostras siquidem nuper pervenit, multos esse qui dubitent, an contra eos qui in sacro presbyteratus ordine non constituti, Missas celebrare, confessiones audire, ac absolutionem impartiri, ausi fuerint, per Officium Sanctissimæ inquisitionis hæreticæ pravitatis in Hispaniarum Regnis institutum, & illius Inquisitores procedendum, vel etiam animadvertendum sit, ac hi, qui talia patraverint, per Inquisitores prædictos puniri debeant. Nam etsi multorum sententia affirmetur, prædictum delictum ab Inquisitoribus plectendum esse, hisce præsertim temporibus, quibus hæretici temerè audent proferre, etiam seculares eorum sacramentorum ministros esse posse; non desunt tamen hi, qui contrariæ adhærent opinioni, unde plerunque per eorundem Regnorum Inquisitores, diversa feruntur in hujusmodi causis suffragia.

§. 2. Nos itaque, ut omnis difficultas dubitatioque tollatur, animadvertentes, eos qui presbyteratus ordine non sunt insigniti, & se in administrandis dictis Sacramentis ingerunt, facto catholicam veritatem impugnare, quæ solos presbyteros ministros eorumdem sacramentorum constituendo, illis duntaxat quibus eadem munera congruere existimavit, committi voluit, eorum qui in presbyteratus ordine non constituti Missas celebrant ac confessiones audiunt, ut præfertur, cognitionem & punitionem, etiam ad Inquisitionis officium, & Inquisitores ante dictos pertinere, & quod hujusmodi delicti ratione, adversus eos inquirere, procedere, ac culpabiles repertos punire, officium, & Inquisitores prædicti valeant, Apostolica auctoritate præsentium tenore perpetuò declaramus & diffinimus.

§. 3. Et ita ab omnibus & singulis Ordinariis & delegatis judicibus, sublata eis, & eorum cuilibet quavis alia judicandi & interpretandi facultate, judicari & diffiniri debere, irritum quoque & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, nec non juribus municipalibus legibus regnorum prædictorum pragmaticisque sanctionibus, ac statutis & consuetudinibus Civitatum & locorum quorumcunque dictorum regnorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis forsan per Nos, ac quoscunque alios Romanos Pontifices prædecessores nostros, sub quibusvis verborum formis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, etiam motu proprio, & ex certa scientia, seu de Apostolicæ potestatis plenitudine, vel ad supplicationem Regum, Ducum, & aliorum Principum concessis & confirmatis, quibus omnibus illorum tenores præsentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romæ apud sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, die sexto Augusti, millesimo quingentesimo septuagesimo quarto anno à Nativitate Domini, Pontificatus autem nostri anno tertio.

LXXXI.

Quod Inquisitores hæreticæ pravitatis, & locorum Ordinarii, eos qui ad presbyteratus ordinem non promoti, Missas celebrant, vel Sacramentum Pœnitentiæ ministrant,

prævia

prævia degradatione, Curiæ sæculari debitis ab ea plectendis pœnis tradant.

Clemens Papa VIII. Ad perpetuam rei memoriam.

Et si aliàs fel. rec. Paulus Papa IV. prædecessor noster, ad nefariam & sacrilegam quorundam hominum temeritatem coercendam, qui cùm ad sacrum presbyteratus ordinem minimè promoti sint, Sacerdotis tamen auctoritatem sibi temerè assumentes, Missarum celebrationem usurpare, & Sacramentum Pœnitentiæ ministrare præsumunt, decreverit hujusmodi delinquentes à Sanctæ Inquisitionis Judicibus tradi debere Curiæ sæculari debita animadversione puniendos.

§. 1. Et postea rec. mem. Sixtus Papa IV. etiam prædecessor noster prædictum Pauli IV. decreti innovari, ac seriò observari mandaverit, eo tamen dictorum hominum prompit audacia, ut prætextu ignorationis hujusmodi decretorum ac pœnarum contra ipsos, ut præfertur, inflictarum, illis se minimè subjacere, & obnoxios esse putent; ac propterea se ab eisdem liberari & absolvi posse prætendant.

§. 2. Nos igitur animadvertentes, hujusmodi perditos & nefarios homines ad sacrum presbyteratus ordinem non promotos, Missarum celebrationem usurpare præsumentes, non solum actus idololatriæ saltem extrinsecè, seu per externa & visibilia Religionis & pietatis signa exercere, sed etiam quantum in ipsis est efficere ut Christi fideles, qui credunt eos ordinatos esse, & ritè conficere Sacramentum Eucharistiæ, idololatriæ crimen ignoranter incurrant, purum, videlicet Panem & Vinum, tanquam verum Christi Domini nostri corpus & sanguinem eisdem adorandum proponentes. Confessiones autem audientes, non solum Sacramenti Pœnitentiæ dignitatem contemnere, verum etiam Christi fideles decipere, dum scilicet iniquè sibi assumunt gradum Sacerdotalem, & auctoritatem absolvendi à peccatis magno cum periculo & scandalo plurimorum.

§. 3. Propterea, ut gravissima hæc scelera committentes, & posthac debito supplicio puniantur, Motu proprio & ex certa nostra scientia, ac matura deliberatione, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, S. Inquisitionis Judicum conscientiæ consulere, & ne in futurum de pœna hisce delinquentibus imponenda dubitari possit, providere volentes, supradictorum prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, hac perpetuò valitura constitutione decernimus atque statuimus, ut quicunque non promotus ad sacrum presbyteratus ordinem, repertus fuerit Missarum celebrationem usurpasse, vel Sacramentalem confessionem audivisse, à Judicibus sanctæ Inquisitionis, vel locorum Ordinariis tanquam Ecclesiæ misericordia indignus à foro Ecclesiastico abjiciatur, & ab ordinibus Ecclesiasticis, si quos habuerit, ritè degradatus, statim Curiæ sæculari tradatur, per Judices sæculares debitis pœnis plectendus.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac in Conciliis etiam generalibus editis, etiam in corpore juris clausis. Quibus omnibus & singulis illarum tenores pro sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, specialiter & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

§. 5. Ut autem hujusmodi constitutionis ignorantia de cætero allegari aut prætendi numquam possit, atque præsentes litteræ omnibus innotescant, volumus illas ad valvas S. Joannis Lateranen. & Principis Apostolorum de Urbe Basilicarum, & in acie Campi Floræ more solito publicari & affigi, atque iis inde amotis, earumdem exempla etiam impressa ibi affixa relinqui, factaque hujusmodi publicatione, omnes qui in Urbe post mensem, qui verò extra eam & citra Montes, post quatuor menses, qui demum ultra Montes fuerint, post decem menses à die publicationis præsentium computandos afficere & arctare, ac si eorum cuilibet personaliter intimatæ fuissent.

§. 6. Ac præterea mandamus earundem præsentium litterarum exemplis etiam impressis, & manu Notarii publici subscriptis, & sigillo Officii Sanctæ Romanæ Inquisitionis, vel alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eandem prorsus fidem haberi, quæ hisce præsentibus haberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die prima Decembris, 1601. Pontif. nostri anno 10.

Anno à Nativitate Domini 1601. Indictione 14. die verò 5. Decembr. Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Clementis divina providentia Papa Octavi, Anno ejus X. Supradicta Constitutio fuit affixa ad valvas S. Joannis Lateranen. & Principis Apostolorum de Urbe Basilicarum, & in acie Campi Floræ, ut moris est, per me Hieronymum Latium S. D. N. Papæ Cursorem.

LXXIX.

Ampliatio Constitutionis à Clem. Octavo contra non promotos ad sacrum Presbyteratus ordinem, sacramentales confessiones audientes, aut Missam celebrantes, Curiæ sæculari prævia degradatione tradendos editæ, ad omnes etiam minores viginti-quinque annis, dummodo vigesimum ætatis annum compleverint.

Urbanus Papa VIII. Ad perpetuam rei memoriam.

Apostolatus officium, cui meritis licèt imparibus, disponente Deo, præsidemus, à nobis postulat, ut quantum nobis ex alto conceditur, delinquendi fiduciam compescamus in iis præsertim, quorum eò sacrilega processit audacia, ut se beneficio minoris ætatis, spretis Apostolicis constitutionibus, confoveant tu delictis, quorum statutis pœnis se idcirco jactant minimè subjacere.

§. 1. Aliàs siquidem à felicis recordationis Clemente Papa VIII. prædecessore nostro emanarunt litteræ tenoris subsequentis; videlicet, *Clemens Papa VIII. ad perpetuam rei memoriam. Et si aliàs felicis recordationis Paulus IV.* ut *supra.*

§. 2. Cùm itaque sicut accepimus, nonnulli privilegio minoris ætatis nimis temerè confisi, & legum indulgentia freti, pœnas à d. Clementis prædecessoris constitutione in hujusmodi delinquentes statutas parvipendere præsumant.

§. 3. Nos detestantes, & quantum in Nobis est, cohibere volentes impiam, & nefariam horum temeritatem, qui atrocissimo hoc scelere Catholicam veritatem, quæ solos Presbyteros dictorum Sacramentorum ministros esse docuit, facto impugnant, negotio hujusmodi in Congregatione venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium generalium Inquisitorum coram nobis habita, maturè discusso, inhærentes constitutioni prædictæ, aliisque decretis per fel. record. Paulum IV. & Sixtum V. Romanos Pontifices prædecessores nostros contra similia perpetrantes editis, eaque etiam ad effectum prædictum matura deliberatione, deque Apostolicæ potestatis plenitudine ampliantes, & extendentes hac nostra perpetuò valitura constitutione statuimus, & decernimus, ut de cætero perpetuis futuris temporibus,

qui

qui imposterum ad sacrum Presbyteratus Ordinem non promotus Missam celebrare, aut sacramentalem confessionem audire præsumpserit, ætate minori annis viginti quinque non excusetur, quominus eidem Clementis constitutioni subjiciatur, dummodo vigesimum suæ ætatis annum compleverit.

§. 4. Ipseque non promotus sic delinquens, nulla habita consideratione præfatæ minoris ætatis, sive Laicus, sive Clericus secularis, aut cujusvis Ordinis, Congregationis, Societatis, etiam de necessitate exprimendæ regularis, aut cujusvis alterius instituti, etiam quantumvis exempti, & privilegiati, Nobisque & Apostolicæ Sedi immediatè subjecti, nec non Militiarum quarumcunque, etiam Sancti Joannis Hierosolymitani fuerit, tradatur Curiæ seculari pœnis debitis plectendus.

§. 5. Sicque & non aliter per quoscumque sanctæ Inquisitionis Judices, & Inquisitores, etiam generales Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, & locorum Ordinarios, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus. Quocirca omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore quomodolibet spectabit, in virtute sanctæ obedientiæ districtè præcipiendo mandemus, quatenus statutum, decretum, & constitutionem hanc nostram inviolabiliter observent, & observari faciant.

§. 6. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac in Conciliis, etiam generalibus, editis, etiam in corpore Juris clausis, nec non Legibus, Statutis Decretis, Consuetudinibus, & Prilegiis, ad favorem minorum vigintiquinque annis, quomodolibet, & ubicunque locorum editis, ac aliàs in ipsorum favorem facientibus, Apostolica etiam confirmatione, ac juramento, seu quavis firmitate alia roboratis. Quibus omnibus, & singulis, illorum ten. præsentibus pro sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

§. 7. Volumus autem, harum litteratum publicationem, & affixionem fieri juxta formam in prædicta Clementis constitutione præscripta, easque publicatas, & affixas omnes intra Urbem, & extra, tam citra, quàm ulra montes, & mare, post tempus in ipsa Clementis constitutione præfixum arctare, & afficere, ac si cuilibet personaliter intimatæ fuissent.

§. 8. Mandamus pariter, ut earumdem transumtis etiam impressis, manuque Notarii publici subscriptis, & sigillo Officii Sanctæ Romanæ Inquisitionis, vel alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem quæ præsentibus hisce adhiberetur fides adhibeatur.

Datum Romæ apud Sanctam Petrum sub Annulo Piscatoris, die 23. Martii 1628. Ponilicatus nostri anno quinto.

Anno à Nativitate Domini Nostri Jesu Christi millesimo sexcentesimo vigesimo octavo, Indictione undecima, die vero decima Septembris, Pontificatus in Christo Patris, D.N.D. Urbani, divina providentia Papa VIII, Anno ejus sexto, retroscripta littera Apostolica affixa, & publicata fuerunt ad valvas Basilicarum sancti Joannis Lateranen. & Principis Apostolor. de Urbe, & in acie Campi Floræ, dimissis præsentibus litteris per aliquantulum temporis spatium, ut moris est, affixis ac deinde amotis, postea earumdem exempla etiam impressa, & affixa relicta fuerunt per nos Franciscum Pignoccatum, & Camillum Fundatum, S.D.N. Papa Cursores.

Brandimartes Latinus Sanctiss. D. N. Papa Cursor, pro Mag. DD. Cursorum.

XVII.

Contra exercentes artem Astrologiæ judiciariæ, & alia quæcunque divinationum genera, librosque legentes vel tenentes.

Sixtus Episcopus servus servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

COeli & terræ Creator Deus, quem unum Omnipotentem corde credimus ad justititam, & ore confitemur ad salutem, etsi homini, quem ad imaginem & similitudinem suam creavit, mentem dederit, quæ non solum divino fidei lumine illustrata, mysteria illa cognosceret, quæ humanam intelligentiam superant, sed etiam naturæ suæ vi, magno cum labore, præclara multa investigaret, atque intelligeret, tamen ut superbum animal homo non altum saperet, sed timeret, & immensam Conditoris sui majestatem humi stratus veneraretur, sibi soli eorum quæ eventura sunt, scientiam & futurarum rerum cognitionem reservavit. Solus enim ipse, cujus oculis omnia nuda, & aperta sunt, & ad intimas hominum cogitationes penetrat, & consequentes eorum actiones intuetur, solus ipse, qui vocat ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt, omnia præsentia, & ante oculos posita habet, solus denique omnia & singula quæcunque totius temporis decursu, & sæculorum ætatibus futura sunt, ab omni æternitate novit, & admirabili providentia disposuit, quæ non modo humanæ mentis imbecillitas ignorat, sed nec dæmones ipsi præsentire possunt. Quare idolorum in futuris annunciandis falsitatem & imbecillitatem, & eorum, qui eis cultum adhibebant, vanitatem irridet Spiritus sanctus apud Isaiam illis verbis: Annunciate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus, quia Dii estis vos. Et in novo Testamento CHRISTUS Dominus discipulorum suorum de futuris eventis paulo cupidiùs inquirentium, interrogationem gravi illa responsione retudit, qua etiam omnium fidelium suorum curiositatem coërcuit. Non est vestrum scire tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate. Nec vero ad futuros eventus & fortuitos casus prænoscendos (futuris eventibus ex naturalibus causis necessariò vel frequenter provenientibus, quæ ad divinationem non pertinent, duntaxat exceptis;) ullæ sunt veræ artes aut disciplinæ, sed fallaces, & vanæ, improborum hominum astutia, & dæmonum fraudibus introductæ, ex quorum operatione, consilio vel auxilio omnis divinatio dimanat, sive quod expressè ad futura manifestanda invocentur, sive quod ipsi pravitate sua, & odio in genus humanum, occultè, etiam præter hominis intentionem se ingerant, & intrudant vanis inquisitionibus futurorum, ut mentes hominum perniciosis vanitatibus, & fallaci contingentium prænunciatione implicentur, & omni impietatis genere depraventur. Quæ quidem ipsis cognita sunt, non divinitate aliqua, nec vera futurarum rerum scientia, sed naturæ subtilioris acumine, & aliis quibusdam modis, quos hominum obtusiot intelligentia ignorat. Quamobrem dubitandum non est, in hujusmodi futurorum contingentium, & fortuitorum eventuum inquisitione, & præcognitione, diaboli operationem se fallaciter immiscere, ut sua fraude ac dolis, miseros homines à via salutis avertat, & laqueo damnationis involvat. Quæ cùm ita sint, nonnulli hæc fideliter & religiosè, ut debent, non attendentes, sed curiosa sectantes, & graviter Deum offendunt, errantes ipsi & alios in errorem mittentes, tales inprimis sunt Astrologi, olim Mathematici, Genethliaci, & Planetarii vocati, qui vanam falsamque syderum & astrorum scientiam profitentes, divinæque dispositionis ordinationem, suo tempore revelandam prævenire audacissimè satagentes, hominum nativitates seu geni-

turas,

turas, ex motu ſyderum, & aſtrorum curſu metiuntur, ac judicant futura, ſive etiam præſentia, & prætenta occulta, atque ex puerorum ortu & natali die, ſive quavis alia temporum & momentorum vaniſſima obſervatione, & notatione, de uniuscujusque hominis ſtatu, conditione, vitæ curſu, honoribus, divitiis, ſobole, ſalute, morte, itineribus, certaminibus, inimicitiis, carceribus, cædibus, variis diſcriminibus, aliisque proſperis, & adverſis caſibus & eventibus præcognoſcere, judicare, & affirmare temerè præſumunt, non ſine magno periculo erroris & infidelitatis; cùm S. Auguſtinus præcipuum Eccleſiæ lumen, eum, qui hæc obſervat, qui attendit, qui credit, qui in domum recipit, qui interrogat, Chriſtianam fidem & baptiſmum prævaricaſſe affirmet, ut illos meritò Apoſtolus arguat atque increpet illis verbis: Dies obſervatis & menſes, & tempora, & annos, timeo vos ne forte ſine cauſa laboraverim in vobis. Hi igitur leviſſimi & temerarii homines in miſerandam animarum ſuarum ruinam, grave fidelium ſcandalum & Chriſtianæ fidei detrimentum, futuros rerum eventus & quæcunque proſperè vel adverſè obventura ſunt, ac actus humanos, ea denique quæ ex libera hominum voluntate proficiſcuntur, aſtris, ſyderibusque adſcribunt, eisque eam facultatem, vim, ſeu virtutem & efficaciam tribuunt ſignificandi futura; & ad præcognita ita inclinandi, ut ſic omnino nec aliter eventura ſint, atque ob eam cauſam de iis rebus omnibus judicia facere prognoſtica, prædictiones, & præcognitiones ſibi aſſumere, & palam venditare non dubitant, quibus pauci rudes, & imperiti, aliique nimis creduli & imprudentes tantam fidem præſtant, ut ex hujusmodi judiciorum, & prædictionum præſcripto, aliquid certo eſſe credant aut ſperent, quorum ſanè & mendacium magiſtrorum temeritas, & infelicium diſcipulorum credulitas magnopere deploranda eſt, qui vel divinis litteris admoniti non intelligunt hominis præſtantiam, cui Cœli & Stellæ, & clariſſima Cœli ſydera, Sol & Luna, Deo ita diſponente, non imperant, ſed inſerviunt, ſic enim Moyſes populum Dei, ut hunc errorem caveret, præmonebat: Ne forte elevatis oculis ad Cælum, videas Solem & Lunam, & omnia aſtra Cæli, & errore deceptus adores ea, & colas, quæ creavit Dominus Deus tuus in miniſterium cunctis gentibus, quæ ſub Cælo ſunt. Sed quid ſydera mirandum eſt homini ſervire? nonne nobiliſſimæ intelligentiæ Angeli ipſi, omnes ſunt adminiſtratorii ſpiritus, in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis? nam rationales oves ita diligit Deus, ut non ſolum Epiſcopos, quemadmodum à S. Ambroſio ſcriptum eſt, ad tuendum gregem ordinaverit, ſed etiam Angelos deſtinaverit. Præclarè etiam S. Hieronymus: Magna dignitas animarum, ut unaquæque habeat ab ortu nativitatis in cuſtodiam ſui Angelum delegatum. Quod ſi Angeli homines cuſtodiunt, quid adverſus Angelorum cuſtodiam & tutelam aſtra moliri, aut efficere poterunt, quæ cum ipſis Angelis nullo modo ſint comparanda. Nec ſanè hoc loco prætereunda eſt eximii Eccleſiæ Doctoris & Beatiſſimi Pontificis Magni Gregorii ſententia, qui Priſcillianiſtas hæreticos unumquemque hominum ſub conſtitutionibus ſtellarum naſci putantes, magno rerum, & verborum pondere confutat. Abſit, inquit, à fidelium cordibus, ut aliquid eſſe Fatum dicant, vitam quippe hominum ſolus hanc conditor, qui creavit, adminiſtrat, neque enim propter ſtellas homo, ſed ſtellæ propter homines factæ ſunt, etſi ſtella fatum hominis eſſe dicitur, ipſis ſuis miniſteriis ſubeſſe homo perhibetur. Utinam inſani homines hæc ſaperent, & intelligerent, ac Dei monitis obtemperarent in Levitico dicentis: Non declinetis ad Magos, nec ab Ariolis aliquid ſciſcitemini, ut polluamini per eos. Neque enim quæ Chriſtiana & vera pietas repellit ac damnat, tanto ſtudio inveſtigarent, iisdemque miſerè ſe decipi, atque irretiri paterentur. Sunt etiam inanes quidam homines & curioſi vel impii & irreligioſi, qui futurarum & occultarum aliarum rerum notitiam adeo anxiè habere ſtudent, ut ob eadem prænoſcenda & inveſtiganda in divinæ legis offenſionem multipliciter incurrant. Alii enim Geomantiæ, Hydromantiæ, Aeromantiæ, Pyromantiæ, Onomantiæ, Chiromantiæ, Necromantiæ, aliisque ſortilegiis & ſuperſtitionibus, non ſine Dæmonum ſaltem occulta ſocietate, aut tacita pactione, operam dare, ſeu illis, ac ſonibus illicitis taxillorum, granorum triticeorum, vel ſabarum jactu uti non verentur. Alii verò aliquas priſtinæ & antiquatæ, ac per Crucis victoriam proſtratæ Idololatriæ reliquias retinentes, quibusdam auguriis, auſpiciis, ſimilibusve ſignis, & vanis obſervationibus ad futurorum divinationem intendunt. Alii autem ſunt, qui cum Morte fœdus ineunt, & pactum faciunt cum Inferno, qui ſimiliter ad occultorum divinationem, ad inveniendos theſauros, vel ad alia facinora perpetranda, etiam expreſſa cum Diabolo pactione facta, in manifeſtam ſuarum perniciem animarum, nefarias magicæ artis incantationes, inſtrumenta, & veneficia adhibent, circulos & diabolicos characteres deſcribunt, Dæmones invocant, aut conſulunt, ab eis reſponſa petunt, aut accipiunt, eis preces, & thuris, aut aliarum rerum ſuffimenta, ſeu fumigationes, aliave ſacrificia offerunt, candelas accendunt, aut rebus ſacris, vel Sacramentis, aut Sacramentalibus ſacrilegè abutuntur, adorationis, genuflexionis, aut quævis alia impietatis obſequia præſtant, cultum, venerationémve tribuunt, aut annulum, vel ſpeculum, aut parvas phialas ſibi fabricant, aut fabricari curant ad Dæmones in eis alligandos, ſeu includendos, ut putant, ad reſponſa ab ipſis inde petenda, aut habenda. Alii præterea etiam in corporibus obſeſſis, vel lymphatis, & phanaticis mulieribus Dæmones, de futuris vel occultis rebus, aut factis exquirunt, ut meritò ab eis, quos Dominus in Evangelio tacere imperavit, vanas, mendacesque referant reſponſiones. Alii quoque præſtigiatores, frequentiùs verò mulierculæ quædam ſuperſtitionibus deditæ, in phialis, ſeu vaſculis vitreis aqua plenis, vel in ſpeculo accenſis candelis, etiam benedictis ſub nomine Angeli Sancti, & Albi, Diabolum omnium malorum ſatorem, ſupplices adorantes, vel in unguibus, aut palma manus, quandoque etiam oleo perunctis, eundem omnium fallaciarum architectum orant, ut ſimiliter futura, vel occulta quævis ſpectra, & apparentes imagines, ſeu phantaſticas viſiones ſibi oſtendat, aut ab eodem patre mendacii Diabolo aliis incantationibus, aut variis ſuperſtitioſis obſervationibus, futurorum & occultorum hujusmodi veritatem quærunt, & hominibus prædicere contendunt. Quorum omnium, quos ſupra enumeravimus conſimilis impietas parem exitum habet, nimirum quod Dæmonis præſtigiis ac dolis, tum qui divinant, tum qui divinationem expetunt illuſi, ac deluſi miſerrimè reperiuntur. Itaque cùm futuros eventus in ſeipſis conſiderare antequam fiant, ſit Dei proprium, illud neceſſariò conſequitur, ut aſtrologi, & alii prædicti qui hujusmodi futura prænunciare, aut prænoſcere quocunque modo, niſi à Deo revelante audent, injuſtè atque imprudenter, quod Dei eſt, ſibi aſſumant & uſurpent. Sic fit, ut dum ab eis, quod ſolius eſt Creatoris perperam creaturis tribuitur, divina majeſtas graviter lædatur, fidei integritas violetur, & animabus pretioſo Chriſti ſanguine redemptis, peſtis, atque exitium importetur.

§. 2. Et licet jampridem regulis Indicis librorum prohibitorum ex decreto ſacri generalis Trident. Concilii confecti, illud inter cætera conſtitutum fuerit, ut Epiſcopi diligenter providerent, ne hujusmodi Aſtrologiæ

logiæ judiciariæ libri, tractus & indices legerentur vel haberentur, qui de futuris contingentibus, successibus, fortuitisve casibus, aut iis actionibus quæ ab humana voluntate pendent, certò aliquid eventurum affirmare audent, permissis tamen judiciis, & naturalibus observationibus, quæ navigationis, agriculturæ, sive medicæ artis juvandæ gratia conscripta fuissent. Libros verò omnes & scripta Geomantiæ, Hydromantiæ, Chiromantiæ, Necromantiæ, sive in quibus continentur sortilegia, veneficia, auguria, auspicia, incantationes artis magicæ, prorsus rejici, & aboleri curarent. Non tamen errorum, corruptelarum, delictorum & abusuum prædictorum extirpationi usque adeo provisum est, quin etiam adhuc in nonnullis locis, & apud plurimos curiosius vigeant, cum valde frequenter, detectis diaboli insidiis, divinationum, sortilegiorum, & variarum superstitionum omnia plena esse indies deteguntur.

§. 3. Nos, igitur, qui pro nostro pastoralis officii munere fidei integritatem inviolatam conservare debemus, & animarum saluti prospicere, quantum divina gratia adjutrice possumus, ex paternæ charitatis visceribus optamus, damnantes & reprobantes omne genus divinationum, quæ diabolo auctore ad fidelium deceptionem à prædictis curiosis, vel perditis hominibus fieri solent. Cupientes præterea sanctam illam Christianæ Religionis simplicitatem, præsertim ubi agitur de summa Creatoris Dei potestate, sapientia, & providentia ab omni erroris labe, integram atque incorruptam, ut par est, retineri. Volentes quoque prædictæ falsæ credulitati, ac hujusmodi illicitarum divinationum, & superstitionum detestabili studio, & execrandis flagitiis, atque impuritatibus occurrere, ut de Christiano populo meritò dici possit, quod de antiquo Dei populo scriptum est: Non est augurium in Jacob, neque divinatio in Israël. Hac perpetuò valitura constitutione, Apost. auctoritate statuimus & mandamus, ut tam contra Astrologos, Mathematicos, & alios quoscumque dictæ Judiciariæ Astrologiæ artem, præterquam circa agriculturam, navigationem, & rem medicam in posterum exercentes, aut facientes judicia, & nativitates hominum, quibus de futuris contingentibus, successibus, fortuitisque casibus, aut actionibus ex humana voluntate pendentibus aliquid eventurum affirmare audent, etiam si id se non certò affirmare asserant, aut protestentur, quàm contra alios utriusque sexus, qui supradictas damnatas, vanas, fallaces, & perniciosas divinandi artes, sive scientias exercent, profitentur & docent aut discunt, quive hujusmodi illicitas divinationes, sortilegia, superstitiones, veneficia, incantationes, ac præmissa detestanda scelera & delicta, ut præfertur, faciunt, aut in eis se quomodolibet intromittunt, cujuscunque dignitatis, gradus, & conditionis existant, tam Episcopi & Prælati, Superiores, ac alii Ordinarii locorum, quàm Inquisitores hæreticæ pravitatis ubique gentium deputati, etiamsi in plerisque ex his casibus antea non procedebant, aut procedere non valebant, diligentiùs inquirant & procedant, atque in eos severius Canonicis pœnis, & aliis eorum arbitrio animadvertant.

§. 4. Prohibentes omnes & singulos libros, opera, & tractatus hujusmodi judiciariæ Astrologiæ, Geomantiæ, Hydromantiæ, Pyromantiæ, Onomantiæ, Chiromantiæ, Necromantiæ, Artis Magicæ, aut in quibus sortilegia, veneficia, auguria, auspicia, execrabiles incantationes, ac superstitiones continentur, ac ut supra in memorato Indice interdictos sub censuris & pœnis in eo contentis à quibuscunque Christi fidelibus legi, aut quomodolibet retineri, sed illos Episcopis & Ordinariis locorum vel Inquisitoribus prædictis præsentari & consignari debere. Et nihilominus eadem auctoritate statuimus & mandamus, ut contra scienter legentes, aut retinentes libros & scripta hujusmodi, seu in quibus talia continentur, similiter iidem inquisitores liberè & licitè procedant, ac procedere & pœnis condignis punire & coërcere possint.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscunque.

§. 6. Ut autem præsentes nostræ litteræ ad communem omnium notitiam faciliùs deducantur, jubemus illas in valvis basilicarum S. Joannis Lateranensis & Principis Apostolorum de Urbe, ac in acia Campi Floræ affigi seu appendi, eisque detractis, ipsarum exempla etiam impressa eisdem in locis affixa relinqui.

§. 7. Et insuper universis & singulis venerabilibus fratribus nostris Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, locorum Ordinariis & Prælatis, nec non Inquisitoribus hæreticæ pravitatis ubilibet constitutis, per hæc committimus, & in virtute sanctæ obedientiæ districtè præcipiendo mandamus, ut per se, vel alium seu alios, easdem præsentes litteras, postquam eas receperint, seu earum notitiam habuerint, in suis & singulis parochialibus Ecclesiis, dum in eis populi multitudo ad divina convenerit, deinde verò semel in anno, & quoties eis expedire videbitur, vulgari sermone publicent, aut publicari faciant.

§. 8. Quia verò difficile foret præsentes litteras ad singula quæque loca in quibus de eis fides facienda erit deferri, volumus ut earum transumptis etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, ac parvo sigillo Sanctæ Romanæ & universalis Inquisitionis, aut alicujus Prælati, vel Curiæ Ecclesiasticæ munitis, eadem prorsus fides in judicio & extra ubique locorum adhibeatur, quæ eisdem originalibus litteris adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo, &c.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo octuagesimo quinto, Nonis Januarii, Pontificatus nostri anno 1.

Anno à Nativitate Domini 1586. indictione 14. die verò 9. mensis Januarii, Pontificatus S. D. N. D. Sixti divina providentia Papæ V. anno 1. retroscripta littera Apostolica affixa, lecta, & publicata fuerunt in valvis seu portis sancti Joannis Lateranensis, & sancti Petri Principis Apostolorum de Urbe, nec non Cancellariæ Apostolicæ, & aciei Campi Floræ, & per aliquod temporis spatium dimissa per nos Joannem Freile & Nicolaum Taglicttum Sanctiss. Domini nostri Papæ Cursores.

Alexand. Parabiccius Magister Cursorum.

IV. Aliàs CXIII.

Contra Astrologos Judiciarios, qui de statu Reipublicæ Christianæ, vel Sedis Apostolicæ, seu vita Romani Pontificis, aut ejus consanguineorum Judicia facere, nec non eos qui illos desuper consulere præsumpserint, cum innovatione similis Constitutionis Sixti Papæ V.

Urbanus Episcopus, Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

INscrutabilis Judiciorum Dei altitudo non patitur, ut humanus intellectus tenebroso corporis carcere con-

constrictus, super astra se extollens, arcana in sinu Divino recondita, & ipsis beatissimis Spiritibus ignota, nefaria curiositate, non solùm explorare, sed etiam tanquam explorata in Dei contemptum, Reipublicæ perturbationem, & Principum periculum arroganti, & pernicioso exemplo venditare præsumat.

§. 1. Hinc est, ut quamvis civilibus, canonicisque sanctionibus, ac novissimè fel. rec. Sixti Papæ V. prædecessoris nostri Constitutione desuper edita Astrologorum, Mathematicorum, Vaticinatorum, & aliorum qui eventura divinare, seu prædicere audent quosque uti homicidas & maleficos antiquitas æstimavit, illorum potissimum, qui de summa Reipublicæ, vel Principis salute judicia ferre præsumerent, ars, professio, sive exercitium gravibus pœnis inhibita esse noscantur. Attamen sicut accepimus, nonnulli iniquitatis filii propriæ pusillitatis obliti, ac levitate forsan, vel connivenția audentiores facti, vanamque fatidicorum æstimationem aucupantes, in deplorandam animarum suarum perditionem, graveque Christi fidelium scandalum, etiam de Reipublicæ, & Principum incolumitate, illis sollicitudinem, hominibus verò inquietis rerum novandarum occasionem ea ratione inferre satagentes, prognostica, & prædictiones verbo, vel etiam scripto edere non erubescunt.

§. 2. Nos itaque perniciosis hujusmodi ausibus, quantum nobis ex alto conceditur, obviam ire, ac quos Dei respectus in officio non continet, pœnarum gravitate, & severioris disciplinæ freno coërcere volentes, Motu proprio & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, Constitutionem per præfatum Sixtum prædecessorem desuper, ut præfertur, editam, Apostolica auctoritate, tenore præsentium perpetuò approbamus, confirmamus, & innovamus.

§. 3. Et insuper omnibus, & quibuscunque Laïcis cujuscunque sexus, conditionis, status, gradus, qualitatis, & dignitatis, etiam Marchionalis, vel Ducalis existentibus, qui de statu Reipublicæ Christianæ, vel Sedis Apostolicæ, sive de vita aut morte Romani Pontificis pro tempore existentis, ejusque usque ad tertium gradum inclusivè consanguineorum Mathematicos, Ariolos, Aruspices, Vaticinatorésve nuncupatos, vel alios Astrologiam judiciariam exercentes, seu aliàs quomodolibet profitentes de cætero consuluerint, sive desuper eorum judicia, prognostica, prædictiones seu præcognitiones etiam sibi oblatas receperint, illisve quomodolibet usi fuerint, vel illas penes se scienter retinuerint, aut alicui ostenderint, nec non iisdem Mathematicis, Ariolis, Aruspicibus, Vaticinatoribus, sive aliis Astrologiam Judiciariam, seu quamlibet artem divinatoriam quomodolibet profiten. qui Judicia, Prognostica, seu præcognitiones, & prædictiones super præmissis, etiamsi id non certo se affirmare protestentur fecerint, sive à se, vel ab aliis jam facta, seu factas imposterum penes se similiter retinuerint, vel alicui dederint, seu ostenderint, aut de eis quovis modo etiam improbando scripto, vel verbis tractaverint nedum excommunicationis majoris latæ sententiæ, sed etiam uti læsæ Majestatis reis, ultimi supplicii, ac confiscationis omnium bonorum suorum etiam Romanæ Curiæ officiorum, ac devolutionis quarumcunque Civitatum, Castrorum, & locorum Jurisdictionalium, & feudalium.

§. 4. Clericis quoque, & presbyteris, aliisque personis Ecclesiasticis, tam secularibus, quàm cujusvis Ordinis, Congregationis, Societatis, seu Instituti, vel Militiarum quarumcunque, etiam Hospitalis Sancti Jo. Hierosolymitani, aliisque quomodolibet exemptis, ac Nobis, & Apostolicæ Sedi immediatè subjectis, Regularibus utriusque sexus, ultra prædictas, etiam privationis beneficiorum, & dignitatum, ac officiorum Ecclesiasticorum etiam Monasteriorum, Prioratuum, & Præceptoriarum, ac aliorum quorumcunque, & inhabilitatis perpetuæ ad illa imposterum obtinenda, ita quod personæ Ecclesiasticæ prævia illarum degradatione Curiæ sæculari tradantur puniendæ, in Episcopali verò, Archiepiscopali, Metropolitana, Parochiali, Patriarchali, aut quacunque alia etiam superiori Ecclesiastica, vel mundana quantumvis sublimi, excellente, & speciali nota digna, etiam suprema constitutis dignitate, easdem excommunicationis, ac privationis etiam regiminis, & administrationis Ecclesiarum, & aliorum quorumcunque beneficiorum, & dignitatum quantumvis amplissimarum, & Patriarchali majorum, ac officiorum suorum, & inhabilitatis pœnas ipso facto incurren. Apostolica auctoritate tenore præsentium infligimus, & imponimus.

§. 5. Cognitionem autem causarum hujusmodi quoad personas Ecclesiasticas, tam seculares quàm regulares, in Urbe nostra, & illius districtu ad dilectos filios nostrum in ea Vicarium in spiritualibus generalem, nec non ejusdem Urbis Gubernatorem, ac causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Auditorem Generalem, & eorum quemlibet in solidum extra verò Urbem, & districtum prædictum in Provinciis, Nobis & Apostolicæ Sedi subjectis ad S.R.E. Cardinales in eisdem Provinciis, de latere Legatos, & Prolegatos, ac Præsides in dignitate Ecclesiastica constitutos pro tempore existentes, in aliis verò omnibus, & singulis provinciis, Regnis, Civitatibus, Oppidis, Castris, & locis, tam sub nostra, & dictæ Sedis, quàm cujusvis alterius Principis ditione comprehensis, privativè quoad omnes etiam Superiores Religiosorum, ipsisque Superioribus penitus exclusis, ad Ordinarios locorum, ubilibet verò locorum etiam ad hæreticæ pravitatis Inquisitores spectare volumus.

§. 6. Mandantes dilectis filiis nostris, & dictæ Sedis de Latere Legatis, & eorum Vicelegatis, & Præsidibus prædictis nunc, & pro tempore existentibus, nec non Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis singulis, videlicet, in suis Civitate, & Diœcesi, & quoad loca intra fines alicujus Diœcesis, non tamen de Diœcesi existentia ipsarum Diœcesum, intra quarum fines eadem loca extiterint, quo verò ad ea, quæ extra fines alicujus Diœcesia consistunt, vicinoribus eorundem locorum Ordinariis, ac etiam Inquisitoribus prædictis, quatenus ad instantiam cujusvis Fisci, vel denunciatoris, ac etiam ex eorum officio causarum hujusmodi cognitiones suscipientes, prævia etiam avocatione à quibusvis aliis suprà non expressis, nec à nobis specialiter delegatis in causis ipsis modo præmisso procedant omnibus juris & facti remediis opportunis, invocato etiam auxilio brachii secularis.

§. 7. Inhibentes insuper Decanis, & Capitulis Ecclesiarum Cathedralium Metropolitanarum, & Patriarchalium, nec non quorumvis Ordinum, & locorum Regularium, Societatum, & Institutorum, ac etiam Hospitalis prædictorum Superioribus Conventibus, & Fratribus quantumvis exemptis, ne sub privationis beneficiorum, & officiorum quorumcunque per eos respectivè obtentorum, ac similiter inhabilitatis ad alia in futurum obtinenda, vocisque activæ, & passivæ, nec non excommunicationis latæ sententiæ eo ipso incurrendis pœnis, Ordinarios locorum, nec non Legatos, seu Vicelegatos, aliosque prædictos in causis hujusmodi procedentes quoquo modo impedire, molestare seu perturbare audeant, vel præsumant, ac etiam mandantes, ut quoties ad id fuerint requisiti, Religiosos ipsos, etiam si alicujus loci regularis Superiores actu fuerint Ordinariis, Legatis, seu Vicelegatis, ac aliis prædictis, seu quibus iidem mandaverint,

rint, consignent cum scripturis & actis si quæ facta fuisse reperiantur.

§. 8. Sicque & non aliter in præmissis per quoscunque Judices Ordinarios, Delegatos, & Commissarios, ac etiam Cameræ Apostolicæ Clericos, Præsidentes, nec non causarum Palatii Apostolici, & Curiæ ejusdem Cameræ generales auditores, ac S. R. E. Camerarium, & alios Cardinales etiam de latere Legatos, nec non Vicecamerarium, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate ubique judicari, & diffiniri debere, irritum quoque, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

§. 9. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, nec non nostra in numero septuagesima, & aliis Cancellariæ Apostolicæ Regulis, Provinciarum, Regnorum, Civitatum, Terrarum, Oppidorum, Locorum, Ecclesiarum, Monasteriorum, Militiarum, Hospitalium, etiam S. Joannis prædictorum, aliorumque Religiosorum & piorum locorum, etiam juramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis eisdem Provinciis, Regnis, Civitatibus, Terris, Oppidis, Locis, Ecclesiis, Monasteriis, Hospitalibus, & Militiis prædictis & aliis piis locis, ac illorum Universitatibus, Capitulis, Superioribus, & personis in contrarium, forsan quomodolibet concessis approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum inferentur, præsentibus pro expressis habentes illis aliàs in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter, & expressè harom serie derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

§. 10. Volumus autem, quod præsentes litteræ in valvis Ecclesiæ Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, ac Cancellariæ Apostolicæ, nec non in acie Campi Floræ publicentur, & affigantur, quæ postquam sic affixæ, & publicatæ fuerint, quoscunque tam in Statu nostro temporali, quàm extra eum, ubique locorum perinde arctent, & afficiant, ac si unicuique nominatim, & personaliter intimatæ fuissent.

§. 11. Quodque earum exemplis, etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra, ubique adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

§. 12. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ approbationis, confirmationis, innovationis, inflictionis, impositionis, inhibitionis, decreti, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ 1631. Kalend. Aprilis, Pontificatus nostri anno 8.

In Dei nomine Amen. Anno à Nativitate Domini Nostri JesuChristi millesimo sexcentesimo trigesimo primo, die verò decima mensis Aprilis, Indictione decima quarta, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Urbani Papæ VIII. Anno ejus octavo, supradicta Littera Apostolica præsentata, & affixa fuerunt, ac dimissis copiis ad Basilicas Ecclesiarum sancti Joannis Lateranensis, & Principis Apostolorum Urbis, & in Cancellaria Apostolica, & in acie Campi Floræ, ac aliis locis solitis consuetis Urbis, per nos Augustinum de Bolis, & Joannem Radicam, Sanctissimi Domini Nostri Papæ Cursores.

Matthias Spada Mag. Curs.

XLII.

Quod Itali extra Italiam non habitent in locis, ubi liber & publicus cultus, sive usus Catholicæ Religionis non existat.

Clemens Papa VIII. Ad futuram rei memoriam.

Cum sicut non sine magno animi nostri dolore accepimus, quamplures Christi fideles ex diversis Italiæ partibus, eorum patriis, ubi vera & sancta Catholica & Apostolica Religio viget, & publicè prædicatur, discedentes, abeant in longinqua loca, ubi non solum hæreses impunè grassantur, sed quod pejus est, Catholicæ Religionis usus publicè interdicitur & prohibetur, quo fit, ut personæ ibi permanentes, etiamsi Catholicæ sint, cogantur tamen contra eorum pia desideria, sacrosanctæ Missæ sacrificio, aliisque divinis Officiis, ac Sanctorum Sacramentorum perceptione, in suarum animarum discrimen diutius carere. 51

§. 1. Quare nos, his & aliis malis, & periculis inde provenientibus, quantum cum Domino possumus, obviare cupientes, hac nostra in perpetuum valitura constitutione statuimus & ordinamus, ut de cætero nullus Italus, sive Mercator, sive cujusvis alterius conditionis, vel status existat, quovis quæsito colore, prætextu vel ingenio audeat habitare, vel domicilium tenere in Civitate, Oppido seu loco, ubi aliqua Ecclesia cum Parocho, vel Pastore, seu Sacerdote Catholico non existat, in qua liberè & sine omni periculo palam & publicè celebrari, & audiri possint sacrosanctæ Missæ, & alia divina Officia, & conciones, ac Sacramenta Ecclesiastica ministrari, mortuorum corpora sepeliri, & cætera fieri juxta ritum S. R. E.

§. 2. Utique iidem Itali abstineant à Matrimoniis cum hæreticis mulieribus, & ab hæreticorum sepulturis, filios suos de sacro fonte levari per hæreticos non permittant, nec ipsi vicissim hæreticorum filios, nisi per Catholicum Sacerdotem Catholico more baptizentur, levare præsumant; Medicorum quoque hæreticorum opera, necessitate cessante, & ubi adsit copia Catholici Medici idonei, non utantur.

§. 3. Cùm verò Itali prædicti ex Italia recedunt ad morandum, seu inhabitandum, in partibus prædictis, id significent suis Ordinariis, vel Inquisitoribus locorum à quibus seriò admoneantur, ut in eis perpetuò Catholicam, & Orthodoxam fidem constanter retinentes, & profitentes, piam & Catholicam vitam ducant, Dominicos, & Festos dies, abstinentias, & sacra jejunia ab Ecclesia præcepta religiosè colant, atque omnem hæresim, & errorem, hæreticos, schismaticos, & ab Orthodoxa fide aberrantes fugiant, & evitent, ac ut saltem singulis annis de eorum Sacramentali peccatorum confessione, & Sanctissimæ Eucharistiæ perceptione per eos facta, fidem seu testimonium ipsis Ordinariis, vel Inquisitoribus in Italiam transmittant, ad quod & nos dictos Italos tenore præsentium teneri, & obligatos esse decernimus, & mandamus.

§. 4. Quod si quis propriæ salutis immemor, contra præmissa facere præsumpserit, possit adver-

fus eum per locorum Ordinarios, & Inquisitores hæreticæ pravitatis, uti de hæresi suspectum procedi.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscunque.

§. 6. Volumus autem, ut earumdem præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio & extra adhibeatur, quæ ipsismet præsentibus haberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud sanctum Marcum sub Anulo Piscatoris, die verò 26. Julii, millesimo quingentesimo nonagesimo sexto, Pontificatus Nostri anno quinto.

XXVIII.

Contra hæreticos in locis Italiæ, & insularum adjacentium quovis prætextu commorantes, eorumque fautores.

Gregorius Papa XV. Ad perpetuam rei memoriam.

Romani Pontificis Beati Petri Apostolorum Principis successoris munus exigit, ut pro incumbente Dominici gregis cura, & solicitudine, Prædecessorum suorum Constitutiones, eas præsertim quæ ad Sacrosanctæ Fidei Catholicæ conservationem pertinent, quo suum perpetuum sortiantur effectum, & inviolabiliter observentur, innovet, & extendat, prout rerum & temporum qualitatibus debitè compensatis conspicit in Domino salubriter expedire.

§. 1. Aliàs siquidem à fel. record. Clemente Papa VIII. Prædecessore nostro emanarunt litteræ tenoris subsequentis, videlicet: *Cùm sicut non sine, &c. ut supra.*

§. 2. Nos inviolabili dictarum Clementis litterarum, & in eis contentorum quorumcunque observationi, quantum nobis ex Alto conceditur providere volentes, Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, Clementis prædecessoris litteras, cum omnibus & singulis in eis contentis, tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illasque innovamus, ac inviolabiliter observari mandamus.

§. 3. Insuper ne ullus hæreticus in locis Italiæ & insularum adjacentium, neque etiam sub commercii, mercimonii, aut alio quovis prætextu domicilium contrahere, seu domum apertam habere propriam, vel conductam, aut gratis concessam, seu habitari, aut morari possit, earumdem tenore præsentium prohibemus, ac respectivè statuimus, & ordinamus.

§. 4. Contrà, prohibitioni autem, ac statuto, & ordinationi nostris hujusmodi non parentes, seu contravenientes, cujusvis status, gradus, ordinis, dignitatis tam Ecclesiasticæ, quam secularis existentes, juxta formam juris procedatur, & puniantur.

§. 5. Et simili modo eos, qui hæreticos prædictos receptaverint, eisque quoquomodo contra præsentium litterarum tenorem, favorem, opem, seu auxilium præbuerint, uti fautores, & receptatores hæreticorum puniri.

§. 6. Sicque per quoscunque Judices ordinarios, & delegatos, etiam S. R. E. Cardinales, & de Latere Legatos, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate, & auctoritate ubique judicari, & diffiniri debere, ac irritum & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari, auctoritate & tenore prædictis decernimus & declaramus.

§. 7. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis; cæterisque contrariis quibuscunque.

§. 8. Volumus autem, quod præsentium transumptis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur in judicio, & extra, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ, quodque eædem præsentes post duos menses à die illarum publicationis comprehendant, omnes, & singulos ad quos spectat, arctent, & afficiant, perinde ac si unicuique personaliter intimatæ fuissent.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Anulo Piscatoris die 2. Julii 1622. Pontificatus nostri anno 2.

Anno à Nativitate D. N. Jesu Christi millesimo sexcentesimo vigesimo secundo, Indictione quinta, die verò prima mensis Septembris, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Gregorii, divina providentia Papa XV. Anno ejus secundo: retroscripta Constitutio affixa & publicata fuit ad valvas Basilicarum S. Joannis Lateranensis Principis Apostolorum de Urbe, & in acie Campi Flora, ut moris est, per me Brandimartem Latinum, Apostolicum Cursorem.

Octavius Spada Magister Cursorum.

XXVI.

Revocatio facultatum Superioribus quorumcunque Ordinum & Religiosorum quoquomodo concessarum, cognoscendi causas suorum subditorum ad officium sanctæ Inquisitionis hæreticæ pravitatis, quomodolibet pertinentes.

Paulus Episcopus, Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Romanus Pontifex in ea interdum, quæ à prædecessoribus suis temporum & rerum qualitate id tunc exposcente, providè pro hæresum extirpatione sancita sunt, novis emergentibus rationibus revocat, & immutat, aliaque desuper disponit & ordinat prout in Domino salubriter conspicit expedire.

§. 1. Dum siquidem fel. record. Pius Papa IV. Prædecessor noster sua perpetuò valitura Constitutione, statuit ordinavit & declaravit, quod ex tunc deinceps in omnibus Christiani Orbis partibus Inquisitores hæreticæ pravitatis tàm generales quàm in quibusvis Provinciis, Civitatibus, Oppidis, Terris & Locis pro tempore deputati particulares, contra omnes quorumcunque Ordinum etiam exemptorum, etiam Mendicantium professores & Religiosos, ac etiam alios quoscunque quovis modo privilegiatos & exemptos, de hæresis crimine quomodolibet suspectos aut culpabiles, dummodo ab eorumdem professorum & Religiosorum Superioribus vel Prælatis in causis hujusmodi præventi non fuissent, juxta facultates officii Inquisitionis ipsius pravitatis inquirere & procedere, ac culpabiles & delinquentes repertos secundum canonicas sanctiones castigare atque punire possent & valerent, ac alias prout in litteris ipsius Pii Prædecessoris latiùs continetur.

§. 2. Cùm autem rerum usu compertum sit, occasione præventionum hujusmodi nonnulla interdum impedimenta orta esse, quominus causæ hujusmodi ea qua decet diligentia cognoscantur, Nos de consilio Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ

ctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, contra hæreticam pravitatem generalium Inquisitorum illa de dio tollere volentes, Motu proprio & ex certa scientia nostra, ac matura deliberatione, hac nostra etiam perpetuò valitura Constitutione, omnia & quæcumque privilegia, indulta, facultates & concessiones Generalibus, Superioribus, & Prælatis quorumcumque Ordinum, sive Mendicantium, sive Clericorum Regularium, cujusvis Ordinis & instituti, etiam in dicta constitutione non expressorum, & quantumvis exemptorum, & quocunque nomine nuncupentur, per dictum Pium, ac quoscunque Romanos Pontifices prædecessores nostros, & Sedem Apostolicam concessa, approbata, & innovata, & quantumvis etiam longissimo tempore observata causas ad dictum officium quovis modo spectantes, cognoscendi, & terminandi, seu in illis quoquomodo se intromittendi, quorum omnium & singulorum tenores, etiamsi de illis specialis & expressa mentio habenda esset, præsentibus pro plenè & sufficienter expressis, & insertis habentes, Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuò cassamus, revocamus & abolemus. Ipsisque Generalibus, Superioribus, & Prælatis, ut de cætero quovis quæsito colore vel prætextu prævèntionis, vel consuetudinis, & præscriptionis immemorabilis, seu cognoscendi, an delationes hujusmodi calumniosæ sint necne in eisdem causis, tam motis, quàm movendis quoquomodo se intromittere, seu immiscere, denunciationes recipere, testes examinare, processus conficere, causas ipsas cognoscere, definire, vel terminare minimè audeant, seu præsumant, simili auctoritate districtiùs inhibemus.

§. 3. Volentes, & expressè mandantes, ut ipsi Religiosi possint & debeant omnes, etiam Ordinum hujusmodi professores, de hæresi suspectos, Inquisitoribus vel Ordinariis locorum vicinioribus liberè denunciare absque eo quòd Superiores prædicti personas denunciandas, & causas perquirere, vel quoquomodo id impedire, vel retardare audeant seu præsumant.

§. 4. Insuper omnes, & quascunque causas ad dictum officium quomodolibet spectantes & pertinentes, coram Generalibus, Superioribus, & Prælatis hujusmodi in quibuscunque locis existentibus, ac contra quoscunque Religiosos, ut præfertur, exemptos, motas & pendentes, ad nos harum serie avocamus, easque omnes in statu & terminis, in quibus de præsenti reperiuntur, ipsius pravitatis Inquisitoribus, vel Ordinariis locorum vicinioribus terminandas committimus.

§. 5. Præterea ipsis Generalibus, Superioribus & Prælatis pari auctoritate præcipimus atque mandamus, ut omnes processus & acta causarum hujusmodi Inquisitoribus seu Ordinariis prædictis respectivè remittant, & consignent; nec non professores, fratres, & Religiosos supradictos, quos hæresis labe infectos vel suspectos, etiam in visitatione esse noverint, absque alia consultatione cum propriis Superioribus facienda, eisdem Inquisitoribus vel Ordinariis locorum vicinioribus respectivè denuncient.

§. 6. Quòd si Generales, aliique prædicti præsentibus litteris non paruerint, eos omnes privationis quarumcunque dignitatum, seu Prælaturarum, vel officiorum suorum Ordinum, ac vocis activæ & passivæ, perpetuæque inhabilitatis ad easdem, nec non contra fautores hæreticorum, & impeditores officii statutas vel inflictas pœnas, aliasque censuras Ecclesiasticas etiam excommunicationis majoris latæ sententiæ, à qua non nisi à Nobis, vel à Romano Pontifice pro tempore existente, præterquam in mortis articulo, absolutionis beneficium valeant obtinere, eo ipso incurrisse.

§. 7. Nec non præsentes litteras, licet generales Superiores, & Prælati prædicti, aut quicunque alii quavis auctoritate, dignitate, vel officio, seu honore fulgentes in præmissis quomodolibet interesse habentes, vel habere prætendentes ad hoc vocati non fuerint, semper & perpetuò validas & efficaces existere, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere, ac de omnibus inviolabiliter observari, sicque per quoscunque Judices & Commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere, irritum quoque & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus & declaramus.

§. 8. Non obstantibus prædicta, ac quibusvis aliis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, nec non Ordinum, & institutorum quorumcunque juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis & literis Apostolicis etiam mare magnum, vel alias quomodolibet nuncupatis, eisdem Ordinibus eorumque Generalibus, Superioribus, & Prælatis, ac personis, etiam per quoscunque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac Sedem prædictam, & per Nos quovis modo concessis, confirmatis & iteratis vicibus, approbatis & innovatis, quibus, ac aliis omnibus, quæ præsentibus quomodolibet obstare possent, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica & expressa, ac individua & de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores pro plenè & sufficienter præsentibus expressis, & totaliter insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice duntaxat, & specialiter expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

§. 9. Ut autem præsentes literæ ad omnium notitiam deducantur, néve aliquis ignorantiam earum prætendere, aut contra eas se excusare valeat, illas in valvis sancti Joannis Lateranensis, & Principis Apostolorum Basilicarum de Urbe, nec non Cancellariæ Apostolicæ, ac acie Campi Floræ de more, affigi & publicari, earumque exempla inibi affixa dimitti, ac post publicationem hujusmodi omnes & singulos quos concernunt, & concernent in futurum perinde arctent & afficiant, ac si eorum cuilibet personaliter intimatæ fuissent.

§. 10. Quodque earum transumptis etiam impressis, Notarii publici manu subscriptis, & sigillo alicujus Prælati seu personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eandem prorsus fidem in judicio & extra, ubique gentium & locorum adhiberi volumus, & mandamus, quæ eisdem originalibus literis adhiberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ; & nihilominus ut ad majorem notitiam singulorum, & quorumcumque Religiosorum prædictorum præsentes deveniant, etiam volumus & in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus, & mandamus Generalibus, Superioribus, & Prælatis prædictis, ut in primis proximis futuris Capitulis, seu Congregationibus, Provincialibus vel Generalibus cujuscunque Provinciæ, tam in Italia quàm extra, præsentes nostras literas legi, & publicari faciant, & procurent.

§. 11. Nulli ergo, &c.

Datum Romæ apud Sanctum Marcum, anno Incarnationis Dominicæ 1606. Kalend. Septemb. Pontific. nostri, anno 2.

Anno à Nativitate D. N. Jesu Christi 1606. Indictione quarta, Pontificatus autem sanctissimi in Christo

ſtr Patris, & D. N. D. Pauli divina providentia Papa V. Anno ſecundo: die verò tertia menſis Octobris, ſupradictæ litteræ Apoſtolicæ, affixæ & publicatæ fuerunt ad valvas Baſilicarum S. Joannis Lateranenſis Principis Apoſtolorum de Urbe, & Cancellariæ Apoſtolicæ ac in acie Campi Floræ, ut moris eſt, per me Joan. Baptiſtam Menochium, ejuſdem Sanctiſſ. D. N. Papæ, & Sanctiſſimæ Inquiſitionis curſorem.

XCVII.

Innovatio Conſtitutionum à Sixto IV. & Pio V. de Conceptione B. MARIÆ Virginis editarum. Impoſitioque majorum pœnarum in tranſgreſſores, à locorum Ordinariis, & hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus puniendos.

Paulus Papa V. Ad perpetuam rei memoriam.

REgis pacifici, quamquam nullo noſtro merito divina diſpenſatione vices gerentes in terris, ex muneris noſtri debito, pacis & concordiæ inter Chriſti fideles, præſertim Eccleſiaſticas perſonas, quæ aliis in viam pacis dirigendis & in unitate Spiritus continendis ſunt præpoſitæ, conſervationi ſedulò invigilare cupientes, ea quæ à prædeceſſoribus noſtris Roman. Pontific. ad ſcandalorum ſemina tollenda ſalubriter conſtituta ſunt, cùm hoſtis antiqui inſidiis, qui ab initio diſſidia ſerere cœpit, minimè obſervari, aut variis modis eludi dignoſcuntur, ut inviolata ſerventur, opportunis remediis, quantum cum Domino poſſumus, providemus.

§. 1. Olim ſiquidem per felicis recordationis Sixtum Papam IV. Prædeceſſorem noſtrum, accepto quod nonnulli diverſorum Ordinum Prædicatores, in ſuis ſermonibus ad populum publicè per diverſas Civitates & Terras affirmare non erubuerant, & quotidie prædicare non ceſſabant, omnes illos qui tenebant aut aſſerebant glorioſam & immaculatam Dei Genitricem abſque originalis peccati macula fuiſſe conceptam, mortaliter peccare, vel eſſe hæreticos, ejuſdemque immaculatæ Conceptionis officium celebrantes, audientesque ſermones illorum qui eam ſine hujuſmodi macula conceptam eſſe affirmabant, graviter peccare, ſed & prædictis prædicationibus non contenti, confectos ſuper eiſdem ſuis aſſertionibus libros in publicum ediderant, ex quorum aſſertionibus, & prædicationibus non levia ſcandala in mentibus fidelium exorta erant, & majora meritò exoriri formidabantur in dies, idem Sixtus prædeceſſor hujuſmodi temerariis auſibus, & perverſis aſſertionibus & ſcandaloſis, quæ exinde in Dei Eccleſia, exoriri poterant, obviare volens, hujuſmodi aſſertiones prædicatorum eorundem, & aliorum quorumlibet, qui affirmare præſumerent, eos qui crederent aut tenerent eandem Dei Genitricem ab originalis peccati macula in ſua conceptione præſervatam fuiſſe, propterea alicujus hæreſis labe pollutos fore, vel mortaliter peccare, aut hujuſmodi officium conceptionis celebrantes, ſeu hujuſmodi ſermones audientes alicujus peccati reatum incurrere, utpote falſas & erroneas, & à veritate penitùs alienas, editosque deſuper libros prædictos id continentes, quo ad hoc reprobavit & damnavit, ac ſtatuit & ordinavit, quod prædicatores verbi Dei, & quicunque alii cujuſcunque ſtatus, gradus, aut ordinis & conditionis eſſent, qui auſu temerario præſumerent in eorum ſermonibus ad populum, ſeu alias quomodolibet affirmare, hujuſmodi ſic per eum improbatas & damnatas aſſertiones veras eſſe, aut dictos libros pro veris legere, tenere, vel habere, excommunicationis ſententiam eo ipſo incurrerent: à qua ab alio quàm à Romano Pontifice, niſi in mortis articulo, nequirent abſolutionis beneficium obtinere. Similique pœnæ & cenſuris ſubjecit eos, qui auſi eſſent aſſerere contrariam opinionem, tenentes videlicet, Glorioſam Virginem MARIAM cum originali peccato fuiſſe conceptam, hæreſis crimen, vel peccatum incurrere mortale, cùm nondum id eſſet à Romana Eccleſia & Apoſtolica Sede deciſum.

§. 2. Hanc verò Sixti prædeceſſoris Conſtitutionem Oecumenica Tridentina Synodus poſtea innovavit.

§. 3. Ac deinde ſimilis recordationis Pius Papa V. etiam prædeceſſor noſter, ſtatuit, ordinavit, & mandavit, quatenus nemo cujuſcunque ordinis vel dignitatis exiſteret, in popularibus concionibus, vel ubicunque promiſcua virorum, & mulierem multitudo convenire ſolet, de hujus controverſiæ alterutra parte diſputare rationibus vel doctorum auctoritate, propriam ſententiam, aſſerendo & contrariam refellendo vel impugnando, aut de hac ipſa quæſtione cujusvis pietatis, aut neceſſitatis prætextu vulgari ſermone ſcribere, vel dictare præſumeret, qui contrà faceret ſuſpenſionis pœnam à divinis abſque nova declaratione ipſo facto incurreret, ſi modo eſſet in ſacris conſtitutus, & quocunque præterea gradu ſive dignitate, vel adminiſtratione fungeretur, illis omnibus foret ipſo jure privatus, & ad eadem, vel ſimilia munera obtinenda, vel obeunda perpetuæ inhabilitatis cenſuræ, ipſo etiam facto obnoxius foret, ſuper quibus niſi à Romano Pontifice pro tempore exiſtente, diſpenſari, ſive abſolvi non poſſet, & nihilominus aliis pœnis, ſi opus foret, à proprio Prælato pro delicti menſura infligendis ſubjectus eſſet, prout ſubjecit.

§. 4. Cæterum quandiu per Apoſtolicam Sedem altera pars diffinita non eſſet, oppoſitaque ſententia condemnata, liceret viris doctis in publicæ Academiæ diſputationibus, ſive Generalium, aut Provincialium Capitulorum, vel ubi alias intereſſent qui rem capere poſſent, nec ſcandali ulla ſubeſſet occaſio, de illa quæſtione diſſerere, & argumentis utramlibet partem aſſerere vel impugnare. Dum tamen neutra veluti erronea prædicaretur, ſervarenturque illa omnia, quæ à dicto Sixto prædeceſſore ſtatuta ſunt, quorum ſingula etiam quantum ad alias pœnas duxit innovanda & innovavit, prout in Sixti & Pii prædeceſſorum litteris deſuper confectis pleniùs continetur.

§. 5. Verum licet hæc providè ſtatuta ſint, nihilominus ſicut accepimus, nonnulli in diverſis Chriſtiani Orbis partibus, interminatis quæſtionibus nimis intenti, diſceptationum hujuſmodi, jampridem Eccleſiæ, diſciplinæ vigore reciſa germina coaleſcere procurant, indeque contentiones & rixæ non ſine Dei offenſa & ſcandalo plurimorum exortæ ſunt, & graviores indies ne exoriantur periculum eſt, niſi à nobis opportunè provideatur.

§. 6. Quamobrem Motu proprio non ad alicujus Nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, conſtitutionum Sixti & Pii prædeceſſorum hujuſmodi veriores tenores præſentibus pro expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, eaſdem Conſtitutiones Apoſtolica auctoritate tenore præſentium approbamus & confirmamus, & etiam quo ad earum pœnas quaſcunque etiam abſolutionis reſervationem innovamus, & inviolabiliter ab omnibus, etiam regularibus cujuſcunque tam Eccleſiaſticis, quàm ſecularibus perſonis, cujusvis ſtatus, gradus, ordinis & conditionis aut dignitatis tam Eccleſiaſticæ quàm ſecularis, etiamſi ſpecialis, ſpecifica, & individua earum eſſet neceſſariò facienda mentio, obſervari præcipimus & mandamus, donec à Romana Apoſtolica Sede hujuſmodi controverſia fuerit diffinita.

§. 7. Ac

§. 7. Ac præterea si quis quovis modo contravenerit, præter supradictarum constitutionum pœnas respectivè ipso facto incurrendas, etiam concionandi, publicè legendi seu docendi & interpretandi facultate, ac voce activa & passiva in quibuscunque electionibus eo ipso absque alia declaratione privatus existat: necnon ad concionandi & publicè legendi, docendi & interpretandi perpetuæ inhabilitatis pœnas similiter ipso facto incurrat, absque alia declaratione, à quibus nonnisi à Nobis ipsis vel successoribus nostris Roman. Pontificibus pariter absolvi, seu super iis dispensari possit, & nihilominus aliis pœnis nostro & eorundem Romanorum Pontificum successorum nostrorum arbitrio infligendis, subjiciatur, prout eum subjicimus per præsentes.

§. 8. Et contra hujusmodi transgressores, etiam regulares cujusvis Ordinis & instituti, etiam quomodolibet exemptos, & alias quascunque Ecclesiasticas & seculares personas cujuscunque status, gradus, ordinis, aut dignitatis, tam Ecclesiasticæ quàm secularis, ut præfertur, tam Episcopi & Prælati, Superiores, aliique Ordinarii locorum quàm hæreticæ pravitatis ubique locorum deputati Inquisitores procedant & inquirant, atque in eos severè animadvertant. Nos enim iis & eorum cuilibet, contra eosdem transgressores procedendi & inquirendi, ac pœnis coercendi & puniendi liberam facultatem & auctoritatem iisdem auctoritate, & tenore tribuimus, & impartimur, eosque, ut præfertur procedere, inquirere & punire præcipimus & mandamus.

§. 9. Non obstantibus omnibus iis, & singulis, quæ tam Sixtus quàm Pius prædecessores prædicti in litteris suis hujusmodi, voluerunt non obstare. Quibus omnibus & singulis, eorum tenores præsentibus pro plenè & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, hac vice duntaxat specialiter & expresè derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

§. 10. Et ne præmissorum ignorantia à quoquam prætendi possit, volumus, & dicta auctoritate decernimus, quòd præsentes litteræ, seu illarum exempla, ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, & in acie Campi Floræ affixa, omnes ita arctent & afficiant, perinde ac si unicuique personaliter intimatæ fuissent.

§. 11. Quodque præsentium transumptis, etiam impressis, Manu Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Anulo Piscatoris die 6. Julii 1616. Pontificatus nostri anno 12.

Anno à Nativitate D. N. Jesu Christi 1616. Indictione decimaquinta, die verò nona mensis Julii, Pontificatus sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Pauli divina providentia Papa V. Anno duodecimo, retroscripta litteræ Apostolica, affixa, & publicata fuerunt ad valvas Basilica Principis Apostolorum de Urbe, & in acie Campi Flora, per me Augustinum Bracherium Cursorem.

Silverius Pontirolus Mag. Curs.

XXIX.

Ampliatio, & declaratio prohibitionis asserendi B. Mariam Virginem Conceptam fuisse in peccato originali.

In generali Congregatione Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis, habita in Palatio Apostolico in Monte Quirinali coram S. D. N. D. Gregorio divina providentia Papa XV. ac Illustriss. & Reverendiss. DD. S. R. E. Cardinalibus adversus hæreticam pravitatem Inquisitoribus generalibus à Sanctæ Sede Apostolica specialiter deputatis, feria 3. die 24. Maji, Anno à Nativitate D. N. Jesu Christi 1622.

Sanctissimus Dominus noster auditis votis Illustrissimorum, & Reverendissimorum DD. Cardinalium contra hæreticam pravitatem Generalium Inquisitorum, decretum aliàs editum à fel. rec. Paulo V. ejus Prædecessore tenoris sequentis, videlicet.

Sanctissimus Dominus noster post longam, & maturam discussionem auditis votis Illustrissimorum, & Reverendissimorum DD. Cardinalium contra hæreticam pravitatem Generalium Inquisitorum, re accuratè, ac diligenter perpensa, providè considerans, quòd quamvis in Constitutione fel. rec. Sixti IV. super Conceptione Beatissimæ Virginis MARIÆ pro submovendis inter Christi fideles scandalis, rixis, & contentionibus edita, à S. Tridentina Synodo innovata, & deinde in alia Constitutione san. mem. Pii V. super eadem re, quas similiter Sanctitas sua innovavit cum quibusdam provisionibus, & adjectionibus pœnarum pro efficaciori earum observatione, relinquatur unicuique libera facultas tenendi, & etiam asserendi utramque partem, quod scilicet fuerit, vel non fuerit concepta cum peccato originali, & dum tamen neutra, veluti erronea, aut hæretica damnetur; nihilominus ex occasione assertionis affirmativæ in publicis concionibus, lectionibus, conclusionibus, & actibus publicis, quod eadem Beatissima Virgo fuerit cum peccato originali concepta, oriuntur in populo Christiano, cum magna Dei offensa, scandala, jurgia, & dissensiones. Propterea volens hujusmodi scandalis ex debito sui muneris providere, decrevit, & præcipit, ac præsentis decreti virtute mandat, & præcipit omnibus & singulis cujusvis Ordinis, & instituti regularibus, & aliis quibuscunque, tam Ecclesiasticis, quàm secularibus personis cujusvis conditionis, status, gradus, ordinis, aut dignitatis, tam Ecclesiasticæ, quàm secularis, etiam si specialis specifica, & individua earum esset necessariò mentio facienda, ut in posterum, donec articulus hujusmodi à Sancta Sede Apostolica fuerit diffinitus, vel per Sanctitatem Suam, & Sedem Apostolicam fuerit aliter ordinatum, non audeant in publicis concionibus, lectionibus, conclusionibus, & aliis quibuscumque actibus publicis asserere, quòd eadem Beatissima Virgo fuerit concepta cum peccato originali; Contrafacientes autem eadem Sanctitas Sua voluit, & declaravit subjacere debere, & subjecit censuris, & pœnis contentis in supradictis constitutionibus suorum Prædecessorum, & sua ipso facto incurrendis: Per hujusmodi tamen provisionem Sanctitas Sua non intendit reprobare alteram opinionem, nec ei ullum prorsus præjudicium inferre, eam relinquens in eisdem statu, & terminis, in quibus de præsenti reperitur, præterquam quoad supra disposita. Ulterius sub eisdem censuris, & pœnis mandans, quòd negativam opinionem, videlicet quod non fuerit concepta cum peccato originali, in prædictis publicis actibus asserentes, aliam opinionem non impugnent, nec de ea aliquo modo agant, seu tractent. Insuper voluit, & expresè mandavit, ut extra hos casus expressos publicorum actuum, in reliquis omnibus supradictæ constitutiones firmæ, & illæsæ remaneant, & exactè observentur perinde, ac si præsens decretum non emanasset. Et ita decrevit, & mandavit ubique inviolabiliter observari, non obstantibus in hac parte supradictis constitutionibus, & aliis omnibus in contrarium facientibus, &c.

§. 2. Hoc suo præsenti decreto ex ejusdem causis evitan. scandala, dissensiones, atque discordias in Populo Christiano, quæ pari ratione oriri possunt, &, ut accepit, in aliquibus Regionibus jam ortæ sunt ex sermonibus privatis occasione assertionis affirmativæ extendit, & ampliavit etiam ad privata colloquia, & scripta, mandans, & præcipiens omnibus, singulis supradictis, ne de cætero, donec articulus hujusmodi à Sede Apostolica diffinitus, vel per Sanctitatem Suam, & Sedem Apostolicam fuerit aliter ordinatum, neque etiam in sermonibos, & scriptis privatis audeant asserere, quòd eadem Beatissima Virgo fuerit concepta cum peccato originali, nec de hac opinione affirmativa aliquo modo agere, seu tractare, exceptis tamen quibus à S. Sede Apostolica fuerit super hoc specialiter indultum. Per hoc tamen Sanctitas Sua non intendit reprobare hanc opinionem, nec ei ullum prorsus præjudicium inferre, etiam relinquens in eisdem statu, & terminis, in quibus reperitur, præterquam quoad in supradicto fel. rec. Pauli V. & hoc suo decreto disposita.

§. 3. Eademque Sanctitas Sua voluit, & expresè mandavit, ut in reliquis omnibus ubi hujusmodi decretis non adversantur, constitutiones Sixti IV. Alexandri VI. & Pii V. ac Pauli V. ejus prædecessorum super Conceptione Beatissimæ Virginis firmæ, & illibatæ remaneant, ac exactè observentur perinde, ac si hujusmodi decretum non emanasset.

§. 4. Et insuper eadem Sanctitas Sua, cum Sancta Romana Ecclesia, de Beatiss. Virginis Conceptione Festum solemniter, & officium celebret, omnibus, & singulis personis Ecclesiasticis, tam secularibus, quam cujusvis Ordinis, & Instituti regularibus mandat, ac præcipit, ut in Sacrosancto Missæ sacrificio, ac divino officio celebrandis, tàm publicè, quàm privatim, non alio, quàm Conceptionis nomine uti debeant. Contravenientes autem Sanctitas Sua voluit, & declaravit subjacere debere, & subjecit censuris, & pœnis contentis in supradictis constitutionibus; ac præfato decreto suorum Prædecessorum ipso facto incurren. Et ita decrevit, & mandavit ubique inviolabiliter observari.

§. 5. Non obstantibus in hac parte constitutionibus suprascriptis, decreto præfato Pauli V. consuetudinibus etiam immemorabilibus, nec non omnibus, & singulis, quæ Prædecessores prædicti voluerunt non obstare, ac aliis quibuscunque in contrarium facientibus.

§. 6. Volens, & decernens pro observatione, & executione præsentis decreti, & omnium in eo contentorum, quòd contra hujusmodi transgressores etiam regulares, cujusvis Ordinis, & Instituti, etiam quomodolibet exemptos, & alias quascunque Ecclesiasticas, & seculares personas cujuscunque status, conditionis, gradus, ordinis, aut dignitatis tam Ecclesiasticæ, quàm secularis, tam Episcopi, & Prælati Superiores, aliique Ordinarii locorum, quàm hæreticæ pravitatis ubique locorum deputati Inquisitores procedant, & in eos severè animadvertant, tribuens eis, & eorum cuilibet liberam facultatem, & auctoritatem contra eosdem transgressores procedendi, ac pœnis coërcendi, & puniendi.

§. 7 Voluit demùm, ne præmissorum ignorantia à quoquam prætendi possit, quòd præsens decretum, seu illius exempla ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, & in acie campi Floræ affixa, omnes ita arctent, & afficiant perinde, ac si unicuique personaliter intimata fuissent; quodque præsentium transumptis etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Andr. de Pettinis S. R. & univers. Inquis. Not.

Anno à Nativitate D. N. Jesu Christi 1622. Indict. 5. die verò secunda mensis Junii, Pontificatus Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Gregorii divina providentia Papæ XV. Anno ejus secundo, supradictum decretum affixum & publicatum fuit ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, & in acie Campi Floræ, ut moris est, per me Brandimartem Latinum, S. D. N. Papæ Cursorem.

Octavius Spada Magister Cursorum.

XXVII.

Revocatio quarumcunque concessionum vivæ vocis oraculo factarum, exceptis oraculis factis S. R. E. Cardinalibus, & eorum manu firmatis.

Gregorius Papa XV. Ad perpetuam rei memoriam.

ROmanus Pontifex in specula militantis Ecclesiæ divina providentia constitutus, gratias, & indulta à se, & prædecessoribus suis concessa, justis interdum suadentibus causis, juxta creditum sibi Pastoralis officii debitum moderatur, aut revocat, prout rerum, & temporum qualitatibus debitè pensatis, conspicit in Domino salubriter expedire.

§. 1. Itaque Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, Omnia, & singula indulta, facultates, privilegia, gratias, & concessiones quascumque spirituales, & Ecclesiasticas, tam ad forum interius, quàm ad exterius spectan. ac tam ad supplicationem partium, quàm motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, à Sede Apostolica, quæ tamen vivæ vocis oraculo hactenus quandocumque, & qualitercumque, ex quavis, etiam de necessitate exprimenda causa, quibusvis Collegiis, Capitulis, ordinibus, tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, Societatibus, etiam Societatis Jesu, ac Congregationibus quibuslibet, sive eorum, & earum respectivè Præpositis, Decanis, Magistris, Ministris, Prælatis, Prioribus, Rectoribus, Generalibus, vel Provincialibus quocunque nomine nuncupatis, Superioribus, etiam quomodolibet exemptis, ac Sedi prædictæ immediatè subjectis, cujuscunque dignitatis, præeminentiæ, aut quovis privilegio munitis, non tamen ad supplicationem Regum concessis, in iis, videlicet quæ non sunt sortita effectum, tenore præsentium revocamus, cassamus, tollimus, abrogamus, & annullamus, ac revocata, cassa, sublata, abrogata, & annullata, viribusque, & effectu vacua perpetuò fore, & esse, neque in posterum cuiquam suffragari posse, vel debere, neque aliquem iis de cætero uti ullo modo posse, etiamsi expressa & specifica mentio, etiam de verbo ad verbum de iis facienda esset, decernimus, & declaramus.

§. 2. Firmis tamen, & in suo robore permanen. omnibus indultis, & aliis concessionibus prædictis, vivæ vocis oraculo S. R. E. Cardinalibus ad ipsorum, vel aliorum quorumcunque favorem, propria S. R. E. Cardinalium manu firmatis, pro ipsis, vel aliis factis, & de quibus iidem S. R. E. Cardinales testimonium inscriptis præbuerunt.

§. 3. Decernentes, præsentes litteras, & in eis contenta quecumque etiam ex eo, quod quicunque in præmissis interesse habentes, seu habere prætendentes, ad hoc vocati, & auditi non fuerint, de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ, seu alio quocunque defectu notari, impugnari, redargui jure, vel in controversiam revocari, ad terminos juris reduci, aut adversus illas, quodcumque juris, gratiæ, vel facti remedium impetrari nullatenus posse, sed illas

semper

ſemper validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri, & obtinere.

§. 4. Sicque per quoſcunque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Nuncios, ſublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obſtantibus præmiſſis, ac quibusvis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, Ordinibus, Societatibus, & Congregationibus prædictis, eorumque Præpoſitis, Decanis, Magiſtris, Miniſtris, Prælatis, Prioribus, Rectoribus, & aliis Superioribus, prædictis, ſub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, ac irritan. & aliis decretis in genere, vel in ſpecie, ac aliàs in contrariam præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenore hujusmodi, præſentibus pro plenè & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuscumque.

§. 6. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur in judicio, & extra illud, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

§. 7. Quodque eædem præſentes litteræ, ſeu illarum exempla ad valvas Baſilicarum S. Joannis Lateranen. ac Principis Apoſtolorum de Urbe, & in acie Campi Floræ affixæ, omnes ita arctent, & afficiant, ac ſi unicuique perſonaliter intimatæ fuiſſent.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die 2. Julii 1622. Pontificatus noſtri anno 2.

Anno à Nativitate D. N. Jeſu Chriſti 1622. Indict. 5. die verò prima menſis Septembr. Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. D. Gregorii divina providentia Papa XV. Anno ejus ſecundo, retroſcripta Conſtitutio affixa & publicata fuit ad valvas Baſilicarum Sancti Joannis Lateranenſis, Principis Apoſtolorum de Urbe, & in acie Campi Floræ, ut moris eſt, per me Brandimartum Latinum Apoſtolicum Curſorem.

Octavius Spada Magiſter Curſorum.

EXTENSIO CONSTITUTIONIS rec. mem. Gregorii Papæ XV. revocatoriæ conceſſionum vivæ vocis oraculo factarum.

Urbanus Papa VIII. ad perpetuam rei memoriam.

Aliàs fel. record. Gregorius Papa XV. Prædeceſſor noſter, ut ſubnaſcentibus jugiter variis difficultatibus, & abuſibus ex privilegiis à Sede Apoſtolica vivæ vocis oraculo ſæpenumerò conceſſis obviam iret, Conſtitutionem edidit tenoris ſubſequentis, videlicet: *Gregorius Papa XV. Ad perpetuam rei memoriam.* Romanus Pontifex in ſpecula militantis Eccleſiæ.

§. 1. Cùm autem experientia rerum magiſtra compertum ſit, conceſſiones, & gratias vivæ vocis oraculo, etiam à S. R. E. Cardinalibus, obtentas, & ipſorum manu firmatas ſæpè ab his, in quorum favorem emanarunt, minus canonica interpretatione extendi, & perperam in diſciplinæ Eccleſiaſticæ detrimentum executioni demandari: Idcircò, quantùm cum Domino poſſumus, his & aliis malis occurrere volentes, Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione Noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, & de conſilio nonnullorum venerabilium fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, quibus negotium hujusmodi maturè diſcutiendum commiſimus.

§. 2. Omnia, & ſingula privilegia, facultates, licentias, & gratias quaſcunque per Summos Pontifices Prædeceſſores Noſtros, ac Per Nos vivæ vocis oraculo, & S. R. E. prædictæ Cardinalium quorumcunque manu firmata, quibuscumque Generalibus, Provincialibus, cæteriſque Superioribus, & perſonis cujusvis Ordinis, Congregationis, Inſtituti, & Societatis, ſive ſecularibus, ſive regularibus, vel etiam ipſis Ordinibus, Congregationibus, Inſtitutis, & Societatibus, etiam Societati Jesu, aut ejus Clericis, ſeu Presbyteris, aliiſque perſonis prædictis quacumque de cauſa, etiam de neceſſitate exprimenda, occaſione, prætextu, vel colore, etiam intuitu, contemplatione, ſeu ad inſtantiam Imperatoris, Regum, & Principum quorumcumque, aut aliàs quomodolibet conceſſa, illorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, tenore præſentium revocamus, caſſamus, tollimus, abrogamus, & annullamus, ac de cætero revocata, caſſa, ſublata, abrogata & annullata, viribusque, & effectu vacua eſſe & fore, nullique prorſus deinceps ſuffragari poſſe, nec debere declaramus.

§. 3. Præterea, ut præſentes litteræ omnibus & ſingulis ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, quantocitius innoteſcant omnibus, & ſingulis Generalibus, & aliis quocunque nomine nuncupatis Superioribus quorumcunque Ordinum, Congregationum, Societatum, etiam Societatis Jesu, & Inſtitutorum, ſub excommunicationis, ac privationis officiorum, & dignitatum, necnon vocis activæ & paſſivæ pœnis ipſo facto incurrendis præcipimus, & mandamus, ut infra tres menſes proximos à die publicationis præſentium computandos, omnes & ſingulos Provinciales eorundem ſuorum Ordinum Congregationum, Societatum etiam Societatis Jesu, & Inſtitutorum, de eiſdem præſentibus litteris certiores faciant, earundemque præſentium exemplaria illis tranſmittant, qui quidem provinciales ſub eisdem pœnis teneantur ſingulis Superioribus Monaſteriorum, Conventuum, Collegiorum, Domorum, & locorum regularium præcipere, ut eaſdem præſentes ſubditis ſuis, ut moris eſt, publicent.

§. 4. Decernentes præſentes litteras etiam ex eo, quod quicunque in præmiſſis intereſſe habentes, vel habere prætendentes ad hoc vocati & auditi non fuerint, de ſubreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis Noſtræ, ſeu alio quopiam defectu notari, impugnari, invalidari, redargui, in jus, vel controverſiam vocari, aut ad viam, & terminos juris reduci, ſive adverſus illas quodcumque juris, gratiæ, vel facti remedium impetrari nullatenus poſſe, ſed illas ſemper validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri & obtinere, ſicque per quoſcumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane ſi quid ſecus ſuper his à quoquam

quam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obstantibus præinsertis litteris hujusmodi, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, & quatenus opus sit etiam regula Nostra de non tollendo jure quæsito, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis, eisdem Cardinalibus, ac Ordinibus, Congregationibus, institutis, & Societatibus, eorumque Superioribus, quocumque nomine nuncupatis sub quibuscumque verborum formis, & tenoribus, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 6. Volumus autem quod præsentium transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ, quodque eædem præsentes litteræ, sive illarum exempla ad valvas Basilicarum prædictarum, & in acie Campi Floræ hujusmodi similiter affixa, omnes, quos concernunt, perindè arctent, & afficiant, ac si unicuique personaliter intimata fuissent.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Anulo Piscatoris, die 20. Decembris, MDCXXXI. Pontificatus Nostri anno nono.

M. A. Maraldus.

Die & anno supradicto affixa, & publicata fuit ad valvas Basilicarum sancti Joannis Lateranensis, & Principis Apostolorum, ac in acie Campi Floræ, aliisque locis solitis, & consuetis, ut moris est, per me Andream Scalmanum, Sanctiss. D. N. Papæ Cursorem.

XL.

Revocatio quarumcunque Licentiarum legendi & habendi quomodolibet libros prohibitos quibuscunque personis ab omnibus, etiam Romanis Pontificibus concessarum.

Gregorius Papa XV. Ad perpetuam rei memoriam.

Apostolatus officium Nobis, nullo licèt meritorum suffragio, divina providentia commissum postulat, ut ad eas vigilantiæ nostræ partes propensiùs intendamus, per quas Religio Catholica, ubi divina gratia illæsa viget, conservetur, & ubi restitutione indiget, restituatur.

§. 1. Quapropter cùm librorum prohibitorum lectio magno esse sinceræ fidei cultoribus detrimento noscatur, & sicut accepimus, licentiæ libros hujusmodi legendi nimis excreverint: Nos, ut huic malo maturè occurratur, & in posterum quàm cautissimè licentiæ hujusmodi concedantur, quantum cum Domino possumus, providere volentes, Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, omnes, & singulas Licentias legendi, & habendi libros quoscunque ob hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem, vel aliàs quomodolibet prohibitos, quibuscunque personis cujuscunque gradus, & conditionis existentibus, etiam per litteras Apostolicas ad tempus, seu ad vitam, & aliter quomodocunque & ea quacunque causa, tam per litteras in forma Brevis, quàm aliter quomodocunque à Nobis, seu de prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, seu ab habentibus à Nobis, vel ab eis facultatem, & auctoritatem concessas, earum tenorem præsentibus pro expressis habentes, tenore præsentium revocamus, cassamus, & annullamus, & pro revocatis, cassis, & annullatis haberi, nullique in posterum suffragari.

§. 2. Quinimò libros per licentias hujusmodi permissos legentes, aut habentes, pœnas in sacris Canonibus Constitutionibus Apostolicis, & Indicibus Librorum prohibitorum contentas incurrere volumus, & declaramus.

§. 3. Decernentes, ut præsentes litteræ postquam in valvis Basilicarum sancti Joannis Lateranensis, ac Principis Apostolorum de Urbe, & Cancellariæ Apostolicæ, necnon in acie Campi Floræ affixæ fuerint, infra duos menses ex tunc proximos, omnes & singulos, ad quos spectat, arctent, & afficiant, perinde ac si unicuique personaliter intimatæ fuissent, quodque dictis duobus mensibus durantibus, ii, qui libros prohibitos hujusmodi habuerit, eos ad Episcopum, seu Inquisitorem, qui illos quantocitius comburere debeat, deferre, quique aliquos similes libros prohibitos habere sciverint, eos denunciare teneantur, neque de cætero similes licentiæ nisi à Congregatione Sancti Officii, quæ singulis hebdomadis coram nobis haberi solet, concedantur.

§. 4. Ac quod earundem præsentium transumptis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 30. Decembris 1622. Pontificatus nostri anno 2.

Anno à Nativitate Domini nostri Jesu Christi millesimo sexentesimo vigesimotertio, Indictione sexta, die verò secunda mensis Januarii Pontificatus Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Gregorii divina providentia Papæ XV. Anno ejus secundo, retroscripta litteræ Apostolicæ affixæ fuerunt ad valvas Basilicarum Sancti Joannis Lateranensis, & Principis Apostolorum de Urbe, ac Cancellariæ Apostolicæ, necnon in acie Campi Floræ, ut moris est, per me Brandimartem Latinum Apostolicum Cursorem.

Octavius Spada Magister Cursorum.

V. Aliàs CXIV.

Revocatio Licentiarum quarumcunque legendi & habendi libros prohibitos.

Urbanus Papa VIII. Ad futuram rei memoriam.

Apostolatus officium Nobis, nullo licet meritorum suffragio, Divina providentia commissum postulat, ut ad ea vigilantiæ nostræ partes propensiùs intendamus, per quæ Religio Catholica, ubi divina gratia illæsa viget, conservetur, & ubi restitutione indiget, reparetur.

§. 1. Quapropter, cùm librorum prohibitorum lectio magno sinceræ fidei cultoribus detrimento esse noscatur, &, sicut accepimus, nimis excessiva sit hujusmodi librorum legendi licentiarum copia: Nos, ut huic malo

malo maturè occurratur, & in posterum quàm cautissimè licentiæ hujusmodi concedantur, quantum cum Domino possumus, providere volentes; Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine Omnes, & singulas licentias legendi, & habendi libros quoscumque ob hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem, seu per constitutiones Apostolicas etiam ratione Astrologiæ judiciariæ, vel aliàs quomodolibet prohibitos, quibuscumque personis laicis, & Ecclesiasticis, tam sæcularibus, quàm Regularibus cujuscumque Ordinis, Societatis, & instituti existentibus, ac quacumque dignitate, etiam Ecclesiastica fulgentibus, cujuscumque status, gradus, conditionis, qualitatis, & præeminentiæ, etiam speciali nota, & mentione dignis, ac per litteras Apostolicas ad tempus, seu ad vitam, & aliter quomodocunque, & ex quacunque causa, tam in forma Brevis, quàm aliter quomodocumque à prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, seu à quibuscumque aliis à Nobis, vel ab eis facultatem, & auctoritatem habentibus, non tamen à Nobismetipsis per litteras Apostolicas etiam in forma Brevis, seu Chirographum manu nostra signatum concessas, earum tenores præsentibus pro expressis, & insertis habentes, hac nostra perpetuò valitura constitutione, revocamus, cassamus, & annullamus, ac pro revocatis, cassis, & annullatis haberi, nullique suffragi.

§. 2. Quinimò, libros per licentias hujusmodi permissos legentes, aut habentes, pœnas in sacris Canonibus, Constitutionibus Apostolicis, & Indicibus librorum prohibitorum contentas incurrere volumus & declaramus.

§. 3. Decernentes, ut præsentes litteræ postquam valvis Basilicarum S. Joannis Lateranensis, ac Principis Apostolorum de Urbe, & Cancellariæ Apostolicæ, necnon in acie Campi Floræ affixæ fuerint, infra duos, citra montes, ultrà verò montes, infra quatuor menses ex tunc proximos, omnes, & singulos ad quos spectat, arctent, & afficiant, perinde ac si unicuique personaliter intimatæ fuissent; quodque dictis duobus, & respectivè quatuor mensibus durantibus, ii, qui libros prohibitos hujusmodi habuerint, eos ad Episcopum, seu Inquisitionem, qui illos quantocitius comburere debeat, deferre; quique aliquos similes libros prohibitos habere sciverint, eos denunciare teneantur, neque de cætero similes licentiæ nisi à Congregatione sancti Officii, dum singulis hebdomadis coram Nobis habetur, vel ab aliis per Nos etiam in eadem Congregatione specialiter deputandis concedantur.

§. 4. Ac quòd earundem præsentium transumptis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die 2. Aprilis 1631. Pontificatus nostri anno 8.

Die, & anno supradicto publicatæ fuerunt supradictæ litteræ per earum affixionem ad valvas Ecclesiæ Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, & Cancellariæ Apostolicæ, ac in acie Campi Floræ, aliisque locis solitis, & consuetis, ut moris est per me Andream Scalmanum Sanctiss. Domini nostri Papæ Cursorem.

XXXVII.

Diffinitio quoad Imagines nondum à Sede Apostolica Canonizatorum, vel Beatificatorum, cum radiis, splendoribus, & laureolis proponendas, vel tabellas, & luminaria ad eorum sepulchra apponenda, & cum attestationibus desuper proponendis, recipienda, & asservanda, sive eorum miracula in imprimendis libris enarranda.

Feria 5. die 13. Martii, Anno à Nativitate D. N. Jesu Christi 1625. In generali Congregatione Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis, habita in Palatio Apostolico in Vaticano coram Sanctiss. D. N. D. Urbano divina providentia Papa VIII. ac Illustriss. & Reverendiss. DD. S. R. E. Cardinalibus adversus hæreticam pravitatem Inquisitoribus generalibus à Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

Sanctissimus D. N. solicitè animadvertens abusus, qui irrepserunt, & quotidie irrepere non cessant in colendis quibusdam cum Sanctitatis, aut Martyrii fama, vel opinione defunctis, qui, etsi neque Canonizationis, neque Beatificationis honore insigniti sint ab Apostolica Sede, eorum tamen Imagines in Oratoriis, atque Ecclesiis, aliisque locis publicis, ac etiam privatis, cum laureolis, aut radiis, seu splendoribus proponuntur, miracula, & revelationes, aliaque beneficia, Deo per eorum intercessiones accepta, in libris rerum ab ipsis gestarum enarrantur, & ad illorum sepulchra, tabellæ, imagines, & res aliæ ad beneficia accepta testificanda, & lampades, & alia lumina apponuntur. ¶

§. 1. Volensque proinde hujusmodi abusibus, pro debito officii pastoralis, occurrere, etiam cum Illustriss. & Reverendiss. DD. Cardinalibus, contra hæreticam pravitatem in universa Republica Christiana generalibus Inquisitoribus communicata, & maturè considerata, ac discussa; declaravit, statuit, & decrevit, ne quorumvis hominum, cum sanctitatis, seu martyrii fama (quantacumque illa sit) defunctorum Imagines, aliaque prædicta, & quodcunque aliud, venerationem, & cultum præ se ferens, & indicans, in Oratoriis, aut locis publicis, seu privatis, vel Ecclesiis tam sæcularibus, quàm regularibus, cujuscumque Religionis, Ordinis, Instituti, Congregationis, aut Societatis apponantur, antequam ab Apostolica Sede canonizentur, aut Beati declarentur, & (si quæ appositæ sunt) amoveantur, prout eas statim amoveri mandavit.

§. 2. Ac pariter imprimi de cætero inhibuit libros eorundem hominum, qui Sanctitatis, sive Martyrii fama, vel opinione (ut præfertur) celebres è vita migraverint, gesta, miracula, vel revelationes, seu quæcunque beneficia tanquam eorum intercessionibus à Deo accepta continentes, sine recognitione, atque approbatione Ordinarii, qui in iis recognoscendis, Theologos, aliosque pios, ac doctos viros in consilium adhibeat, & ne deinde fraus, aut error, aut aliquid novum, ac inordinatum in re tam gravi committatur, negotium instructum ad Sedem Apostolicam transmittat, ejusque responsum expectet: Revelationes verò, & miracula, aliaque beneficia supradicta, quæ in libris horum hominum vitam, & gesta continentibus, hactenus sine recognitione, atque approbatione hujusmodi impressa sunt, nullo modo approbata censeri vult, mandatque Sua Sanctitas.

§. 3. Ad horum hominum sepulchra, vetuit etiam, ac inhibuit, Tabellas, atque Imagines, ex cera, aut argento, seu ex alia quacumque materia, tam pictas, quàm fictas, atque exculptas appendi; aut affigi; & lampades, sive alia quæcumque lumina accendi, sine recognitione ab Ordinario omnino, prout supra facienda, Sedique Apostolicæ referenda, ac probanda.

§. 4. Declarans, quòd per suprascripta, præjudicare in aliquo non vult, neque intendit iis, qui aut per communem Ecclesiæ consensum, vel immemorabilem temporis cursum, aut per Patrum, virorumque

Sancto-

Sanctorum scripta, vel longissimi temporis scientia, ac tolerantia Sedis Apostolicæ, vel Ordinarii, coluntur.

§. 5. Ut autem præmissa diligentiùs observentur, universis, ac singulis, tam Ordinariis quam hæreticæ pravitatis Inquisitoribus districtè præcipit, ut in sua quisque Diœcesi, vel Provincia sedulo pervigilent, ne sine approbationibus prædictis, Imagines cum memoratis signis exponantur, aut miracula, revelationes, ac beneficia prædicta publicentur, aliave contra superius disposita, fiant.

§. 6. Transgressores verò, si Regulares fuerint, privationis suorum officiorum, ac vocis activæ, & passivæ, necnon & suspensionis à divinis: si verò Clerici seculares, privationis pariter suorum officiorum, suspensionis à divinis, & ab administratione Sacramentorum, executioneque suorum ordinum respectivè, aliisque arbitrio prædictorum Ordinariorum, seu Inquisitorum pro modo culpæ infligendis pœnis plectendo.

§. 7. Qui autem libros impresserint, aut imagines pinxerint, seu sculpserint, & quoquo modo effinxerint, vel formaverint, cæterique Artifices circa præmissa qualitercunque delinquentes, prædicta omnia amittant, & insuper pecuniariis, aliisque etiam corporalibus pœnis, juxta criminis gravitatem eorundem Ordinariorum, seu Inquisitorum arbitrio afficiantur.

§. 8. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

§. 9. Et ne præmissorum ignorantia possit ab aliquo prætendi, voluit, ut Decretum hujusmodi, seu illius exemplum ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum Urbis, ac in acie Campi Floræ affixum omnes perinde arctet, atque afficiat, ac si unicuique personaliter intimatum fuisset.

§. 10. Quodque præsentium transumptis etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, ac sigillo alicujus personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides habeatur, quæ præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Jo. Antonius Thomasius S. Rom. & univers. Inquisitionis Not.

Anno 1625. Indictione 8. Pontificatus Sanctissimi D. N. D. Urbani divina providentia Papa VIII. Anno ejus secundo, die verò 4. mensis Aprilis supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, & in acie Campi Floræ, ut moris est, per me Brandimartem Latinum Sanctiss. Domini nostri Papa Cursorem.

Octavius Spada Magister Cursorum.

L.

Prohibitio ne degentes in statu Ecclesiastico mediatè, vel immediatè Sedi Apostolicæ subjecto, libros ab eis ubicumque compositos de quacumque materia tractantes, absque Cardinalis Vicarii, & Magistri Sacri Palatii in Urbe, & extra eam absque Ordinarii, & Inquisitoris loci licentia deferant, aut imprimendos transmittant.

Feria 5. Die 18. Novembris 1625. In Generali Congregatione S. R. & Universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis coram Sanctiss. D. N. D. Urbano divina providentia Papa VIII. ac Illustriss. & Reverendiss. DD. S. R. E. Cardinalibus adversus hæreticam pravitatem Inquisitoribus Generalibus à Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

SAnctissimus D. N. pro debito sui Pastoralis officii corrigere volens abusus nonnullorum in Statu Sedi Apostolicæ mediatè vel immediatè subjecto existentium, qui libros à se compositos extra præfatum Statum absque ulla Ordinariorum, & Inquisitorum loci ubi degunt, approbatione, imprimendos transmittunt: statuit, & decrevit, ut imposterum nemo in statu prædicto degens, cujusvis conditionis, gradus, ordinis, & dignitatis existant, libros de quavis materia tractantes, & ubicumque compositos, audeat aliò deferre, vel mittere imprimendos sine expressa in scriptis approbatione Illustrissimi, & Reverendissimi D. Cardinalis Sanctiss. D. N. Vicarii, & Magistri Sacri Palatii si in Urbe, si verò extra Urbem existat sine Ordinarii & Inquisitoris loci illius, sive ab iis deputatorum facultate, & licentia operi præfigenda.

§. 1. Libros autem quos contra præsentis decreti tenorem imprimi contigerit, præter alias pœnas arbitrio suæ Sanctitatis infligendas, absque alia declaratione ex nunc prohibet, & pro expressè prohibitis haberi vult, & mandat. Contrariis quibuscumque non obstantibus, &c.

Jo. Anton. Thomasius S. Romanæ, & Universalis Inquisitionis Not.

Anno 1625. Indictione 8. Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris & D. N. D. Urbani divina providentia Papa VIII. Anno ejus 3. Die verò 3. mensis Octobris, supradicta littera Apostolica, sive Decretum affixum, & publicatum fuit in acie campi Floræ, & aliis locis solitis Urbis, per me Brandimartem Latinum Prælibati Sanctissimi D. N. Papæ, & Sacr. Rom. Inquisitionis Cursorem.

SANCTISSIMI D. N. URBANI Papæ VIII. declaratio, quod Constitutiones Apostolicæ in concernentibus Fidem Catholicam, & Sanctæ Inquisitionis Officium hactenus editæ, & inposterum etiam super quacunque alia re edendæ, omnes Regulares quomodolibet privilegiatos comprehendant, nisi illi in edendis specialiter excipiantur.

Urbanus Papa VIII. ad perpetuam rei memoriam.

CUm, sicut accepimus, Sancti Benedicti, Cisterciensis, Præmonstratensis, Sancti Antonii de Sancto Antonio Viennen. Societatis Jesu, ac aliorum forsan Ordinum, Congregationum, Societatum, & Institutorum regularium Professores vigore, seu prætextu privilegiorum, & indultorum sibi, dictisque Ordinibus, Congregationibus, Societatibus, & Institutis, ac à Sancta Sede Apostolica tam per viam meræ concessionis, quàm communicationis, etiam Motu proprio, & ex certa scientia, deque Apostolicæ potestatis plenitudine etiam consistorialiter concessorum, in Constitutionibus generalibus à Nobis & dicta Sede hactenus editis, & decætero edendis se minimè comprehendi prætendant, nisi de eis specialis, specifica, individua, & expressa mentio fiat.

§. 1. Nos qui inter gravissimas, multiplicesque Apostolatus nostri curas in eam præcipuo, ac peculiari studio jugiter incumbimus, ut extirpatis hæreticarum pravitatum erroribus, Catholica Fides ubique gentium conservetur, & propagetur, ambiguitates & dubia de medio tollere, & opportunæ dispositionis ministerio providere volentes, ut tot, tantæque Constitutiones generales à Nobis, & hac sancta Sede, & præsertim ad favorem Fidei Catholicæ, illiusque propagationem & Officii sanctæ Inquisitionis contra hæreticam pravitatem editæ, & de cætero edendæ, sublatis, quibuslibet exceptionibus, subterfugiis, & impedimentis ad majorem Dei gloriam, sanctæque Matris Ecclesiæ exaltationem

tationem debitum, ut par est, sortiantur effectum, necnon quorumcunque privilegiorum, gratiarum, & indultorum, dictis Ordinibus, Congregationibus, Societatibus, & Institutis, cum quibusvis clausulis, & decretis etiam quantumlibet extraordinariis, & cautelis quomodolibet & ex quacunque causa concessorum, etiamsi in corpore juris clausa sit, tenores præsentibus, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in eis tradita observata inserti forent, eisdem præsentibus pro expressis habentes Motu proprio & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine.

§. 2. Quod quævis generales Constitutiones, dispositiones, & ordinationes Apostolicæ per Nos, & quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros in concernentibus Fidem Catholicam, illiusque propagationem, sanctæ Inquisitionis officium præfatum, præsertim quoad ea quæ in Congregationibus sancti officii, & propaganda fide coram Nobis tractari solent, hactenus editæ, omnes, & singulos tam sancti Benedicti, Cistercien. Præmonstraten. Sancti Antonii de sancto Antonio Viennen. & Societatis Jesu præfatorum, quàm quorumcunque aliorum Ordinum, Congregationum, Societatum, & Institutorum professores omnino comprehendant, perinde ac si præfati, & alii quantumlibet privilegiati in eis nominatim expressi fuissent; edendæ verò in posterum per Nos, & Romanos Pontifices successores nostros, tam in favorem præfatæ Fidei Catholicæ, illiusque propagationis, & sancti Officii Inquisitionis præfati, quàm super quacunque alia re, negotio, seu materia, constitutiones, dispositiones, & ordinationes hujusmodi, similiter omnino comprehendant præfatos eorundem Ordinum, Congregationum, Societatum, & Institutorum professores, nisi in edendis Constitutionibus hujusmodi specialiter & expresè excipiantur, etiamsi ipsi privilegiati forent magis speciali nota, & expressione digni, eisque privilegia, gratiæ, & indulta, & Sede Apostolica præfata, etiam sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis, etiam Motu, scientia, ac de potestatis plenitudine similibus, & consistorialiter etiam contemplatione, vel ad instantiam Imperatoris, Regum, & aliorum Principum, tam per viam meræ concessionis, quàm communicationis, & aliàs quomodolibet concessa respectivè sint, quorum, seu quarum vigore, vel prætextu sint excepti, seu se minime comprehendi prætendant in Constitutionibus generalibus, vel aliis, non facientibus plenam, & expressam eorum mentionem.

§. 3. Præsentes verò litteras, omniaque, & singula in eis contenta, etiam ex eo quòd Ordinum, Congregationum, Societatum, & institutorum hujusmodi professores, vel alii quicunque in præmissis interesse habentes, seu quomodolibet habere prætendentes ad hoc vocati, & auditi, ac causæ propter quas eædem præsentes emanarunt adductæ, verificatæ, seu aliàs justificatæ non fuerint, ullo unquam tempore de subreptionis, seu nullitatis vitio aut intentionis nostræ, vel alio quovis etiam quantumvis substantiali defectu notati, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, aut aliud quodcunque juris, facti, gratiæ, vel justitiæ remedium impetrari nullatenus posse, neque sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus pro tempore quomodolibet faciendis comprehendi.

§. 4. Sed semper ab illis exceptas, semperque validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus & singulis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, sicque per quoscunque Judices ordinarios & delegatos, etiam causarum palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales etiam de Latere Legatos, dictæque Sedis Nuncios, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & diffiniri debere, ac irritum & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

§. 5. Non obstante regula nostra de jure quæsito non tollendo, ac quibusvis aliis Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon tam sancti Benedicti Cistercien. Præmonstraten. Sancti Antonii de Sancto Anton. Viennen. & Societatis Jesu præfatorum, quàm quorumcunque aliorum Ordinum, Congregationum, Societatum, & institutorum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus etiam immemorabilibus, & privilegiis, necnon præfatis, & quibusvis aliis privilegiis, indultis, & litteris Apostolicis, etiam Mare magnum, & alias quomodolibet nuncupatis, eisdem Ordinibus, Congregationibus, Societatibus, & Institutis, eorumque Superioribus, bonis, rebus, Monasteriis, locis regularibus, & personis, sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus & insolitis clausulis, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma, ad hoc servanda foret, illorum omnium & singulorum tenores præsentibus pro plenè & sufficienter expressi, & ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expresè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 6. Volumus autem quod præsentium transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ, quodque eædem præsentes litteræ, seu illarum exempla ad valvas Basilicarum Sancti Joannis Lateranen. ac Principis Apostolorum de Urbe, & in acie Campi Floræ affixa, omnes ita arctent, & afficiant, ac si unicuique personaliter intimata fuissent.

Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 5. Novemb. 1631. Pontificatus nostri anno 9.

M. A. Maraldus.

Die, & Anno supradicto affixa, & publicata fuerunt supradictæ litteræ ad valvas Curiæ & Cameræ Apostolicæ, ac in acie Campi Floræ, & aliis locis solitis & consuetis, ut moris est per me Andream Scalmanum Sanctissimi D. N. Papæ Cursorem.

QUÆSITUM VIII.

Virùm exemptis, ad evitandam manutentionem Ordinario debitam, in quasi possessione jurisdictionis, sufficiat exhibere privilegium exemptionis.

SUMMARIUM.

1 *Episcopus habet intentionem fundatam de jure communi, exercendi jurisdictionem in omnibus locis suæ Diœcesis, & in omnes personas degentes intra limites sui Episcopatus.*

2 *Assistentia juris sola, absque possessione, suffragatur Episcopo ad obtinendam manutentionem in exercitio jurisdictionis.*

3 *Manutentio Episcopi in exercitio jurisdictionis non impeditur per solam allegationem privilegii, nisi illud exhibeatur.*

4 *Manutentio Episcopo debita in quasi-possessione jurisdictionis non impeditur sola exhibitione privilegii exemptionis, nisi concurrat etiam quasi possessio.* Contrarium num. seq.

6 *Manutentio ex sola juris assistentia non datur Episcopo, quando Prælatus inferior reperitur in quasi possessione exercendi jurisdictionem, cui tunc potius datur manutentio, maximè si unà cum possessione concurrat privilegium,* num. 9.

7 *Quasi-possessio Prelati inferioris in exercitio jurisdictionis non interrumpitur ex actibus per Episcopum factis jure delegato.*

8 *Jurisdictionis temporalis exercitium non probat quasi-possessionem jurisdictionis spiritualis.*

10 *Quasi-possessio exemptionis sola absque privilegio, non suffragatur exemptis ad obtinendam manutentionem; sufficit tamen ad offuscandam juris assistentiam, ne ex ea Episcopo detur manutentio.*

11 *Quasi-possessio cui jus commune resistit, non suffragatur absque titulo ad effectum manutentionis.*

12 *Quasi-possessio longæva & temporis considerabilis habetur loco tituli, & sufficit ad effectum manutentionis etiam in possessione contra jus.*

14 *Assistentia juris turbida non suffragatur Episcopo ad obtinendam manutentionem in exercitio jurisdictionis; sed Rota solet, omisso possessorio discutere petitorium.* Limita, ut num. 15. & 16.

17 *Prælatus inferior ut dicatur constitutus in quasi-possessione jurisdictionis, debet probare actus jurisdictionales per ipsum gestos fuisse cum scientia, & patientia Episcopi adversarii.*

18 *Scientia, & patientia præsumitur ex lapsu longi temporis, & ex actuum multiplicitate,* num. 19.

20 *Quasi possessio exemptionis non dicitur acquisita ex eo solùm, quod Superior jurisdictionem non exercuerit, nisi probetur quod venerit casus exercendi, & volens exercere fuerit repulsus, & repulsioni acquieverit, vel aliàs habuerit se pro spoliato.*

21 *Articuli circa modum probandi exemptionem quomodo sint formandi remissivè.*

1 Regulariter Episcopus habet intentionem fundatam de jure communi exercendi jurisdictionem in omnibus Ecclesiis suæ diœcesis, & in omnes personas degentes intra limites sui Episcopatus, *Can. omnes basilicæ*, & *ibi* Doct. 16. *quæst. 7. cap. cùm contingat*, & *ibi* etiam Doct. *de for. compet. cap. 1. de offic. Ordin. cap. cum venerabilis de relig. domib. cap. cùm persona de privileg in 6.* Hostiens. *in cap. cùm inferior n. 13. de majorit. & obed.* Anchar. *cons. 310. num. 5.* Paris. *cons. 95. num. 1. lib. 4* Caputaq. *decis. 306. num. 1. & 7 pars. 1. & decis. 203. part. 2.* Rot. *decis. 736. n. 4. part. 1. divers. & decis. 15. num. 2. decis. 27. n. 2. decis. 156. num 4. decis. 171. num. 2. & dec. 491. num. 1. in fin. pars. 2. recens. in Calagurritana seu Nullius jurisdictionis 16. Junii 1606. coram Orsembergo, quæ in fin operis est decis 47. num. 4. in Theatina Jurisdictionis, 17. Decembris 1612. coram Reverendiss. D. Coccino Decano, quæ in fin. operis est decis. 57. num. 1. in Lauretana jurisdictionis 20. Junii 1616. coram Card. Sacrato, quæ in fine operis est decis. 64. numer. 1. & in Nullius seu Aprutina jurisdictionis 10. Martii 1624. coram Archi-Episcopo Seleucien. quæ in fin. operis est decis. 71. num. 1.*

2 Obquam juris assistentiam datur Episcopo manutentio, etiam non probata quasi-possessione, *cap. cùm persona §. fin. cùm ibi nos. per Doct. de privil. in 6.* Caputaq. *d. decis. 203. part. 2.* Seraphin. *decis. 1104. & dec. 1449. num. 1.* Marescott. *var. resolut. lib. 1. c. 11. num. 2.* Rot. *d. decis. 491. n. 2. pars. 1. & decis. 382. num. 1. & decis. 493. num. 2. & decis. 502 num. 1. part. 2 recens. in Tullen. jurisdictionis 3. Junii 1628. coram D. Card. Virsle*; & in aliis supra allegatis.

Ad impediendam manutentionem Episcopo *ut suprà* 3
debitam, sufficit non solùm allegare privilegium exemptionis, sed necessarium est illud exhibere, & quidem validum, atque ad præscribendum sufficiens *d. cap. cùm personæ §. nos volentes, & §. fin. de privileg. in 6.* ubi Jo. Monach. *num. 1. vers. etsi privilegium non exhibetur*, & Prob. ad eum *in princ.* Gemin. *num. 2.* Ancher. *in 1. notab.* Franch. *in princ. n. 3. & in d. §. fin. num. 1.* Castrens. *in l. si solemnibus num. 3. C. de fid. instrum.* Paris. *d. cons. 95. num. 8. & 9. lib. 4.* quos secuta est Rota *Nullius seu Sulmonen. vel. Valven. jurisdictionis 4. Decembris 1615. coram Buratto, quæ inter ejus impress. est decis. 140. num. 1.* Imò neque ad dictum effectum suffragatur sola exhibitio privilegii, nisi 4
unà cum privilegio concurrat quasi-possessio exemptionis, ut post Lap. *in d. cap. cùm persona num. 4. vers. & hoc videtur*, & *ibi* etiam Ancharan. *num. 6. vers. hoc tamen*, Gemin. *in §. si verò, vers. & hoc videtur.* Franc. *ibidem num. 3. vers. & hoc procedit*; firmavit Rota *d. decis. 491. num. 4. & seq. pars. 1. recent.* in qua reprobatur Gloss. Contrarium sentiens *in d. cap. cùm* 5
persona §. quod si in fin. verb. turbentur. Contrarium tamen quod scilicet Episcopo non suffragatur sola juris assistentia ad obtinendam manutentionem, quando ostenditur solum privilegium exemptionis, resolvit eadem Rota *in Theatina seu Nullius jurisdictionis de Bucclanico 23. Junii 1614. coram Reverendiss. D. Coccino, quæ in fine operis est decis......*

Supradicta conclusio quod Episcopo detur manutentio ex sola juris assistentia, declaratur, ut non procedat, quando Prælatus inferior reperitur in quasi-possessione exercendi jurisdictionem, tunc enim Epi- 6
scopo non prodest sola juris assistentia ad obtinendam manutentionem, quæ eo casu datur potius inferiori Abb. *in cap. 1. num. 4 & num 8 ut lit. pendens.* Marescot. *d. cap. 11. num. 21.* Cardinal. Seraphin. *decis. 585. numer. 2. & decis. 595. num 2. & 3.* Rota *decis. 685. sub. num. 2. pars. 1. recent. in Aquilan. jurisdictionis 30. Martii 1607. coram Eminentiss. D. Card. Joanne Baptista Pamphilio* apud Marches. *tom. 1. pagin. 980. in Pennen. jurisdictionis 22. Aprilis 1624. coram Dunozetto.* Quæ possessio inferioris non interrumpitur ex actibus 7
per Episcopum factis jure delegato in vim Concilii, Rota *in Aprutina jurisdictionis 19 Junii 1606. & 19. Martii 1607. coram Eminentissimo Cardinale Joanne Baptista Pamphilio, quæ in fine operis sunt decis. 51. & 52. & coram eodem in d. Aquilan. jurisdictionis 30. Martii 1607. & in Adrien. seu Nullius jurisdictionis 28. Maji 1612. & 18. Martii 1613. coram Ubaldo, quæ infra est dec. 65. & 66. n. 3. & seq. in d. Theatina jurisdictionis de Attissa 17 Decembris 1612. coram Reverendissimo D. Coccino Decano, quæ in fine operis est decis. 57. num. 5. & in dicta nullius seu Aprutina jurisdictionis 10. Martii 1624. coram Dunozetto num. 14. & sequen.* advertendo quòd non sufficit probare exer-
citium dominii, & jurisdictionis temporalis, sed debet 8
constare de quasi-possessione jurisdictionis, spiritualis, Rot. *decis 324. n. 10. part. 1. recens.*

Supradicta declaratio multò magis procedit quan- 9
do unà cum possessione concurrit privilegium exemptionis, Rota *in d. Aquilana jurisdictionis 30. Martii 1607. coram Eminentiss. D. Card. Pamphilio*, in qua aliæ autoritates, & decisiones allegantur, *& in d. Theatina jurisdictionis de Attissa 17. Decembris 1612.* 10
coram Reverendissimo D. Coccino Decano, Imò sola quasi-possessio, absque privilegio non prodest exem-
ptis ad obtinendam manutentionem: nam quasi-possessio, 11

sessio, cujus commune resistit absque titulo non suf-
fragatur ad affectum manutentionis, ut ex text. *in d.
cap. cùm persona de privileg. in 6.* notant Abb. *in d. cap.
1. num. 8. vers. sed contra, ut lit. pend.* & latiùs Covarr.
*pract. quæst. cap. 17. numer. 6. vers. verùm opinions, &
vers. quarto non sic respondendum erit.* Menoch. *de re-
tinen. remed. ult. num. 24.* Marescot. *d. cap. 11. n. 23.*
& in terminis Rot. *d. decis. 382. sub. num. 2. vers. insu-*
12 *per part. 2. recent.* Nisi possessio inferioris esset longæ-
va, & temporis considerabilis, quæ habetur loco tituli,
& sufficit ad effectum manutentionis etiam in possessi-
one contra jus ex notat. per Abb. *in cap. cùm venissent
num. 8. de instit.* & Franc. *in d. cap. cùm persona. §.
fin. de privileg in 6.* Covar. *d. num. 6. vers. secundo
oportet*, quos refert, & sequitur Rota *decis. 595. num. 4.
part. 1. divers. & decis. 685. num. 3 part. 1. recent. & in
aliis relatis* per Adden. *ad decis. 312.* Greg. XV. *sub lit-
tera A. vers. item assistentia, & in Vincen. administra-
tionis Episcopatus 16. Decembris 1624. coram Rembol-
do relata* per D. Ferentill. *in annot. ad dec. 140.* Burat.
sub. num. 5.
13 Verùm licet quasi-possessio Prælati inferioris abs-
que privilegio, illi non suffragetur ad effectum obti-
14 nendi manutentionem, sufficit tamen ad offuscandam
juris assistentiam, quæ sic non revelat, & ex illa nec da-
tur Episcopo manutentio, sed Rota solet, omisso judi-
çio possessorio, gustare de meritis causæ, & discutere
petitorium, ut *in decis.* 1278 Card. Seraphin. *& in
Montis Regalis jurisdiction. 4. Novembris 1598. coram
Pensa, & in Marsicen. jurisdict. 16. Jan. 1617. coram
Buratto, quæ in fine operis est dec. 73. numer. 5.* Mare-
scott. *var. resolut. lib. 1. d. cap. 11. numer. 11.* nisi Epi-
15 scopus ostendat aliquos actus possessoris, ex parte sua
factos, quibus stantibus non obstante, quod ex actibus
contrariis gestis per inferiores, assistentia juris obscu-
rata fuerit, daretur nihilominus Episcopo manuten-
tio, Rot. *d. decis. 382. numer. 5 part. 2. recent.* in qua
16 fuit etiam dictum, Conclusionem, quòd Episcopo
non datur manutentio contra allegantem titulum, &
præscriptionem, de qua supra, intelligendam esse, ut
procedat, quando Episcopus soli assistentiæ juris com-
munis innititur; secus verò, ubi pro parte sua osten-
deret plures actus possessorios, quos tamen teneretur
casu clarè, & concludenter probare, ac etiam clarè &
concludenter ostendere loca, in quibus prætendit ju-
risdictionem, esse sita intra limites suæ Diœcesis, ne
sufficerent præsumptiones, & conjecturæ, ut post alios
dixit Rota *in d. Nullius seu Aprutina jurisdictionis 10.
Matis 1624. coram Dunozetto sub num. 5.* & notat D.
Ferentill. *in annotat. ad decis. 140. Buratt. num. 4.*
17 Notandum autem primò, quòd ad hoc ut Præla-
tus inferior dicatur constitutus in quasi-possessione
jurisdictionis, debet probare, actus jurisdictionales
per ipsum gestos fuisse cum scientia & patientia Epi-
scopi adversarii, ut in his terminis Rot. *decis. 501.
18 num. 4. part. 2. recent.* Præsumitur tamen scientia &
patientia ex lapsu longi temporis, Rot. *decis. 28. n. 7.
& decis. 147. num. 3. part. 1 divers.* ubi quod in plu-
ribus causis ita fuerit resolutum, *& decis. 406. num. 7.
part. 1. recent. & Nullius seu Squillacen. jurisdictio-
nis 4. Martii 1616. coram Andrea, quæ in fine operis
19 est decis. 69. num. 17.* Sicut etiam præsumitur scientia
& patientia hujusmodi ex actuũ multiplicitate. Abb.
*in cap. cùm Ecclesia numer. 25. de caus. possess. & pro-
priet.* Put. *decis. 210. num. 3. & decis. 258. num. 1. lib.
1. in correct.* Seraphin. *decis. 306. num. 7.* Rot. *decis.
166. num. 4. part. 1. divers. & in d. Nullius, seu Squil-
lacen. coram Andrea, num. 18.*
20 Secundò notandum quod non dicitur quis consti-
tutus in quasi-possessione exemptionis ex eo solùm,
quòd non constet, superiorem in illum exercuisse ju-
risdictionem, nisi probetur, quod venerit casus exer-
cendi, & volens exercere fuerit repulsus, & repulsio-
ni acquieverit, vel aliàs habuerit se pro spoliato, Innoc. *in cap. dilectus num. 3.* & Hostiens. *num. ... vers. ex prædictis.* Joan. Andr. *num. 8.* Butr. *n. 15, de Capell. Monach.* Caputaquen. *decis. 306. part 1.* Rot. *d. decis. 491. num. 8. part. 1. recens. & in Toletana exemptionis 14. Maji 1614. coram Eminentissimo D. Card. Joanne Baptista Pamphilio, quæ in fine operis est decis. 53. num. 9.*

Circa modum probandi exemptionem qualiter sit articulandum, vide Rot. *decis. 1. de præscript. in nov.*

QUÆSITUM IX.

Abbates, & Prælati inferiores quando dicantur habere territorium separatum, & esse Nullius, & quando dicantur esse in Diœcesi.

SUMMARIUM.

1 *Abbates Nullius habent territorium separatum, & propriam Diœcesin, cujus respectu diœcesani appellantur.*

2 *Abbates, qui territorium separatum non habent dicuntur esse in alterius Diœcesi.*

3 *Exemptionis privilegium à subjectione tantùm, non autem à situatione, & denominatione liberat.*

4 *Locus exemptus non dicitur constituere territorium per se, nisi impropriè, & per modum æquiparationis.*

5 *Ecclesia qualibet censetur esse in aliqua Diœcesi, nisi probetur habere territorium separatum.*

6 *Ecclesia censetur esse in illa Diœcesi, cujus finibus magis adjacet præcipuè si non appareat de jure alterius.*

7 *Prælati inferiores nullum habent territorium separatum, nisi illud habeant ex speciali privilegio Papæ.*

8 *Territoria distinguere, & separare est solius Papæ.*

9 *Territorium separatum acquirere possunt Prælati inferiores præscriptione immemorabili, vel quadragenaria cum titulo, excludendo prorsùs Episcopum; latè traditur, & opinio contraria reprobatur, & declaratur* num. 10. & sequent.

11 *Immemorabilis habet vim privilegii, & melioris tituli de mundo, etiam ubi jus commune resistit.*

12 *Præscriptio quadragenaria cum titulo, sufficit etiam quando jus resistit.*

13 *Territorium habere Prælatis inferioribus jus non resistit cùm expressè id non prohibeat, sed tantùm præsumit solum Episcopum habere Diœcesim.*

14 *Præscriptio, aliud est, quod sit contra jus, aliud contra juris præsumptionem.*

15 *Servitutem in alieno fundo præscribere, non est contra jus, sed contra præsumptionem juris præsumentis omnia prædia libera,* & num. seq.

17 *Territorium proprium Abbatiæ censetur effectus locus, in quo jurisdictio est totaliter abdicata ab Episcopo, & in Prælatum inferiorem translata; & non dicitur amplius de Diœcesi, neque in Diœcesi, sed nullius: etiam si hujusmodi locus sit circundatus limitibus Diœcesis,* num. 18.

19 *Locum esse in aliqua Diœcesi, probatur ex actibus jurisdictionalibus ibi ab Episcopo factis.*

20 *Jurisdictionis quasi-possessionem ad acquirendam, non est necessarium probare exercitium singularum specierum jurisdictionis, sed sufficit probare actus in quibusdam, & aptitudines in cæteris.*

21 *Jurisdictionis quasi-possessio universalis acquiritur per exercitium unius actus.*

22 *Jurisdictionis quasi-possessio ab Episcopo non acquiritur ex actibus factis absque scientia & patientia Prælatorum inferiorum, contra quos prætenderetur jurisdictio.* Contrarium num. seq.

24 *Scientia patientis necessaria non est in habente juris assistentiam, dum non agit de acquirenda, sed de continuanda possessione.*

25 *Titulum cum possessione habens, non tenetur probare sententiam, vel patientiam adversarii.*

26 *Jurisdictionales actus, ut probent Ecclesiam esse in Diœcesi, debent esse certi.*

27 *Visitatio est actus jurisdictionalis.*

28 *Visitationes non probant exercitium jurisdictionis, nisi probentur facta ante concilium, vel jure ordinario, quod non præsumitur, sed potiùs contrarium.*

29 *Seminario facta contributio non probat subjectionem contribuentis, & jurisdictionem Episcopi cogentis.*

30 *Jurisdictio non probatur ex actibus quos Episcopi in exemptos tamquam delegati exercere possunt.*

31 *Locum esse in aliqua Diœcesi, probatur ex testibus.*

32 *Testes ad probandum, locum esse in diœcesi, qualiter deponere debeant.*

33 *Locum esse in Diœcesi probatur ex privilegio exemptionis.*

34 *Locum esse in Diœcesi, probatur ex enunciativis summorum Pontificum, quæ emanarunt principaliter ad describendos fines Diœcesis, dummodo sint saltem duæ, factæ à diversis Summis Pontificibus in diversis bullis*, num. 35.

36 *Enunciativa, ut probent, debent esse antiquæ.*

37 *Enunciativæ plures in instrumentis celebratis diversis temporibus, inter diversas personas, & à diversis notariis, & idem attestantibus, habent vim famæ.*

38 *Locum esse in Diœcesi, probatur ex pluribus enunciativis antiquis, saltem concurrentibus adminiculis, & dummodo concurrat longæva quasi-possessio*, num. 39. *& dummodo ex aliis enunciativis contrariis non elidantur*, num. 42.

1 ABbates exempti, sive Seculares, sive Regulares, alii dicuntur nullius Diœcesis, alii verò sunt in Diœcesi alterius. Abbates nullius Diœcesis habent territorium separatum, & propriam Diœcesim per se, cujus respectu ipsi quoque Diœcesani appellantur, Card. *in Clementina prima*, §. *volumus, quæst.* 4. *num.* 2, ubi Imol. *num.* 38. & Panormit. *num.* 15. *de for. compet.* Sanch. *de matrim. lib.* 3. *disput.* 29. *num.* 16. *vers. ad primam confirmationem, & lib.* 8. *disp.* 2. *n.* 12. cum aliis *inferius* allegandis.

2 Abbates autem, qui territorium separatum non habent, sunt in alterius Diœcesi, ut constat ex *cap. cùm Episcop. de offic. ordin. eodem lib.* & *ibi* Franc. *in* 2. *not.* & Gemin. *num.* 3. Put. *decis.* 83. *lib.* 3. Rot. *dec.* 324. *num.* 3. *part* 1. *recent. & decis.* 346. *num.* 8. *coram Re-*
3 *verendiss. D. Coccino.* Probatur: quia si loca non essent in Diœcesi, exemptionis privilegium necessarium non foret; hujusmodi autem privilegium à subjectione tantùm, non autem à situatione, & denominatione liberat, Gonzal. *super regul.* 8. Cancel. gloss. 43. *num.* 187. *& seqq.* Et licet Doctores, quos cumulat
4 Rolandus *cons.* 13. *num.* 44. *& seqq. lib.* 3. asseruerint loca exempta constituere territorium per se; tamen illud impropriè intelligendum est, & quoad certos effectus, & per modum æquiparationis; ita Felinus *in cap. grave. numer.* 2. *in fine, de offic. ordinar.* Gonzal. *ubi proximè, numer.* 191. Benè Rota *decis.* 207. *numer.* 2. 3. *&* 4. *part.* 2. *divers. & decis.* 342. *num.* 7. *part.* 1. *recent.*

Et hanc differentiam inter exemptos & Nullius agnovit Concil. Trident. *sess.* 24. *cap* 9. cùm ibi loca exempta per Episcopum, in cujus Diœcesi existunt, quæ verò nullius Diœcesis esse dicuntur, per viciniorem tanquam Apostolicæ Sedis delegatum permittit visitare, ut advertit Rot. *d. decis.* 207. *num.* 3. *part.* 2. *divers. & in Calaguritana jurisdictionis* 26. *Junii* 1604. *coram Otembergo, quæ infra est decis.*......

Quælibet tamen Ecclesia censetur esse in aliqua 5
Diœcesi, nisi probetur habere territorium separatum, *cap. omnes Basilicæ* 16. *quæst.* 7. *cap. cùm persona de privil. in* 6. Felin. *in cap. grave num.* 2. *vers. imo videtur, de offic. Ordin.* Rot. *in d. Calaguritana jurisdictionis* 26. *Junii* 1604. & 16. *Junii* 1606. *coram Ortembergo quæ in fine operis sunt dec.* 46. *&* 47. *& in Faventina jurisdictionis* 19. *Maji* 1609. *coram Justo, & in Marsicen. jurisdiction.* 29. *Novembris* 1621. *coram bon. mem. Buratto, quæ inter ejus impress. est dec.* 578. *& in fin. operis est decis.* 74. *num.* 1. *& in Nullius seu Aprutina jurisdictionis* 10. *Martii* 1624. *coram Dunozetto, quæ in fine operis est decis.* 71. *num.* 3. & censetur esse in illa Diœ- 6
cesi, cujus finibus magis adjacet, ad text. *in* §. *insula il primo instit. de rer. divis. l. adeo* §. *insula ff. de acquir. rer. domin.* Abb. *in cap. super eo numer.* 5. *de Paroch.* Bald. *in cap. cùm olim num.* 1. *de præscript.* Alex. *in addit. ad Bartol. l. si convenerit, l.* 2. §. *si nuda, ff. de pignorat.* ad Hieron. de Mont. *in tract. de finib. cap.* 30. *num.* 9. *&* 10. *& in cap.* 83. *numer.* 2. Nat. *consil.* 672. *num.* 17. *& in terminis* Rot. *in d. Calaguritana jurisdictionis* 16. *Junii* 606. *coram Ortembergo num.* 2. ubi *num.* 3. quòd hæc præsumptio faciliùs procedit, quando non apparet de jure alterius, & *in d. Faventina jurisdictionis coram Justo, in Adrien. jurisdictionis* 22. *Junii* 1622. *coram R. P. D. Pirovano, & in d. Nullius, seu Aprutina jurisdictionis coram Dunozetto numer.* 3. *& in d. Marsicen. coram Buratto num.* 3.

Undè territorium distinctum, & separatum, ac propriam Diœcesim de jure solus Episcopus habere dici-
tur. Alii verò Prælati inferiores nullum habent ter- 7
ritorium separatum, nisi illud habeant ex speciali privilegio Papæ, ad quem solum spectat, territoria di- 8
stingvere, & separare, *c. cùm contingat, ubi* Hostien. *num.* 1. Butr. *num.* 11. *vers. de consuetudine.* Abb. *n.* 18. Bellamer. *num.* 15. *vers. tamen certumer de for. compet.* Rot. *in Calaguritana jurisdictionis* 16. *Junii* 1606. *coram Ortembergo num.* 20. *in Constantien. jurisdictionis* 18. *Maji* 1611. *coram eod. quæ est decis.* 324. *num.* 2. *part.* 1. *recent. & in fin. operis est decis.* 55. *num.* 2. *& in*
d. Marsicen. coram Buratto num. 2. Vel nisi hujus- 9
modi territorium separatum unà cum jurisdictione quasi Episcopali acquisierint ex præscriptione immemorabili vel quadragenaria cum titulo, ut notant Hostiens. Butr. Bellamer. & Abbas *locis proximè citatis* & Calderin. *consil.* 2. *de præscript.* qui affirmant posse Prælatos inferiores præscribere jurisdictionem quasi Episcopalem cum territorio contra Episcopum, non tamen quoad hoc, ut Episcopus ibi non habeat jurisdictionem saltem habitu, quia sic essent duo capita in eadem Diœcesi, quod esset monstrum, sed posse tantum præscribere cum hoc, ut Episcopus habeat universalem jurisdictionem saltem habitu, & Prælati inferiores habeant quasi sub eo, licet exercitio excludatur Episcopus, & prædictos doctores sequuta est Rota *in d. Calaguritana coram Ortembergo num.* 21. & *in d. Constantien. coram eodem n.* 11. ubi quod hoc fieri non possit per præscriptionem etiam immemorabilem.

Verùm contrarium, & rectius, quod scilicet Præ- 10
latus inferior possit præscribere certam partem Diœcesis cum territorio, excludendo prorsus Episcopum in illo loco ab exercitio jurium Episcopalium, tenent Archidiac. *in cap. cùm Episcopus numer.* 2. *verb. per alium de offic. Ordin. in* 6. & *ibid.* Joan. Andr. *sub num.* 1. *paulo post princip. vers. quod dicit Gemin. sub num.* 7. & Franc. *num.* 3. *ante med. vers. ideo si*, Rota *decis.* 2. *de præscript. in nov.* & Abb. *in cap. auditis num.* 4. *in* 4. *notab. de restit. in integr.* & *in cap. auditis num.* 7. *de præscript.* ubi quod Ostiens. *in d. cap. cùm contingat* non benè sensit & firmavit Rota *in Vulte-*

ranen.

raven. seu nullius jurisdictionis 23. Aprilis 1584. coram
Orano, quæ in fine operis est decis. 40. Ideo Ostiens. &
sequacium opinio licèt posset procedere in simplici
consuetudine, secus dicendum est in immemorabili,
quæ habet vim privilegii, & melioris tituli de mundo
cap. super quibusdam, §. præterea: ubi gloss. in verb.
non extat memoria de verb. signif. Gozadin. cons. 8.
num. 37. Paris. cons. 151. num. 43. & 49. lib. 1. Achill.
decis. 4. de jure patr. Gabr. de præscript. conclus. prima
num. 44. Cur. Jun. consil. 20. num. 6. vol. 1. ubi dicit,
id locum habere etiam in casibus, in quibus jus com-
mune resistit, latè Paris. consil. 115. numer. 50. vol. 1.
Put. decis. 199. lib. 1. in nov. Rot. decis. 677. numer. 4.
12 ad fin. pars. 5. & 614. numer. 1. part. 2. recent. & de
quadragenaria cum titulo, quæ sufficit etiam quando
13 jus resistit cap. 1. de præscript. in 6. Covar. post alios
var. resolut. cap. 17. numer. 7. lib. 3. Ultra quod in hoc
casu jus commune non resistit, non enim expresse pro-
hibet inferioribus Prælatis habere territorium, sed tan-
tùm præsumit, solùm Episcopum habere Diœcesin
14 ut videre est ex juribus allegatis & observat. Rot. in d.
Vulteranen. coram Orano: aliud est autem, quod jus præ-
scribatur contra prohibitionem expressam juris, aliud
quod adversus quandam juris præsumptionem explici-
15 tè id non vetantis, Covar. variar. resolut. lib. 1. cap.
17. num. 7. in fin. Prout dicitur de præscribente ser-
vitutem; cùm enim jus præsumat omnia prædia li-
bera, l. altius, & l. si tibi C. de servit. & aqu. tamen
contra jus non est, si in alterius fundo servitutem quis
præscribat, sed tantummodo contra quandam præ-
sumptionem naturalis libertatis. Coras. in C. servitu-
tes num. 33. C. de servit. Menoch. de retinen. remed. 5.
16 numer. 48. Rota in d. Vulteranen. seu Nullius. Item
dictum Ostiens. & sequacium procedit, & ita ipsi lo-
quuntur, quando inferior vult præscribere certum ter-
ritorium in eadem Diœcesi, ita ut ea sit unum corpus
habens duo capita, quod est monstruosum, & propter-
ea consuetudine introduci non potest. Secus verò
ubi inferior ita præscribit territorium separatum à Diœ-
cesi, ut faciat propriam, & diversam Diœcesim cujus
solus caput sit ipse inferior, & sic unum tantùm ca-
put habeat; quo casu cessat absurdum Ostiens. & Se-
quacium, cujus rationem propterea in casu isto repro-
bat Imol. in d. cap. cùm contingat, numer. 8. in fin. &
ita etiam loquitur Rot. in d. Constantien. quæ in fin.
vers. non obstat. admittit, talem præscriptionem posse
procedere, & facta fuit cum præsupposito, quod Pa-
rochiales, de quibus ibi agebatur, essent in Diœcesi
Constantien. & privilegia, quibus Abbas ibi niteba-
tur, simplicem tantùm exemptionem continerent, &
eam restrictam ad Monasteria, & eorum membra, non
autem ad loca, castra, sive populum, & denique ibi
non fuerit abdicatum omne jus Episcopale, & trans-
latum in Abbatem, & sic dicta decisio non procedit,
ubi per separationem territorii loca non sunt amplius
in Diœcesi, neque de Diœcesi, & in eis Abbas habet
jus, & jurisdictionem quasi-Episcopalem, ut advertit
Rot. in Nullius, seu Squillac. jurisdictionis 4. Martii
1616. coram Andrea, quæ in fin. operis est decis. 69.
numer. 8. & in eisdem terminis loquitur alia deci-
sio in d. Calaguritana, in qua 7. Februarii 1607. co-
ram eodem Orsembergo articulus super consuetudine
immemorabili exercendi jurisdictionem, & habendi
territorium privativè ad Episcopum, fuit habitus pro
revelanti, & exinde concessa remissoria, ut infrà dec. 48.
17 Quare ubi constat jurisdictionem in aliquo loco es-
se totaliter abdicatam ab Episcopo, & in Abbatē, vel ali-
um Prælatum privilegio vel consuetudine immemo-
rabili, vel quadragenaria cum titulo translatam, locus
ille censetur effectus proprium territorium Abbatis, &
non dicitur amplius de Diœcesi, neque in diœcesi Epi-
scopi, sed Nullius, Gloss. in d. clem. 1. §. volumus in
verb. Diœcesanus, & ibi Card. num. 2. in 4. quæst. Abb.
num. 15. Imol. num. 28. Vitalin. num. 4. de for. compet.
Ancharan. in cap. postulasti, num. 45. vers. licet ratio-
nes cod. tit. Franc. in cap. 2. §. statuto, num. 10. ad fin.
vers. 6. sed si per privilegium de constit. in 6. Mandos.
in reg. 16. Cancellar. quæst. 42. numer. 3 Sanchez de
matrimon. lib. 3. disput. 29. num. 16. & lib. 8. disput. 2.
num. 12. Gratian. discept. forens. cap. 212. num. 11.
Mantic. decis. 361. numer. 2. Rot. decis. 207. in fin. part.
2. & decis. 619. num. 1. part. 4. divers. coram Reveren-
diss. D. Coccino decis. 346. num. 6. in impress. & fuit re-
solutum in Burgen. jurisdictionis 16. Decembris 1594.
coram Orano, quæ est decis. 100. post 1. volum. cons. Fa-
rinac. num. 3. & in fin. operis est decis. 41. & in eadem
causa 28. Aprilis 1595. coram eodem, quæ est decis. 105.
post 1. vol. cons. Farinac. & 165. part. 4. divers. & in fi-
ne operis est decis. 42. numer. 2. & 3. in Constantien. ju-
risdictionis 16. Novemb. 1607. coram Ortembergo, quæ
in fine operis est dec. 54. num. 5. in Adrien. seu Nullius
jurisdictionis 28. Maji 1612. & 21. Martii 1613. co-
ram Francisco Ubaldo, quæ in fine operis sunt decis. 65.
& 66. & in Dict. Nullius seu Squillacen. jurisdictionis
coram Andrea num. 7. & in Faven. seu Nullius jurisdi-
ctionis 27. Octobris 1617. coram Reverendiss. D. Coccino,
quæ in fine operis est decis. 70. Quod procedit, etiam si 18
loca hujusmodi sint circundata limitibus Diœcesis,
Rota in d. Calaguritana seu Nullius, jurisdictionis 7.
Februarii 1607. coram Orsembergo, quæ in fine operis
est decis. 48. num. 7. & in d. Squillacen. numer. 12. quas
sequitur D. Ferentil. in Annot. ad dec. 578. Burat. n. 24.
Quod autem locus sit in aliqua Diœcesi, probatur ex 19
pluribus, & primò ex actibus jurisdictionalibus ibi
ab Episcopo factis. Calcan. cons. 34. num. 11. Hiero-
nym. de Mont. de finib. regen. cap. 78. num. 32. Rota
in d. Marsicana jurisdictionis coram Buratto num. 12.
& in Adrien. jurisdictionis 27. Junii 1622. & 30. Ja-
nuarii coram R. P. D. Pirovano, quas refert, & sequi-
tur D. Ferentill. in Annotat. ad d. Marsicen. coram Bu-
rat. num. 15. Nec est necessarium probare exercitium 20
singularum specierum jurisdictionis, sed sufficit pro-
bare actus in quibusdam, & aptitudines in cæteris. Bald.
cons. 161. numer. 2. vers. item non est necesse lib. 3. Ro-
ta in Theatina jurisdictionis 17. Decembris 1607. co-
ram Ortembergo, quæ in fine operis est decis. 56. nu-
mer. 3. & per exercitium unius actus Episcopus dici- 21
tur constitutus in quasi-possessione universalis juris-
dictionis, Rota in d. Theatina coram Orsembergo,
n. 4. Dummodò probetur, quod hujusmodi actus sit 22
factus cum scientia, & Patientia Prælatorum inferio-
rum, contra quos prætenditur jurisdictio, aliàs non
suffragatur, ut in his terminis respondit Rota in d. A-
drien. seu nullius jurisdictionis 28. Maji 1612. coram
Ubaldo num. 7. in d. Aprutina jurisdictionis 19. Mar-
tii 1607. coram Eminentissimo D. Cardinale Joanne
Baptista Pamphilio num. 1. & in eadem causa 10. Mar-
tii 1624. coram Dunozetto num. 16. & in Theatina ju-
risdictionis de Bucclanico 23. Junii 1614. coram Reve-
rendiss. D. Coccino Decano; quæ in fine operis est decis.
59. num. 7. Verùm quod non sit necessarium Episco- 23
po probare scientiam, & patientiam adversarii, re-
solvit Rota in allegata Adrien. jurisdictionis 27. Junii
1612. coram R. P. D. Pirovano, & ratio est, quia Epi-
scopus habet juris assistentiam exercendi jurisdictio-
nem in locis sitis inter fines suæ Diœcesis; at in 24
habente juris assistentiam, non est necessaria scientia
patientis, dum non agit de acquirenda, sed de conti-
nuanda quasi-possessione. Rip. in cap. cùm Ecclesia
Sutrina numer. 74. vers. facit autem de caus. possess. &
propriet. Sequitur D. Ferentil. in Annotat. ad dicta
decis. 578. Buratt. sub numer. 16. & quia Episcopus 25
tunc habet titulum cum possessione, quo casu non est
necessarium probare scientiam, vel patientiam ad-
versarii,

ceſſarii, Caſtren. *in l. ſervitutis* 14. *ſub. num.* 9. *verſ.*
quarto requiritur, ff. de ſervitut. Veronen. *de ſervitut.*
Urban. *præd. cap.* 20. *num.* 5. *verſ.* 2. fallit cum aliis *in*
d. Theatina juriſdictionis 17. *Decembris* 1607. *coram*
26 *Ortembergo.* Seraphin. *deciſ.* 1213. *num.* 7. Rot. *de-*
ciſ. 513. *num.* 3 *part.* 1. *recent.* Inſuper actus juriſdi-
ctionis, ut hoc ut probent Eccleſiam eſſe in diœceſi,
debent eſſe certi, quia ſi poſſent referri ad plures cau-
ſas, ſive titulos, non eliceretur ex eis vera probatio,
ſed æquivoca, quæ non ſufficit ex allegatis per Surd.
conſ. 168. *num.* 33. *verſ. reſpondeo quoque, & num. ſeq.*
27 Et ideo licet actus viſitationes ſint juriſdictionales
cap. 1. §. *cùm autem, de cenſib. cap. conquerente,* ubi
Gloſſ. & DD. præcipuè Abb. *num.* 2. *in fin. de offic. or-*
din. Seraphin. *deciſ.* 475. *num.* 1. & 615. *num.* 2. &
1008. *num.* 4 Mantic. *deciſ.* 322. *num.* 14. Gregor. XV.
deciſ. 4. *num.* 4. & *deciſ.* 304. *numer.* 4. Buratt. *deciſ.*
504. *num.* 1. cum aliis per D. Ferentill. *ibi ſub littera*
28 *A. num.* 22. tamen cum poſſint ab Epiſcopo fieri jure
delegato tanquam ab Epiſcopo viciniori, qui vigore
Concilii Tridentini *ſeſſ.* 24. *cap.* 9. *de reformat.* poteſt
viſitare Eccleſias etiam quæ ſunt Nullius, non ſuffra-
gantur hujuſmodi actus, niſi viſitationes probentur
factæ vel ante Concilium, vel ſi poſtea, doceatur factas
jure ordinario, quod eſt probandum quia non præſumi-
tur, ſed potius vigore Concilii factas fuiſſe, ut reſolvit
Rota *in d. Aprutina juriſdictionis* 19. *Junii* 1606. &
30. *Martii* 1607. *coram Eminentiſſ. Domino Cardi-*
nale Pamphilio in dict. Adrien. ſeu Nullius Juriſdi-
ctionis coram Ubaldo numer. 3. & 4. & *in d. Nullius*
ſeu Aprutina juriſdictionis coram Dunozetto num. 14.
& 15. quas refert & ſequitur D. Ferentill. *loco cit. num.*
18. & Rota *in d. Theatina juriſdictionis de Atteſſa* 17.
Decemb. 1612. *coram Reverendiſſ. D. Coccino, quæ in fi-*
ne operis eſt deciſ. 57. & *coram eodem in alia Theatina,*
ſeu nullius juriſdictionis de Bucclanico 23. *Junii* 1614.
29 ſicut etiam ex contributione facta ſeminario, non pro-
batur ſubjectio ex parte contribuentium, nec juriſdi-
ctio ex parte Epiſcopi cogentis ad contributionem,
quia vigore Concilii Tridentini *ſeſſ.* 23. *de reformat.*
c. 8. *circa med.* ſeminario contribuere tenetur etiam,
qui ſunt Nullius. Rot. *in d. Adrien. ſeu Nullius juriſ-*
dictionis 28. *Maji* 1612. *coram Ubaldo, num.* 5. & *in d.*
Squillacen. ſeu Nullius coram Andrea, num. 26. & ge-
30 neraliter ex actibus, quos Epiſcopi in exemptos vigore
Concilii tanquam delegati exercere poſſunt, quos re-
cenſui *ſupra quæſ.* 7. *hac diſp.* non probatur juriſdictio,
ut Rota *in dd. Adrien & Squillacen.*
31 Secundò locum eſſe in aliqua Diœceſi probatur ex
teſtibus explicitè id deponentibus, & bonam rationem
reddentibus, Rot. *in d. Calaguritana juriſdictionis* 26.
Junii 1604. *coram Ortembergo, & in d. Marſicen. co-*
32 *ram Buratto, n.* 7. debent tamen teſtes in hac materia,
etiam non requiſiti, aſſignare rationem concludentem,
non per actum intellectus, ſed etiam per ſenſum cor-
poris, ad hoc ut eorum depoſitiones ſtringant, ut in his
terminis Rot. *in d. Nullius, ſeu Aprutina coram Duno-*
zetto, n. 12. ubi *n.* 18. quod non ſufficiant teſtes de au-
ditu non ſpecificantes perſonas, à quibus audierunt.
33 Tertiò probatur ex privilegio exemptionis, quod
eximit ſolùm à ſubjectione, non autem à ſituatione, &
denominatione. Vitalin. *in clem.* 2. *n.* 44. *de privil.*
Fran. *in c.* 2. §. *ſtatuo verſ. ſed adverte de conſtit. in* 6.
Rot. *d. dec.* 207. *n.* 3. *part.* 2. *diverſ.* & *d. dec.* 324. *n.* 4.
& *dec.* 491. *n.* 1. *part.* 1 *recent.* cum aliis *in d. Calaguri-*
tana ſeu Nullius juriſd. 16. *Jun.* 1606. *coram Ortem-*
bergo, n. 5. & 6. & *in eadem cauſa* 20. *Maji* 1615. *co-*
ram Ubaldo, quæ in fin. operis eſt deciſ. 50. *num.* 1. & *in*
d. Marſicana coram Buratto, num. 14.
34 Quartò probatur ex enunciativis, quæ ſi emanave-
rint à Summis Pontificibus principaliter ad deſcri-
bendos fines diœceſis, cum clauſula *quæ propriis di-*
ximus exprimenda vocabulis, probant locum in eis no-
minatum eſſe intra fines Diœceſis, ut tenuit Rota *dec.*
142. *n.* 5. & 6. *part.* 4. *diverſ.* & *dec.* 258. *n.* 2. *poſt* 2. *vol.*
conſil. Farinac. & *dec.* 405. *n.* 2. & *dec.* 683. *n.* 4. *part.* 1.
recent. & *in Cæſaraugaſtana Cameraria* 26. *Novembris*
1632. *coram R. P. D. Pirovano, quæ in fine operis eſt dec.*
78. ubi *n.* 23. quod Rota ſemper amplexa ſit hanc opi-
nionem, tanquam veriorem, & idem tenuit *in eadem*
cauſa coram eod. 9. *Maji* 1633. *quæ infra eſt dec.* 79. *n.*
3. & admiſit eadem Rot. *in alleg. Adrien. ſeu Nullius*
juriſdictionis 18. *Martii* 1613. *coram Ubaldo, n.* 4. licèt
de relevantia hujus probationis dubitaverint Franc. *in*
c. ſi Papa, n. 4. *verſ. & dicit etiam, de privileg. in* 6.
Put. *dec.* 427. *lib.* 2. *in nov.* cum aliis per Rot. *d. dec.*
683. *n.* 1. *part.* 1. *recent.* Debent tamen enunciativæ hu-
jusmodi eſſe plures, ſaltem duæ factæ à diverſis ſummis 35
Pontificibus in diverſis Bullis. Aretin. *in cap. cùm cau-*
ſam, n. 23. *verſ. ſed poteſt reſponderi de probat.* Rota
dec. 388. *ſub n.* 1. *part.* 1. *diverſ.* & *deciſ.* 160. *n. part.* 1.
recent. Item debent eſſe antiquæ, alias non probant 36
l. non nudis, & l. non epiſtolis C. de probat. Rot. *dec.* 31.
de probat. in antiq. & *in Tarviſina juriſdictionis* 17. *Fe-*
bruarii 1598. *coram Litta, & in Theatina juriſdictionis*
4. *Julii* 1612. *coram Reverendiſſimo D. Coccino.* Inſuper
enunciativæ plures in inſtrumentis diverſis temporibus 37
inter diverſas perſonas, & à diverſis Notariis celebratis,
& idem atteſtantibus, ex quibus reſultat publica fa-
ma. Caputaq. *deciſ.* 344. *num.* 2. *part.* 3. Rot. *deciſ.*
472. *num.* 1. & *deciſ.* 541. *num.* 3. *part.* 1. *recent.* pro-
bant locum eſſe in Diœceſi in antiquis, ſaltem concur- 38
rentibus adminiculis, Rota *in d. Calaguritana, ſeu*
Nullius juriſdictionis 16. *Junii* 1606. *coram Ortem-*
bergo num. 12. dummodo concurrat longæva quaſi-poſ- 39
ſeſſio, ut in his terminis reſolvit Rota *in d. Adrien. ſeu*
nullius juriſdictionis 18. *Martii* 1613. *corã Ubaldo n.* 6.
& *in d. Nullius, ſeu Squillacen. juriſdictionis coram An-*
drea, n. 11. & dummodo ex aliis contrariis enunciativis 40
non elidantur Rot. *d. dec.* 160. *n.* 12. *p.* 1. *recent.* & *in d.*
Adrien. coram Ubaldo, n. 7. & *in d. Cæſaraugustana*
Cameraria 9. *Maji* 1633. *coram R. P. D. Pirovano n.* 8.

QUÆSITUM X.

Pendente lite ſuper exemptione inter Abbatem, & Epiſcopum, ad quem pertineat juriſdictio.

SUMMARIUM.

1 *Judex Regulariter cognoſcit, an ſibi juriſdictio com-petat.*

2 *Ordinarius nequit in materia exemptionum de ſua juriſdictione cognoſcere.*

3 *Pontificis eſt de exemptione cognoſcere.*

4 *Juriſdictio erga alios, lite pendente inter Epiſco-pum, & Abbatem ſuper exemptione, ſpectat ad eum qui tempore motæ litis in poſſeſſione illam ex-ercendi reperiebatur.*

5 *Poſſeſſio anteceſſorum, ad effectum manutentionis, ju-vat ſucceſſorem.*

PAucis hanc quæſtionem reſolvam, adjecta unica diſtinctione: nam aut inter ipſum Abbatem, ſive Prælatum inferiorem, & Epiſcopum, agitur de juriſdictione erga alios exercenda, aut Epiſcopus prætendit erga ipſummet Abbatem juriſdictionem habere. In hoc ultimo caſu licet regulariter ad judicem ſpectet cognoſcere, & determinare, utrùm ſibi juriſdictio competat, *l.* 2. ubi Doct. *ff. ſi quis in jus vocat. non ierit. l. in præſcriptione C. ſi contra jus;* Panormit. Felin. & alii *in cap. ſuper literis de reſcript.* tamen in hac materia exemptionum Ordinarius nequit de ſua juriſdictione cognoſcere. Quia quando agitur non ſolùm de nudo exercitio juriſdictionis, ſed etiam de proprietate ſubjectionis, non licet judici cognoſcere, ut docent Panormitanus *in cap. ad audientiam,* & ibi etiam Gloſſ. *de appellat.* Felin. *in cap. ſuper literis. num.* 24. *de reſcript.*

Tum

Tum quia per exemptiouem agitur de totali fundamenro jurisdictionis, & proprietate illius, idque cum honore & commodo Ordinarii, quo casu Ordinario cognoscere non licet, an sibi jurisdictio competat, ex Felin. *d. cap. super litteris, num. 23. vers. fallit. tertio*; Confirmatur argumento à simili; nam quando excipitur, quod locus non est de jurisdictione eicantis, eo casu Judex, cujus in ea re vertitur utilitas, cognoscere non potest, Felin. *d. cap. super litteris, num. 27.* ubi etiam Butr. validum est autem in jure argumentum de locis ad personas. Atque quod opposita exemptione, Ordinario integrum non sit cognoscere, an sibi jurisdictio competat, docent Felin. *dict. cap. super litteris, num. 10. vers. quartus casus. & num. 24. vers. fallit quarto, de rescript.* ubi etiam Panorm. & alii, Innocent. *in c. venerabilis,* ubi etiam Panormit. *num. 3. & 4. de censib.* idem Panormit. Franc. & alii *in cap. ad audientiam de appellat.* Angel. *in d. l. 2. n. 1. & 2. ff. si quis in jus vocat. &c.* Erasm. à Chokier. *de jurisdict. Ordin. in exempt. p. 2. quæst. 12. per tot.* licet contrasentire videatur Gloss. *in cap. cùm persona verb. Ordinariis, de privileg. in 6.* per illum text. in hoc igitur casu recurrendum erit ad utriusque Superiorem, nem-
3 pe ad Summum Pontificem: nam cùm ejus solius sit plenè eximere, ejus etiam erit de suo exemptionis privilegio judicare, & determinare, text. *in cap. cùm venissent,* ubi Gloss. *in verb. judicare,* & Doct. *de judic.*

4 Si verò agatur de exercenda jurisdictione in alios; nempe cui competat hujusmodi exercitium, tunc jurisdictio spectabit ad eum, qui tempore motæ litis in possessione illam exercendi reperiebatur; in ea enim
5 manutenendus est juxta text. *in §. retinendæ. Instit. de interdict.* Rota *decis. 238. & decis. 263. & 591. num. 1. & decis. 501. num. 2. part. 2. recent.* & ad hunc effectum successor juvatur etiam possessione antecessoris, Rota *decis. 1. de restitut. spoliat. in nov.* Guidop. *decis. 629.* eadem Rot. *d. decis. 501. num. 2. part. 2. recent.* ubi alia decisio citatur.

QUÆSITUM XI.

Utrùm Abbatia Regularis exempta effecta secularis remaneat exempta.

Summarium.

1 *Privilegium concessum ratione professionis, vel officii, durat quatenùs durat professio, vel officium,* num. 11.

2 *Cessante causa privilegii, ejus effectus cessare debet.*

3 *Privilegium mutatur, mutatione personæ,* declara, ur num. 12.

4 *Ecclesia Regularis ad regularem statum redacta, non amittit exemptiones, & privilegia, quæ antea obtinebat, nisi expressè sint sublata.*

5 *Causæ duæ ubi concurrunt, una tantum cessante, non cessat dispositio.*

6 *Causa utilitatis potentior, & principalior præsumitur.*

7 *Causa utilitatis præsumitur finalis, quia futura respicit, & quia magis universalis, & perpetua.*

8 *Causa permanente permanet effectus.*

9 *Subrogatus in locum alterius, in ejus quoque jura, & privilegia subrogatus esse censetur.*

10 *Subrogatio facta à lege semper intelligitur facta cum privilegiis, secùs si sit facta ab homine.*

13 *Formam reductionis Ecclesiæ Regularis in secularem vide remissivè.*

1 Videtur dicendum, quòd sic. Quia privilegium concessum ratione professionis, vel officii durat, quatenus durat officium, vel professio, *l. maximarum,* ubi id notat Bart. *C. de excusat. muner. lib. 10. l. sub prætextu, C. de sacrosanct. Eccles. l. semper,* & ibi etiam Barthol. *ff. de jur. immunit.* notatur in *l. seminarios, C. de testament. milit.* & per Felin. *in cap. clerici col. 2. de jud.* Bald. *in l. instar. col. 2. C. de jure fisci lib. 10.* At privilegium exemptionis regularibus concessum videtur ratione professionis; nempe ex eo, quòd Regulares sunt. Ergo cessante Regularitate, expirat privilegium exemptionis ejus intuitu concessum, per
text. *in cap. Abbates de verbor. significat. & in cap. ex parte, & in cap. licet de decim. & in can. ita nos §. t. 25. quæst. 2.* 2

Secundò. Quia mutatione personæ mutatur privi- 3
legium, *l. Paulus respondit,* ubi Bart. & alii *ff. de requir. hæredit.* ad idem text. *in l. cùm patronus, ff. de legat. 2.* quem ad hoc ponderavit Marian. Soncin. *con. 153. n. 18.* Jas. *in auth. quas actiones, num. 41. C. de Sacrosanct. Eccles.* Surd. *cons. 127. num. 67. lib. 1.* & alii; ergo privilegium concessum Regularibus debet cessare, facta translatione regularitatis, in secularitatem.

His tamen non obstantibus, contrarium dicendum 4
est; nempè, quòd Abbatia, sive Ecclesia regularis ad secularem statum redacta non amittit exemptiones & privilegia sibi antea concessa nisi expressè sunt sublata.
Primò quia ubi duæ causæ concurrunt, una tantùm 5
cessante, non cessat dispositio, *l. si ventri, l. in bonis,* ubi Bart. *ff. de privileg. creditor. & §. affinitatis,* Instit. *de nup.* Sed Summus Pontifex non videtur ad hujusmodi exemptiones concedendas impulsus ea tantum causa, quod personæ erant Regulares, sed etiam prop-
ter Ecclesiæ, & Religionis utilitatem ac favorem, quæ 6
causa utilitatis Ecclesiæ potentior, & principalis fuisse
præsumitur, secundùm Calderin. *cons. 8. sub rub. de* 7
privileg. & præsumitur finalis, quia futura respicit, *ad l. 1. §. sexum, ff. de posth.* & quia magis universalis, & perpetua, quam ratio Religionis, seu regularitatis, ut notatur per Bald. *in l. generaliter, col. 2. C. de Episc. & Cleric.* Ideò licet prius in Ecclesia fuerint Regulares; quia Ecclesiæ utilitas permanet in secularibus, permanebit & privilegium, *l. liberorum, §. notantur, ff. de his, qui not. infam. cap. requisisti, de testam. cap.*
dilectis, de for. compet. Quòd autem utilitas Ecclesiæ 8
maneat, & perseveret in Ecclesia Regulari secularizata, patet quia hujusmodi mutatio, sive Regularis status in secularem translatio Apostolica auctoritate fieri debet, quod est certum; numquam autem summus Pontifex ad id inclinaret, si ex translatione hujusmodi potiùs detrimentum, quàm utilitas Ecclesiæ sequeretur.

Secundò licèt exemptio ab initio concessa foret Monachis, seu aliis Religiosis; tamen quando Canonici seculares subrogantur in locum Regularium, in eo-
rum quoque jura & privilegia subrogati esse censen- 9
tur; facit text. *in clem. 1. de supplen. neglig. Prælat.* Ubi Episcopus subrogatus in locum Canonicorum ad eligendum Abbatem, intelligitur subrogatus eodem modo, & forma, quibus Monachi eligere debebant; & hoc probat Felin. post Calderin. *in c. cùm accessissent, col. 6. de const.* ubi plura ad hoc adducit; facit generalis regula de subrogatis, quæ est, ut sapiant naturam, & sortiantur jura, & privilegia eorum, in quorum locum subrogantur, *l. si eum, §. qui injuriarum, ff. si quis caution. cap. Ecclesia, ut lite pend.* Item
quia subrogatio facta à lege semper intelligitur facta 10
cum privilegiis. Licèt non facta autem ab homine; nisi agatur de favore, & utilitate Ecclesiæ, *juxta doctrinam* Henrich. Boich. *in d. cap. Ecclesia, ut lite pendent.* Barthol. Soncin. *cons. 93. num. 3. circa fin. & n. 4. lib. 3.* Sed hic subrogatio fit à lege, quia fit à Summo Pontifice, qui est lex animata, & viva in terris, *§. fin. Auth. de consult. collat. 5. l. 1. §. cùm Urbem, ff. de offic. præf. Urb.* notatur *in l. & quia ff. de jurisd. omn. Jud.*

Confirmatur per ea, quæ docent Joan. Andr. & alii *in cap. 1. §. ad hæc de Religios. domibus in 6.* ubi dicunt quòd is qui donavit Religiosis certa prædia sub conditione,

tione, quod redirent ad eum si contingeret ipsos Religiosos mutare habitum, vel à loco recedere, non habet jus repetendi donationem, si mutatus fuit habitus de licentia Papæ; quia habitus mutatus de licentia Papæ, censetur subrogatus loco alterius.

11 Non obstat quod cessante professione debet cessare privilegium; quia hoc procederet, si privilegium concessum fuisset ratione solius professionis, quo casu non negatur mutatione status amitti privilegium, sed concessio exemptionis facta est, attenta ratione utilitatis Ecclesiarum, & Religionum earumque favore, ut supra diximus, faciunt quæ notantur *in l.1. C. de collect. de immunit. lib.11.* ubi si privilegium concedatur non solùm respectu privilegiatorum profitentium aliquam artem, sed etiam favore Universitatis vel Collegii, permanet privilegium, etiam quod privilegiati desinant exercere artem illam.

12 Nec item obstat, quod mutatione personæ extinguatur privilegium; quia id verum est, quando sola persona fuit immediata causa privilegii, secundùm Dinum. *in regul. privileg. de regul. juris in* 6. per text. *in l. non solùm, ff. de in integrum restit.* sed personæ Regularium non fuerunt immediata causa exemptionis concedendi, sed favor Religionis, & Ecclesiarum, nec non earum utilitas, ut diximus, ergo, &c. Atque quòd Ecclesia Regularis, per mutationem status non amittat privilegia, & immunitates, ac libertates sibi concessas, nisi expressè sint sublata, & nisi concernant ipsum statum, ut puta ordinem regularem, docent Innocent. *in cap. dilectus, col. 3. sub num. 4. verb. Monialium,* & *ibi* Joan. Andr. *col. 4. in princip. eodem verbo Monialium*, Panormit. *num. 9.* & alii *de Capell. Monachorum.* Idem Innoc. *in cap. Abbate in fine*, & ibi Butr. *num. 22.* & Panormit. *num. 16. de verborum significat.* Rebuff. *cons. 105. & in Concordatis rubr. de Regia ad Prælat. nomin. faciend. §. ult. verbo, concessa.* Geminian. *cons. 125. num. 32.* Oldrad. *cons. 267. num. 1.* latissimè Ripa *respon. 3. ad cap. 2. de rescript. à num. 12. in fin.* Philip. Prob. *in addit. ad Joan. Monach. in cap. cùm de beneficio, à num. 42. usque in finem de prabend. in 6.* Rota *in una Tarraconen. Sacristia 29. Martii* 1601. *coram Justo circa fin. relata* per Garz. *de benef. part. 7. cap. 15. num. 8.* eadem Rota *in Aquilana jurisdictionis* 30. *Martii* 1607. *coram Pamphilio num. 3. relata* per Marchesan. *de commissionibus part. 1. fol. 980.* eadem Rota *in Cæsaraugustan. praeminentiarum 3. Martii* 1609. *coram Coccino.*

13 Forma reductionis Regularitatis in secularitatem traditur à Philippo Probo *loc. cit. num. ult.*

QVÆSITUM XII.

Vtrum Abbates & Prælati exempti possint exemptioni renunciare.

SUMMARIUM.

1 *Exemptio est libertas, qua exemptus liberatur ab Ordinarii jurisdictione.*

2 *Favori suo renunciare quilibet potest.*

3 *Abbates & Prælati exempti nequeunt exemptioni renunciare.*

1 Videtur dicendum, quod sic; Quia exemptio est libertas, qua exemptus eripitur, vel liberatur ab Ordinariorum jurisdictione, *can. nulla*, junct. gloss. 93. *dist.* gloss. *in cap. olim il 1. in verb. Diœcesani*, & ibi, Panormit. & alii *de privileg.* ergo est favor & pri-
2 vilegium: at quilibet potest favori suo renunciare, *l. si quis in conscribendo, C. de Episc. & cler. cap. ad Apostolicam, de Regular.* Ergo, &c.

3 Contrarium tamen dicendum est; quòd Abbates, & Prælati ab Ordinariorum, & aliorum jurisdictione exempti, & Sedi Apostolicæ subjecti nequeant exemptionis privilegio renunciare; quia summus Pontifex, aliquos à Prælatorum sibi inferiorum jurisdictione solvendo, ac sibi subjiciendo, constituit se immediatum eorum Superiorem, Judicémque Ordinarium, quasi esset Episcopus Diœcesanus; ideò nequeunt exempti, absque Papæ licentia, hujusmodi privilegio renunciare; sicut Clericus, absque Diœcesani licentia, nequit se alieno Episcopo subjicere, & ejus jurisdictionem prorogare, per text. *in cap. significasti, de for. compet.* quia consequenter id noceret jurisdictioni & favori proprii Episcopi. Unde cùm supra dictum sit exemptiones etiam Apostolicæ Sedis favore concedi, non est, cur exemptus in præjudicium Summi Pontificis, cujus interest, huic privilegio renunciare possit: atque hoc expresse probatur *in cap. cùm tempore, de arbitr.* ubi §. *fin.* Summus Pontifex approbat quoddam compromissum inter Ecclesiam exemptam cum quodam Episcopo, & excipit, quæ contra libertatem illius Ecclesiæ exemptæ in eo compromisso continentur, hanc reddens rationem: *Cùm etsi spontè volueris, de jure tamen nequiveris, sine licentia Romani Pontificis renunciare privilegiis, vel indulgentiis libertatis, quæ Monasterium illud indicant ad jus & proprietatem Romanæ Ecclesiæ pertinere.* Idem probatur *ex cap. 2. ad fin. de in integr. restitut.* ibi, *non tàm jus suum, quàm nostrum, & cap. cùm olim il. 2. de privileg.* ibi *Jus nostrum, & Ecclesia Romana tuebatur.* Atque ita tenent gloss. finalis *in Clement. penult. de sentent. excommun.* Anton. de Butr. *in cap. significasti, num. 12.* & ibi etiam Panormit. *num. 10. & 11.* & Marian. Soncin. *num. 42. de for. compet.* idem Panormit. *in d. cap. cùm tempore, num. 2. & 7. de arbitr.* Felin. *in cap. cùm accessissent in princip. de constitut.* Joan. Andr. *in reg. sciente, de regul. jur. in Mercuriar.* Jason. *in d. l. si quis in conscribendo*, Mandos. *de signat. grat. verb. exemptionis ab Episcopis, versic. exemptus à jurisdictione*, Card. Tusc. *verb. renunciare, concl. 171. num. 9.* Chokier *de jurisd. Ordin. in exempt. part. 3. quæst. ultim.* Roderic. *quæst. regul. tom. 2. quæst. 63. art. 10.* Sanch. *in decalog. lib. 4. cap. 39. num. 29.* & aliis sequentibus Galerat. *de renunciat. tom. 2. cent. 2. renunciat. 140. num. 18.* Aug. Barbos. *in addit. ad collect. ad d. cap. cùm tempore*, latè Rota *in Vlixbonen. Monast. 2. Junii* 1625. *coram Remboldo, & in eadem causa 19. Novembr.* 1625. *coram Reverendiss. Domino Coccino Decano*, in quibus contrariis respondet, subditque non esse veram sententiam, gloss. *verb. libertatis, in d. cap. cùm tempore*, asserentis privilegio exemptionis renunciari posse in præjudicium exempti, non verò eximentis, quia non potest considerari aliquis effectus, quantùm ad exemptum; nam jus libertatis est ita conjunctum inter exemptum, & superiorem, ut commodè separatio fieri non possit, prout observat Abbas *in d. cap. cum tempore, n. 7. quæ dec. in fin. operis sunt dec. 81. & 82.* & idem firmavit Rota *coram Gregor. XV. decis. 325. num. 23. & in Leodien. Decanatus 15. Jan. 1629. coram R.P.D. Purovano.*

Ad argumentum respondemus, quod licèt generaliter dicatur, quem posse licitè juri & favori suo renunciare; tamen in privilegio exemptionis tangitur nedum favor exempti, sed etiam ipsius Superioris, id est Pontificis qui eum exemit, & eximendo ab aliis, illum immediatè suæ jurisdictioni subjecit, unde sua interest, hanc immediatam subjectionem non amittere.

QUÆSITUM XIII.

Vtrùm Episcopus Regulares Ecclesias, & Monasteria sibi subjecta à sua jurisdictione eximere possit.

SUMMARIUM.

1 *Episcopus potest Ecclesias suæ Diœcesis à sua potestate eximere.*

2 *Exemptiones ab Episcopis Regularibus concessa referuntur.*

3 *Potest*

3 *Poteſt ab omnibus juribus, quæ in Eccleſiis ſua Diœceſis Epiſcopus non poſſidet, libertatem concedere.*

4 *Epiſcopus Eccleſias ſibi ſubjectas eximere à quibus non poſſit.*

5 *Epiſcopus eximere poteſt in totum initio fundationis Eccleſia.*

Item patiendo jura ſua præſcribi.

Item per modum Vicaria perpetua.

Item non appellando à ſententia ſuper plena inferioris exemptione contra ſe lata.

6 *Epiſcopus, & alius Prælatus Summo Pontifice inferior nequit immunitatem ſemel conceſſam amplius revocare.*

7 *Exemptio ab Ordinario conceſſa, abſque conſenſu Capituli non ſuffragatur, & conſenſus præſtari debet collegialiter, & à Capitulo ad id legitimè congregato*, num. 8.

9 *Conſenſus Capituli requiſitus in exemptione ab Epiſcopo alicui Eccleſiæ conceſſa, præſumitur ex obſervantia 30. annorum etiam quòd in privilegio exemptionis enunciatus, aut reſervatus non appareat.*

1 REgulariter Epiſcopus poteſt Eccleſias intra ejus Diœceſim ſitas à ſua poteſtate eximere, ut probat Gloſſ. 25. *quæſt. 2. in Summa, verſ. item Epiſcopus*, & alii Doctores inferiùs citandi communiter; & leguntur aliquæ hujuſmodi exemptiones Regularium Monaſteriis conceſſæ ab Epiſcopis: ut fuit exemptio
2 conceſſa Cœnobio D. Vincentii Lutetiæ, à B. Germano Pariſiorum Epiſcopo, cujus privilegium refertur in *quæſ. 4. hujus Diſp.* huic ſimile privilegium conceſſum fuiſſe ab Archiepiſcopo Conſentino propter exemptionem Fratrum Minimorum de Paula, à ſua juriſdictione legitur, *in 1. tomo privil. ejuſdem Ordin.* à Laur. Peirino. *declarat. in principio*; cujus privilegii tenor eſt:

PIRRHUS MISERATIONE DIVINA Archiepiſcopus Conſentinus.

Dilecto Nobis in Chriſto Filio F. Franciſco de Paula, Eremitæ noſtræ Conſentinæ Diœceſis, tuæque Congregationis Fratribus Eremitis præſentibus, & futuris, ac univerſis, & ſingulis, ſalutem in Domino ſempiternam.

DEcet nos ex officio, quo Archiepiſcopali Eccleſiæ Conſentinæ præſidemus, vigilanti cura, ſingularique ſollicitudine circa ea, quæ in laudem, & gloriam omnipotentis Dei, cui ſoli cura eſt de nobis, & à quo bona cuncta procedunt, ac in augmentum ſanctæ Fidei Catholicæ, noſtræque Chriſtianæ Religionis, ac plurimorum animarum ſalutem cedunt, ac in multorum bonum exemplum, inſudare; ac quantùm cum Deo poſſumus, ea, quæ juſta, rationabilia, ſalutifera, & à jure divino, ac ſanctorum Patrum inſtitutionibus, penitùs, & omninò non diſcrepantia gratioſè concedere & iis rationabiliter annuere.

Dudùm ſiquidem ad tuæ ſupplicationis inſtantiam ſuper finibus dictæ Terræ Paulæ, quoddam Oratorium, ſeu Eccleſiam ſub vocabulo ſancti Franciſci, per te erigi fecimus, in quo divina officia audire & Eccleſiaſtica Sacramenta recipere, ac orare poſſes. Tu, qui dictum Oratorium, ſeu Eccleſiam cum ſingulari diligentia, unà cum quodam parvo dormitorio fabricaſti, ac fabricari feciſti, ac indies fabricas, & amplias, vitam auſteram, Eremiticam per viginti annos, vel circà, & ſanctè, & juſtè, & religioſè vixiſti, ac de bono in melius perſeveraſti, prout ducis, vivis, & perſeveras de præſenti, ibidemque Deus ſolita clementia, diverſa, & crebra miracula per te operatus eſt, & operatur indies, propter quæ multorum crevit devotio populorum, & ad te confluit populi multitudo, multique ſub habitu Eremitico, & tecum vivere decreverunt, & Deo continuò præſtare famulatum. Ut tu ipſique quietiùs, ſanctiùs, & devotiùs vivere, & Deo ferventiùs famulari valeatis, tu & Fr. Balthaſar Sacerdos, cæterique Clerici, vel Laici ſub habitu Eremitico ibidem vitam ducentes, nobis humiliter ſupplicaſtis, ut dictum Oratorium, ſeu Eccleſiam ſancti Franciſci de Paula, ab omni juriſdictione, & ſuperioritate Matris Eccleſiæ terræ Paulæ, & ab omni alia juriſdictione, & ſuperioritate, etiam noſtra eximere, & liberare, & ſub protectione Sedis Apoſtolicæ totaliter relaxare, dictumque Oratorium, ſeu Eccleſiam, unà cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis, tibi, tuæque Congregationis Eremitis, Fratribus, præſentibus, & futuris conferre, & in perpetuum concedere, & providere de eodem; teque prout ipſi ſupplicarunt in eorum Patrem, Superiorem, & Priorem deputare, hujuſmodi Fratribus, Eremitis poteſtatem, baliam, auctoritatem, te Fratrem Franciſcum, & alios quoſcunque in eorum Superiores, & Officiales canonicè eligendi dare, & concedere, tibique & aliis per vos eligendis, omnem juriſdictionem, & poteſtatem in ſpiritualibus, & temporalibus, indè, & ſuper omnibus locis & perſonis, & rebus hujuſmodi; cum poteſtate Miſſas, & alia divina officia celebrandi, Confeſſiones audiendi, Euchariſtiæ, & alia Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrandi, & recipiendi, malefactores, rebelles & inobedientes puniendi, incarcerandi, condemnandi, & abſolvendi; & pro hujuſmodi vitæ obſervantia ſtatuta, & ordinationes juri divino, & Sanctorum Patrum inſtitutionibus conſona faciendi, & de bono in melius reformandi, ac aliàs opportunè in omnibus concedere, dare & providere dignaremur.

Nos verò, qui ex vera ſcientia, & experientia jam longo, & continuo tempore te cognoſcimus, operaque tua, & nobis manifeſta ſunt, & Religioſum, & ſanctum hominem, ac Deo gratum, & acceptum fore & eſſe demonſtrant; conſiderantes, quòd bona opera pia, charitativa, ac Deo grata, & multis ſalutifera, inibi, & ubique per te, tuamque Congregationem ferventiùs, & quietiùs, & devotiùs operari poterunt, ſi privilegiis, munimine, ac favoribus & gratiis proſequantini opportunis, veſtris juſtis, & ſanctis deſideriis, & ſupplicationibus annuentes, & inclinati; hujuſmodi Oratorium, ſive Eccleſiam, unà cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis tibi, tuæque Coongregationi in perpetuum damus, tradimus, aſſignamus, cedimus, & conferimus, ac tenore præſentium providemus de eodem.

Téque in ſuperiorem hunjuſmodi Congregationis Patrem, Rectorem, & Priorem, ſeu quovis alio nomine nuncupamus, & deputamus, cui præſis, ac vita, & exemplis proſis: tuiſque monitis, mandatis, & præceptis ſalubriùs omnes hujuſmodi Congregationis perſonæ obedire, & parere debeant, ipſiſque tuis Eremitis Fratribus, te in ſuum Superiorem, & Priorem, ac unà tecum alios quoſcunque Superiores & Officiales canonicè eligendi poteſtatem, & auctoritatem.

Nec non Statuta, & Ordinationes pro hujuſmodi vitæ obſervantia, à jure tamen divino, & Sanctum Patrum inſtitutionibus non deviantia, faciendi.

Tibique, & hujuſmodi Officialibus, & Superioribus ſic eligendis omnimodam juriſdictionem, ordinariam in ſpiritualibus, & temporalibus Congregationis hujuſmodi perſonarum, etiamſi Sacerdotali, ſeu quavis alia præfulgeant dignitate, & locorum juriſdictionem animalium, & rerum omnium ad te tuamque Congregationem, quomodolibet ſpectantium.

Cum poteſtate quoſcunque rebelles, & inobedientes, omnium hujuſmodi Congregationis perſonarum delinquentium peccata, delicta, & cujuſcunque generis

neris maleficia, & crimina (prout juris fuerit) puniendi, hujusmodi delinquentes incarcerandi, condemnandi, disciplinandi, liberandi, absolvendi, cæteraque faciendi, quæ in præmissis, & circa præmissa vobis videbuntur fore necessaria, & opportuna, & quæ nosmet facere possemus.

Sacerdotibus verò hujusmodi Congregationis, seu secularibus, vel regularibus per vos eligendis, ut Missa etiam ante diem, & in quocunque loco ad hoc congruo, & honesto cum altari portatili celebrandi, Eucharistiæ, & alia quæcunque Sacramenta Ecclesiastica liberè, & licitè tibi, hujusmodique tuæ Congregationis personis, quoties devotio ingruerit, & necessitas postulaverit, absque quacunque Superioris licentia ministrare, ad quæ suscipienda, extrà loca hujusmodi compelli non possitis.

Confessiones audire, & ab omnibus casibus, excommunicationibus, suspensionibus, & interdictis, ac super quacunque irregularitate, nobis tam à jure, quàm à nobis reservatis, & permissis, toties, quoties absolvendi, & dispensandi, votaque quæcunque permutandi, & relaxandi, ac pœnitentiam salutarem injungendi.

Loca, Oratoria quæcunque, & Ecclesias licitè accipiendi, & retinendi.

Quascunque etiam personas Ecclesiasticas, & seculares ad vos venientes, & vobiscum moram trahere, & habitum quem geritis profiteri, & recipere volentes, acceptandi, & recipiendi ad habitum, & promissionem observantiæ castitatis, paupertatis, & obedientiæ, vestraque hujusmodi statuta, & ordinationes facere possint, & valeant, ac possitis, & valeatis, potestatem, baliam, & auctoritatem tenore præsentium damus, concedimus, & indulgemus; ac vobiscum super his opportunè dispensamus.

Omnibusque privilegiis, & gratiis, immunitatibus, libertatibus, & exemptionibus, quibus Fratres Sancti Francisci, cæterique Mendicantes fruuntur, & utuntur, frui & uti auctoritate nostra in Civitate, & Diœcesi Consentinensi, possitis & valeatis.

Hujusmodi Oratorium, sive Ecclesiam, ac alia quæcunque loca, Oratoria, & Ecclesias, per vos in posterum acquirenda, cum omnibus juribus, & pertinentiis suis, Eremitisque, & personis, rebusque omnibus ad vos, vestraque loca quomodolibet spectantibus, & pertinentibus, personisque hujusmodi inibi degentibus ab omni jurisdictione, & superioritate Matrum Ecclesiarum, ac nostra nostræque Consentinæ Ecclesiæ, cæterarumque personarum, salva tamen semper quarta omnium legatorum, quam omnino Nobis, & Successoribus nostris, prout juris est, solvere teneamini, ex certa nostra scientia, motu proprio, & de plenitudine nostræ Dignitatis, quantum cum Deo possumus, in perpetuum eximimus, & totaliter liberamus, ac sub protectione, submissione, jurisdictione, & superioritate Sedis Apostolicæ totaliter, specialiter, & singulariter, & expressè remittimus, & relaxamus præsentibus perpetuis, futurisque temporibus valituris.

In quorum omnium, & singulorum roboris firmitatem & testimonium præmissorum per manus Philippi Figadii de Buxem Cancellarii nostri præsentes fieri fecimus, nostrique majoris sigilli appensione munitas, & nostræ propriæ manus subscriptione roboratas.

Datum in nostro Archiepiscopali castro S. Lucidi, Anno 1471. die ultimo Novembris, quartæ indictionis, sub Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & Domini Nostri D. Pauli Papæ Secundi, Anno septimo. Amen.

3 Verùm Episcopus non potest in totum Ecclesiam sibi subjectam à sua potestate eximere; potest enim concedere immunitatem, & libertatem ab omnibus juribus, quæ ipse in Ecclesia possidet, iis tamen exceptis, quæ à se alienare, seu abdicare nequit; ut *cap. pastoralis de donation.* Ita Gloss. *in cap. 1. in principio, de privilegiis, in sexto*, & ibi Phillipp. Franc. *sub n. 4. versiculo in Glossa 2.* Gloss. *in Can. visis, 16. quæst. 2.* Federicus de Senis *consil. 247. & 248.* Calderinus *consil. 12. versiculo tamen per hanc unionem, in titulo de rebus Eccles. non alienandis*, Panormitanus *in cap. cùm olim, num. 4. de privilegiis, & in cap. constitutus, num. 10. de Relig. domibus, & in c. cùm inter, num. 13.* ubi etiam Felinus *num. 3. & 4. de sentent. & re judic.* idem Panormit. *in cap. cùm venerabilis, per totum, de censibus*, Decius *consil. 152. incip. In causa*, Mandos. *in tractatu de signat. grat. verb. exemptionis ab Episcopis, vers. Episcopus non potest*, Erasmus Chokier *de jurisdictione Ordin. in exempt. part. 1. quæst. 3. num. 3.*

Nam licèt Episcopus quantumcumque generaliter Ecclesiam à sua jurisdictione eximat, nihilominùs semper remanent octo, à quibus eam solvere non potest. 4 Primum, est correctio *Canon. visis 16. quæst. 2.* Secundum, visitatio. Tertium, procuratio ratione visitationis, *d. cap. cùm venerabilis*, & ibi Panormitanus, *num. 3.* Quartum est cathedraticum, *cap. pastoralis*, & *ibi* Gloss. *de donat.* alia Gloss. *in Can. quicunque, 16. quæst. 7.* & ita communiter teneri, ait Panormitanus *loco citato.* Quintum est, Jus reverentiale, quod sibi ab inferioribus Ecclesiis debetur, Felinus, & Panormit. *locis cit.* Puteus *decis. 115. lib. 3.* Chokier *d. quæst. 3. num. 4. versic. quintò similiter.* Sextum est, charitativum subsidium, *cap. cùm Apostolus de censibus.* Septimum, est institutio auctorizabilis, quoad curam populi, arg. *cap. cùm satis, de offic. Archidiac. & cap. 1. de Capell. Monach. in 6.* Octavum, ea quæ sunt Ordinis Episcopalis; non enim potest Episcopus eximere subditum, ut non teneatur recipere ab eo, quæ sunt ordinis Episcopalis: ita Joan. Andr. & Panormit. *d. c. cùm venerabilis*, Chokier *loc. cit.*

Limitantur prædicta. Primò, ut Episcopus possit Ecclesiam initio fundationis eximere; quia tunc nondum Episcopatui jus superioritatis quæsitum est. 5 Antonius de Butrio, & Imola, *cap. cùm inter, de consuetud.* Felin. *d. cap. cùm inter, num. 4. de re judic.* & alii apud Chokier *d. quæst. 3 num. 5.* Idem Felin. *in cap. cùm venerabilis sub num. 33. de excepì.* Barbat. *consil. 33. col. antepenult. vers. & si dicatur.* Episcopus *lib. 1.* Rocch. de Curt. *de jure patr. in verb. pro eo quod sub num. 26. & seq.* Rota *coram Gregor. XV. decis. 4. n. 12.* ubi *num. 13. & 14.* quod dictum Federic. de Sen. *consil. 111. num. 4.* (asserentis, quod si Episcopus aliquam Ecclesiam à se generaliter eximat, non potest à se abdicare visitationem, & correctionem) posset procedere in Ecclesia jam constructa, & fundata, tunc enim agitur de amittendo jure quæsito; secus autem in fundatione, quia agitur de jure quærendo, & forsan aliter non fundasset testator, nisi cum illa lege.

Secundò. Ut possit eximere saltem patiendo, jura Episcopalia ab inferiori contrà ipsum præscribi, Chokier *loco cit. num. 7.*

Tertiò. Ut possit omnia sua jura inferiori Prælato per modum Vicariæ perpetuæ concedere; exceptis tamen cathedratico, reverentia, & charitativo subsidio: nam in aliis quinque ex causa, & de consensu Capituli, potest constituere aliquem Vicarium suum perpetuum nomine dignitatis suæ, ut illa tanquam Episcopi Vicarius exerceat. Ut ait Panormitan. *ubi proximè, num. 5.* subdens, quod per hoc prædicta jura non erant omnino ab Episcopo abdicata; quia saltem illo negligente, poterit Episcopus ea exercere.

Quattò. Si sententia fuit lata contra Episcopum super plena inferioris exemptione, & ipse ab ea non appellaverit, *ut cap. cùm inter*, & *ibi* Felinus, & Panormit. *de re judic.* idem Panormit. *d. cap. cùm venerabilis,*

rabilis, num. 4. versic. secundus, Chokier d. quæst. 3. num. 6. apud quem eadem quæst. à num. 10. vide, an possit etiam Archiepiscopus eximere.

Et est notandum, quòd Episcopus non potest exemptiones ab ipso semel concessas in casibus, in quibus eximere potestatem habet, ampliùs revocare, si res integra esse desiit, & exemptio plenè suum sortita est effectum; quia solus Princeps de plenitudine potestatis privilegia à se concessa revocare potest. Atque ita docent Franc. in c. decet, num. 4. vers. quid autem sit, de regul. jur. in 6. Panormit. in cap. at Clerici, §. de adulter. col. 4. de Judic. Felinus in cap. novit, num. 11. eod. tit. & alii apud Barbos. de officio, & potest. Episc. part. 3. alleg. 79. ad finem.

7 Notandum etiam quod exemptio ad Ordinario concessa absque consensu Capituli non suffragatur, quia Episcopus absque consensu Capituli non potest Ecclesiæ suæ jura donare cap. cùm nos, & cap. tua de his quæ fiunt à Prælatis ex cap. pastoralis in fin. ubi Gloss. ult. de donat. Federic. de Sen. cons. 111. n. 3. in fin. vers. nam cùm in tali exemptione. Rot. dec. 382. sub n. 3. p. 2. recent. ubi quod debet hujusmodi consensus præstari collegialiterr & à Capitulo ad id legitimè congre-
8 gato ad trad. per Innoc. in c. eam te n. 9. de rescript. Federic. de Sen. cons. 61. n. 15. Præsumitur tamen intervenisse ex observantia 30. annorum, etiam quod in privilegio exemptionis enunciatus aut reservatus non appareat, ut pluribus auctotitatibus, & decisionibus congestis firmavit Rota in Nullius, seu Squillac. jurisdictionis coram Andrea num. 22.

QUÆSITUM XIV.

Vtrum Episcopus in Monasteriis, & locis Abbatum, & Prælatorum exemptorum pro Tribunali sedere possit.

SUMMARIUM.

1 *Episcopus regulariter potest, in quovis loco suæ Diœcesis pro tribunali sedere, ibique jura reddere; non tamen in locis exemptis,* num. 2.

3 *Locus exemptus, & locus extra Diœcesim judicantur à pari.*

1 Licet regulariter Ordinario, in tota sua Diœcesi Ecclesiasticam jurisdictionem, tam voluntariam, quàm contentiosam exercere competat, c. cùm Episcopus, de offic. Ordin. in 6. Covar. in cap. alma mater, part. 1. §. 12. n. 3. Roderic. quæst. regul. tom. 2. quæst. 63. art. 1. ita ut in quovis loco suæ Diœcesis valeat pro Tribunali sedere, ibique jura reddere, d. cap. cùm Episcopus. Bellenc. in tract. de charit. subsid. quæst. 32. num. 3. Bertach. tract. de Episcop. lib. 4. part. 5. n. 70. 71.
2 & alii: Limitatur tamen in loco exempto, ubi id sibi minimè licet, per text. in d. cap. cùm Episcopus, Glossa in Clement. quamvis, verb. aut eo, de foro competent Sebastianus Vant. tit. de nullit. art. ex defectu jurisdict. Ordinar. num. 108. Navarr. consil. 3. in Antiq. aliàs 4. in novis, titul. de offic. Ordinar. Gonzal. ad regul. 8. Canceller. gloss. 43. num. 180. Campanil. in diversis Jur. Canon. rubr. 11. cap. 23. num. 151. vers. limitatur. Ratio est: nam Judex nequit extra suam Diœcesim ubi tanquam privatus haberetur, Tribunal erigere, cap. notandum 2. quæst. 3. cap. Episcopum 9. quæst. 3. Vant. d. num. 108. Sed locus exemptus, & locus extrà Diœ-
3 cesim judicantur à pari, Doct. in cap. 1. ubi Ancharan. num. 10. Geminianus num. 17. & Franch. in §. statuto, num. 10. de Constitut. cum aliis per Roland. consil. 33. num. 23. usque ad finem, & sequentib. lib. 3. Henriq. in summ. lib. 7. cap. 15. §. 4. ubi gloss. littera F. Gonzalez d. gloss. 43. num. 182. Erasm. Chokier de jurisdict. Ordin. in exempt. p. 2. q. 1. Barbos. de offic. & potest. Episcop. p. 3. alleg. 80. n. 9. Rota decis. 107. num. 3. ad fin. & seq. p. 2. Divers. & in Constantien. jurisdictionis, 10. Maji 1611. coram Ortembergo; ergo nec etiam poterit in locis exemptis Tribunal, ut suprà, ad jura reddenda erigere, Quarant. in summ. Bullar. vel privilegia Regular. & Barbos. d. allegat. 80. num. 17.

QUÆSITUM XV.

Vtrum Episcopus in Ecclesia Abbatiali exempta Pontificalia exercere possit.

SUMMARIUM.

1 *Pontificalia exercere non potest Episcopus in Ecclesiis exemptis, absque licentia Prælatorum.*

2 *Episcopi possunt in Ecclesiis exemptis uti Pontificalibus insigniis, absque tamen exercitio,* & n. 4.

3 *Concilio generali derogatum non censetur per clausulas generales.*

5 *Episcopi possunt in locis exemptis divina officia celebrare in Pontificalibus, & populo benedicere: nedum benedictione ordinaria, verum etiam solemni, & ea, quam itinerando præstant,* n. 6.

7 *Archiepiscopus visitando loca exempta, potest crucem præ se ferre in locis exemptis.*

8 *Archiepiscopi celebrantes in locis exemptis, pallio uti poterunt.*

9 *Episcopi possunt in locis exemptis celebrare, & populo prædicare.*

10 *Episcopus nequit in locis exemptis ordinationes celebrare.*

11 *Confirmationis Sacramentum ministrare non potest Episcopus in locis exemptis.*

12 *Degradare non potest Episcopus in locis exemptis, neque facere processiones solemnes, & generales.*

13 *Indulgentias concedere non potest Episcopus celebrans, vel prædicans in locis exemptis, nec potest concedere, ut exempti ejus nomine largiantur, qui si dant, non prosunt, nisi quoad sibi subditos,* num. 14.

15 *Missas, & divina officia in Pontificalibus in locis exemptis Episcopi nequeunt ab aliis ante se celebrari facere.*

16 *Sedere pro Tribunali in locis exemptis, nequeunt Episcopi, nec cathedram collocare.*

17 *Baldachinum erigere potest Episcopus, in locis exemptis Pontificalia exercens.*

Ad propositum quæsitum respondeo, dicendo primò, quòd Episcopi nullo modo in Ecclesiis 1
Abbatialibus suarum Diœcesum, quæ exemptæ sint, Pontificalia exercere possunt; nisi habita priùs Abbatum licentia. Ratio est, quia Episcopi extra suam Diœcesim, absque Episcopi Diœcesani licentia, Pontificalia exercere non possunt: aliàs ab eorum exercitio suspenderentur ex dispositione Concilii Tridentini sess. 6. de reformat. cap. ultim. & sess. 14. de reform. cap. 2. at locus exemptus, & locus extra Diœcesim judicantur à pari, ut dictum est in antecedenti quæsito num. 3. Ergo Episcopi non poterunt, in Ecclesiis Abbatialibus exemptis, absque Prælatorum earum licentia, Pontificalia exercere, Abbas cap. significasti de foro compet. text. in can. luminoso, 18. q. 2. notant Doct. in cap. 1. de verb. signific. lib. 6. Innocent. in cap. ex ore, de privil. notat latè Rolandus à Valle consil. 32. à num. 23. cum seq. lib. 3.

Dico secundò. Possunt Episcopi, in Ecclesiis Ab- 2
batialibus, ac aliis locis exemptis, uti Pontificalibus insigniis, absque tamen aliquo exercitio; per dispo-
sitionem clement. Archiepiscopo de privileg. Cujus dis- 3
positioni, cùm sit Concilii generalis Viennen. non censetur derogatum per clausulam generalem; nisi expressa mentio fiat Concilii generalis, dicendo: *Non obstante quavis Constitutione, seu lege in Concilio generali edita*, per text. in cap. ex parte, & cap. ult. de Capell. Monach. Archidiac. in cap. 1. de Constitut. in 6. Felin.

Felin. in cap. nonnulli, col. 4. sub num. 2. de rescript.
Covar. in Epitom. p. 2. c. 8. §. 9. n. 6. Molin. de just. tr. 2.
disp. 173. vers. occasione legitimationis. Henriq. in sum.
lib. 7. c. 26. num. 3. & alii apud Sanchez de matrim. lib. 3.
disp. 16. num. 7. & lib 8. disput. 35. num. 17.
4 Poterunt ergo Episcopi in hujusmodi Ecclesiis, &
locis, absque Abbatum, & aliorum Prælatorum li-
centia, Pontificalibus insigniis, & ornamentis modo
prædicto uti. Nec obstat Concilium Tridentinum
loc. cit. quia loquitur de usu Pontificalium, cum ali-
quo exercitio, ut colligitur expressè ex Navar. cons. 69.
de sentent. excommunicat. in antiq. & consil. 12. de Cle-
ric. excommunicat. Ministr. in novis; ubi asserit, quem-
dam Episcopum, qui in aliena Diœcesi Pontificalibus
insignibus usus fuit, incurrisse pœnam suspensionis,
in prædictis decretis Concilii Tridentini commina-
tam; non solum ob mitræ, & Pontificalium usum,
sed quoniam Calicem etiam consecravit, & corpora-
lia benedixit, absque Diœcesani licentia. Ita etiam
Quarant. in Summ. Bullar. verb. Archiepisc. auctoritas,
5 auctoritate 32. vers. præterea; possuntque in eisdem
locis exemptis benedicere populo, & divina officia
celebrare in Pontificalibus, sicut poterant ante Con-
cilium, Franch. cap. Abbates, n. 1. de privileg. in 6. An-
gelus verb. Archiepiscop. n. 3. Sylv. eodem verb. n. 6.
Erasm. Chokier de jurisdict. Ordinar. in exempt. p. 1.
quæst. 45. vers. 25. & 26. n. 34. & vers. 62. n. 69. Barbos.
dict. alleg. 8. num. 15. Gratian. discept. forens. cap. 467.
num. 31. Rota in Nullius, seu Urbinaten. Jurisdict. 7.
Maji 1618. coram Buratto, quæ inter ejus impress. est
decis. 321. & in fin. operis est decis. 72. n. 4. Et hoc in-
6 telligitur nedum de benedictione ordinaria, verùm et-
iam de solemni per illa verba, sit nomen Domini bene-
dictum, ut per Gloss. in d. clem. Archiepiscopo verb.
benedicat, & de benedictione, quam itinerando præ-
stant Archiepiscopi, vel Episcopi in sua provincia, vel
Diœcesi, quando per signum crucis populo benedi-
cunt, Ancharan. ibid. n. 4. Cardinal. num 3. & 5. Imol.
num. 6. Vitalin. num. 58. & seq. & notatur etiam in
Ceremoniali Episcop. cap. 4.
7 Item poterit Archiepiscopus, visitando loca exempta
populo in via benedicere, & crucem præ se ferre in
locis exemptis, d. clem. Archiepiscopo de privileg. ubi
Gloss. in verb. crucem, Ancharan. Imol. Vitalin. &
Cardinal. loc. cit. Abb. in cap. 1. num. 2. ut lit. pend.
Mil. in repert. verb. Archiepiscopus, Felin. in cap. pa-
storalis num. 8. de offic. ordin. Franch. decis. 711. per tot.
Fusc. de visit. lib. 2. cap. 8. n. 5. Gratian. d. discep. 467.
num. 2. & seq. & num. 29. Rota in dicta Nullius seu
8 Urbinaten. coram Buratto num. 4. Item poterunt Ar-
chiepiscopi in eisdem locis exemptis suæ diœcesis in
Pontificalibus celebrantes pallio uti in diebus aliàs per-
missis Gloss. in d. clem. Archiepiscopo, verb. Pontifica-
libus, Vitalin. num. 16. Imol. num 6. & seq. Cardin.
num. 8. in princ. cum aliis per Gratian. d. cap. 467.
9 n. 35. Poterunt etiam in locis exemptis celebrare, &
populo prædicare Gloss. in d. clem. Archiepiscopo, verb.
etiam celebrare, Abbas num. 3. Vitalin. num. 19. 20.
& 66. Gratianus loc. cit. num 37.
10 Nequeunt tamen Episcopi in locis exemptis ordina-
tiones celebrare, quia est jurisdictionis, Anchar. in
d. clem. Archiepiscopo num. 8. Cardinal. n. 5. in princ.
& in §. sic tamen num. 1. Imol. num. 4. Abbas num. 3.
11 Vitalin. num. 20. Neque confirmationis Sacramentum
ministrare, quia habet mixturam jurisdictionis, & of-
ficii Episcopalis. Ancharan. Cardin. Imol. Abb. & Vi-
12 talin. locis proximè citatis. Neque degradare Ancha-
ran. ibid. num. 9. Vitalin. num. 20 neque facere pro-
cessiones solemnes, & generales, quia est potiùs offi-
cii, quàm honoris Episcopalis, Vitalin. ibid. num. 55.
13 Neque poterunt Episcopi in locis exemptis celebran-
tes, vel concionantes indulgentias concedere, quia
hoc est jurisdictionis, & dignitatis Episcopalis cap.
quod autem, & cap. cum ex eo, de pœnit. & remiss. no-
tant. Anchar. in d. clem. Archiepiscopo n. 6. Cardin.
in §. sic tamen n. 4. Vitalin. num. 65. Imò nec possunt 14
concedere, ut exempti eorum nomine largiantur; &
si dant, non prosunt, nisi quoad sibi subditos, ut post
Ostiens. in cap. accedentibus de excess. Prælat. notant
Cardin. & Vitalin. locis proximè citatis.
Item licèt Episcopi possint in locis exemptis Missas 15
& divina officia etiam in pontificalibus celebrare, non
tamen poterunt ab aliis ante se ita celebrari facere, quia
id esset auctoritativè demandare, & jurisdictionem
exercere, ut declarant Ancharan. in d. clem. Archiepi-
scopo num. 4. Imol. num. 9. Cardin. num. 3. in 5. notab.
& num. 4. & num. 11. in fin. & in §. simili n. 5. 6. & 7.
Prout neque etiam poterunt Episcopi in locis ex- 16
emptis sedere pro Tribunali, Cardin. ibid. num. 5.
Imol. num. 4. nec cathedram collocare. Vitalin. cap. 30.
& est text. in can. luminoso 18. q. 2. quod tamen intel-
ligitur de cathedra judiciali, ut dicit Gloss. ibid. verb.
collocare, cum aliis per Gratian. in addit. ad decis. 113.
March. & d. cap. 467. in princip.
Potest autem Episcopus in Ecclesiis Abbatialibus vel 17
aliis locis exemptis, suæ Diœcesis Pontificalia exer-
cens, baldachinum erigere; ita Riccius in prax. re-
solut. 313. num. 1. Gratian. discep. forens. tom. 3. c. 467.
Campanil. in divers. Jur. Can. rubr. 9. cap. 5. n. 3. Et
decrevit Sacra Congregatio Illustrissimorum Cardina-
lium negotiis Episcoporum, & Regularium præposi-
ta, ut refert Quaranta in Summa Bullarii, verb. privi-
legia Regularium, pag. mihi 408. & Barbos. d. alleg. 80.
num. 17. cujus declarationis verba sunt hæc: Decet
Episcopos pro eo, quo in Ecclesia Dei excellunt digni-
tatis gradu, in quocumque suarum Diœcesium loco,
quoties eos ibi Pontificalia exercere, aut in Pontifica-
libus adesse, & assistere contingit, eam, quam par est
reverentiam, & honorem decoro cultu, & ornatu ex-
hiberi. Quare non sine gravi animi dolore, auditum
est, nonnullos Regulares, vano quorumdam immunita-
tum, & privilegiorum prætextu, Episcopis in eorum
Ecclesiis in Pontificalibus interessentibus, non modo re-
nuisse in eis suprà locum Episcopalis solii, baldachinum
erigere; verùm id etiam jussu ipsorummet Episcopo-
rum curantis, prohibere, & arcere ausos fuisse; atq;
ideo Sacra Congregatio S. R. E. Cardinalium negotiis, &
consultationibus Episcoporum, & Regularium præpo-
sita, facto verbo cum Sanctissimo Domino nostro Clem.
Papa VIII. ac de Sanctitatis suæ speciali, & expresso
mandato, hoc præsenti decreto perpetuis futuris tem-
poribus valituro, declarat, statuit, decernit, & man-
dat, ut de cætero, Episcopi, ubi tam ex consuetudine,
& privilegio, quàm ex Sacrorum Canonum constitutio-
nibus, & Pontif. Rom. præscripto, aut alio jure, Pon-
tificalia exercere, aut Pontificalibus paramentis cum
mitra, vel etiam sola cappa induti, in quibusvis Regu-
larium tam Mendicantium, quàm non Mendicantium,
Monachorum, etiam Casinensium, Clericorum, Pres-
byterorum, & cujusvis alterius Ordinis, & Religionis
Militiæ, Societatis, aut Congregationis Ecclesiis inter-
esse possunt; ipsi Regulares quoties opus fuerit, tenean-
tur ibi, & debeant in loco ad solium Episcopi constitu-
endum opportuno, & congruo baldachinum attollere.
Eis autem id facere negligentibus, aut nolentibus; li-
ceat eisdem Episcopis illud asportari, & in quacunque
eorumdem Regularium, aut alia quantumvis exempta
Ecclesia suprà Episcopale solium, seu Pontificale falda-
storium, erigi facere, atque sub eo sedere, & stare,
quemadmodum in propriis, & Cathedralibus eorum
Ecclesiis stare, & sedere solent; eo tamen dumtaxat
tempore, quo Pontificalem ejusmodi functionem exer-
cebunt, vel dum actus ipse, cui in Pontificalibus ade-
runt, peragetur. Si qui verò Regularium huic decla-
rationi,

rationi, statuto, decreto, & mandato, inobedientes, & contumaces fuerint, sciant se ab eisdem Episcopis ad id per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, hujus decreti virtute cogi, & compelli posse, aliisque pœnis tam spiritualibus, quàm temporalibus, arbitrio Summi Romani Pontificis subjacere, & obnoxios fore. Non obstantibus quibusvis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac dictorum Ordinum, Religionum, Militiarum, Societatum, & Congregationum quocunque nomine censeantur, statutis, & privilegiis quoque indultis & litteris Apostolicis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, & cum quibuslibet etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis in contrarium præmissorum, hactenus quomodolibet concessis, confirmatis, & approbatis; quibus omnibus, & singulis etiamsi talia essent; quæ sub generali expressione, & derogatione non venirent, sed illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & individua mentio habenda foret, eorum tenores, præsentibus, pro expressis, & ad verbum insertis, habent Sanctitas sua, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogat; cæterisque in contrarium facientibus quibuscunque, Romæ die 30. Junii 1603.

Alex. Card. Flor. Episc. Prænest.
Hier. Agucchius Secret.

QUÆSITUM XVI.

Utrùm de legatis factis Monasteriis, & Ecclesiis exemptis teneantur earum Abbates, & Prælati canonicam portionem Episcopo solvere.

SUMMARIUM.

1 *Canonica portio quid sit.*
2 *Canonica portio, de quibus bonis debeatur Nomine Episcopi, an hic intelligantur etiam Abbates, & Prælati inferiores.*
3 *Ostiensis sententia asserentis, loca etiam exempta ad canonicam portionem Episcopis solvendam teneri, refertur.*
4 *Canonicam portionem Episcopis solvere non tenentur Monasteria & loca exempta.*
5 *Canonicam portionem Episcopis tenentur solvere Monasteria, & loca exempta de relictis Capellis non exemptis, sibi subjectis.*

1 PRo hujus quæsiti intelligentia supponendum est, canonicam portionem esse certam bonorum partem, de legatis factis piis locis Episcopo debitam, ratione oneris, quod in administratione sui Episcopatus sustinet, quæ introducta est ad instar legitimæ patri, aut patrono debitæ in bonis filii, vel liberi; ad cujus similitudinem visum fuit, Episcopo, qui Pater & spiritualis Patronus est, jus ad certam suorum portionem competere. Dicitur autem portio hæc canonica, eò quòd est à Sacris Cononibus approbata, & debita jure decretorum canonicorum, *can. de his* 10. *quæst.* 1. *can. decernimus, & can. constituimus* 36. *quæst.* 1. *clement. dudum, de sepultur.* Ostiens. *in Summ. titul. de sepultur. num.* 11. Sylvest. *verbo canonica portio, numero* 1. Roderic. *quæst. Regular. tom.* 1. *quæst.* 39. *art.* 1. Manuale Prælatorum *tom.* 2. *q.* 48. *art.* 1. Barbos. *de offic. & potest. Episc. part.* 3. *allegat.* 86. *num* 1.

2 Debetur Episcopo hæc canonica portio de legatis relictis Ecclesiis, & aliis piis locis, *cap. conquerente de offic. Ordin.* ubi gloss. *verb. mortuariorum, cap. reliquisti, & cap. ultim. de testament. cap. de quarta, de præscript.* Nomine autem Episcopi intelligendi etiam sunt Abbates, Præpositi, & similes Prælati inferiores omnes, habentes etiam Ecclesiam sibi subjectam ac in ea Episcopalem jurisdictionem. Canonica enim portio est de lege jurisdictionis, Innocentius *in cap.* 1. *de statu Monachorum*, Petr. de Ubald. *de canonica Episcop. cap.* 1. *num.* 4. *& cap.* 4. *quæst.* 5. Lapus *eodem tractatu de canonica portione, quæst.* 4. *num.* 5. Sed cùm Abbates, & Prælati prædicti habeant etiam in Ecclesiis sibi pleno jure subjectis, eandem Episcopalem jurisdictionem, habere etiam debent omnia illi annexa, & connexa. Ita Barbos. *loco cit. num.* 9. Chokier *de jurisdiction. Ordinar. in exempt. part.* 4. *quæst.* 6. *num.* 2. Differt canonica portio à quarta funerali, de qua *in sequenti quæsito*, ut latè per Capic. *decis.* 13. *per tot.*

3 His ità præmissis, ad Quæsiti solutionem deveniendo, in hac re duæ sunt opiniones: Prima est Ostiensis *loco cit. num.* 12. §. *& à quibus petatur*, asserentis, canonicam portionem peti posse ab omnibus intra propriam Diœcesim constitutis, sive sint Capellæ Monachorum, vel aliorum Religiosorum, vel Monasteria, aut alia pia loca, non obstantibus quibuscunque privilegiis, exemptionibus, vel aliis; nisi in ipsis expressè immunitas ab hujus quartæ solutione concessa sit. Ratio hujus est; quia portio canonica debetur de oblatione fidelium, qui exempti non sunt, licet locus, cui bona legantur, exemptus sit. Et ideò in his mortuariis non inspicitur locus, cui relinquitur, utrùm sit subjectus, nec ne; sed fidelis, à quo relinquitur, & relictum.

4 Altera opinio quæ est communior, & verior, negat Monasteria, & Ecclesias, ac loca exempta canonicam portionem Episcopo solvere debere. Quia hæc canonica portio debetur Episcopo propter communionem, quæ est inter ipsum, & Ecclesiam sibi subjectam, *cap. requisisti. vers. secus de test.* Sed communio cessat inter Episcopum, & Ecclesiam, seu locum exemptum. Vel potest deberi ratione oneris, quod sustinet Episcopus in celebrando solemniter, Ordines conferendo, prædicando, ac alia omnia ferendo, quæ tàm ad forum contentiosum, quàm pœnitentiale spectant. Vel potest deberi in recognitionem superioritatis, hæ autem omnes rationes cessant in exemptis; quia Episcopus non celebrat in locis exemptis, non ordinat exemptos, non prædicat, aut cathedram collocat in loco exempto, nec ea, quæ ad contentiosum, vel pœnitentiale forum spectant, exercet, *can. luminoso* 18. *quæst.* 2. *cap. nullus, & cap. cùm Episcopus, de offic. ordin. in* 6. Præterea cùm personæ ac loca exempta immediatè Sedi Apostolicæ subjiciantur, nihil Episcopis in signum superioritatis solvere debent: quia Summus Pontifex per privilegium exemptionis advocat ad se omne jus Episcopale, ita ut ipse omnium exemptorum Diœcesanus sit *cap. auctoritate, de privileg. in* 6. facit *clem. dudum* §. *verùm de sepult.* quæ loquens de Fratribus Prædicatoribus, & Minoribus, qui sunt exempti, excludit omnes Prælatos à petitione cujuscunque portionis, nisi solum respectu quartæ, quæ debetur Ecclesiæ parochiali, quæ an debeatur à Religiosis exemptis, dicemus infra. Atque hanc sententiam contra Ostien. tuentur Innocent. *in cap. officii de testament.* & ibi Panormit. *num.* 6. qui eam dicit communiorem, & veriorem, Joan. Andr. *in cap. certificari de sepultur.* Petr. de Ubald. *dict. cap.* 4. *quæst.* 6. Lap. *eod. tract.* §. *quia de num.* 10. Federic. de Senis *in cons.* 96. Idem Panormit. *in cons.* 57. *num.* 1. *vers. sed certè part.* 1. Felin. *in cap. quarta in princ. vers. & testamenti de præscript.* Bald. *in l. si quis ad declinandam col.* 6. *vers. juxta hoc C. de Episc. & Cleric.* Angel. *in sum. verb. canonica, num.* 7. Sylvest. *eod. verb. quæst.* 3. *num.* 4. Azor. *Instit. moral. part.* 2. *lib.* 9. *cap.* 12. *quæst.* 5. Manual. Prælat. *dict. quæst.* 48. *artic.* 2. Erasm. Chokier *d. quæst.* 6. *num.* 4. Barbos. *dict. alleg.* 86. *num.* 10. 11. 12. & 13. Franc. Leo *in Thes. for. Eccles. part.* 12. *cap.* 14. *num.* 30.

5 Verùm enim verò, si Monasterium vel Ecclesia exexempta habet Capellas, vel populum non exemptum, tenetur Episcopo ad eam portionem solvendam de legatis relictis Capellis non exemptis, per text. *in cap. ex ore de privileg.* Innocent. & Joan. Andr. *in cap. in nostro de sepultur.* Lap. *d. tract. de Canonica Episc. §. quia num. 6. vers. secundo quaeritur*, Ubald. *eod. tract. d. cap. 4. quaest. 5. & latè quaest. 8. 10. & 11.* Chokier *d. q. num. 5.* Barbos. *d. alleg. 86. num. 14.*

Si monasterium ab Episcopi jurisdictione exemptum, Parochos non exemptos haberet; & aliquis de Parochia legaverit Monasterio exempto; hujusmodi legati Episcopus suam quartam habebit, ut tenet Petrus Ubaldus *part. 2. cap. 4. quaest. 10.* quem sequitur Julius Lavorius *inferius citandus*.

Si verò Summus Pontifex uniret Ecclesiam curatam Monasterio exempto cum populo, de tali legato facto ab aliquo de tali Parochia, non debetur ex eodem Julio Lavorio.

His positis notandum est cum eodem Julio Lavorio *var. elucubrat. tit. 2. cap. 17. num. 73.* canonicam Episcopalem posse praescribi in totum, quod probat per *cap. de quarta, de praescript.* etiam Episcopus contra Episcopum, & Ecclesia inferior, *cap. cum ex officii, de praescript.* & haeres contra Episcopum; & si allegatur titulus, sufficit spacium 40. annorum, *cap. de quarta:* si non probatur titolus, requiritur tempus, cujus non extat memoria in contrarium, *cap. 1. de praescript. lib. 6.* Titulus autem justus dans causam praescriptionis, est quando concessio canonicae portionis fit ab Episcopo solo sine Capitulo. Impeditur tamen praescriptio Sede vacante tempore schismatis quando Episcopus est excommunicatus, quando caret titulo, quando est in mala fide, quando ignorat de legato, non ex ejus negligentia, Petr. Ubald. *part. 1. cap. 2. num. 25.* quem refert & sequitur idem Lavorius *loco cit.*

QUÆSITUM XVII.

Utrùm Abbates, & Praelati regulares teneantur, quartam funeralem Parochis, vel Episcopis solvere.

SUMMARIUM.

1 *Quarta funeralis de quibus debeatur, & quota sit,* & num. seq.
2 *Quarta funeralis de jure debetur etiam ab exemptis.*
4 *Funeralia, quae dicantur.*
6 *Quarta funeralis an debeatur ex relictis pro aedificatione, & reparatione Ecclesiarum.*
7 *Quarta funeralis an debeatur ex relictis pro subventione Ecclesiae respectu eorum, quae ad divinum cultum pertinent.*
8 *Quartam funeralem non solvunt Religiosi, ex specialibus privilegiis, quae referuntur.*
9 *Privilegia eximentia à solutione Quartae funeralis non suffragantur absque expressa derogatione Clem. dudum, de sepultur.*
10 *Concilii generalis decretis qualiter sit derogandum.*
11 *Privilegia eximentia à Quarta funerali non suffragantur, si in eis adsit clausula*, Salva justitia Ecclesiarum Parochialium. *Contrarium* num. seq.
13 *Clausula*, Salva justitia Ecclesiae Parochialis, *posita in privilegio exemptionis à Quarta funerali, intelligitur de aliis, quàm de expressis & de materiis compatibilibus cum expressis.*
14 *Clausula*; Salva Canonica justitia Episcopi, *quid operetur.*
15 *Quarta funeralis debetur à Monasteriis, quae per 40. annos ante Concilium illam persolvere solita erant.*
16 *Monasteria aedificata à 40. annis citra Conc. Trid. non tenentur solvere Quartam funeralium.*
17 *Privilegia eximentia à Quarta funeralium an suffragentur per viam communicationis.*
18 *Clericorum Regularium Monasteria non tenentur ad solutionem Quartae.*
19 *Sepelire possunt Religiosi in eorum Ecclesiis cadavera fidelium defunctorum, sine alicujus licentia.*
20 *Sepulturam eligere in quaibet Ecclesia licitum est cuilibet.*
21 *Parochus intus Ecclesias regularium, dum cadavera in eis sepeliuntur, non potest uti stola nec in officio decantando, vel exercitio aliarum functionum se intromittere.*
22 *Clericus secularis postquam cadavera in Religiosorum Ecclesiis sepelienda associaverit, non potest intus easdem Ecclesias in officio decantando, vel exercitio aliarum functionum se intromittere.*
23 *Officium in tumulandis cadaveribus in Ecclesiis Regularium non per Parochum, seu alios presbyteros seculares, sed per eosdemmet Regulares fieri debet, non obstante quavis contraria consuetudine.*

QUarta Parochialis debetur Ecclesiae Parochiali ex iis bonis, quae Parochiani legant, sive relinquunt, vel offerunt ratione funeris, cùm quis alicubi extra parochiam sepulturam eligit. Et haec est varia, nam alibi est dimidia, alibi tertia, alibi quarta pars, juxtà varias Ecclesiarum, vel populorum consuetudines *cap. certificari de sepultur.* debetur autem ab Ecclesiis, ubi aliquis sepelitur, vel ad quas transit se convertendo, seu alio modo; etiamsi tales Ecclesiae ab Episcoporum jurisdictione exemptae essent *clem. dudum de sepult.* Innocent. *in cap. relatum, & in cap. in nostra ext. eod. tit.* Sylvest. *verb. canonica portio n. 7. quaest. 9* Et haec quarta funeralis venit appellatione quartae Parochialis, ut *in cap. 1. & cap. relatum de sepult. & in cap. 2. eod. tit. in 6. & dicta clem. dudum, §. verum*, & utrobique Doct. *de sepult.* 1 2

Et haec quarta funeralis licèt per text. *in clem. dudum de sepultur.* fuerit ampliata, usu tamen, & consuetudine ad quartam funeralium restricta fuit, ut post Cardinal. *in dict. clem. dudum. §. verùm* tradunt Covarr. *in cap. final. de testament. num 6.* Molin. *de just. & jur. tract. 2. disp. 217.* Roderic. *quaest. regul. tom. 1. quaest. 39. art. 2. in fin.* & de ea tantùm loquitur Conc. Trident. *sess. 25. de reform. c. 13.* Rot. *in Elnen. jurium Parochialium 6. Junii 1631. coram R. P. D. Quespo, quae in fine operis est decis. 85. num. 3.* 3

Itemque de jure communi etiam Abbates, & Praelati Regulares ab Episcoporum jurisdictione immunes funeralem quartam Parochis, vel etiam Episcopis, ubi ita consuevit, solvere tenentur, *dict. clem. dudum §. verùm de sepultur.* Et appellatione funeralium 4 quoad quartam, veniunt cerea, & omnia alia, quae occasione funeris fiunt, ut per Gloss. *in dict. clem dudum, verb. funeralibus*, ubi de candelis, quae dantur ad manus, *Imol. num. 80.* & Vitalin. *num. 29.* & funeralia sunt, quae cum funere deferuntur, Gloss. *in dict. clem. dudum verb. funeralibus de sepultur.* Petr. de Ubald. *de Canonic. Episc. & Paroch. debit. part. 2. cap. 4. num. 10. & 16.* Et quartam funeralem duntaxat consistere in cera, & in aliis oblationibus, quae deferun- 5 tur tempore, quo defunctorum corpora ad sepulturam asportantur, nec deberi de Missis, & legatis, aut aliis oblationibus eorum, qui in Ecclesiis Regularium sepeliuntur, declaravit san. mem. Pius V. 17. *Kal. Julii anno 1567.* ut referunt Guttier. *de juramento confirmat. 2. part. cap. 4. num. 3.* Roderic. *d. quaest. 39. art. 2.* Rota *in d. Elnen. jurium Parochialium coram Quespo num. 4.* quod antea ad favorem fratrum statutum

tum fuerat à Sixto IV. ut refert Sylvest. *in summa verb. canonica in fin.* & idem san. mem. Pius V. 9. *Julii* 1571. *in statuto directo ad Principatum Cathaloniæ*, prohibuit, ne Parochi à fratribus, ultra quartam funeralium, quippiam exigerent, ut testatur Rota *in d. Elnen. coram R. P. D. Quetpo num.* 4.

6 Non debetur autem quarta funeralis de relictis pro ædificatione, & reparatione Ecclesiarum Monasteriorum, & aliorum locorum piorum, juxta text. *in cap. ult. de testament, & in cap. ex parte*, ibi, *vel ad fabricam, de verbor. significat.* Roman. *consil.* 233. *incip. præmissa quæstio, in princ.* Panormit. *cons.* 37. *lib.* 1. Capyc. *decis.* 23. *n.* 4. Seraphin. *decis.* 726. *n* 3. Quod si Ecclesia, vel monasterium de præsenti reparatione non indigeret, distinguendum est: quòd vel relinquitur legatum statim solvendum, vel in singulos annos pro restauratione Ecclesiæ, vel Monasterii, quæ reparatione non indigeant; & eo casu debetur quarta, aut legatum fit pro restauratione, & reparatione Ecclesiæ, quoties indigebit; & hoc casu non debetur quarta. Ita Seraphin. *loc. cit.*

7 Præterea non debetur quarta hæc funeralis ex relictis pro subventione Ecclesiæ respectu luminarium, ornamentorum, & aliorum, quæ ad cultum divinum pertinent, *d. c. ult. de testament.* quod procedit, quando usus est determinatus, secus si usus sit indeterminatus, & non destinatus perpetuo cultui divino; tunc enim debetur quarta *cap. ex part. il.* 3. *de verb signif. c. requisisti de testam.* Seraph. *d. dec.* 72. *n.* 4. & generaliter ex quibus debeatur hujusmodi quarta funeralis, latè tradit D. Barbos. *in tract. de of. & pot.* Laroch. *c.* 25. *à n.* 36.

8 Religiones omnes ferè hodie, partim per privilegia ipsis directè concessa, partim per communicationem specialiter ab hujus quartæ funeralis solutione exemptæ sunt; ut Congregatio Casinen. aliàs Sanctæ Justinæ de Padua habet privilegium Eugenii IV. *sub Dat. Bononiæ anno Domini* 1436. *quinto Nonas Julii, Pontificatus sui anno* 6. per quod concessit, ut ejus Congregationis Monasteria non teneantur solvere aliquam canonicam portionem, aut decimas Parochis, aut Episcopis, vel aliis sibi quomodolibet debitis, etiam de relictis, aut donatis, vel legatis, tam inter vivos, quàm in ultimis voluntatibus. Ejus privilegii verba sunt hæc:

Nos volentes prædictæ Congregationis Monachos, qui a pluribus citrà temporibus in observantia Regulari, & vitæ sanctimonia variis multiplicarunt, prout in dies multiplicantur virtutum meritis, & ut Altissimo possint commodiùs, & quietiùs deservire, ac reparationi Monasteriorum eorum, quæ maxima indigent, vacare, amplioribus favoribus prosequi. Motu proprio non ad ipsorum, aut alicujus eorum nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate omnibus, & singulis dictæ Congregationis Monasteriis, Prioratibus, Grangiis, membris, manualibus, & locis, ut ad dandum, seu ad solvendum aliquam canonicam portionem, sive decimas aut aliud quodcumque, quòd loco earum solvi consuevisset Parochis, Episcopis, Archiepiscopis, Capitulis, Collegiis, Universitatibus, Communitatibus, Fabricis, & aliis quibuscunque causa hactenus debita, seu quæ deberi prætendatur quomodolibet in futurum etiam ab eisdem derelictis legatis, & donatis, tam in ultimis voluntatibus, quàm inter vivos, seu quacumque occasione concessis, præteritis, & in posterum concedendis, minimè teneantur. Quibuscumque Constitutionibus Apostolicis, ac præfatis nostris litteris, quibus quatenùs huic nostro Indulto obviant, volumus derogare, & aliis consuetudinibus, statutis, præscriptionibus, & privilegiis sub quacumque forma, aut quibuscumque clausulis editis, non obstantibus: etiamsi de illis, eorumque toties tenoribus præsentibus expressa, & specialis, ac individua foret habenda mentio; auctoritate Apostolica tenore præsentium, ex certá scientia, de specialis dono gratiæ indulgemus. 3
Decernentes ex nunc omnes & singulas excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliasque quascumque sententias, quas contra personas dictæ Congregationis, sive Monasteria & loca, & alias in præjudicium concessionis hujusmodi promulgari nullas, nec non irritum, & inane quidquid aliud in contrarium à quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter attentatum forsan est hactenus, vel in posterùm contigerit attentari. Nulli ergo omninò, &c.

Hoc privilegium nostræ Congregationi Vallis Umbrosæ communicatur per memorabilem Bullam Julii II. quæ in fine operis apponitur. Simile privilegium ab eodem Pontifice Monachis Cælestinis fuisse elargitum, testatur Roderic. *in nova collect. Bullar. pro Regul. Bulla* 18. *ejusdem Pont. sub Datum Florentiæ, anno Incarnationis Domini* 1404. 5. *Kalendas Novembris, Pontificatus sui anno* 4. Verba ejusdem Bullæ pro materia proposita sunt;

Concedimus quoque vobis, ut de his, quæ in ornamentis, vel pro eis, aut libris, fabrica, luminaribus, anniversario, septimo, vigesimo, trigesimo, sive aliis ad perpetuum cultum divinum, seu pro pitantiis, aut ad sustentationem vestram, vel indumentis, & calceamentis vestris, nec non pro annuis censibus redimendis aliquorum solutione aliqua Monasteria, Prioratus, aliaque loca vestri Ordinis obligata forsitan viderentur; aut de his, quæ pro domibus, prædiis, hortis, aliisque locis emendis vobis legantur. De oblationibus quoque, & obventionibus, etiam quas occasione funerum, & aliis, quæ jure institutionis, seu successionis, aut legati, vel relicti, aut fideicommissi ad vos, & Ecclesias, & loca vestra pietatis intuitu, devenire contigerit, nulli teneamini justitiam, seu portionem canonicam exhibere, & ad hoc vos decernimus aliquatenus non teneri.

Multa alia hujus tenoris privilegia Monachalibus Congregationibus à Sede Apostolica concessa, videri possunt *in supracitata Collect. Bullar.* Roderic. *& in propriis libris privilegiorum, uniuscujusque Congregationis*, quæ brevitatis causa hîc omittuntur.

Extant præterea hujus propositæ materiæ privilegia Mendicantium, quorum aliqua hîc referuntur propter Prælatos, aliosque exemptos, cum Mendicantibus in privilegiis communicantes. Inter alia hujusmodi exemptionis privilegia habetur Bulla Innocentii IV. quæ incipit: *Pacem vestram, Dat. Perusii*, 16. *Kalend. Junii Pontificatus sui anno* 10. in qua legitur, quòd concessit Fratribus Minoribus, ut de iis, quæ in ornamentis, aut pro eis, vel pro fabricis, seu luminaribus, vel anniversariis, septimo, vigesimo, & trigesimo, aliisque ad perpetuum divinum cultum testamentis eisdem legantur, nullam canonicam portionem solvere teneantur; dummodò in fraudem Episcoporum, & Presbyterorum, Parochialium non fiat. Elicitur hæc concessio *ex monumen. Ordin*, & refertur *in Compendio, verb. canonica portio* §. 1.

Item *in* 2. §. *ibid.* legitur Alexandrum IV. concessisse idipsum, quod præfatus Innocentius IV. concesserat? addendo insuper, quòd nec etiam de pitantiis, ad sustentationem Fratrum, aut de indumentis eisdem legatis, teneantur dare aliquam portionem, & decrevit irritas esse, & inanes quascumque censuras contra Fratres, seu contra benefactores hujusmodi vel hæredes, aut executores illorum promulgatas: quæ concessio Alexandri IV. reperitur in quadam sua Bulla, quæ incipit: *Pium est, & consonum æquitati. Data Anagniæ* 13. *Kalendis Februarii, Pontif. sui*

anno 5. & refertur in *Monum. Ord.* ut habetur ex Mirand. *in Manual. Prælat. Regular. tom. 2. quæst 48. art. 6. conclus. 1.*

Similiter Clemens IV. in quadam sub bulla, quæ incipit, *Virtute conspicuos*, quæ habetur *in Monum. Ord. & in Compendio, verb. canonica portio* §. 3. concessit omnia, eisdem Fratribus, quæ supradicti duo Pontifices antecessores sui concesserant, addendo insuper aliqua alia in Mari magno sub verbis:

Concedimus vobis, ut de iis, quæ in ornamentis, aut libris, fabrica, luminaribus, anniversario, septimo, vigesimo, trigesimo, aut aliis ad perpetuum divinum cultum, seu pro pitantiis, aut victu ad sustentationem vestram, vel indumentis, nec non pro annuis censibus redimendis, ad quorum solutionem aliquæ domus vestri Ordinis obligatæ noscuntur: & de domibus, prædiis, hortis, aliisque locis vobis secundum instituta vestri Ordinis opportunis, aut de iis quæ pro hujusmodi domibus, prædiis locis, & hortis emendis vobis legantur (dummodo præmissa non convertantur in usus alios, sed illos dumtaxat pro quibus relinquuntur, aut alios etiam, qui in hac concessione, vel indulgentia continentur:) nulli canonicam portionem aliquam teneamini exhibere: & ne qui à vobis, vel ultimarum executoribus voluntatum, seu decedentium hæredibus, de præmissis aliquid exigere, vel extorquere præsumant districtiùs inhibemus.

Et Bonifacius VIII. in quadam sua Bulla decretali, quæ incipit: *Super Cathedram*, quæ habetur inter communes sub *titulo de sepulturis*, §. *verùm*, & refertur in *clem. dudum eod. tit.* circa præfatam canonicam portionem, edidit sequentem Constitutionem:

Verùm ne Parochiales Ecclesiæ, & ipsarum Curati, sive Rectores, qui ministrare habent Ecclesiastica Sacramenta, quibus noscitur de jure competere, prædicare, seu proponere verbum Dei, & confessiones audire fidelium, debitis, & necessariis beneficiis defraudentur, cum operariis mercedis exhibitio debeatur: auctoritate Apostolica statuimus, & ordinamus, ut Prædicatorum, & Minorum Ordinum Fratres, de obventionibus omnibus tàm funeralibus, quàm quibuscunque, & quomodocunque relictis, distinctè, vel indistinctè, ad quoscunque certos, vel determinatos usus, de quibus etiam quarta sive canonica portio dari, sive exigi non consuevit, vel non debet de jure, nec non de datis, vel qualitercunque donatis, in morte, seu mortis articulo, in infirmitate, donantis, vel dantis, de qua decesserit, quomodocunque directè, vel indirectè Fratribus ipsis, vel aliis pro eisdem quartam partem, quam, auctoritate Apostolica taxamus, & etiam limitamus, Parochialibus Sacerdotibus, & Ecclesiarum Rectoribus, seu Curatis largiri integrè teneantur, facturi, & curaturi, quòd nec alii, neque aliis à quibus quarta hujusmodi minimè deberetur, ad ipsorum Fratrum utilitatem, vel commodum hujusmodi fiant relicta, aut in eos taliter data, vel donata procedant, seu quod in morte, vel ab infirmis hujusmodi dandum, vel donandum Fratribus ipsis existeret, in eorumdem dantium, vel donantium sanitate sibi dari, vel donari procurent, in quibus per ipsos vitandis eorum intendimus conscientias onerare, ut si, quod absit, per Fratres ipsos, dolo, vel fraude quidquam in hac parte agi fortasse contigerit præter id, quod eos propterea dictis Sacerdotibus, Rectoribus, & Curatis teneri volumus, etiam districta ratio in extremi judicii examine requiratur ab eis. Ultra portionem autem hujusmodi, nihil valeant Parochiales Rectores Curati, & Prælati exigere supradicti; nec illis dicti Fratres amplius impendere sint astricti, nec ad id à quoquam possint aliqualiter coërceri.

Et quamvis appareat, quod ipse Bonifacius post concessionem portionis canonicæ emanatam ad favorem Ordinis Mendicantium revocaverit omnia privilegia, gratias & indulgentias, &c. prout *in d. Bulla*, ipsa tamen Bonifacii Constitutio fuit revocata per Benedictum XI. in alia sua Extravaganti, quæ incipit, *Inter cunctas*, & habetur etiam inter communes, sub *tit. de privileg.* in qua concedit Fratribus Minoribus, atque Prædicatoribus, multa privilegia circa prædicationes, confessionum auditiones, & sepulturas, proventusque ex eisdem obvenientes. Clemens etiam V. approbando prædictam Benedicti XI. Constitutionem revocatoriam, cassavit, & annullavit priorem editam à Bonifacio VIII. in Concilio Viennen. & illam observari præcepit, ipsamque de verbo ad verbum inseruit in sua Clementina, quæ incipit, *Dudum de Sepult.* cujus verba sunt:

Dudum à Bonifacio Papa VIII. Prædecessore nostro, infrascripta edita decretali, Benedictus Papa XI. Prædecessor noster, aliam illam revocatoriam promulgavit, quæ quia, ut probavit effectus, nedum pacis ab auctore ipsius speratæ, fructum non attulit, quinimo discordiæ, pro qua sedanda processerat, fomentum non modicum, ministravit. Nos eam omnino cassantes, aliam à præfato Bonifacio aditam sacro instante & approbante Concilio, innovamus, subjicientes tenorem illius, qui dignoscitur esse talis. Bonifacius Episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Super Cathedram, &c.

Nicolaus V. in quadam sua Bulla directa Fratribus Carmelitanis, quæ incipit: *Inter cætera nostra sollicitudinis studia*, & habetur *in Monument. Ordin.* & refertur in *compendio, verbo, ubi suprà* §. 5. concessit prædictis Fratribus Carmelitanis, ut de illis, quæ eis pro fabrica Ecclesiarum, & Conventuum suorum, Ecclesiasticis ornamentis, luminaribus, anniversariis, septimo, vigesimo, & trigesimo, & aliis divinis cultibus, pictantiis indumentis, calceamentis, emendis celebrandis, & habendis in eisdem, nec non annuis censibus redimendis, ad quorum solutionem, aliquæ domus, prædiaque cum hortis, & aliis locis Ordinis ejusdem obligatæ noscuntur, per Christi fideles eleemosyna pietatis intuitu, sive in funeralibus, oblationibus, sepulturis, ultimis voluntatibus, legatis, aut aliàs quoquomodo etiam absolutè largiantur, nulli canonicam portionem aliquam teneantur exhibere, aut ad id valeant coarctari.

Notandum autem, quod privilegia in hac materia 9
eatenus suffragantur, quatenus in eis expresè, & specialiter sit derogatum *clem. dudum de sepultur.*
cum sit dispositio Conciliaris, & ideo succedit regu- 10
la, quod non censeatur derogatum Concilii generalis decretis, nisi expressa mentio fiat, his verbis: *Non obstante aliqua lege, aut constitutione in Concilio generali edita*, vel æquipollentibus, ut colligitur ex text. *in cap. ex parte, & cap. ult. de Capell. Monach. & cap. eam te, de ætat. & qualit. cap. nonnullis de rescript.* & notant Archidiac. *in cap. 1. super. verb. notatur in finibus*; vel dic plenius, *de const. in 6.* Oldrad. *cons. 326. & cons. 428.* cum pluribus relatis per Felin. *in cap. nonnullis de rescript. num. 2. vers. & nota quod omnis constitutio, & infrà sub num. 3. vers. quartò propter auctoritatem*, & per Sanch. *de matrimon. lib. 3. disputat. 26. num. 7.* Gonzal. *ad regul. 8. Cancell. gloss. 15. num 36.* & *gloss. 18. num. 103.* Rot. *decis. 452. num. 5.* & *463. num. 4.* & in terminis Petr. de Ubald. *in d. tract. de Canon. Paroch. cap. 6. num. 8.* Rot. *coram Cardin. Cavaler. decis. 101. n. 2. Barbos. d. cap. 25. num. 8.* Nisi aliàs constet de voluntate Papæ derogare volentis omnibus in contrarium obstantibus, ut post Petr. de Ubald. *loco cit.* tradit Barbos. *d. num. 8. in fin.*

Item notandum, quod non suffragantur ad hunc 11
effectum

effectum privilegia in quibus adest clausula, *salva justitia Ecclesiarum Parochialium*, per eam enim non censentur summi Pontifices voluisse concedere exemptionem à solutione quartæ funeralium, cùm aliis non esset salva justitia Ecclesiæ Parochialis, ut resolvit Rota *in Vallisoletana funeralis 19. Aprilis 1606. coram Justo, quæ in fine operis est decis.83.num.3.*

12 Contrarium tamen; & rectius sentiendum est, si in privilegio adsit expressa exemptio à solutione quartæ funeralis, cum specifica derogatione *d. clem. dudum de sepultur.* quia dicta clausula intelligitur de aliis,
13 quàm de expressis, vel de materiis compatibilibus cum expressis in privilegio, non autem ut tollat expressè concessa, Oldrad. *cons.330. in fin.* Paris. *cons. 16. num. 30. & cons.70. num.12. lib.* Menoch. *cons. 2. num. 57. vers. respondere etiam*, Put. *decis.183. num.1. lib.3.* & de
14 simili clausula *salva canonica justitia Episcopi*, resolvit Rota *in Cæsaraugustana Cameraria 26. Novembris 1632. coram R. P. D. Pirovano quæ in fine operis est decis.78. num.12.* Et in his terminis hanc opinionem tenuisse Reverendissimum D. Coccinum *in suo voto dato in d. Vallisolet. quartæ funeralis coram Justo*, testatur Barbos. *d. c. 25. num.10.*

15 Sed quia Concilium Trid. *sess.25. de refor. cap.13.* statuit, quòd in locis, in quibus ante annos quadraginta solita erat persolvi quarta, quæ funeralium dicitur, Cathedrali, & Parochiali Ecclesiæ, ac postea fuerit, ex quocunque privilegio Monasteriis concessa, oriebantur indies multæ controversiæ inter Regulares, & Episcopos, vel Curatos; recurrendum fuit ad Sacram Congregationem Concilii, quæ instante Religione Fratrum Minimorum declaravit, ut infrà.

Illustrissimi, & Reverendissimi Domini; Fratrum Minimorum S. Francisci de Paula Sacra Religio, à suis primordiis gaudet quodam Apostolico privilegio per fel. mem. Julium II. Pont. Max. anno Domini 1506. sui verò Pontificatus 3. Beato Francisco de Paula Patri, & Fundatori prædicti Ordinis, tunc in humanis agenti, & suæ Religioni benignè concesso, in quo indultum extitit, Monasteria, Domus & Conventus dicti Ordinis, tàm constructa olim, quàm in futurum construenda, nedum decimas ex novalibus prædiis, hortis, verum etiam nullam Parochis Ecclesiarum quartam funeralium teneri debere persolvere, ut in dicto privilegio latiùs est videre, ad cujus effectum, huic sacræ congregationi præsentatum. Et quia licet hoc non obstante, aliquibus in locis prædicti Ecclesiarum Parochi & Rectores perperam forsan intelligentes Sacri Concil. Trid. *sess.25. cap.13.* sensum, seu illum in eorum favorem retorquentes, nituntur à prædictis Fratribus hujusmodi funeralium portionem, seu quartam extorquere, quoties cadaver aliquod apud ipsorum Fratrum Monasteria sepeliri contingit, magnas pro ea Fratribus molestias inferentes assiduè. Ideo Frater Petrus à Menna Provincialis minister dictæ Religionis Minimorum S. Francisci de Paula in Castellæ Provincia Illustriss. & Reverendiss. Dominationibus vestris humiliter supplicat, ut ad sedanda scandala, & evitandas lites, dignentur declarare; an per dictum Sacr. Conc. Trid. hujusmodi privilegio derogatum veniat, quoad solutionem prædictam, vel decreto ipsius Concilii non obstante, debeat observari, & fratres dicti Ordinis ab ea solutione immunes & liberos censeri, quas Deus Opt. Max. &c.

Congregatio Concilii censuit, hujusmodi privilegio ante quadraginta annos ante Concilium, ut proponitur, concesso minimè derogatum esse ejusdem Concilii decretis; refert *Quaranta* verbo privilegia Regularium, pag. mihi 516. *& licet d. declaratio solùm loquatur de quarta Parochiali, intelligitur tamen etiam de quarta Episcopali; quia privilegium Julii II. Fratribus Minimis elargitum concedit, quod nulli quartam solvere teneantur.* Ut docet Molfes. *part. 2. sum. tract. 13. cap.9. n.51.* Rodriq. *tom.2. quæst. regul. quæst.39. art.2.* qui refert aliam declarationem dictæ Congregationis
in forma authentica tenoris sequentis. *Congreg. Conc.* 16
censuit Monasteria ædificata quadraginta annis citrà, aut quæ in dies ædificantur, vel in futurum ædificabuntur non teneri ad solutionem quartæ funeralium hujusmodi; præsupposito, quod hujusmodi Monasteria sint ejus Religionis, cui à Sede Apostolica indultum sit, ut quartam funeralem non debeant solvere Episcopo. Quam declarationem refert etiam *Miranda* tom. 2. Manual. q. 8. art. 7. & eam canonizavit Paulus V. in sua Constit. quæ incipit, *Decet Romanum Pontificem*, apud *Rodriq.* in Pauli V. Constit. ejus 4. *pag.179.* his verbis:

Accepimus, quod Ordini B. & Gloriosæ, semperque Virg. Mariæ de monte Carmelo diversi Romani Pontifices concesserunt, illius Domos, seu Monasteria ante annos quadraginta ædificata non teneri ad solutionem quartæ funeralium, idque etiam à Concilio Trid. de prædicto, & aliis sacris Ordinibus decretum fuit. Cùm autem quæreretur an eadem postea à quadraginta annis ædificata deberent, dictam quartam solvere, Venerabiles fratres Nostri S. R. E. Cardinales, decretorum dicti Concilii interpretes, censuerunt, Monasteria ædificata à quadraginta annis citra non teneri ad solutionem quartæ funeralium hujusmodi, si modo sint ejus Religionis, cui à dicta Sede ante quadraginta annos indultum sit, ut eamdem quartam non teneantur solvere Episcopo. Quare ne dicti Ordinis Carmelitani Monasteria, seu Domus in diversis Mundi partibus à quadraginta annis ædificata indebitè cogantur solvere dictam quartam funeralium, eorúmque indemnitati prospicere cupientes, ac tenores litterarum concessionum hujusmodi forsan confectarum præsentibus pro expressis habentes, dilecti filii Procuratoris Generalis dicti Ordinis Carmelitarum illius nomine Nobis porrectis supplicationibus adducti, volumus, mandamus, decernimus, & declaramus, omnia, & singula hujus Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmelo Monasteria, seu domos in quibuscunque Mundi partibus à quadraginta annis ædificata, illorumque conventus, & Fratres nullo modo, nullâve ratione teneri ad solutionem dictæ quartæ funeralium, & ob non solutionem hujusmodi aliquas sententias, censuras, & pœnas incurrere posse. Inhibentes in virtute sanctæ obedientiæ omnibus, & singulis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & Parochialium Ecclesiarum Rectoribus, ac aliis quos id concernit, ne ab ipsis Fratribus Monasteriorum, seu domorum à quadraginta annis ædificatorum dicti Ordinis Carmelitani quartam funeralium hujusmodi quoquo modo exigere, aut eos desuper molestare audeant, seu præsumant. Quod si quis contradicere præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac B.B. Petri & Pauli Apostolorum ejus noverit se incursurum.

Alia privilegia eximentia Regulares à solutione quartæ funeralium refert Archangel. Caracc. *in tract. de quarta funeral. cap.1.* ubi refert per extensum privilegium concessum Minimis à Julio II. de anno 1506. & aliud ejusdem Pontificis concessum Minoribus de Observantia de anno 1511. Pontificatus sui 8. & aliud Pauli III. concessum eisdem Fratribus Minoribus anno 1544. & aliud Pauli IV. concessum Ordini Fra-
trum Prædicatorum anno 1556. Quæ privilegia suf- 17
fragantur etiam aliis Religionibus, quibus communicata fuerunt privilegia dictorum Ordinum, quam communicationem in hac materia canonizavit Rota *in Licien. quartæ funeralium 15. Januarii 1618. coram Reverendiss. D. Coccino, quæ in fine operis est decis. 84. in princ.* in qua Rota resolvit Monasteria
Clericorum Regularium non teneri ad solutionem 18

quartæ funeralium, Episcopo; ex quo tota Religio clericorum Regularium censetur exempta à solutione hujusmodi quartæ, cùm Paulus IV. & Gregorius XIV. illi communicaverint omnia privilegia aliis Regularibus concessa, quare censentur etiam communicata supradicta privilegia relata per Archangelum Caracc. *d. cap.* 1. concedentia Minimis, Minoribus, & Prædicatoribus exemptionem à solutione quartæ funeralium. Et hæc opinio videtur tenenda, quamvis Rota in hac materia variaverit, cùm aliàs priùs *in d. Vallisoletana quarta coram Juste, & d. decis.* 101. *Card. Cavaler.* contrarium resolverit.

19 Hic tandem notandum, quod Religiosi possunt in eorum Ecclesiis sepelire cadavera defunctorum sine alicujus licentia, & absque eo, quod ipsi, nec defunctorum consanguinei prætextu cujusvis consuetudinis possunt cogi ad dicta cadavera deferendum ad Parochialem, vel alia loca, ut concessit san. mem. Clemens VIII. fratribus Discalceatis sanctæ Mariæ de Monte Carmelo, cum clausula *sublata*, & decreto irritanti, quod privilegium refert Rota, quæ pro illius validitate judicavit *in Seguntina juris sepeliendi* 5. *Junii* 1613. *coram Manzanedo, quæ in fine operis est decis.* 86. Quod est etiam conforme Juri communi, se-
20 cundùm quod licitum est cuilibet sibi sepulturam eligere in qualibet Ecclesia *cap.* 1. *cùm liberum. cap. de uxore, & cap. seq. de sepultur.* & Rot. *decis.* 333. *num.* 1. *part.* 1. *divers.*

21 Item notandum, quòd parochi corpora defunctorum in Regularium Ecclesiis humandorum, usque ad easdem Ecclesias associare, ac etiam in illis permanere possunt, absque tamen stola, & absque eo, quod in officio decantando, vel exercitio aliarum functionum intus dictas Ecclesias se intromittant, ut censuit Sacra Congregatio negotiis Episcoporum, & Regularium præposita *in una Nicoteren. de anno* 1515. refert Barbos. *dicto tract. de Paroch. cap.* 26. *num.* 80. & ex aliis resolutionibus Sacræ Congregationis Concilii, & Rituum fuit decisum per Rotam in *Veronen. jurium Parochialium* 23. *Martii* 1629. *coram bon. memor. D. Card. Virile, quæ decisio in fine operis est* 87.

22 Et clerus sæcularis, postquam cadavera in Religiosorum Ecclesiis sepelienda associaverit, intus easdem Ecclesias super hujusmodi cadaveribus officium defunctorum, Psalmos, Responsoria aliásve preces, vel orationes recitare, aut cantare non potest, sed ab ipsis Religiosis dumtaxat hæc omnia peragenda sunt. Offi-
23 cium enim in tumulandis cadaveribus in Ecclesiis Regularium non per Parochum, seu alios presbyteros seculares, sed per eosdémmet Regulares fieri debet, non obstante quavis contraria consuetudine, ut censuit sacra Congregatio Episcoporum, & Regularium negotiis præposita *in una Turritana* 24. *Novembris* 1617. & Sacra Rituum Congregatio *in una Egubina* 12. *Martii* 1612. *&* 5. *Julii* 1614. *& in Placentina, & Lucien.* 23. *Martii* 1619. *& in Sulmonen.* 8. *Augusti* 1629. & in aliis relatis per Barbos. *in d. cap.* 26. *num.* 81. *&* 82.

QUÆSITUM XVIII.

Vtrum Religiosi à decimarum solutione sint exempti.

SUMMARIUM.

1 *Decima quid sit, & quomodo distinguatur à primitiis & oblationibus.*
2 *Religiosi omnes de jure communi exempti sunt à solutione decimarum de novalibus suis, ac de hortis, & animalibus, quæ nutriunt.*
3 *Religiosi decimas solvunt de animalibus, quæ aliis nutrienda tradunt.*
4 *Novale, quod semel fuit, quoad decimarum solutionem, semper remanet novale.* Limita ut ibi.
5 *Decimas ut de novalibus Religiosi solvere non teneantur, quid requiratur.*
6 *Novale quid sit.*
7 *Novale in dubio non præsumitur.*
8 *Canonici Regulares Lateranenses decimas etiam Papales solvere non tenentur ex privilegio.*
9 *Casinensis Congregatio à decimarum solutione exempta est.*
10 *Camalduenses à decimarum solutione exempti sunt.*
11 *Vallumbrosani decimarum solutioni adstricti non sunt.*
12 *Cistercien. privilegium immunitatis à decimarum solutione refertur.*
13 *Cælestinorum privilegium super eadem materia refertur.*
14 *Cluniacenses decimas solvere non tenentur.*
15 *Monachi Congregationis S. Benedicti Vallis Oleti à decimis exempti sunt.*
16 *Præmonstratenses à decimis exempti sunt.*
17 *Monachi Beatæ Mariæ Montis Virginis à decimarum solutione exempti sunt.*
18 *Sylvestrini decimas solvere non tenentur.*
19 *Canonici Regulares Sancti Salvatoris à decimarum solutione exempti sunt.*
20 *Monachi Sancti Basilii decimas solvere non tenentur.*
21 *Ordo S. Antonii Viennen. decimas solvere non tenetur.*
22 *Ordo S. Mariæ à Mercede Redemptionis Captivorum decimas solvere non tenetur.*
23 *Ordo Minimorum decimas solvere non tenetur.*
24 *Cruciferi à decimis exempti sunt.*
25 *Carthusienses decimas solvere non tenentur.*
26 *Prædicatores decimas solvere non tenentur.*
27 *Minores à decimarum solutione exempti sunt.*
28 *Societas JESU exempta est à solutione decimarum, etiam quoad Collegia ei relicta fundata cum onere alendi, & educandi aliquos adolescentes seculares ex instituto, & disciplina Societatis.*
29 *Moniales Sanctæ Claræ de possessionibus quas per se, vel colonos, vel servitores excoli faciunt, decimas solvere non tenentur.*
30 *Summus Pontifex à decimarum solutione eximere potest.*
31 *Coloni Religiosorum an pro eorum portione colonica decimas solvere teneantur,* & num. 32.
32 *Privilegium concessum* Ecclesiæ, *Civitati, & aliis personis, quæ nunquam moriuntur, censetur reale.*
33 *Exemptio à solutione decimarum concedi non solet, nisi magna cum difficultate, & causa cognitione.*
34 *Privilegia eximentia à decimis non comprehenduntur in communicatione generali omnium privilegiorum, nisi expressa de eis mentio fiat, etiamsi inter privilegia communicata adsint privilegia, quæ aliud non contineant, quàm exemptionem à decimis,* num. 36.
35 *Communicatio privilegiorum regulariter illi, ad cujus favorem emanavit, tribuit omnia privilegia communicata, perinde, ac si specificè concessa fuissent.*
36 *Communicatio privilegiorum non extenditur ad ea, quæ vel concedi non solent, vel magna cum difficultate conceduntur, & in quibus agitur de tertii præjudicio.*
37 *Privilegium exemptionis à decimarum solutione concessum alicui Ordini per non usum unius Monasterii non censetur sublatum, etiam respectu illius Monasterii, in quo privilegium non fuit in usu.*

38 F

38 *Exemptio à decimis non ſuffragatur, abſque derogatione*, cap. nuper de decim.

39 Cap. nuper de decim. *non cenſetur ſufficienter derogatum per clauſulas derogatorias, in quibus fit ſolum mentio de Conciliis Provincialibus vel Synodalibus.*

40 Cap. nuper de decim. *cenſetur ſufficienter derogatum, ſi in clauſulis derogatoriis fiat mentio Conciliorum Generalium, abſque individua mentione* d. cap. nuper.

41 Cap. nuper de decim. *cenſetur ſufficienter derogatum, ſi clauſulæ derogatoria ſint appoſita in confirmatione privilegiorum licet non legantur in ipſis privilegiis.*

42 *Illatio non fit à decimis extraordinariis ad ſpirituales, & ordinarias.*

43 *Derogatione tollitur id ſolum, quod objicitur privilegio.*

44 *Confirmatio non ſuffragatur quoad ea, quæ in privilegiis confirmatis non leguntur, quamvis in ea adſit clauſula,* Quorum tenores.

45 *Clauſula,* Quorum tenores, *ex obſervantia Curiæ derogat quibuſcunque privilegiis habentibus de derogatoriarum derogatorias, & operatur expreſſam, & individuam mentionem.*

46 *Clauſula,* Quorum tenores, *non operatur, quando non fuit facta aliqua mentio de illo de quo tractatur.*

47 *Hoſpitalia fratrum B. Joannis de Deo non gaudent privilegiis leproſorum.*

48 *Leproſi non tenentur ad decimas de hortis, nec de nutrimentis animalium ſuorum. Dummodo communiter vivant, & ſimul congregati extent.* num. 49.

49 *Moniales ſanctæ Claræ, & alii Regulares pauperes qui pro eorum ſuſtentatione mendicare neceſſe habent, non tenentur ad decimas.* Declara; ut num. ſeq.

51 *Decimas Parochis ſolvere tenentur omnes indiſtinctè, etiam pauperes, niſi aliàs fame perirent.*

52 *Exemptio à decimis conceſſa à legato non prodeſt.*

53 *Legatus de latere diſpoſitioni Conciliari derogare non poteſt, abſque expreſſa facultate Papæ.*

54 *Exemptio à decimis poteſt competere ex præſcriptione immemorabili, necnon ex quadragenaria cum titulo explicito.* num. 55.

56 *Quota decimarum poteſt minui conſuetudine.*

57 *Conſuetudo non ſolvendi integras decimas, qualiter ſit probanda.*

58 *Conſuetudo circa modum ſolvendi decimas inducitur decennio.*

59 *Appellatio ſuſpenſiva non admittitur à ſententia condemnatoria ad ſolutionem decimarum.*

60 *Commiſſio in cauſa decimarum debet ſignari cum clauſula,* ſine retardatione ſolutionis decimarum.

61 *Appellatio ſuſpenſiva à ſententia condemnatoria ad ſolutionem decidatur, quando quis nititur privilegio Apoſtolico, & illud oſtendit, quamvis non in forma probanti,* num. 62.

63 *Privilegium invalidum detectum, non retardat ſolutionem decimarum.*

64 *Appellatio ſuſpenſiva in cauſa decimarum datur Eccleſiæ, vel alteri loco pio, quamvis non nitatur privilegio, ſed ſola conſuetudine, vel præſcriptione.*

65 *Prælati admonere debent ſuos ſubditos Confeſſarios, & Concionatores, ut fideles hortentur ad ſolutionem decimarum.*

NE æquivocè in re tam gravi laboremus, hæc notanda ſunt cum Miranda *2. tom. man. Præl. q. 49. art. 2. 3. & 4.*

1 Primò, quòd in Eccleſia Dei ultra præceptum ſolutionis decimarum, adſunt etiam oblatio, & primitiæ; de quibus omnibus ſigillatim videndum erit: primò de uniuſcujuſque earum natura, ut deinde obligationem ſolvendi decimas, facillimè pertractemus: quo poſito:

Notandum eſt ſecundò, decimam, ſecundùm Oſtien. *in ſum. tit. de decimis* § 1. eſſe omnium bonorum mobilium, licitè quæſitorum decimam partem, Deo datam, ſive ipſius Miniſtris, ex divina conſtitutione debitam, ut colligitur, *ex cap. 2. de decimis, & ex cap. Parochianos, cap. non eſt, cap. tua vobis, & cap. cùm non ſit in homine eod. tit.*

Tres autem inveniuntur decimarum ſpecies, prædiales, perſonales, & mixtæ: prædiales ſunt illæ, quæ proveniunt ex prædiis, ut exempli gratia ſunt vinum, oleum, plantæ, fructus arborum, aliaque hujuſmodi; perſonales verò quæ proveniunt ex induſtria perſonæ, ut ex mercatione, arte, ſcientia, militia, venatione, & hujuſmodi; miſtæ dicuntur quæ partim ex prædiis, partim ex induſtria perſonali proveniunt, ut ſunt animalia, quæ paſcuntur ex prædiis, & induſtria hominum nutriuntur, & ex fructibus eorum ſolvitur decima, de quibus per Sylv. *verb. decima, num* 1.

Notandum quoque tertiò, primitiam eſſe primam partem frugum, ſive fructuum Domino offerendam, ut placet Sylveſt. *loco ſuprà citato*, qui dicit talem diffinitionem eſſe Raymundi, necnon aliorum. Dicitur primitia, id eſt præcipua dignitas frugum, ſive fructuum, Domino offerenda, id eſt divino cultui; quia, ut placet S. Thomæ 2. 2. *quæſt. 86. art. 4.* primitiæ olim offerebantur per modum oblationis, nunc autem mos eſt, ut primitiæ pluraliter dicantur propter fructuum varietatem.

Notandum quartò, oblationem denique ſecundùm S. Thomam 2. 2. *q. 86. art. 1. in corpore*, eſſe quoddam commune, & generale nomen, quod in divinum cultum exhibetur, & in *eod. loc.* dicit hoc intereſſe inter oblationem, & decimam, quia oblatio offertur Deo immediatè, & dicitur ſacrificium, ſi de tali oblatione fiat aliquod ſacrum; decima verò non offertur Deo immediatè, ſed Miniſtris ejus, & præſtatur pro ipſis alendis. Cùm autem oblatio tripliciter ſumatur, ſcilicet donatio inter vivos, Deo, vel Eccleſiæ facta, & donatio cauſa mortis pro anima, quæ olim dicebatur mortuarium, & oblatio quotidiana, & uſualis, quam Chriſti fideles indies in ſacrificio Miſſæ, & hujuſmodi præſtant, &c. & ſi prædictis modis, vel quomodocunque dicatur, oblatio eſt omne, quod offertur Deo immediatè, licet ſecundariò cedat in Miniſtrorum uſum, & utilitatem, ut candelæ, panes oblati Altari, pecunia, ornamenta, & alia hujuſmodi, ut dicit D. Thom. *ubi ſupra*.

De ratione autem oblationis adhoc, ut conſiſtere poſſit, & vera dicatur oblatio, hæc requiruntur, ſecundum Panorm. *in cap. fin. de verb. ſignificatione.* Primò ut ille qui offert ſit Chriſtianus, quia ſi ab infidelibus oblationes fierent, ab Eccleſia non reciperentur, licet ipſa Eccleſia recipiat æſtimationem oblationis pro intereſſe, juxta id quod notatur *in cap. quanto de uſuris.* Secundò, ut is, cui offertur ſit Eccleſia; quia, quod fit privatæ perſonæ, non dicitur oblatio, ſed donatio; etiam ſi perſona ſit Eccleſiaſtica, ut patet ex prædicta diffinitione oblationis. Tertiò, requiritur, ut res quæ offertur, licitè ſit acquiſita; nam quæ illicitè acquiruntur pro oblatione non accipiuntur, juxta ea quæ notantur. *in cap. quæ in omnibus de decimis.*

Quibus ſic prænotatis, cùm tàm primitiæ, quàm oblationes ſub nomine decimarum hic comprehendantur, ut privilegia infrà ponenda demonſtrant, de decimis erit præſens Diſputatio.

Religioſi antiquitùs in primitiva Eccleſia, quando ut plurimum erant laici, ut patet ex *cap. alia. cauſa 16. quæſt. 1.* decimas ſolvebant, ut laici, quia paſcebantur

cibo spirituali à clericis, & sacerdotibus, & adeo illis decimas solvebant, ut ait Ostien. *in cap. dudum de decim.*

Deinde, ut ait Rebuff. *in tract. nominationum quæst.* 14. Gegorius Papa statuit, ut Monasteria, & Religiosi nullo modo ex suis prædiis decimas solvere tenerentur. Sed quia in Parochialibus Ecclesiis magnum detrimentum afferebat; nam omnes Monasteriis passim bona sua donabant: ideo Concilium Moguntinum, cui præfuit Paschalis Papa II. statuit, ut Religiosi communiter viventes decimas de suis laboribus, seu nutrimentis tantum non solverent, ut patet ex *cap. conquesti, & cap. seq.* 16. *quæst.* 1. Verùm quia postea Monasteria, ac Religiosi in magnum numerum crescere cœperunt, & ideo Ecclesias Parochiales gravare solebant, Adrianus Papa Cisterciensibus Hospitalariis, & Templariis tantùm, tanquam ad Dei servitium, & devotionem ferventioribus, concessit hoc privilegium, ut de laboribus, & prædiis suis, quos propriis manibus excolunt, decimas solvere non tenerentur.

Aliis verò Monachis concessit Decimas tantùm de novalibus, quæ colunt suis manibus, & de hortis, & nutrimentis animalium suorum, ut dicitur *in cap. ex parte tua, il primo, de decimis, & ibi* gloss. magna.

Demum Innocentius III. in Concilio generali videns, quod Cistercienses Hospitalarii, & Templarii multa prædia acquirebant; unde enorme damnum Ecclesiis Parochialibus provenire poterat, statuit ut prædicti solùm essent exempti à solutione decimarum de prædiis, & possessionibus, quas tempore dicti Concilii Generalis possidebant; de fructibus autem possessionum, quas post Concilium Generale acquisivissent, decimas solvere tenerentur, si de illis possessionibus priùs decimæ solvebantur, *cap. nuper, de decimis.*

Qui text. loquitur quoad decimas prædiales tantùm, non autem gregum, circa quod nihil innovavit, sed in eis habet locum disposnio text. *de cap. ex parte*, ut expresè sentit *ibi* Butr. *prope finem. vers. relinquitur ergo*, & resolvit Rota *in Corduben. decimarum* 22. *Martii* 1617. *coram Patriarcha Manzanedo, qua in fin. oper. decis. est decis.* 49. *num.* 4.

2 Itaque de jure communi Religiosi omnes exempti sunt à solutione decimarum de novalibus suis, ac de hortis, & animalibus, quæ nutriunt, *d. cap. ex parte tua, il primo, & ibi* Gloss. *in verbo laborum suorum, vers. alii vero Monachis*, Ostien. *sub num.* 1. *circa med.* Joannes Andreas *num. etiam* 1. *circa initium, vers. alii verò Religiosi, & num.* 9. Ancharanus *in princ. & num.* 2. *& in* 4. *notab.* Henric. Boich. *num.* 2. *vers. & tunc aut quæris*, Cardin. *in princ. vers. alii*, Gloss. *in cap. commissum, verb. Monacho & ibi* etiam Ostien. *num.* 4. Butrius *num.* 4. *vers. vel dic. secundùm* gloss. ultim. & Ancharan. *num.* 3. *ex eodem txt.* Rebuffus *de decim quæst.* 14. *num.* 43. *&* 45. Monet. *eodem tract. c.* 4. *num.* 56. *& seq.*

3 Hoc tamen procedit in his tantùm cùm deserviunt pro casu Monasterii, ut expresè declarat Abb. *in d. cap. ex part. num.* 3. Joan. de Anan. *num.* 2. Ancharan. *num.* 2. Rebuff. *d. quæst.* 14. *circa fin.* & resolvit Rota *in d. Corduben. decimarum* 22. *Martii* 1617. *coram Patriarcha Manzanedo, n.* 2. & in animalibus, quæ ipsimet Religiosi nutriunt suis sumptibus; non autem in illis, quæ dant aliis nutrienda, & tenenda, *clem.* 1. ubi Gloss. *verb animalibus, & verb. teneri, de decim.* Abb. *in d. cap. ex part. in fin.* & *ibi* Ancharan. *num.* 2. *vers. istud etiam.* Henric. Boich. *n.* 2. *vers. quod intelligo*, Butr. *in* 3. *notab. de decim.* Rebuff. *d. quæst.* 14. *num.* 57. Ubi quod si animalia dentur aliis tenenda, & custodienda, requititur, quod vesperi reducantur ad Monasterium, & tenuit Rota *in allegata Corduben. decimarum coram Manzanedo num.* 3.

4 Et quod semel fuit novale, semper remanet novale, quoad decimarum solutionem, *cap. ult.* & ibi *omnes, de privileg.* si tamen tractu temporis, ex eo Ecclesia Parochialis inciperet graviter lædi, desineret esse novale, & Religiosi tenerentur de illo decimas solvere, *dicto cap. quod per novale:* & *ibi* glossa final. Monet. *de tract. cap.* 4. *num.* 61. *&* 62.

Duo tamen requiruntur, ut aliquod dicatur novale, 5
adeò quod de eo Religiosi decimas solvere non teneantur: primum, quòd novale sit proprium; secundum, quòd propriis manibus, vel sumptibus excolant, vel reduxerint ad culturam, ut colligitur ex text. *in d. cap. ex parte*, ibi *Novalibus suis, quæ propriis manibus, vel sumptibus excolunt*, & sensit Gloss. & Henric. Boich. *locis cit.* Rebuff. aliis adductis *d. tract. d. q.* 14. *num.* 43. *&* 45.

Ideoque si alii extirpaverunt, & novalia deinde ad eos pervenerunt, cessat privilegium, Ostien. *d. cap. ex parte, num.* 2. *verbo, propriis manibus*, Anchar. *num.* 4. Butr. *num.* 6. *in fin.* Rebuff. *loco citato, num.* 46. *vers. unde si quis.*

Idem dicendum est, si sint aliena, & ab ipsis Religiosis conducta, Ostien. *loc. cit. num.* 1. *post med. verb. de novalibus*, Rebuff. *d. quæst.* 14. *num.* 52. Moneta *d. cap.* 4. *num.* 63.

Idem dicimus, si aliis excolenda tradant, *cap. licet*, & ibi Gloss. & DD. *omnes de decim.* Rebuff. *ubi proximè, num* 47. *& sequent.* Monet. *num.* 58. vel per colonos ad culturam reduxerint, *d. cap. licet, & ibi* omnes, Ruin. *consil.* 163. *num.* 15. *in fin. lib.* 5.

Novale autem dicitur, locus noviter ad culturam re- 6
dactus, de quo non extat memoria, quòd aliquando cultus fuerit; & de quo ante culturam nihil, aut modicum quid decimarum percipiebatur. *cap. quod per novale, & ibi* Gl. & Doct. omnes *de verb. signific* Ostien. *d. cap. ex part. num.* 1. *ad fin. vers sed nec intelligitur*, Rebuff. *d. quæst.* 14. *num.* 45. Reminald. Sen. *consil.* 530. *num.* 4. *lib.* 3. Rota *in Conchen. decimarum*, 23. *Maji*, 1601. *coram Ortembergo*, Monet. *d. c.* 4. *n.* 50.

Unde si antea Ecclesia solebat percipere decimas, ut puta de pascuis, tunc non dicitur novale; & ideo de eo decima solvenda est, *d. cap. quod per novale, in fin. & ibi not. d. c. commissum*, & *ibi* Butr. *num.* 4. Anan. *num.* 2. Monet. *d. cap.* 4. *num.* 61.

Idem dico, si pascua reducantur ad culturam, Rota *in Cochen. decimarum, coram Ortembergo.*

Idem si antea colligebatur fœnum, si redigatur ad culturam, non dicitur amplius novale, sed de eo solvi debet decima; licet antea de fœno non solvebatur. Cardin. *in d. Clem.* 1. *n.* 9. Imol. *sub. n.* 5. *de decim.* Riminald. Sen. & Rot. *locis proximè citatis.*

Novale in dubio non præsumitur; ideo allegenti in- 7
cumbit onus probandi, Panormit. *d. cap. quod per novale, ad fin.* Riminald. *d. consil.* 530. *num.* 2. quomodo probetur, tradunt DD. *in d. cap. quod per novale*, Carol. Ruin. *de consil.* 163. *num.* 16. *&* 27. *lib.* 5. & notandum, quòd si pars altera prædii fuit culta, illa trahit partem incultam, quæ si redigeretur ad culturam, non exinde diceretur novalis; & ideo de illa etiam decima solvenda foret. Ruin. *d. cons.* 163. *n.* 14. *in fin. quod n.* 25. *vers. octavo non obstat*, limitat, quando major pars ad culturam redacta fuit.

Cistercienses, & Hierosolymitani, (quia Templarii jamdiu est, quòd extincti fuerunt) non tenentur solvere decimas de prædiis ante dictum Concilium Generale possessis, in quibus scilicet propriis manibus laborant, vel quæ suis sumptibus colere faciunt, ut ait Gloss. *in clem.* 1. *verb. excolendos de decim.* nec pariter de novalibus, sicut cæteri Religiosi. Hæc de jure communi.

De jure autem particulari, nempe ex privilegiis, nonnullæ Religiones à decimarum solutione exemptæ fuerunt,

runt, ut patet ea legendo, quorum aliqua hic apponere visum fuit.

8 Canonici Regulares Lateranen. à decimarum, & omnium præstationum solutione exempti fuerunt à Sixto IV. anno Domini 1476. decimo Kalendas Septembris, Pontificatus ejus anno sexto per Bullam incip. *Dum ad universos*, relatam *tom. 1. Bullarii nuper editi Bulla 10. d. Pontificis*, §. 18. in his verbis:

Cæterùm, ut Congregatio ipsa, & illius Canonici majoris immunitatis gratia fruantur, motu, scientia, & tenore similibus, volumus, atque decernimus, ut ad præstationem, procurationum Legatorum dictæ Sedis, & Nunciorum ipsius, seu Diœcesanorum locorum, aut actionum, vel collectionum, vel subsidiorum, vel provisionum, aut onerum quorumcunque, nec etiam ad solutionem decimarum, quas Papales appellant, & quas Sedes Apostolica pro Christianæ fidei defensione, aut aliis imminentibus persæpe necessitatibus imponit, minimè teneantur, neque obligati sint: Etiam si per quoscunque exemptos persolvi mandaretur, cum quibusvis derogatoriis, & fortioribus clausulis. Nec eos ab eadem solutione cessando, censuras, & pœnas incurrere, nisi præsentibus de verbo ad verbum, & earum toto tenore inserto, & non per generales clausulas, specialiter, & expressè derogetur, & de ipsis omnimoda, & individua mentio fiat.

9 Congregatio Casinen. aliàs sanctæ Justinæ de Padua, à decimarum solutione exempta fuit ab Eugenio IV. qui anno Domini 1434. 7. Kalendas Martii, Pontificatus sui anno tertio, indulsit.

Ut de quibuscunque possessionibus ubilibet constitutis, quæ in præsenti sunt, & in futurum erunt Monasteriorum, Prioratuum, & bonorum prædictorum, quæ prædicti Prælati, Monachi, vel personæ colunt, seu coli faciunt, aut in futurum colent, seu coli facient, sive de hortis, virgultis, piscationibus eorundem, vel de nutrimentis animalium ipsorum, nullus ab ipsis, vel aliis pro eis primitias, decimas, quartas, aut alio quocunque nomine censeantur, exigere, vel extorquere præsumat; nec illa aliquibus solvere teneantur, sive ad id, à quoquam directè, vel indirectè compelli possint inviti, Generalis Concilii, & quibuscunque aliis Apostolicis, vel Provincialibus, aut Synodalibus Constitutionibus nequaquam obstantibus. Decernentes ex nunc irritos, & inanes quoscunque processus, & sententias, etiam interdicti, quos, vel quas contra indultiones nostras hujusmodi per quemvis, aut quavis auctoritate fieri contigerit, aut quomodolibet promulgari.

Quod privilegium habetur *in nova collectione Bull. Apostol. pro Regular.* Roder. *Bulla 7. Eugenii IV.*

10 Monachi Congregationis Eremi Camaldulensis, & Congregationis sancti Michaëlis de Murano, à decimarum solutione exempti fuerunt à Leone X. qui has Congregationes in unam redegit, eique nonnullas immunitates, & privilegia concessit, anno 1513. 4. Nonas Julii, Pontificatus sui anno primo, ubi §. 29. sic habetur:

Nec aliquod ex dictæ de novo erectæ Congregationis Monasteriis, Prioratibus, Grangiis, membris, manualibus, & locis prædictis ad dandam, seu solvendam aliquam canonicam portionem, sive decimam, aut quid aliud, quod eorum loco solvi consueverit Archiepiscopis, Episcopis, Capitulis, Parochianis, Collegiis, Universitatibus, Communitatibus, Fabricis, & aliis quibuscunque personis, de jure, vel consuetudine, aut statutis, vel privilegiis quibuscunque, aut ex quacunque causa, hactenus ab eis forsan debita, seu quæ deberi prætendentur, quomodolibet in futurum, etiam de relictis, legatis, & donatis, tam in ultimis voluntatibus, quàm etiam inter vivos, seu alia quacunque occasione concessis, & concedendis, quomodolibet teneantur.

Refertur *in Bullario novo, tom. 1. Bulla 2. Leonis X.* cujus privilegii vigore, Jacobus Menoch. *consil. 276. lib. 3.* consuluit, non solùm Monachos ipsos prædictæ Congregationis Sancti Michaelis de Murano; verùm etiam ipsorum colonos pro eorum colonica portione decimas solvere adstrictos non esse; de qua re inferiùs *hoc eodem Quæsito*, aliqua dicuntur, *n. 39. & seq.*

Nostra Congregatio Vallis Umbrosæ, etsi omnium Monasteriorum suorum speciales exemptiones à decimarum solutione habeat, ut apparet *in libro Authentico privilegiorum ejusdem*, qui asservatur in Archivio Vallis Umbrosæ; tamen per Bullam Innocentii Secundi, tota Religio, cum omnibus Monasteriis ab earundem decimarum obligatione liberata est, anno 1130. sub Dat. Pisis per manum Almerici Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Cancellarii, anno primo Pontificatus ejusdem Innocentii in his verbis, materiam decimarum concernentibus. 11

Porro fructuum vestrorum decimas, quos ubilibet propriis sumptibus, laboribusque colitis, absque Episcoporum contradictione, vel Episcopalium ministrorum, vel Plebanorum Xenodochio vestro reddendas, possidendasque sancimus.

Simile Privilegium ab eodem Pontifice, intuitu Sancti Atthonis Abbatis Generalis Vallis Umbrosæ, & postea Pistorien. Episcopi, eidem Congregationi concessum fuit, *eodem anno Dominicæ Incarnationis 1130. Pontificatus verò primo sub datum Pisis*, quod asservatur pariter in eodem Archivio; Privilegii autem tenor est:

Porrò fructuum vestrorum decimas, quas ubilibet propriis sumptibus, laboribusque colligitis, absque Episcoporum contradictione, vel Episcopalium ministrorum, seu etiam plebanorum Xenodochio vestro reddendas, possidendasque sancimus.

A Cælestino Secundo similiter à decimarum solutione nostra Religio exempta est, ut ejusdem Pontif. Bulla, *in libro authentico nostrorum privilegiorum descripta, sub datum Romæ in Lateranen. Palatio, anno 1143. 15. Kalendas Maji Pontificatus sui primo.*

Ab Eugenio III. eodem privilegio *in supracitato libro* contento, similiter eximitur nostra Congregatio ab obligatione solvendi decimas, ut in Bulla ejusdem Pontificis, *sub datum apud Marturam Kalendas Februarii, anno 1146. Pontificatus verò 2.* ostenditur.

Alia privilegia totam nostram Congregationem à prædictis decimis universaliter, & multa alia specificales Abbatias, & Monasteria, & alia membra ejusdem Congregationis eximentia, brevitatis causa omittuntur; videantur *in supradicto libro, & Archivio Vallis-Umbrosæ.*

Idem privilegium concessum fuit Cisterciensibus à Martinio V. in hac verba: 12

Martinus Episcopus, &c. Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, Episcopis, & dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Decanis, &c. mandamus quatenus Abbatem Cisterciensem, & omnes Abbates, Priores, Abbatissas, ac omnia, & singula Monasteria, & singulares personas dicti Ordinis præsentia, & futura, ubicunque pro tempore consistentia à præstatione decimarum, tàm de possessionibus habitis ante, & post Concilium Lateranense, quàm de cætero, etiam de novalibus, sive post Concilium hujusmodi acquisitis, & acquirendis, quæ propriis sumptibus excolunt, seu excolent; quàm alias quomodocunque, vel qualitercunque excolentur; & etiam de illis possessionibus, de quibus aliquis hactenus percepit, necnon de hortis, virgultis, & piscationibus suis, & de suorum animalium nutrimentis, singuli vestrum omninò serveris immunes, &c. 9. Kalend. Octobr. Pontif. anno 7.

Hoc

Hoc privilegium refertur à Roderic. *loc. cit. Bull. quinta, dicti Pontificis*, & à Renat. Choppin. *de sacra Politia, lib. 3. tit. 2. num.* 8.

13 Simile Privilegium concessum est Congregationi Cælestinorum à Gregorio XV. *anno* 1242. *undecimo Kalendas April. apud Lugdunum*; ac paulo post à Cælestino V. ejus Ordinis institutore, *quinto Calendas Octobris anno* 1294. ut refert Renatus Choppin. *Monast. lib. 2. tit. 1. num.* 5. asserens Canonizatam fuisse *Arest. Cur. Parisien. die vigesima nona Februarii*, 1600. Denique aliud hujusmodi privilegium illis concessum fuit ab Eugenio IV. in hæc verba:

Eugenius Episcopus, &c. Sanè de fructibus terrarum, & possessionum vestrarum, ac etiam novalium, quæ propriis manibus, & sumptibus colitis, vel per homines vestros, aut alios excoli facitis in propriis prædiis, seu etiam alienis, sive de hortis, piscationibus vestris, vel de nutrimentis animalium vestrorum, nullus à vobis decimas exigere, vel extorquere præsumat; à quarum præstatione, vos totaliter liberamus; sub Datum anno 1435. 5. Kalendas Novembris, Pontificatus sui anno 4.

Ita refertur à Roderico, *ubi proximè Bulla* 18. *Eugenii IV.*

14 Cluniacenses itidem à lege solvendi decimas de prædiis, quæ suis manibus, aut sumptibus excolunt exempti fuerunt ab Innocentio Secundo, qui concessit:

Ut Fratres Cluniacenses, non solùm omnium Parochiarum suarum decimas susciperent; sed etiam quas propriis excolebant sumptibus, retinerent.

Ut refert renatus Choppin. ubi proximè.

15 Monachi Congregationis Sancti Benedicti Vallis Oleti, exempti sunt à distributionibus, & partitionibus subsidiorum, & decimarum, & aliorum onerum Apostolica auctoritate impositorum, ut in Bulla Clementis VII. *sub Datum Romæ, apud S. Petrum anno* 1530. *die* 8. *Decembris*, continetur; quæ Bulla extat *in nova collectione Bullar. tom. 2. Bulla 7. ejusdem Pontificis* sub his præcisis verbis:

Cum itaque, sicut nobis exponi fecistis licèt vos ratione vestrorum Monasteriorum, Prioratuum, & locorum Regularium, decimas, subsidia, & alia onera, in partibus illis Apostolica auctoritate, & pro tempore impositas hactenus libenter persolveritis, & in futurum persolvere, prout vos tangit, intendatis: nihilominus divisiones, seu distributiones, calculi, repartitiones nuncupatas, decimarum, subsidiorum, & onerum hujusmodi, per locorum Ordinarios, & seu Capitula Cathedralium Ecclesiarum, in quorum Civitatibus, & Diœcesibus, Monasteria, Prioratus, & loca Regularia vestra consistunt, quandoque non vocatis quorum interest, fiant; repartitionem ipsam distributores, & partitores non habita notitia, seu vera informatione fructuum, & onerum Ordinariorum Monasteriorum, Prioratuum, & Regularium locorum hujusmodi, quæ parte non audita, debitè haberi non potest, Monasteria, Prioratus, & loca eadem, plerumque adeò gravent, ut Abbates, seu Priores, aut Abbatissæ, seu Priorissæ, ac Conventus nonnullorum ex Monasteriis, Prioratibus, & locis ipsis, onera sibi impartita vix supportare possint, & si quid in distributione, & repartitione decimarum, subsidiorum, & onerum eorundem pro tempore facienda, vos per locorum Ordinarios, & Capitula hujusmodi, seu distributores, & partitores, per eos, vel per alios deputatos pro tempore vocari deberetis, & audiri decerneretur; profectò ex hoc erroribus partitionum, & gravaminibus hujusmodi opportunè obviaretur: vosque compartita vobis onera, libentiùs persolveretis, ac debito justitiæ, quæ in omni actu eos, quorum interest, vocari exigit, legitimè satisfieret; Nobis humiliter supplicari fecistis, ut vobis in præmissis, ex justitiæ debito providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui Religioni debitos, aut à gravaminibus, & dispendiis relevent, nostri ministerii partes libenter impartimur, hujusmodi supplicationibus inclinati, quòd de cætero perpetuis futuris temporibus, in distributionibus, & partitionibus decimarum, subsidiorom, & aliorum onerum dicta auctoritate pro tempore impositorum, & imponendorum, seu illorum taxa facienda; vos, prout singulos vestrum tangit, & concernit in futurum, per Ordinarios, & Capitula, sive distributores, & partitores, aut taxatores hujusmodi, ac alios, ad quos spectat, seu spectabit pro tempore vocari, & audiri, ac taxationibus, partitionibus, & distributionibus interesse debeatis; & taxationes ac distributiones ipsæ, aliter, pro tempore factæ, in his, quæ ad eos, qui vocati, & audiri non fuerint, spectant, nullius sint roboris, vel momenti; ac non vocati, ad illorum solutionem non teneantur, nec ad id à quoquam compelli possint. Sicque per quoscunque Judices, tam Ordinarios, quam delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, declarandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, declarari, & definiri debere: ac quidquid secus per iis, à quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus.

Abbates, & Monachi Præmonstratenses sunt exempti à solutione decimarum suorum novalium, ut apparet ex Bulla Urbani III. *sub Datum Veronæ quarto Idus Junii*, 1587. *Pontificatus ejus anno secundo*; & reperitur in libro, qui inscribitur *Pontificum diplomata, præfati Ordinis, sub num.* 20. cujus formalia verba sunt: 16

Sanè propositum est coram Nobis, per Venerabilem Fratrem nostrum Concordiam Evastunnum Episcopum, quòd quidam ex Clero, vel ex ordine Monachorum, eo vos intuitu, super novalibus decimarum exactione fatigant, quòd hominibus illis, à quibus extirpanda nemora, vel alia loca inculta recipitis excolenda, censum, seu partem aliquam frugum, pro rei proprietate confertis, & ex eo libertatem ab Ecclesia Romana vobis indultam, quæ vos à decimis novalium præstandis absolvit, infringere moliuntur. Quia igitur talis eorum instantia ratione non nititur, auctoritate Apostolica interdicimus, ne quisquam vos ex hujusmodi causa super decimis vestrorum novalium, & quæ propriis manibus, aut sumptibus colitis, audeat infestare.

Congregatio Monachorum Beatæ Mariæ Montis Virginis, à decimarum solutione, soluta fuit à Cælestino III. *anno* 1097. ut apparet in Bulla ejusdem Pontificis, *quæ est tertia in ordine, in tomo primo Bullarii novi* Laërtii Cherubini, *sub datum Lateran, eodem anno quarto Novembris, Pontificatus sui septimo*, cujus verba exemptionem decimarum indicantia sunt:

Sanè novalium vestrorum, quæ propriis manibus, aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis animalium vestrorum, nullus à vobis decimas exigere, aut extorquere præsumat.

Abbates, & Monachi Montis Oliveti, à Pio II. soluti fuerunt à solutione, & præstatione quarumcunque decimarum, de fructibus terrarum, & possessionum eorundem, ut habetur ex Bulla ejusdem Pontificis, *quæ est nona, in ordine* apud Laërtium Cherubinum, *tomo primo*, quæ Bulla edita fuit ab eodem Pontifice, Petreoli Senensis, *anno* 1462. *tertia Nonas Octobris, Pontificatus sui anno quinto*, cujus verba, rem præsentem indicantia sunt: 17

Et insuper Abbatem, Priores, Conventus, Monasteria, Prioratus, Membra, & loca Ordinis hujusmodi à quarumcumquè prædialium, & aliarum decimarum, necnon subsidiorum, prout hactenus consuetum est, ac

n

etiam canonicæ portionis, seu quartæ locorum Ordinariis faciendæ dumtaxat, solutione, & contributione absolvimus, & penitùs liberamus.

Ita etiam, quòd ipsi Abbates, Priores, Conventus, & Monachi dicti Ordinis, à solutione, seu præstatione quarumcunque decimarum, de fructibus terrarum, hortorum prædictorum, sive possessionum suarum quas possident, & in futurum (præstante Domino) poterunt adipisci, quas, seu quos propriis manibus, & sumptibus colunt, vel per boves suos, aut alios, & sumptibus dictorum Monachorum excoli faciunt, ac de novalibus, seu nutrimento animalium suorum, sint prorsus exempti.

18 Congregatio Sylvestrinorum per Innocentium IV. liberatur à solutione Decimarum, eorundem Novalium, quæ propriis manibus, & sumptibus coluntur, ut fatetur ejusdem Pontificis Constitutio, *quinta in ordine*, apud Laertium Cherubinum, *tomo primo Bullarii novi*, quæ Constitutio edita fuit Lugduni, *anno* 1247. *quinto calendas Julii Pontificatus sui anno* 5. cujus verba ad rem nostram sunt:

Sanè novalium vestrorum, quæ propriis manibus, aut sumptibus colitis, de quibus aliquis hactenus non percepit, sive de vestrorum animalium nutrimentis, nullus à vobis decimas exigere, vel extorquere præsumat.

19 Canonici Regulares Sancti Salvatori, à decimarum solutione, & ab aliis oneribus exempti fuit à Julio II. *Anno Domini* 1512. *quarto Nonas Aprilis, Pontificatus sui nono*, sicut ejusdem Pontificis Constitutio, *sub Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, quæ est trigesima* apud Laertium Cherubinum *tomo primo Bullarii novi*, ostendit his verbis:

Nec aliquid ex dictæ Congregationis, & earum Monialium, sive Sororum, & Monasteriis, Prioratibus, Grangiis, membris, manualibus, & locis prædictis ad dandum, seu solvendum aliquam canonicam portionem, sive decimas, ad quidquam aliud, quod eorum loco solvi consueverit, Archiepiscopis, Episcopis, Capitulis, Parochianis, Collegiis, Universitatibus, Communitatibus, & Fabricis, & aliis quibuscumque personis, de jure, vel de consuetudine, aut statutis, vel privilegiis quibuscunque, ex quacumque causa hactenus ab eis forsan debita, seu quæ deberi prætenderetur, quomodolibet in futurum, etiam de relictis, donationibus, & legatis, tam in ultimis voluntatibus, quàm etiam inter vivos, seu aliàs quacunque occasione concessis, & concedendis, etiam si fortè per Nos, vel per Sedem prædictam de legatis, piè dispositis, & relictis in genere, vel in specie decima, vel alia portio, seu quota alteri piæ, vel non piæ rei, ex quavis causa hactenus, & præsertim Ecclesiæ S. Petronii Civitatis nostræ Bononiensis, concessa fuissent, aut in futurum concedi, seu solvi, aut dari, seu mandari contigerit, quomodolibet teneantur: decernentes Congregationem, & Canonicos hujusmodi, ac Moniales, sive sorores, & prædictas personas oblatas utriusque sexus, & illorum Ecclesias, Monasteria, & loca, & eis legata, atque relicta, aut aliàs eorum in favorem disposita, in concessionibus, & mandatis hujusmodi includi, seu comprehendi non debere.

20 Monachi S. Basilii eximuntur à decimarum solutione postremo à Gregorio XIII. dico postremò, quia exemptiones, immunitates, & privilegia antiquorum Monachorum S. Basilii, qui jam floruerunt in Asia, Palæstina, Thracia, omnibusque partibus Orientalibus, mihi incognita sunt; ideò exemptionem eisdem Monachis à Gregorio supradicto concessam, *Anno* 1567. *octavo Kalendas Julii, Pontificatus sui sexto*, hîc recensebo, quoad illa verba, quæ decimarum exemptionem respiciunt.

Postremo animadvertentes, eosdem de Cardon, & Gualleguillos, post prætensam professionem in dicti Matthæi manibus, sicut præfertur, omissam, pro verè professis habitos fuisse decernimus, illos juxta exemptiones, ac privilegia Ordinis Sancti Basilii, vel aliàs concessa ad solutionem decimarum, frugum, & animalium, ac aliarum rerum, quæ ex suarum manuum labore, à die professionis prætensæ hujusmodi, usque ad hæc tempora collegerunt, ac in posterum usque ad novæ professionis tempora colligent, vel administrabunt, minime teneri, nec obligatos fuisse, aut esse, nec ad id per locorum Ordinarios, aut alios quoscumque, ad quos decimarum earundem collectio spectat, cogi, sive compelli posse. Irritumque, & inane, quid quid secus super his à quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quin etiam eos universos, & singulos a solutione prædicta absolvimus, & liberamus.

Abbas Sancti Antonii Viennensis, ejusque Ordo, exemptionem decimarum, à Clemente VII. obtinuit, ut habetur ex Bulla ejusdem Pontificis *secunda in tomo primo Bullarii novi*, Laertii Cherubini, *sub datum Romæ, apud Sanctum Petrum, anno* 1523. *sexto Kalendas Decembris, Pontificatus sui anno primo*, per hæc verba; 21

Eamque à quibusvis impositionibus Apostolica, vel Ordinaria, aut alia auctoritate, quacumque ratione impositis, necnon decimis, oneribus & aliis gravaminibus, & solutionibus exemisset.

Prælati, & Fratres B. Mariæ de Mercede Redemptiones Captivorum, Ordinis S. Augustini, obtinuerunt exemptionem à decimarum solutione à Gregorio XI. anno 1373. ut manifestè colligitur in Bulla quæ est tertia ejusdem Pontificis, *in tomo primo, Bullarii novi* Laertii Cherubini, *sub Datum apud Pontem Sorgiæ, Avenionensis Diœcesis, decimosexto Kalendas Julii, eodem anno, Pontificatus verò tertiò*, in his verbis. 22

Exhibita siquidem Nobis pro parte vestra petitio continebat, quòd licet omnes fructus, reditus, & proventus beneficiorum, domorum & aliorum locorum vestrorum, una cum eleemosynis, quæ nobis à Christi fidelibus largiuntur (victu, & vestitu vestris dumtaxat deductis) in redemptionem Fidelium Christianorum, qui per inimicos ejusdem fidei, captivi detinentur, converti debeant, & etiam convertantur, tamen decimas redditum, & proventuum Ecclesiasticorum, Regibus, & aliis Principibus concessas, levari, seu exigi contingit. Collectores decimarum hujusmodi, vos ad solutionem, seu præstationem decimarum ipsarum compellunt. Quare pro parte vestra Nobis extitit humiliter supplicatum, ut cùm Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani, de Calatrava, & de Monasterio domorum Magistri, & Fratres à solutione, seu præstatione decimarum exempti sint penitus, & immunes, Vos, ut circa redemptionem captivorum ipsorum, meliùs, & liberiùs insistere valeatis, à præstatione, seu solutione decimarum earundem eximere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur volentes vobis super hoc paterna sollicitudine providere, hujusmodi supplicationibus inclinati, quod vos de vestris introitibus, ac beneficiorum, domorum, & aliorum locorum ipsorum fructibus, redditibus, seu proventibus prædictis, decimam hujusmodi, cùm ipsam quibuscunque Regibus, seu Principibus, aut aliis quibuscunque per Sedem Apostolicam concedi contigerit, in futurum solvere, seu præstare, aut in ea cum aliis personis Ecclesiasticis contribuere minimè teneamini; neque ad id à quoquo compelli possitis, per litteras Apostolicas, sub quacunque forma, vel expressione verborum concedendas, non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto, & Ordine, ac domibus vestris hujusmodi mentionem, devotioni vestræ, auctoritate Apostolica de speciali gratia, tenore

præsentium

præsentium indulgemus: decernentes suspensionis, interdicti, si quas contra vos, vel aliquem vestrum, aut domos, seu alia loca vestra prædicta, per quoscunque occasione præmissa, ferri contigerit, seu etiam promulgari, irritas & inanes.

23 Ordo Ministrorum Sancti Francisci de Paula exemptus est à decimis, & oblationibus à Julio II. ut ejusdem Pontificis Bulla testatur, *sub datum Romæ, apud Sanctum Petrum, anno 1506. quinto Kalendas Augusti Pontificatus sui anno tertio:* iste enim Summus Pontifex exemit prædictum Ordinem, non solùm quoad Ecclesias, & Oratoria, & alia loca jam recepta, sed etiam recipienda, sub his verbis:

Necnon Ordinis Minimorum hujusmodi Ecclesiæ, & Oratoria, & loca tam recepta, quàm recipienda, tanquam Sedis, & Ecclesiæ Romanæ hujusmodi specialia Oratoria Ecclesiæ, domus, & loca cum omnibus juribus, & pertinentiis suis prorsus ab omni decimarum, & oblationum persolutione, seu jurisdictione perpetuò liberæ sint, & esse censeantur; ac sub Beati Petri, & dictæ Sedis, & nostra protectione immediatè subjaceant. Ipsiusque Ordinis Minimorum Fratres, pro tempore existentes, de hortis ac virgultis, & aliis quibuscunque bonis Ordinis Minimorum Domibus, & illarum Ecclesiis hujusmodi pro tempore relictis, & legatis; ac super luminaribus, & aliis rebus divino cultui, pro tempore dicatis, decimas, aut oblationes aliquas, etiam ex novalibus, vel quartam ex funeralibus solvere minimè teneantur, nec ad id à quoquam cujuscunque nobilitatis, aut dignitatis existat, valeant quomodolibet coarctari.

Refertur à Lauren. de Peirin. *tom. 1. privilegiorum dicti Ordinis Bulla secunda ejusdem Pontificis. §. 19.*

24 Fratres Cruciferi sunt exempti à solutione decimarum, per Bullam Urban. III. *sub datum Veronæ, 7. Kalendas Aprilis, Anno Domini* 1187. *Pontificatus verò ejus secundo*, cujus formalia verba ad rem nostram sunt:

25 Sanè novalium vestrorum, quæ propriis manibus, vel sumptibus colitis, sive de vestrorum animalium nutrimentis, nullus à vobis decimas exigere, vel extorquere præsumat.

Habetur apud Laërtium Cherubinum, *tom. 1. Bullar. nov. Constit. 1. ejusdem Pontif.*

Fratres Carthusiani sunt exempti à solutione primitiarum, & decimarum, per Constitutionem Martini V. *sub Datum Romæ, apud Sanctos Apostolos, 8 Kalendas Octobr.* 1422. *Pontificatus ejus anno tertio:* cujus formalia verba sunt hæc:

His itaque considerationibus inducti, Religionis ejusdem perseverantiam, ac personarum, sub illius habitu divinæ vacantium servituti utilitates, & commoda sinceris affectibus procurantes; Majores, & aliarum quarumcunque domorum prædicti Ordinis ubilibet consistentium Priores, & fratres præsentes, & posteros, à præstatione & solutione primitiarum & decimarum ex fructibus, proventibus, ex eorum pratis, pascuis, terris, vineis, hortis, agris, silvis, nemoribus, montibus, aliisque prædiis, & possessionibus, in quibuscunque Mundi partibus consistentibus, tam ante, quàm etiam post Generale Concilium habitis, vel acquisitis, illis videlicet, quæ de præsenti, manibus propriis, aut eorum laboribus, vel expensis excolunt, vel excoli faciunt in futurum; necnon à fœtibus animalium eorundem, debitarum, auctoritate Apostolica perpetuò immunes reddimus, & constituimus, & liberamus; ac etiam immunes, & liberos esse volumus, ac decernimus, & censemus: eisque nihilominus, ne primitias hujusmodi cuiquam solvere, vel præstare teneantur, nec ad id à quoquam inviti valeant compelli, tenore præsentium indulgemus.

In Bullar. novo Laërt. Cherubin. *tom. 1. constitut. 1. ejusdem Pontif.*

Fratres Prædicatores à solutione decimarum eximuntur per Constitutionem Gregorii XI. *sub Datum Avenione, 2. Nonas Martii Pontificatus ejus anno 4.* cujus formalia verba ad rem nostram sunt: 26

Cæterùm, cùm humilitas vestra sibi de latitudine Orbis terræ, nihil præter domos, & hortos cum virgultis, præmiorum obtentu cælestium duxerit servandum: Nos piè volentes quòd illorum fructus vestræ paupertatis usibus applicentur, ut de dictis hortis, & virgultis vestris, nulli decimam teneamini exhibere, vobis auctoritate præsentium indulgemus; districtiùs inhibendo, ne quis à vobis de præmissis aliquid exigere, vel extorquere præsumat.

Habetur *in Bullario novo* Laërt. Cherubin. *tom. 1. Constitut. 7. ejusdem Pontif.*

Fratres Minores Conventuales Ordinis S. Francisci, exempti sunt à solutione decimarum, à Sixto IV. ut testatur ejusdem Constitut. 5. *in ordine Bullar. novi* Laert. Cherubin. *tom. 1.* quæ Constitutio est *sub datum Romæ, apud Sanctum Petrum, anno incarnationis Domini* 1474. *pridie Kalendas Septembris, Pontificatus sui anno 4.* cujus formalia verba sunt: 27

Et si forte contingat, per Nos, vel Sedem Apostolicam, de piè legatis, dispositis, & relictis in genere, vel in specie, decima, vel alia portio, seu quota alteri piæ vel non piæ causæ, ex quavis causa hactenus concessa foret, aut in posterum concedi, & solvi, aut dari mandari contingeret, Fratres prædictos, & illorum domos, ac eis legata, & relicta, aut alias in eorum favorem disposita, in concessione, & mandatis hujusmodi decernimus, & volumus non includi, nisi de ipsis Fratribus, & præsenti decreto, ac voluntate nostra, non per generales clausulas, quæ etiam specialem mentionem importare viderentur, sed vera, & specifica mentio fiat in eisdem.

Indultum verò ejusdem Clementis Prædecessoris, de decimis non solvendis, ad quæcunque bona dictorum Fratrum, & quascunque decimas, etiam quas vulgus Papales appellat, & Apostolica Sedes pro Christianæ Fidei defensione, aut aliis imminentibus persæpè necessitatibus indicit, & quæcunque alia onera motu, & scientia prædictis extendimus; decernentes ipsos Fratres Minores, etiamsi per quoscunque exemptos, & Mendicantes solvi mandarentur, cum quibusvis derogatoriis, & fortioribus clausulis, ad illarum solutionem non teneri, & in illorum solutione cessando, censuras, & pœnas aliquas non incurrere, nisi præsentibus, non per generales, aut aliàs clausulas specialem mentionem importantes, sed aliàs sit derogatum, specificè earum de verbo ad verbum, inserto tenore.

Societas Jesu est exempta à solutione decimarum, per privilegium Gregorii XIII. *sub Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, Kalendis Januarii* 1578. *Pontificatus sui anno sexto*, cum expressa derogatione, *cap. nuper de decim.* impress. apud Roderic. *in nova collect. privileg. Regular. Bulla* 21. ejusdem Pontificis. Quod privilegium suffragatur etiam Collegiis relictis d. Societati, fundatis cum onere alendi, & educandi aliquos adolescentes seculares, qui litterarum studiis operam darent, & ex instituto, & disciplina Societatis, ut ex pluribus rationibus fuit resolutum per Rotam *in una Hispalen. decimarum 4. Decembris* 1628. *coram R. P. D. Verospio, quæ in fine operis est decis.* 100. 28

Moniales Sanctæ Claræ, per privilegia Sixti IV. Leonis X. Clementis VII. & Pauli III. confirmata à Gregorio XIII. de quibuscunque tertis, & possessionibus suis, quas per se, vel colonos, vel servitores excoli & cultivari faciunt, aut in posterum fecerint, nullas decimas, & primitias parochialibus Ecclesiis, & aliis persolvere tenentur; nec ipsæ, aut possessionum earundem coloni ad earum solutionem à quocunque cogi possunt; 29

possunt: refertur à Roderico *quæst. Regular. tom. 2. quæst. 44. art. 5. & tom. 3. quæst. 34 art. 16.* & à Rota *in una Conchen. exemptionis decimarum, 30. Januarii, 1589. coram Orano*, quæ est *decis. 240. part. 4. Divers.* & canonizatur ab eadem Rota *in eadem causa, 12. Maji 1623. coram bon. mem. Buratto quæ inter impress. est decis. 704. & in fine operis est decis.*...

30 Circa quæ privilegia, noto primò; quod per ea Summus Pontifex ritè potuit Religiosos præfatos à decimarum solutione eximere; nam licet decimæ dicantur esse de jure divino, *cap. tua, de decim.* cum simil. inde fit, ut jus decimarum in totum per summum Pontificem tolli nequeat; quibusdam tamen personis remitti potest, Glossa *in cap. à nobis, in verb. exemptus.* quam sequuntur ibi, Ostien. Joan. Andr. & Panorm. *extra de decimis,* latè Dec. *consil. 113. num. 3.* Rebuff. *de decim. quæst. 13. n. 103.* Ferret. *cons. 123. n 5.* Soccin. Sen. *consil. 297. n. 5. lib. 2.* Menoch. *in supra citato cons. 176. num. 1. lib. 3.*

31 Secundò noto, quòd per ea non solùm Religiosi, verùm etiam ipsorum coloni, pro eorum portione colonica, decimas solvere non tenentur; nam (juxta distinctionem Gloss. *in clement. 1. verb. excolendas in fin. de decim.*) quando privilegium immunitatis, à decimarum solutione est reale, comprehendit etiam colonos partiarios; secùs, si sit personale: quam distinctionem approbarunt ibi, Cardinal. *quæst. 22.* Imol. & Vitalin. *num. 31.* Rota *dec. 4. tit. de privileg. in antiq.* Panormit. *cons. 9. in secundo dubio, lib. 1 & in c. ex parte, il primo. n. 4. de decim.* Soccin. Sen. *d. cons. 297. n. 5. lib. 2.* Ruin. *cons. 157. n. 9. lib. 3.* Ferretus *d. cons. 123. n. 6.* & alii.

32 Sed prædicta privilegia censentur realia, non autem personalia; quia privilegium concessum Ecclesiæ, Civitati, & aliis personis, quæ nunquam moriuntur, censetur reale, Gloss. *in l. forma, §. quamquam, ff. de censibus,* Imola *in l. quia talc. ff. solut. matrimon,* Ancharan. *consil. 327. col. 2.* Decius *consil. 66. col. versic. 2. videtur,* Natta *consil. 163. num. 16.* & alii relati à Menoch. *d. consil. 276. num. 8.* ubi consuluit ad favorem colonorum, vigore supra adducti privilegii, Monachis Sancti Michelis de Murano, à Leone X. concessi.

Contrarium tamen, quod scilicet privilegia exemptionis à solutione decimarum sint personalia, non autem realia, & ideo non transire ad colonos, vel arrendatarios, seu emptores prædiorum, seu fructuum, decisum est à Rota *in una Placentina decimarum, 17. Decembris, 1584. coram Blanchetto* quam decisionem refert & approbat Seraph. *decis. 827. n. 2.* Ptolom. *decis. 94.* eadem Rota *in Pampelonen. decimarum, 15. Decembris, 1615. coram R. P. D. Coccino, & dec. 23. p. 2. divers.*

Contrariam sententiam tenet Pater Diana *tract. 1. de Immunit. Ecclesiast. Resol. 26.* cum Menoch. *lib. 1. cons. 276. n. 8.* cum multis aliis Doctoribus apud eundem Menochium: quæ sententia taliter sustineri potest, si privilegia sint realia, non personalia, & sic reconciliari possunt supradicti Doctores. Hinc est, quòd Henriquez *lib. 7. cap. 27. n. 8.* & in Gloss. *litt. H,* constanter affirmet, quòd hæc causa sæpè apud Tribunalia Ecclesiastica Romæ, & Hispaniarum agitata fuerit, & semper pronunciatum est in favorem Religiosorum, & Colonorum; si autem in aliqua Provincia, vel Regno contrarium observatum fuerit; hoc provenit, quia privilegia sunt personalia, aut eis per contrarias sanctiones Pontificias derogatum fuerit.

33 Tertiò noto, quòd exemptio à solutione decimarum concedi non solet, nisi magna cum difficultate & causæ cognitione. Joan. Andr. *in cap. dudum. n. 5. versic. ratio diversitatis, de privileg.* Rota *in una Valentina decimarum, 28. Nov. 1603. coram Lancelletto,* relata per Marchesan. *tom. 1. fol. 639. quæ in fine operis est decis. 89.*

Ideò privilegia eximentia à solutione decimarum non sunt amplianda, sed strictè interpretanda, ut minùs lædant, quàm fieri poterit, Seraphin. *dec. 827. num. 1.*

Unde privilegia eximentia à solutione decimarum 34
non comprehenduntur in communicatione generali omnium privilegiorum, nisi expressa de hac re mentio fiat. Quia licet hujusmodi communicatio illi, ad 35
cujus favorem emanavit, regulariter tribuat omnia privilegia, quæ communicantur, perinde ac si specificè concessa fuissent, Oldrad. *consil. 30. & alii;* nihilominus non extenditur ad ea, quæ vel concedi non solent, vel magna cum difficultate conceduntur, & in 36
quibus agitur de præjudicio tertii, juxta notata per Doctores *in l. 1. ff. de legat. 1.* & ibi Jas. *num. 2. & 21.* & alios adductos per Rot. *in dicta Valentina decimarum, num. 2.* ubi *num. 6. versic. non obstat,* firmatur id procedere, etiamsi inter privilegia communicata adsint privilegia, quæ aliud non contineant quàm exemptionem à solutione decimarum. Et idem fuit resolutum *in Urbinaten. decimarum 25. Junii 1618. coram Eminentiss. D Card. Joanne Baptista Pamphilio, quæ in fine operis est decis. 95. num. 2.* ubi *num. 4.* quod requiratur specialis derogatio *cap. nuper de decimis,* tam in ipsomet privilegio exemptionis à solutione decimarum, quàm in ejus comunicatione.

Quartò noto quòd privilegium exemptionis à solutione decimarum concessum alicui Ordini, per non usum unius Monasterii, non censetur sublatum, etiam respectu illius Monasterii, in quo privilegium non fuit in usu; nam per usum aliorum Monasteriorum jus illius Monasterii præservatum censetur, non secus ac jus patronatus, quòd per exercitium unius ex compatronis aliis præservatur, Panormitanus *consil. 54. lib. 1.* Roch. de Curt. *de jurepatronat. in verb. competens, num. 42.* Atque ita in terminis firmavit Rota *coram Seraphino, decis. 951. num. 2. & dicta decis. 240. lib. 4. Divers. num. 6. & in d. Conchen. decimarum, 12. Maji, 1623. coram bon. mem. Burratto, quæ in fine operis est decis. 96.* 37

Quintò noto, quod privilegium exemptionis à decimis non suffragatur absque speciali, & expressa derogatione *cap. nuper de decim.* Barbos qui alios refert *in tract. de Paroch. cap. 28. n. 37.* Cavaler. *decis. 229. n. 3.* Rota *decis. 122. & 122. per tot. part. 1. divers. in d. Valentina decimarum coram Lancelloto, in d. Urbinaten. decimarum coram D. Card. Pamphilio num. 4.* ubi quod ita censuit S. Congregatio Concilii, cum aliis per D. Ferentill. *in annot. ad decis. 704.* Buratt. *sub littera B. num. 13.* Nec censetur sufficienter deroga- 39
tum *d. cap. nuper,* per clausulas derogatorias, in quibus fit solum mentio de Conciliis Provincialibus, vel Synodalibus, & de Constitutionibus Generalibus, vel specialibus in illis editis, ut fuit resolutum *in Cæsaraugustana decimarum 17. Junii 1611. coram eod. D. Card. Pamphilio, quæ in fine operis est decis. 93. n. 5.* sequitur Ferentill. ubi proximè *num. 16 & num. 14.* quòd sufficiat pro derogatione. *d. cap. nuper,* si in clausulis de- 40
rogatoriis privilegii facta sit mentio Conciliorum generalium, absque eo quod requiratur expressa & individua mentio *d. cap. nuper.* 38

41 Et sufficit etiam, si clausula derogatoria Constitutionum etiam Concilio Generali editarum, sit apposita in confirmatione privilegiorum, licèt non adsit in eisdem privilegiis exemptionis à decimis, ut resolvit Rota *in Conchen. exemptionis decimarum 6. Junii 1587. coram Orano,* & admisit, *in Toletana decimarum 26. Novembris 1605. coram Justo, quæ in fine operis est decis. 90. n. 4. & 5.* in qua fuit resolutum contrarium in suo casu, quia in privilegiis confirmatis, & innovatis nullum aderat verbum de exemptione à decimis prædialibus, & spiritualibus, quæ erant in controversia, sed tantùm de decimis, quæ imponuntur ab homine

42 mine extraordinariè, à quibus non infertur ad spiri-
ruales, & ordinarias, Putean. *decis.* 65. *lib.* 3. Rebuff.
43 *de decim. quæst.* 3. *n.* 23. & per derogationem tollitur
illud solùm, quod objicitur privilegio, ut in terminis
Rota *in Ortolen. decimarum coram Orano* apud Mar-
44 ches. *part.* 1. *pag.* 358. *ante num.* 1. Et hoc casu, quan-
do in privilegiis confirmatis nulla adest mentio de
exemptione à decimis, confirmatio non suffragatur:
quamvis in ea adsit clausula, *Quarum tenores*, ut fuit
resolutum *in d. Toletana decimarum coram Justo num.*
5. Quia licèt clausula, *Quorum tenores*, ex observan-
45 tia Curiæ deroget quibuscumque privilegiis, & consti-
tutionibus habentibus derogatoriarum derogatorias,
& operetur expressam & individuam mentionem, ut
latè per Gonzal. *ad reg.* 8. *Cancellar. gloss.* 36. *num.* 29.
Put. *decis.* 104. *lib.* 1. & 503. *lib.* 3. *in correct.* Rota *de-
cis.* 213. *num.* 1. *part.* 1. & *in decis.* 161. *num. etiam* 1.
part. 2. *divers.* ubi & *decis.* 466. *num.* 5. & 666. *num.*
4. *part.* 1. *recent.* Gregor. XV. *decis.* 109. *num.* 10. &
ibi *Adden. num.* 14. cum aliis pluribus per Barbos. *de
claus.* 127. *num.* 3. & 4. Ferentill. *ad d. decis.* 704. Bu-
46 ratt. *num.* 15. tamen non operatur effectum suum,
quando non fuit facta aliqua mentio de illo, de quo
tractatur. Verall. *decis.* 128. *n.* 5. *part.* 2. *recent.* cum a-
liis per Barbos. *loc. cit. n.* 9. & Rota *in d. Toletana co-
ram Justo. num.* 5.

47 Sextò noto, quòd hospitalia Fratrum B. Joannis
de Deo non gaudent privilegio leprosorum, qui ex dis-
positione text. *in cap.* 2. *de Eccles. ædificand.* non te-
nentur solvere decimas de hortis, nec de nutrimentis
animalium suorum; licèt in eisdem hospitalibus cu-
rentur etiam leprosi, quando ad illa accedunt; si ad-
sint etiam alii infirmi laborantes aliis morbis. Quia
48 ad hoc ut sit locus exemptioni, de qua *in d. text.* lepro-
si debent communiter vivere; & simul congregati ex-
tare; Ita resolvit Rota *in d. Cordulen. decimarum* 22.
Martii 1617. *coram Patriarcha Manzanedo, num.* 5.
& 6. Ubi quod hoc procedat, etiamsi leprosi in dictis
hospitalibus retinerentur seorsim ab aliis; quia neque
exinde videntur constituere corpus separatum, cùm id
fiat ad evitandum contagium. Et ideo privilegium
prædictum speciale pro leprosis, non debet extendi ad
hospitalia communia leprosis, & aliis infirmis.

49 Septimò noto, quòd Moniales Sanctæ Claræ, & a-
liæ quæcunque Regulares personæ, quarum redditus,
& proventus adeo sunt tenues, quòd de illis sustentari
non possunt, sed pro eorum sustentatione mendicare,
& eleemosynas publicè petere necesse habent, decimas
solvere non tenentur, ut in quadam Extravag. Bonifa-
cii VIII. incip. *Decimas*, refert Mirand. *in Manuali
Prælat. tom.* 2. *quæst.* 49. *art.* 13. Barbos. *d. cap.* 28. §. 3.
50 *n°* 36. Verùm d. Extravag. Bonifacii VIII. est unica in-
ter communes, & non incip. *Decimæ*, sed, *Declaratio-
ne*, ubi *ferè in princ.* §. *Moniales*, legitur hujusmodi
exemptio, de qua etiam loquitur Calderin. *cons.* 9. *de
decim.* & agit de decima Papali, prout etiam Calde-
51 rin. non autem de decimis Ecclesiæ Parochiali debi-
tis, ad quarum solutionem de jure omnes indistinctè
tenentur, etiam pauperes, nisi aliàs fame perirent, Jo-
ann. Andr. *in cap. cùm homines verb. persolvant*, & *ibi*
Abb. *num.* 5. & alii *de decim.* Rebuff. *eod. tract. q.* 5.
num. 14. & *seq.* Franc. Marc. *decis.* 198. *num.* 6. & *seq.*
p. 2. & resolvit Rota *in d. Urbinaten. Decimarum* 25.
Junii 1618. *coram D. Card. Pamphilio num.* 7. & *seq.*

52 Octavò noto, quod non suffragatur exemptio à de-
cimis concessa à Legato de latere. Quia requiritur ex-
pressa derogatio constitutione Conciliari *in d. cap. nu-
per de decim.* ut suprà dictum est, cui non potest legatus
53 derogare, nisi doceatur, Summum Pontificem hoc si-
bi in facultatibus specialiter concessisse, *cap. dilectus
il* 1. & *ibi* Gloss. *in verb. cum se facultas. de præbend.*
Felin. *in cap. nonnulli num.* 3. *de rescript.* Rebuff. *in
prax. benef. tit. de dispens. ad plur. num.* 25. Gambar.
de auctorit. legat. lib. 4. *tit. de potest. legat. reservand.
benef. num.* 143. & *lib.* 7. *n.* 377. & fuit resolutum *in di-
cta Cæsaraugustana decimarum* 17. *Junii* 1611. *coram
D. Card. Pamphilio num.* 6.

Nonò est notandum, quòd exemptio à solutione 54
dicimarum potest competere nedum ex privilegio, ve-
rùm etiam ex immemorabili præscriptione cum fama
privilegii, Rebuff. post alios *de decim. q.* 13. *num.* 53. &
seq. & *n.* 69. Gabr. *de præscript. conclus.* 1. *n.* 16 & 18.
Gratian. *discept. forens. c.* 595. *n.* 16. Seraph. *decis.* 1404.
n. 2. Rota *decis.* 474. *n.* 3. *p.* 1. *recent* & fuit latissimè
firmatum *in Toletana decimarum de Capella* 4 *De-
cembris* 1615. *coram Andrea*, & admisit Rota *in No-
varien. decimarum* 26. *Februarii* 1631. *coram R. P. D.
Pirovano*, & *in Augustana decimarum* 28 *Martii* 1631.
coram Eminentiss. Card. Ubaldo, & *in Abulen. deci-
marum* 17. *Decembris* 1627. *coram Reverendiss. D. Coc-
cino, quæ in fine operis sunt decis.* 97. 101. & 102. Vel 55
etiam ex quadragenaria cum titulo explicito Petr. de
Ubald. *de canonic. Episc. c.* 2. *n* 14. Seraph. *d. decis.*
1404. *n.* 2. & dixit Rota *in dicta Novarien. decimarum
coram Pirovano.* Et quòd decimarum quota possit mi- 56
nui consuetudine, Covar. *variar. resolut. c.* 17. *num.* 8.
lib. 1. Guttier. *quæst. canonic. lib.* 2. *cap.* 21. *n.* 31. Re-
buff. *de decim. quæst.* 13. *n.* 45. Monet. *eod. tract. cap.* 5.
q. 1. *n.* 89. Seraphin *decis.* 1204. Rota *in Sabin. deci-
marum coram D. Card. Hieronymo Pamphilio* apud
Marches. *d. commiss. p.* 1. *pag.* 681. *n.* 2. & *in dicta No-
varien. decimarum coram R. P. D. Pirovano.* Dum-
modò constet de universali, & uniformi præstatione 57
decimarum per id tempus, Rota *decis.* 569 *n.* 2. & 574.
n. 5. *p.* 1. *recent.* & *in dicta Novarien. decimarum coram
Pirovano n.* 3. Et iste exactus modus probandi con-
suetudinem est necessarius, quando agitur de minuen-
da, vel in totum præscribenda quota decimarum. At
ubi agitur de modo solvendi decimas, consuetudo in- 58
ducitur decennio, cùm non sit contra, sed præter jus.
Abbas *in cap. cùm sint homines, n.* 6. *in fin. de decim.*
Achill. *decis.* 3. *eod. tit.* Covar. *dict. c.* 17. *num.* 8. *vers.
quartò fortiori ratione*, Marescott. *variar. resolut. lib.* 2.
cap. 95. *n.* 19. *ad fin.* Rota *decis.* 163. *n.* 4. *p.* 2. *divers.
coram Card. Cavaler. decis.* 73. & *decis.* 95. *num.* 2. *in
princ.* & *in Placentina decimarum* 10 *Maji* 1628. *coram
Reverendiss. D. Coccino*, & *in eadem coram. R. P. D.
Merlino* 11. *Januarii* 1630. *quæ in fine operis sunt decis.*
98. & 99. *num.* 3. ubi quòd sæpissimè aliàs ita fuerit
resolutum.

Decimò noto, quòd à sententia lata in causa deci- 59
marum non admittitur appellatio suspensiva *cap. tua
nobis in fin.* & *ibi* gloss. & Doct. communiter *de decim.*
Gloss. 1. *in canon. ult.* §. *quoties* 2. *q.* 6. & *in cap. decimæ
verb. tributa in fin.* 16. *q.* 1. *Speculat. de appellat.* §. 2.
num. 5. Federin. de Sen. *cons.* 81. *n.* 5. Rebuff. *de decim.
quæst. ult. num.* 21. Rota *in d. Cæsaraugustana decima-
rum* 17. *Junii* 1611. *coram D. Card. Pamphilio n.* 2. Ideo
commissio appellationis debet signari cum clausula,
sine retardatione solutionis decimarum, ut per Marches. 60
de commiss. part. 2. *de commiss. appellat. c.* 4. *n.* 25 *juxta
prim. impress.*

Hoc tamen limitatur, ut procedat, ubi appellans se 61
fundat in sola consuetudine, vel præscriptione; secus
verò, quando nititur etiam privilegio Apostolico, il-
ludque exhibet, tunc enim admittitur appellatio etiam
suspensiva, ut tradunt Doct. omnes *in d. cap. tua no-
bis*, præcipuè Ostien. *num.* 11. *vers. secus si sufficien-
tem.* Joan. Andr. *n.* 7. *vers. secus si proponeretur.* Card.
n. 2. *in fin.* Butr. *n.* 7. Anan. *n.* 6. Abbas *n.* 9 Mandos. *cons.*
31. *sub n.* 2. & fuit resolutum *in Cæsaraugustana deci-
marum* 19. *Januarii* 1609. *coram Pena.* & 20. *Novem-
bris* 1609. *coram Card. Pamphilio, quæ in fine operis est
decis.* 91. *n.* 3. & *coram eodem in Corduben. decimarum.*

2. De-

2. *Decembris* 1605. apud Marchesf. *de commiss. part.* 1.

62 *pag.*687. Etiam si privilegium exhibitum non sit in forma probante; cùm ad hunc effectum non sit necessaria discussio privilegii, sed sufficiat illius exhibitio, ut per Hostiens. & alios *in d. cap. tua nobis*, & fuit resolutum *in allegata Cæsaraugustana decimarum*: Maximè stante clausula, *arbitr.* quæ cùm relaxet de juris rigore ex vulgar. potest Judex ad effectum supersedendi admittere jura etiam informia, ut in terminis fuit resolutum, *in allegata Cæsaraugustana decimarum* 20. *Novembris* 1619. *coram D. Card. Pamphilio.* Ve-

63 rùm prædicta limitatio declaratur, ut habeat locum, antequam detecta sit invaliditas privilegii, secus verò postquam fuit detecta ejus invaliditas, tunc enim cessat illius effectus, ita ut amplius non possit retardare solutionem decimarum, Caputaquen. *decis.* 349. *n.* 5. *p.* 2. & fuit resolutum *in d. Cæsaraugustana decimarum* 17. *Junii* 1611. *coram D. Card. Pamphilio, in qua die* 19. *Januarii & 20. Novembris*, fuerat admissa appellatio, & resolutum intrare arbitrium, sed quia postea per aliam decisionem *sub die* 29. *Januar.* 1610. *ut in fine operis decis.* 92. fuit interum, dictum privilegium esse invalidum *dicta die* 17. *Junii* 1611. fuit recessum à prima decisione, & resolutum, arbitrium non intrare.

64 Item declaratur prædicta limitatio, ut procedat contra laicum sola consuetudine, vel præscriptione se juvantem; secus ubi agitur contra aliam Ecclesiam vel locum pium, tunc enim admittitur appellatio ad utrumque effectum, etiam si non nitatur privilegio, sed sola consuetudine, vel præscriptione Hostiens. *in d. cap. tua nobis, n.* 22. *vers. item secus.* Henric. Boic. *in fin. de decim.* & fuit resolutum *in d. Cordu decimarum* 2. *Decembris* 1605. *coram Eminentiss. D. Card. Joanne Baptista Pamphilio.*

65 Quibus omnibus sic adnotatis, remanet dicendum, quòd Prælati admoneant subditos suos Prædicatores, & Confessarios, (& maximè Prælati Fratrum Prædicatorum, & Minorum,) ut hortentur fideles ad solutionem decimarum in concionibus, & confessionibus, & similiter admoneant supradictos Confessarios, & Prædicatores, si aliquid in confessionibus, & concionibus dicant, quod eosdem fideles a solutione decimarum retrahat, eosdem Prædicatores, & Confessarios in excommunicationem incidere.

Ostenditur prima pars hujus propositionis *ex cap. Discretioni vestræ, de decimis lib.* 6. ibi enim Gregorius IX. mandavit districtè Fratribus Prædicatoribus & Minoribus, ne talia quæ audientes, à decimarum, seu aliarum rerum Ecclesiis debitarum solutione retrahant, vel alias animas corrumpant audientium in sermonibus suis, vel alibi proponere præsumant; immo verbo, & opere informent eosdem, ut ad solutionem prædictorum promptæ voluntatis animo sint intenti. Et præterea Leo V. in Concilio Lateranen. statuit, quod Fratres Confessarios teneantur hortari, & monere, etiam sub onere conscientiarum suarum, illos quorum confessiones pro tempore audierint, cujuscunque status, & conditionis fuerint, ad solvendum decimas, seu aliam bonorum suorum, seu fructuum quotam in locis, in quibus decimæ ipsæ, aut similia solvi consueverunt: ipsisque illas solvere recusantibus absolutionem denegare & quod super hoc requisiti, id populo etiam publicè prædicare, & persuadere teneantur; habetur *in supplemento fol.* 26. *concess.* 82. *& in Compend. privileg. verb. decima*, §. 14. Circa quod est advertendum, quod, ad tollendum scrupulum, Eugen. IV. concessit, quòd Fratres Minores non teneantur facere conscientiam de decimis in confessionibus, nisi quando fuerint requisiti ab Ordinariis, & quòd tunc sufficiat dicere, facio tibi conscientiam, & inducere peccatorem quantum potuerint, ad solvendum, non tamen propter hoc teneantur retinere absolutionem; habetur in Monument. Ord. & refertur in *Compend. verb. absolutio quoad seculares* 2. §. 2. super quod videantur quæ dicit ibi privilegiorum Collector. Quo verò ad secundam partem, quòd in excommunicationem incidant Religiosi qui concionantur, vel aliàs dicunt aliquid ad avertendos audientes à solutione decimarum, quæ debentur Ecclesiis, habetur expressè *in clement. cupientes de pœn.*

QUÆSITUM XIX.

An Abbates & Prælati Ecclesiastici à civili potestate sint exempti, & quo jure.

SUMMARIUM.

1 *Ecclesiastici omnes à laicorum potestate exempti sunt.*

2 *Religiosi exempti sunt à potestate laicorum, sicut reliqua Ecclesiastica personæ.*

3 *Calvini, & Petri martyris errores confutantur*, & num. seq.

5 *Clericorum, & Ecclesiasticarum personarum appellatione qui veniant.*

6 *Clerici quo jure à laicorum potestate exempti sint.*

7 *Clerici in causis Ecclesiasticis, à laicorum potestate exempti sunt de jure divino.*

8 *Causa Ecclesiastica quæ dicantur.*

9 *Clerici non sunt exempti ab obligatione directiva civilium legum quæ sacris Canonibus, vel clericali officio non repugnant.*

10 *Clerici leges civiles non servantes, nequeunt à seculari judice judicari.*

11 *Clerici non solùm quoad personas, verùm etiam quoad bona exempti sunt à laicorum potestate de jure divino*, & num. 13.

12 *Jus divinum dicitur, quod ex testimoniis, vel exemplis ex sacra scriptura depromptis, vel Ecclesiæ traditione desumitur.*

14 *Bona statim atque traduntur Ecclesiis, eximuntur à dominio & potestate laicorum, & ex speciali jure sub dominio Christi Domini constituuntur.*

15 *Clerici antiquitus tributa solverunt laicis Principibus.*

16 *Exemptio Ecclesiasticis bonis à laicis Principibus non verè, & propriè concessa fuit, sed potius detecta.*

17 *Clericus quantumvis gravia delicta committat, non potest per laicos judices examinari, judicari, aut puniri.*

18 *Processus, sententia, & alia acta per laicum Judicem adversus clericum facta irrita sunt.*

19 *Declinatoria fori, & Judicis incompetentia, nedum per clericum, sed etiam per Judicem Ecclesiasticum competentem opponi potest.*

20 *Clericus à Judice laico per sententiam absolvi non potest.*

21 *Immunitatem Ecclesiasticam lædunt implorantes auxilium à Judice laico, ad impediendas censuras eis comminatas à Judice Ecclesiastico.*

22 *Beneficia Ecclesiastica ne exteris dentur, statui non potest, absque assensu Apostolico.*

23 *Beneficia exteris conferri non possunt in Regnis Castella, Navarra, Aragoniæ, Lusitaniæ, & Franciæ.*

24 *Prælatis negligentibus in puniendis Clericis, eorumque causis cognoscendis, jurisdictio non devolvitur ad laicos.*

25 *Judex Ecclesiasticus potest Judicem secularem negligentem in puniendis excessibus subditorum, censuris compellere, ut suo munere fungatur.*

26 *Ecclesia potest laicos, de quolibet notorio excessu judicare, quando Judex secularis est negligens.*

27 *Clericus falsum deponens coram Judice laico, non potest ab eo puniri.*

28 *Laicus falsum deponens coram Judice Ecclesiastico potest ab eo puniri.*
29 *Clericus capi non potest à laica potestate.*
30 *Clericus capi potest à laicis in flagranti crimine gravi, si timetur de fuga.*
31 *Clericus, qui visus sit illicitè incedere ad perpetrandum aliquod delictum, potest à laicis capi & detineri ad impediendum delictum, modo quam citius Ecclesiastico Judici consignetur.*
32 *Clericus ex causa civili, & de fuga suspectus an per laicos capi possit.*
33 *Clericus pro evictione conveniendus est coram Judice Ecclesiastico, secus si assistat emptori contra tertium.*
34 *Clericus delinquens in exercitio alicujus officii secularis, coram laico Judice conveniri non potest.*
35 *Clericus succedens in bonis laici, non potest coram laico propter illa bona in judicium vocari.*
36 *Clericus qui coram Judice laico depositum recepit, non potest ab eodem Judice ad illud reddendum cogi.*
37 *Clericus fidejubens coram Judice laico non potest coram eo conveniri.*
38 *Clericus citatus à Judice laico ad comparendum, si sua putaverit interesse, non tenetur stare sententiæ ab eo latæ.*
39 *Judex Ecclesiasticus non tenetur punire clericos pœnis statutis à lege civili.*
40 *Clericus cum laicis delicta committens, judicandus est à Judice Ecclesiastico.*
41 *Causa, in qua agitur de bonis ratione directi dominii ad Ecclesiam spectantibus, est omnino Ecclesiastica, & ab Ecclesiastico judice definienda, etiamsi agatur inter emphyteutas, & de solo dominio utili,* num. 44.
42 *Laici nihil statuere possunt circa bona Ecclesiastica.*
43 *Forum sortiri, & statutis ligari paria sunt.*
45 *Dominium utile est vere, & propriè una, & eadem res cum directo, illudque semper sequitur, quasi incrementum alluvionis.*

1 CErtum est, cunctas Ecclesiasticas personas à Principum secularium potestate immunes exemptasque esse & quoad proprias ipsorum personas, & quoad bona ab iisdem possessa, ut in sequenti Quæsito dicetur. Nec ullo modo secularibus Judicibus licere, de ipsorum personis, vel rebus judicare; hoc enim ex multis Conciliorum, & Pontificum Constitutionibus expressè statutum est, ut habetur *cap. diligenti, de foro compet. cap. at si clerici, de judic. cap. non minus de immunit. Eccles. & cap. quamquam de censib. lib. 6. & ex tot. 11. quæst. 1.*

Immo etiam in jure civili hoc decernitur; ut *in Auth. statuimus, de Episc. & cleric.* & aliis quamplurimis locis, quod clarum est, nec de eo dubitatur.

Et quia Religiosus status eo ipso, quod per Ecclesiam approbatur, & instituitur, est status sacer, & Ecclesiasticus, & ejus personæ sunt sub speciali dominio Dei, idcirco eo ipso sunt personæ sacræ, & Ecclesiasticæ: quia, & divinis obsequiis specialiter deputatæ
2 sunt, & ad ipsum specialiter spectant: hinc est, quod Religiosi ex vi sui status, sicut reliquæ Ecclesiasticæ personæ à civili, & laica potestate exemptæ sint, ut pluribus probat Suar. *de censur. disp. 22. sect. 1. n. 19. & seqq. & in defensione fidei lib. 4. c. 10. in fin. & c. 11. & 12. per tot.*

3 Veritatem hanc, Sole clariorem negavit Joann. Calvinus *lib. 4. Instit. cap. 11. §. 15* dicens, clericos omnes debere esse subjectos legibus secularium Magistratuum, præterquam in causis merè Ecclesiasticis; & hoc probat per epistolam Constantini Imperatoris ad Nicomedienses, relatam à Theodoreto *lib. 1. hist. cap. 20.* ubi Imperator Constantinus dicit se ejecisse in exilium Eusebium Episcopum Nicomediensem, & subjungit hæc verba præcisè: *Si quis Episcoporum inconsulte tumultuatus sit, Ministri Dei (hoc est) mea executione illius audacia coercebitur.*

Sed respondetur, quòd Constantinus Imperator in ea epistola, ait, se ejecisse Eusebium Episcopum in exilium, sed addit, priùs Eusebium fuisse a Niceno Concilio propter hæresim ab Episcopatu suo depositum: & hoc non est contra id, quod inferiùs docebimus; quia non negamus, quin Magistratus secularis debeat clericos punire, quando ab Ecclesia Dei damnantur, degradantur, & seculari Judici traduntur.

Ad verba autem præcisa Constantini à Calvino producta, respondetur; quòd eadem verba à Calvino depravata sunt, quia Constantinus eo loco non minatur pœnam Episcopis, sed laicis; cùm dicat, se animadversurum graviter in plebem Nicomediensem, si velit iterum ad Episcopos hæreticos a Concilio Generali damnatos, redire. Hæc sunt verba Constantini, *sin autem quisquam* (non dicit Episcoporum, ut Calvinus addit) *temeritate, & audacia accensus, eas Ecclesiæ pestes, id est Episcopos Arrianos, vel memoria, vel laudibus celebrare aggrediatur, confestim opera, ac diligentia Ministri Dei, (hoc est mea,) pœnas suæ insciẽtiæ dabit.*

Doctrinam Calvini secutus est quidam Petrus Mar- 4
tyr *in cap. 17. ad Rom.* ubi ait, non potuisse Principes seculares clericis privilegium concedere, ut publicis Magistratibus non subjiciantur; quia (dicit ille) est contra jus divinum; & ideò, tot tantisque concessionibus Principum, & exemptionibus erga clericos factis, non obstantibus, eosdem clericos, Magistratibus secularibus debere esse subjectos; & hoc probat, per illud, quod habetur in Epistol. ad Rom. *c. 13. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita est.* Respondeo, quamvis omnis anima jure divino sit subjecta potestatibus superioribus, ac per consequens Regibus, (dum potestates sublimiores sunt) tamen fieri potest, ut qui jam est potestas sublimior, paulò post non sit: ut si ipse subjiciat alteri partem sui Regni, vel jure belli, aut alio justo titulo Regnum, vel partem Regni amittat. Cùm ergo ipsi Principes, partim subjicerent in omnibus causis, etiam temporalibus, & civilibus, clericos suis Episcopis, & postmodum Papa omnes clericos à subjectione Principum secularium exemerit, sequitur, ut Reges respectu clericorum, non sint Principes superiores potestate, & per consequens clerici non teneantur Principibus secularibus obedire neque jure humano, neque divino, nisi ad quasdam leges directivas, ut dicemus infrà. Ita respondit Card. Bellarm. *disput. de exempt. cleric. in calce secundi tomi sui operis, vers. respondeo nihil ea ratiocinatione.*

Antequam Catholicorum sententias proferamus, & 5
conclusiones hujus dubitationis subjiciamus, sciendum est, nomine clericorum gaudentium libertate Ecclesiastica, venire, non solùm Cardinales, Episcopos, & alios similes Prælatos, verùm etiam omnes Sacerdotes, aliosque Sacris Ordinibus initiatos, & in minoribus constitutos, dummodò isti observent ea, quæ docet Concilium Tridentinum *sess. 25. cap. 6.* similiter omnes habitum, & tonsuram deferentes, & alicui Ecclesiæ, vel Episcopi ministerio deputatos, & Religiosos omnes cujuscumque Ordinis, & sexus, & etiam novitios, & conversos, qui licèt clerici non sint, hujusmodi tamen fori privilegio capaces existunt, quia Ecclesiasticæ personæ sunt, ut ait D. August. Barbos. *de offic. & potest. Episc. part. 1. alleg. 12. num. 37. & seq.* Ideo quando in præsenti disputatione solummodo clericos, & Ecclesiasticas personas nominamus, prædictos omnes venire intelligimus, ita elegantissimè ostendit Bonacina *tractat. de legibus disput. 10. quæst. 2. §. 2. propositione unica,* multis in hac re cumulatis juribus, & rationibus.

At

At magna difficultas eſt quo jure, divino ſcilicet, an humano hanc exemptionem ſint adepti: & pro utraque parte variæ extant Doctorum ſententiæ, quarum tres tantùm in medium (brevitati ſtudens) adducam. Et primò, quòd Eccleſiaſtici omnes à ſecularium Judicum juriſdictione ſint de jure divino exempti, tenuit gloſſ. *in cap. ſi Imperator, verb. diſcuti 99. diſt.* dicens, quòd ante omnem humanam conſtitutionem clerici, & Eccleſiaſtici ab omni juriſdictione ſeculari fuerunt exempti; & quòd omnes conſtitutiones, quæ deinceps ſuper hac re emanarunt, decernentes, ut clerici non judicentur, niſi ab Epiſcopis, fuerunt tantummodo divini juris declarationes; eam gloſſ. ſequuti ſunt plures, quos refert & ſequitur Monach. *de ſuc. creat.* §. 22. *num.*58. qui teſtatur, hanc eſſe communem opinionem: idem aſſerunt, Alphonſ. Azeved. *lib.* 1. *nova compil. tit.* 3. *lib.*6. Reginald. *de nul. Eccleſ. l.*1. *poſt princ.* Petez. *lib.* 3. *or. tit.* 1. *lib.*2. *verſ. quaro*, affirmantes, hanc eſſe communem, & magis receptam ſententiam, horum fundamenta ſunt auctoritas Pſalm.140. *Nolite tangere Chriſtos meos, &c.* quo loco Deus exemiſſe videtur à Principibus ſecularibus Chriſtos ſuos, id eſt, Sacerdotes, qui Chriſti hoc eſt, uncti, & conſecrati dicuntur.

Secundò probatur auctoritate Sacrorum Canonum, nempe *cap. Imperatores* 11. *q.*3. *c. continua, & cap. Sacerdotibus* 11. *q.*1. ubi teſtimonio Conſtantini Imperatoris habetur, quòd cùm ad illum libelli accuſationem contra clericos continentes, delati eſſent: *Vos enim à nemine judicari poteſtis, ſed ad ſolius Dei judicium reſervamini.*

Quòd autem clerici, Eccleſiaſtici, & conſequenter Monachi, & Regulares omnes jure humano, non autem divino à ſeculari poteſtate, & juriſdictione ſint exempti, tenuerunt nonnulli Auctores non minoris auctoritatis quos refert & ſequitur Covar. *practicar. quæſt. cap.*31. *num.*2. *verſ. contraria opinio*, & D. Thom. *ſuper Epiſt. Paul. ad Rom. cap.* 13. Medin. *de reſtitut. q.*15. *in princ.* Victor. *de relect.*1. *de poteſt. Pap. cap. ult. num.*3. Quarum præcipuum fundamentum eſt, quia hujuſmodi exemptio Eccleſiaſticorum in nulla lege divina, quæ obligari poſſit, reperitur; Non in lege ſcripta veteris teſtamenti, quæ continet præcepta judicialia, & ceremonialia; ea enim per paſſionem Chriſti Domini extincta eſt, ut ait D. Paul. *ad Hebr.* 7. *&c. tranlato de conſtit. & cap. unic. de purific.* explicant D. Thom. 2. *q.*104. *art.*3. *&* 2 2. *q.* 83. *art.*1. Sot. *de juſt. lib.*2. *q.*5. *art.*4. Covar. *var. reſol. lib.*1. *c.*15 *n.*2. Nec à lege naturali talis exemptio, ſeu libertas manaſſe videri poteſt; quia non eſt de illis primis principiis, quæ D. Thom. 1. 2. *q.* 44. *art.*3. 4. *&* 5. communes conceptiones per ſe notas appellat; Nec eſt concluſio ab ipſis primis principiis immediatè collecta; quia niſi id in lege humana definitum fuiſſet, colligeretur in lege naturæ, Eccleſiaſticos à ſeculari juriſdictione exemtos, & immunes fore, nec prætereà dici poteſt, quòd hujuſmodi exemptio ſit de lege ſupernaturali Evangelica.

Nam ea, (ut ait D. Thom. 1. 2. *quæſt.*8. *art.*2.) non continet niſi præcepta naturalia, ſeu moralia, quæ ad articulos Fidei, & ad Sacramenta ſpectant, in quibus nec hujuſmodi exemptio reperitur, nec locus aliquis è quo ea colligi poſſit.

Confirmatur, quia ſi ex lege divina Eccleſiaſtici, & Religioſi à ſecularium juriſdictione fuiſſent immunes, Catholici Imperatores poſt tot annos de illis nequaquam judicium promiſiſſent, ut patet ex *toto titulo de Sacroſ. Eccleſ. & ex tit. de Epiſ. & cler. & de Epiſcopali audient. in Codice*, & præcipuè *in novella Conſtit.* 83. *ut clerici apud propr. Epiſc. &c.* ubi Juſtinianus ad ſupplicationem Epiſcopi Conſtantinopolitani dedit clericis privilegium fori in civilibus tantùm, & Epiſcopo non impedito: alias, & omninò in criminalibus eos reliquit ſub Judice ſeculari. Prætereà, nec Summi Pontifices ad probandam hujuſmodi exemptionem privilegia Imperatorum adducerent, prout aſſert D. Gregor. *in cap. de perſona* 11. *q.*1.

Alii verò Doctores medium tenuere; ac propterea dicunt, clericos, Eccleſiaſticos, & Religioſos omnes, quantùm attinet ad cauſas verè ſpirituales ſeu ad res ſpirituales ordinatas, ac eiſdem annexas jure divino à poteſtate, & juriſdictione ſeculari exemptos eſſe. Circa eorum autem perſonas, & bona temporalia, ſecluſa alia exemptione, ità eſſent ſecularibus Principibus ſubditi, ut Principes non peccarent, ſaltem contra juſtitiam, de cauſis eorum temporalibus cognoſcendo, delicta eorum puniendo, atque tributa ab illis exigendo, ſed Summis Pontificibus ſic diſponentibus à laica poteſtate fuerunt ſubtracti, cùm Monachi, ſicut & clerici in ſortem Domini ſint vocati, *cap. duo ſunt.* 12. *q.* 1. *Chryſoſt. in Paul. ad Rom.* 3. *deciſ.* Pedemont. 30. *n.*1. atque ità tenent, Victor. Sot. Molin. Covar. *locis citatis*, Leſſ. *de juſt. lib* 2. *c.*33. *dub.*4. Banneſ. 2. 2. *q.*67. *art.*1. Bellarm. *tom* 1. *de cleric. cap.*28. Cajet. *in ſumm. excommunicatio, c.*31. *&* 37. Navarr. *c.*27. *n.*219. & plures alii apud Salas *de legib. diſp.*14. *ſect.*11. *n.*18.

Quibus præmiſſis ut in re tam gravi diſtinctè loquamur, ſequentes concluſiones hic apponendæ ſunt, ſimulque probandæ.

Prima concluſio, Clerici in Eccleſiaſticis cauſis ſunt liberi à ſecularium Principum poteſtate de jure divino. Probatur, tota auctoritas regendi Eccleſiam Dei Apoſtolis commiſſa eſt à Chriſto Domino: ergo in rebus Eccleſiaſticis laici ſunt oves, & ſubditi, non Judices, & Paſtores, ergo de jure divino clerici ſunt liberi in cauſis Eccleſiaſticis à poteſtate Regum, & Principum ſecularium; argumentum hoc deſumitur ex Bellarm. *lib.* 1 *de Summo Pontifice, cap.* 7.

Probatur ſecundò à Leonardo Leſſio *de juſt. & jur. lib.*2. *c.*33. *dub.*4. ubi ait, quòd rectè ratione quadam dici poſſunt clerici jure divino exempti, quadam jure canonico, & civili: & probat priorem partem, ſcilicet, *de jure divino*, ſic, quia jus divinum naturale, etſi non efficiat illam exemptionem (non enim Deus immediatè hanc exemptionem concedit) tamen dictat eam à Principibus eſſe concedendam, & à Pontifice fieri poſſe; idque ob tres cauſas.

Prima, ob dignitatem ſtatus, per quam Eccleſiaſtici peculiari modo ſunt divinis rebus mancipati, & conſecrati: atque contrà reverentiam Deo debitam eſt, ſi id, quod ſemel Deo conſecratum eſt, tractetur tanquam prophanum. Hinc David ne defenſionis quidem cauſa unquam fuit auſus lædere Saulem, quia unctus erat Domini; quæ tamen unctio ſolùm erat umbra unctionis & ſanctificationis Eccleſiaſticorum.

Secunda, Eccleſiaſtici ſunt Paſtores, & Patres ſecularium, & Judices eorundem loco Dei in cauſis ſummis, quæ ſalutem æternam contingunt, conſtituti: atque contrà decorem, & reverentiam debitam eſt, ut ovis judicet ſuum Paſtorem, & filius patrem; qui ante fuit reus, ſuum Judicem qui illum auctoritate divina judicavit, & abſolvit; maximè ſi alia commoda ratio iniri poteſt.

Tertiò, etſi Principes clericos ab injuria defendant, & curent, ut tranquillitate temporali fruantur, tamen clerici viciſſim Principibus longè majus & divinius beneficium conferunt; ipſorum enim miniſterio fiunt Chriſtiani, accipiunt doctrinam ſalutis, remiſſionem peccatorum, animæ ſanitatem, panem cæleſtem, & vitam æternam, &c. ſed de hac re iterum redibit ſermo, in tertia concluſione inferius ponenda, ibique Sacræ ſcripturæ, & Conciliorum auctoritate hac eadem veritas confirmabitur.

Interim advertendum eſt, quòd cauſæ Eccleſiaſticæ, ratione quarum, clerici jure Divino ſunt exempti, vocan-

vocantur illæ, quarum cognitio non à legibus civilibus pendet, sed ab Evangelio, & à Summorum Pontificum Canonibus, & à Sacris Conciliis; hujusmodi causæ sunt, verbi gratia, Controversiæ de Fide, de Sacramentis, & similes.

9 Secunda Conclusio. Clerici non sunt exempti ab obligatione directiva civilium legum, quæ Sacris Canonibus, vel clericali officio non repugnant; loquor in præsenti, præcipuè de politicis legibus, quæ humanas actiones dirigunt ad commercia temporalia; ita *Bellarm. disput. de exempt. cleric. cap. cit. vers. secunda propositio*, ubi explicando hanc conclusionem, dicit: clericos non teneri his legibus obligatione coactiva, sed directiva; nisi illæ leges ab Ecclesia approbatæ fuerint, quod probat ex testimonio Summorum Pontificum, & Imperatorum; nimirum ex Epistola Nicolai I. ad Michaëlem directa, propè finem; & ex Epistola Valentiniani, ad Episcopos Asiæ, & ex Sancto Joanne Chrysostomo, *in cap. 13. ad Romanos.*

10 Non tamen ex his inferendum est, clericos leges civiles non observantes, posse a Judice seculari judicari, ut multis rationibus probabitur in illationibus infrà ponendis.

11 Tertia Conclusio. Exemptio Clericorum non solùm quoad personas, verùm etiam quoad bona ab oneribus, & tributis impositis, per communitates, & Principes laicos, est de jure divino, ut expresè dicit text. *in cap. quanquam de censibus*, ibi, *Ecclesia, Ecclesiasticaque persona, & res ipsorum, non solùm jure humano; quinimo & divino à secularium personarum exactionibus sunt immunes*; & licet aliqui putaverint dicta verba *de jure divino, vel humano*, intelligi posse de jure positivo, scilicet, quod jus divinum intelligatur jus canonicum, & humanum jus civile; tamen id clariùs exprimitur in Concilio Tridentino *sess. 25. de reformat. c. 20.* ubi dicitur, *Immunitas hæc Dei ordinatione, & Canonicis Sanctionibus instituta est.*

Nec obstat, quod talis immunitas respectu bonorum expresè & oculariter non legatur scripta in sacris
12 scripturis. Quia ut juris divini dicatur, satis est, quod ex testimoniis, vel exemplis ex ipsa sacra pagina deprompris, vel traditione Ecclesiæ deducatur, prout egregiè deducitur ex Genes. *cap. 47.* ubi Joseph prorex Pharaonis, Sacerdotes, & eorum agros, etiam eis à Rege traditos in primæva libertate dimisit, quamvis reliquos totius populi Regis servituti subjecerit: & meminit etiam Joseph. *de antiquit. Judaic. lib. 2. cap. 4.* & Diodor. Sicul. *in 2. lib. Hist.* & Herodot. *in Euterpe lib. 2.* unde text. *in c. non minus de immun. Eccles.* infert, non decere Ecclesiam Dei minùs liberam esse tempore Principum Christianorum, quam fuerit tempore Pharaonis. Alia exempla deduci possunt ex 1. Exod. *c. 1.* & Numer. *c. 3. & ex d. c. 17.* Matth ubi filius Regis, qualis est Christus, qui est filius Regum Regis, eximitur à tributo Principis: Ecclesia autem & Ecclesiasticæ personæ, tanquam sponsa, ac familiares & domestici Christi eadem potiuntur prærogativa, ut inferunt D. Hier. *suprà d. c. 17.* Matth. & D. Aug. *lib. 1. quæst. Evangelic. q. 23.* Joan. Ant. Nig. *in repet. extravag. unic. n.* 223 *de vit. & honest. cleric.* & Suar. *ad reg. Angl. de immunit. Eccles. lib. 4. c. 5. n. 12. & c. 8. num. 16.* Ex quibus hanc immunitatem esse de
13 jure divino, firmant Card. Bellarmin. *controvers. tom. 2. lib. 1. de cleric. c. 28. in 4. & 5. proposit.* Joan. Montaign. *de collat. parlament. part. 2. n. 11.* Bursat. *consil. 42. num. 1. & consil. 186. num.....* Borell. *consil. 74. n. 1.* Plott. *in addit ad ult Cons. Lauden. n. 8.* Everard. *cons. 30. num. 23. ad fin.* Ceval. *commun. contr. commun. q. 899. num. 39. & 42.* Cubed. *decis. 83. num. 19. part. 2.* Thom. Bozz. *de jur. stat. Eccles. libert. lib. 4. c. 8.* latè Paulus Comitol. *respons. moral. lib. 1. cap. 97. n. 6. & sequen.* Suar. *ad Reg. Angl. d. lib. 4. c. 8. n. 9.* egregiè Rota *in Alben. Gabellæ seu onerum 28. Junii, 1650. coram R.P.D. meo Merlino, quæ in fine operis est decis. 104.*

Præterea bona eo ipso, quod traduntur Ecclesiis, eximuntur à dominio, & potestate laicorum, & ex speciali jure sub dominio Christi Domini constituuntur, nec per metaphoram, sed per omnimodam proprietatem, ita ut tale dominium Christi in his bonis sit proximum, & immediatum, illique dicatur acquisitum tanquam principali domino, ut per Innoc. *in cap. cùm super num. 3. de caus. possess. & propriet. & in cap. verum num. 2. de for. compet.* Afflict. *decis. 361. n. 22. & seqq.* & post Suar. *d. lib. 4. c. 17. num. 9. & cap. 18. num. 5. & 7. cap. 21. n. 5.* pluribus comprobat Comitol. *respons. moral. d. lib. 1. cap. 70. & 71.* & Rot. *in d. Alben. gabellæ, seu onerum coram R.P.D. Merlino.* At si Christus Dominus omnino immunis fuit à tributis, consequenter etiam bona Ecclesiarum, quæ subsunt immediato & proximo dominio Christi Domini, immunia sunt ab omnibus tributis, ut per Suar. *d. cap. 18. num. 5. & 7. & cap. 21. num. 5.* 14

Nec obstat, quod antiquitus aliquando clerici solverint tributa Principibus indulgentibus. Respondetur enim, id evenisse tempore, quo Principes nondum Christianam fidem amplexi fuerant, & immunitas à collectis, & tributis clero competebat quidem de jure; sed adhuc de facto, & malè exigebatur; & sic ipsa immunitas à jure divino profecta est, immunitatis autem 15
usus, sive exercitium emanavit à Principum orthodoxorum sanctionibus, qui Principes Christiani non verè, & propriè Ecclesiasticis bonis exemptionem concesserunt, sed potius detexerunt, & in eam à Deo concessam consenserunt, illiusque exercitium jussere, quòd benè agnovit Justinianus *in l. sancimus 20. C. de sacros. Eccles.* ibi; *Cur enim non facimus discrimen inter res humanas, & divinas, & cur competens prærogativa cælesti favori non conservetur*, in quibus verbis annuit, hanc immunitatem non à sua munificentia, quam aliis in rebus, & locis sæpius gloriosus commemorat, sed à dictamine divino, & natura effluxisse, & benè discurrit Comitil. *respons. moral. lib. 1. c. 97. n. 11.* Suar. *ad Reg. Angl. d. lib. 4. de immunit. Eccles. c. 6. n. 4. & c. 21. n. 3. & 8.* & Rota *in allegata Alben. gabellæ seu onerum coram R.P.D. Merlino.* 16

Ex his primò elicitur, clericum non posse (nisi de particulari vel generali privilegio quale per Concordata conceditur) per laicam potestatem, nempe per Prætorem, Principem, & Regem, vel Magistratum judicialiter interrogari, & auctoritativè examinari, judicari, vel puniri; etiamsi gravissima perpetraverit delicta, ut patriæ proditionem, crimen falsæ monetæ, hæresim, blasphemiam, & alia delicta, etiam enormia; nam talis actio, nempè, ut quis se subjiciat examini, judicio, & animadversioni, præsupponit potestatem in illum, qui est examinandus, judicandus, & pro qualitate delicti, pœna mulctandus: at laicus non habet talem potestatem, & jurisdictionem in clericum; ergo, &c. ut benè Suarez. *de censuris, disput. 22. num. 11.* 17

Secundò elicitur, quod processus compilatus, vel sententia lata, & alia acta facta per laicam potestatem contra clericum gaudentem privilegio fori, & exemptionis, redduntur ipso jure invalida, utpote facta à non habente jurisdictionem, & potestatem supra clericum, Farinac. *de inquisition. quæst. 8. numer. 15.* Soccin. Felin. Lopez, & alii apud Farinac. *loco cit.* 18

Quod amplia, ut dicta per nos, etiam procedant, ut clericus gaudeat tali privilegio exemptionis, etiamsi nullus pro clerico allegaverit privilegium clericale, & judicis incompetentiam; quia nihilominus militat jus exemptionis; immo talis exceptio fori declinatoria, & 19

Judicis

Judicis incompetentia, non solum per ipsum clericum opponi potest, verum etiam per Judicem Ecclesiasticum, talis rei Judicem competentem, ut est text. *in l. si Judex de sententia excommun. lib. 6.* Immo obligatio incumbit Judici Ecclesiastico, tam ad excipiendum, quàm ad repetendum clericum, ne libertatis Ecclesiasticæ jura lædantur, ut per Julium Clarum, *lib. 5. q. 36. n. 3. & sequentibus*, per Molinam *tract. 3. disp. 49. n. 4.* & alii communiter.

20 Tertiò elicitur, non posse à Judice laico pronunciari sententiam absolutoriam in clericum; nam talis sententia absolutoria, supponit jurisdictionem in clerico qui absolvitur; clericus autem exemptus est à jurisdictione laicali; ergo, &c.

Sed opponitur ex text. *in l. quod favore, C. de legib.* in quo text. habetur, illud, quòd favore alicujus introductum est, non debere in ipsius damnum retorqueri; sed exemptio est introducta favore clericorum; ergo exemptio non debet in ipsorum damnum retorqueri; ac proinde clerici, si delictum commiserint, possunt absolvi à Judice laico, quando ad laicam potestatem pertinet, alioquin exemptio vergeret in odium ipsorum.

Respondetur, negando ultimam consequentiam; nam favorabilius esse dignoscitur, statum clericalem exemptum esse à laicorum jurisdictione, quàm illis aliqua ratione subjectum esse; sed absolutio supponit subjectionem; ergo favorabilius est, si non absolvantur. Vel meliùs responderi potest ea ratione, clericos privilegio fori renunciare non posse, juxtà text. *in cap. diligenti, de foro compet.* quia privilegium hujusmodi est introductum, non in privatum favorem personæ, sed in publicum totius ordinis clericalis, ut scribunt Carol. de Grassis, *de effectibus clerical. effectu 1. n. 3.* Bellet. *disquisit. cleric. part. 1. tit. de favore clericorum personali, §. 2. n. 21.* & alii citati à D. Barbosa *in collect. ad d. cap. si diligenti, num. 4.*

21 Quartò elicitur, quòd illi, qui censuris Ecclesiasticis innodantur, & implorant auxilium à Judice laico, ut impediant, ne vis à Judice Ecclesiastico per censuras inferatur, faciunt contrà libertatem Ecclesiasticam, ita Azor. 1. *part. lib. 5. cap. 12.* Ratio est, quia laici non habent potestatem in Clericos.

Hinc infertur, quòd leges datæ à Principibus, per quas decernitur, ut oppressi à Judicibus Ecclesiasticis per vim, aut per censuras, adeant Judices laicos ad implorandum eorum auxilium, ut vim, & injuriam propulsent, sunt contrà libertatem Ecclesiasticam, ita Azor. *loc. cit. cap. 14. quæst. 6.* Ratio est, quia unusquisque coram Superiore suo conveniri debet; & sic clericus coram Episcopo, & Episcopus coram Romano Pontifice; quare si Prælati delinquant, vel opprimant, oppressi debent rem ad Summum Pontificem deferre; non verò adire laicale Tribunal: tum quia Sacri Canones prohibent à Judicibus Ecclesiasticis haberi recursum ad laicos, *cap. clericum 11. q. 1. cap. qualiter, & quando, de judiciis*, cum aliis plenè citatis, à D. Barbos. *in collect. cap. ad Ecclesiam S. Mariæ, num. 7. cum seqq. de constitut.*

22 Quintò elicitur, ex Summi Pontificis indultu, & concessione tantùm, & non aliàs, posse Principes legem condere, qua caveatur, ne beneficia Ecclesiasti-
23 ca exteris conferantur: prout in Regno Castellæ extat, *l. 18. cum seqq. tit. 3. lib. 1. ordin.* ubi latè Perez, & *l. 14. tit. 3. lib. 1. nova recop.* ubi Azevedo, & referunt Covar. *pract. c. 35. num. 1.* Ceval. *commun. con. commun. tom. 4. q. 897. n. 347.* Quod quidem etiam in Regno Navarræ Summorum Pontificum privilegiis, & Regiis diplomatibus obtentum fuisse, probat Pragmat. 2. & 3. *lib. 1. ord. illius Regni.* Et id ipsum in Regno Aragoniæ perpetuo foro stabilitum esse colligitur ex *lib. 1. foro Aragon. tit. de Prælatur. & aliis benefic. non possiden.* ut referunt Anton. Oliban. *de jure fisc. c. 13. n. 53. cum seqq.* Ferrer. *in constitut. Cathalon. gloss. 2. n. 62.* Ac etiam quoad Regnum Lusitaniæ id ipsum concessum reperiri testatur, Cabed. *de patronat. Reg. Coronæ, c. 29.* quem refert D. Barbos. *in collect. ad cap. bonæ memoriæ 4. num. 8. de postulat. Prælat.* Et demum quoad Regnum Franciæ admittunt, Rebuffus *de pacific. possess. n. 216. & in prax. tit. de rescript. mixt. num. 7.* Nicol. Garc. *de benefic. part. 7. c. 9. n. 2.* & alii cit. per D. Barbos. *ubi suprà, num. 12.*

Sextò elicitur, etiam si Prælati fuerint negligentes 24
in puniendis clericis, & causis hujusmodi cognoscendis, eorum negligentia non obstante, non permittitur Judicibus laicis, de causis ad Ecclesiam pertinen-
tibus posse judicare. E contra verò data negligentia 25
Judicis secularis, poterit Ecclesiasticus illum censuris compellere, ut suo munere fungatur, ut resolvit Suar. *de censur. disp. 20. sect. 1. n. 14.* quem refert Bellet. *disquisit. cleric. part. 1. tit. de favore Cleric. real. §. 5. n. 38.* ac perinde poterit ipse Ecclesiasticus Judex procedere contra laicos, in casibus, in quibus aliàs non posset:
Ecclesia enim quoslibet laicos in quolibet excessu no- 26
torio judicare potest, quando Judex secularis est negligens; puta, si requisitus non exhibet justitiam, *cap. licet 10. de for. comp.* ubi D. Barbos. *in collectan. num. 2.* plures ad hoc refert D. Covarr. *practic. cap. 6. num. 1. ad finem.* Gonzal. *ad Regul. 8. Cancell. §. 2. proœmiali, n. 25.* Carol. de Grass. *de effect. cleric. effect. 1. n. 390*

Octavò elicitur, clericum falsa deponentem coram 27
Judice laico, non posse ab eo puniri pœna pecuniaria, vel corporali, nec ex officio, neque ad instantiam partis: non sic est, si laicus falsum deponeret coram ju-
dice Ecclesiastico; nam tunc potest puniri ab Eccle- 28
siastico, & etiam à Judice seculari, & hoc ne detur locus præventioni, ut post Bartol. & alios quamplures docet Julius Clarus *lib. 5. q. 58. n. 15.* Judex verò laicus ideò non potest punire clericum coram se falsum deponentem; quia laicus non habet jurisdictionem in clericum. Ita Farinacius *loco cit. quæst. 8. num. 26.* Jul. Clar. *quæst. 38. num. 14.* qui asserit hanc esse Canonistarum sententiam, contra Bald. Cynum, & nonnullos alios, apud Farinac. *num. 26. vers. amplia duodecimò.*

Neque obstat si opponatur text. *in l. lex nullum, C. de testibus*, per quam decernitur, testem offendentem aures Judicis, posse ab ipso Judice puniri, nullo sibi suffragante privilegio fori. Quia respondetur, quòd clerici non possunt arctari ea lege, cùm potestati laicæ non subjiciantur, nec legibus civilibus coarctentur.

Nonò elicitur, quòd potestas laica non potest ca- 29
pere clericum; si dicta laica potestas Clericum ipsum punire non potest; laicus enim, (ut sæpè dictum est) non habet potestatem in clericum, & sicut requiritur potestas ad puniendum, ita etiam ad capiendum, quæ
illatio limitatur primò; nisi clericus capiatur in fla- 30
granti crimine gravi, & timeatur de fuga, *cap. ut famæ, de sentent. excommun.* secundùm Doctores, quos plena manu refert Emman. Barbos. D. Augustini genitor, *in Comment. ad Ordinat. Regn. Lusitan. lib. 2. tit. 1.*
§. 29. Secundò limitatur, si clericus visus sit illicitè 31
incedere ad patrandum delictum; tunc enim licitè potest capi, & detineri, ut delictum per clericum perpetrandum impediatur, modò quam citiùs, ac commodè Judici Ecclesiastico tradatur, & consignetur. Rationem reddit Clarus. Tum quia publicè interest, ne delictum maneat impunitum, & delinquentes non impunè abeant.

Tum quia nihil fieri videtur contra rationabilem Ecclesiæ voluntatem, ut per Menoch. *de arbitrariis, casu 180. num. 22. & seqq.* & per Julium Clarum *lib. 5. q. 28. n. 6. versic. si verò*, ubi testatur de communi, ut Farinac. *loco suprà citato, n. 117. 120. & 122.* Reginald.

lib.9.n.70. D. August. Barbos. *in collect. ad d. cap. ut fama*, & Emmauel Barbos. *d.* §. 29.

32 Placet etiam Farinacio *ibidem n.* 119. ut hoc idem procedere possit in clerico debitore, de fuga suspecto quia (ut ipsi Farinacio placet) clericus ex causa civili, & de fuga suspectus, capi potest, dummodò quamprimùm consignetur Superiori Ecclesiastico, quod an verum sit, jure definitum non reperitur.

33 Decimò elicitur. Si clericus, qui vendidit agrum conveniatur pro evictione, debet conveniri coram Judice Ecclesiastico; si verò lis mota fuerit contra laicum, qui rem à clerico emit, & clericus resistat defensioni emptoris; tunc non potest per clericum causa trahi ad Tribunal Ecclesiasticum, quia agitur contra laicum, non contra clericum, qui judicio suo nomine non assistit, sed nomine, & pro defensione emptoris, ut per Covarr. *pract. quæstionum, cap.* 8. Capicium *decis.* 197. & quamplures alios, quos copiosè refert Emman. Barbos. *in comment. ad Ordin. Reg. Lusitan. lib.* 2. *tit.* 1. §. 12.

34 Undecimò elicitur, non posse clericum trahi ad Tribunal laicum, ad reddendam rationem, ex eo, quòd se ingerendo ad exercitium officiorum secularium, & in eo deliquerit; puta in officio tutoris, vel curatoris, vel bonorum administratoris; quia, quamvis delinquat assumendo hujusmodi officium; non tamen amittit fori privilegium, ita Ambrosius *c.* 20. *n.* 54. & alii contra nonnullos Doctores.

35 Duodecimò elicitur, clericum hæredem institutum à defuncto laico in bonis, non posse ratione hæreditatis sibi relictæ trahi ad forum laicale; quamvis enim laicus, in cujus hæreditate clericus successit à laica potestate judicari potuisset; non ideò sequitur, quòd etiam clericus à laica potestate judicari posset; quòd dictum procedit etiam si lis inchoata fuisset coram Judice laico, & lite pendente, mortuus sit laicus: ratio est, tum quia militat semper ratio exemptionis; tum quia inanis, & inutilis videtur sententia prolata à Judice, quæ executioni demandari non potest; sed sententia lata, à Judice laico contra clericum, nullo modo potest demandari executioni per ipsum Judicem laicum; ergo inutilis est talis sententia, nec Ecclesiasticus Judex cogi potest, ut per ipsum executioni demandetur; cùm Ecclesiasticus Judex potestati laicæ minimè subjiciatur.

Tum quia Clericus non posset coram laico conveniri, si lis nondum inchoata fuisset; ergò neque conveniri poterit lite jam inchoata, cum Judicis laici præventio potestati Ecclesiasticæ minimè derogari possit. Ita Felinus, Abbas, & Imola, & alii, quos citat & sequitur Ambrosinus *de immunit. cap.* 20. *num.* 45. & Rota Romana *decis.* 552. contra Covarr. *pract. quæst. cap.* 8. Farinac. *de Inquisit. quæst.* 8. *num.* 46. Reginald. *lib.* 9. *cap.* 13. *num.* 352. *versic. monendum*, & alios asserentes, clericum hæredem debere sequi forum laicum quoad lites inchoatas, contra testatorem, cui clericus succedit.

36 Decimotertiò elicitur, quòd si clericus receperit depositum in Judicio seculari, non potest ampliùs molestari, nec conveniri coram Judice laico, pro restitutione depositi; quia exemptus est à laica potestate, ita Surd. *lib.* 3. *consil.* 396. *n.* 33. Ambrosinus *loco cit. n.* 53. & alii contra Baldum *in l. acceptum, num.* 4. *C. de usuris*, Farinac. *n.* 123. & alios.

37 Idem asserendum est de clerico fidejubente pro laico, vel etiam pro clerico coram Judice laico: ratio est in promptu; tum quia redditur invalidus actus judiciarius factus coram Judice non suo; tum quia ut (sæpè diximus) clericus exemptus est à laica potestate; ita Anchar. Marsil. & alii apud Ambrosinum *c.* 20. *n.* 50. contra Bartolum, Salicetum, & alios apud citatos Doctores.

Decimoquartò elicitur, quòd si clericus citatus à Judice laico comparuerit, non tenetur, nec illius sententiæ, nec judico stare, etiamsi putaverit sua interesse, etiamsi fori declinatoriam, & Judicis incompetentiam non opposuerit. Ratio est: quia clericus non potest tanquam reus a laico citari, nec si clericus fuerit citatus, poterit privilegio fori cedere. Ita Felin. *num.* 21. Dec. *in cap. cùm inter, de except.* 38

Decimoquintò elicitur, quòd Judex Ecclesiasticus non tenetur punire clericos, pœnis statutis à lege civili; ratio est, quia Ecclesia non ita durè agit cum clericis; tum quia Ecclesiastici non tenentur sequi leges civiles, etiamsi jure canonico non reperiatur præscripta aliqua pœna pro tali delicto; ita Salas *de legib. disp.* 14. *sect.* 10. Vasquez 1. 2. *disp.* 167. *c.* 4. *n.* 40. Covar. *in quæst. practic. quæst.* 33. 39

Decimosextò colligitur, quòd si clericus cum laico, vel cum pluribus laicis criminis socius inventus fuerit, à Judice Ecclesiastico est puniendus, quia exemptus est à laica potestate; immo, sicut plurimi testantur Doctores etiam laici socii criminis sunt remittendi ad Judicem Ecclesiasticum; & reddunt rationem, ne scilicet continentia causæ dividatur, & de eadem re diversæ & contrariæ proferantur sententiæ; tum quia magis dignum trahit ad se minùs dignum; *cap. quanto de Judiciis*; ita Farinac. *de Inquisit. quæst.* 8. *num.* 151. & communiter ex Gomez. *in cap.* 1. *de rescript. num.* 74. 40

Decimoseptimò notatur quòd causa, in qua agitur de bonis ratione directi dominii ad Ecclesiam spectantibus, est omninò Ecclesiastica, & ab Ecclesiastico judice definienda, *cap. decernimus de judic. can. benè quidem, can. denique, dist.* 96. *can. relatum; can. si qua causa, can. placuit, il secundo* 11. *q.* 1. in qua quæstione per totum Gratianus congessit decreta ad hoc spectantia in sacris Conciliis, & Summorum Pontificum rescriptis desumpta. Et veritatem hujus conclusionis nullus unquam fidelis in controversiam deduxit: quod si qui eam ausi sunt impugnare, statim ab Ecclesia fuerunt damnati, ut tradunt Card. Turrecrem. *in summ. Eccles. lib.* 4 *part.* 2. *cap.* 37. Azor. *inst. moral. p.* 1. *lib.* 5. *cap.* 12. *vers. in hoc procul dubio.* Bann. *in* 2. 2. *quæst.* 65. *art.* 1. *vers. item Christus*, Card. Bellarm. *controvers. tom.* 2. *tit. de cleric. cap.* 24. *ante vers.* 41
Quinta propositio. Nam sicut laici quicquam statuere 42
non possunt circa bona Ecclesiastica, ex defectu jurisdictionis, & potestatis, *d. can. benè quidem, can. imperator,* 96. *dist. can. laicis* 16. *quæst.* 7. *cap. cum laicis, de reb. Eccles. alien. vel non.* ubi quòd laicis etiam Religiosis obsequendi necessitas relicta est, non autoritas imperandi: nullaque eis, de rebus Ecclesiæ disponendi, attributa est potestas; sed in his, quæ ad Ecclesiam spectant discere debent, non docere, *cap. clericis, & cap. final. de immunit. Eccles. in* 6. *cap. Ecclesia sancta Maria de constit. in* 6. Ita nec super illis jus 44
dicere, & sententiam proferre possunt; cum paria sint forum sortiri, & statutis ligari, Dec. *in d. cap. Eccles. sancta Maria, num.* 18. Alexand. *consil* 218. *n.* 5. *ad fin. lib.* 2. Surd. *concil.* 2. *num.* 14. *in fin. & concil.* 338. *n.* 26. *ad fin.* & in terminis Thesaur. Jun. *quæst. forens. lib.* 2. *cap.* 15. *n.* 12. *in fine.*

Quod procedit, etiamsi causa agatur inter solos emphyteutas, & super solo dominio utili, quod penes laicos existit. Quia cùm dominium directum Ecclesiæ sit connexum, & complicatum cum utili, imò, & eidem prædominans, sitque dominium utilè verè, & propriè una & eadem res cum dominio directo, illudque semper sequatur, quasi incrementum alluvionis, & insulæ, ut per Oldrad. *consil.* 440. *n.* 7. *vers. & ideo rectè*, quem sequitur Surdus *conc.* 57. *n.* 23. *vers. & propterea.* Cumque subjectum bonorum materialiter sit semper, & perpetuò Ecclesiasticum, non 45

potest

potest dominium utile à directo, saltem actualiter separari: nec ideò indirectè bona Ecclesiarum subjici jurisdictioni, & judicio laicorum, *cap. quantò, c. caterùm*, & ibi D. *de judic.* Card. *concil. 2. n. 2. vers. item in hareditate* cum aliis, quos secuta est Rota articulo maturè perpenso, *in Romana domus de Scapuccis 19. Janu. 1611. coram Reverendiss. D. Coccino, & decis. 472. pars. 2. recent.* & Pacific. & Salvian. *decis. 239. n. 6. in Romana de Schianchis 28. Aprilis 1617. coram Eminentiss. D. Cardinale Joanne Baptista Pamphilio impress.* post Nigr. *controvers. forens. cap. 12. num. 67. & egregiè in Ravennaten. emphyteusis 28. Maji 1631. coram R. P. D. meo Merlino, in fine operis est decis. 106.* ubi quà hæc conclusio pluribus exemplis comprobatur.

QVÆSITUM XX.

Utrum Abbatum, & aliorum Prælatorum facultates, & bona ab oneribus laicorum exempta sint.

SUMMARIUM.

1 *Bona clericorum exempta sunt à tributis per laicos impositis.*

2 *Tributum solvit Christus Dominus, quia voluit, non quia debuit.*

3 *Bona Clericorum tam patrimonialia, quàm donata, exempta, & quocunque canonico titulo ad Ecclesiam, Ecclesiasticasve personas translata à laicorum oneribus exempta sunt.*

4 *Coloni Episcopi, durante colonia, non solùm reali, sed etiam personali exemptione gaudent.*

5 *Emphyteuta Ecclesia non tenentur ad collectas, & onera realia per statuta laicorum super rebus, & bonis imposita.*

6 *Privilegia quadam secularium Principum, bona clericorum, & Regularium à laicorum potestate eximentia recensentur.*

7 *Privilegia Principum secularium, eximentia Ecclesiasticos, ipsorumque bona à laicorum potestate, revocari non possunt.*

8 *Clerici, & Ecclesiastica persona ut possint onera à laicis imposita legitimè subire, & ad ea persolvenda cogi possint, plura copulativè requiruntur, & quanam sint, exponitur.*

9 *Clerici nequeunt onera laicalia subire, nisi in magna necessitate, cui aliàs facile subveniri non posset, nisi Clerici cum laicis contribuant; & ex causa communis utilitatis, aut pietatis*, num. 10.

11 *Clerici tenentur cum laicis contribuere in subsidium, & ubi laicorum non suppetunt facultates.*

12 *Clerici ut teneantur cum laicis contribuere, non sufficit consensus Episcopi cum Capitulo, sed debet vocari & consentire totus Clerus; & ut cogi possint exempti, non sufficit consensus Capituli, & Cleri, sed eorumdem exemptorum assensus est necessarius*, num. 13.

14 *Papa assensus requiritur ad effectum ut Clerici cum laicis contribuant*, limita, ut num. seq.

16 *Exempti non tenentur ad onera in casibus improvisis & inopinatis, quando verba exemptionis sunt universalia, & apta comprehendere hujusmodi casus.*

17 *Clerici ad onera laicalia ipsis legitimè imposita præstanda, non à ministris laicis sed ab eorum superiore Ecclesiastico debent compelli.*

1 BOna clericorum, tàm Regularium, quàm Secularium exempta esse à laica potestate, & à tributis Principum secularium ostendunt Summorum Pontificum, & Conciliorum Sanctiones, ut manifestissimè videri potest in Lateranensi Concilio sub Alexandro III. *part. 1. cap. 19.* & alio Lateranensi sub Innocentio III. *cap. 46.* & in Concilio Viennensi sub Clemente V. relato *in clement. præsenti, de censibus, & cap. quamquam de cens. in 6. & Extravag. quòd olim, de immunit. Eccles. & cap. quia nonnulli, & cap. clericis, de immunit. Eccl. in 6.* quòd autem demonstratur *in anteced. Quæsit.* & fusiùs *in sequenti.* Hæc enim tria Quæsita poterant sub unico tantum explicari, sed pro majori distinctione, sub tribus Quæsitis seorsim sumptis factum est, ut materia tanti momenti differatur.

Immo idipsum ostenditur in legibus civilibus, quæ sunt in Codice Theodosiano, *lib. 16.* & in Codice Justiniano, *l. sancimus, de Sacrosanctis Ecclesiis*, & in Novell. Friderici Imperatoris, quæ incipit, Item nulla, *de Episcopis, & Clericis*, ubi habentur hæc verba: *Item nulla Communitas, vel persona publica, vel privata collectas, vel exactiones, angarias, vel parangarias Ecclesiis, vel aliis piis locis, aut Ecclesiasticis personis imponere præsumat.*

Nec obstat, quòd Christus Dominus tributum sol- 2
vit, Matth. 27. ergo exemplo Christi debeant etiam omnes Ecclesiastici tributum solvere; & sic eorum facultates, & bona non sint libera à potestate laica; respondetur enim Christum Dominum solvisse tributum, quia voluit, non quia debuit; & colligitur *ex eod. loc.* Matth. *cit.* cùm enim dictum esset Petro ab exigentibus tributum, *Magister vester non solvit didragma?* tunc Christus dixit Petro: *Quid tibi videtur Simon; Reges terra à quibus accipiunt tributum, vel censum? à filiis suis, an ab alienis*; Simon respondit, *ab alienis:* tunc ait Dominus, *ergo liberi sunt filii: sed ut non scandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum, & eum piscem qui primus ascenderit, tolle, & aperto ore ejus, invenies staterem, & illum sumens, da illis pro me, & pro te.*

Quæ Scriptura exponitur à Sancto Hilario, ut hoc loco sit sermo de tributis, quæ imposuerat Deus filiis Israel, Exod. 20. propter usum Templi, secundum quam interpretationem, quæ verissima est, dicitur, quod Reges terræ non exigunt tributum à suis filiis, sed ab alienis; & sic neque Rex Cæli tributum exiget à me, qui sum ejus proprius & naturalis filius.

Et tantùm abest, quod supradictus text. Matth. 17. convincat ad tributa laicalia teneri Ecclesias, ut induci rectè possit ad probandum oppositum. Ibi enim exquirit Dominus à Discipulis, à quibus Reges exigant tributa, à suis, vel alienis; respondentibus autem Discipulis, ab alienis, Dominus pronunciavit; ergo liberi sunt filii Regis, & ut commentatur S. Hieron. *ibi, in gloss.* ergo liberi sunt filii Regis, sub quo sunt omnia Regna.

Ex quo colligitur manifestè, ad dicta tributa Sacerdotes non teneri: & ex effectu argui nequit alia intentio Salvatoris, quia (ut communiter interpretatur) ad evitandum scandalum, tributum dari jussit, *cap. jam nunc*, ubi Archidiaconus 28. *quæst. 1.* atque ita intelligitur textus Ambrosii *in cap. si tributum, 11. quæst. 1.* nam *in seq. cap.* quod est ejusdem, dicit ipse Ambros. exemplo Christi id fieri debere, qui tributum non negavit, & licet solverit, non tenebatur; immo prius quàm solvi mandaverit, declaraverit se non teneri, eamdemque recipit interpretationem, text. *in cap. tributum 23. quæst. 8.* ut ibi tributum à clericis solvatur de facto ad scandali vitationem; quamquam nullum habeant jus obligationis, propter quod teneantur solvere; & comprobatur ex verbis text. ubi allato exemplo Pharaonis, traditum est, (Domino ita jubente) Sacerdotes in omni genere, liberos esse oportere; quare nullo subjectionis jure sunt cogendi; nec dictorum textuum interpretatio, aliquo modo venit infringenda, cùm eandem interpretationem, ex determinatione Ecclesiæ, *in d. c. 1. de immunitate Ecclesiarum, in 6. in d. cap. quamquam, eodem titulo, & in d. clemen. de censibus*; recipiant. Ecclesiæ enim, & per-

personæ Ecclesiasticæ sunt immunes ab oneribus realibus, personalibus, & mixtis, & extraordinariis, etiam pro eorum bonis, *authentica. Item nulla Communitas, C. de Sacrosanctis Ecclesiis*, & concludit Bart. *in consil.* 180. *Si aliqua possessio æstimata, post princip. part.*1. Bald. *in consil.*246. *Antiqua quæstio, in princ. volum.*3. Bursat. *in consil.* 42. *n.*3. ubi testatur de
2 sententia Alban. *in consil.* 68. *in septimo fundamento:* qui omnes plurimos allegant, & latiùs Remigius de Gonnis, *in tract. de Charitativo subsidio, quæst* 61. *&* 62.

3 Ideo non solùm privilegium exemptionis clericorum Secularium, & Regularium est reale, respectu bonorum patrimonialium, ut ultrà DD. suprà cit. firmat Imol. *in cap. constitutus, num.*6. *de in integr. restitut.* Rimmald. Junior *in consil.*449.*num.*35.*volum.*4. Rippa *in resp.*4. *in titul. de jure gent. vel civili, num.*7. Abb. Dec. Felin. & alii Canonistæ communiter *in cap. Ecclesia sancta Maria, & in cap. quæ in Ecclesiarum de constit.* Bald. *in l.*2.*C. de episc. & cleric.* cum aliis, quos refert, & sequitur Suar, ad Reg. Angl. *de immun. Eccles. lib.*4.*cap.*25.*num.*4.*& seq.* & Rot. *in Alben. gabella seu onerum* 28. *Junii* 1630. *coram R. P. D. Merlino, quæ in fine operis est decis.*104.*num.*6. quidquid in oppositum Bellug. *in Specul. princip. rubr.* 14. *vers. nunc videndum, n.*29. *vers. sed dic contra.* Sed etiam privilegium prædictum comprehendit bona donata, empta, & quocunque canonico rit. translata ad Ecclesiam, sive ad Ecclesiasticas personas: ut bona prædicta, quæ prius collectabantur à Principibus laicis, delata ad Ecclesiam, Ecclesiasticasque personas evadant exempta, & immunia, mutando naturam; quia mutata persona, mutatur conditio rei, Bart. *in d. consil.*180. Baldus *in l. placet, C. de Sacrosanct. Eccles. & in consil.* 280. *præmisso volum.*2. Ruinus *in cons.*177. *per totum, vol.*4. Felinus *in cap. Ecclesia Sancta Maria, num.*26. *de Constitutionibus.* Sylvan. *consil.*32. *n.*1. Mascambun. *cons.*40.*n.*5.*& seq.* Bellon. *in cons.* 40. & alii, quos citat, & sequitur Modern. *de jurisdict. part.* 4. *Centuria prima, casu* 11. rejiciendo contrariam opinionem, & multa non minùs curiosa, quàm utilia in materia colligendo.

Atque adeo sunt bona clericorum immunia, & exempta, ut eorum coloni, durante colonia habeant pro prædictis bonis exemptionem, nedum realem, sed illam sortiantur etiam personalem, ut pluries decidit Sacra Immunit. Congregatio, & novissimè declaravit pro Episcopo Civitatis Plebis, *die* 6. *Decembris præteriti*, 1627. sub tali tenore.

4 Sacra Congregatio Cardinalium controversiis jurisdictionalibus præpositorum inhærendo declarationibus aliàs factis, censuit colonos partiarios Episcoporum, durante colonia, gaudere debere privilegio fori, &c. Octavius Cardin. Bandinus.

De quo vide etiam infrà *quæs. seq. num.* .... Imo
5 nedum coloni, verùm neque Emphyteuræ Ecclesiæ, ratione connexitatis dominii utilis cum directo, tenentur ad collectas, & onera realia, per statuta laicorum super rebus & bonis imposita, ut originaliter dixit Bart. *in l. privata num.*2.*C. de excusat. muner. lib.*10. & sequuti sunt Jas. *in authent. quas actiones num.* 42.*C. de Sacrosanct. Eccl.* Rip. *in tractat. de pest. tit. de privileg. ad conservan. n.*124. latè Petr. de Ubald. *consil.* 2.*post tract. de collect. per tot.* Sylvan. *cons.*9.*per tot.* Marc. Anton. Eugen. *consil.*96.*num.*23.*lib.*1. Fachin. *controvers. jur. c.*91.*lib.*1. Menoch. *consil.* 444. *n.*27. Ruin. *consil.*111.*n.*10. *vers. Item nota quod, lib.* 5. Remig. Gonny. *de charit. subsid. q.*61.*num.*29.*& q.*59. *num.*31. Odd. *consil.*70.*per tot.* Bursatt. *consil.* 42.*n.*22. & firmavit Rota *in Ravennaten. emphyteusis* 28. *Maji* 1631. *coram R. P. D. meo Merlino, quæ in fin. operis est decis.*106. *num.*11.

Meminerint quoque Confessarii, ne temerè manus imponant in severissimas, illasque reservatas Summo Pontifici censuras, in Bulla legi solita, in die commemorationis Cœnæ Domini, non solum contra Imperatores, Reges, Principes, Barones, Gubernatores, Judices, & cæteros jus dicentes, imponentes, & imponi mandantes, collectas, & gabellas, super personis, & bonis Ecclesiasticorum; sed etiam contra consulentes dictas collectas, & gabellas, cæterasque impositiones imponi, vel exigi super prædictis Ecclesiasticis, aut eorum bonis, etiam patrimonialibus, non solum beneficiorum. Et sumant Principes Christiani exemplum ab antiquis Imperatoribus, & Principibus Christianis, qui memores, Sacerdotes & cæteros Ecclesiasticos pacem, atque cuncta bona sibi ipsis, & Regnis impetrasse, causa gratitudinis, novis semper Constitutionibus, legibus, & edictis robur adjecerunt plurimis statutis & pœnis contra inobservantes, aut quoquo modo Ecclesiasticæ exemptioni, & libertati se opponentes, & pro speculo utantur infrascriptis Constitutionibus Imperatorum, Regum & Principum secularium, & verè Catholicorum: & quamquam videantur, & de facto sint locales, & particulares; earum nonnullæ præferunt nihilominus earum piissimam intentionem promovendi, & conservandi in genere Ecclesiasticam immunitatem, exemptionem, & libertatem. De supradicta Bulla Cœnæ, *in sequent. Quæsit.*

Dominus Sanctius Rex Portugalliæ, Anno 1230. 6
exemit Monasterium Sancti Vincentii Ulyssiponen. Ordinis Canonic. Regulat. Lateranen. ab omni exactione Regia, ut videre est in ejus diplomate, quod reperitur in Archivio dicti Monasterii Ulyssiponen. ex Gabriele Pennot. *in Historia Tripartita, lib.*1. *cap.* 35. *sub num.*8. cujus verba ad rem nostram facientia, sunt.

Quæ damus tibi pro remedio animarum nostra- §
rum, & parentum nostrorum, ut orans pro nobis, adjuves nos in precibus, tibique possidentia concedimus, libera, integra, & ab omni Regia & Ecclesiastica exactione immunia, ab hac die, usque in perpetuum.

Flavius Luitprandus Rex Longobardorum exemit Monasterium Beati Petri in Cœlo Aureo, Canonicorum Regularium Lateranensium, degens extrà Civitatem Ticinensem, anno Domini 1233. ab omni pedagiorum exactione; per hæc verba:

Volumus quoque, ut molendina, quæ in Cutero- §
na, seu in aliquibus fluminibus prædicta Ecclesia possidet, habeant Clerici ejusdem loci potestatem levandi, atque deponendi, quousque, vel quomodo eorum decreverit voluntas, & aquæductus, per nostram Baudam, in eorum sit potestate, ad irrigandos hortos Ecclesiæ. Confirmamus etiam, & per hoc nostræ auctoritatis præceptum, jubemus ut nullus Archiepiscopus, Episcopus, Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, Gastaldius vel aliqua parva, vel magna Regni nostri persona infrà denunciatos fines ejusdem Curtis placitum teneat, vel aliquam pignorare, aut aliquid exigere audeat.

Item, in eodemmet exemptionis privilegio paulò inferiùs verba ad nostram exemptionem facientia leguntur.

De qua re præcipimus omnibus Ducibus, Comi- §
tibus, ad Curiam nostram agentibus, ut nullus deinceps in prædictis rebus ad nostram mercedem clericis delegatis perturbare præsumat, sed nostris, & futuris firma, & stabilia debeant permanere temporibus.

Teste eodem Gabriele Pennotto *in Historia Tripartita, lib.*1.*cap.*58.*num.*3.

Hugo Italiæ Rex, non solum confirmavit privile- §.
gium concessum à Luitprando Rege Longobardorum, supradicto Monasterio Sancti Petri in Cœlo Aureo; sed illud

illud ampliando auxit, & ultra cætera exemptionis, & immunitatis, ac libertatis verba in prædicto privilegio annotata; sunt etiam infrascripta, quæ leguntur:

Hoc quoque statuimus, ut nullus Reipublicæ Minister, neque alius ex judiciaria potestate, tam in supradicta Curte Alpe plena, quàm in aliis rebus hominesque ejusdem Monasterii liberos, aut servos, deinceps inquietare, aut ad placitum trahere, vel in finibus ipsius Curtis placitum tenere, aut aliquem pignorare, vel aliquo modo distrahere præsumat, vel loca ad audiendas causas, vel freda exigenda, aut tributa vel mansiones paratas faciendas, nec fidejussores tollendos, aut homines ejusdem Ecclesiæ ingenuos, aut servos super terram ipsius commanentes, distringendos, nec ad ullas redhibitiones, aut illicitas occasiones requirendas, ingredi audeat: sed neque ullus, vel ripaticum, aut erraticum, aut thelonium, tam in sua possessione, quàm in nostro publico jure, à parte sæpefati Monasterii unquam exigere, aut tollere præsumat pro mercede & remedio animæ nostræ, &c.

Ex eodem Pennotto, *loc. cit. cap. 60. num. 2.*

Clodoveus Rex Francorum à primordio fundationis Monasterii Sancti Petri Senonensis, Monachorum Sancti Benedicti, illud exemit ab omni onere tributorum; ut videre est in ipsomet privilegio, per hæc verba, videlicet:

Feriam autem annalem similiter concedo illi in festivitate Apostolorum Petri, & Pauli: ità ut nullus ex Ministris nostris, neque Comes, neque Vicecomes, neque Judex publicus, in Mercato, neque in ipsa Feria annali, ullam consuetudinem accipiat; nisi Monachi, qui ibidem Deo deservirent, neque rotaticos, neque portaticos, neque pedaticos homines distringendo: sed teneant securè, absque ullius contradictione, sicut Antecessores mei Reges Burgundiorum tenuerunt, &c. Præcipimus igitur, & statuimus, idem Monasterium, quod Filia mea carissima fundare cepit, cum omnibus ad se pertinentibus, sub nostra defensione atque manibundia, & hujus nostræ auctoritatis confirmatione, ab omni strepitu, & judicariæ potestatis impulsione, adeo liberum, & securum esse, ut nullus Judex publicus in Ecclesias, aut loca, vel agros, seu possessiones quas in quibuslibet Territoriis, in ditione Regiminis nostri, justè & legaliter præfatum Monasterium possidere videtur, vel in ea, quæ deinceps ipsius Monasterii dominio devenerint ad causas audiendas, vel freda, aut tributa exigenda, aut mansiones, vel paratas faciendas, aut fidejussores, aut homines commorantes, sua temeritate distringendos, nec ullas redhibitiones, aut illicitas exactiones requirendas, nec pedaticos, nec thelonicos, nec rotaticos, sive portaticos, aut ripaticos tollendos, Nostris nec futuris temporibus, ingredi, nec auferre præsumat aliquis. Et sic ea teneant Monachi, sicut Antecessores mei Reges Burgundiorum, tenuerunt securè, & quietè.

Ita tradit Renatus Choppin. *in Monasticon, lib. 1. tit. 3. num 20.*

Item, Valesius Francorum Rex exemit, & à pedagiis, & ab omni jure Regio liberavit Abbatiam Beatæ Mariæ Regalis, Ordinis Cisterciensis, prope Mediolanum, Anno Domini 1348. Kalendis Januarii, in hæc verba:

Volumus, & præcipimus, quod dilectæ nostræ Sorores prædictæ Abbatiæ, & omnes res, & servientes ipsarum, sint quieti ab omni exactione, & consuetudine seculari & liberum transitum per terram, & aquam habeant in omni loco potestatis nostræ: ita, ut de rebus propriis ipsarum, quas emerint, vel vendiderint, aut deportari fecerint ad usus proprios, vel ad usus ædificiorum suorum pontagium, pedagium, thelonium, passagium, rotagium, & modiationem vini, vel aliquas alias consuetudines, aut seculares exactiones, nulli omnino reddere teneantur.

Refert idem Renatus Choppin. *in Monasticon, lib. 2. tit. 1. num. 3.*

Item, Wilelmus Rex Angliæ, & Dux Normanniæ, exemit ab onere pedagiorum, & exactionum laicarum, Abbatiam Sanctæ Mariæ Montis-burgi, cujus privilegii verba inter cætera sunt:

Sint liberi, & quieti prædicti Abbas, & Monachi Montis-Burgi per omnem terram meam à thelonio & passagio, & pontagio, & omni consuetudine, ubicunque fuerint in terra, & in mari, & in portubus emeuntes, & vendentes, vel locantes.

Ex Claudio Roberto *in Gallia Christiana Nomencla. Abbatiarum Gall. littera M.*

Item, Ina Rex Anglorum, libertatis privilegio munivit Ecclesias, sub Aldhelmo Præsule, constitutas, in hæc verba:

Hanc libertatem Ecclesiis impendo, & hanc privilegii dignitatem Monasteriis confero: ut sine impedimento secularium rerum, & absque tributo fiscalium negotiorum liberis mentibus Deo serviant, & Monasticam Cœnobii disciplinam, Christo suffragium largiente, regulariter exerceant, &c.

Ex Clemente Ruinerio, *de antiquit. Benedict. tract. 1. §. 6.*

Monasterium Fontis Ebrardi, ab Henrico II. Britannorum Rege, exemptum fuit ab omnibus gravaminibus, ut testatur ejusdem Regis diploma, apud Renatum Choppin. *in Monasticon. lib. 2. tit. 2. num. 11.* sub his verbis:

Ejusdemque Religionis Gardiatores, concedimus universos, erudientes nostros, quibus & eorum cuilibet committimus; quatenus Religiosas, familiares, singularesque personas dictæ Ecclesiæ, & membrorum ejusdem, ac homines de corpore, defendat ab omnibus injuriis, violentus, gravaminibus, &c.

Item, Otho I. Imperator exemptionis privilegium concessit Joanni Abbati Monasterii Sancti Petri in Cœlo Aureo, Anno 962. cujus inter cætera exemptionis verba sunt:

Statuimus quoque, ut nullus reipublicæ Minister, neque aliquis ex judiciaria potestate, tam in supradicta Curte Alpe plana, quàm & in aliis Curtibus, vel vicis ejusdem Monasterii liberos, aut servos deinceps inquietare, aut ad placitum trahere, vel in finibus ipsius Curtis, aut Cœnobii placitum tenere, aut aliquem pignorare, aut detrahere præsumat; aut servos super aliquam terram ipsius monasterii commanentes destringendos, nec ullas redhibitiones, aut illicitas occasiones requirendas ingredi audeat; & quidquid exinde Fiscus noster, vel pars publica sperare potuit, eidem sancto Monasterio, secundum concessionem, & confirmationem Luitprandi Regis, nostrorumque Regum, vel Imperatorum solemni, & perpetua stabilitate firmamus, &c.

Ut per Gabrielem Pennott. *in Historia Tripartita, lib. 1. cap. 60. num. 3.*

Ina Rex Angliæ, supracitatus, exemit pariter ab omnibus exactionibus Regiis, Monasterium Beatæ Mariæ Glastexiæ, ut habetur in Libro manuscripto in Bibliotheca Comitis Arundeliæ, in his verbis:

Consentientibus omnibus Britanniæ Regibus, Archiepiscopis, Episcopis, Ducibus, atque Abbatibus, Itatuo ego, & confirmo, quatenus omnes terræ, & loca, & possessiones Beatæ Mariæ Glastexiæ sint quieta ab omnibus Regiis exactionibus, & operibus, quæ indici solent, videlicet expeditione, & Pontis, Arcisque constructione, & ab omnium Archiepiscoporum, & Episcoporum promulgationibus, & perturbationibus, sicut in antiquis ejusdem Ecclesiæ chartis ratum esse invenitur, & à Prædecessoribus meis Kenevalchio

Kent-

Kentvino, Cedualla, Baldredo confirmatum esse dignoscitur, inconcussa, & illibata permaneant, & quæcunque emiserint causas in homicidiis, sacrilegiis, veneficiis, furtis, rapinis, in dispositione Ecclesiarum, & descriptione in ordinatione Clericorum, in Conventiculis Synodalibus, & in omnibus judiciariis examinationibus, absque illius hominis præjudicio, Abbatis, & Conventus dispositione diffiniantur.

Vide apud Clementem Rainerium, *de antiquit. Benedictin. tract. 2. §. 12.*

Ethelbertus Rex Anglorum, exemit Monasterium Sanctorum Petri & Pauli ab omni potestate, ut in charta ejusdem Regis, apud Clementem Rainerium, *loc. cit. §. 15.* apparet per hæc verba:

Monasterium in honorem Principis Apostolorum Petri & Pauli condidi, & cum ipsa terra, & cum omnibus, quæ ad ipsum Monasterium pertinent, perpetua libertate donavi, adeo, ut nec mihi, nec alicui successorum meorum Regum, nec ulli unquam potestati, sive Ecclesiasticæ, sive seculari quidquam inde liceat usurpare, sed in ipsius Abbatis sint omnia libera donatione, &c.

Chilpericus Rex Francorum, ædificavit Monasterium Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli in Urbe Senonensi, Anno 580. & illud à potestate seculari exemit, quam exemptionem postea confirmavit Philippus III. anno 1283. ut refert Renatus Choppin. *in Monastic. lib. 2. tit. 2. num. 20.* ubi alia Monasteria, & ædes sacras exemptas esse à laica potestate ostendit.

Eduardus Rex Angliæ, Dominus Hiberniæ, & Dux Aquitaniæ, Abbatiam in Suburbio Bonveniæ ædificatam in honorem Sancti Augustini, exemit ab omni fiscali tributo, & servitio seculari, & ab omni expeditione, & pontium, sive arcium extructione, anno 844. teste Clemente Rainerio, *de antiquit. Benedictin. §. 24.*

Nostra Congregatio Vallis Umbrosæ, multis Imperatorum, & aliorum Potentatuum privilegiis decorata est; ut ejus Monasteria, tam in particulari, quàm in universali sint libera à laica potestate, & omnibus exactionibus, contributionibus, collectis, datiis, gabellis, & aliis oneribus.

Henricus enim IV. Imperator, *sub datum Boccenegæ, nonas Augusti, anno 1514.* ut quod in privilegio, in præfato die concesso, sub imperiali protectione recepit omnia Monasteria Vallis-Umbrosæ Congregationis; exemit etiam illa ab omni inquietatione, & perturbatione laicali, nec non ab omnibus exactionibus: violatoresque hujusmodi privilegii pœnæ reos in ipso appositæ constituit.

Item Henricus III. Imperator, anno 1055. aliud simile privilegium concessit Abbatiæ Sancti Salvii; illamque in suam defensionem recepit, & bona omnia ejusdem Monasterii, sub tutela imperiali esse voluit, mandando sub pœnis quibusdam omnibus, etiam si fuerit Dux, Marchio, vel quævis persona, ne Monasterium prædictum tam in bonis, quam in personis molestari possit.

Item, Federicus I. Imperator, Anno 1158. Monasteria omnia nostræ Congregationis Vallis-Umbrosæ, ubilibet posita, sub Imperiali tuitione suscepit, ac Imperiali privilegio munivit; mandando omnibus personis, etiam si fuerit Dux, Marchio, Comes, vel Vicecomes.

Item, quod nulla Civitas, nullaque persona parva, vel magna, Monasteria prædicta inquietare audeat, vel eorum possessiones, ac reliqua bona minuere præsumat; mandatque insuper, ne aliquam exactionem à rusticis, vel conversis prædictorum Monasteriorum exigi possit.

Ipsius Friderici Imperatoris, & ejus filii, alia nonnulla privilegia fermè ejusdem tenoris particularibus nostræ Congregationis Monasteriis concessa fuisse testantur eorum diplomata, existentia cum nonnullis aliis Henrici VI. & Honorii VI. & Othonis IV. & Friderici II. & aliorum Imperatorum, in Archivio Vallis-Umbrosæ.

Quibus omnibus gratiis, & privilegiis brevitatis causa omissis, unum ex diplomatibus supradictis Friderici I. Monasteria nostræ Congregationis ab omnibus oneribus eximens, hic verbatim apponere libuit.

IN NOMINE SANCTÆ ET individuæ TRINITATIS.

Fridericus, divina favente clementia, Romanorum Imperator Augustus.

Cum omnium fidelium petitionibus, & necessitatibus subvenire debeat Imperialis Majestas, multò magis his est impertienda ejus beneficii clementia, quos Religionis præcipuè exuberare facit gratia. Quapropter, notum esse volumus omnibus Imperii nostri fidelibus, quod divinæ mercedis intuitu, & fidelium nostrorum interventu, Joannis scilicet Strumensis Abbatis, & Andreæ Placentini, Marino Vall'Umbrosanæ Ecclesiæ Præsidente, cuncta Monasteria Vall'Umbrosanæ Congregationis, ubilibet posita sub nostra Imperiali tuitione suscepimus. Statuimus itaque, ut nullus Archiepiscopus, Episcopus, Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, nulla Civitas, nulla persona parva, vel magna, Ecclesiastica, vel Secularis, prædicta Monasteria inquietare audeat, vel eorum possessiones, seu reliqua bona auferre, minuere, vel quoquo modo vexare præsumat, sed cuncta, quæ eisdem Monasteriis oblata sunt, vel offerri contigerit, vel aliis quibuscunque modis, justè acquisita sunt, vel in futuro acquisierint, libera & quieta servorum Dei servitiis, & utilitatibus subjaceant. Præterea nostra imperiali auctoritate concedimus, & salva in omnibus Imperiali Justitia, confirmamus, ut quæcunque in præsenti justè possident, vel in futuro possessuri sunt, eisdem Monasteriis rata, & illibata permaneant; ut nulla potestas, nulla persona, nulla Civitas, nec Florentia, nec alia, fodrum aliquod, vel districtum, vel aliquam exactionem à rusticis, vel conversis præfatorum Monasteriorum exigere, vel accipere præsumat. Si quis autem hujus nostri præcepti violator extiterit, sciat se compositurum auri purissimi libras centum; medietatem Cameræ nostræ, & medietatem prædictis Monasteriis. Quæ ut meliùs observentur, præsentem paginam sigilli nostri impressione munitam roboravimus.

Signum Domini Friderici Romanorum Imperatoris invictissimi.

Ego Reinaldus Cancellarius Frederici Colonien. Archiepisc. & Archicancellarius recognovi. Anno Dominicæ Incarnationis 1158 Indictione septima, Regnante Domino Friderico Romanorum Imperatore Gloriosissimo, Anno Regni ejus septimo, Imperii verò quarto. Data in Prato Grasmano, pridie Kalendas Decembris.

Privilegiis nostris supracitatis similia habent aliæ Religiones, & præcipuè Religio Cistercien. ut liber privilegiorum ejusdem Religionis, authenticam fidem facit, *in calce* enim *ipsius libri*, extat inter alia diplomata, illud Philippi Regis Francorum, sub Datum Parisiis, anno Domini 1034. in quo Cistercienses Coabbates, & Monachos sui Regni præcipit liberos & immunes esse in omnibus, quæ in sequentibus verbis ejusdem privilegii (prout ad rem nostram faciunt) continentur.

Item, quòd bona eorum mobilia non capientur, vel justitiabuntur in aliquo casu per justitiam secularem. Item, quod in casu, ubi licitè bona ipsorum im-

immobilia capi contingeret, ea consumi, vel destrui non liceat, aut expendi, quod si fiat, id ante omnia faciemus emendari, & eos indemnes servari.

Et quod si ipsorum bonorum Saisinam, vel custodiam servientes deputari oporteat, unus tantummodò serviens in quolibet Monasterio, & in qualibet domo ipsorum deputetur, qui de stipendiis suis vivere teneatur, prout in nostris continetur statutis. Item quod recognitiones, & advocationes novæ, quæ ab Ecclesiarum ipsarum subditis Nobis fiont, nullatenùs admittentur, & factas de novo, faciemus penitùs revocari. Item quòd baillivi, & alii officiarii nostri teneantur jurare, quod mandata sibi facta, & fienda per litteras nostras, pro Ecclesiis, & personis dicti Ordinis absque difficultate fideliter exequentur. Item, quod non impedientur, aut inquietabuntur super possessionibus, sive redditibus emptis per ipsos in feudis, retrofeudis, aut censivis suis, in quibus omnimodam, altam, & bassam habent justitiam; quoniam possessiones, & redditus, taliter acquisitos perpetuo tenere valeant absque coactione vendendi, vel extra manum suam ponendi, aut præstandi Nobis financiam pro eisdem. Item, quòd tollantur gravamina eis per gentes nostras illata, ac nostra jam concessa statuta serventur, & ea baillivi nostri jurare teneantur se firmiter servaturos. Item, quòd ad opus garnisonum nostrarum, bona eorum, vel subditorum suorum, eis invitis, nullatenùs capientur. Item, quòd pro gravaminibos, sibi illatis corrigendis, de quibus liquebit, auditores non suspectos, eisdem cùm requisiti fuerimus, concedemus, qui vice nostra celeris complementum justitiæ super hæc fideliter exhibebunt.

Privilegia ejusdem tenoris ferè infinita (ut ita dicam) hîc recenseri possent, quæ brevitatis causa relinquuntur; maximè cùm illorum multa à curioso lectore intueri queant apud Renatum Choppin. *in Monast. & de Sacra Polit. per tot.* & Clementem Rainer. *de antiquit. Benedict. in Ang. per tot.* Gabriel. Pernot. *in sua Hist. Trip.* & in Chronic. Casinen. *in lib. privileg. Cistercien.* in Concil. General. noviter Colon. impress. passim similiter in Gallia Christiana, in Historia Anglicana, & apud Card. Baronium, & Bellarmin. sæpè videatur, insuper Miræus *de Originibus Benedictin. Cistercien. & Præmonstraten.*

His omnibus additur memorabile diploma Caroli IV. quòd ad intelligentiam exemptionis clericorum, & Ecclesiasticorum à potestate laica multum conducit, ipsiusque optimi Imperatoris Religionem & piam mentem; ostendit, quòd hîc transcribere mihi visum est, suis præcisis verbis.

CAROLUS IV. DIVINA Favente Clementia, Imperator, semper Augustus, & Bohemiæ Rex.

Ad perpetuam rei memoriam.

ETsi Imperialis benignitatis clementia, quorumlibet devotorum Fidelium, quos Sacrum Romanum ambit Imperium, ex officii debito teneatur necessitatibus, & injustis oppressionibus consulere, & de opportunis remediis providere; ad illos tamen maximè dirigitur nostræ mentis affectio, quos indebitè pati cognoscimus, quorumque oppressionibus, status Ecclesiasticæ libertatis, quam semper nostris temporibus augeri volumus, in nihilum redigitur, & nimis indebitè prægravatur. Sanè ad Imperialis Majestatis audientiam ex parte honorabilium Præpositi Decani, & aliorum Prælatorum, & Capituli Maideburgen. Ecclesiæ, devotorum nostrorum dilectorum insinuatione, quæ querulosè, & suppliciter est deducta, pervenit. Quòd Seculares quidam in potestatibus, & officiis constituti, videlicet Duces, Comites, Barones, & alii Domini temporales, nec non, & Consules Civitatum, Villarum, Oppidorum, & locorum Rectores dictæ Maideburgen. Maguntinen. Colonien. Provinciarum, Dei timore postposito, statuta singularia, & iniquas ordinationes motu proprio, & de facto contra personas Ecclesiasticas, & Ecclesiarum libertates, & legitimas, civiles, & canonicas sanctiones: puta, quòd nulla bona temporalia in Ecclesiasticam libertatem transferantur, nec clerici in sacris constituti, ad agendum, & testificandum in quibuslibet, & maximè in piis causis, aliquatenus admittantur; quodque excommunicati laici, & publicè denunciati in foro civili minimè repellantur. Item prædicti Domini temporales, Consules, & Rectores per secularem potestatem res, & bona clericorum occupant & arrestant: oblationes Fidelium diminuunt & restringunt exactiones, & talias indebitè de bonis Ecclesiæ, & redditibus exigunt, & extorquent, possessiones Ecclesiarum, & personarum earum devastant incendiis, & rapinis. Contractus inter Clericos, & laicos factos legitimos ad libros Civitatum, Oppidorum, Villarum, & locorum recusant inscribere, & sigillare: donata, & legata ad Fabricas, & Ecclesiarum structuras, contra Prælatorum voluntatem, & aliorum, quorum interest, præsumunt usurpare contra justitiam in fraudem, & odium clericorum, & de bonis, & rebus etiam quas non causa negotiationis, sed pro usibus propriis per terram ducunt, seu duci faciunt teloneum exigunt, & recipere non verentur, & confugientes ad Ecclesias, & Cœmeteria indè extrahere, contra Imperiales sanctiones, præsumunt. Quæ omnia, & singula, ac inde secuta, cùm per sacras, & civiles, & canonicas sanctiones expresè reprobata sint, & in fraudem Ecclesiasticæ libertatis, de facto præsumpta, de Principum, Comitum, Baronum, Fideliumque nostrorum consilio, ex certa scientia, Imperiali auctoritate cassamus, irritamus, & annullamus, cassaque, irrita, & nullius esse momenti penitus deducimus, & expresè pronunciamus. Præcipientes sub indignatione Imperialis banni, universis, & singulis Maldeburgen. Colonien. & locorum vicinorum Principibus, & temporalibos Consulibus, Potestatibus, ipsorum statuta, & ordinationes, sicut in præjudicium Ecclesiasticæ libertatis edita sunt, omninò revocent, & de luce tollant, & secundùm ea non judicent ampliùs, nec sententias dictent: aut eisdem judicium, quomodolibet, & contra Ecclesiasticam libertatem patiantur. Item pronunciamus, & declaramus Imperiali auctoritate, quòd quicunque laicus, cujuscumque status, vel conditionis existat, ausu sacrilego, & propriæ temeritatis audacia, Sacerdotem, vel clericum secularem, vel Religiosum diffidaverit, vel captivaverit, proscripserit, spoliaverit, occiderit, vulneravent, & mutilaverit, aut in carcere detinuerit, aut hujusmodi maleficia perpetrantes, scienter receptaverit, vel favorem in eis præstiterit, præter pœnas à sacris Imperialibus, & canonicis sanctionibus eis inflictas, sint ipso facto infames, ac omni honore privati. Nec ad placita, vel consilia nobilium admittantur quovis modo. Volumus etiam, hortamur, & requirimus ipsos Prælatos Ecclesiasticos, ut hanc nostram legem, & sanctionem in Synodis, & Ecclesiis publicari procurent: & requisiti executionem pœnarum, & sententiarum denuncient; ne in præmissis excedentes per simulatam ignorantiam suas malitias valeant excusare. Nulli ergo hominum liceat hanc nostræ cassationis, & cemutationis, seu pronunciationis, aut denunciationis paginam ausu temerario infringere, aut quomodolibet contraire, sub pœna mille marcharum auri: quas ab eis, à quibus contrà factum fuerit,

fuerit, irremissibiliter exigi volumus: & eorum medietatem nostri Imperialis, residuam verò partem injuriam passorum usibus decernimus applicari.

Datum Tangerandiæ anno Domini 1378. Indictione 5. Kalendas Julii, Regnorum nostrorum anno 30. Imperii verò 23.

Refertur privilegium istud *in calce actorum* Constantiensis, & ab eodem Concilio *in 19. sess.* approbatur & confirmatur.

6 Denique Catholicorum fere omnium Regum, & Principum privilegiis multis seculis usque ad præsens, potiuntur consensu totius Orbis clerici & Ecclesiastici; ut non solùm eorum personæ, sicuti in antecedenti quæsito probatum est, verùm etiam facultates, & bona libera sint ab eorumdem Regum & Principum potestate.

7 Immo talis exemptio à prædictis Imperatoribus, Regibus, & Principibus super hujusmodi clericis, & Ecclesiasticis, eorumque bonis, revocari non potest; probatur multis rationibus à Leonardo Lessio *loc. cit. num 35.* adductis.

Primo, quia fuit absoluta, & perpetua ex mente concedentium: omnis autem donatio, vel exemptio facta communitati in perpetuum, est irrevocabilis.

Secundò facta fuit ad remunerandа beneficia spiritualia, quæ regna percipiunt ab Ecclesia.

Tertiò, quia principaliter ad Dei honorem facta fuit: sicut donatio agrorum, aut villarum, quæ offeruntur Ecclesiæ, ejusque ministris. Unde sicut sacrilegium esset repetere agros Ecclesiæ donatos, ita sacrilegium erit infringere clericorum immunitatem.

Quartò, Orbis Christianus, à quo Principes habent auctoritatem, consensit in hanc exemptionem; unde non est in principis potestate eam revocare: sicut quod semel consensu Regni est alienatum, non potest repeti.

Quintò, quia Concilia, & Pontifices qui sunt suprà ipsos Principes, eam confirmarunt. Et prædicta insuper corroborantur; quia etiam Principibus renuentibus in dictam exemptionem consentire, Summi Pontifices habebant facultatem illam faciendi, ut docent Doctores, & probat Covarr. *in pract. c. 31. n. 3. & 4.* ex eo, quia potestatem habent à Christo Domino statuendi id, quod ad bonum, & utilitatem spiritualem Ecclesiæ, atque Dei laudem, & honorem necessarium videtur, & opportunum: expedit namque supradicta confirmari, tùm quia Status Ecclesiasticus & res divinæ, quas personæ Ecclesiasticæ tractant, pertubarentur, ac vilescerent, si instar laicorum ad Judices seculatess traherentur: tùm quia non tantùm à divinis officiis distraherentur, verùm etiam daretur occasio, ut facili negotio à laicis vexari possint, multò magis quia laici sunt admodum infesti clericis, *cap. laici 2. quæst. 7.*

Sextò, quia Principes Christiani non verè, & propriè exemptionem Ecclesiasticis concesserunt, sed potiùs detexerunt, & in eam à Deo concessam consenserunt, illiusque exercitium jussere, ut dixi *in anteced. quæsit.*

Suadet pariter, quod sicut Papa exemptos facere potuerit clericos à potestate & jurisdictione Principum secularium, ita etiam illos eximere potuerit à tributis, & aliis oneribus, ut *in sequenti quæsito* latiùs ostenditur.

8 Ad effectum autem, ut personæ Ecclesiasticæ legitimè possint, onera à laicis imposita subire, & ad ea persolvenda compelli, inspecto jure Canonico, plura copulativè requiruntur, de quibus Rota *in Brundusina gabellæ 13. Februarii 1604. coram Pena, quæ in fine operis est decis.* 103. & priùs Berous *consil. 31, sub num. 13. vol. 1.*

Primò ut adsit magna necessitas, cui aliàs facilè subveniri non possit, nisi clerici cum laicis contribuant, ut probatur *in cap. non minùs* ubi expressè notat Abb. *in n. 4 de immunit. Eccles.* & clariùs apparet *per extravag.* Benedicti XI. *sub eod. tit.* & notant Decian. *cons. 51. num 31. lib. 3.* Molin. *de justit. tract. 2. disput. 672.* Carol. de Grass. *de effect. clericat. effect. 3. n. 144.* Suar. *de immunitat. Eccles. lib. 4. cap. 26. n. 15.* 9

Secundò debet concurrere communis utilitas, vel saltem pietas, ut *in d. cap. non minùs*, & *cap. adversus*, & *cap. pervenit de immunit. Eccles.* Decian. *consil. 14. sub num. 20. vers. ad idem text. lib. 1.* 10

Tertiò requiritur, quòd onus sit tale, ut ad illud sustinendum laici non sufficiant; Clerici enim & Ecclesia solùm tenentur cum laicis contribuere in subsidium, & ubi laicorum non suppetunt facultates *d. cap. non minùs*; & *cap. adversus*, quas considerationes consideravit Benedictus XI. *in d. extravag. de immunit. Eccles.* ibi: *Cæterùm attendant sollicitè Ecclesiarum Prælati, & alii Clerici, Lateranense Concilium quod in hujusmodi subventionibus solum casum necessitatis, aut communis utilitates, ubi laicorum ad id non suppetunt facultates, deliberatione provida noscitur excepisse.* 11

Quartò requiritur, quòd ad onus hujusmodi imponendum vocetur, & consentiat totus Clerus, nec sufficeret Episcopus cum Capitulo; quia quod omnes tangit, ab omnibus particulariter approbari debet, *cap. cùm omnes, de constitut. reg. quod omnes de reg. jur. lib. 6.* & probatur *in d. cap. adversùs*, & notat Abb. *in d. cap. non minùs, num. 4. & 5. in 4. notab.* Berous *dict. consil. 31. num. 13. vers. quartò requiritur.* Bellet. *disquisit. clerical. part. 1. titul. de except. cleric. § 2 n. 6.* 12
& ad obligandum exemptos, non sufficit assensus Epi- 13
scopi, Capituli, & Clerici, sed eorundem exemptorum Consensus est necessarius, Less. *de justit. & jur. lib. 2. cap. 33. dub. 3. num. 62.* Salas *de legib. disp. 14. sect. 11. num. 115.*

Quintò in istis oneribus imponendis, ut personæ ecclesiasticæ teneantur, necessariò debet consuli summus Pontifex, & ipso consulto, & annuente, & non aliàs cleri contribuant, *d. cap. adversus*, ubi notat Abb. *num. 5. vers. quartò requiritur*, & fuit expressè cautum per Benedictum XI. *in d. extravag. de immunit. Eccles.* & meritò: nam si in Episcoporum, & Cleri arbitrio hoc relinqueretur, facilè imponerentur hujusmodi onera per ambitum, & preces Principum & ministrorum laicorum, quibus occurrere solent Romani Pontifices, qui non aliter, quàm causa cognita, istas facultates, ut Clerici contribuant, concedere solent: notant Suar. *dict. lib. 4. de immunit. Eccles. cap. 32.* 14
Carol. de Grass. *d. effect. 3. num. 287.* Hoc tamen li- 15
mitatur in casibus inopinatis, & improvisis, putà belli, vel incursionis hostium, qui prævideri nequeunt, nec illis provideri mediante recursu ad summum Pontificem, cùm celeritatem expostulent, & moram non patiantur, ut notant Doct. & præsertim Alex. Jas. & Ripa *in l. si ex toto, § 1. ff. de legib. Sylvest. verb. Immunitas 1. num. 20.* Less. & Salas, *locis citatis.* Et his
casibus tenentur contribuere omnes etiam Religiosi 16
exempti. Nisi verba exemptionis sint universalia, & apta comprehendere etiam hujusmodi casus inopinatos, & improvisos; Alex. *consil. 30. num 3. vers. nec obstat, & num. 14. vol. 5.* Rip. *in l. 1. n. 52. ff. de vulgar. & pupillar.* Paris. *consil. 68. num. 17. & sequent. volum. 1.* Cephal. *consil. 158. n. 9.* Decian. *cons. 51. num. 22. vol. 5.* Natt. *consil. 63. num. 11. & seq. & ferè per tot. & consil. 397. num. 4.* Roland. *consil. 6. num. 33. & seq. vol.* & in terminis de privilegiis Hierosolymitanorum equitum, latè Rota *in Leodien. collectarum 19. Martii 1604. coram Ortembergo, quæ est decis. 72. p. 1. recent & in eadem causa 19. Apr. 1619. coram Buratto, quæ inter ejus impress. est decis. 391. & in fine operis est decis. 105.*

Ultimò

17 Ultimò requiritur, ut postquam talia onera prædictis requisitis concurrentibus imposita fuerint, ad ea solvenda personæ Ecclesiasticæ non à ministris laicis, sed à Superiore Ecclesiastico compellantur, Principes enim, & potestates seculares non possunt se in his intromittere. Ita Innocent. *in d. cap. non minus, num. 6. de immunit. Eccles.* Bald. *in l. ad instructionem, sub num. 3. vers. quod verum crede, C. de sacros. Eccles.* Abb. *in d. cap. non minus, n. 18. vers. dicit tamen.* Guidop. *decis. 78. in fin. vers. si tamen,* cum aliis per Menoch. *consil. 800. n. 17. & 19.* & latius *n. 50. & 51.* Decian. *tract. crimin. lib. 4. cap. 11. n. 4.* Addit. *ad decis. 234.* Thesaur. *sub litt. F. vers. sed dubitari potest.*

QUÆSITUM XXI.

An Abbates, & Prælati Ecclesiastici à datiis, gabellis, & aliis oneribus laicorum exempti sint.

SUMMARIUM.

1 *Tributum, vectigal, gabella, telonium, & alia hujusmodi significant exactionem debitam Principibus, sive Communitatibus.*

2 *Tributum, vectigal, & alia hujusmodi in specie quid significent, & quomodo inter se differant.*

3 *Ecclesiastici à gabellis, tributis, & aliis oneribus laicorum tàm realibus, quàm personalibus exempti sunt.*

4 *Religiosi exempti sunt à gabellis, & aliis oneribus laicorum tàm realibus, quàm personalibus, per specialia privilegia summorum Pontificum.*

5 *Ecclesiastici in quibusdam casibus non sunt exempti à gabellis, & aliis oneribus laicalibus.*

6 *Bona, quæ habet Ecclesia de jure divino, sunt perpetuò immunia à quibuscunque oneribus.*

7 *Bona, quæ Ecclesia habuit à privatis sed ad cultum divinum, & officium spirituale fuerunt destinata, immunia sunt ab omnibus oneribus nedum publicis, & Regiis, verùm etiam privatis, & præexistentibus.*

8 *Bona, quæ Ecclesia possidet forte temporali, & jure civili, exempta sunt ab oneribus impositis, postquam ad Ecclesiam, vel Ecclesiasticas personas bona devenerunt.*

9 *Bart. cautela, ut bona transeant ad Ecclesiasticos cum onere reprobatur.*

10 *Statutum, quod prædia omnium civium, qui sunt in Comitatu, sint tributaria, & affecta onere tributorum pro collectis imponendis, non valet in præjudicium Ecclesiæ.*

11 *Onera imposita prius quàm prædia ad Ecclesiam, vel personas Ecclesiasticas pervenirent, an sint solvenda.*

12 *Onera imposita bonis propter bona ipsa, sunt persolvenda, ad quascumque manus bona perveniant, quia sunt onera certa, realia, & perpetua.*

13 *Onera, quæ non sunt certa, & perpetua, sed pro varietate negotiorum imminentium immutantur, desinunt durare, postquam res tali onere gravata pervenit ad manus Ecclesiæ, vel personarum Ecclesiasticarum.*

14 *Impositio, quæ fit pro solido, & libra, desinit durare, postquam res pervenit ad manus Ecclesiæ.*

15 *Onera, quæ imponuntur super bonis, ratione personæ tantum non possunt imponi, nisi subjectis.*

16 *Onera imposita super bonis ratione personæ tantùm non sunt ab Ecclesiasticis persolvenda, etiam quod fuerint imposita antequam ad ipsos bona pervenirent.*

17 *Bona in Ecclesiam, vel Ecclesiasticas personas translata, quando retineant obligationem solvendi tributum.*

18 *Onera laicalia solvere non tenetur Ecclesia ex ipsius bonis in catastro laicorum descriptis de consensu Prælati, absque assensu Apostolico, etiam si Prælatus collectas solverit,* num. seq.

20 *Prælatus solvens collectas, non privatur sua immunitate.*

21 *Regulares etsi nequeant inviti cogi ad jurandum, possunt tamen gabellarum emptores ab ipsis exigere jusjurandum pro eorum rebus, per duanam transeuntibus, an eorum juramento standum sit.*

22 *Exemptio à gabellis transit ad colonos.*

23 *Hieronymi Buccaferrei Jurisconsulti Bononien. responsa duo referuntur in materia, an collectæ imponi possint fructibus colonorum Ecclesiæ.*

24 *Onera Ecclesiasticis imponentes sunt excommunicati.*

25 *Onera Ecclesiasticis imponentes, absque Papæ licentia, etiamsi nulla exactio sequatur, an sint excommunicati.*

26 *Onera Ecclesiasticis imponentes pro bonis ipsis donatis, vel ab eis emptis, sunt excommunicati.*

27 *Bona clericis donata ad titulum patrimonii, ad effectum suscipiendi sacros ordines, sunt exempta ab oneribus laicalibus.*

28 *Onera, & collectas à clericis negotiatoribus exigentes an sint excommunicati.*

29 *Negotiator quando dicatur clericus.*

30 *Negotiatio quando clericis permissa.*

31 *Onera, & collectas à sponte dantibus exigentes, an sint excommunicati.*

32 *Prælati imponentes onera Ecclesiasticis absque Papæ licentia, an sint excommunicati.*

33 *Collectæ an exigi possint à clericis, qui causa fraudandi collectas clericalem habitum assumpserunt.*

34 *Ecclesiastici feudatarii Principum secularium tenentur ad onera feudorum.*

35 *Collectæ imponi, & exigi nequeunt à clericis pro bonis in communi possessis cum patre, vel fratre laicis.*

PRo intelligentia terminorum quæ in præsenti Quæsito sæpè enunciantur: Notandum est, quod hujusmodi termini, nempè *tributum, vectigal, gabella, telonium, & alia hujus generis,* important publicam 1
exactionem debitam Principibus, sive Communitatibus; in specie autem unum quodque habet suam 2
particularem differentiam. Vectigal enim dicitur, quod pro rebus vectis præstatur, & idem significat id, quod datur pro ducatu per terram alicujus, ut securiùs vadant. Et hoc etiam dicitur telonium, quòd à Græco nomine ductum idem est, quod vectigal, seu gabella, vel duana. Itaque vectigal, guidagium, seu gabella, vel duana, sunt idem. Pensio est pretium usus rei locabilis, quæ si solvatur privatæ personæ dicitur privata; si Principi, vel Communitati, dicitur publica. Census est quædam pensio, quæ de proventibus solvitur. Tributum est census, qui datur de proprio solo Principi, vel Communitati. Itaque pensio, census, Tributum, quando sunt publica, idem sunt. Tallia verò, præstatio, impositio, collecta idem etiam sunt, & quodlibet eorum est summa, quam Princeps, vel Communitas exigit proportionaliter ad totam substantiam cujuscunque. Angaria autem & perangaria est injusta compulsio, sive coactio ad aliquid solvendum, vel faciendum: seu angaria est obsequium personale, & reale, propriis scilicet sumptibus præstitum. Munus aliquandò sumitur pro dono, aliquando pro officio, vel honore, aliquando verò sumitur pro eo, quòd necessario subimus lege, vel imperio. Ita Sylvest. *verb. gabella 1. per totam,* Roderic. *tom. 2. regul. quæst. 65. art. 1.* & communiter *Summistæ verb. vectigal.*

Ecclesiasticos omnes, atque ita Religiosos, qui verè Ecclesiastici sunt, & servitio Dei mancipati, ut superiori Quæsito dictum est, à datiis, gabellis, vecti- 3
galibus, & aliis tributis, & oneribus tàm realibus, quam

quàm personalibus, tàm impositis, quàm imponendis immunes, & exemptos esse probatur expresè *in cap. fin. de vit. & honest. cleric.* ubi xpertè probatur, clericos, & Ecclesiasticas personas non subjici in bonis propriis, statutis, & consuetudinibus Patriæ circa solutionem gabellarum, seu collectarum editis.

Probatur etiam *in cap. non minùs*, & *in cap. adversùs de immunit. Eccles.* ubi dicitur, quòd ab omnibus oneribus Urbium, & Castrorum clerici sunt exempti; facit *cap. quanquam de censib. in 6.* & *clem. præsenti eod. tit. cap. adversùs*, & *cap. non minùs de immunit. Eccles.*

De jure etiam civili manifestè probatur ex jure novissimo Authenticorum, *auth. item nulla Communitas C. de Epis. & cleric.* & *in corpore*, unde sumitur d. lex nempè, *Auth. collat.* 10. §. *item nulla, tit. de stat. & consuet. contra lib. Eccles.* ubi generaliter disponitur, quòd nulla Communitas, vel persona publica, vel privata collectas, vel exactiones, angarias, vel perangarias Ecclesiis, vel aliis piis locis, aut Ecclesiasticis personis imponant, aut invadere bona Ecclesiastica præsumant, idem probatur *in l. sancimus la 2. C. de Sacros. Eccles.*

Talis exemptio à vectigalibus, & aliis oneribus clericis, & Ecclesiasticis personis donata, probatur insuper (antequam ad speciales Summorum Pontificum Constitutiones deveniamus) ex consuetudine omnium gentium; quod enim ubique fit, proculdubio naturam universalis consuetudinis induit; & quòd ubique hoc, quod præmisimus factum sit, vel saltem multis, & præcipuis locis, nec non apud multas nationes, sic ostenditur; nam Hebræi Levitas suos exemptos habebant ab omnibus tributis, vectigalibus, & oneribus, ita habetur *in cap.* 30. Exod. Ægyptii sub Rege Pharaone Sacerdotes suos similiter exemptos à prædictis oneribus habuerunt, ut elicitur ex *cap.* 47. Genes. Idem constat de Sacerdotibus Hebræorum sub Artaxerxe Rege, *ex lib.* 1. Esdræ *cap.* 7. & de Sacerdotibus Gentilium habetur apud Aristotelem *in lib.* 2. *Oeconom.* & ex Cæsare *lib. de Bello Gallico*, & ex Plutarcho *in Camill.* & ex aliis.

Apud verò Christianos, Constantinus Imperator Ecclesiasticos immunes ab omnibus Reipublicæ oneribus declaravit, ut patet ex Epistola illius ad Avillinum apud Eusebium *lib.* 10. *Histor. Eccles. cap.* 7.

Idipsum fecerunt multi alii Imperatores, Reges, & alii Potentatus, ut fatentur Cardin. Bellarm. *de exempt. cleric. c.* 2. *vers. hanc igitur sententiam, in fine* 2. *tom. controvers.* & Joan. Baptista Scortia *in expositione Bullæ Cœn. can.* 18. *vers. easdem immunitates.*

4 Præterea ex abundanti probatur ex specialibus Sedis Apostolicæ privilegiis Regularibus concessis. Nam Eugenius IV. *anno Domini* 1434. 7. *Kal. Martii, sub Datum Florentiæ Pontificat. sui anno* 4. concessit Monachis Casinen. aliàs Congregationis S. Justinæ de Padua Privilegium, per quod Episcopis, & aliis potestatibus secularibus, & Regibus prohibet, ne Monasteriis dictæ Congregationis aliquas exactiones, aut onera realia, seu personalia, etiam ad refectionem pontium, à personis dictorum Monasteriorum exigere audeant, vel imponere sub pœna excommunicationis à notitia hujus indulti incurrenda.

Insuper exemit dictam Congregationem à quacumque decima, collecta, & subsidio per Sedem Apostolicam imposita, vel imponenda, nisi de hoc indulto de verbo ad verbum faciat mentionem; liberavit etiam dictam Congregationem à quacumque pensione, censu, tributo, quo tenebatur alicui Ecclesiæ Ordinariis, & aliis quibuscumque personis de bonis suis, & redditibus, & domibus non obstante quocumque in contrarium etiam à Sede Apostolica indulto, & à solutione decimarum, primitiarum, & quartesiæ de omnibus bonis, quæ ipsi colunt, ut habetur *in lib. privil. prædictæ Congregationis concess.* 7. 8. & 9.

Congregatio nostra Vallis-Umbrosæ inter alia privilegia, quibus ab Apostolica Sede decorata, & munita est, plurimas habet exemptiones ab omni seculari potestate, contributione, talliis, & aliis oneribus, quarum exemptionum (relictis omnibus aliorum Monasteriorum d. Congregationis particularium, quoad hanc rem privilegiis) tantùm illam Innocentii IV. eximentem omnes Monachos ejusdem Congregationis ab exactionibus, contributionibus, & talliis, aliisque oneribus verbatim referam.

Innocentius Episcopus servus servorum Dei, Dilectis filiis Abbati, & Conventui Monasterii Vallis umbrosæ, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Monasteriorum, & locorum Ordinis Vallis-Umbrosæ quieti paterna solicitudine providere volentes, ut per communia Civitatum, in quarum districtu Monasteria, & loca piæ consistunt, ad solvendas eis exactiones, seu tallias per ea impositas, sive ad exercitum faciendum, compelli nequaquam possitis, auctoritate vobis præsentium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Perusii 5. Kal. Martii, Pontificatus nostri anno 10.

Hoc privilegium, sicut & multa alia, ab exactionibus, contributionibus, aliisque oneribus, nec non à secularium Principum, & qualibet laica potestate eximentia confirmavit Urbanus V. *in illa constitutione*, sub datum Avinioni 4. Kal. Martii anno 1363. Pontificatus verò 1. Quod privilegium cum antecedenti legitur in libro Authentico privilegiorum nostræ Congregationis. Tenor autem hujus Confirmationis est.

Cùm à vobis petitur quod justum est, & honestum, tam vigor æquitatis, quàm ordo exigit rationis, ut ad id per solicitudinem officii Nostri, ad debitum perducatur effectum. Ea propter dilecti in Domino filii vestri justis postulationibus, grato concurrentes assensu, omnes libertates, & immunitates à Prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, sive Privilegia, seu alias indulgentias, vobis, & Monasterio vestro concessas, nec non libertates, & exemptiones secularium exactionum à Regibus, & Principibus, ac aliis Christi fidelibus, rationabiliter vobis, & eidem Monasterio vestro indultas, sic eas juste, & pacificè obtinetis, vobis, & per vos eidem Monasterio, auctoritate, confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam Nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum se noverit incursurum.

Quibus privilegiis gaudent omnes Religiones communicationem privilegiorum dictarum Congregationum habentes, præter concessiones speciales singulis ordinibus impartitas.

Præterea id specialiter censuit Rota Romana *in una Bononien. exempt. die* 25. *Maji* 1618. *coram Eminent. Card. Verospio.* pro Canonicis Regularibus S. Salvatoris Lateranensis, ubi habetur, idem fuisse dictum *in Coregien. gabella coram Justo* 27. *Novembris* 1602.

In

In aliquibus tamen casibus Religiosi, sicut & cæteri Ecclesiastici non sunt exempti: si enim antequam bona aliqua ad eos venirent, onus aliquod certum & invariabile annexum habebant, v. g. aliquem censum, vel servitutem debitam, vel onus reparandæ viæ publicæ adjacentis, denique postquam ad Ecclesiasticorum manus pervenient, tenebuntur etiam ipsi ad ea onera præstanda; quia unaquæque res cum suo onere transit, *c. constat, c. cùm non sit, & cap. pastoralis, de decimis*, Sylvest. *verb. immunitas*, 1. *num*. 19.

Verùm pro clariori hujus materiæ intelligentia, distinguendæ sunt plures species bonorum Ecclesiasticorum, prout distinxit Rota *in Alben. gabella, seu onerum 28. Junii 1630. coram R. P. D. meo Merlino, quæ in fine operis est decis*. 104.

6 Prima est species bonorum, quæ habet Ecclesia jure spirituali, & divino, ut decimæ, & oblationes, & hæc semper, & perpetuò sunt immunia à quibuscunque oneribus secularibus, tam præteritis, quàm futuris, quia immediatè illa habet à Deo, nec commiscentur cum laicis, ut Numer. *cap*. 18. & notant Canonistæ communiter *in Canon. si tributum* 11. *q*. 1. *& in Can. secundum* 23. *quæst*. 8.

7 Secunda est species bonorum, quæ Ecclesia habuit à privatis, sed ad cultum divinum, & officium spirituale sunt destinata, ut situs Ecclesiarum, & cœmeterium pro sepulturis, hortus juxta Ecclesiam; & hæc pariter sunt immunia semper ab omnibus tributis, & oneribus ne ium publicis & Regiis, verum etiam privatis, & præexistentibus, ob eorum specialem sanctitatem, ut *d. can. secundum* 23. *q*. 8. Bald. *in l. omnes, num*. 12. *de sacros. Eccles*. Turrecrem. *in d. can. si tributum* 11. *q*. 1. & *in summa de Eccles. lib*. 1. *cap*. 98. *in respons. ad 7. argument*. Niger. *in repert. extravag. unic. num*. 242. *de vit. & honest. cleric*. Suar. *ad Reg. Angl. de immunit. Eccles. lib*. 4. *cap*. 17. *num*. 6. *&* 7. *& cap*. 19. *num*. 2. *&* 8. & latiùs *cap*. 20. *num*. 17.

8 Tertia est species bonorum, quæ possidet Ecclesia forte temporali, & jure civili, ut titulo venditionis legati, vel alio simili. Et in his etiam subdistinguendum est, quod vel onera imponuntur, postquam ad Ecclesiam, vel Ecclesiasticas personas bona pervenerunt, & certum est omnino gaudere immunitate, Bart. *in l. rescripto §. final. num*. 5. *vers. videte, ff. de muner. & honor*. ubi fatetur, nullum dari remedium seu cautelam, quod clericis, seu Ecclesiis pro eorum prædiis imponatur Collecta; cùm laici non possint edere legem, per quam libertas Ecclesiastica infringatur. Suar. *d. lib*. 4. *de immunit. Eccles. cap*. 20. *n*. 2. ubi quod scriptores omnes Catholici sine dissensione hoc

9 admittunt. Verùm Bart. *loco cit*. dat cautelam per quam bona transeant ad Ecclesiasticas cum onere, nempe ut fiat statutum, quòd prædia omnium civitatum, quæ sunt in Comitatu, sint tributaria, & affecta onere tributorum pro collectis imponendis, nam tunc transirent ad Ecclesiasticas cum onere: & opinionem Bart. dicit communem. Soccin. sen. *consil*. 12. *lib*. 4. Bellon. Sen. *consil*. 40. Nicol. Fest. *in tractat. de*

10 *collect. pag*. 4. *cap*. 2. *num*. 27. At ista Bart. cautela est omnino improbata, quia hujusmodi statutum esset indirectè contra libertatem Ecclesiasticam. Licèt enim eo tempore, quo universum territorium efficitur tributarium, prædicta sint sub jurisdictione laicorum, tamen hoc tempus inspici non debet; sed illud, quo ipsæ collectæ imponuntur, tunc enim habent formam, & à statuto habuerunt solummodo radicem aliquam causalem, & remotam; & dum statutum fuit territorium tributarium pro collectis imponendis, habet tacitam conditionem, scilicet si imponantur, quæ conditio cùm sit potestativa non retrotrahitur in præjudicium Ecclesiæ, quæ medio tempore acquisivit, nec tunc subjacent jurisdictioni laicorum, & ideo meritò Barthol. reprobatur, Bald. *in l. omnes n*. 12. 13. 14. *cum seq. C. sine cons. vel relig*. & *in l. placet, num*. 10. *in l. nemmem, n*. 4. *C. de sacros. Eccles. & consil*. 112. *n*. 7. *lib*. 2. Abb. *in cap. final. n*. 13. *de vit. & honest. cleric*. Jas. *in d. l. placet, num*. 21. *C. de Sacros. Eccles*. ubi quod dictum Bart. est falsum, & damnatum per omnes, Gui. lop. *quæst*. 381. Ruin. *consil*. 110. *num*. 8. *lib* 4. Felin. *in cap. Ecclesia sanctæ Mariæ num*. 76. *de constit*. Phot. *in Addit. ad Consil. ult. Lauden. n*. 10. *&* 13. Abb. *consil*. 8. *n*. 4. *& sequen*. Sylvan. *consil*. 9. *n*. 29. *& consil*. 32. *num*. 11. Marcobrun. *consil*. 48. *num*. 19. ubi testatur de communi. Pasett. *consil*. 31. *num*. 8. Vegg. *consil*. 7. *num*. 11. Ruminal. Jun. *consil*. 25 *num*. 13. Crass. *com. opin. lib*. 1. *cap*. 18. *quæst*. 2. Remig. Gonn. *de charit. subsid. quæst*. 61. *n*. 16. Card. Alban. *de immunit. Eccles. n*. 92. Ceval. *commun. contra commun. quæst*. 899. *n*. 72. *&* 106. qui alios cumulat. Azor. *instit. moral. part*. 1. *lib*. 5. *cap*. 13. *quæst*. 1. Thesaur. *decis*. 254. *num*. 5. Niger *in repet. extravag. unic. de vit. & honest. cleric. num*. 190. Alphonsus de Montalvo *in foro leg. Castell. lib*. 1. *leg*. 2. *vers. in contrarium*. Gutier. *practicarum quæst. lib*. 2. *quæst*. 132. *num*. 5. ubi quòd hæc verior, & magis communis opinio; & latè Rora *in d. Alben. gabella seu onerum coram R. P. D. Merlino*.

Quò verò ad onera imposita priusquam prædia ad Ecclesiam, vel personas Ecclesiasticas pervenirent, rursus subdistinguendi sunt alii casus prout distinxit Rota *in Brundusina gabella* 13. *Februarii* 1604. *coram Penia, quæ in fine operis est decis*. 103. 11

Primus casus est, quando possessionibus, prædiis, sive bonis propter bona ipsa imponuntur onera, ut *in l. rescripto § final. & in l. munerum, § præstimonium, ff. de muner. & honor*. & hoc casu res ita onerata ad quoscunque perveniat, cum illo onere transit, & consequenter persona Ecclesiastica, ad quam pervenit, pro illa solvere tenetur, quia illud onus est certum, reale, & perpetuum. Ita Innoc. *in d. cap. non minus de immunit. Eccles*. Archid. *in cap*. 1. *in eodem tit*. 6. quem *ibid*. sequitur Joan. Andr. *num*. 5. *in prin*. & Gemin. *n*. 9. Abb. *consil*. 13. *n*. 1. *vers. certum est lib*. 1. Anchar. *consil*. 96. *n*. 6. Angel. *consil*. 24. Bart. *d. l. rescripto §. final. n*. 5. *ff. de muner. & honor. & in d. l. placet, n*. 59. *C. de Sacros. Eccl*. quem refert Alphons. Avar. *in specul. jur. Pontif. cap*. 75. *§. quoad principalem, vers. nam si dictum suum*. 12

Secundus casus, est quando impositio onerum non est perpetua, & certa, sed pro varietate negotiorum imminentium immutatur illa impositio, ut est, quæ fit pro solido, & libra; & tunc postquam res tali onere gravata pervenit ad manus Ecclesiæ, vel personarum Ecclesiasticarum, definit durare illud onus, ita Archidiac. *in d. cap. de immunit. Eccles. lib*. 6. quem refert & sequitur Joan. Andr. *num*. 5. *in fin*. & Gemin. *ibid. num*. 9. *vers. tamen subdebat*, cum aliis per Thesaur. *d. decis*. 254. *num*. 7. 13 14

Tertius casus est, quando onera, seu collectæ imponuntur ratione personæ tantum super bonis, & hoc casu cùm non inhæreant rebus, sed ratione personarum potissimùm imponantur, consequenter imponi non possunt nisi subjectis, hoc est civibus, & incolis *dict. l. rescripto, §. sciendum*, ubi gloss. *ff. de muner. & honor*. & ideo neque Ecclesia, neque personæ Ecclesiasticæ ad talia onera solvenda tenentur, etiam quod fuerint imposita antequam ad ipsas bona pervenirent. Ita Canonistæ *in d. cap*. 1. *de immunit. Eccles. in* 6. ubi præcipuè Gemin. *num*. 9. *ad fin*. Abb. *in cap. final, num*. 12. *de vita & honest. cleric*. Turrecrem. *in cap. si tributum* 11. *quæst*. 1. *vers. alia verò*, Barbat. *plenè consil. per tot. lib*. 5. Felin. *consil*. 46. *in* 4. *dub*. Nig. *in repert. extravag. unic. de vit. & honest. cleric. num*. 247. cum pluribus sequen. Comitul. *respons. moral. lib*. 1. *cap*. 94. *num*. 3, & Rora *in allegata Brundusina gabella* 13. *Februarii* 1604. *coram Penia*, & *in d. Alben. gabella seu onerum* 15 16

onerum 28. *Junii* 1630. *coram R.P.D. Merlino*, ubi quod allegatam decisionem in Brundusina gabellæ coram Penia, tanquam Magistralem passim sequitur Sacra Congregatio super Controversiis jurisdictionalibus per S.D.N. Urbanum VIII. instituta. Imò Card. Alban. *de immunit. Eccles.* Guttier. *pract. quæst. lib.* 1. *q.* 3. *num.* 15. *vers. præterea*, & latiùs Suar. *ad Reg. Angl. de immunit. Eccles. lib.* 4. *cap.* 20. *num.* 6. *quæst.* 11. *& seq. us-*
17 *que ad fin.* affirmant, bona translata in Ecclesias eatenus retinere obligationem solvendi tributum, quatenus illud à Principe fuerit priùs impositum, expresso pacto inter ipsum, & privatos inito, vel ex particulari dominio illius prædii; ita ut ipse in privatos transtulerit, hac sibi reservata pensione, censu, seu collecta; non autem, si exegisset, ex sola vi Regiæ potestatis, & jurisdictionis: hæc enim tunc penitùs exspirat, cùm bona ad Ecclesiam perveniunt, & res devenit ad statum, qui incapax est illius subjectionis tributi erga Principem laicum; quod secus est in pactis, & conventionibus per viam contractus initis, quia jus illorum transit, & continuat in quibuscunque personis quomodocunque exemptis, & privilegiatis. Felin. *in cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ num.* 77. *de constit....* *consil.* 7. *num.* 5. *& seq.* Bellon. Sen. *consil.* 40. *num.* 4. *&* 5. Fest. *de collect. part.* 4. *c.* 2. *num.* 31. Alderan. Mascard. *de general. interpret. stat. conclus.* 1. *num.* 100. Azor. *instit. Moral. part.* 1. *lib.* 5. *cap.* 13. *quæst.* 1. *vers. secundo sciendum est*, & per Suar. *ubi suprà, num.* 6. *&* 15. *in fin. & num.* 28 *& num.* 9. docet quomodo probari possit, prædia fuisse sub particulari dominio Principis, vel tributum solvi ex conventione non autem ex solo jure universali Principatus, & sequuta est Rota *in allegata Alben. gabella seu onerum coram R.P. D. Merlino.*

18 * Hujusmodi exemptio competit Ecclesiæ, etiam si ipsius prædia reperiantur descripta in catastro laicorum de consensu Prælati, vel Rectoris, si descriptio facta sit absque auctoritate & assensu Summi Pontificis, cujus interest, communibus Ecclesiarum utilitatibus providere. Ita Abb. *in cap. adversus num.* 1. *&* 4. *& in cap. non minus num* 18. *de immunitat. Eccles. & consil.* 13. *num.* 1. *&* 2. *lib.* 2. Natt. *cons.* 203. *num.* 4. *& seq.* ubi doctrinam Bald. *in auth. sed & periculum n.* 2. *vers. hoc verum, nisi Ecclesia C. sine cons. vel reliq.* asserentis quod si Ecclesia facit æstimum, tenetur ad collectas in vim sui consensus, non ex vi jurisdictionis, declarat Natt. procedere data legitima descriptione in æstimo, seu catastro, nempe quod accesserit auctoritas Sedis Apostolicæ, & secuta est Rota *in allegata Al-*
19 *ben. coram R.P.D. Merlino, num.* 21. Quod procedit etiamsi prælatus, vel Rector solverit collectas, quia hujusmodi solutiones, nisi fiant auctoritate Summi Pontificis intercedente, non præjudicant; privilegium enim immunitatis non est personale, sed ipsi ordini Ecclesiastico, & ipsis bonis Ecclesiarum concessum, cui gesta privatorum præjudicare non possent, ut notant Castren. *cons.* 423. *num.* 2. *lib.* 2. Ceval. *commun. contra commun. quæst.* 899. *num.* 107. *ad*
20 *fin.* & Prælatus sive Rector solvens non censetur privatus sua immunitate, quæ de jure sibi competit ad text. *in l. voluntariè C. de excusat. tut.* Alex. *consil.* 33. *n.* 2. *vers. sed ea mihi lib.* Castren. *d. consil.* 423. *num.* 2. Natt. *consil.* 447. *num.* 16. & Rota *in allegata Alben. gabella coram R.P.D. Merlino num.* 23. *&* 24.

21 Notandum autem, quòd licèt Regulares nequeant inviti compelli jurare, per concessionem Eugenii IV. Casinen. factam, incip. *Etsi ex debito*, quæ est 7. *in Bullar.* Roderic. *pag.* 84. & per aliam concessionem incip. *Regularem vitam*, quæ est 9. *ibid. pag.* 88. tamen emptores gabellarum possunt ab iisdem Regularibus fiscali modo exipere jusjurandum, quod res, quæ per duanam transeunt nomine eorumdem Regularium, sint ipsorum & ad ipsorum usus deputata, non autem aliorum; Quia id non est, simpliciter Regulares ad jurandum compellere, sed ex suppositione, si velint sibi res illas, quas ad proprium usum esse dicunt, absque gabellæ solutione relaxari. Et Regulares ipsi tenentur juramentum ad mentem illud exigentium in manibus Prælati præstare, nec possunt æquivocare. Ita Sylvest. *verb. juramentum*, 3. *quæst.* 2. *in fine*, & *verb. mendacium, quæst.* 6. *in fin.* Sanch. *in decalog. lib.* 3. *cap.* 6. *num.* 35. Laurent. de Peirin. *loco cit. num.* 150. & illorum juramento standum est, nisi per partem adversam contrarium probaretur, vel militaret aliqua præsumptio in contrarium; videatur Mascard. *de probat. conclus.* 953. *num.* 11. Seraphin. *de privil. juram. privileg.* 14. Farinac. *in prax. criminal. quæst.* 172. *num.* 30. Marta *de jurisdict. part.* 4. *cas.* 83 *num.* 7. D. Barbos. *de offic. & potest. Episcop. p.* 2. *alleg.* 13. *in fin.* 2. *edit.* Quod si falsum juraverint, non possunt de eo querelari, Valasc. *cons.* 131. *num.* 11. D. August. Barbos. *loc. cit.*

Insuper notandum, quòd privilegia hæc exemptionis à gabellis, datiis, &c. cùm sint realia, transeunt ad colonos eorumdem Regularium; quia eorum bona, & prædia privilegiata sunt, & exempta ab onere solvendi gabellas, & similia: ut docet Panormitan. *lib.* 1. *cons.* 9. *sub num.* 2. *vers. ad secundùm*, & *in cap. ex parte, il* 1. *num.* 4. *&* 5. *de decimis*, & alii relati à Menoch. *lib.* 2. *de arbitrar. cas.* 562. *num.* 45. Præterea adest Bulla Pii V. de exemptione Generali Regularium, incip. Dum uberes, quæ refertur *in Bullar. novo tom.* 2. *Const.* 11. ejusdem Pii V.

In qua Summus Pontifex eximit Fratres, Monachos, 22
Moniales, ac alias Regulares personas, eorumque Monasteria, Cœnobia, Conventus, Ecclesias, Cappellas, Oratoria, & alia loca, ac terras, possessiones, prædia, agros, & bona, nec non laboratores, colonos, arrendatarios, locatarios, affictuarios, ac gestores suorum negotiorum ab omnibus exactionibus, tam urbanis, quàm rusticis, nec non datiis, gabellis, pedagiis, vectigalibus, collectis, impositionibus, oneribus, ordinariis, & extraordinariis, ac tam realibus, quàm personalibus, meris, & mixtis etiam subsidio trienn[a]li, & augmento ac focularibus equorum taxis, militumque hospitiis, &c. tam impositis, quàm imponendis.

Pro qua materia optimè conducunt duo Responsa D. Hieronymi Buccaferrei Jurisconsulti Bononiensis, quæ propterea hic apponere libuit, ne honorem aliis debitum usurpare videar, & ut omnibus quod suum est tribuatur.

RESPONSUM I.

D. Hieronymi Buccaferrei I. C. Bononien. in Patriæ Gymnasio Juris Cæsarei ordinarii Professoris, nec non sanctiss. Inquisit. exegii Consult.

Quod collectæ imponi non possunt fructibus Colonorum Ecclesiæ, nec pro integra rusticali portione, nec pro ea, quæ restat deductis impensis, eo modo, quo negotiatores, & mercatores collectantur, citra grave præjudicium immunitatis Ecclesiasticæ; quin & evidenti in facto detrimento non parvo bonorum ipsiusmet Ecclesiæ.

Causa, quæ controvertitur inter Ministros Catholicæ Regiæ Majestatis, & Religiosos, est 23
facilis resolutionis ad favorem Religiosorum, utcumque contradicant illi, qui, ut ait text. *in cap. Clericus de*

de immunit. Eccles. in 6. magis timent Majestatem humanam, quam divinam offendere; sive in genere quæramus, an Coloni Religiosorum collectari possint, sive dubium perstringamus ad illud lucrum, quod Colonis superest deductis impensis culturæ valore massaritii, & seminibus, ad similitudinem aliorum, qui negotiationem, & mercimonium exercent,

Primum illud maximè facit, quod immunitas Ecclesiastica; non tantum est ad personas, sed & ad bona Ecclesiarum cap. quanquam, de cens. in 6. ibi cum igitur Ecclesiæ, Ecclesiasticæque personæ, ac res ipsarum & per hunc text. tenent omnes Doct. in c. non minùs de immunit Eccles. & in aliis locis citatis ab aliis, qui ante me scripserunt pro libertate Ecclesiastica; unde cùm Coloni, vel partiarii, vel ad numos possideant Ecclesiæ, & non sibi ipsis, l. non solùm, § idem, ff. de usucap. l. communi dividundo, §. neque, ff. com. divid. l. videamus, §. possessionem, ff. de usur. & l. certè, §. his qui, ff. de precar. Socin. in cap. 1. de caus. possess. & proprietatis, n. 63. ad eos necesse est, ut transeat immunitas bonorum adinstar immunitatis realis, l. forma, §. quanquam, ff. de cens. l. actionum genera, § 1. ff. de act. & obl. & in 4. not. in l. quia tale, ff. solut. matrim. Aym. cons. 239. sub num, 4. Surdus cons. 525. num. 26 Festas. de collect. part. 4. cap. 8. n. 2. vel rectiùs dicamus, ad Colonos transire prædia cum immunitate Ecclesiastica, cùm in Colonia possideant Ecclesiæ, Abbas in cons. 9. vers. Ad secundum in primo, qui ait, quòd quando terra est privilegiata, non tenetur Colonus partiarius ad onera, huc tendit, & id, quòd post Bart. & Joan. de Plat. scripsit Paris. cons. 25. num. 10. & cons. 69. n. 6. in primo, Colonos colentes terras immunes, esse immunes, & idem in fortioribus terminis scribit Decian. cons. 6. in. 4. in privilegio particulari concesso intuitu Religionis, cujus etiam apud Ethnicos maxima semper ratio fuit, l. sunt personæ, ff. de relig. sumpt. fun. Magisque id procedit, quia immunitates conceduntur Clericis, & Religiosis ob plura onera quibus ipsi soli, & non laici gravantur, de quibus Everard. in. cons. 42. num. 15. & ideò convenit, ut hæ immunitates, quasi concessæ ex causa onerosa, transeant etiam in illas personas, quæ non jure suo, sed jure Ecclesiæ fructus percipiunt.

Accedit secundò, quòd cùm Coloni non recipiant fructus jure proprio, sed jure Domini, cui possident, cui etiam solvunt pretium fructuum, vel nummis, vel actuali cultura, non tenentur ad collectas indictas personis pro rebus, sed ad eas locator tenetur. Bald. in l. 1. sub. num. 5. C. de annonis, & tributis lib. 10. Alex. cons. 35. sub. num. 12. in 4 & clarius cons. 4 sub num. 4. in 5. Natta cons. 36. & in puncto cons. 409. Vanum igitur est istud prætendere in Colonis Ecclesiarum, aliàs id esset tollere his colonis id, quod de jure competit, & cùm non possint hujusmodi collectas repetere à locatoribus, quia sunt immunes, quemadmodum possent repetere à locatoribus laicis, ut ajunt Alex. & Natt. citati, in hoc erunt deterioris conditionis, & redderentur difficiliores ad contrahendum cum Ecclesia, quæ omnia præjudicant libertati Ecclesiasticæ, juxta traditiones Doct. in c. Cum terra de elect. in c. Ecclesia S. Mariæ de const. Anchar. cons. 12. & 13. Alex. cons. 211. num. 7. in primo. Nec obstat quòd in hoc Coloni non sint conditione deteriores Colonis laicorum, quia allegare absurdum non est solvere difficultatem: est enim absurdum, & contra justitiam collectare dominos pro prædiis, (quod utique intelligitur pro fructibus, quia nimis impium esset pro prædiis infructuosis collectare;) & ratione eorundem fructuum collectare Colonos; præsertim quia, ut audio, dum collectantur domini prædiorum, non habetur ratio fructuum pro parte Dominica tantum, sed habetur ratio ad mensuram, & quantitatem prædii, quod verò hoc sit absurdum, & contra justitiam, patet ex eo, quod jure traditum est pro eadem re duas collectas imponi non posse. Alex. cons. 78. sub num. 9. cons. 143. n. 6. & cons. 148. num. 10. in 6. Dec. cons. 284. sub num. 4. vers. Tertiò hoc idem. & in puncto Natta cons. 193. ubi, quod pro eadem re non est solvenda collecta imposita pro alendis militibus à domino directo, & à domino utili, & si diceretur hanc injustitiam non esse considerandam in Colonis Ecclesiæ, quia Ecclesia non collectatur, facilè possit responderi, quod collectare Colonos, qui ob immunitatem non possunt collectari Ecclesiæ, est per indirectum lædere libertatem Ecclesiasticam, & fraudare immunitatem.

Tertiò, si hac collecta Coloni gravarentur, minùs etiam Ecclesiastici locarent, quia onus efficit, ut res minus valeat, gloss. fin. in §. fin. ff. de usufruct. legat. Osasch. decis. 83. n. 9. & patet ad sensum, experientiaque notum est, quod qui conducunt, rationem habent onerum, quibus subjiciuntur, ex quo sequitur, quod Ecclesia minus locabit adjecto hoc onere, atque prius solita erat locare, & in hoc non dicetur amittere lucrum, sed pati damnum, quia ita ejus redditus diminuerentur, & proinde etiam diminuendus esset numerus Religiosorum, quod esset indirectè offendere libertatem Ecclesiasticam, & efficere, ut effectualiter Ecclesiastici sentiant diminutionem redditus ob collectam Colonis impositam, & ut certo modo collectam solvant, hoc manifestè reputatur à Doct. improbatum. l. si venditor. ff. de serv. export. qua ratione magis receptum est, ut emens ab Ecclesia non teneatur ad gabellam, quia ex hoc actu gesto cum Ecclesia, ipsa sentiret damnum, eo quod minus venderet, Bald. cons. 31. sub num. 2. in primo. Rol. cons. 61. num. 15. in 4. Gabr. cons. 161. n. 3. in 2. Rim. jun. cons. 724. num. 48. in 6. Gratian. discepat. forens. lib. 2. c. 390. quod illi DD. reputant indubitatum, quando jus collectandi non nascitur ex actu separato a contractu gesto cum Ecclesia, & qui contingat post contractum cum Ecclesia celebratum, sed habet dependentiam immediatè ex contractu cum Ecclesia, ut contingit in hoc casu in quo jus collectandi prætenditur ex eo, quòd Colonus percipit fructus, & non ex aliquo actu separato, quòd bene ad causam nostram est considerandum. Et quod illud quod indirectè offendit immunitatem, & libertatem Ecclesiæ, sit reprobatum, ac si directè offenderet, ab omnibus, est receptum etiam quòd de Ecclesia non fieret specialis mentio, cap. fin. & ibi gloss. de immunit. Eccles. in 6. cap. quanto de privileg. cap. statutum de hæretic. in 6. Calder. & Collegium nostrum Bon. apud Anchar. cons. 12. & 13. & Anchar. ipse cons. 155. sub num. 7. vers. eisdem Ecclesiis. Geminian. cons. 74. col. 1. vers. sicut ergo direct. Grammatic. decis. 100. n. 10. & 14. & aliis de quibus Alba cons. 8. n. 18. & Surd. cons. 301. n. 75. 76. & 77. in 3. & quamvis Gutierrez de gabel. quæst. 87. n. 6. & Parlador. lib. 1. quotid. quæst. cap. 3. §. 1. n. 16. admittant posse Ecclesiam lædi per indirectum ex gabellis impositis, ne deficiant debitæ obventiones, & jura Regalia: tamen id scripserunt ex affectione ad Regiam Majestatem, & non ex veritate; quia non legitur ex conservatione libertatis, & immunitatis Ecclesiasticæ unquam secutam fuisse diminutionem Majestatis Principum, sed maximè auctam fuisse, ideò Religiosissimè jura Hispanorum volunt libertatem Ecclesiasticam servari, & annullant Statuta quæ eam lædunt, vel Ecclesiasticis personis præjudicant, Fernan. Vasq. id testatur lib. 3. de success. creat. §. 26. n. 72. & quando etiam (quod negatur) læderentur in aliquo redditus Regii, in illis consistit utilitas publica humana, & in conservatione immunitatis, & libertatis Ecclesiasticæ consistit publica utilitas divina, l. jubemus, C. de sacrosanct. Eccles. quæ anteponitur humanæ, cap. bona memor. de postul. Prælat. l. sanci-

mus, C. de sacrosf. Eccles. & per hat jura Bart, *in l.t. in 4. opposit. subn.* 26. *ff. solut. matrim. & ex ordine littera facit* text. *in l.* 1. *hujus studii ff. de justit. & jur.* ibi *publicum jus in Sacerdotibus, & Magistr. consistit.*

Ea verò, quæ contra hoc fundamentum scripsit Menoch. *lib.* 2. *de arbitr. Jud. cas.* 5621. *num.* 46. quòd per hoc non sit inferre damnum, sed tollere lucrum, & quod per indirectum, & secundario possit Ecclesiæ inferri damnum, non sunt vera, & recepta in jure, ut constat ex allegatis antea, & cùm possunt diminui redditus Ecclesiæ soliti, non est amissio lucri, sed illatio damni.

His quarto adjungo inter colonos partiarios, & dominos geri contractum societatis in quo dominus ponit prædia, & colonus operas, & instrumenta fundi, ut fructus qui inde oriuntur æqualiter dividantur. Bart. *in l. si merces.* §. *vis major. ff. locat.* Bald. *in l.* 1. *C. pro soc. in* 7. *quæst.* sed immunitates unius socii communicantur alteri. Grat. *conf.* 130. *n.* 6. *in primo* cum aliis de quibus Surd. *d. conf.* 301. *n.* 81. & 82. Ergo, &c. Et licet multi ex Doct. loquantur quando alias immunes non gauderent sua immunitate, serviunt tamen, quia ob illud minus, quod offerrent Coloni Ecclesiastici, non haberent integram immunitatem, quemadmodum haberent, si nummis suis colerent, & qui colunt ad partem fructuum, possunt ob onera minus offerre in pactis, ex quo virtualiter semper minueretur commodum, quod Religiosi habent ex immunitate.

Et res clara magis redditur dum sermo restringitur ad collectas, quæ exiguntur pro hospitatione militum: siquidem non tenentur Religiosi in suis domibus recipere hospites, ut est text. ad litteram *in l.* 1. *C. de Episc. & Cleric.* ita nec tenebuntur Coloni, quia habitant domos Religiosorum, & consequenter nec tenebuntur ad id, quod solvitur pro hospitatione.

Tandem cùm agatur de oneribus mixtis, quæ personis injunguntur pro rebus, quale est onus hospitandi milites. Narta, *conf.* 409. *n.* 3. Lanc. Gallia. *conf.* 59. *n.* 73. ut eis sit locus, oportet ut adsit proportionabile subjectum rei, ob quod imponatur collecta, nimirum quia non datur qualitas sine subjecto. *l.* 2. *ff. de usufr.* aut igitur ministri Regii volunt collectare colonos pro prædiis quæ colunt, & non possunt, quia prædia non sunt eorum, sed Ecclesiæ, & id esset collectare rem Ecclesiasticam; quod non licet. Aut volunt eos collectare pro negotiatione, quam gerunt, dum conducunt prædia colenda, & minus possunt, quia hæc est negotiatio, quæ geritur cum Ecclesiasticis immediatè, qui sunt immunes, & proinde sunt, & illi, qui cum illis contrahunt, *ex d. conf.* Bald. 31. *in primo*, & ex aliis, qui eum sequuntur, de quibus *supra*; non enim in hac negotiatione potest separari laicale ab Ecclesiastico, cùm sit negotiatio effectus conductionis; isti enim ita negotiantur, quia conductores sunt, & non possunt considerari uti conductores, nisi simul considerentur Ecclesiastici locatores. Aut volunt eos collectare ratione lucri quod restat deductis impensis, & hoc lucrum est quid incertum, & prorsus imaginarium, quod in colonis partiariis ferè nunquam datur, qui omnes fructus in alimenta penè semper erogant, ut est notissimum, & præcipuè quia sunt (ut accepi) aliis oneribus gravati, quæ ex variis occasionibus sæpe virescunt, & nunquam arescunt, ideo super re prorsus incerta an sit, & quanta sit; onus constitui non potest, præsertim quia valde iniquum esset: & contra piam voluntatem Principis, ut pauperes collectarentur pro rebus quæ eorum alimentis necessariæ sunt. Et quando etiam daretur hoc lucrum certum, cùm illud immediatè pendeat à contractu inito cum Ecclesia, & non nascatur ex facto extrinseco; quod inde sequatur, scilicet quia illud lucrum colonos contrectare velit, non poterit collectari, quia per indirectum Ecclesia læderetur, ut antea dixi, ex distinct. Bald. *in d. conf.* 31. *in primo.*

Hanc puto esse ipsam veritatem, cui non credo obstare *conf.* Federic. de Senis 211. nam ipse loquitur, quando pars Colonica ratione gabellæ imponendæ consideratur, uti prorsus separata jure Ecclesiæ, scilicet quia gabella imponitur ratione actus extrinseci, qui oritur sine facto Ecclesiæ, postquam pars est facta Colonica, scilicet quia colonus velit vendere fructus, vel transportare de loco in locum pro venditione, vel transportatione solvet gabellam, quia hi actus nullam dependentiam habent, sed considerare, quod colonus soluto affictu, vel consignata Ecclesiæ sua parte habeat aliquod lucrum, licet illud sit laicale, habeat dependentiam à contractu cum Ecclesia inito, & non poterit collectari ad damnum, quod Ecclesia immediatè sentiret; ita declarat Menoch. *conf.* 136. *n.* 19. *in* 2, ubi plura ad casum nostrum refert. Accedat etiam quod quando probaretur in facto ex impositione fieri, ut Ecclesia difficilius inveniat colonos Federic. faceret pro nobis, & alia responsio ad hoc conf. est apud Narram *d. conf.* 409. *num.* 6.

Nec etiam obstat, quod Menoch. *cas.* 562. *lib.* 2. *de arbitr. judic.* referat plures tenentes hanc opinionem, & pauciores tenentes contrariam, quia ut deserviat causæ pro prima opinione allegat plures, qui non erant allegandi, & pro secunda omittit plures, qui poterant allegari; nemo ex allegatis ab eo contra nos, Innoc. & Abb. loquuntur in casu particulari adventus Principis: Salic. in fisco non in Ecclesia. Joan. de Plat. in gabella solvenda ex actu extrinseco post acquisitionem, Fel. sequitur Federic. tantum in secundo dicto, scilicet quod coloni non teneantur, quando Ecclesia non inveniret colonos. Bertach. & Luc. de Peruta, & Brun. loquuntur de emphyteuta, qui habent jus in re, Rol. *in conf.* 66. *n.* 29. *in primo*, in genere firmat colonos posse collectare, & in specie non loquitur de colonis Ecclesiæ Gabr. *conf.* 73. *n.* 5. *in princ.* apud me de hoc non loquitur, Marcabr. examinat tantum *conf.* Anchar. 162. & inclinat in contrarium, & alii sunt qui loquuntur, ut Bursat. *conf.* 25. *n.* 3. in gabellis pro reficiendis pontibus, & viis pro quibus dicitur teneri Ecclesiam in subsidium laicorum ad nutum sui superioris Ecclesiastici, ideo nimirum si etiam coloni tenentur.

Pro opinione autem nostra omittit Menoch. allegare Eugen. *conf.* 96. Natta *conf.* 409. & alios multos, quos allegant Surd. *d. conf.* 301. *n.* 79. *in tertio*, & Lanc. Gallia *d. consil.* 59. *n.* 76. & illos, qui tenent emphyteutam non posse collectari, qui in fortioribus terminis faciunt, ita, ut verè potius dici possit pro parte nostra extare communem opinionem, ut testatur Eugen. *d. conf.* 96. *n.* 8. Amplius rationes ipsius Menochii non plurimum obstant, quia licet fructus sint proprii colonorum, & ex mutatione personæ mutetur conditio bonorum, tamen quatenus hi fructus fiunt colonorum, & mutatur conditio personæ immediatè ex actu gesto cum Ecclesia, non debetur gabella rationibus jam adductis, quando postea sunt apud colonos, si contingat eos vendi à colonis, vel asportari de loco ad locum, tunc intrat ratio Menoch. & si ex negotiatione mercium collecta potest imponi, id negamus procedere, quando negotiatio est cum Ecclesia.

Nec licet argumentarii de emphyteuta ad colonum, quia emphyteuta est dominus proprietatis, & fructuum, & majus jus habet in re, pro qua collecta imponitur, Soc. *conf.* 119. *in princ. in primo.* nec Ecclesiæ ita sunt necessarii emphyteutæ quemadmodum coloni, nec ita frequentantur locationes ad longum tempus, quemadmodum locationes ad breve tempus; ideo magis læditur Ecclesia, si coloni gravantur, & minus si emphyteuta, ob id de uno ad alium non licebit

bit arguere, & ita etiam respondetur rationibus Thesaur. *in dec.* 116. quia sunt his similes.

Nec negotium facit, quod aliqui coloni fuerint collectati Ecclesia non repugnante; quia hoc factum particulare quorundam non potest præjudicare Ecclesiæ in universum: nec in hoc valet consuetudo contraria. Marcabrun. *cons.* 18. *num.* 319. & Everard. *d. Cons.* 42. *num.* 38.

Et hæc scripta, nedum procedunt ad favorem eorum, qui hanc colonicam portionem nunquam solverunt, sed etiam ad favorem eorum omnium, qui cum pugnantia, seu protestationibus solverunt, quia protestatio, & repugnantia tollit consensum; & de repugnantia constat, quia curarunt declarari excommunicatos exactores, prout de facto declarati fuerunt, qui pro solutione impetranda ab ipsa excommunicatione, male exacta restituerunt, addito juramento ad talem colonicam nunquam in posterum exigendam, ut intelligo constare apud acta pœnitentiariæ, seu Cancellariarum Episcopalium Civitatum Status Mediolanen.

Laus Deo, & Virgini.

Ita juris esse sentio ego Hieronymus Buccaferreus I.C. Bonon. in patria Gymnasio Juris Cæsarei ordinarius Professor.

RESPONSUM II.

D. Hieronymi Buccaferrei I.C. Bononien. in Patriæ Gymnasio Juris Cæsarei ordinarii Professoris, necnon sanctiss. Inquisit. egregii Consult.

In quo acrioribus rationibus in jure & in facto magis confirmatur immunitas colonorum Ecclesiæ, singulariter pro illa parte, quæ illis tanquam propria, & laicalis remanet solutis Dominis: Contrariorumque opinio confutatur. Quin & ostenditur, quod nec proprio, nec alio nomine colonica hæc pars unquam collectata fuerit, seu minus pacificum consensum, aut concessum, nec immemorabilem sortitia sit.

Auspice Christo.

NUlla juris, vel æquitatis ratio patitur, ut fructus, labor, seu negotiatio, vel usus animalium, colonorum, personarum Ecclesiasticarum possint, vel debeant collectari à laicis, quod prius deducitur ex parte Ecclesiæ, deinde ex parte colonorum, postea ex parte ministrorum collectantium, & postremo ex natura bonorum, quæ coluntur. Ex parte Ecclesiæ duplici ratione: Primò, quia ex hac collectatione sequeretur damnum Ecclesiæ, quod locaret minus quàm antea. Bald. *cons.* 31. *in primo*, quem alii priùs allegati seqvuntur, præsertim Dec. *cons.* 48. *col.* 2. Rol. *consil.* 61. *n.* 20. Gabr. *cons.* 158. *n.* 5. & *cons.* 161. *in secundo*, optimè Purpurat. *cons.* 594. licet loquatur quando ageretur, ut coloni tenerentur ad collectam pro Ecclesia, nec dicendum hoc non esse pati damnum, sed lucrum perdere, quin imo est damnum, cùm diminuantur redditus Ecclesiæ, quæ minoris, & cum gravioribus conditionibus locabit, & ita Ecclesia non perdit lucrum quod sperat, sed perdit id, quod jam acquisivit. Nec objiciendum damnum esse modicum, non offendere Ecclesiam principaliter, & directè, sed indirectè, & secundariò, quin imo principaliter læditur Ecclesia: quia coloni minori affictu, & melioribus conditionibus conducendo, erunt in causa, ut totum damnum sit Ecclesiæ, præterquàm quod lædi non potest Ecclesia, nec etiam in modico, nec principaliter, nec secundariò, nec directè, nec indirectè, *cap. fin. de immunit. Eccles.* Marta *de jurisdict. part.* 4. *Centuria prima, cas.* 13. *num.* 19. 20. & 21. & quamvis Bald. *cons.* 496. *in quarto.* admittere videatur id ex quo sequitur, ut Ecclesia minori pretio vendat, vel locet, subjungit tamen in fine hæc verba, *hæc tamen opinio aliqualiter me remordet*, quia intentio statuentium est implicita ad propria commoda & Ecclesiarum damna: ex quibus verbis constat Bald. hoc non firmare, firmat autem contrarium resolutè *in dict. cons.* 31. *in primo.* Alia ratione sequeretur damnum, quia cùm sint coloni aliis pluribus oneribus gravati, si hoc aliud adjungatur, difficile erit Ecclesiasticis adinvenire colonos, & ob hoc solum laici non poterunt hos colonos collectare. Federic. de Senis *dict. cons.* 111. *sub num.* 10. *vers. veruntamen*, quem alii seqvuntur Felin. *in cap. Eccles. Sanctæ Mariæ, num.* 99. *de constitut.* Joan. de Amic. *cons.* 18. Bursat. *cons.* 42. *n.* 19. *in primo.* Joan. Vincent. *de Anna. singul.* 99.

Ex parte colonorum, quia ad gabellas, & collectas non tenentur, nisi imponantur ex actu qui intrinsecus adveniat, & qui cum facto Ecclesiæ nihil commune habeat, non autem ex actu, qui immediatè nascatur ex contractu inito cum Ecclesia; distingvit ita Bald. *in dict. cons.* 31. *in primo.* cum aliis in informatione allegatis, lucrum autem, negotiatio, & usus animalium immediatè pendent ex contractu gesto cum Ecclesia, & lucrum, seu acquisitio fructuum, est affectus ejusdem contractus: ergo pro his coloni non tenentur ad collectas. Alia etiam ratione, quia, ut dixi in informatione, ipsi nec sunt domini, nec possessores prædiorum, pro quibus solent imponi onera mixta, quale dixi esse onus hospitationis militum, ideo non tenentur.

Et addo text. *in l. inter eos in fin. ff. ex quibus causis major.* ubi medici qui inserviunt militibus, ut alacriùs in Repub. serviant, gaudent privilegio militum, ergo idem erit in colonis, qui inserviunt Religiosis, ut commodiùs cultui divino inservire valeant, regulariter enim licet arguere de militibus ad clericos Doctor. *in l. Centurio. ff. de vulg. & pupil. subst.* ita arguit Zuchard. *inter cons.* Rim. Sen. *cons.* 739. *num.* 9.

Ex parte collectantium primo, quia jure singulari eis concessum sit, ut colonos Ecclesiæ urgeant ad varia onera, convenit, ut in onere de quo agitur non graventur, ne specialia multiplicentur, & ut in aliquo, vel modico Ecclesiæ coloni sint melioris conditionis, & cum jam pluribus abhinc annis Senatus Mediolani habeat hoc commodum ut bona laicorum transeant in Clericos cum oneribus, hoc contentus, non debet quærere indicere has collectas colonis Ecclesiarum, quæ redundant in damnum Ecclesiasticorum.

Habentque Senatus, & Regius Fiscus laicos colonos sufficientes ad onera collectarum, dommodo, ut decet, eos gravent tantum pro causis necessariis: ideo non convenit ut petant auxilium à colonis Ecclesiasticorum, Gallia. *cons.* 59. *num.* 54. cum allegatis ab eo, quibus addi etiam potest Marta *d. casu* 13. *in fine.*

Tandem ex parte bonorum, quia in immunitate sunt cum personis Clericorum privilegiata privilegio reali, unde sequitur id quod scripsit Decian. *cons.* 41. *num.* 14. *in tertio*, quod qui colit prædium immune, immunis sit. Et quamvis Antonin. Thesaur. *in addit. ad decis. patris* 116. teneat privilegium esse personale Clericorum, & ob personas bona habere immunitatem, id colligens ex eo quod videmus hujusmodi bona deponere hoc privilegium, quando alienantur in laicos, tamen non respondet ad text. *in cap. quamquam, de cens. in sexto.* in quo copulantur personæ, & res ad idem privilegium, & natura copulæ est copulare æquè principaliter, quando in sua natura non continet accessionem, ut contingit in copula *cum* Bart. *in l.* 1. *num.* 2.

num. 2. ff de pecul. legat. Decian. *cons. primo, n. 179. in primo,* & est eadem ratio in bonis, & personis, ideo immunes sunt personæ, quia sunt Deo dicatæ, & idem in bonis, quia bona Ecclesiastica sunt in dominio Christi. Anastas. Germon. *de sacrorum immunit. lib. 3. c. 17. n. 11. & 12.* eademque est ratio, non per consequentiam, sed principaliter, consequentia tantum considerari posset in patrimonialibus Clericorum secundùm opinionem eorum, qui existimant etiam patrimonialia Clericorum esse immunia, nec ratio considerata à Thesaur. obstat, quia privilegium bonorum Ecclesiasticorum est reale, sed quatenus durant Ecclesiastica, quando transeunt ad laicos cum debitis solemnitatibus, deponunt hanc qualitatem, & proinde etiam deponunt privilegium, non ex eo, quod privilegium non sit reale, dum manent Ecclesiastica: Decisio autem Rotæ, quam ad hoc ipse Thesaur. *allegat. 26. in 2. part. noviss.* apud me nihil de hoc loquitur.

Resolvendum est igitur pro colonis, quod maximam præsefert æquitatem in colonis partiariis, qui ut plurimum non colligunt fructus ad eorum alimenta necessarios, hos non convenit collectare, etiam quod essent coloni laicorum, ut post Bald. *in authent. defuncto C. ad Cartul.* & gloss. *in l. omnes prima, C. de annon. & tribut. lib. 10.* tenet Caroc. *de locat. sub rub. de collect. num. 79.*

Ea verò, quæ pro fisco allegantur facillimè solvuntur, quia ad primum dicitur exemptionem Religiosorum non solùm esse personarum, sed etiam rerum, & prædiorum, ut jam probavi.

Non obstat secundum, scilicet privilegium immunitatis, uti stricti juris, strictè esse intelligendum, quia id procedit in privilegio particulari certæ personæ, vel certo generi personarum competente, ut ostendunt allegata, nos in privilegio competente in universum Religiosis omnibus Ecclesiæ servientibus insertum in corpore juris, quod cum jure, tam humano quàm divino concedatur, *d. cap. quamquam de cens. in sexto,* non potest dici stricti juris. Præterea non prætendimus in defensione causæ nostræ tractare de extendendo privilegio, sed de eo conservando, ne indirectè offendatur, & indirectè satis dicitur offendi, quando quoquomodo fit, ut effectualiter Ecclesia non habeat suum privilegium, gloss. *in cap. quanto, in verbo quodammodo, de privileg.* ut contingeret in hoc casu, quia Ecclesia ratione oneris injuncti colono, minori affictu locando, effectualiter persolveret onus.

Non officit tertium, quòd fructus separati à solo sunt colonorum, quorum ratione possunt collectari, quemadmodum etiam tenentur ad decimas. Istud est argumentum Federic. de Senis, cui respondi in informatione mea, nec simile de decimis quadrat, quia decimæ propriè afficiunt fructus, cùm sint pars, & quota eorum, nos tractamus de onere personis pro rebus imposito, quod probavi totum esse domini prædiorum, non colonorum, ne sequatur, ut ratione ejusdem rei bis collectæ imponatur, ut latiùs dixi in informatione. Doct. allegati loquuntur, quandò secundum valorem fructuum regulatur collecta, & in colonis laicorum, qui non possunt ex persona dominorum habere aliquod privilegium, licet Morot. *cons. 36.* apud me hoc non loquatur.

In quarto advertendum est negotiationem locandi, & conducendi non esse prohibitam Ecclesiasticis, de bonis Ecclesiæ, unde negotiantibus cum illis, competere debet immunitas, ne Ecclesiastici lædantur, ut scribit de emptore loquens Bald. *cons. 31. in primo,* aliàs allegato cum aliis, qui eum sequuntur, cui non repugnat Bart. *in l. licitatio, & fin. ff. de public.* quia loquitur de actu intrinseco non habente dependentiam à contractu gesto cum Ecclesia, scilicet de actu transportationis, de quo dixi latiùs in informatione. Addo quod in oneribus extraordinariis Bart. tenet contrarium, scilicet immunitatem transire in emptorem. Archid. *in cap. fin. de cens. in sexto,* de hoc non loquitur Bertach. *de gabel. part. 9. in q. 7. tract.* an clerici teneantur ad collectas, etiam aliqua dicit secundum sensum Federic. de Senis. sed de emente ab Ecclesia nihil.

Quintum fundamentum est Feder. de Senis, habet propterea eandem responsionem, & resolvitur secundum distinctionem Bald. *in dict. cons. 31. scilicet* quod mutata conditione personæ, mutatur & conditio rerum respectu ejus, quod contingit post mutationem, non respectu ejus quod immediatè pendet ab actu producente hanc mutationem, & cùm hæc collecta hospitationis injungatur ratione prædii, spectanda esset mutatione personæ respectu prædii, non respectu fructuum. Accedat quod hæc mutatio personæ consideranda est, quando agitur de personali privilegio, non procedit, quando bona sunt ex se privilegiata, quia sunt Deo dicata, & ita respondet egregie Silvan. *in citato cons. 9. n. 22.* respondendo iis, quæ scripserat *sub num. 5.*

Ad sextum de emphyteuta, dicitur opinionem esse valde controversam. Caval. *in speculo com. opinion. quæst. 731.* & veriorem esse opinionem, emphyteutam non teneri, Silvan. *cons. 9.* Sfort. Oddus. *cons. 70. n. 31. cum seq.* sed quicquid sit, emphyteutæ casus est in fortioribus terminis, quia habet jus in re, sibi possidet, & jure proprio fructus habet; secus in colono, unde non procedit argumentum affirmativè, id est, ita servatur in emphyteuta, ergo idem in colono, sed negativè tantum.

Ad septimum respondetur, imò immunitatem esse, nedum personalem respectu onerum personalium, sed etiam realem respectu onerum realium, & eorum, quæ pro rebus imponuntur personis.

Octavum de separatione fructuum, jam sublatum est in responsione ad tertium.

Circa nonum, dicitur dispunctis illis Doct. qui non faciunt, licet citentur à Menoch. *in d. cas. 562.* ut in informatione mea, & additis illis, qui pro colonis scribunt, allegatis *in addit. ad d. decis.* 116. Thesaur. apparebit, imò pro parte nostra extare opinionem communem, ut testatur Natta *in cons. 409.* & Purpurat. *cons. 594.* facit pro nobis, dum considerat rationem, quod Ecclesia minori affictu, & gravioribus pactis locaret, & Antonin. Thesaur. *in hospitat. militum.* tenet pro nobis.

Ad ultimum, de observantia respondetur, quòd cùm immunitas Ecclesiæ Religiosorum, & bonorum eorum sit juris divini, nulla observantia, & contraria consuetudo erit servanda, quam Canones damnant, & corruptelam vocant, *in d. cap. quanquam de cens. in sexto* dicitur, & ibi notant Doct. & Joseph. Ludovic. *conclus. 38. illat. 78.* formaliter non loquitur, ut allegatur, sed supposito, quod Ecclesia possit collectari, quod intelligitur datis habilibus terminis si dubitetur, an etiam collectari possit pro bonis quæ postea acquirit, dicitur observantiam id declarare: non ergo dicit observantiam inducere obligationem ad collectas, sed inductam obligationem declarare, & ita loquitur Corn. *cons. 203. num. 7. in primo,* quem ipse citat, Et quatenus pars adversa allegat consuetudinem, observantiam, vel immemorabilem possessionem probare tenetur, tum quia hæc sunt facti, & non præsumuntur *l. in bello §. facta de capt. & postlim.* tum quia sunt, vel fundamentum suæ intentionis, vel concernunt quantitatem necessariam ad fundamentum suæ intentionis. *l. qui accusare. C. de edendo, l. ei qui dicit. ff. de probat.* Bart. *l. prima. §. quod autem. ff. ne quid in flum. public.* Tiraquel. *de retract. lignag. §. 8. gloss. 7. n. 1.* & omnia hæc essent probanda fuisse observata, parte Ecclesiasticorum non contradicente.

Et

Et quando etiam partes nostræ essent probare negativam hanc, scilicet non esse pro adversariis observantiam aliquam, seu consuetudinem exigendi has collectas, vel quia ageretur de solo possessorio, vel alia ratione, facile probari poterit producendo processus, & acta quibus probatur, quod quando pro parte fisci tentatum fuit exigere, Ecclesiastici contradictionem fecerunt etiam declarando excommunicatos exactores. His liquidò constabit non adesse observantiam, & consuetudinem nisi turbidam, & cum contradictione, quæ nihil operatur. Peregr. *consil. 73. sub num. 19. vers. primo negando in quinto.* Seraphin. *decis. 381. n. 14.* pariter non est consuetudo ad operationem aliquam eo quod quando datur judicium, ut datur quando adest contradictio *c. forus de verb. signific.* non est consuetudo, nisi secundum eam sit obtentum. Bald. *cons. 210. in primo.* Aret. *in §. ex non scripto, num. 16. Inst. de jure naturali.* Ruch. de Curt. *de consuet. num. 361.* Menoch. *cons. 187. sub numer. 57. in secundo.* cùm primùm igitur ex processibus productis constat non fuisse obtentum pro collectis, imò contra eas cùm exactum fuerit restitutum, satis manifestè probata est negativa non extare observantiam, vel consuetudinem destruentem intentionem nostram, imò constare Ecclesiasticos esse in possessione, ut eorum coloni non collectentur, & hunc esse causæ ultimum statum; quia cùm laici contenderent hospitari milites apud colonos Ecclesiarum, vel hac ratione aliquid ab illis exigere, idque vi fecissent, doluissentque de hoc Ecclesiastici apud Magistratum, responsum fuit, hoc non esse actum ex intentione ipsius Magistratus. Hæc dicta sunt ex abundanti; tum quia de hoc satis plenè scripsit Excellentiss. Advocatus D. Michael Angelus Catia *in tertio, & quarto articulo suæ informationis:* tum etiam quia ex jam dictis puto partem nostram (maximè dum agitur de petitorio) esse satis fundatam in jure communi, & ad partem adversam pertinere probare.

Ex his puto causam Religiosorum esse positam in tuto, & quando res esset dubia (quod negatur) ita pronunciandum esset, tum favore Ecclesiæ, & Religionis: tum odio collectarum, & ita sperandum est.

Laus Deo, & Virgini.

Ita juris esse sentio ego Hieronymus Buccaferreus I.C. Bonon. in patria Gymnasio Iuris Cæsarei ordinarius Professor.

24 Probatur tandem ex verbis *Bullæ Cœnæ Domini* §. 18.

Quive collectas, decimas, talleas, præstantias, & onera clericis, Prælatis, & aliis personis Ecclesiasticis, ac eorum, & Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum bonis, illorumque fructibus, redditibus, & proventibus hujusmodi, absque Romani Pontificis speciali, & expressa licentia imponunt, & diversis, etiam exquisitis modis exigunt; aut sic imposita, etiam à sponte dantibus, & concedentibus, recipiunt. Nec non, qui per se, vel alios directè, vel indirectè prædicta facere, exequi, vel procurare, aut in eisdem auxilium, consilium, vel favorem præstare non verentur, cujuscunque sint præeminentiæ, dignitatis, ordinis, conditionis, aut status, etiamsi Imperiali, aut Regali præfulgeant dignitate, seu Principes, Duces, Comites, Barones, & alii potentatus quicunque etiam Regnis, Provinciis, Civitatibus, & terris quoquomodo Præsidentes Consiliarii, & Senatores, aut quavis, etiam pontificali dignitate insigniti. Innovantes decreta super his per sacros Canones, tàm in Lateranensi novissimè celebrato, quàm Conciliis generalibus edita, etiam cum censuris, & pœnis in eis contentis.

Hinc advertendum est cùm Jo. Bapt. Scortia *in exposit. hujus bullæ eod. can. 18.* quòd habetur ferè similis excommunicatio Bonifacii VIII. contrà exigentes à clericis, aliisque Ecclesiasticis personis hujusmodi vectigalia, tributa, & onera, quæ excommunicatio refertur in *cap. quamquam, de censib. lib. 6.* ubi habetur, ut ille, qui eam excommunicationem incurrit, non absolvatur, & quod Universitas similiter non liberetur ab Ecclesiastico interdicto, donec integrè satisfaciat. Idem Bonifacius tulerat excommunicationem contra imponentes; & exigentes tallias ab Ecclesiasticis personis, quam extenderat ad accipientes, etiam à sponte dantibus; necnon ad ipsos Ecclesiasticos, & clericos, si absque summi Pontificis licentia speciali, spontè darent, quam excommunicationem sibi reservavit, supponendo pariter Universitates interdicto, si tali committerent, *cap. clericis de immunit. lib. 6.*

Sed Benedictus XI. in *extravag. quod olim de immunit.* revocavit supradictum decretum Bonifacii VIII. in hoc, nempè, ut excommunicatio, & interdictum, non haberent locum in illis, qui accipiunt à clericis, & Ecclesiasticis, liberè, & voluntariè solventibus. At Clemens V. utrumque decretum Bonifacii, & Benedicti revocavit, ut habetur in *Clem. quoniam, de immunitat. Eccles.* præcipiendo, ut solummodò solveretur, *cap. non minùs, & cap. adversus de immunitat. Eccles.*

In concilio verò Lateranen. sub Leone X. *sess. 9.* innovatæ sunt omnes censuræ excommunicationis, interdicti, & depositionis latæ contra imponentes Ecclesiasticis talia onera, & exigentes etiam à spontè dantibus, & consentientibus; & prætet prædictas pœnas, quas voluit contravenientes eo ipso incurrere, addit etiam inhabilitatem ad omnes actus legitimos, & reddit illos intestabiles.

Demum accessit supradicta in *can. 18. Bullæ Cœn.* in qua innovantur à Summo Pontifice decreta super his, per Sacros Canones, tam in Lateranensi novissimè sub Leone X. celebrato, quam in aliis Conciliis Generalibus editis, nempè in *cap. non. minùs, & cap. adversùs de immun. Eccles.* cum censuris, & pœnis in eis contentis, de quibus etiam meminit Concil. Trident. *sess. 25. cap. 20. de refor.* cujus verba, cùm ad præsentem materiam Ecclesiasticæ libertatis non solùm hujus Quæsiti, sed etiam duorum antecedentium plurimum faciant, hic recensentur.

Cupiens Sancta Synodus Ecclesiasticam disciplinam in Christiano populo non solum restitui, sed etiam perpetuò sartam rectam à quibuscumque impedimentis conservari, præter ea, quæ de Ecclesiasticis personis constituit, seculares quoque Principes officii sui admonendos esse censuit, confidens, eos, ut catholicos, quos Deus sanctæ Fidei, Ecclesiæque protectores esse voluit, jus suum Ecclesiæ restitui non tantùm esse concessuros; sed etiam subditos suos omnes ad debitam erga Clerum, Parochos, & superiores Ordines, reverentiam revocaturos, nec permissuros, ut Officiales, aut inferiores Magistratus, Ecclesiæ, & personarum Ecclesiasticarum immunitatem, Dei ordinatione, & Canonicis sanctionibus constitutam, aliquo cupiditatis studio, seu inconsideratione aliqua violent: sed unà cum ipsis Principibus debitam sacris Summorum Pontificum, & Conciliorum Constitutionibus observantiam præstent. Decernit itaque, & præcipit Sacros Canones, & Concilia Generalia omnia, libertatis Ecclesiasticæ causâ, & contra ejus violatores edita, quæ omnia præsenti etiam decreto innovat, exactè ab omnibus observari debere: propterèaque admonet Imperatorem, Reges, Respublicas, Principes, & omnes, & singulos, cujuscunque status, & dignitatis extiterint, ut quò largiùs bonis temporalibus, atque in alios potestate

sunt

sunt ornari, eo sanctiùs, quæ Ecclesiastici juris sunt, tanquam Dei præcipua, ejusque patrocinio tecta, venerentur: nec ab ullis Baronibus, Domicellis, Rectoribus, aliisve Dominis temporalibus, seu Magistratibus, maximeque ministris ipsorum Principum, lædi patiantur; sed severe in eos, qui illius libertatem, immunitatem, atque jurisdictionem impediunt animadvertant: quibus etiam ipsimet exemplo ad pietatem, religionem, Ecclesiarumque protectionem existant; imitantes anteriores optimos, religiosissimosque Principes, qui res Ecclesiæ sua imprimis auctoritate, ac munificentia auxerunt, nedum ab aliorum injuria vindicarunt. Adeoque ea in re quisque officium suum sedulò præstet; quo cultus divinus devotè exerceri & Prælati cæterique clerici in residentiis, & officiis suis quieti, & sine impedimentis, cum fructu, & ædificatione populi permanere valeant.

Ex quibus verbis præsentis canonis oriuntur dubitationes infrascriptæ.

25 Prima, an ad incurrendam excommunicationem hujus Canonis sufficiat supradicta onera Ecclesiasticis personis imponere sine licentia Papæ, etiamsi nulla exactio subsequatur. In qua dubitatione Franc. Card. Tol. *in exposit. hujus Bul. num. 6. & 8.* videtur tenere quod sic, ut scilicet ad hoc, ut quis incurrat in supradicti canonis excommunicationem, sufficiat, quod imponat supradicta onera Ecclesiasticis personis, etiamsi nulla subsequatur exactio, quam sententiam videtur sequi *Sayr. in explicat. ejusdem canonis, in princ. lib. 3. Thes. Tom. 1. c. 22.* ubi asserit, quòd vi prædicti canonis, excommunicantur primò imponentes decimas, &c. secundò exigentes, tertiò recipientes.

Hoc idem tenet Suar. *ibid. disputat. 21. de censur. sect. 2. num. 99.* in quo loco fatetur, hujusmodi censuram ferri ad defensionem Ecclesiasticæ libertatis contra eos, qui collectas &c. Ecclesiasticis personis absque Romani Pontificis licentia imponunt, aut sic impositas, etiam à sponte dantibus, & concedentibus recipiunt; unde cum alternativè loquatur, per dictionem, illam, *aut*, videtur proculdubio docere, quòd ad contrahendam hanc excommunicationem sufficiat, dicta onera Ecclesiasticis personis imponere, etiamsi nulla subsequatur exactio: & statim atque Consules, seu Rectores Civitatum, &c. collectas & talias &c. imponunt clericis, incidant in prædictam excommunicationem; ratio est, quia in alternativis satis est alterum adimpleri, *cap. in alternativis de reg. juris in 6.*

Videtur tamen, contrariam sententiam (si verba *hujus can.* 18. perpendantur) esse veriorem, atque adeò ut quis incurrat hanc excommunicationem, non solum requirit, quòd imponant supradicta onera personis Ecclesiasticis, sed etiam quod deveniant ad realem exactionem.

Probatur ex contextu verborum *d. §. 18. Absque Romani Pontificis speciali, & expressa licentia imponunt: & diversis etiam exquisitis modis exigunt*, in quibus Romanus Pontifex copulativè loquitur: ut patet ex illa copula, & quæ mediat inter ly, *imponunt*, & inter ly, *diversis etiam exquisitis modis exigunt*; ergo ut quis incurrat in prædictam censuram, non tantùm requiritur, quod similia onera imponat, sed etiam quòd deveniat ad realem eorum exactionem; ratio est, quia copula, &, naturaliter exigit omnia conjuncta simul esse, ut in *l. si quis ita ff. de verb. oblig.* & eo magis ostenditur esse verum; quoniam sumus in pœnalibus, in quibus strictè fit interpretatio; tum quia non est recedendum à proprietate verborum, ut omnia jura clamant.

Attamen licèt hoc videatur esse verùm secundùm dispositionem *præsentis can. 18.* nihilominùs, imponentes ut suprà, hujusmodi onera Ecclesiasticis personis; quamvis deinde non deveniant ad realem exactionem; incidunt tamen in excommunicationem, quæ continetur in *can. 15.* ubi excommunicantur, qui statuta, ordinationes, constitutiones pragmaticas, seu quævis alia decreta quomodolibet fecerint, ordinaverint, & publicaverint contra libertatem Ecclesiasticam; sed qui imponit onera prædictis Ecclesiasticis, ad minus dicitur facere ordinationem contra immunitatem Ecclesiæ, ergo contrahit excommunicationem *dicti can. 15.*

Unde benè dixit Suar. *hoc eodem loco in princip.* quòd hæc prohibitio virtualiter continetur in præcedentibus: nam sive hæc impositio, & exactio fiat per modum statuti, sive per modum præcepti, aut quacunque alia ratione; incurritur tamen dicta censura. Idem affirmat Joan. Bapt. Scorcia *in select. Sum. Pontif. Constit. Epit. 166. Theor. 427.*

Secundò dubitari potest, an imponentes prædicta onera, & exigentes ab Ecclesiasticis pro bonis eisdem largitis, aut emptis, incidant in eandem excommunicationem? Respondeo affirmativè quia ut patet ex verbis *ejusdem can. 18.* nimirum, *ac eorum, & Ecclesiarum, &c.* virtute quorum, Ecclesiasticorum bona simpliciter efficiuntur immunia ab hujusmodi onerum impositione, & dum textus ipse generaliter loquitur de Ecclesiasticorum bonis, generaliter est intelligendus de quibuscunque bonis, sive patrimonialibus, sive donatis, emptis, aut quovis alio titulo quæsitis: ratio est, quoniam lex generaliter loquens, generaliter debet intelligi, & quando disponit, nec distinguit, simpliciter quoque intelligenda est, nec nos distinguere debemus, arg. text. *in l. de pretio ff. de publ. in rem act. & l. 1. §. generaliter, ff. de legat. præst.* 26

Ratio verò, qua clerici sunt immunes ab hujusmodi oneribus, est, quia collectæ principaliter imponuntur personis subditis, & secundariò earum rebus, ut *in l. rescripto, & l. fin. ff. de muner. & honorib.* clerici autem laicis non subduntur, ut *superioribus Quæstiis* satis ostensum est, ergo, &c.

Idem dicendum est, & à fortiori de bonis Ecclesiasticis donatis pro titulo sacrorum Ordinum loco beneficii, juxta decretum Conc. Trid. *sess. 21. de reform. cap. 2.* quia tunc bona illa gaudent omnibus Ecclesiæ privilegiis: ut per gloss. *in c. si Episcopus*, & Dec. *ibid. n. 20. de preb.* Fel. *in c. Ecclesia S. Mariæ, n. 10. de constitution.* 27

Tertiò oriter dubium, an imponentes, & exigentes collectas, seu gabellas à clericis negotiatoribus, incidant in excommunicationes *ejusdem §. 18.* 28

Ad quod relictis argumentis, quæ in contrarium solent adduci, negativè respondeo, quoniam clerici negotia exercentes pro rebus suæ negotiationis non fruuntur privilegio Ecclesiastico, & consequenter non sunt immunes à gabellis, & oneribus laicorum; & sic laici exigentes tales collectas à clericis negotiatoribus non ligantur præsentis canonis censura: ita affirmant Dec. *in cap. Ecclesia S. Mariæ, n. 171. de const.* & Felin. *ibid. n. 105.* & alii, quos citat & sequitur Leonard. Duard. *in Com. Cænæ lib. 2. in d. can. 18. q. 8. n. 3.* Affirmans hoc intelligendum esse de negotiatione illicita, quæ juri naturali, seu divino contraria est. Secus autem si esset licita secundùm se, & illicita secundùm circumstantiam personæ.

Cavendum tamen est, quòd clericus, sive alter Ecclesiasticus non dicitur negotiator, si proprios agros per operarios, vel famulos suos coleret, & deinde venderet fructus, illosque distribueret; vel si sal ex salinis propriis per eosdem operarios, & famulos conficiendum curaret, & distraheret, non solum in magno pondere, sed etiam, ut vulgari utar vocabulo, ad minutum; & quod dico de sale, intelligo etiam de vino, oleo, uva, & similibus: quia cum hæc clericus, sive alter 29

Eccle-

Ecclesiasticus ex rebus suis colligat, deinde vendat, non dicitur propriè negotiari: ita Panorm. *cons.* 6. *part.* 1. Cram. *cons.* 163. Bertachin. *in tractatu, de gabellis part.* 7. *col.* 4. Campan. *in repet. extrav. Clementis VII. contra clericos non incedentes in habitu; & cons. n.* 128. Rolandus à Valle *in cons.* 71. *l.* 4. *nnmer.* 5. Tolet. *in summ. lib.* 1. *cap.* 38. *vers. undecimo habetur*, Aufrer. *tract. de potestat. secular. Eccles. regula* 2. *fallent.* 32.

Ex his tamen non licèt inferre, posse clericum, sive Ecclesiasticum tenere tabernam, & vinum, quod ex possessione sua, vel Ecclesiæ colligit personaliter, & per seipsum vendere, licèt possit illam etiam in domibus Ecclesiæ tenere, & vinum per alium vendere, Gem. & Fran. *in c. unic. de vita, & honest. cler. in* 6. & alii quos congerit Lambert. *de jurepatr. lib* 2. *part.* 1. *q.* 6. *art.* 26. *n.* 4. Idem dicendum erit, si Monasterium in suis possessionibus venam ferri, aut alterius metalli habeat, & ex ea ferrum, aut metallum opera ministrorum conductorum conficiendum curet, illudque vendat: aut si eandem venam emat, & ex ea per suos Monachos metallum efficiat, & vendat: quoniam hoc modo non dicitur negotiari, sed emere materiam, quam Ecclesiasticorum ministerio in metallum transmutatum distrahi, ut per Leonard. Duar. *in Comment. Bulla Cœna lib.* 2. *can.* 18. *q.* 8. *n.* 16. §. *non tamen licitum, in fine.*

30 Sciendum tamen est, quòd nonnulli extant casus in quibus negotiatio clericis permittitur, etiam earum rerum, quæ emptæ, immutatæ cariùs venduntur.

Et primus casus est, ubi clerici adeò paupertate laborarent, ut se, suamque familiam aliter, quam per negotiationem prædictam sustentare non possent: quoniam eo casu licitè possent negotiari, non tantùm per alios, sed etiam per seipsos, ut per Imol. *in cap. fin. sub. n.* 13. *de vit. & honest. cler.* & Navar. *in Man. c.* 25. *sub num.* 110.

Secundus casus est, si clericus emeret res aliquas ad propriam, & familiæ sustentationem pro victu totius anni; & præter ipsius intentionem, ex eis aliquid superfit; nam eo casu, illud, quod supererit, potest revendere, absque alliciatæ negotiationis nota; quia illa venditio est per accidens, de qua nulla ratio habenda erit.

Tertius casus est, quando clericus emit ad proprium, ac suotum usum necessaria absque revendendi animo, & deinde illorum pretium accrescat, ex cujus excessu clericus ipse allicitur ad eadem distrahendum; intendens deinde viliùs emere posse res similes; potest illa revendere cariùs, quàm emerat; illudque lucrum consequi absque ulla tributi solutione. Ita Molin. qui testatur de communi *disp.* 324. *à n.* 8. *in fin.*

Et assignatur ratio; nam negotiatio non solùm est indecens personis Ecclesiasticis, sed etiam de jure est interdicta 88. *dist. per totum.*

31 Quintò dubitari potest, cùm in canone dicatur, *etiam à sponte dantibus*, an exigentes collectas ab Ecclesiasticis personis sponte dantibus excusentur ab hac excommunicatione.

Pro dubii resolutione dico cum Duar. *loc. cit. q.* 16. *num.* 1. quòd spontè aliquid dari dupliciter contingit: primo quando ex absoluta, & omnimoda, ac omni libera donandi voluntate aliquid tribuitur: secundò, quando sine aliqua speciali violentia, aut compulsu propter exactionem aliquid datur. Cùm igitur per Constitutionem præsentis canonis prohibeatur exactio onerum prædictorum ab Ecclesiasticis personis, etiam à sponte dantibus, non est intelligendum primo modo de spontè dantibus ex absoluta scilicet, & libera voluntate donatoris; cùm quilibet rei suæ sit moderator, & arbiter, ut *in l. re mandata, C. mandati*, sed intelligitur de spontè dantibus secundo modo; id est, etiamsi nulla interveniat vis, aut coactio propter impositionem, & exactionem, detur aliquid intuitu gabellæ impositæ; ut quia clericus rogatus ab exactoribus, dictas collectas, tanquam debitas solveret; nam hujusmodi solutio est sufficiens ad incurrendam excommunicationem in d. canone contentam, ut per Suar. *loc. cit. sect.* 2. *n.* 99. *prope finem*, cum aliis, quos allegat Prosper de August. *in addit. ad Stephan. Quarant. in Sum. Bullar. in verb. vectigalia lim. ult.* idem affirmat Laurent. de Peirin. *in lib. de Privileg. Fratr. Minim. in declarat. Constit.* 2. *Julii* 2. §. 33. *n.* 140.

Septimò, dubitatur, per illa verba canonis, *aut quavis etiã Pontificali:* An Prælati Ecclesiastici imponentes prædicta onera Ecclesiasticis absq; Sũmi Pontificis licentia, incidant in excommunicationem præsentis canonis, etiamsi faciant potestate Ecclesiastica. Ad quod 32

Respondeo, quòd ad incurrendam excommunicationem hujus canonis sufficit, quòd talia onera imponantur clericis, & aliis personis Ecclesiasticis sine licentia Romani Pontificis, quacumque potestate, sive Ecclesiastica, sive laica, id contingat, sive Prælati Ecclesiastici, sive Domini temporales sint; quoniam Canon generaliter loquitur, nec distinguit, ergo generaliter, & absque alia distinctione debet intelligi; & eo fortiùs, quia militat eadem ratio in utroque casu; & ubi militat eadem ratio, ibi debet esse eadem juris dispositio, argum. text. *in l. illud ff. ad l. Aquil.*

Octavò dubitatur, an imponentes, & exigentes dictas collectas à clericis, qui causa fraudandi collectas clericalem habitum assumpserunt, & sine ulla intentione clericandi, incurrant in excommunicationem præsentis canonis. Prosper. de August. *in addit. ad Quarant. in Summ. Bullar. verb. vectigal, limit.* 1. constanter affirmat, quod clerici assumentes habitum sine ulla intentione clericandi, non gaudent immunitate hujus canonis, & hoc probat ex text. *in l. qui sub prætextu C. de sacrosanct. Eccles.* ubi glossa casum figurat de laico, qui se fecit eligi in Canonicum Sancti Petri, ut evitaret munera laicorum. 33

Probatur etiam, & corroboratur sententia ejusdem Prosp. August. ex text. *in c. commissa, §. cæterum de elect. in* 6. in quo loco præcipitur, quòd clericus beneficium Parochiale obtinens sine animo percipiendi Sacerdotium infrà annum, debet restituere fructus; ratio est, quia fraudulenter eos recepit, *cap. licet de elect. in* 6.

Contrarium tamen affirmare debemus; quia cùm clericus assumit habitum, verè, & propriè characterem suscipit; si ergo clericus est (quod de se clarum est) gaudet immunitate clericorum: ac per consequens, imponentes, & exigentes gabellas, & alia onera ab eo, in excommunicationem hujus canonis incident absque ulla dubitatione.

Coroboratur hæc ratio; quia recipiens beneficium simplex, cui est annexus sacer ordo, animo retinendi illud ad tempus, & fructibus ejusdem fruendi, & illo tàndem renunciato, ad vitam conjugalem transeundi; si illud eo animo accipiat, ut velit ei inservire sufficienter, donec illud (mutato statu) relinquat, non solum non peccat mortaliter, immò nec etiam tenetur ad restitutionem fructuum, ut tenet Sanch *lib.* 7. *de matrim. disp.* 47. *in fine*, & Duard. *hic q.* 7. *n.* 3. ubi affirmat, hanc sententiam esse magis probabilem; ergo (eadem militante ratione) idem fatendum est, ut scilicet fiat immunis, & exemptus à vectigalibus, & oneribus prædictis.

Ad sententiam Prosperi Augustini, & ad ejus rationes respondeo, quòd si illi, de quibus ipse Prosper August. loquitur, sine ulla intentione clericandi, habitum assumpserint, concedimus illos non gaudere immunitate prædicti canonis; quia isti clerici sunt nomine, non re, & ita loquitur text. *in d. l. qui sub prætextu, C. de sacros. Eccl.* ait enim Bart. *in d. l.* quòd si officium divinum exercet solo nomine, privilegio clericorum non gaudet; secùs dicendum est, si clerici habitum

deferentes serviant in divinis: quia etsi intentionem non habeant majores ordines suscipiendi in perpetuum, sed tantum, ut gaudeant prædicta immunitate; nihilominùs dicuntur exempti à supradictis oneribus; quia sunt clerici verè, & realiter, & non tantùm nomine: ita affirmat Duardus, *loco cit. n. 5.* & sic reconciliatur prima sententia cum nostra.

34 Nonò dubitatur, an Domini imponentes, & exigentes collectas ab Ecclesiasticis eorum feudatariis, incurrant excommunicationem præsentis Canonis. Respondetur negativè; quoniam Ecclesiastici, tenentes feuda à Principibus secularibus, tenentur ad onera feudorum: & Ecclesia ipsa, quando feudum consequitur, tenetur ad illa onera, ad quæ alii feudatarii præstare tenentur, & ratione feudi tenetur recognoscere Dominum directum, ut docet Ostiens. *in Sum. de immunit. Eccles. & §. à quibus*, & Bald. *in l. fin. in fine, C. si nc cens.*

35 Decimò dubitatur, an imponentes, & exigentes collectas ab Ecclesiasticis pro bonis in eo communi & indiviso possessis cum eorum Patre, & Fratribus, incidant in excommunicationem hujus Canonis.

Respondetur affirmativè: nam si pater, & fratres clericorum teneantur pro rata eorum ad solvendas collectas; clerici tamen pro eorum parte à collectis hujusmodi præstandis, immunes sunt. Ita Duard. *loco citato.*

QUÆSITUM XXII.

An Monasterium hæres institutus à laïco, qui coram Judice suo in jus vocatus fuerat super aliqua causa civili, coram Iudice laïco, super eadem causa responderi, vel coram suo Iudice Ecclesiastico remitti, & conveniri debeat.

Summarium.

1 *Monasterium, vel persona Ecclesiastica, si in bona laica successit, ligatur instantia jam coram Judice laico suscepta, sed contrarium verius*, ut à num. 11.

2 *Instantia jam cum defuncto inchoata, transit in hæredem.*

3 *Indistinctè sancitum, indistinctè intelligi debet.*

4 *Judicium, ubi ceptum est, ibi terminari debet.*

5 *Hæres censetur una & eadem persona cum defuncto.*

6 *Fictio in suo casu idem operatur, quod veritas.*

7 *Obligatio non variatur ex persona successoris: & jus alicujus mutatione, deterius fieri non debet.*

8 *Reus, si cepto judicio clericus efficiatur, coram eodem Judice laico comparere debet.*

9 *Hæres convenitur ex contractu defuncti.*

10 *In judiciis quasi contrahitur.*

11 *Clericus hæres laici conveniri debet coram Ecclesiastico, non solùm in casu, in quo testator conventus non fuerat, sed etiam ubi jam cum defuncto cœptum fuerat judicium*, ut num. 12.

1 Videtur dicendum, quòd Monasterium, sive alia persona Ecclesiastica, si in bona laici successerit, ligetur instantia jam coram Judice laico inchoata, ex infrascriptis.

2 Primò, quia instantia jam cum defuncto inchoata transit in hæredem, *l. si constante, §. finali. ff. solut. matrimon, l. Lucius, §. rogatus*, ubi Bart. *ff. ad Trebellianum, & in l. si is, qui Roma, ff. eodem tit. de judic.* ubi sic dicitur: *Si is, qui Romæ judicium acceperat, decessit, hæres ejus, quamvis domicilium trans mare habeat, Romæ tamen defendi debet, quia succedit in locum ejus, à quo hæres relictus est.* Bald. *in l. si intra, ff. de in integr. restitut. minor.* Bart. *in l. si eum hominem, ff. de fidejuss.* Soccin. *cons. 31. num. 8. vol. 1.* Franc. Marc. *de-*
3 *cis. 321. n. 4.* quod indistinctè sancitum, & firmatum reperitur, nulla facta exceptione hæredis clerici, vel laïci: ergo indistinctè intelligi debet, cujuscunque conditionis hæres sit, *l. pretio, ff. de public.*

Secundò, quia ubi cœptum est judicium, ibi termi- 4
nari debet, *l. ubi, ff. de judic.*

Tertiò, quia hæres censetur una, & eadem persona 5
cum defuncto, *§. 1. Auth. de jurejuran. à morien. præst. l. hæredem, ff. de regal. jur.* Anchar. *cons. 244.* Rota *coram fel. record. Gregorii XV. decis. 535. num. 5.* ergo sicut defunctus non posset judicium inchoatum deserere, ita neque hæres, licet clericus.

Non obstat, si dicatur, quòd hæres fictè, non verè 6
censeatur eadem persona cum defuncto; quia fictio in suo casu idem operatur quod veritas, ut in puncto advertit Joannes Baptista Asin. *in sua praxi judic. §. 2. cap. 12. num. 54.* licèt ipse contrarium ibi pro hac quæstione, sentiat.

Quartò, quia obligatio non variatur ex persona suc-
cessoris, nec jus alicujus, mutatione personæ deterius 7
fieri debet, *l. 2. §. ex his, ff. de verb. obligat. cum concordant. allegat.* per gloss. *ibi, in verb. immutatur.*

Quintò, quia si inchoato judicio reus efficiatur 8
clericus, cogitur coram eodem Judice laico comparere, secundùm Bald. *in l. si quis posteaquam, ff. de judic.*

Sextò, quia hæres convenitur ex contractu defun- 9
cti, & debet illud servare, *l. cùm à matre, C. de rei vendicat.* Bartol. *in l. de eo, ff. de judic.* & obligationis qualitas mutari non debet ex persona hæredis, *dicta l. 2. §. ex his, ff. de verb. obligat.*

At Clericus ligatur contractu auctoris, ergo & quasi 10
contractu; nam in Judicio quasi contrahitur, *l. 3. §. idem scribit, ff. de pecul.*

Atque ideò hanc sententiam tuentur Bart. *in dicta l. hæres absens, ff. de judic.* & ibi Castrens. *num 3. & 4.* Angel. *num. 3. qui testatur de communi*, Curt. Junior *num. 10.* Alexand. *in §. fin.* iidem Castrens. & Angel. *in l. 3. C. de hæredit. act.* Imol. *in l. si eum hominem, ff. de fidejussorib.* Roman. *d. l. si constante, §. fin. num. 14 ff. solut. matrim.* Barbat. *cons. 1. vol. 3 & in d. cap. quia V. num. 45.* Aufrer. *in Clement. 1. de offic. ordin. regul. 2. fallen. 6.* Firm. *in suo repertor. verb. clericus conventus, vers. 16. in fine.* Guillelm. de Benedict. *in cap. Raynutius, vers. uxorem nomine Adlasiam, num. 124. de testament.* Boer. *decis. 69. num. 32.* Marant. *de ordin. Judic. part. 4. dist. 11. num. 79.* Vasquez, *de success. creat. lib. 3. §. 22. limit. 17. num. 72.* Jas. *in auth. quas actiones, n. 39. C. de sacrosanct. Eccl.* Viv. *commun. opin. lib. 1. opin. 108.* qui hanc opinionem dicit communem, ac veram, tenendamque in judicando, & consulendo. Cevall. *opin. commun. contra commun. quæst. 36. num. 13.* latissimè Surd. *cons. 222. per tot. & decis. 110.* ubi quòd hæc sententia sit magis vera, communis, ratione, & auctoritate, & numero Doctorum, & post eum Andr. Gayll. *practic. observat. lib. 1. observat. 37. num. 8. & seq.* Sigismund. Scacc. *de judic. caus. crim. lib. 1. c. 11. num. 23* Prosper. Farinac. *de inquisition. quæst. 8. n. 46. ampliat. 17.* Galles. *ad secundam particul. obligat. Cameral. quæst. 2. num. 3.* ubi Zach. *num. 2.* Steph. Gratian. *discept. forens. cap. 16. num. 31.* & plures, quos plena manu refert Emanuel. Barbos. D. Augustini genitor *in comment. ad ordinat. Regiam Lusitan. lib. 2. titul. 1. §. 8.*

Verùm, licèt hæc sententia communis sit, & plu- 11
ribus nitatur fundamentis; contraria tamen tenenda est; quia clerici, & personæ Ecclesiasticæ nequeunt coram Judice laico conveniri, *auth. statuimus, C. de Episcop. & cleric. cap. si diligenti, de foro compet.* gloss. fin. *in cap. significasti*, & ibi Panormit. *eod. tit.* quod quidem procedere videtur etiam quando clericus, vel persona Ecclesiastica laico succedit; quia nihilominus coram suo Judice conveniri debet, secundùm Bart. *in l. hæres absens, n. 1. ff. de judic.* & *in authent. qua in provincia,*

provincia, n. etiam 1. *C. ubi de crim. agi oport.* & ideò procedit, nedum quando judicium inchoandum est, ut pro indubitato resolvunt Parlad. *lib.* 2. *verum quotidian. p.* 2. §. 1. *n.* 8. Spin. *in specul. testament. gloss.* 33. *principali, n.* 72. *&* 76. & Stephan. Gratian. *discept. forens. cap.* 16. *n.* 1. *&* 31. Melch. Phœb. Lusit. *dec.* 70. *num.* 14. *tom* 1. Petrus Barbos. *in dicta l. hæres absens, numer.* 129. Emanuel. Barbos. *d.* §. 8. *numer.* 2. verùm
12 etiam quando jam cum defuncto cœptum erat judicium; ut tenent Bald. *in cap. in præsentia, num.* 9. *de probat.* Anton. Imol. Abb. & Felin. *col. penult. in cap. quia V. de judic.* Rot. *decis.* 572. *aliàs decis.* 1. *de foro compet.* & alii plures, quos refert, licet non sequatur Covar. *practic. quæstion.* 8. *n.* 3. *vers. verùm contraria opinio.*

Adest etiam plenissima exemptio ab omnibus, quibuscunque decimis universalibus, & particularibus hactenus impositis, & posthac forsan imponendis, (Papalibus supple) nimirum ab omni contributione, collecta, taxa, tam ordinaria, quàm Apostolica auctoritate in quocumque loco Sedi Apostolicæ mediatè, vel immediatè subjecto ad instantiam Communitatum, pro debitis per eas contractis, vel contrahendis imposita, vel imponenda; quæ exemptio fuit concessa duodecim Congregationibus: videlicet Lateranensi Canonicorum Regularium sub Regula S. Augustini, Casinensi, & Montis Oliveti Ordinis sancti Benedicti, Carthusianorum, Camaldulensi, Cælestinorum, sancti Salvatoris Bononien. etiam Canonicorum Regularium Vallis Umbrosæ, Cruciferorum, sancti Georgii in Alga, pariter Canonicorum Regularium, Cisterciensiumque Lombardiæ, ac sancti Hieronymi, & de occasione subsidii sexaginta millia scutorum auri in auro, super eorum bonis imponen. ut in Bulla S. D. Clementis VIII. incipien. *Cùm superiore*, quæ cùm non ita facilè inveniatur, nec in Bullario novo inserta reperiatur; ideò illam in præsentiarum transcribere, ad studentium commoditatem, operæ pretium duxi, in hunc qui sequitur modum.

CLEMENS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Cum Superiore anno, ut charissimo in Christo filio nostro Rudolpho Romanorum Regi Illustri, in Imperatorem electo, adversus Turcas in ipsius Ditiones erumpentes, opem aliquam ferremus, nonnullas decimas super beneficiorum Ecclesiasticorum fructibus in universa Italia imponere coacti fuerimus; & ulteriùs subsidium sexaginta millium scutorum monetæ à duodecim Regularibus Congregationibus, quas exemptione à prædictis decimis aliàs illis à fel. rec. Pio Papa V. prædecessore nostro concessa gaudere volumus, receperimus: Nunc verò iisdem, & forsan gravioribus, quàm tunc circumventi necessitatibus, licèt easdem Congregationes ab oneribus, quibus premuntur, potiùs sublevare cuperemus, aliud tamen ab ipsismet Congregationibus subsidium sexaginta millium scutorum auri in auro ad rationem duodecim Juliorum pro quolibet scuto, iterum exigere, & recipere compellamur. Cumque Congregationes ipsæ subsidium hujusmodi sexaginta millium aureorum nobis præstare promptè consenserint: Nos illud quanto cum minori fieri poterit eorum incommodo, & damno ab illis recipiendum duximus. Idcirco, cùm à Ministris nostris Cameralibus, qui negotium hoc cum earundem Congregationum Procuratoribus diligenter discusserunt, nobis relatum sit, non posse summam prædictam sexaginta millium aureorum expeditiori ratione congeri, quàm si, uti factum est, in subsidio anno superiori recepto, ut præmissum est, Mons Novennalis, ad eam summam augeatur. Motu proprio, & certa scientia, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, Congregationibus prædictis Lateranensi Canonicorum Regularium sub Regula sancti Augustini, Casinensi nimirum, & Montis Oliveti, Ordinis sancti Benedicti, Carthusianorum, Camaldulensi, Cælestinorum, sancti Salvatoris Bononiensis etiam Canonicorum Regularium, Vallis Umbrosæ, Cruciferorum, sancti Gregorii in Alga, pariter Canonicorum Regularium, Cisterciensiumque Lombardiæ ac sancti Hieronymi, eorumve Generalibus Procuratoribus, quamvis ad hoc speciale mandatum non habeant, dilecti filii Don Celsus de Ravenna Canonicus Regularis dictæ Congregationis Lateranens. & Don Marcus Antonius Rozzus, Monachus Congregationis Montis Oliveti, nomine omnium Procuratorum Generalium prædictorum, cum interventu dilecti filii nostri, & Cameræ Apostolicæ Generalis Thesaurarii, taxam aliquam inter se, pro cujusque ipsarum facultate, redituum annuorum constituere, aut aliàs taxam partem redituum, prout cuilibet, ex Congregationibus prædictis, minùs incommodum, & damnosum esse, ac magis expedire judicaverint, assignare; illamque summam de novo dicto Monti applicare, quæ sufficiens sit pro summa sexaginta millium scutorum aureorum hujusmodi, quam ab eis hoc modo recipi volumus, congreganda, factaque taxa hujusmodi, eandem Monti prædicto Novennali, ultra alias taxas, seu ratam redditum dicti Montis, quas singulæ dictarum Congregationum solvere, usque in hunc diem obligatæ existunt; assignare, applicare, & incorporare, ac super taxas, seu rata sic facienda, assignanda, & incorporanda, postquam, ut præfertur, assignata, & incorporata fuerit, totidem loca, quorum fructus solvuntur, persolvantur, prædicto Monti addere, quod pro summa prædicta sexaginta millium scutorum aureorum congerenda necessaria erunt. Necnon eisdem omnibus Procuratoribus Generalibus, postquam per dictos duos taxa & assignatio prædictæ factæ fuerint, eam super taxa inter ipsas Congregationes, pro rata quamlibet earum Congregationum respectivè tangente, nominatum dictas Congregationes & eius quisque Procurator Generalis videlicet suam, etiamsi ab ea speciale mandatum in Capitulo Generali, ut aliàs juxta Constitutiones ipsarum Congregationum, factum non habeant, sua que bona, ac reddittus, & proventus universa, etiam in ampliori forma Cameræ Apostolicæ obligare, & hypothecare nominatim possint, debeant, & teneantur, quam super assignatione, & incorporatione illius dicto Monti facienda, ipsiusque Montis augmento; necnon super summa prædicta sexaginta millium scutorum inde redigenda nobis in subventionem prædictam tradentem, & assignantem unum, vel plura instrumenta: cum conditionibus, renunciationibus, commissionibus, obligationibus, etiam in dicta ampliori forma Cameræ Apostolicæ pactis, decretis, cautelis, & clausulis quomodolibet necessariis, & opportunis, celebrare, ac alia quæcunque super his, etiam pro majori Montis prædicti, illiusque collegii Montistarum, ac aliorum, qui pecunias suas in eodem Monte collocaverint, securitate necessaria, & opportuna, facere, & exequi, ac uberius ipsis moderatis, & futuris pro tempore Congregationum prædictarum Procuratoribus Generalibus, ut in earum quisque Congregationibus taxam, ut præfertur, statuentem pro rata eas respectivè tangentem inter Monasteria, & Conventus earum dividere, & ab illis exigere, & Depositario dicti Montis, quem ipsæ Congregationes, tam pro præsenti additione, quàm prima dicti Montis erectione, & illius additione anno superiori facta, etiam moderatum Depositarium, nisi Depositarium ipsum titulo forsan oneroso obtineat, ad eorum libitum amovendo, deputare posse concedimus quot-

annis, prout de antiquis taxis, seu ratis fieri consueverit, consignare, cum facultatibus, & auctoritatibus solitis liberè, & licitè possint, & valeant, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, plenam, amplam, liberam, & universam facultatem, & auctoritatem concedimus, & impartimur: Et nihilominus omnia, & singula præmissa, ac alia earum vigore, per dictas Congregationes, seu earum Procuratores prædictos, cum interventu dicti Thesaurarii Generalis, facienda, & instrumenta desuper celebranda, cum omnibus in illis contentis, ex nunc, prout ex tunc, postquam facta, & celebrata fuerint, auctoritate, & tenore præmissis confirmamus, & approbamus, ac præsentium nostrarum litterarum munimine roboramus; omnesque, & singulos, tam juris, quàm facti, & etiam solemnitatum forsan substantialium quomodolibet omissatum, si qui intervenerint, in eisdem, præcipuè verò defectus Mandatorum specialium ad præmissa facienda requisitorum motu, & scientia similibus pari auctoritate, & tenore supplemus, eaque omnia, & singula valida, firma, & efficacia fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere debere; ac per omnes, & singulas Congregationes prædictas perinde, ac si ipsi Procuratores illa, cum speciali, earum mandato, obligassent, ac alios, ad quos spectabit, firmiter observanda esse; sicque per quoscunque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ipsius Cameræ Apostolicæ Præsidentes, Clericos, ac S. R. E. Camerarium, Thesaurariumque prædictum, & alios ipsius Cameræ Ministros, sublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere. Irritumque & inane quidquid secùs super his, à quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Decernimus, & declaramus præterea pro majori Montis prædicti, illiusque Collegii Montistarum, necnon eorum, qui pecunias suas in dicto monte collocabunt, cautela, & securitate, ex nunc pariter, prout ex tunc, postquam dictus Mons vigore præsentium ad quamlibet locorum quantitatem auctus fuerit, quod tam antiqua, quam nova loca augenda hujusmodi, unum, idemque Montis corpus, ac ultimorum locorum emptores, cum antiquis Montistis unum, idemque Collegium, absque aliqua prorsus ratione prioritatis, seu posterioritatis differentia, constituatur; ac posteriora loca, illorumque emptores omnibus, & singulis gratiis, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, privilegiis, quibus antiquiora loca, illorumque possessores, juxta dicti Montis erectionis formam, utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere possunt, & poterunt in futurum pariformiter, & æque principaliter uti, potiri, & gaudere possint, valeant, & debeant, in omnibus, & per omnia, absque aliqua similiter differentia, statuimus, & ordinamus. Volumusque etiam eisdem Procuratoribus deputatis dictarum Congregationum concedimus, ut loca prædicta Montis, vigore præsentium, augendi, cum interventu dicti Thesaurarii Generalis, cuicunque mercatori, seu aliis personis meliorem conditionem offerentibus, pretio inter eos conveniendo, vendere, & alienare, pretiumque inde redigendum penes dilectum filium Josephum Justinianum, Depositarium Nostrum generalem, seorsum ab aliis Nostris pecuniis, deponere, ita ut inde, nisi pro præstanda dicto Rudolpho Imperatori Electo, destinata ope, vel casu, quo bellum antequam dictæ pecuniæ in usum prædictum convertantur, cessaret, ad effectum restituendi ipsis Congregationibus, pro redemptione dicti Montis percipi minimè valeant, nec in alios quoscunque quam in prædictos usus converti, nullatenus possint libere similiter, ac licitè, etiam opportunam ad hoc quoque, illis facultatem impartimur. Ut autem prædictæ Congregationes tali onere subjectæ, aliqua in parte, aliis, si quæ imponentur imposterum, allevientur, motu, & scientia similibus confirmantes, & auctoritate Apostolica approbantes inprimis facultates, & exemptiones eisdem Congregationibus concessas, per fel. rec. Pium V. Prædecessorem nostrum, sub datum Romæ, anno 1570. 14. Kalend. Aprilis, Pont. sui anno 6. earum singulas, & ipsarum Superiores, Abbates, Priores, Præpositos, Patres, Monasteria, Capitula, Conventus, Prioratus, membra, Grangias, & bona omnia, & singula, tam præsentia, quam futura, cujuscunque qualitatis, quantitatis, valoris, & naturæ, & ubicunque existentia, & consistentia, quocunque nomine nuncupentur, ab omnibus, & quibuscunque decimis universalibus, & particularibus, à nobis, seu successoribus nostris, quoquomodo, etiam, ad ejusdem, vel alterius, Imperatoris, Regum, Ducum, etiam Sabaudiæ Principum, seu aliorum quorumcunque instantiam, præterquam Dominii Venetorum, & ex quibuscunque causis, etiam prædicta longè majoribus, urgentissimis, & necessariis, etiam hic non expressis, & de necessitate exprimen. hactenus impositis, & posthac forsan imponendis. Et propterea ab omni contributione, collatione, Taxa, tam ordinaria, quàm Apostolica auctoritate, in quocunque loco Nobis, & Sedi Apostolicæ mediatè, vel immediatè subjecto, ad instantiam Communitatum, Castrorum, & Oppidorum, pro extinctione, & liberatione debitorum, per easdem Communitates, & Universitates, hactenus contractorum, seu contrahendorum in futurum imponenda, liberamus; salvis tamen omnibus exemptionibus ab aliis Summis Pontificibus Prædecessoribus nostris, dictis duodecim Congregationibus concessis, ita ut illa, prout sunt, confirmata censeantur; necnon salvis etiam exemptionibus, quæ de jure dictis duodecim Congregationibus competunt, easdem quoque, & earum singulas similiter eximimus, & liberamus à quocunque supplemento integræ quartæ partis fructuum, secundùm verum valorem, per dictas Congregationes, ex prædictarum Constitutionibus persolvendæ. Si quid tamen ultra summam, quam hactenus solverunt, & in futurum solvent, prætendi à Nobis, & Successoribus Nostris, & Camera Apostolica potest, quod totum illis benigniter condonamus, & tam quoad præterita, quàm in futurum gratiosè in Domino elargimur. Necnon simili modo easdem eximimus, & liberamus ab omni obligatione extingven. seu redimendi infrà certum tempus nondum elapsum, ratam portionem sibi tangentem dicti Montis Novennalis, si quæ forsan ex ipsis tali obligatione obstrictè teneatur, ex quavis conventione cum Camera nostra Apostolica, sive ejus Ministris quibusvis, quacunque ex causa hîc non expressa, & forsitan de necessitate exprimenda, reponentes eas in pristina sua libertate & facultate dictum Montem Novennalem extinguendo, quando, & quotiescunque sibi magis commodum fuerit, & libuerit. Et nihilominus earum Abbates, Priores, & alios Ministros, & Officiales in Domino enixè rogamus, & hortamur, ut liberationi dictarum suarum Congregationum quantocitius studeant, & invigilent. Decernentes prædictas litteras ullo unquam tempore, etiam ex eo, quòd prædictæ Congregationes præmissis expressè, & nominatim non consenserint, aut alias quomodolibet de subreptionis, vel obreptionis vitio, an intentionis nostræ, vel alio quocunque defectu notari, impugnari, invalidari, infringi, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut sub illis revocationibus, suspensionibus, reductionibus, limitationibus,

tationibus, aut modificationibus comprehendi, nisi de earundem præsentium toto tenore, specialis, & ad verbum expressa mentio facta fuerit, sicque per quoscunque pariter supradictos, aut alios Judices Ordinarios, & delegatos, etiam S. R. E. Cardinales, sublata iis similiter, & cuilibet eorum, quavis alia judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere. Ac irritum, & inane, si secùs super his à quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca Camerario, & Thesaurario prædictis, & causarum Curiæ Camer. Apostol. Generali Auditori, per præsentes committimus, & mandamus, quatenus, vel ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alios ubi, quando, & quoties opus fuerit, præsentes litteras, & in eis contenta quæcunque solemniter publicantes; in præmissis omnibus, & singulis, efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant, auctoritate nostra, omnia, & singula in præsentibus expressa, ac illarum vigore facienda, quæcunque ab omnibus, ad quos spectat, & in futurum spectare poterit, inviolabiliter observari. Contradictores quoslibet, per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Non obstantibus Regula nostra de jure quæsito non tollendo, ac aliis quibusvis Apostolicis Constitutionibus, præsertim fel. record. Symmachi, Pauli II. Pauli IV. & Pii V. & aliorum quorumcunque Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum, de rebus Ecclesiæ non alienandis, ac Gregorii XIII. super reductione dicti Montis Novennalis, ac quibuslibet obligationibus, de redimendo infra certum tempus Montem prædictum ab ipsis Congregationibus, aut quacunque ipsarum, factis, earundem quoque Congregationum, & cujuslibet earum, Monasteriorumque singularium Statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis, ipsis Congregationibus, & Monasteriis in contrarium præmissorum quomodolibet, ac sub quibusvis verborum formis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliis insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis Decretis concessis, confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis; etiamsi pro sufficienti earum derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil prorsus omisso, & forma in illis tradita, observata, inserti forent, præsentibus pro expressis habentes, ad effectum præmissorum, specialiter, expressè, ac latissimè derogamus, ac derogatum esse volumus, ac omnibus illis, quæ in erectione dicti Montis Novennalis concessum est, non obstare, cæterisque contrariis quibuscunque. Datum Romæ, apud sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 5. Maji 1595. Pontificatus nostri, anno quarto.

M. Vestrius Barbianus.

DISPUTATIO XVI.

De privilegiis Abbatum, & aliorum Prælatorum Episcopis inferiorum.

Quæst. I. *Quis possit Abbatibus, & Prælatis inferioribus privilegia concedere.*

II. *Utrum scriptura, seu bullatio sit de essentia privilegii Abbatibus, sive aliis quibuscunque concessi.*

III. *Utrum privilegia concessa Religiosis, sive Religioni, extendantur etiam ad Abbates, & alios Prælatos Religionis, si nulla de eis mentio fiat.*

IV. *Utrum Privilegia Abbati, vel Prælato Regulari concessa, ad Abbatem Commendatarium, extendantur.*

V. *Privilegia Abbatum, & aliorum Prælatorum inferiorum quomodo sint explicanda, quando continent verba obscura.*

VI. *Utrum Abbates, & Prælati inferiores possint suarum Ecclesiarum, & Abbatiarum, & proprii Ordinis privilegia interpretari.*

VII. *Utrum valeat privilegium exemptionis Abbatibus, & Prælatis inferioribus concessum, absque clausula derogatoria,* Non obstantibus quibuscumque.

VIII. *Quomodo intelligenda sit illa clausula, in privilegiis apponi solita, qua dicitur, ut* non censeantur revocata, nisi de illis de verbo ad verbum mentio fiat.

IX. *Utrum Religiosi uti possint privilegiis, à Sede Apostolica eis concessis, absque suorum Abbatum, & Prælatorum licentia, seu potius ipsis reluctantibus.*

X. *Abbatum, & Prælatorum, ac Abbatiarum, aut aliarum Ecclesiarum privilegia quomodo reddantur invalida.*

IX. *Utrum privilegia Abbatibus, & Prælatis concessa amittantur, vel cessent illorum morte, vel cessatione à dignitate, vel ad successores trahantur.*

XII. *An, & quando Princeps possit privilegium à se concessum revocare, limitare, seu restriagere.*

XIII. *Utrum privilegia concessa Abbatiis, & Abbatibus, ac aliis Ecclesiæ Prælatis à Rege aliquo, vel Imperatore, aut aliis Principibus secularibus possit ab illis revocari.*

XIV. *Utrum Abbatum, Prælatorum, & Abbatiarum privilegia amittantur, & cessent per non usum, vel contrarium usum, sive abusum.*

XV. *Utrum Abbates, & Prælati, cæteriq; Religiosi possint renunciare privilegiis sui Ordinis, seu Religioni concessis.*

XVI. *Utrum per suspensiones, quæ per Bullam Cruciatæ, vel alias Bullas, quotidie fiunt, suspensa censeantur Abbatum, aliorumve Regularium privilegia.*

XVII. *Utrum Abbas teneatur privilegium sibi, & suæ Religioni concessum ostendere an verò illi alleganti credatur.*

XVIII. *An privilegium concessum Ecclesiæ Abbatiali, vel Monasterio amittatur, si Ecclesia, vel Monasterium corruat, & resurgat, si Ecclesia, vel Monasterium iterum ædificetur.*

QUÆSITUM I.

Quis possit Abbatibus, & Prælatis inferioribus privilegia concedere.

SUMMARIUM.

1 *Privilegium regulariter ab eo concedi potest, qui legis condendæ potestatem habet.*
2 *Privilegium, dicitur privata lex.*
3 *Privilegium est jus singulare, contra jus commune indultum.*
4 *Condere qui potest, potest & solvere.*
5 *Papa potest in spiritualibus directè privilegia concedere omnibus, & ubique; in temporalibus verò indirectè.*
6 *Princeps secularis sicut in spiritualibus legem condere non potest, ita nec privilegium.*
7 *Lex extra constituentis territorium, non obligat.*
8 *Privilegium extra Episcopi concedentis Diœcesim, vel Principis extra suam Provinciam, prodesse non potest.*

1 PRIVILEGIUM ab eo regulariter concedi potest, qui legis condendæ potestatem habet, ut tradunt gloss. *singularis in Summa* 25. *quæst.* 2. Sylv. *verb. privilegium*, q. 2. Azot. *instit. moral. part.* 1. *lib.* 5. *cap.* 22. *quæst.* 3. Suar. *de legib. lib.* 8. *cap.* 9. & 10. Salas *eod. tractatu, disp.* 17. *sect.* 3. *numer.* 27.

2 Ratio est, quia privilegium dicitur privata lex, sic dictum, quod in privato feratur, Isidorus *lib.* 5. *etymolog. cap.* 18. relatus *in cap. privilegia*, 3. *dist.* & ex S. Gregor. & Hieron. refert Gratian. *in cap. ult. vers. neque*, 25. *quæst.* 1. Ergo ab eo concedi debet, qui pot-
3 est legem ferre; tum quia privilegium dicitur jus singulare contra jus commune indultum, ut scribunt Petrus Gregor. *de jur. arte, cap.* 7. *num.* 14. Revard. *tom.* 1. *ad leges* 12. *tabularum*, c. 2. Gonzal. *ad regul.* 8. *Cancel. gloss.* 35. *num.* 5. & ita privilegio eximitur quis à legis obligatione; eximere autem ab obligatione legis, & jura solvere, aut relaxare non potest, nisi, qui ea sancivit, vel ejus superior, aut etiam inferior, si à su-
4 periore ei potestas tribuatur: is enim, qui condere potest, potest & solvere, *l.* 3. *ff. de re judic. l. ult. C. de leg. cap. verbum, de pœnit. dist.* 1. *cum similibus* de quibus Garzia Falcon. *reg.* 110. D. Barbos. *de officio Episc. part.* 3. *alleg.* 52. *num.* 1.

5 Ex quibus infertur, Summum Pontificem posse in spiritualibus directè privilegia concedere omnibus, & ubique, ut docent gloss. & Sylvest. *citatis locis*. In temporalibus verò potest, solummodo quoad terras temporali Ecclesiæ dominio subjectas, ut notatur *in cap. per venerabilem, qui fil. sint legit.* Indirectè tamen in ordine scilicet ad finem super naturam assequendum potest omnibus, & ubique in temporalibus, & in spiritualibus privilegia concedere, ut resolvit Bonac. *de legib. disp.* 1. *quæst.* 3. *punct.* 2. *num.* 3. & Azor. *citat.* ad quorum dicta comprobanda faciunt plura, quæ in hac materia congessit D. Barbos. *de offic. & potestat. Episcopi, parte prima, tit.* 3. *cap.* 2. *num.* 24. *cum sequentibus.*

6 Secundò infertur, quòd sicut Princeps secularis de spiritualibus legem condere non potest, ita nec privilegium, ut in materia decimarum decidit text. *in cap. tua* 25. *in princ. de decim. cap. cùm & plantare* 3. *de*
7 *privileg.* Hinc etiam quemadmodum lex extra terri-
8 torium constituentis non obligat, *cap.* 2. *de constit. lib.* 6. ita nec privilegium extra Episcopi concedentis Diœcesim, vel Principis extra suam Provinciam prodesse potest, ut ait Suarez *de legib. lib.* 8. *cap.* 27. Ubi eleganti distinctione universam resolvit materiam; vel enim Episcopus, aut alius Superior in suo territorio privilegium concedit, ad faciendum actum speciali statuto prohibitum solùm in sua Diœcesi; & certum est prodesse privilegium extra eam, quia prohibitio ad illud territorium non extenditur, aut privilegium conceditur ad faciendum actum speciali statuto prohibitum, etiam in aliis Diœcesibus, & ad eas non proderit privilegium.

QUÆSITUM II.

Utrum scriptura, seu bullatio sit de essentia privilegii.

SUMMARIUM.

1 *Scriptura non est de substantia privilegii, licet sit necessaria ad gratiam probandam,* & num. 3.
2 *Gratia literis nondum expeditis non exspirat morte concedentis.*
4 *Gratiam per solam supplicationem, absque literis dici informem, quomodo intelligatur.*
5 *Executor ut censeatur nominatus, non sufficit sola supplicatio, sed sunt necessariæ literæ.*
6 *Gratia quoad executores non dicitur perfecta ante expeditionem literarum.*
7 *Sola supplicatio absque literis sufficit pro obtinenda simplici absolutoria, secus ad effectum adjudicationis.*
8 *Supplicatione sola, absque literis Rota procedit ad disputationem dubiorum, quamvis in supplicatione non sit derogatum regulæ,* de non judicari, juxta form. supplicat.
9 *Literæ sunt necessariæ ad validitatem gratiæ, quando Papa vult pro forma ipsum, quod litteræ expediantur.*
10 *Oracula vivæ vocis eandem, quam alia Pontificia constitutiones, vim obtinent.*
11 *Privilegiis sublatis, non censentur sublata vivæ vocis oracula.*

AD essentiam, seu substantiam privilegii non pertinet, nec est necessarium, ut sit scriptum, seu 1
per Bullam, aut per Breve concessum; sed sufficiunt verba, ut probat text. *in Clem. dudum, vers. nos etenim, de sepult.* gloss. 1. per text. *ibi, institutiones*, 25. *quæst.* 2. quam post Archid. communiter receptam testatur Navar. *cons.* 1. *num.* 1. *de privileg.* Fr. Emman. *quæst. regul. tom.* 1. *quæst.* 7. *art.* 5. Bald. *in humanum, C. de legibus in l. falsus, C. de furt in l. idem Ulpianus, ff. de excusat. tutorum*, Imol. *in Clem. dudum*, §. *nos enim, in verb. aut scripto, de sepultur.* idem Bald. *in cap.* 1. *in fin. princ. per quos fi. invent.* latè Felin. *in rubr. de constit.* Innocent. *in cap. constitutus, de rescript.* Archid. Joan. Andr. *in proœm.* 6. Panormitan. *in cap. in nostra, num.* 11. *de rescript.* dicens, quòd etsi scriptura sit necessaria ad gratiam probandam; non tamen est de essentia ipsius gratiæ. Jas. *cons.* 145. *n.* 16. & *ibi* Adden. *lib.* 2. ubi quod dignitas solo verbo Papæ creatur, Sarnen. *in reg. de infirm. quæst.* 18. *vers. his tamen non obstan.* & *col.* 2. *vers. secus verò*, Mandos. *in reg.* 8. Cancellar. *quæst.* 1. *num.* 3. & *quæst.* 8. *num.* 3. Caputaq. *decis.* 88. *num.* 2. *part.* 3. Mannic. *decis.* 355. *n.* 2. Seraphin. *decis.* 775. *num.* 2. Gonzal. *ad d. reg.* 8. *Cancellar.* gloss. 12. *numer.* 45. & *seq.* cum aliis pluribus congestis per Sanch. *de matrimon. lib.* 8. *disputat.* 29. *num.* 2. Ror. *decis.* 89. *part.* 2. & *decis.* 11. *lib.* 3. *part.* 3. *divers.* & *decis.* 87. *num.* 1. & *seq. de rescript. in antiq.* & *decis.* 585. *numer.* 2. *decis.* 645. *numer.* 5. *part.* 1. *recent.* & *in Romana legati Pii IV. Februarii* 1628. *coram Reverendissimo Domino Coccino, quæ in fine operis est decis.* 107. unde post obitum Romani Pontificis, qui 2
privilegium concesserat, litteris tamen nondum scriptis, gratia concessa extinguitur; sed successor literas concedit, faciendo mentionem de prædecessore; Rebuff. *in prax. benefic. tit. de gratia rationi congr. numer.* 2. Molin. *de primog. Hispan. lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 57.

Guttier.

Gutiet. *quæst. Canonic. lib.2. cap.17. num.4.* & *practic. quæst. lib.1. quæst.75. num.2.* Gabr. *de prob. conclus.1. num.2,* cum aliis per *d. lib.8. disput.29. num.3.* Gonzal. *d. gloss.12. num.45. & 48.* Idem dicit Bonac. *de legibus, disput.1. quæst.1. punct. 4. num. 51.* & idem Panormit. *in cap. nosti, num.4. & cap. qualiter, num.1. de elect.1.* ait, quòd si Papa solo verbo aliquem pronunciaret Episcopum, seu Abbatem, illicò esset Episcopus, vel Abbas; quamvis in foro exteriori Episcopus, aut Abbas, sive Regularis, sive secularis hujusmodi electus, & promotus non sit recipiendus, ut talis, nisi litteris impetratis expeditis, & receptis; aliàs enim tam recipientes, quàm se ingerentes graves pœnas incurrerent, ut patet per *Extravag. Bonifacii VIII.* quæ incip. *injunctæ, de elect. in 6.*

3 Ad probationem tamen gratiæ sunt necessariæ litteræ, cum sine eis gratia non probetur. Doct. *in rubric. de constit.* & *ibi* Felin. *num.5.* Bald. *in c. humanum in fin. C. de legib.* Felin. *in cap. cam te sub n.3 post med. vers. sed cave de rescript.* Sarnen. *d. quæst.1. col.1. vers. tamen nunc.* Soccin. *cons.41. n.3. & 4. lib....* Molin. *d. cap.7. num.56.* Bellamer. *decis.746.* Cæs. de Crass. *decis.1. sub num.2. de probat.* Rot. *decis.27. de rescript. in nov. & d. decis.645. num.5. part.1. recent.* & alii *superius allegati.*

4 Et ideo Doctores, & decisiones resolventes, gratiam per solam supplicationem absque literis dici informem, intelliguntur procedere ad effectum probationis, & quando agitur de canonizanda gratia, & eo casu procedit regula *de non judic. juxt. form. supplicat.* ut declarant Gomez. *super reg. de non judic. quæst.18. col.2. vers. nec obstat.* Soccin. *loco cit.* Molin. *d. cap.7. sub n.58. vers. sicque intelligendæ sunt,* Gabr. *cons.190. num.13. lib.1.* Cassador. *decis.35. num.2. super reg. & decis.8. de restit. spoliat. & decis.2. de sent. & re jud.* Verall. *decis.235. part.3.* Put. *decis.337. lib.1. in nov.* Cardinal. Seraphin. *decis.538. num.4.* & *decis.775. num.3.* Gregor. XV. *decis.540. num.5.* & *ibi Add. litt. C.* Rot. *decis.503. num.4. part.1. recent.* Buratt. *decis.511. num.13.* & *ibi* Ferentill. *littera B.* Benè Rota *in terminis de privilegiis in d. Romana legati pii coram Reverendissimo Domino Coccino.*

5 Decisio verò 20. *de concess. prabend. in nov. n.5. quæ est eadem cum decis.* Bellamer. 110. *num. 6.* loquuntur ad effectum, quod executor censeatur nominatus, in supplicatione enim nominantur in genere, & postea per partes nominantur executores, qui in
6 litteris exprimuntur, ut *in d. decisionibus,* & explicat Garz. post alios *de benefic. part.6. cap.2. num.1. & seq.* & ideo mirum non est, si ante expeditionem litterarum quoad executores, gratia non dicitur perfecta, sed recipit robur ad talem effectum ab expeditione litterarum, ut benè declarat Oldrald. *cons.320. num 9.* & Rot. *in d. Romana legati pii coram D. Coccino.* Et
7 quod sola supplicatio, absque litteris sufficiat pro obtinenda simplici absolutoria, licèt secus ad effectum adjudicationis Garz. *de benefic. part.4. cap.2. num.23. & 24.* & Rot. *d. decis.645 num.5. part.1. recent. & in Illerden. Canonicatus 19. Aprilis 1624. coram R. P. D. Pirovano,* relata per Ferentill. *loco cit. num.19.* ubi
8 *num. seq.* quòd Rota procedit ad disputationem dubiorum cum sola supplicatione, absque litteris, quamvis in ea derogatum non sit Regulæ de non judicando juxta formam supplicationis, quia derogatio hujusmodi est necessaria, quando causa foret terminanda, & ferenda sententia, secus verò ad effectum disputationis dubiorum, quæ est actus merè extrajudicialis, ut fuit resolutum *in Conchen. beneficii 10. Junii 1624. coram Manzanedo, & in Neocastren. parochialis 28. Februarii 1630. coram Reveren. Durano.* Verùm
9 litteræ sunt necessariæ nedum ad probationem, sed etiam ad validitatem gratiæ, quando Papa vult pro forma ipsius quòd litteræ expediantur, ut apud Mantic. *decis.286. n.10.*

Notandum, quòd vivæ vocis oracula eandem, 10
quàm aliæ Pontificiæ Constitutiones vim obtinent, ut clarè colligitur ex *can. institutionis, 25. quæst.2.* ibi: *sive quæ scripto decrevimus, quæ in nostra præsentia videntur esse disposita,* Innoc. *in cap. constitutus, n.2. de rescript.* Et licèt Gregorius XV. per suam Constitutionem, incip. *Romanus Pontifex,* editam sub Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Majorem, die 2. Julii, 1622. Pontificatus sui anno secundo, Omnia, & singula vivæ vocis oracula suorum antecessorum, tum ad interius, tum ad exterius forum spectantia revocaverit: voluit tamen, ut firma, atque in suo robore permanerent omnia indulta, & concessiones hujusmodi vivæ vocis oraculo factæ S.R.E. Cardinalibus, ad ipsorum, vel aliorum quorumcunque favorem, propria eorundem Cardinalium manu subscriptæ, & de quibus iidem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales in scriptis testimonium præbuerunt. Præterea
notandum, quòd sublatis, seu revocatis aliis privile- 11
giis, non censentur sublata; seu revocata vivæ vocis oracula, nisi id expressè significetur; ut est communis Canonistarum opinio; & Romanæ Curiæ praxis, ut testantur Henriq. *lib.7. de Indulgent. cap.24 n.8.* Emman. Sà, *verb. gratia, num 13.* Lamas 1. *part. method. cap.7. §.6.* Felician. *lib. de censibus, tit. de privil. cap.15.* Lauren. de Peirin. *tom.1. privileg. sui Ordin. Minim. in annot. ad §. constit. 17. Julii 2. num.4.*

QUÆSITUM III.

Vtrùm privilegia concessa Religiosis, sive Religioni, extendantur etiam ad Abbates, & alios Prælatos Religionis, si nulla de eis mentio fiat.

SUMMARIUM.

1 *Privilegia favorabilia concessa Religiosis, extendantur etiam ad ipsorum Abbates: licèt de istis nulla mentio in privilegiis fiat.*

2 *Privilegium non solùm censetur concessum personis in privilegio expressis, sed etiam iis, quæ propter vocis significationem, in eo comprehenduntur.*

3 *Abbas per promotionem ad Abbatiam, non desinit esse Monachus.*

4 *Privilegia favorabilia concessa Religioni, ejus Abbatibus etiam concessa censentur.*

Dico primò, quòd privilegia favorabilia concessa 1
Religiosis, extenduntur ad eorum Abbates, etiam si Summus Pontifex, vel alius, qui privilegium concessit, nullam de ipsis Abbatibus in eo mentionem habuisset: tum quia Principis beneficium latè explicandum est, *cap. cùm olim, de verb. significat. & l. beneficium, ff. de constit. princ.* Privilegium autem favorabile est verè, & propriè beneficium; ergò latè
explicandum; tum etiam quia privilegium non so- 2
lum censetur concessum personis, quæ sunt in illo expressæ, sed etiam iis, quæ propter vocis significationem in eo comprehenduntur, Bonac. *de legib. disput.1. quæst.3. punct.1. §.2. num.1.* At in favorabilibus, & materia proportionabili, Abbas comprehenditur appellatione Monachorum, nisi aliud ex loquentis mente conjiciatur, *cap. final. de simon.* & ibi gloss. & Panormitan. *num.2.* Bart. *in l.4. ff. de stipulat. servor.* cum aliis citatis in hoc *primo libro, disput.1. quæst.7.* quibus addo Sanchez *in precept. Decalog. tom.2. lib.6. cap.8. num.84.* Valenzuola *consil.74. num 79.* & alios, quos novissimè refert D. August. Barbos. *in tract. de appellativa verborum utriusque juris significata. 153.*
num.1. Nam Abbas per promotionem ad Abbatiam, 3
non desinit esse Monachus; sicut Rector per Rectoratum, non desinit esse Scholaris. Joan. Andr. *in proœm. Decretal. in princip.* Felin. *in eodem proœm. col.4.*

 vers.

vers. cæterùm in proposito. Nec Abbates per dignitatis assecutionem debent esse pejoris conditionis, quàm sint cæteri Monachi; cùm dignitatis proprium sit, augere: non autem priorem statum ab eo, cui dignitas collata est, in ipsius præjudicium auferre, juxta tradita ab Horatio Mandos. *de privileg. ad instar gloss. 6. num.* 29. atque ita Rodericus *quæst. Regul. tom.* 3. *q.* 51. *artic.* 11.

Dico secundò. Privilegia concessa Religioni, censentur etiam ejus Abbatibus concessa; licèt de iis mentio facta non esset: quia in favorabilibus appellatione Collegii, aut Capituli, venit etiam Caput, sive Prælatus, Andr. Barbat. *in tract. de præstantia*, Card. *lib.*1. *quæst.* 7. *col.* 34. Felin. *in proœm. Decret. verb. Gregorius, col.* 4. *sub num.* 13. Roderic. *dicta quæst.* 51. *art.* 8. & his citatis D. August. Barbosa *in suo novissimo tractatu, de appellativa verborum utriusque juris signific. appellat.* 55. *num.* 2.

QUÆSITUM IV.

Vtrum privilegia Abbati, vel Prælato Regulari concessa ad Abbatem Commendatarium extendantur.

SUMMARIUM.

1 *Privilegia concessa Abbatibus Regularibus non extenduntur ad Commendatarios.*
2 *Privilegium non debet etiam propter similitudinem rationis de una ad aliam personam extendi.*
3 *Abbas commendatarius non gaudet de privilegiis Religionis, cujus Abbatia sibi commendata est.*

1 Respondeo, quòd nullo modo privilegia concessa Abbatibus Regularibus extendantur ad Com-
2 mendatarios. Privilegium enim non debet, etiam propter similitudinem rationis, de una ad aliam personam extendi, *cap. fané de privileg. cap. ult. de præbend. Clem.* 1. *de censib. cap. privilegium, de regul. jur. in* 6. ubi gloss. & Doctores communiter Card. *Clem.* 1. *de testam. quæst.* 6. Bart. *in l.* 1. *C. de constit. Princip.* Azor. *instit. Moral. part.* 1. *lib.* 5. *cap.* 23. *quæst.* 2. Salas *de legibus disput.* 17. *sect.* 8. *num.* 48. latè Petr. Barbos. *in l. quia tale, ff. soluto matrim.* Card. Tusc. *tom.* 6. *litt. P. conclus.* 746. Nam etsi Commendatarius perpetuus quodammodo verus Prælatus dici possit; tamen in aliquibus à vero Prælato differt; ut ait Gomesf. *super regul. Cancell. in reg. de triennali, quæst.* 5. *à* 1. *n.* 22. *versic. ex quibus facilè.* Præterea in Commendatariis, non est eadem ratio, quoad privilegiorum participationem, quæ in Abbate Regulari; quia Commendatarii non profitentur Ordinem, sive Regulam Monachorum Abbatiæ illis commendatæ: quorum nempe Ordinis & Regulæ gratia, privilegia ipsis Abbatibus Regularibus, certum est, fuisse impartita. Unde cessante in ipsis Commendatariis causâ finali privilegiorum, cessabunt etiam ipsa privilegia, arg. text.
3 *in l. Titia, §. usuras, ff. de legibus.* Ideò dicendum est, Abbatem commendatarium, non solùm non gaudere privilegiis Abbati Regulari concessis; sed nec etiam iis, quæ Religioni concessa sunt; cùm ipse appellatione Religiosorum non veniat; juxta doctrinam Bart. quem refert Rodericus *quæst. Regul. tom.* 3. *q.* 51. *art.* 9.

QUÆSITUM V.

Privilegia Abbatum, quomodo sint explicanda, quando continent verba obscura.

SUMMARIUM.

1 *Privilegia sunt interpretanda, quando continent verba obscura, & ambigua.*
2 *Privilegia alia favorabilia, alia odiosa.*
3 *Privilegiorum in explicatione servanda est verborum proprietas.*
4 *Privilegium favorabile latè est explicandum.*
5 *Privilegium odiosum strictè est explicandum.*
6 *Privilegium contra jus commune strictè interpretandum est.*
7 *Privilegium cedens in alterius præjudicium strictè est explicandum.*
8 *Privilegium semper censetur concessum, cum clausula; salva justitia.*
9 *Privilegia non sunt ita strictè interpretanda, ut nihil prosint.*
10 *Privilegium contra statutum, aut consuetudinem, conforme tamen juri communi, est plenissimè interpretandum.*
11 *Privilegii Pontificis verba interpretanda sunt secundum Canones, non leges.*
12 *Privilegia interpretanda sunt juxta conditionem, & statum personæ, cui sunt concessa.*
13 *Privilegia Religionis gratia concessa, sunt plenissimè interpretanda.*
14 *Privilegia concessa toti Religioni, vel Communitati in perpetuum habent vim legis, ac si essent in jure expressa.*

Pro intelligentia hujus Quæsiti, notandum est primò: Privilegia tunc esse interpretanda, quando continent verba obscura, incerta, dubia, & ambigua. 1
Quando autem in eorum verbis nulla est ambiguitas, interpretatio non habet locum, *l. ille, aut ille, ff. de legat.* 3. Unde magna est differentia inter privilegii interpretationem, atque illius extensionem; privilegii enim interpretatio tunc fit, cùm verba in ea posita obscura, vel ambigua declarantur: extensio autem cùm ad aliud quidpiam simile protrahuntur: ita Azor. *instit. moral. part.* 1. *lib.* 5. *cap.* 23.

Notandum est secundò, privilegium aliud esse favorabile, aliud odiosum. Favorabile est illud, quod 2
communi legi non adversatur, nec ulli præjudicium infert. Odiosum, quod licèt favorem privilegiario præbeat, est nihilominus contra jus commune, vel in tertii præjudicium.

Quæ quidem privilegii differentia, licèt ab aliquibus recipiatur; otiosam tamen eam judico, juxta ea quæ tradunt Surd. *cons.* 140. *n.* 73. & *consil.* 497. *n.* 4. Azor. *instit. moral. part.* 1. *lib.* 5. *cap.* 23. *quæst.* 2. Suar. *de legib. lib.* 8. *cap.* 27. Nam cùm omne privilegium strictè sumptum sit contra jus commune; hoc sufficit, ut odiosum censeatur, & restringendum, ut de dispensatione agens, ex hoc solo capite probat text. *in cap.* 1. *de filiis presbyt. lib.* 6. Quare distinctio illa minimè est necessaria, si de privilegiis strictè sumptis loquamur, quamvis in sanum sensum defendi posset, intelligendo de privilegiis latè sumptis: ita ut prior pars distinctionis, quæ agit de privilegiis favorabilibus, beneficia respiciat; posterior, quæ de odiosis tractat, intelligatur de privilegiis strictè sumptis, quæ sunt contra jus, vel in tertii præjudicium.

Tertiò notandum est, in explicandis privilegiis servandam esse verborum proprietatem juxta consuetam significationem verborum, & usum communem, 3
servari solitum in foro illius, à quo fuerunt concessa. Nam alias aliquid certum determinari non posset, si verba privilegii ad libitum explicarentur: dummodò aliquid absurdi ex verbis prædicto modo acceptis, non sequatur, ita Sylvest. *verbo privilegium, quæst.* 3. Azor. *part.* 1. *lib.* 5. *cap.* 23. *quæst.* 2.

Quibus præmissis dicendum est, privilegium favorabile latè esse explicandum, & plenissimè interpretandum, quantum rationabiliter judicatum fuerit, 4
servata verborum proprietate, ut habetur expresè in *l. beneficium, ff. de constit. Princip. & cap. quia circa. de privileg. & cap. dilecti, de donation. cap. olim de verborum signific.* Aristot. *lib.* 2. *Polit. cap.* 5. & 6. Si verò

pri-

5 privilegium est odiosum, strictè explicandum est, servata verborum proprietate; Princeps etenim in odiosis censetur, solùm derogare voluisse, quatenus per verba expressè declaravit; *l. quod jussit, ff. de emancip. liber.*
6 Unde si privilegium est contra jus commune, strictè interpretandum est, ut quam minimum juri communi deroget, ut colligitur ex *l. quoties, C. de prec. Imperat. offerend. l. si quando, C. de inoffic. testam. cap. 1. & 2. de fil. presbyt. cap. quod dilectio, de consang. & affinit.* quia privilegium, quod est contra jus commune, continet dispensationem juris communis; sed dispensatio est odiosa, & strictè explicanda; ergo privilegium quod est contra jus commune, strictè est explicandum; quatenus scilicet opus est, ut non extendatur, & amplietur derogatio juris communis, ultra proprietatem verborum in privilegio oppositorum, & mentem concedentis; atque ita docent gloss. & alii communiter *in d. cap. olim, de verborum signific.* Sylvest. *verb. privilegium, quæst. 3.* Navar. *in Sum. cap. 12. num. 9.* Azor. *dict. quæst. 2.* Suar. *de legib.*
7 *lib. 8. cap. 27. num. 5.* & alii. Similiter, si privilegium in alterius præjudicium cedat, strictè etiam est interpretandum, ut colligitur *ex l. 2. §. meritò, ff. ne quid in loc. publ.* Quia Princeps non censetur velle alterum privare jure suo, aut alteri damnum inferre;
8 nisi quatenus verbis expressit. Tum quia in privilegio semper subintelligitur clausula, *Salva Justitia,* ut docet Joan. Andr. quem citat Panormitan. *in cap. certificari, n. 9. de sepultur.* Salas *de legib. disp. 17. sect. 8. num. 47.* & alii proximè citati.

9 Non sunt tamen ita strictè interpretanda privilegia, ut nihil operentur, nec prosint; sed debent intelligi, ut aliquid conducant, & ut potiùs valeant; quam pereant. Nam justa Principis voluntas nunquam frustrari, aut inefficax reddi debet, *cap. in his, de privileg.* & ibi Panormitan. *in cap. Abbate, n. 6. de verborum signific.* Navar. Sylvest. Suar. Azor. *locis citatis.* Salas *d. sect. 8. num. 46. & 52.*

10 Item, privilegium contra statutum, vel consuetudinem, conforme tamen juri communi, est plenissimè interpretandum, Joan. Andr. *in cap. cùm tibi, n. 2. de verborum signific.* Panormitan. *ibidem in fine, n. 3. & in cap. olim, num. 5. eodem tit.* Azor. *dict. quæst. 20.* & alii apud Bonac. *de legibus, disput. 1. quæst. 3. part. 7. §. 1. num. 5. versic. dixi regulariter, in fine.*

11 Advertendum tamen est verba Privilegii Pontificii interpretanda esse secundùm Canones, non leges, teste Bald. *in l. si quando, la 1. C. de bon. vacantib. lib. 10.*

12 Notandum est etiam, quòd (ut ait Bartol. *in l. ex militari, ff. de milit.*) privilegia interpretanda sunt juxta conditionem, & statum personæ, cui conceduntur. Unde privilegia Religiosorum gratia concessa, sunt
13 plenissimè interpretanda. Nam summa ratio est, quæ pro Religione facit, *l. sunt personæ, ff. de relig. & sumpt. funer.* ita Azor.

14 Idem dicendum est de privilegiis, quæ toti Religioni, vel Communitati in perpetuum conceduntur; ea enim cùm sint Constitutiones perpetuæ, quæ non conceduntur uni, aut alteri personæ, sed Religioni, quæ perpetua est, & nunquam moritur, habent vim legis, ac si essent in jure expressa. Ita Henriq. *in Sum. lib. 7. cap. 22. num. 3. & cap. 24. num. 4.* Salas *disp. 20. sect. 10. num. 15.* Sanch. *de matrimon. lib. 8. disput. 1. num. 16.* citans alios, & Bonac. *dicto §. 1. num. 5. vers. si regulariter,* Azor. *d. cap. 23. quæst. 3.*

QUÆSITUM VI.

Utrum Abbates, & Prælati possint suarum Abbatiarum, & Ecclesiarum, ac proprii Ordinis privilegia interpretari.

SUMMARIUM.

1 *Interpretari ejus est cujus concedere,* & num. 2.
2 *Privilegium, cùm dubitatur de intentione, vel potestate concedentis, potest à solo Principe interpretari,* & num. 3.
4 *Privilegium, cum dubitatur, an sit validum, vel subreptitium, potest inferior Judex de eo cognoscere.*
5 *Jurisdictio contra Regulares quando dubitatur, an pertineat ad Episcopum, vel ad eorum Prælatos, Episcopus non potest esse Judex, & eorum privilegia interpretari.*
6 *Dubium quando est circa verba privilegii, ad quem spectet illius interpretatio, ostenditur.*
7 *Abbates, & alii Regulares Prælati, de jure possunt sua privilegia magistraliter, & doctrinaliter interpretari.*
8 *Generales Prælati possunt privilegia Religionum etiam juridicè interpretari, dummodo sint ambigua, secus autem quando sunt clara,* num. 9.

PRo declaratione, & interpretatione privilegii Sedis Apostolicæ, recurrendum esse ad Papam qui illud concessit; & pari ratione ad Regem, sive Principem, alias concedentem, probat ad hoc expressus text. *in cap. cùm venissent 12. de Judic.* cujus argumenta ita resolvunt, Cotta *in memor. verb. privilegium, pag. 709.* Surd. *consil. 558 n. 6.* Joan. Garz. *de nobilit. gloss. 1. §. 1. num. 1. vel 2.* Guttier. *pract. q. 28. num. 2.* Gail. *lib. 1 observat. 1. num. 7.* cum aliis citatis à D. Barbos. *in Collect. ad dictum cap. cùm venissent, num. 2.* Ratio est, quia ejus est interpretari actum, cujus est condere, seu actum facere; ut colligitur ex *l. si Imperialis majestas,* & ex *l. leges sacratissimæ, C. de legibus,* & ex *l. non ambigitur, ff. de eodem,* cum aliis multis, quæ congerunt Morla, *in empor. jur. p. 1. tit. de legib. n. 20.* Surd. *decis. 2. num. 5.* Menoch. *consil. 3. num. 22. & consil. 684. num. 23.* Decian. *consil. 36. n. 8. cum seq. vol. 5.* Alderan. Mascard. *de gener. statut. interpr. concl. 2. num. 146.* 1

Hoc non est adeo generale, quin aliquas limitationes patiatur. Nam aut dubium est de intellectu 2
privilegii, seu de intentione Papæ, vel Principis concedentis; & eo casu non debet adiri inferior, ut illud interpretetur; quia tunc habet locum vulgata regula, *ejus est interpretari, cujus est condere.* Ita gloss. *d. cap. cum venissent, verb. judicari,* & ibi etiam Innocent. & Panormit. *num. 3.* Oldrad. *d. consil. 230.* Sylvest. *verb. interpretatio, quæst. 2.*

Immò secundùm Panormit. etiam si casus esset clarus, quia non spectat id inferiorem talis declaratio, ut faciat jus, quoad omnes. Vel est dubium de po- 3
testate ipsius Papæ concedentis; & tunc neque inferior cognoscere potest, sed solus Papa concedens; Innocent. *in cap. ex parte, il 1. de verb. signific. cap. 1. de translat. prælat.* Nam judicare, si Papa potuerit concedere, esset judicare, seu diffinire super privilegiis concessis ipsi Sedi Apostol. & sic de facto, & potestate Apost. quod non licet, *can. 1. 16. quæst. 6. can. si quis suadente, 17. quæst. 4. can. cuncta per mundum, 9 quæst. 3.*
Vel est dubium, si privilegium validum sit, an sub- 4
reptitium; & tunc potest inferior Judex illud interpretari; ita Bald. *in prælud. feud. n. 18.* Panormit. *d. num. 3.* Sylvest. *loc. cit.* qui testatur de communi; quia tunc magis tractatur de privilegiato, quàm de privilegio. Ita etiam Erasm. Chokier. *de jurisd. Ordin. in exempt. part. 2. quæst. 13. n. 2.* Mirand. *in Man. Prælat. tom. 2. quæst. 44. art 1. concl. 2.*

Sed est hìc advertendum, quòd Prælatus inferior, qui esset privilegium interpretaturus, non potest illud interpretari in causa propria; quia hoc esset judicare in causa propria; quòd est res valde iniqua, *l. unic. C. ne quis in re sua jus sibi dic. canon. 1. & 2. 4. quæst. 4.*

Unde

5 Unde ad hoc fuerunt nonnulla privilegia à Sede Apostolica in favorem Regularium concessa, quòd in causa dubia, an jurisdictio contra ipsos pertineat ad Episcopum, an verò ad proprios Prælatos Regulares, ipsi Episcopo non liceat Judicem agere, & ipsorum privilegia interpretari, ne sit Judex in causa propria; ad quod reducitur speciale indultum, factum à Clemente IV. Fratribus Minoribus, atque Prædicatoribus, in quo prohibet strictè omnibus Ecclesiarum Prælatis, ne interpretari audeat privilegia ipsis Fratribus Min. & Prædic. concessa, sive sint clara, quæ interpretatione non indigent, sive dubia contineant, volens quod interpretatio super hujusmodi privilegiis dubiis, & obscuris Sedi Apost. reservata sit; ita refertur *in Com. privil. verb. privilegia Fratrum*, §. 5. & Alexander VI. *sub Dat. Romæ anno* 1501. *Kal. April. Pontif. sui anno* 8. concessit Congregationi S. Justinæ de Padua, ut quidquid dubii in privilegiis dictæ Congregationis, seu aliquo eorum pro tempore emerserit, data verborum ambiguitate, & varia peritorum interpretatione, in favorem d. Congregationis, & locorum particularium ejus, interpretari debeat; quod privilegium extensum fuit ad nostram Congregationem Vallis Umbrosæ à Julio II. in memorabili privilegio eidem nostræ congregationi concesso, *Anno Domini* 1507. *Idibus Julii, Pontif. sui anno quarto*, quod habetur authenticum in Monasterio Vallis Umbrosæ. Simile privilegium concessum est Societati Jesu, ut refert idem Mirand. *loc. cit.* quòd quotiescunque dubium fuerit super intellectu privilegiorum Societatis, inter Jurisperitos, & alios Judices, in favorem ejusdem Societatis fiat interpretatio. Si dubium versatur circa verba privilegii: tunc, vel sensus est clarus; & benè poterit inferior cognoscere, etiam in partium præjudicium; nam inferior interpretatur legem scriptam in præjudicium partium, Innoc. *in cap. cum specialis, de appell. l. unicâ, C. de professor. qui in Urb. Constant. lib.* 12. ergo à fortiori poterit interpretari legem non scriptam, quæ est privilegium. Ita Panormit. *d. num.* 3. Chokier. *d. quæst.* 13. *num.* 3. Sylv. *loc. cit.* Miranda *art.* 1. *concl.* 3.

6 Vel sensus, seu casus est dubirabilis: & eo casu, si de facili Princeps adiri potest, ad eum spectabit interpretatio, arg. *d. cap. cùm venissent, & d. cap. inter alia, & l. ex facto, in princ. ff. de vulgari, & pupillari substitut.* Sin minus poterit Judex inferior decidere hujusmodi casum per rationem aliquam naturalem, & verisimilem, quæ probari possit per expressa verba privilegii, vel per aliud simile; hujusmodi enim interpretatio, quæ fit per similia, etiam Jurisperitis concessa est, ut notat Petrus de Ancharan. *in Clementina secunda, de magist.* Ita Innoc. *in d. cap. cum specialis*, Panormit. *d. num.* 3. Chokier. *d. cap.* 13. *num.* 3. Sylv. *loco cit.* Mirand. *d. art.* 1. *conclus. ult.*

Hic autem notandum est, quòd licet regulariter interpretatio privilegiorum spectet ad Principem concedentem ex supradictis; tamen hoc est intelligendum de interpretatione, & declaratione judiciali, quæ de jure ad solum Summum Pontificem spectat; de qua generali, & juridica interpretatione intelligi debent verba apposita in constitutionibus Summorum Pontificum, quando dicitur, quod nemini liceat ipsas aliter interpretari; vel quòd sit sublata potestas, aliter definiendi, interpretandi, & determinandi; non autem de interpretatione, & declaratione doctrinali, & magistrali, quæ benè fieri potest ab Abbatibus, & aliis Religionum Prælatis: & interpretatio-

7 ni, seu explicationi hujusmodi factæ ab Abbatibus, seu aliis Religionum Prælatis possunt eorum subditi tuta conscientia stare. Ita Roderic. *quæst. Regul. tom.* 1. *quæst.* 11. *art.* 5. Joan. de la Cruz, *de stat. Relig. lib.* 2. *dub.* 2. *concl.* 2. *& seq.* Mirand. *Man. Prel. tom.* 2. *q.* 44. *art.* 2. *concl.* 2. qui testatur de communi, D. Barbos. *in Collect. ad d. cap. cùm venissent, num.* 4.

Ratio est, quia hujusmodi magistralem, & doctrinalem explicationem, sive interpretationem facere possunt, etiam quilibet Jurisperiti, ac Theologi; ergo poterunt etiam Regulares Prælati: immò eorum interpretatio, & declaratio majoris est ponderis, ac amplioris facultatis ad Religiosorum conscientias assecurandas, propter speciales Summorum Pontificum concessiones super hoc eis factas, quas referunt Roderic. Joan. de la Cruz, & Mirand. *locis cit.*

Verùm ex privilegio non solùm magistraliter, & doctrinaliter, verùm etiam juridicè eorum privilegia Regularium Prælati Generales interpretari possunt: 8 nam Julius II. per Bullam, quæ incip. *Considerantes, quòd multis*, relatam à Laurent. de Peirin. *tom.* 1. *privileg. sui Ordin. constit.* 13. *d. Pontificis, fol.* 470. concessit Generali Ordinis Prædicatorum; quòd si in Constitutionibus ejusdem Ordinis, aut circa privilegia, indulta, gratiasque, & exemptiones à S. Sede Apost. illi concessa, & conceden. concessas, aut conceden. &c. aliqua ambiguitas emerserit, idem Generalis illam (quoad serenitatem illarum conscientiarum, quæ sibi subjectæ sunt dumtaxat) interpretetur: quod privilegium intelligendum est de facultate interpretandi, & declarandi juridicè; non autem doctrinaliter, & magistraliter, quia hæc facultas non erat necessaria, cùm id, (ut diximus) cuilibet Doctori integrum sit; quapropter Religiosi tenentur declarationibus, & interpretationibus factis à Generali, circa Constitutiones, privilegia, exemptiones, &c. stare in his, quæ ad suarum conscientiarum serenitatem spectant. Quod etiam notat Laurent. de Peirin. *in annotat. ad prædict. constit.* 13. *Julii II. num.* 2.

Quod intelligendum est habere locum in ambiguis; 9 nam si res esset clara, Prælati interpretatio non requireretur; in claris etenim non est opus conjecturis. Ideò si privilegium, vel statutum aliquod clarum sit, & Generalis contrarium declaret, subditus ejus declarationi stare non tenetur, sed simpliciter privilegium, aut statutum observare. Prædictum enim privilegium non est in destructionem, sed in ædificationem; nec ad relaxandas; & confundendas, sed pacandas, & serendas subditorum conscientias traditum est. Ita Roderic. *quæst. Regul. tom.* 1. *quæst.* 11. *art.* 5. *vers. circa supradicta*, Laurent. de Peirin. *loc. cit.* & vide quæ dicta sunt superiùs *disputat. præcedenti quæst.* 4. *in* 3. *notab.*

QUÆSITUM VII.

Virùm valeat privilegium exemptionis Abbatibus, & Prælatis inferioribus concessum absque clausula derogatoria, Non obstantibus quibuscunque.

SUMMARIUM.

1 *Privilegium exemptionis concessum absque clausula derogatoria,* Non obstantibus quibuscunque, &c. *an valeat?*

2 *Privilegium est privata lex.*

3 *Clausula* Ex certa scientia, & motu proprio, *æquipollent clausulæ derogatoriæ,* Non obstantibus.

1 Respondeo affirmativè, nempè quod valeat privilegium exemptionis, seu contra jus commune Abbatibus concessum, etiamsi non adsit clausula, *Non obstantibus juribus in contrarium.* Ita Ostiens. *in sum. de rescript.* §. *quæ virtus, vers. sed potest distingui,* Joan. Andr. & Gemin. *in c. unico, de excessibus Prælat. in* 6. Nicol. Mylis. *in Repert. verb. privilegium, vers. privilegium contra jus commune, an valeat;* Cardin. *in clem.* 1. *in* 3. *quæst. de censib.* latè Felin. *in* cap.

cap. nonnulli, num.11. cum multis seqq. de rescript. ubi hanc sententiam multis auctoritatibus, & rationibus confirmat, & præcipuè quia privilegium est lex privata, *cap. privilegium, 3 dist.*

2 Et sic de sui natura derogat legi, & debet aliquid ultra jus commune operari, etiamsi non exprimat. Et hoc indubitatè procedit, quando ex ipsiusmet privilegii tenore clarè elicitur voluntas Pontificis volentis statuere contra jus; seu quod exemptionem concedere voluerit, ut ait Dec. *consil.*113 *num.*4. Idem videtur tenere Paris. *cons.*22. *num.*8. *vol.*4. quia quando constat de Principis voluntate, mandatum ejus valet, licèt sit contra jus, ut inquit Salyc. *in l. fin. in 1. cap. distinctionis, C. si contractus*, Carol. Tap. *in rub. ff. de constit. Princip. cap.*4. *num.*107. D. August. Barbos. *in tract. de clausul. usufreq. clauf.*83. *num.* 4. *secundùm Lugdun. impressionem.*

3 Alia ratio est, quia cùm Ordinariorum potestas ab auctoritate Summi Pontificis dependeat, *cap.* 1. *dist.* 22. ipse Summus Pontifex adversus eam, sive contra jus commune, ex certa scientia, & motu proprio rescribendo, censetur ei derogare voluisse; hujusmodi enim clausulæ æquipollent clausulæ derogatoriæ, *Non obstantibus*; ita gloss. *in cap. ex parte*, 2. *de off. deleg.* Paris. *d. cons.*22. *num.* 9. & 10. Dec. *consil.* 198. *in fin. cons.* 271. *num.* 8. & 9. Nicol. Mylis. *in Repert. verb. Scientia certa Principis, vers. & hoc sequitur*, Franc. Curt. *consil.* 21. Monet. *de commutat. ult. volunt. c.* 7. *num.* 10. D. August. Barbos. *in tract. de clauf. usufrequent. clauf* 59. *num.* 3. *secundùm Lugdun. impressionem.* Confirmatur auctoritate Baldi *in l. lapilli, colum.*3. *vers. ergo dico, ff. de reb. dub.* ubi dicit, quòd, eo ipso, quòd Princeps vocat concessionem suam privilegium, & bullatur Bulla privilegiorum, nulla alia clausula est necessaria: quia tunc satis constat, quòd ipso facto juri communi derogare voluerit: eo, quia natura privilegii talis est: Ita etiam Felin. *d. cap. nonnulli, d. num.* 11. & 12. *vers. ratio differentiæ.* Philip. Franc. *cap.* 1. *num.* 10. *per tot. de constit. in* 6. Insuper, 4 & si clausula, *Ex certa scientia*, nominatim non exprimitur; tamen satis est, ut certa scientia, ex tenore facti colligatur, ut communiter teneri dicit Felin. *in c. cùm inter, de except. & d. cap. nonnulli, n.* 2. quia assertio Principis idem operatur, ac si esset expressè apposita clausula, *Ex certa scientia*; *l. item Ulpianus, ff. de excus. tut.* Si autem concederetur privilegium exemptionis à jure habente clausulam derogatoriam, opus esset derogatione istius clausulæ. Navar. *ad c. si quando exceptio.* 1. *n.* 2. *de rescript.* videatur omninò Felin. *d. c. nonnulli, d. n.* 11. *& plurib. seq.*

QUÆSITUM VIII.

Quomodo intelligenda sit illa clausula, in privilegiis apponi solita, quæ dicitur, Ut non censeantur revocata, nisi de illis de verbo ad verbum mentio fiat.

SUMMARIUM.

1 *Privilegia, in quibus est clausula:* Ut non censeantur revocata, nisi de eis expressa de verbo ad verbum mentio fiat; *ut revocata intelligantur, debet in secundo privilegio apponi clausula,* Non obstantibus quibuscunque privilegiis, etiamsi de verbo ad verbum de illis mentio fieri deberet.

2 *Clausula generalis revocatoria non tollit privilegia de quibus facienda est expressa mentio.*

3 *Clausula,* Quorum tenores, *ex observantia Curiæ derogat quibuscunque privilegiis habentibus derogatoriarum derogatorias.*

1 QUandocunque privilegia concessa sunt cum hujusmodi clausula nempè, *Quòd non censeantur revocata, nisi de iisdem de verbo ad verbum mentio fiat*, requiritur ad hoc, ut intelligantur revocata, quòd in secundo privilegio contineatur hæc clausula, *Non obstantibus quibuscunque privilegiis, etiamsi de verbo ad verbum de illis mentio expressa fieri deberet*, ut notat Panormitan. *in cap. cum instantia, n.*6. *de censib.* Sylvest. *verb. privilegium, quæst.*10. *& verb. exemptio*, § 11. Cravett. *cons.* 126. *num* 2. Monet. *de commut. ult. volunt. c.* 8. *num.* 519. Ant. Gabr. *commun. lib.* 6. *tit. de clausul. concl.* 5. *n.* 12. Menoch. *de præsumpt. lib.* 6. *præsumpt.* 41. *num.* 22. & alii plures, quos refert D. Barbos. *in tract. de clauf. usufrequen. clauf.*83 *n.*7. Collect. *privil. Mendic. in Comp. verb. privilegia Fratrum*, §. 23. ubi movet quæstionem, quia in nonnullis privilegiis Regularibus concessis adest dicta clausula, *quòd non intelligantur revocata, nisi de eis de verbo ad verbum mentio fiat*; ut e. g. concessum est aliquibus Religionibus, ut non teneantur ad procurationem Legatorum, etiamsi in litteris eorumdem dicatur, quòd tam exempti, quàm non exempti, ad hoc opus teneantur, nisi de hujusmodi indulto, de verbo ad verbum mentio fiat: demum Summus Pontifex concessit Legato, ut possit exigere procurationem à quibuscunque personis, etiam exemptis: quamvis talia obtinerent privilegia, quòd de eis de verbo ad verbum mentio facienda esset, quæ voluit in litteris Legati haberi pro expressis. Unde movetur dubium, utrum per literas Legati censeatur derogatum illis privilegiis. Circa quam quæstionem major pars Doctorum tenet, quòd per prædictas literas Legati cuicunque privilegio derogatum sit; ut probat idem Collector ex sententia Felin. *in cap. nonnulli, de rescr.* idem censuit Panorm. *d. cap. cum instantia*, qui eandem quæstionem fusè tractat, & resolvit pro parte affirmativa; idem tenet Mirand. *in Man. Præl. tom.* 2. *q.* 45. *art.* 6. *conclus. unic.* Roder. *quæst. Regul. tom.* 1. *quæst.* 9. *art.* 6. & *tom.* 2. *q.* 77. *art.* 8. Et ratio est, quia Summus Pontifex hoc loquendi modo satis indicat, velle privilegium revocare: at privilegium vim habet ab ipsius Summi Pontificis voluntate. Secus autem dicendum est, de 2 revocatione facta, solummodo per clausulam generalem revocatoriam; ea enim non extenditur; quia Papa per clausulam generalem non sufficienter indicat velle hujusmodi privilegia revocare; ita Azor. *instit. mor. p.* 1. *lib.* 5. *c.* 22. *q.* 12. Bonac. *de legib. disp.* 1. *q.* 3. *punct.* 8. §. 3. *n.* 11. *vers. addo privilegium*, D. Barbos. *d. clauf.* 83. *num.* 7. *in fin.*

Censetur tamen sufficienter derogatum hujusmo- 3 di privilegiis per clausulam, *Quorum tenores*, per quam ex observantia Curiæ derogatur quibuscumque privilegiis habentibus derogatoriarum derogatorias, Rot. post alios *decis.* 213. *num.* 1. *part.* 1. & *decis.* 161. *num.* 1. *part.* 2. & *decis.* 88 *sub num.* 4. *lib.* 2. *part.* 3. *divers.* & *decis.* 466. *num.* 5. & *decis.* 666. *num.* 4. *part.* 1. *recent.* apud Gregor. XV. & *in Cernaclen. & Ferrarien. Præpositura, & benefic.* 15. *Decembris* 1625. *coram Remboldo*, & *coram eodem in Toletana indulti* 2. *Maji* 1625. in quibus fuit dictum, clausulam, *Quorum tenores*, fuisse adjunctam, ut daretur modus, quo Papa derogare posset gratiis præcedentibus, de quibus notitiam non habet; aliàs enim nimis arctaretur, si propter ignorantiam illas revocare non posset; videatur Gonzal. *ad reg.* 8. *Cancellar. gloss.* 36. *num.* 30. & *per tot.*

QUÆSITUM IX.

Utrum Religiosi uti possint privilegiis, à Sede Apostolica eis concessis, absque suorum Abbatum, & Prælatorum licentia, seu potius ipsis renuentibus.

SUMMARIUM.

1 *Abbates, & Prælati nonnulli, Generales, & Capitula Generalia, ac Provincialia, possunt suis subditis*

ditis auferre, & limitare usum quorumcunque privilegiorum.

2 *Abbates Generales, & capitula possunt etiam aliis Abbatibus, & Prælatis Ordenis auferre, & limitare usum privilegiorum.*

3 *Quæ de jure statuta sunt, habent vim obligandi ad culpam.*

1 RESpondeo, quòd nonnulli Abbates, & præcipuè Generales, & Capitula Generalia, & Provincialia habent auctoritatem auferendi, & limitandi suis subditis usum quotumcunque privilegiorum. Ut patet ex nonnullis privilegiis ad hoc a Sede Apost. Religionibus concessis; nam Clemens IV. concessit Cisterciensibus:

Ut indulgentiæ omnes, & litteræ per quascunque personas ejusdem Ordinis contra communia ipsius statuta à Sede Apost. vel ejus Legatis, sub quacunque forma, vel expressione verborum impetratæ, irritæ sint, & inanes.

Quod privilegium refert Mirand. *in Man. Prælat. tom.2. q.43. art.4. conclus. unic.* ubi etiam subdit, eundem Clementem IV. concessisse eidem Ordin. Cistet. quòd Pater Abbas subjectum sibi Abbatem, possit in certis gravibus casibus deponere, inter quos hunc tanquam gravissimum expressit. Si contra communia ipsius Ordinis statuta privilegia impetraverit, vel retinuerit, aut uti præsumpserit impetratis; de qua re nos tractavimus suprà *in disp.13. quæst.2. n.8.* Et Gregorius XIII. Pont. Max, anno Domini 1571. die 3. Maji:

Concessit, ac decrevit, ne Personæ Societatis JESU, absque expressa Superiorum earumdem licentia, uti possint facultatibus in Jubilæis, aut Bullis Cruciatæ Confessionalibus, aut aliis quibuscunque Apostolicis Indulgentiis, quomodocunque hactenus concessis, & in posterum concedendis; & declaravit præterea, posse Superiorem, dum hujusmodi licentiam concedit, limitare eam ad usum unius, aut alterius facultatis, & prohibere usum reliquorum etiam in eadem Bulla, aut indulto contentorum.

Ut habetur in Comp. ejusdem Societatis, *tit. gratiarum usus*, §.2. quo privilegio uti possunt omnes Religiones per communicationem.

2 Ex quibus videtur resolvendum, quòd Abbates, Generales, & alii Superiores Abbates, & maximè Capitulum Generale potest limitare, restringere, nec non etiam auferre Abbatibus, & aliis regularibus sibi subjectis, quorumvis privilegiorum, & gratiarum usum. Videatur Mirand. *loc. cit.* & Roder. *quæst. Regul. tom.1. quæst.9. art.2.*

Advertendum tamen est, quòd supradicti Generales, vel Provinciales Prælati, & Capitula Generalia, vel Provincialia nequeunt, virtute prædictarum concessionum, tollere aliquid, quod sit contra usum sacrorum Canonum;

3 nam quæ de jure statuta sunt, habent vim obligandi ad culpam, vel pœnam, juxta ipsius Juris dispositionem, quæ obligatio in totum à Prælatis tolli nequit. Quia licèt de jure inferior dispensare possit in lege Superioris, justa de causa in casibus particularibus, non tamen tollere potest obligationem inditam à Superiore, etiam in casibus particularibus: si ab ipso Superiore specialem ad id facultatem non habeat.

QUÆSITUM X.

Abbatum, & Prælatorum, ac Abbatiarum, aut aliarum Ecclesiarum privilegia quomodo reddantur invalida.

SUMMARIUM.

1 *Privilegium subreptitiè impetratum nullum est.*

2 *Privilegium faciens contra id, quod in privilegio concessum est, amittit privilegium.*

3 *Privilegium cessat, cessante ejus causa, vel quando incipit esse damnosum privilegiato.*

4 *Privilegium cessat per renunciationem, & hoc quomodo sit intelligendum.*

5 *Privilegium concessum contra constitutionem, aut consuetudinem, vel datum contra sententiam, nihil valet.*

6 *Privilegium amittitur, si concedatur secundum, in quo expressa mentio cum derogatione de primo fiat, vel per concedentis, vel successoris revocationem.*

7 *Privilegium quandonam expressè, & quandonam tacitè revocetur.*

8 *Voluntas non fertur in incognitum.*

9 *Privilegium in corpore juris non clausum, est quoddam privatum jus.*

10 *Privilegium in corpore juris contentum, revocatur per posterius contrarium privilegium.*

11 *Princeps non præsumitur velle alteri tollere jus quæsitum absque ejus cognitione, & gravissima causa.*

12 *Privilegiorum pro non revocatione in dubio judicandum est.*

PLuribus modis privilegia nulla atque invalida redduntur. Primò, quando obreptitiè, & subreptitiè quis aliquod privilegium impetravit: nempe per suggestionem alicujus falsæ causæ, ob quam, ut veram suppositam, tale privilegium fuit sibi concessum, *can. literis, & can. rescripta, 25. q.2. cap. super literis, de rescript.* ubi dicitur, quòd mendax precator, debet carere impetratis; in qualibet enim gratia est subintelligenda conditio, *Si preces veritate nitantur*, etiamsi non adsit; ut habetur *cap.2. de rescript.* 1

Secundo modo, privilegium invalidum redditur, si Abbas, qui illud est adeptus, faciat contra id, quod in privilegio concessum exprimitur, *cap. porrò, &c. recepimus de privil.* ubi habetur, quòd privilegium ipso facto cessat, si privilegiatus faciat contra ea, quæ in eodem concessa exprimuntur. 2

Item cessante causa privilegii, cessat etiam privilegium; probatur ex *cap. cum cessante, de appell.* ubi dicitur, quòd cessante causa, cessat effectus. Item quando privilegium incipit esse damnosum ei, in cujus favorem est concessum, fit nullum; probatur ex *cap. suggestum, de decim. & cap. quod per novale, de verb. signif. & reg. quòd ob gratiam, de reg. jur. in 6.* ubi dicitur, id quod ob gratiam alicujus conceditur, non esse in ejus dispendium retorquendum. 3

Tertio modo, amittunt privilegium Abbates, si expressè illi renunciaverint, *cap. nuper de decim.* Panormit. *in cap. si terra, num.5. de privileg.* Sylvest. *verb. privilegium, q.10. dist.8.* & hoc est intelligendum quoad jus spectans ad ipsum renunciantem tantùm; secus verò, si attingat Papam, sive aliquem tertium: unde Abbas exemptus exemptionis privilegio renunciare non potest absque licentia summi Pontificis, per text. *in cap. cum tempore, de arbitr.* & diximus latè suprà *in disput.16. quæst.9. per tot.* nec etiam poterit sui Conventus privilegio renunciare, sine consensu ejusdem Conventus, gloss. *in cap. cùm dilectus, verb. repromisit*, & ibi Innoc. Abb. Bald. Butr. *num.5. & 6. de relig. domib.* Rota *decis.12. n.8. part.2. divers.* Quilibet enim potest privilegio, & favori suo renunciare: dummodo jus Superioris, aut tertii, non tangat. Ita etiam Panormit. *d. cap. si de terra, n.5. de privil.* Unde si Abbas, vel alius Prælatus Regularis alicui privilegio renunciaverit, nihil nocet; quia privilegium non illi, sed Religioni concessum est; ita Bald. *cons.317. l.4. n.4.* & Roder. *quæst. Regul. tom.3. q.31. art.1.* 4

Quarto

Quarto modo, invalidum, nullumque est privilegium concessum, si erit contra Constitutionem aliquam, aut consuetudinem, vel sententiam, nec de eis mentionem faciat, ut ait Sylvest. *loc. cit. dicto* 2. quod probat ex *cap. cùm nos, de his, quæ fiunt à Prælatis, & ex cap.* 1. *de const. in* 6. & ex *cap. inter dilectos, de fid. inst.* quæ jura disponunt, quòd privilegium concessum contra constitutionem, aut contra consuetudinem, vel datum contra sententiam, nihil valet, si de eis mentionem non faciat; videatur gloss. *in cap. privilegia,* 25. *q.* 2. ubi de hac re plura adducuntur.

6 Quinto amittitur, nullumque & invalidum redditur privilegium, si conceditur secundum, & in eo fiat plena, atque expressa mentio de primo, non verò aliter, ut habetur *in cap. veniens de præscript.* & ait idem Sylvest. *loco cit.* 6. *dict.*

Amittitur sexto, privilegium, & irritatur, atque invalidum redditur per concedentis, seu illius successoris revocationem; ut ait Felin. *in cap. quæ in Ecclesiarum de constit.* idem Sylvest. *ubi supra in* 7. *dict. arg. l. judicium, ff. de judic.*

7 Hæc autem revocatio dupliciter fieri potest: vel expressè per verba sufficienter indicantia revocationem privilegiorum in specie, sive in genere, ut si dicatur, *Non obstante tali privilegio*, vel *non obstantibus quibuscunque privilegiis:* Vel tacitè, ut si concedens faciat aliquem actum, qui non possit subsistere, absque derogatione privilegii, ut si Papa jubeat, exigi decimas ab eo, quem exemerat à decimarum solutione: quia Pontificis voluntas, non solùm verbis, verùm etiam factis manifestatur, ita Felin. *cap. nonnullis, de rescript.* Suar. *de legibus lib.*8. *c.*38. *n.*3. *& c.*14. *n.*8. Salas *de leg. disp.*17. *sect.*14. *n.*72. & alii per eum citati, & Bonac. *de leg. disp.*1. *q.*3. *part.*8. §.3. *n.*14.

Hoc tamen limitandum est primò, dummodo Papa sciat, adesse tale privilegium; quia ad tacitam privilegii revocationem requiritur, ut Princeps illud cognoscat; nam voluntas non fertur in incognitum Suarez *d. lib.*8. *c.*28. *num.*5. Unde privilegium, quod non est clausum in corpore juris, non revocatur per posteriorem contrariam constitutionem, vel per aliud contrarium privilegium, nisi in eo fiat expressa mentio privilegiorum, etiamsi posterius sit insertum in corpore juris; Princeps enim præsumitur ignorare jus particulare, nisi ipsius faciat mentionem, *c.*1. *de const. num.*6.

8

9 At privilegium in corpore juris non clausum, est quoddam privatum jus alterius; ergo illud Princeps ignorare præsumitur; ergo non præsumitur, illud revocare, nisi expressam de eo mentionem faciat: facit text. *in cap. veniens de præscript.* ubi irritum decretum fuit quoddam privilegium, in quo de primo mentio facta non fuit. Ita Suarez *c.*39. *n.*2. Salas, & Bonac. ubi proximè, qui testatur de communi, contra Panormit. *in cap. ex parte, de Capell. Monac.* & alios per eum adductos.

10 At è contra privilegium in corpore juris contentum revocatur per posterius contrarium privilegium, sive hoc sit clausum in corpore juris, sive non; sive sit speciale, sive generale; quia Princeps jus commune ignorare non præsumitur. Ita Felin. *in d. cap. nonnullis, de rescript.* Suar. *d. cap.*39. *n.*3. Salas *dict. sect.* 14. *n.*77. Bonac. *d.* §.3. *n.*17. *vers. hoc tamen contrà.* Panormit. *d. cap. ex parte,* & alii.

Secundò limitandum est, dummodo prius privilegium non sit generale, posterius verò speciale; sic enim primum revocatur per posterius; etiam si in hoc non fiat mentio de primo, *cap. quamvis, & cap. dudum,* §. *nos igitur de præbend. in* 6. Ita Sylvest. *verb. privilegium, quæst.*10. Suarez *loc. cit.* Salas *dict. sect.*14. *num.*74. *&* 79. Bonac. *d.* §.3. *num.*17. *vers. secundò limita:* Si verò utrumque est generale, vel utrumque speciale, vel primum speciale, secundùm verò generale; tunc nisi in secundo expressè derogetur priori, prius remanet in suo robore; ita ajunt Salas *d. n.*74. & Bonac. *loc. cit.* qui testantur de communi. Hæc tamen intelligenda sunt, dummodo privilegiatus per prius privilegium non acquisierit rem sibi concessam, ac eam tanquam propriam possederit; quia Princeps 11
non præsumitur velle alterius tollere jus quæsitum absque ejus cognitione, & gravissima causa: ut docent gloss. & Panormit. *in d. cap. veniens, de rescript.* Suar. *d. cap.*39. *n.*8. Salas *d. n.*74. *in fin. & n.*79. *& disp.*20. *sect.*18. *n.*126. Bonac. *d. n.*17. *vers. ex dictis, ad finem.*

Verùm in dubio est judicandum pro non revocatione privilegiorum, Gloss. 25. *q.*2. *in summ. propè fin.* Federic. de Sen. *cons.*233. *col. fin. vers. item non potest.* Roman. *cons.*327. *num.*1. Boër. *de potest. legat. à later. n.*44. *vers. tum etiam,* Gambar. *de offic. leg. lib.*8. *tit. de potest. legat. in legib. & statut. in fin.* Seraph. *decis.*296. *num.*1. *quæ est repetita part.*1. *divers. decis.*468. 12

QUÆSITUM XI.

Utrum privilegia Abbatibus, & Prælatis concessa amittantur, vel cessent illorum morte, vel cessatione à dignitate, vel ad successores trahantur.

SUMMARIUM.

1 *Privilegium aliud personale, aliud reale.*
2 *Privilegium personale cessat per mortem illius, cui concessum fuerat; reale autem transit, cùm dignitate, vel officio cui adhæret.*
3 *Privilegium quandonam censeatur personale, & quando reale.*
4 *Quando quis potitur privilegio ratione dignitatis, vel muneris, quo fungitur, extra illam dignitatem positus, non potest amplius uti privilegio.*
5 *In dubio privilegium censetur potius personale, quàm reale.*

PRo hujus Quæsiti intelligentia clariori, supponendum est, privilegium aliud esse personale, aliud reale. Privilegium personale est illud, quod immediatè conceditur ratione sui. Privilegium reale est, quod conceditur directè alicui rei: v. g. loco, dignitati, vel officio. 1

Secundò, supponendum est, privilegium personale extingui morte illius, cui concessum fuerat; quia privilegium personale cùm sit concessum personæ, censetur illi inhærere; ergo extincta persona, extinguitur privilegium illi concessum, juxta vulgatam regulam, corruptis nobis, corrumpuntur ea, quæ sunt in nobis. 2

Privilegium autem reale, id est dignitati, vel officio concessum, non extinguitur interitu, vel cessatione illius, cui concessum fuerat, sed transit ad illos, qui talem dignitatem, vel officium successivè adipiscuntur; quia dignitas, & officium sunt perpetua, nec intereunt, & successor repræsentat prædecessorem, non ut particularem personam, sed ut habentem talem dignitatem, vel officium; ita gloss. *in cap. privilegium, verb. privilegium personale, circa med. de reg. jur. in* 6. Azor. *institut. moral. part.*1. *lib.*5. *cap.*22. *quæst.*6. Suar. *de legib. lib.*8. *cap.*3. *n.*3. Salas *eodem tractatu, disp.*17. *sect.*2. *n.*13. *& sect.*17. *n.*124. Sanchez *de matrim. lib.*8. *disp.*27. *n.*2. Bonac. *de legib. disp.*1. *quæst.*3. *punct.*8. §.1. *num.*2.

Ex his patet, quid dicendum sit pro resolutione hujus Quæsiti; privilegia enim concessa Abbatibus, intuitu personæ, non autem dignitatis, vel officii, illorum morte finiuntur, & cessant, nec ad eorum successores transmittuntur; at privilegia eis concessa ratione dignitatis, & officii, & quatenus Prælati sunt, realia censentur, & acquiruntur dignitati, ac officio,

nec extinguuntur morte, vel cessatione personarum, quibus concessa sunt, sed ad successores transeunt, ut patet ex dictis.

3 Difficultas autem est, quandonam privilegium censeatur concessum personæ, & quandonam dignitati, vel officio, ad quod conjectandum distinctione opus est. Nam vel privilegium concessum est alicui Abbati, expresso solo nomine personæ, cui conceditur, ut si v. g. dicatur: Concedimus Horatio. Vel est concessum, expresso solo nomine dignitatis, & officii, ut si dicatur; Concedimus Abbati Monasterii Sanctæ Mariæ Vallis Umbrosæ: vel expresso utroque nomine, personæ scilicet, & dignitatis, ut si dicatur: Concedimus Horatio Abbati Monasterii Sanctæ Mariæ Vallis Umbrosæ.

Primo casu, privilegium censetur personale; nisi aliter ex circumstantiis appareat, & consequenter morte personæ, cui concessum est, extinguitur, nec transit ad successores.

Secundo casu, censetur concessum dignitati, & officio, non autem personæ; & per consequens non extinguitur, nec cessat morte, vel cessatione ejus, qui hujusmodi privilegium obtinuit; sed transit ad ejus successorem in dignitate, & munere Abbatiali; dignitas enim nunquam extinguitur, sed semper manet. Verùm hoc limitatur; nisi aliunde ex circumstantiis, aut verbis, vel ex subjecta materia colligatur, privilegium esse personale, ut e. g. Si Papa in Rescripto Apostolico, solùm exprimit nomen dignitatis, concedens privilegium Abbati Monasterii Vallis Umbrosæ, declarans, se illud concedere, ob peculiarem scientiæ, & probitatis notitiam, quam de illo habet; privilegium censebitur personale; licèt non sit expressa persona, sed tantùm dignitas; nam ex verbis patet, non fuisse habitam rationem dignitatis, sed personæ. Sanctitas enim, & doctrina non afficiunt propriè ipsam dignitatem, sed personam, quæ illas suis laboribus, atque industria comparavit.

Denique tertio casu, videlicet, quando nomen personæ, & dignitatis simul exprimuntur, privilegium præsumitur personale, atque morte, vel cessatione illius, cui fuerat concessum, extinguitur, & cessat; quia nomen dignitatis est generale; at nomen personæ est speciale, & proprium; ergo illud per hoc speciale limitatur, ut genus per speciem; & alioquin nomen personale in privilegio frustrà apponeretur. Ita Sanch. *dicta disp.27. n.3. & 20.* Salas *dicta sect.17.* Bonac. *d. §.1. num.3.*

4 Igitur, quando quis potitur aliquo privilegio, ratione dignitatis, vel muneris, quo fungitur, si deinde ad aliam dignitatem promoveatur, vel à prima cesset, non potest ampliùs uti privilegio; ita Azor. *d. cap.22. quæst.6. ad fin.* Salas *d. sect.2. num.13.* etiam circa *finem.*

5 Insuper notandum, quòd in dubio privilegium censetur potiùs personale; & præsumptio respiciens personam, præfertur præsumptioni respicienti dignitatem; quia præsumptio specialis generalem cessare facit, cùm generi per speciem derogetur. Ita Decius *in cap. quoniam,* Abbas *in nova edit. n.36. de offic. delegat.* Menoch. *de arbitr. jud. lib.2. casu 477. num.14. & de præsumpt. lib.1. præs.29. n.7.* Sanch. *d. disp. n.4.* Bonac. *d. §.1. num 4.* De materia videnda sunt dicta suprà *disp.13. quæst. 4.*

QUÆSITUM XII.

An, & quando Princeps possit privilegium à se concessum revocare, limitare, seu restringere.

SUMMARIUM.

1 *Princeps suum privilegium gratiosum, etiam sine causa revocare potest.*

2 *Princeps in dubio præsumitur, auctoritate legibus ordinata, uti voluisse.*

3 *Feudi concessio gratiosa, de potestate absoluta revocari potest; tamen de potestate legibus ordinata, absque causa illud fieri non potest.*

4 *Privilegium revocare potest Princeps, necessitate cogente.*

5 *Privilegium, quod transivit in contractum, etiamsi subdito fuerit concessum, non potest Princeps revocare.*

6 *Princeps ex contractu efficaciter obligatur.*

7 *Princeps in iis, quæ sapiunt contractum, nititur jure privati.*

8 *Deus omnium conditor ex promissione obligari voluit.*

9 *Privilegia, ex causa meritorum concessa, non possunt à Principe revocari.*

10 *Privilegia pecunia obtenta, habent vim contractus onerosi; ac proinde non possunt per Principem revocari.*

11 *Privilegii concessio facta, pretio mediante, transit in contractum, quando illud æquipollet rei concessæ.*

12 *Merita debent æquipollere concessioni, sicut pretium, quod datur pro re concessa.*

13 *Actus judicatur secundùm illud, de quo magis participat.*

14 *Compositiones remanent gratiosæ, si illud, quod solvitur, non æquivalet ei, quod conceditur; ita ut illas obtinens non dicatur eas habere, ex causa onerosa.*

15 *Juspatronatus ad hoc ut sit ex causa onerosa, spectari debet, quod expensum fuerit, an scilicet æquivaleat concessioni.*

16 *Augmentum, quando non est commensurativum ad concessionem juríspatronatus, non desinit esse ex privilegio, nec privilegii nomen amittit.*

17 *Princeps ipse, sive ejus successor non potest privilegium ex causa onerosa obtentum, vel prædecessoris sui, revocare.*

18 *Princeps, data justa causa, potest limitare, restringere, & in totum revocare contractum, à se cum subdito celebratum; ac proinde privilegium transiens in contractum. Dummodo causa publicam respiciat utilitatem,* num. 19.

20 *Princeps ex causa publica utilitatis potest alteri in re sua præjudicare; immò illam auferre, præstita tamen recompensatione,* ut num. 21. *quidquid tenuerint alii,* ut num. 22.

Communis est Doctorum sententia, posse Principem suum privilegium gratiosum, etiam sine causa, revocare; ut tradunt Bald. *in l. qui se patris, n.14. C. unde libert.* Felin. *in cap. quæ Ecclesiarum, n.51. de constit.* Grammat. *decis. 46. n.5.* Capic. *decis. 121. n.16. & decis. 166. num.1.* Roland. *consil. 66. n. 8. volum.2. & consil.13. n.3. vol.3.* Natt. *consil.511. n.3. & consil.657. num.5. vol.4. ubi num.6.* loquitur de privilegio studiorum, & exemptionis, Carol. Tapp. *in l. fin. ff. de Constit. Princ. p.2. cap.9. num.56.* 1

Intellige, procedere supradicta de potestate absoluta, secundùm quam potest Princeps pro libito voluntatis privilegiis gratiosis derogare, si expressè id exprimat; quia in dubio, auctoritate legibus ordinata uti voluisse præsumitur, ut inquiunt Innocent. *in cap. innotuit sub num. 5. de elect.* Boss. *in tit. de Principe, num.193.* Roland. *consil.86. num. 18. vol. 1.* Menoch. *de præsumpt. lib.2. præsumpt.12. num.1.* Ludov. Rodulphin. *de absol. Princip. potest. cap.3. num. 1.* qua stante, non licet principi privilegium, etiam gratiosè concessum, revocare sine causa, sicut tradit Roland. *consil.13. num.53. vol. 3.* 2

Unde

3 Unde provenit, quòd licèt concessio feudi gratiosa de potestate absoluta revocari possit, Socc. consil 87. n.13. & 14. vers. aliquando vol.13. Gozad. cons.8.n.38. & 45. Curt. Junior consil.138.n.4. Petr. de Gregr. de concess. feud. part.1. q.7.n.1. & 2. Pereg. cons.4. sub n.21. vol.1. & de jure fisc. lib.1.tit.3 sub num.51. Tamen de potestate legibus ordinata, absque causa illud fieri non potest, gloss. in cap.1. in fin. de his, qui feud. dare poss. & in cap.1. de feud. sine culpa non amitten. Afflict. decis.282.n.7. Grammat. decis.65.n.33. Boer. decis.225. Surd. decis.189. num.15. Menoch. de præsumpt. lib.2. præsumpt.10. num.50.

4 Verùm id poterit licitum esse sine causa Principis, si saltem ita coegerit, & induxerit necessitas, secundùm gloss. in regul. decret. de regul. jur. lib.6. & quæ communiter resolvunt Doctores, quos plena manu refert & sequitur Anton. Gabr. com. opin. lib.3. tit. de jur. quæsit. conclus.7. & plenissimè Suar. de legib. lib.8. c.37. à principio.

5 Privilegium autem, quod transivit in contractum, etiamsi subdito fuerit concessum, non potest Princeps revocare, ut resolvunt Bald. in d.l. qui se patris, n.24. Afflict. decis.128. n.10. Natt. cons.268. num.5. vol.2. Cravett. cons.869. n.7. & cons.963. n.26. Osasc. decis.139. num.23. Cephal. cons.559. n.89. vol.4. Petra de Potest. Princ. fol.176. n.84. Peregr. de jur. fisc. lib.3. tit.3. n.28. Sanctarell. var. resol. lib.1. quæst.17. num.3. cum aliis citatis per D. Barbos. in collect. ad cap.1. n.9. de probat.

6 Generale enim est Principem ex contractu efficaciter obligari, ad text. in l. Cæsar, secundùm communem intellectum, ff. de publican. Doct. in d. cap.1. ubi Felin. n.1. & Bero. n.2. Menoch. d. lib.2. præsumpt.10. n.49. Tapp. in d. l. fin. c.9. n.5. in 2. part. Ludovic. Rodulphin. de absol. Princip. potest. c.6. n.171. cum seq. & alii plures, quos plena manu congessit D. Barbos. in collect. ad d. cap.1. num.4.

7 Nam in iis, quæ sapiunt contractum, Princeps utitur jure privati, Roland. à Vall. cons.13. num.45. vol.3. Vicent. de Franc. dec.17. n.6. Cravett. cons.640. n.8. Surd. decis.2. num.21. cum seq.

8 Et hoc idem de Deo omnium conditore, post Magistr. sentent. communiter tradunt Doctores, & ex Jurepetitis observat. Bald. in l.1. ff. de pact. ubi ait, Deum omnipotentem ex promissione obligari, Curt. Sen. cons.68 sub n.2. Cravett. cons.241. sub n.12. vers. immo sola promissio. Ferret. cons.32. sub n.21. fin. vol.1. Peregr. de jur. fisc. lib.6. tit.1. n.9. Ludov. Rodulphin. d. tract. c.6. num.180.

9 Amplia primò, ut non solum supradicta procedant in privilegiis à Principe concessis, quæ transierunt in contractum; sed etiam in illis, quæ ex causa meritorum concessa fuerunt; ut tenet Afflict. decis.128. n.10. Tiraquell. in l. si unquam verb. donatione largitus, n.11. C. de revocand. donat. Natt. cons.122. num.24. Becc. cons.119. num.48. vol.2. Surd. cons.419. num.51. quod vendicat sibi locum, etiamsi tale privilegium sit subdito concessum, secundùm Natt. consil.268. num.5. Bursat. consil.16. num.44. & seq. vol.1. Bardel. cons.22. num.20. Tiraquel. in d. l. si unquam, verb. donatione largitus, num.11. ubi ex more, multa congerit, quibus probatur, quòd concessa, vel data ob remunerationem sunt irrevocabilia, uti habita titulo oneroso, Riminald. Jun. cons.289. num.7. & cons.323. num.5. vol.3. ubi attestatur, nec ex capite ingratitudinis tale privilegium, vel aliam similem concessionem ex causa meritorum, revocari posse, Surdus consil.540. numer.39. & consil.219. num.51. ubi loquens de privilegio immunitatis concesso propter merita, dicit illud revocari non posse, multisque auctoritatibus probat, attestantibus concessa ex causa meritorum esse irrevocabilia.

10 Amplia secundò, procedere in privilegiis pecunia obtentis, seu oneroso alio titulo comparatis; illa enim habent vim contractus onerosi, Roland. cons.13. n.11. vol.3. Peregr. de jur. fisc. lib.1. tit.3. n.38. Surd. cons.419. sub num.53. vol.3. ac proinde per Principem revocari non possunt, Menoch. cons.461. num.12. Sanch. de matrim. lib.8. disp.33. num.3. D. Barbos. in Collect. ad d. cap.1. num.9. & in responso pro privilegio à S. D. N. Urbano VIII. sibi concesso in vers. non obstat, quod privilegium, quod impressum reperitur in principio suorum operum, & in tract. de claus. usufrequen. claus.83. num.9. latissimè Gabr. conclus.6. de jure quæs. non tollend. per tot. Rota in Acheruntina fructuum 2. Decembris 1591. coram D. Cardinale Hieronymo Pamphilio.

11 Intellige tunc demum, & non aliter, concessionem privilegii factam pretio mediante transire in contractum, & onerosum parere titulum, quando illud æquipollet rei concessæ, & habet secundùm Bald. in d.l. qui se patris, C. und. lib. cum ea perpetuam com- 12 mensurationem; nam sicut merita debent æquipollere concessioni, Natt. cons.188. n.2. & cons.511. n.8. & cons.600. n.37. Rimin. Jun. cons.289. n.20. vol.3. sic pariter debet æquipollere pretium, quod datur pro re concessa, Peregrin. d. tract. de jur. fisc. lib.1. tit.3. n.29. Roland. cons.13. n.12. vol.3. Menoch. cons.981. num.1. 13 Osasc. decis.189. n.10. sentientes, quod quando concessio præponderat, est gratia, nec puri privilegii nomen amittit; quia actus judicatur secundum illud, de quo magis participat, arg. l. quæritur, ff. de stat. hom. l. fundi partem, ff. de contr. emp.

14 Hinc fit, ut in materiis componendis, pro quibus solvitur magna compositio, si illud, quod solvitur, non æquivalet ei, quod conceditur, remanent hujusmodi compositiones gratiosæ, & illas obtinens non dicitur eas habere ex causa onerosa, Rot. dec.457. n.17. p.1. Divers. Nicol. Gar. de benef. part.6. c.2. n.194. quos refert & sequitur D. Barbos. in d. responso, vers. sic etiam in materiis componendis, & d. claus.83. n.12.

15 Eodem modo ad hoc, ut juspatronatus sit ex causa onerosa, spectari debet quod expensum fuerit, an scilicet æquivaleat concessioni, quia ubi non æquivalet, concessio ipsa judicari potius debet gratiosa, quàm onerosa, secundùm Rot. dec.58. n.8. & decis.88. n.4. part.1. Recent. & fuit dictum in Cæsaraugustana de Mella 31. Januarii 1618. coram Reverendissimo Coccino Decano, ubi expressè habetur, quòd quando augmen- 16 tum non est commensurativum ad concessionem juspatronatus, non desinit esse ex privilegio, nec privilegii nomen amittit, prout refert D. Barbos. d. claus.83. n.13. & 14.

17 Amplia tertiò, ut non solum Princeps, sed nec etiam ejus successor, sive per electionem, sive per successionem possit suum contractum, seu privilegium, ex causa onerosa obtentum, vel prædecessoris sui infringere, aut aliter ab eo recedere, ut latè resolvunt Ant. Gom. variar. tom.2. cap.1. n.1. Bursatt. cons.160. sub n.36. vol.2. Roland. cons.13. n.36. vol.3. Menoch. cons.1. num.228. & cons.264. n.15. & 17. Gam. Lusit. decis.335. num.5. Suar. de legib. lib.3. c.35. num.23. & plures alii, quos refert D. Barbos. in collect. ad d. c.1. n.7. ubi in additionibus noviter impressis multo plures citat.

18 Data tamen justa causa, non solum licere Principi contractum à se cum subdito celebratum, & per consequens privilegium transiens in contractum, limitare, eique modum, & conditionem præscribere, voluerunt Molin. de primogen. lib.4. cap.3. à num.17. Matien. l.11. gloss.8. n.4. tit.7. lib.5. nova recopil. Peregr. de jur. fisc. lib.1. tit.3. num.67. Cabed. Lusitan. dec.19. num.10. & decis.68. part.3. sed etiam in totum revocare secundum Roland. cons.66. n.24. Pinell. in l.1. C.

de bon. mater. part. 3. *n.* 62. *illat.* 16. *verf. ego*, Alex. *conf.* 216. *n.* 18. *vol.* 2. Ant. Gabr. *commun. tit. de jur. quaf. conclus.* 5. *n.* 42. Menoch. *de præsumpt. lib.* 2. *præsumpt.* 10. *num.* 49. Alex. Trentacinq. *var. resol. lib.* 3. *tit. de pact. num.* 11. Ludovic. Rudolphin. *de absol. Princ. potest. c.* 6. *num.* 199. & plures citati à D. Barbof. *in collect. ad d. c.* 1. *num.* 11.

19 Quod quidem intelligendum esse existimo dummodo causa publicam respiciat utilitatem, sicuti docent Rimin. Jun. *conf.* 601. *n.* 14. Ruin. *conf.* 330. *n.* 4. *cum seq. vol.* 1. Cravet. *conf.* 276. *sub n.* 7. Cæsar Barz. *dec.* 118 *n.* 10. Franc. Bec. *conf.* 3. *sub n.* 50. Surd. *conf.* 203. *n.* 26. Menoch. *conf.* 350. *n.* 21. Peregr. *de jur. fisc. lib.* 5. *tit.* 2. *sub num.* 49.

20 Ad cujus resolutionis corroborationem adduci solet illa conclusio, quòd Princeps pariter ex causa publicæ utilitatis potest alteri in re sua præjudicare, immo illam auferre, juxta ea, quæ per text. *in l. Lucius ff. de eviction. & in l. si verberatum* §. 1. *ff. de rei vendit.* resolvunt Felin. *in cap novit. sub num.* 8. *de judic.* & *in cap. quæ Ecclesiarum num.* 53. *de constit.* ubi Abb. *n.* 11. Boss. *in tit. de Princip. sub num.* 187. Afflict. *decis.* 361. *n.* 4. Bec. *conf.* 3. *num.* 51. *vol.* 1. Surd. *conf.* 203. *n.* 17. Peregr. *de jur. fisc. lib.* 5. *tit.* 2. *num.* 49. Ludovic. Rudolphin. *d. cap.* 6. *num.* 60.

21 Quo casu tamen teneretur recompensare, *l.* 1. *C. quib. ex caus. ser. pro præm. libert. accip. l si quando C. de oper. libert.* Dec. *in l. id quod nostrum, num.* 3. *ff. de reg. jur. & in consil.* 375. *in fine.* Socc. *conf.* 266. *n.* 35. *vol.* 2. Jas. *consil.* 233. *num.* 38. *vol.* 2. Natt. *consil.* 554. Roland. *consil.* 69. *in* 1. *dub. vol.* 2. Cravett. *consil.* 95. *num.* 7. & *conf.* 276. *n.* 7. & *conf.* 308. *n.* 8. Menoch. *conf.* 721, *n.* 27 & *conf.* 744. *n.* 10 latè Rimin. Jun. *conf.* 199. *n.* 169. cum multis sequentibus, Peregr. *de fideicom. art.* 52. *n.* 118. Petra *de potest. Princ. c.* 32. *n.* 49. Ludovic. Rodulphin. *dicto cap.* 6. *num.* 162.

22 Et quamvis Surd. *conf.* 313. *n.* 98. asserat, quod de consuetudine non tenetur Princeps ad recompensationem, ubi jus alterius aufert ex causa publicæ utilitatis, fultus auctoritate gloss. *in l. si locus*, §. *fin.* quam ibidem sequuntur Alber. & Paul. de Castro *ff. quemadmod. servit. amitt.* & Cæpol. *in tract. de servit. urban. præd. cap.* 24. *in fin.* Tamen majori Doctorum calculo gloss. illa reprehenditur secundum Andr. Isern. *cap.* 1. §. *post natale, in fin.* & ibidem Afflict. *colum.* 2. *de pace tenen.* Roland. *conf.* 69. *n.* 46. *vol* 2. Natt. *conf.* 554. *n.* 27. Rimin. Jun. *conf.* 199. *n.* 181. subdens hanc consuetudinem esse irrationabilem, & reprobatam. Afflict. *decis.* 321. *n.* 6. & Alber. *in l. venditor*, §. *si constat, ff. commun. prædior.* adjiciens *ibid. n.* 185. quòd dato quòd gloss. illa esset vera, procedit tamen in casu speciali illius text. ut *ibidem* declarat Florian. relatus à Roland. *d. conf.* 69. *sub num.* 48, & ideò non est illud dictum gloss. trahendum in consequentiam ex vulgaribus; & tanto magis in materia consuetudinis, quæ est stricti juris; nec extenditur, ut in eisdem terminis attestatur Natt. *d. conf.* 554. Hæc in hujusmodi materia sufficiant, quæ si quis latiùs videre cupiat, consulat D. Barbos. *in collect. ad d. c.* 1. *de probat.* secundùm *novissimam Lugdun. impressionem*, ubi circa hanc materiam multa scitu dignissima de novo addita reperiuntur.

QUÆSITUM XIII.

Utrum privilegia concessa Abbatibus, & Abbatiis, ac aliis Ecclesiæ Prælatis à Rege aliquo, vel Imperatore, aut aliis Principibus secularibus, possint ab illis revocari.

SUMMARIUM.

1 *Imperatores, Reges, & alii seculares Principes regulariter nequeunt privilegia Abbatibus, vel Abbatiis simel concessa amplius revocare.*

2 *Privilegium concessum non subdito, non potest amplius per concedentem revocari.*

3 *Privilegium antequam acceptetur, potest à concedente revocari.*

RESpondeo, quòd Imperator, & Reges, & alii Principes seculares nequeunt privilegia Abbatibus, & 1
Abbatiis, & Religionibus, aut aliis Ecclesiis, & Ecclesiasticis personis semel concessa, ab iisque acceptata, regulariter loquendo, amplius revocare. Quia Religiosi, & Ecclesiasticæ personæ illis subditæ non sunt, *c. si diligenti, de foro compet. c. at si clerici, de Judic. c.* 1. 2
& *seq.* 11. *q.* 1. Privilegium autem concessum non subditis, non potest amplius per ipsum concedentem revocari, nam habet suam vim, statim atque ad privilegiati notitiam pervenerit, ut *c.* 1. §. *ex parte, de concess. præbend. lib.* 6. unde non potest amplius revocari in præjudicium privilegiarii, ipso non consentiente, cùm sit ei jus quæsitum, & concedens non sit ejus Superior; atque ita docent Archidiac. *in can. quicumque* 6. *q.* 1. Joan. Andr. *in cap. constitutus, n.* 17. *de Relig. domib.* Innoc. *in c. novit ille, de Judic.* & ibi Panorm. *n.* 25. idem Panorm. *in c. inter alia n.* 19. *de immunit. Eccles. & Cœmeter.* & in *c. super eo il* 2. *n.* 4. *de appellat. & consil.* 41. *n.* 5. *in* 1. *part. consil.* Dixi, *ab iisque acceptata.* Nam privilegium alicui concessum pot- 3
est à concedente revocari, antequam à privilegiario acceptetur; sicut enim liberum est privilegiario, non acceptare; ita concedenti, illud revocare, Suar. *de leg. lib.* 8 *cap.* 26. *n.* 4. Salas *de legib. disp.* 12. *sect.* 5. *n.* 38. & alii apud Bonac. *de legib. disp.* 1. *q.* 3. *puncto* 3. *num.* 12. Dixi, *regulariter loquendo:* Nam si tanta rerum mutatio superveniat, ut privilegium hujusmodi censeatur graviter perniciosum Regi, vel Regno, potest illud Princeps revocare; Ita Suar. *d. lib.* 8 *c.* 37. *n.* 2. Bonac. *d. q.* 3. *punct.* 8. §. 3. *n.* 4. Illud demum pro coronide materiæ advertendum est; quòd privilegium à pluribus Pontificibus Principibusve confirmatum, difficilius censetur tolli, Dec. *consil.* 163. *n* 3. D. Barbos. *in tract. de claus. usufrequen. claus.* 83. *n.* 23. præsertim cùm accedit favor piæ causæ, vel religionis, juxta tradita per eumdem Dec. *d. consil.* 165. *num.* 1. & Alex. *consil.* 123. *num.* 16. *lib.* 4. Marc. Anton. de Amat. *decis.* 17. *num* 6. geminatio enim, manifestè monstrat Principis voluntatem, *l. balista* cum ibi notatis, *ff. ad Trebell.* Paris. *conf* 94. *n.* 4. *vol.* 2. Cravett. *conf.* 101. *n.* 42. Menoch. *consil.* 10. *num.* 1. & *conf.* 255. *num.* 41. & actus geminati censentur gesti cum majori animi deliberatione *c. & si Christus. de jurejur.* Roland. à Vall. *conf.* 61. *n.* 39. & *seq. vol.* 2. Ossac. *decis.* 38. *num.* 16. D. Barbos. *d. claus.* 83. *num.* 27.

QUÆSITUM XIV.

Utrùm Abbatum, Prælatorum, & Abbatiarum privilegia amittantur, & cessent per non usum, vel contrarium usum, sive abusum.

SUMMARIUM.

1 *Privilegium aliud affirmativum aliud negativum.*

2 *Privilegium affirmativum per quod nullum gravamen aliis infertur, non amittitur per non usum.*

3 *Privilegium affirmativum vergens in aliorum gravamen, quando non amittatur per non usum.*

4 *Præscriptio quadragenaria minor non currit contra Ecclesiam.*

5 *Præscriptio sexagenaria requiritur contra Ecclesias, & Monasteria Casinen. & Vallis Umbrosæ.*

6 *Præscriptio centenaria requiritur contra Monasterium S. Pauli extra muros Urbis.*

7 *Privilegia, ut amittantur per non usum, quæ requirantur.*

8 *Clausula*, quatenus sunt in usu, *in privilegiorum confirmatione apponi solita, quid operetur.*

9 *Con-*

9 *Confirmatio ex certa scientia restituit privilegia revocata à Papa, vel jure communi ordinario, non autem sublata per Concilium generale, nisi adsit clausula,* Non obstante revocatione Concilii generalis.

10 *Privilegium præsumitur usu receptum, & asserenti contrarium incumbit onus probandi.*

11 *Privilegium non usu receptum affirmans, tenetur probare, quòd privilegiarius fuerit in causa privilegii, & per eum steterit, quominus privilegio uteretur.*

12 *Præsumptio, quòd privilegium sit usu receptum, non sufficit, ubi adest clausula,* quatenus sunt in usu.

13 *Privilegii usus quando allegatur pro fundamento intentionis, non præsumitur, sed est concludenter probandus.*

14 *Privilegii usus præsumptio suffragatur privilegiario, qui privilegii usum allegat, secus si ab eo negetur.*

15 *Privilegium alicui Ordini concessum per usum unius Monasterii cæteris præservatum intelligitur.*

16 *Privilegium non amittitur per non usum, quando in eo adest decretum irritans.*

17 *Privilegia negativa tolluntur per contrarium usum.*

18 *Privilegiarius faciens actum privilegio contrarium, cum protestatione, non præjudicandi privilegio, illud non amittit.*

19 *Privilegium ut totum per contrarium usum amittatur, actus debet esse contrarius toti privilegio.*

20 *Privilegium habens tractum successivum non amittitur per unicum actum contrarium.*

21 *Privilegia concessa communitati, vel Ecclesiæ, non amittuntur per plures actus factos à privatis personis absque consensu communitatis.*

22 *Religiosi non amittunt privilegia, si per unum, aut plures actus contra ea, aut ipsorum aliquod negligentia, vel ignorantia contravenerint.*

23 *Privilegio abuti quando dicatur privilegiarius.*

24 *Privilegiarius privilegio abutens, meretur ipso privari.*

QUoad primam partem hujus Quæsiti notandum,
quòd privilegium aliud est affirmativum, in quo
1 conceditur facultas aliquid faciendi: aliud negativum,
quo traditur potestas aliquid non faciendi; ut est privilegium
exemptionis ab aliquo onere. Rursus privilegium
affirmativum aliud est, per quod traditur facultas
faciendi aliquid vertens in præjudicium, &
gravamen aliorum, ut imponere tributum, &c. Aliud,
quo fieri potest aliquid, absque aliorum gravamine;
ut anticipare tempus in recitatione officii, vel audire
divina in loco interdicto, aut eligere Confessarium, &
alia hujusmodi, quæ nemini præjudicium inferre vi-
2 dentur. His suppositis, dico, quòd privilegium affirmativum,
per quod nullum gravamen, seu præjudicium
aliis infertur, regulariter, nec in foro interno, nec
externo amittitur per non usum, etiamsi longissimo
tempore privilegiarii eo non utantur; dummodo in
eo non sit præfinitum tempus ejus durationis: nullo
enim jure probatur, hujusmodi privilegium per non
usum amitti; & etiam cùm non sit in aliorum præjudicium,
nemo est, qui contra ipsum præscribat. Pri-
3 vilegium affirmativum vergens in alterius gravamen
non amittitur per quemlibet non usum, nisi contra
ipsum legitimo tempore præscribatur, ut ait Soar. *de
legibus lib.* 8. *cap.* 24. *n.* 15. Bonac. *de legibus disp.* 1. *q.* 3.
4 *punct.* 8. §. 5. *n.* 3. Quo autem ad tempus præscriptionis,
notandum, quod contra Ecclesiam non præscribitur
minori spatio quadraginta annorum, ut habetur
in cap. accedentibus de privil. & *in cap. de quarta, de
prascript.* notant Salas, *de legibus disp.* 17. *sect.* 13. *n.* 64.
Suar. *de leg. lib.* 8. *c.* 24. *num.* 20. & communiter om-
5 nes: immò quædam Religiones potiuntur speciali
privilegio, quod non possit contra ipsas minori spatio
sexaginta annorum præscribi; ut specialiter concessit
Eugenius IV. Congregationi S. Justinæ de Padua, anno
Domini 1437. sept. Kal. Martii, Pontif. sui anno 4.
quod privilegium extensum fuit, ac de verbo ad verbum
concessum nostræ Congregationi Vallis Umbrosæ
à Julio II. anno Domini 1507. Idibus Julii, Pontif.
sui anno 4. per quod concessit, quòd contra privilegia
dictæ Congregationis non currat præscriptio, nisi 6
post lapsum sexaginta annorum. Imo idem Eugenius
IV. sub Dat. Florentiæ anno Domini 1442. sept. Kal.
Julii concessit Abbati, & Conventui Monasterii S. Pauli
extra muros Urbis, ejusdem Congregationis S. Justinæ:
*ut sicut contra Romanam Ecclesiam, non nisi centenaria
currit præscriptio, secundum Constitutiones canonicas, & legitimas sanctiones: ita quoque prædicto
Monasterio minoris temporis præscriptio non obsistat*, ut
refertur à Roder. *in nova collect. Bullar. Apostolicar.
pro Regular. Bulla.* 17. *ejusdem Pontificis*, quod privilegium
jam est ad totam Congregationem extensum,
& sic aliis etiam Ordinibus communicatum, ut ait
idem Roder. *q. Reg. tom.* 3. *q.* 35. *art.* 2. de qua re nos
dicemus infrà, ubi agetur de materia communicationis
privilegiorum. Ex quibus colligitur, quòd Abbates,
& Abbatiæ non amittunt privilegia per non usum,
nisi per spatium centum annorum juxta dicta privilegia.
Ut autem hæc præscriptio currat, opus est, quòd
privilegiarius habeat notitiam talium privilegiorum,
& voluntatem illis non utendi *d. cap. si de terra, de
privil.* Secundò, quòd oblata sit occasio hujusmodi 7
privilegiis utendi, & privilegiarii illis non fuit usi,
scientes, & potentes uti. Et hic dicitur usus privativus
differens à negativo; qui tunc est, quando quis
per multos annos privilegio non est usus, & quia nunquam
se obtulerit occasio eo utendi; quo casu non
amittitur privilegium per hunc non usum negativum,
qui non repugnat privilegio, nec indicat tacitam voluntatem
illi renunciandi, ut ait idem Suar. *d. cap* 24.
num. 4. citans Decium, Menochium, & alios, & Bonac.
d. §. 5. *num.* 5. D. Barbos. *de offic. & potest. Episc. part.* 2.
alleg. 26. *n.* 14. Hic autem notandum est, quòd quan- 8
do Summus Pontifex confirmat aliqua privilegia hoc
tenore, videlicet, *quatenus sunt in usu*; id est, *quæ
adhuc sunt in usu*: per hæc verba fit, ut si præscriptum
sit contra talia privilegia per usum per aliquot annos,
non tamen per sexaginta, vel per centum, ut est
necessarium ad legitimè præscribendum contra ea;
incipiunt de novo privilegia ex instanti talis confirmationis,
ac si tunc de novo concederentur: & sic anni
transacti nihil deservient præscriptioni. Ita Cordub.
in addit. ad Compen. privil. tit. absolutio quoad seculares 1.
vers. quo ad. §. 19. Joan. de la Cruz, *de statu Relig. lib.* 2. *c.* 3. *dub.* 2. *concl. ult.* Quod præcipuè locum 9
habet, si confirmatio facta sit ex certa scientia; nam
hæc habet vim restituendi privilegia revocata, non
solum privata auctoritate, id est à solo Summo Pontifice,
sed etiam revocata à jure communi; ut docet
Suar. *de legib. lib.* 8. *c.* 19. *n.* 4. & 5. Jus autem commune
dividitur in jus commune ordinarium, &
jus Concilii Generalis. Nam ad innovandum privilegia
jure communi ordinario sublata, satis est, si confirmatio
sit ex certa scientia. Ad innovandum autem,
& restituendum privilegium in Concilio Generali revocatum
necessarium est insuper, ut fiat de eo specialis
mentio, per clausulam, *non obstante revocatione
Concilii Generalis*, ut docet Suar. *d. cap.* 19. *num.* 5.
& 6. & alii apud Rodenc. *quæst. Regul. tom.* 1. *q.* 8.
art. 10.

Præterea notandum, quod privilegium præsumitur 10
usu receptum, & asserenti contrarium incumbit onus
probandi, Cresc. *decis.* 4. *num* 1. *in fin. & seq. de privileg.*
Mohed. *decis.* 2. *num.* 3. *in fin. & seq. de probat.*

& fuit dictum in Hispalen. exemptionis 16. *&* 27. *Maji* 1580. *& in Tullen. Prioratus* 10. *Martii* 1586. *&* 22. *Maji* 1587. *coram D. Card. Hieronymo Pamphilio*, &
11 debet probare, quod illud habens fuerit in causa privilegii, & per eum steterit quominus privilegio uteretur, gloss. fin. *in cap. Abbate. de verb. signific.* ubi Butr. *num.*24. Abbas *num.*18. & alii Surd. *consil.*419. *num.*27. *in fin. &* 28. *&* 29. Rot. apud Burat. *decis.* 704. *num. ult. quæ in fin. operis est decis.*.... Hæc ta-
12 men præsumptio est levis, nec sufficit ubi adest clausula, *Quatenus, sint in usu*, ut fuit dictum per Rotam *in Syracusana Quarta* 27. *Januarii* 1591. *coram Comitulo*, ubi de clausula ista posita in confirmatione
13 indulti revocatorii. Nec etiam sufficit, ubi usus allegatur pro fundamento intentionis, quia tunc requiritur vera & concludens probatio, Achill. *decis.*1. *de probat.* Rot. *decis.* 67. *n.*1. *part.*2. *divers.* ubi *n.*4. quod
14 hæc præsumptio suffragatur privilegiario, qui usum privilegii allegat, secus verò si ab eo negetur.

15 Item notandum, quod privilegium alicui Ordini concessum; per usum unius Monasterii illius Ordinis cæteris præservatum intelligitur, Seraphin. *decis.* 951. *n.*1. *&* 2. Rota *in Conchen. decimarum coram Orano, quæ est decis.*240. *n.*6. *part.*4. *divers.* & *in eadem causa* 12. *Maji* 1623. *coram Buratto, quæ inter impress. est decis.*704. *& in fine operis est decis.* 96.

16 Et per non usum non amittitur privilegium, quando in eo adest decretum irritans, Felin. post alios *in cap. cùm accessissent, num.*30. *vers. quartò limita, de constit.* Ruin. *cons.*228. *num.*11. *in fin. lib.* 1. Menoch. *præsumpt.*41. *num.*10. *lib.*6. Rot. *decis.*3. *de privileg. in antiq.* & *d. decis.*240. *n.*5. *part.* 4. *divers.* & *d. decis.*704. Burart. *num.* 10.

17 Quoad secundam partem Quæsiti dico, quòd præcipuè privilegia negativa, quæ consistunt in non faciendo, tolluntur per contrarium usum, scilicet faciendo contra id, quod in ipso privilegio conceditur; & hoc privilegium de jure communi tollitur per unicum actum contraventionis; privilegiarius enim præsumitur privilegio renunciare, *l. inter emptorem, C. de pact. cap. cùm accessissent, de constitut. cap. accedentibus, de privileg.*

18 Quod non procedit, si privilegiarius aliquid quod videtur privilegio contrarium, faciat, præmissa protestatione, non præjudicandi privilegio; talis namque protestatio excludit voluntatem renunciandi privilegio, & ostendit, talem actum non esse formaliter privilegio contrarium, cùm privilegiarius illum non faciat ut obligarus, seu animo subeundi obligationem, quæ per privilegium ablata fuerat, ut ait Bart. *in l.*1. *C. de his qui spontè, Abb. in d. cap. accessissent de constit.* Suar. *lib.*8 *cap.*35. *num.*3. *&* 34. Salas *disp* 17. *sect.* 13. *num.*66. Felin. *d. cap. cùm accessissent, num.*30. D. Barbosa *de offic. & potest. Episc. part.*2. *alleg.* 26. *n.*14.
19 *&* 15. & communiter omnes. Et ut totum privilegium per contrarium usum amittatur, requiritur, ut actus, qui fit contra privilegium, sit contrarius toti privilegio; si enim tantum parti adversetur, videtur derogare ipsi privilegio quoad illam partem tantùm: & ratio est, nam quilibet præsumitur velle sibi quàm minimum præjudicium inferre. Insuper quia cùm privilegium amittatur per usum ipsi contrarium, non debet amitti in totum per contraventionem solummodò partialem. Ita Suar. *d. lib.*8. *cap.*35. *n.* 10. Salas *d. num.*66. Est autem advertendum, quòd prædicta
20 intelligenda sunt de privilegio, quod respicit tempus præsens; privilegium enim habens tractum successivum, & quoad usum futuri temporis non consistens, unico actu non amittitur; dummodò legitimè non præscribatur; puta si quis habet privilegium non solvendi collectas, vel decimas, sive datia, aut alias exactiones (quod privilegium habet tractum successivum) si semel solvat, etiam absque protestatione, non exinde amittit privilegium, nec infertur ei præjudicium, Bart. *in l. fin. ff. de constit. princip.* Alex. *cons.*193. *vol.*2. Ægid. Boss. *in pract. crim. tit. de princip. & privil. ejus num* 30. refert, & sequitur Roder. *quæst. regul. tom.*1. *q.*9. *art.*4. *prope fin.* Hoc autem
intelligendum est de privilegiis concessis privatæ per- 21
sonæ, non autem de privilegiis concessis Communitati, aut Ecclesiæ; nam ea non amittuntur per unum, aut plures actus. Panormit. *cap. cùm accessissent, num.*8. *de constit.* dummodo illi actus fiant à privatis personis, absque consensu, aut auctoritate Communitatis; nam tota Communitas potest expressè renunciare privilegio sibi concesso, ita Bonac. *de legibus disp.*1. *q.*3.
*punct.*8. §. 6. *n.* 15. At Religiosi non amittunt privile- 22
gia, si per unum, aut plures actus contra ea, aut ipsorum aliquod negligentia, vel ignorantia contravenerint; ita enim concessit Eugenius IV. Monachis Congregationis Casinen. sub Dat. Bononiæ an. 1437. prid. Kal. Julii, Pontif. sui anno 6. quod refertur à Roderic. *in nova collect. privil. Bull.*9. *ejusdem Pontificis*: Et hæc quoad secundam partem Quæsiti.

Quoad tertiam, nempe, utrum privilegia amittan- 23
tur per abusum, supponendum est, pluribus modis posse contingere, ut quis dicatur privilegio abuti; ita ut vel illud mereatur amittere, vel statim amittat. Primò non utendo privilegio tali tempore, aut loco, vel in tanta quantitate quanta in privilegio præscribitur; hic autem potiùs dici posset non usus, vel contrarius usus, quàm abusus propriè dictus. Secundò dicitur quis abuti privilegio, si eo utitur ultra limites ipsius, ut si quis privilegio utatur in loco, tempore, sive circa personam, vel res, pro quibus privilegium non est concessum. Tertio modo contingit abusus privilegii, faciendo aliquid iniquum occasione
à privilegio sumpta. Quartò, quando fit contra finem 24
privilegii. Quovis modo privilegiatus privilegio abutatur, meretur ipso privari ex text. *in c. ubi ita distin.* 64. ubi dicitur, quod privilegium amittere meretur, qui concessa sibi abutitur potestate, & ex *cap. tuarum, & ex cap. ut privilegia, de privileg. & cap. privilegium* 11. *q.*3. Sylv. *verb. privilegium quæst.* 10. Panorm. *cap. licet, de Regular.* Bernardus Diaz. *regul.* 591. Suar. *d. lib.*8 *cap.*36. *num.*1. Salas *disp.*17. *sect.*23. *num.* 67. Card. Tusch. *tom.* 6. *lit. P. concl.* 574. Jura autem citata absolutè loquuntur de abusu privilegii; sed ubi jus non distinguit neque nos distinguere debemus: ergo quocunque modo privilegiarius privilegio abutatur, meretur illud amittere: tùm etiam, quia abusus privilegii quolibet modo contingat, habet culpam adjunctam; ergo meretur pœnam: igitur privilegiarius propter privilegii abusum, ipso privatur, ita Bonac. *q*3. *part.*8. §.7. *propos.*2. *n.*3. *in fin.*

QUÆSITUM XV.

Utrum Abbates, & Prælati, cæterique Religiosi possint renunciare privilegiis sui Ordinis, seu Religioni concessis.

Summarium.

1 *Juri suo unicuique liberum est renunciare.*
2 *Jura ad Ecclesiam pertinentia renunciari, aut alio quolibet modo alienari non possunt, nisi interveniente consensu Prælati, & Capituli.*
3 *Privilegium aliud bonum publicum respicit, aliud privatum.*
4 *Declaratur text.* in cap. si de terra, de privileg.
5 *Taciti major est vis, quàm expressi; nisi diversa sit ratio.*

CErta juris regula est, liberum unicuique esse juri suo renunciare, ut probant text. *in cap. si Judex* 42. *ff. de minor. c. tuis* 39. *vers. nisi, de testibus c. ad* Apo-

Apostolicam, de Regular. cum aliis multis, quæ in hoc proposito cumulant Soc. *regul.* 339. Petr. Barbos. *in l. alia*, §. *eleganter n.*12. *cum seqq. ff. solut. matr.* Azor. *instit. moral. p.*1. *lib.* 5. *c.* 22. *q.*10. latè Suar. *de legib. lib.* 8. *c.* 33. Cùm autem privilegium in favorem Religiosorum concessum sit, meriro ab eisdem, ac proinde ab Abbate eorum capite illi renunciari posse, colligi videtur ex text. in hoc casu alias difficili, *in c. si de terra* 6. *de privil.* ubi probatur evidenter, posse Prælatos, & Religiosos renunciare privilegiis sui Ordinis, seu Religioni concessis de decimis non solvendis.

2 Sed, his non obstantibus, contrarium tenendum est, immo non licere Abbatibus, & Prælatis Religionum renunciare hujusmodi privilegiis, utpote, quia hæc renunciatio non continet præjudicium solius renunciantis, sed in suæ Religionis, & Ecclesiæ præjudicium redundat, tum ex regula text. *in cap. nulli*, & *in cap. si quis Presbyterorum*, & *in c. cum super, de reb. Eccl. non alien.* & *in Clem.* 1. *eod. tit.* cum similibus: quibus juribus probatur, res, & jura ad Ecclesiam pertinentia, sive secularis sit, sive Regularis, renunciari, aut quolibet alio modo alienari non posse; nisi interveniente consensu Prælati, & Capituli, & aliis servatis solemnitatibus, quæ ibi exprimuntur.

3 Nam privilegium aliud bonum publicum respicit, aliud privatum: in hoc privato procedit vulgaris illa regula, de qua in principio hujus quæsiti: in illo verò, scilicet publico, contraria regula statuitur *in cap. si diligenti, de foro compet.* & *in l.* 2. §. *sed quia veremur, C. de jurejur. propt. calumn.* & *in l. jus publicum, ff. de pact.*

4 Non obstat *d. cap. si de terra*, supra expensum; quia ex doctrina gloss. 1. *in cap. placuit* 11. 2. 16. *q.* 3. & secundùm latè tradita per Dec. *n.* 7. & Abb. etiam *n.* 7. *in d. cap. si de terra*, responderi potest, quod licet Abbates, cæterique Prælati expressè renunciare non possint juribus, aut Privilegiis Ecclesiæ competentibus, quamvis per renunciationem ad jus commune regressus fiat; possunt tamen tacendo, & patiendo, ut contra Ecclesiam currat præscriptio, juxta regulam *cap. ad aures*, &c. *illud de præscript.* & notat Gilchen. *de præscript. part.* 13. *num.* 83.

5 Nec obstat vulgaris regula, quod taciti non major est vis, quàm expressi, *l. si filius familias, ff. si cert. petat.* atqui per non usum, vel contrarium usum privilegia amitti possunt, ut latè ostendemus *in fine quæstis*; qui modus tacitæ renunciationis vim obtinet, ergo à fortiori poterit hoc effici expressa renunciatione; quia respondetur, regulam illam hoc casu deficere ex diversa ratione, & tacitum in eo plùs operari, quàm expressum, ut sentit Bart. *in l. filius fam.* §. *divinum* 22. *in fin. ff. de leg.* 1. quem explicat Paris. *in c. cùm non liceat, n.* 25. *de præscript.* consensus enim ille tacitus ex patientia Abbatis per longissimi temporis usum successivus est, consequenter potentior, *juxta regul. l. si mulier.* 22. §. *sin autem post C. ad Vellejan.* per contrarium verò expressus ille consensus momentaneus, & ideò minus operatur ex *Regul. l. si unus, ff. de servit. rustic.* juncta *l. sed si inter. ff. de servit. Urban. præd.*

QUÆSITUM XVI.

Utrùm per suspensiones, quæ per Bullam Cruciatæ, vel alias Bullas quotidiè fiunt, suspensa censeantur Abbatum, aliorumve Regularium privilegia.

SUMMARIUM.

1 *Per Bullam Cruciatæ, vel alias hujusmodi ea Regularium privilegia tantum tolluntur, quæ ipsarum effectus impedire, aut retardare possent.*

2 *Per Bullam Cruciatæ, non intelliguntur suspensæ facultates, & indulgentiæ Religionum, pro ipsarum Religiosis.*

3 *An per Bullam Cruciatæ sint suspensa privilegia Religiosorum, quibus conceditur, ut possint seculares à peccatis, & censuris absolvere.*

HÆc Quæstio latè tractatur à Collectore Privilegiorum Mendicant. *verb. Privilegia Fratrum*, § 33. ubi resolvit, per Bullas Cruciatæ, sive alias hujusmodi tantùm illa privilegia suspendi, per quæ ipsarum effectus impediri, aut retardiri possent: non autem alia privilegia circa alias materias concessa, neque in dictis Cruciatæ Bullis contenta: absurdum enim esset, eas suspendere id, quod præstare non possunt, cùm non habeant: Et hoc, ut ait idem Collector, clarè apparet ex clausula suspensionis in prædictis Bullis apponi consueta, cùm dicitur, *Et ne propter alias indulgentias, in hoc sancto opere tardiores Christi fideles existant, omnes similes, aut dissimiles indulgentias, & facultates à Nobis, & eadem Sede, vel ejus auctoritate quibuscumque Ecclesiis, Monasteriis, &c. concessimus pro hujusmodi expeditione, dumtaxat suspendimus, &c.* quæ clausula apertè innuit, concessiones, & gratias expeditioni Bullarum præfatarum, nequaquam adversantes, per ipsas non suspendi; ait autem, quòd suspenduntur omnes Indulgentiæ quæstuariæ, & omnes facultates contentæ in Bulla Cruciatæ hujusmodi, quæ antea per alia privilegia obtinebant. 1

Nec intelliguntur suspensæ facultates, & concessiones Religionum, pro ipsis Religiosis, ut quòd tali die lucrentur tales Indulgentias: sed potius excipiuntur à generali suspensione privilegiorum; quamvis enim in ipsis Bullis sit sermo de Monasteriis, est intelligendum de Indulgentiis, quas consequerentur seculares Monasteria ipsa visitantes: videatur latiùs idem Collector *loco citato*. Similiter nec suspenduntur privilegia concessa Prælatis, pro sibi subditis, v. g. ut possint illos à quibuscumque censuris absolvere; illa enim similiter in eadem Bulla excipiuntur à generali suspensione privilegiorum. 2

Nec pariter suspenduntur in eadem Bulla Cruciatæ, aut similibus, privilegia concessa Religiosis, ut possint selulares à peccatis, & censuris absolvere, & eorum vota, & juramenta commutare ac dispensare: id enim præstare possunt, licèt seculares absolvendi, vel dispensandi non habeant Bullam Cruciatæ; quia etsi hæc privilegia concedantur personis, non sunt ipsis concessa, quatenus sunt personæ professores dictorum Ordinum, quibus Summi Pontifices hujusmodi gratiam impartiri voluerint; unde potius sunt privilegia realia, quàm personalia; at in dicta Bulla suspenduntur tantùm privilegia personalia, singularibus personis concessa. 3

Ergò poterunt Confessarii Regulares, virtute privilegiorum absolvere seculares à reservatis, & eorum vota, ac juramenta dispensare, ac commutare, quamvis careant Bulla Cruciatæ. Ita Rodericus *q. Regul. tom.* 1. *q.* 6. *art.* 14. ubi se retractat ab apposita sententia quam tenuerat in explicatione ejusdem *Bullæ Cruciatæ*, & inquit hanc sententiam amplecti Viros doctos, & Religiosos; ita etiam Joannes de la Cruz, *de statu Religios. lib.* 2. *c.* 3. *dub.* 7. *concl.* 3. Miranda, *in Manual. Prælatorum, tom.* 1. *q.* 47. *art.* 11.

Hoc autem hodie non habet locum, quia privilegia Regularium, quibus poterant seculares à reservatis, & censuris absolvere, eorumque vota commutare, aut dispensare, jam fuerunt revocata à Concilio Tridentino, & ex decreto Congregationis Concilii jussu Clementis VIII. edito, de quo alibi agendo, de hac re latius sermonem habebimus; verùm si de novo hujusmodi privilegia à Sede Apostolica revalidarentur, possent Confessarii Regulares non obstante Bulla Cruciatæ, absolvere seculares à reservatis, & censuris etiamsi prædictam Bullam non haberent, ex dictis.

QUÆSITUM XVII.

Utrum Abbas teneatur privilegium sibi, & suæ Religioni concessum ostendere: an verò illi alleganti credatur.

SUMMARIUM.

1 *Privilegium ostendere, & inspicere oportet nec alleganti creditur.*
2 *Facta non præsumuntur, sed ab allegante probari debent.*
3 *Privilegiatus in jus vocatus tenetur venire privilegia sua allegaturus.*
4 *Privilegia clausa in corpore juris, notoria sunt, & eorum scientia præsumitur.*
5 *Privilegiatus non tenetur allegare privilegium in corpore juris clausum.*
6 *Allegatio eorum quæ notoria sunt, requiritur, quamvis probatio necessaria non sit.*
7 *Cum distinctione resolvitur tota materia.*

1 PRivilegium ostendi, & inspici oportere, ac proinde, allegan ti non esse credendum, probat text. *in cap. porro, 7. de privil.* ubi Abbas *num. 1.* ait ad hoc quotidie illum allegari solitum, & sequitur *ibi* Decius, & reliqui omnes, qui variis in locis scripserunt, privilegium non præsumi, sed ab eo qui allegat probandum esse, ut prosequitur Fuscus *de visit. lib. 2. cap. 18. à numer. 3. & cap. 20. num. 6.* Menoch. *de præsumptionibus lib. 6. præsumpt. 14 num. 15.* Mascard. *de probationib. conclus. 1200. n. 36.* Cardinalis Tuschus, *tomo 6. litera P. conclus. 762.*

2 Ratio decisionis est, quia privilegia facti sunt, nec præsumuntur, sed ab eo, qui allegat, debent probari, ut vulgò colligitur ex text. *in l. quacumque, §. 1. ff. de public. in rem. act. l. si emancipati, C. de collat.* cum aliis citatis ab Alph. *collect. 719.* & Garz. Phalcon. *Reg. 384.*

3 Unde facilis colligi potest ratio, ad text. *in l. si quis ex aliena, 1. ff. de judic.* dum probat privilegiatum in jus vocatum teneri comparere privilegia sua allegaturus; cùm enim privilegia facti sint, & Judex contra cum jure communi suam habeat fundatam intentionem, qui allegat contrarium privilegium, meritò illud probare debet, & fortiùs allegare, ut notat gloss. ultim. *in fine in cap. cùm ordinem, 6. de rescript.* recepta ex multis, de quibus Felinus, *ibi, à num. 8.* Consect. *in singul. verb. jurisdictio.*

4 Limitant tamen Doctores supradictam resolutionem non procedere in privilegiis, quæ in corpore juris causa sunt, quia inquiunt esse notoria, & eorum scientiam præsumi, sicut ipsarum legum, juxta *cap. 1. de constit. lib. 6.*

5 Quare ea allegare privilegiatos non teneri, ex Felin. receptum testatur Mascard. *de probat. conclus. 1109. à num. 14.* & in privilegiis Scholasticorum, de quibus *in authent. habita, C. ne fil. pro patr.* advertit Rebuff. *de privileg. Scholast. privileg. 154. à num. 267.*

6 Verùm advertere oportet, quod licet Doctores rectè doceant, hujusmodi privilegiorum probationem necessariam non esse; falsò tamen inscribunt eorum allegationem non requiri; nam contrarium evincit receptissima doctrina, quod eorum, quæ notoria sunt, licet probatio necessaria non sit, requiritur tamen allegatio, *l. si adulterium; cum incestu, §. eidem, ff. ad leg. Juliam de adulter.* gloss. celebris, *verb. causas, in Clem. appellanti, de appellat.* quàm latè explicant Felin. *in d. c. cùm ordinem, à n. 11.* & est recepta ex multis de quibus Marant. *de ordin. judic. part. 6. c. de appellat. numer. 141.* Guttier. *de juram. confirmator. part. 1. c. 70, num. 4. cum seqq.*

Eleganter tamen universam hanc materiam præhabita distinctione, breviter resolvendam, duxi, quam ex Felin. *d. loco*, Alex. & aliis tradit Petrus Barbos. *in l. si quis ex aliena, numer. 3. cum seqq. ff. ac judic.* Vel enim Judex omnino est incompetens, & impraerogabilis; & certum est, tunc non oportere privilegium ostendere; immo licet pars non compareat, nec ullam opponat exceptionem, juxta ea, quæ notantur *in cap. si diligenti, de foro compet. & in cap. & si clerici, in princip. de judic.*

Vel etiamsi prærogabilis sit jurisdictio; tamen constat Judici citanti, quòd nullam in citatum habeat jurisdictionem: & hoc casu videtur admittenda communis sententia, quod processus ab eo gestus, quamvis non compareat, est nullus ipso jure juxta totum *tit. C. si à non compet. judic.* aut denique Judex mero jure habet jurisdictionem in citatum; sed ope exceptionis illi debilem ratione privilegii, aut alia simili; & tunc verior est sententia illa, quòd processus valet, licet privilegium sit notorium, ut notat gloss. *in verb. consensus, in l. 2. ff. de judic.* & prosequitur D. Barbos. *loc. cit.* 7

QUÆSITUM XVIII.

An privilegium concessum Ecclesiæ Abbatiali, vel Monasterio amittatur, si Ecclesia, vel Monasterium corruat, & consurgat, si Ecclesia, vel Monasterium iterum ædificetur.

SUMMARIUM.

1 *Ecclesia destructa, non remanet locus privilegiatus.* Declara, ut num. 4.
2 *Ecclesia, aut Monasterium destructum, si readificetur, reviviscunt ejus privilegia.*
3 *Monasteria semel Deo dicata, semper talia durant.*
4 *Declarantur jura in contrarium adducta.*

VIdebatur respondendum, quòd privilegium amittatur, si Ecclesia destruatur, nec ampliùs per reædificationem reviviscat, facit ad hoc *cap. & hoc dixi-mus, 16. q. 7.* ubi gloss. *in verb. destructa*, quæ dicit, quòd destructa Ecclesia, non remanet locus privilegiatus, quod nonnulla jura allegat, scilicet *c. Abbate, in fin. extra de verborum significat. cap. generaliter, 1. q. 1.* facit ad hoc, *c. placuit de consecrat. dist. 1.* tenet Innocent. *cap. 2. de novi operis nuntiation.* Sylvest. *verb. privilegium, q. 2.* Et reddunt rationem; quia tunc destruitur subjectum, ad quod comparatur, sicut privilegium personale ad personam. 1

Verùm his rationibus minimè obstantibus, contrarium est respondendum, & sic, quòd privilegium non extinguatur; unde si Ecclesia jam destructa reædificetur, privilegium etiam consurgit, facit ad hoc *cap. pastoralis, 7. quæst. 1.* ubi gloss. *in quo text.* probatur, quòd Episcopus ejectus ab hostibus de Ecclesia sua, si ad aliam transierit, cessante hostilitate, ad suam Ecclesiam reverti cogitur. 2

Facit etiam ad hoc, *cap. qui semel, 19. quæst. 11.* ubi probatur, quòd illa quæ semel sunt Deo dicata Monasteria, semper Monasteria perseverant, ubi glossa dicit, quòd licet Monasterium destruatur, locus tamen remanet sacer. 3

Ad contraria, *in cap. quòd diximus, 16. quæst. 7.* una cum gloss. *ibi, verb. destructa*; Respondemus, quòd prædicta jura loquuntur, quando locus destruitur auctoritate Episcopi, vel alterius Superioris, & intelligitur etiam *cap. placuit, supra allegat.* Nos verò loquimur, quando Ecclesia, vel Monasterium casu corruit, in quibus etiam terminis loquuntur Doctores citati. 4

DISPUTA.

DISPVTATIO XVII.

De Communicatione Privilegiorum Abbatum, & aliorum Prælatorum inferiorum.

Quæst. I. *Vtrum Abbates & Prælati Regulares, necnon eorum Ordines, Congregationes, & monasteria habeant speciales aliquas communicationes privilegiorum à Sede Apostolica, & quænam illa sint.*

II. *Vtrum Abbatia, sive Congregatio Regularium, communicans alterius Religionis Privilegia, intelligatur etiam communicare ea, quæ alicui speciali illius Religionis Conventui, sive loco, aut personæ particulari concessa sunt.*

III. *Vtrum Regulares non habentes speciale privilegium exemptionis ab oneribus, & impositionibus, eximantur ab iisdem, si communicent in privilegiis, cum aliis Regularibus specialem exemptionem à prædictis oneribus habentibus.*

IV. *Vtrum communicantes, & participantes privilegia alicui Ordini concessa, possint illis potiri, etiam contra illum Ordinem, cum quo communicant in privilegiis.*

V. *Vtrum quando privilegium conceditur ad instar alterius Religionis, vel uni concessum, alteri communicatur, si prius illud augeatur, minuatur, vel revocetur, auctum, & diminutum, vel revocatum censeri debeat in Religione illa, cui communicatur.*

VI. *Vtrum privilegia odiosa, & pœnalia Abbatibus, & Religiosis unius Congregationis concessa, extendantur per communicationem ad Abbates, & Religiosos alterius Religionis.*

VII. *Vtrum privilegium concessum uni Religioni, si communicatur alteri, & de prima privilegio non appareat, prodesse possit in aliquo talis communicatio secunda.*

QUÆSITUM I.

Vtrùm Abbates, & Prælati Regulares, necnon eorum Ordines, & Congregationes, & Monasteria habeant speciales aliquas communicationes privilegiorum à Sede Apostolica, & quænam illa sint.

SUMMARIUM.

1 *Congregatio Canonicorum Regularium Lateranensium habet communicationem privilegiorum Casinensium.*

2 *Congregatio Canonicorum Regularium S. Salvatoris Bononien. participat omnes gratias, & privilegia Fratrum Eremitarum. & Canonicorum Ordin. S. August. & Congreg. S. Justinæ de Padua, Prædicatorum, Minorum, Carmelitarum, & Servorum B. Mariæ.*

3 *Congregatio Canonicorum Secularium S. Georgii in Alga habet omnia privilegia omnium Ordinum, tàm concessa, quàm concedenda.*

4 *Congregatio Casinensis habet communicationem omnium privilegiorum eidem Congregationi concessorum in principio ejusdem, antequam adderetur denominatio* Sanctæ Justinæ de Padua.

5 *Congregatio Monachorum S. Benedicti Vallisoleti quam communicationem obtinuerit.*

6 *Congregatio S. Benedicti Hispaniæ habet communicationem privilegiorum Casinensium.*

7 *Congregatio Sancti Benedicti Regnorum Portugaliæ, obtinuit omnia privilegia Cisterciensium, Casinensium, Vallisoleti, & Sancti Hieronymi Hispaniarum.*

8 *Camaldulenses Monachi, & Eremitæ S. Michaelis de Murano, participant omnia privilegia omnium Religionum, tam directè, quàm per viam communicationis concessa.*

9 *Congregatio Vallis Umbrosæ habet communicationem omnium privilegiorum Casinensium, & Mendicantium. Vide memorabilem Bullam Julii II. prædictæ communicationis*, in fine hujus primi Tomi.

10 *Monachi Cistercienses Congregationis Sancti Bernardi in Italia habent omnia privilegia, quæ aliis Congregationibus dicti Ordinis concessa sunt.*

11 *Cistercienses Reformati Congregationis Beatæ Mariæ Fulliensis, gaudent privilegiis Ordini Cisterciensi non reformato concessis.*

12 *Congregatio Cælestinorum, omnium Monachorum privilegiis potitur.*

13 *Congregatio Sylvestrinorum, consecuta est à Sede Apostolica communicationem omnium privilegiorum Mendicantium.*

14 *Congregatio Monachorum Beatæ Mariæ Montis Oliveti, obtinuit privilegia omnia Congregationis Casinensis.*

15 *Monachi Beatæ Mariæ Montis Virginis, fruuntur privilegiis Congregationis Camaldulensis.*

16 *Privilegia Pii V. Congregationibus Monachalibus concessa, ad terminos juris redacta sunt.*

17 *Communicatio privilegiorum, quid operetur, & importet.*

18 *Per clausulas generales in privilegio communicationis appositas, non communicantur ea privilegia, quorum communicatio à Papa concedente prohibita fuit.*

19 *Monachi Sancti Basilii quænam privilegia extensa sint.*

20 *Præmonstratenses habent communicationem omnium indultorum, & privilegiorum Congregationis S. Bernardi, Ordinis Cisterciensium Regnorum Hispaniæ.*

21 *Fratres Sancti Spiritus in Saxia de Urbe, potiuntur privilegiis Casinensium, & etiam aliorum Ordinum.*

22 *Carthusienses, quam communicationem privilegiorum sortiantur.*

23 *Fratres S. Hieronymi in Hispania, quam communicationem sint adepti.*

24 *Fratres Eremitæ S. Hieronymi Congregationis B. Petri de Pisis, communicant in privilegiis cum omnibus Ordinibus Mendicantium.*

25 *Ordo Sanctissimæ Trinitatis, quam communicationem privilegiorum à Sede Apostolica obtinuerit.*

26 *Fratres Cruciferi communicant in privilegiis, tàm concessis, quàm concedendis Ordinibus Mendicantium, & non Mendicantium.*

27 *Congregatio S. Hieronymi Fesulis, gaudet omnibus privilegiis Ordinum Mendicantium, & non Mendicantium, ubique existentium.*

28 *Fratres Prædicatores communicant in privilegiis, cum aliis Ordinibus Fratrum Mendicantium.*

29 *Fratres Minores Regularis Observantiæ habent communicationem privilegiorum Ordinibus Prædicatorum, Eremitarum Sancti Augustini Carmelitarum, aliisque Ordinibus Mendicantium concessorum.*

30 *Fratres Eremitani S. Augustini, habent communicationem privilegiorum Mendicantium, & non Mendicantium.*

31 *Fratres Eremitani S. Augustini Congregationis Lombardiæ, habent communicationem omnium privilegiorum illorum Regularium, ad quos extensa fuerunt eorundem fratrum privilegia.*

32 *Fratres Carmelitani communicant in privilegiis, tam spiritualibus, quam temporalibus, cum Ordinibus Prædicatorum, Minorum, & Eremitarum Sancti Augustini.*

33 *Fratres Discalceati B. Mariæ de Monte Carmelo, gaudent privilegiis, & gratiis omnibus Carmelitis, (qui Mitigati dicuntur) concessis.*

34 *Ordo Sanctæ Mariæ à Mercede, potitur privilegiis Mendicantium.*

35 *Ordo Servorum B. Mariæ Virginis communicat in privilegiis cum Ordinibus Mendicantium.*

36 *Congregatio Sancti Hieronymi Jesuatorum, potitur omnibus gratiis, & privilegiis, Ordinibus Mendicantium concessis.*

37 *Ordo Fratrum Minimorum Sancti Francisci de Paula communicationem omnium privilegiorum, consecutus est.*

38 *Fratres Cappuccini gaudent omnibus gratiis Congregationi Camaldulensi, & Ordini Fratrum Minorum, concessis.*

39 *Fratres Tertii Ordinis S. Francisci, (qui de Pœnitentia nuncupantur) quam communicationem privilegiorum habeant.*

40 *Patres Societatis Jesu, potiuntur omnibus privilegiis Mendicantium, & non Mendicantium.*

41 *Fratres Joannis Dei potiuntur omnibus privilegiis, & exemptionibus Archihospitalis S. Spiritus in Saxia de Urbe, concessis.*

42 *Clerici Theatini gaudent privilegiis Canonicorum Regularium Lateranensium, & Clericorum de Sommascha, Societatis Jesu, & aliorum tam Mendicantium, quàm non Mendicantium.*

43 *Clerici Regulares de Sommascha communicant in privilegiis cum Ordinibus Mendicantium.*

44 *Clerici Regulares Minores potiuntur omnibus gratiis, privilegiis Congregationi Theatinorum, concessis.*

45 *Clerici Regulares S. Pauli decollati, habent communicationem privilegiorum Canonicorum Regularium.*

46 *Clerici Regulares Ministrantes infirmis, habent communicationem privilegiorum, gratiarum, & indultorum, omnibus Ordinibus concessorum.*

47 *Congregatio Canonicorum Regularium pauperum Matris Dei Scholarum Piarum, gaudet privilegiis, & gratiis Ordinibus Mendicantium concessis.*

48 *Fratres S. Antonii Viennen. quam communicationem privilegiorum sint assecuti.*

49 *An Moniales habeant aliquam communicationem cum Ordinibus, tàm Mendicantium, quàm non Mendicantium.*

Ex sufficienti inductione uniuscujusque Ordinis & Congregationis elicitur præsentis Quæsiti solutio; ideò omnium Ordinum, & Congregationum communicationes, quas præ manibus habere potuit, hîc sigillatim (absque ullo præjudicio in enumerandis prædictis communicationibus, præcedentiæ, vel præeminentiæ) apponere censui, cum præcisis verbis privilegiorum, denotantium easdem communicationes; ut curiosus Lector perfectè intelligat, an dicti Ordines, & Congregationes gaudeant privilegiis concessis tantùm, vel concedendis directè, vel indirectè, ad instar, vel non, & potiantur gratiis spiritualibus solummodo, vel etiam temporalibus, & mixtis; quæ omnia, quoad communicationes privilegiorum scitu digna sunt.

Congregatio Canonicorum Regularium Lateranensium ex Gregorii XV. Bulla, de qua in *Quæs. seq.* 1
& aliis gratiis asservatis in Archiv. S. Mariæ Pacis Romæ, amplioribus potitur communicationis privilegiis, quàm per communicationem cum Congregatione Casinensium Sanctæ Justinæ de Padua ex indultu Sixti IV. sibi concesso, sub Datum Romæ, 10. Kalend. Septembris, anno Domini 1476. Pontificatus sui 6. incip. *Dum ad universos*, & est 10. in ordine *in Bullar. novo* Laërtii Cherub. *tom.* 1. ejus verba ad propositum facienda sunt hæc:

Cumque acceperimus, & reipsa didicerimus Congregationem Sanctæ Justinæ de Padua Ordinis Sancti Benedicti, à nonnullis Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris quampluribus dignissimis privilegiis, indultis, & gratiis decoratam fuisse, & censeamus Congregationem Lateranensem, meritis, & virtutibus suis non minora promereri, maximè, ubi quos par labor conjungit, paria quoque privilegia contigere debent; eidem Congregationi Lateranensi etiam concedimus, ut omnibus privilegiis, indulgentiis, gratiis, favoribus, & indultis tam spiritualibus, quàm temporalibus à Romanis Pontificibus, prædecessoribus nostris, seu aliàs eidem Congregationi Sanctæ Justinæ concessis, ipsa quoque congregatio Lateranen. pariformaliter potiri, & gaudere possit, & valeat, absque ulla prorsus differentia; perinde ac si ea dictæ Congregationi Lateranensi specialiter & nominatim concessa fuissent, quorum tenores hic pro sufficienter expressis haberi volumus, & non secus, ac præsentibus de verbo ad verbum inserta forent, quæ ad ipsam Congregationem extendi, ac illam pari modo comprehendere volumus, ac decernimus.

Congregationi Canonicorum Regularium Sancti Salvatoris Bononien. omnia privilegia, & gratias Ordini Fratrum Eremitarum, & cæteris Canonicis Regularibus concessas communicavit Gregorius XII. ampliorem autem concessionem super hac re eidem Congregationi fecit Julius II. anno Domini 1512. 4. Nonas Aprilis, Pontificatus sui anno nono, ut patet ex ejus Bulla, incip. *Inter cæteros*, quæ est 30. in ordine, in *Bullario novo tom.* 1. ubi §. 6. sic dicitur:

Adjiciens prætereà, quòd de cætero non solùm prædictis præeminentiis, privilegiis, & gratiis decorentur, quibus gaudent in specie, vel in genere universali alii Canonici, verùm etiam omnibus, & singulis privilegiis, immunitatibus, favoribus, indultis, & gratiis spiritualibus, & temporalibus per Nos, vel per quoscunque Prædecessores nostros Romanos Pontifices, vel aliàs quomodolibet, seu Sedem præfatam, tam præfato Ordini Canonicorum Regularium sancti Augustini, ac Congregationi de Frisionaria, aliàs Lateranensi, Ordinibusque Eremitarum, Minorum, Prædicatorum, Carmelitarum, & Servorum B. Mariæ, & aliis etiam earundem Congregationum, & Ordinum membris, & illorum personis, Monasteriis, & locis in genere concessis, & pro tempore concedendis, quàm etiam Congregationi Monachorum Sanctæ Justinæ, seu Sancti Benedicti Casinens. & ejus Monasteriis, locis, membris,

membris, & personis hactenus concessis, ac illorum Ordinibus, & Congregationibus, quibus per eandem Sedem concessum est dictæ Congregationis privilegiis posse gaudere in omnibus, & per omnia, absque ulla prorsus differentia; proinde ac si ea ipsi Congregationi Canonicorum Regularium Sancti Salvatoris specialiter, & nominatim concessa fuissent, quorum tenores hic pro sufficienter expressis, haberi volumus, & non secus, ac si præsentibus, de verbo ad verbum inserta forent, & quæ ad ipsam Congregationem Sancti Salvatoris, & ejus Moniales, Sive Sorores, ac personas oblatas, & commissas utriusque sexus, quæ sub illius cura sunt, in illis videlicet, quæ ipsis coaptari possunt, extendi, ac illa eam pari modo cum prædictis comprehendere volumus, atque decernimus, cùm ipsam Congregationem sancti Salvatoris censeamus, meritis, & virtutibus suis non minora promereri, quàm suprascriptas Congregationes, & Ordines; quos enim par labor conjungit, paria quoque privilegia conjungere debent. Cujus etiam Congregationis S. Salvatoris Mooasteria omnia, & loca prædicta, & eorum Prælati, atque personæ quibuscunque eis, ac aliis Congregationibus, & Ordinibus, à Sede prædicti, vel aliàs qualitercunque concessis, ac de jure, seu consuetudine debitis juribus, præeminentiis, ac dignitatibus inconcussè gaudeant, & utantur, dummodò illa præmissis, ac aliis dictæ Congregationis Sancti Salvatoris institutis, & constitutionibus non obsistant.

3 Congregationi Canonicorum Secularium S. Georgii in Alga, omnia privilegia cæteris Religionibus, & Ordinibus etiam Mendicantibus concessa, & in futurum concedenda, communicavit Pius V. an. Domini 1569. tertio Idus Decembr. Pontificatus sui an. quarto, per ejus Bullam incip. *Ex incumbenti Nobis*, quæ est 92. in ordine, *in Bullar. novo tom.* 1. ubi §. 2. sic habetur:

Nos Rectoris, & Canonicorum, &c. Ex certa scientia, & mera deliberatione nostris, Auctoritate Apostolica, tenore præsentium, perpetuo omnes, & singulas Constitutiones, ac ritus, & mores, aliaque Regularia ipsius Congregationis instituta, quoad ea, quæ sacris Canonibus, & Decretis Concilii Trid. contraria non sunt; ita quòd Rector, & Canonici prædicti in processionibus, & actibus publicis præcedant, prout anteà soliti erant, necnon concessiones, & gratias, privilegia, & indulta ipsis Congregationi, ac Rectori, & Canonicis, per quoscunque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac Nos, & Sedem eandem principaliter, sive per viam communicationis, aut aliàs quomodolibet concessa confirmamus, ac illa de novo concedimus. Necnon etiam omnia alia per ipsos prædecessores nostros, ac Nos quibusvis Ordinibus, & Religionibus, etiam Fratrum Mendicantium hactenus quomodolibet concessa, & quæ de cætero concedentur, eisdem Rectori, & Canonicis, ac Congregationi gratiosè concedimus, ac confirmata, & concessa esse volumus.

4 Monachi Casinenses, (aliàs S. Justinæ de Padua) habent communicationem omnium privilegiorum, & indultorum, concessorum prædictæ Congregationi, à principio ejusdem, antequam adderetur hæc denominatio, *S. Justinæ de Padua*, ut patet ex Bulla Julii II. quæ est prima Constitutio ejusdem Pontificis, *tom.* 1. *Bullar. novi*, Laërtii Cherub. in his verbis quæ prædictam communicationem respiciunt:

Omnibus tamen, & singulis privilegiis, & immunitatibus, & exemptionibus, concessionibus, & indultis, hactenus Congregationi S. Justinæ, hujusmodi concessis, in suo robore, & firmitate præsentibus, in omnibus, & per omnia, perinde, ac si hujusmodi tituli mutatio, seu variatio, facta non esset, & hujusmodi privilegia à principio Congregationis Casinensis, aliàs Sanctæ Justinæ hujusmodi specialiter, & expresè concessa fuissent.

Innumera (ut ita dicam) habet hæc Congregatio privilegia, ideò alias speciales Communicationes (hac sola contentus) nequaquam quæsivi.

5 Pro congregatione Monachorum S. Benedicti Vallisoleti, adest Privilegium Eugen. IV. qui concessit:

Quòd omnia, & singula indulta, concessiones, exemptiones, Indulgentiæ, ad quæcunque alia Monasteria S. Benedicti Vallisoleti, sive illius Monachis, quomodolibet concessa ad omnia, & singula Monasteria reformata in Hispania, per dictum Monasterium: ac alia, quæ io posterum reformabuntur, vel subjicientur Monasteria, & eorum membra, illorumque Prælatos, & personas, ac visitantes integrè, & plenariè se extendant, ipsaque supradicta Monasteria, Prælati, personæ, & Visitantes in omnibus, & singulis uti frui, & gaudere possint, & debeant juxta omnem eorum formam. Ac concessiones, exemptiones, indulta, & indulgentiæ sint, & censeantur, & habeantur perinde in omnibus, & per omnia, ac si pro ipsis omnibus, & singulis, aut quolibet eorum specificè, singulariter, & individuè concessa fuissent, & pro eis, aut pro quolibet ipsorum, originaliter emanassent. Voluit tamen, quòd in confluentium ad ipsos pro tempore personarum confessionibus audiendis, & absolutionibus imponendis, licentia, seu consensus Ordinariorum locorum interveniat. Quodque præsentes literas ad illa ex Monasteriis, Prioratibus, ac locis præfatis se extendant, & de illis intelligantur, necnon extendi, & intelligi debeant, in quibus pro tempore fuerit numerus duodecim Monachorum ad minus, & quamdiu vixerint in observantia regulari.

Ita habetur in *Comp. privileg. Mendican. tit. communicatio privil.* §. 34 ubi affirmat Collector, vidisse hoc privilegium sub literis authenticis.

6 Præterea Julius II.

Concessit Universis Abbatibus, Prioribus, Præsidentibus, & Conventibus, Monachorum, aliisque Religiosarum personarum Monasteriis Congregationis Hispaniæ, Ordinis Sancti Benedicti, quòd omnibus, & singulis privilegiis, immunitatibus, indulgentiis, prærogativis, gratiis, exemptionious, libertatibus, & indultis Congregationi Casinensi, seu Sanctæ Justinæ, earumque Monasteriis, Abbatibus, Prioribus, Præsidentibus, Conventibus, Monachis, Oblatis, & aliis Religiosis personis, per Sedem Apostolicam in genere concessis; quorum tenores, ac si de verbo ad verbum præsentibus insererentur, & exprimerentur, pro sufficienter expressis, & insertis habendo, utuntur, potiantur, & gaudeant, ac uti, potiri, & gaudere liberè, & licitè possint, & valeant in omnibus, & per omnia, perinde ac si omnia, & singula privilegia præfata hujusmodi Congregationi Sancti Benedicti Hispaniæ, illiusque Monasteriis, Abbatibus, Prioribus, Præsidentibus, Monachis, & aliis personis Religiosis præfatis specialiter, & expresè concessa fuissent.

Ita refertur *in dicto Compend. privileg. Mendic.* ibi supra, §. 53.

7 Simile, & magis amplum privilegium Sixtus Quintus

Concessit Congregationi Sancti Benedicti Regnorum Portugalliæ, ac omnibus, & singulis illius Monasteriis, Prioribus, & aliis Regularibus, locis, tam præsentibus, quàm futuris, eorumque Generali, & aliis Abbatibus, Definitoribus, Visitatoribus, Superioribus, Monachis, Religiosis, Noviriis, Conversis, & cæteris personis, nunc, & pro tempore existentibus; ut omnibus, & singulis privilegiis, prærogativis, antelationibus, favoribus, præeminentiis, indultis, licentiis, stationibus, declarationibus, facultatibus, concessionibus, Indulgentiis etiam plenariis, & pecca-

& peccatorum remissionibus, ac relationibus, aliisque universis, & singulis gratiis, spiritualibus, & temporalibus Sancti Hieronymi, & Sancti Bernardi, & aliis Cisterciensis Ordinis, necnon Casinensis, & Vallisoleri dicti Ordinis Sancti Benedicti Congregationibus hujusmodi per universum Orbem constitutis ac cuilibet ejusdem Congregationis Sancti Benedicti Regni Portugalliæ Monasteriis, seu illorum Ecclesiis, seu Regularibus locis, eorumque Generalibus, ac aliis Abbatibus, Diffinitoribus, Visitatoribus, Superioribus, Conventibus, Monachis, Religiosis, Novitiis, Conversis, ac familiaribus personis, ac illorum intuitu, & contemplatione per quoscunque prædecessores nostros Romanos Pontifices, ac Sedem prædictam, atque etiam Imperatores, Reges, & alios Principes, & quemcunque, seu quoscunque alios sub quacunque forma, & verborum expressione, & quavis, tam Apostolica, quàm Ordinaria, vel alia auctoritate, necnon tam in genere, quàm in specie, & particulariter, quàm per modum communicationis, & extensionis, & ampliationis, quàm simplicis, & individuæ, & particularis, & specialis concessionis, hactenus, ac etiam iteratis vicibus confirmatis, & approbatis, ac in posterum pro tempore concedendis, confirmandis, & approbandis, etiamsi talia forent, quæ specialem eorum requirant mentionem, ac quibus illa, & illa quomodolibet utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere possunt, & potuerunt, &c. Non obstantibus Constitutionibus, seu revocationibus, ac aliis præmissis, & nostra de non concedendis indulgentiis ad instar, & aliis Cancellariæ Apostolicæ Regulis, aliisque Apostolicis, neque in Universalibus, Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis specialibus, & generalibus Constitutionibus, & Ordinationibus.

Sub Datum Romæ, anno Domini 1587. 7. Kalend. Decembris, Pontificatus sui anno tertio.

Quod privilegium refert Rodericus *quæst. Regul. tom. 1. quæst. 52. art. 6.* se vidisse sub sigillo authentico, *in libro privilegiorum dictæ Congregationis Sancti Benedicti Regni Portugalliæ.*

8 Monachi Congregationis Eremi Camaldulens. ac Sancti Michaelis de Mirano, Ordinis Camaldulens. participant omnia privilegia, gratias, concessiones, & indulgentias, quibuscunque Regularibus elargitas, ac in posterum elargiendas, tam directè, quàm per viam communicationis, ex indulto Gregorii XIV. eis impartito, anno Domini 1591. die 24. Septembris, Pontificatus sui anno 1. ut paret ex ejus Constitutione, incip. *Ex injuncto nobis*, quæ est 18. in ordine in *Bullario novo*, ubi postquam omnia indulta, & gratias dictæ Congregationis, & Ordinis plenè confirmavit, §. 11. ita concludit:

Ac præterea volentes eosdem Generalem, Visitatores, Priores Eremi, necnon Congregationis ejusdem Eremi, ac Sancti Michaelis de Murano, ac Ordinem prædictum Camaldulensem amplioribus favoribus, & gratiis prosequi, ejusdem Generali, Visitatoribus, Priori, Monasteriis, Domibus, & locis Ordinis, & Congregationis prædictæ, omnia, & singula privilegia, prærogativas, concessiones, jurisdictiones, antelationes, favores, facultates, declarationes, depositiones, immunitates, exemptiones, indulta cujuscunque generis existentia, necnon indulgentias etiam plenarias, ac peccatorum remissiones, cæterasque gratias spirituales, & temporales, quibusvis aliis Regularium Congregationum Ordinibus, eorumque Monasteriis, tam virorum, quàm mulierum, eorumque Generalibus, Abbatibus, aliisque Superioribus, & personis eorundem, in quibuscunque Mundi partibus existentibus aliàs quomodolibet concessa, & concedenda, ac quibus de jure, usu, consuetudine, vel privilegio, aut concessione Apostolica, Regia, Imperiali, Archiepiscopali, Episcopali, in genere, vel in specie, tam conjunctim, quàm divisim, etiam per viam communicationis, & extensionis aliàs quomodolibet utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere quomodolibet possunt, & poterunt in futurum, etiamsi talia sint, vel fuerint, quæ specialem, & individuam requirerent mentionem, seu in præsentibus de verbo ad verbum insertionem & seu particularem concessionem, eisdem auctoritate, & tenore perpetuò communicamus, extendimus, & concedimus. Ita quòd iidem Generalis, Visitatores, Monasteria, & loca prædicta, ut præfertur, ac eorum Prælati, Fratres, & personæ prædictæ ac eorum res, & bona sub eorum cura, & secundum ejusdem Congregationis instituta nunc, & pro tempore viventes, & existentes præmissis omnibus, & singulis æquè, pariformiter, & absque alia penitùs differentia, perinde ac si illis, & eorum singulis personaliter, & specialiter, & expressè, ac nominatim, necnon ad instar concessa essent, in quantum eidem Congregationi expediat, (dummodo ejusdem Congregationis Regularibus Ordinibus, ejusque gubernio, privilegiis, constitutionibus, & diffinitionibus non adversentur) uti frui, potiri, & gaudere liberè, & licitè possint, & valeant.

Hæc quoad indultum communicationis privilegiorum Monachis Camaldulens. concessum.

Nostra Congregatio Vallis Umbrosæ habet memorabile privilegium Julii II. in quo omnia indulta Monachis S. Justinæ concessa, vel inposterum concedenda tam directè, quam per viam communicationis extendit ad eam nostram Congregationem; quòd privilegium cùm sit magni momenti, & de eo pluries in toto hoc opere mentio fiat, in fine operis recensere mihi visum fuit; participat etiam omnia indulta, gratias, concessiones Ordinibus Mendicantibus, ac inde omnibus Regularibus ubicunque existentibus factas, & concessas, ac in futurum faciendas, & concedendas; ex Bulla Pii V. quæ inferiùs in hac eadem disputatione refertur. 9

Monachis Ordinis Cisterciens. Congregationis S. Bernardi in Italia Regularis observantiæ communicata fuerunt à Greg. XIV. omnia, & singula privilegia aliis Congregationibus dicti Ordinis concessa, & concedenda; Ut patet ex Bulla d. Pontificis, quæ est 16. in ordine *in tom. 2. Bullar. novi.* incip. *Romanus Pontifex*, edita Romæ apud S. Petrum die 28. Junii anno Domini 1591. Pontificatus sui 1. ubi confirmans privilegia ejusdem Ordinis §. 4. sic ait: 10

Et insuper ob singularem reformationem, & observantiam dictæ Congregationis, in eisdem Monasteriis institutam, & conservatam eosdem amplioribus favoribus condecorare volentes omnia, & singula privilegia, prærogativas, concessiones, antelationes, favores, facultates, declarationes, absolutiones, relaxationes, dispensationes, stationes, indulgentias etiam plenarias, ac peccatorum remissiones, conservatorias immunitates, exemptiones, libertates, præeminentias, & indulta cujuscunque generis existentia, cæterasque gratias spirituales, & temporales, tam eidem Cisterciensi, ejusque Abbati, & Capitulo etiam Generali, ac quibusvis illorum Monasteriorum Abbatibus, etiam quatuor primis de firmitate, Pontiniaco, Claravalle, & Morimundo, quàm etiam Sancti Benedicti, ac quibusvis aliis similium, vel dissimilium Ordinibus, & Religionibus sub quibusvis Regulis, Constitutionibus, aut Ordinationibus degentibus, seu militantibus, & quibusvis illorum respectivè Congregationibus, & militiis, eorumque professoribus, atque utriusque sexus eorum Monasteriis, Domibus, Ecclesiis, necnon Collegiis, Universitatibus, Confraternitatibus, piis, & charitativis locis, eorumque quibusvis in festivitate, ac

aliis

aliis diebus Ecclesias visitantibus, ac earundem Religionum Generalibus præsidentibus, & quibusvis Superioribus Prælatis, ac Capitulis etiam Generalibus, Provincialibus, seu intermediis, eorumque Diffinitoriis, Abbatibus, Prioribus, Diffinitoribus, Consiliariis, & quibusvis Officialibus, Rectoribus; Ministris, Monachis, Novitiis, Monialibus, Fratribus Conversis, Confratribus, Procuratoribus, Familiaribus, Benefactoribus, ac eorum, & earum utriusque sexus, quibusvis Regularibus personis tam in Urbe, quàm in quibuscunque Mundi partibus consistentia, seu consistentibus, etiam illorum intuitu, aut aliàs quomodolibet concessis, quibus de jure, usu, consuetudine, vel privilegio, seu constitutione Apostolica, vel Imperiali Archiepiscopali, Episcopali in genere, vel in specie, ac tam conjunctim, quam divisim etiam per solam signaturam, vel vivæ vocis oraculo, aut per viam communicationis, & extensionis, aut proprio motu, aut aliàs quomodolibet utuntur, potiuntur, & gaudent, ac, uti, frui, potiri, & gaudere quomodolibet possunt, quorum tenores haberi volumus pro expressis, ac si de verbo ad verbum hic essent inserta, etiamsi talia essent, vel forent, quæ specialem, & individuam requirerent mentionem, seu particularem insertionem, ad primò dictam Congregationem Regularis observantiæ S. Bernardi, ac singula illius tam virorum, quàm mulierum Monasteria, illorumque quoscunque Superiores Prælatos, & utriusque sexus quascunque Regulares, & singulares personas. Ita quòd dicta Congregatio S. Bernardi, atque utriusque sexus ejus Monasteria, Prioratus, Grangias, Domos, Ecclesias, Collegia, pia, & charitativa loca, Sanctorumque festivitates, Conventus, & Capitula etiam generalia, particularia, vel intermedia, Generalisque Reformator, Diffinitores, Consiliarii, Visitatores, Abbates, Abbatissæ, Priores, & quicunque alii Superiores, Officiales, & Ministri, Monachi, Moniales, Novitii, Fratres, Procuratores, ac negotiorum gestores, benefactores, & aliæ singulares utriusque sexus Regulares personæ, ac eorum res, & bona sub eorum cura, & secundum ejusdem Congregationis instituta nunc, & pro tempore viventes, & existentes præmissis omnibus, & singulis æquè pariformiter respectivè, & absque ulla penitus differentia, singula singulis concernentia perinde, ac si ea omnia illis, & eorum singulis principaliter, & expresè, & non ad instar concessa fuissent, ac si in eis talis Ordo, & Congregatio S. Bernardi primò dicta, illiusque Capitula, Monasteria, Ecclesiæ, dictique Superiores Prælati, ac utriusque sexus dictæ personæ, res, & bona expressa, & prænominata fuissent, & essent; ac si pro, & in favorem eorundem à Sede Apostolica à principio emanassent, & fuissent immediatè concessa, in quantum dictæ Congregationi expediat, ejusque Gubernio, Constitutionibus, & Diffinitionibus non adversentur, uti, frui, & gaudere liberè, & licitè possint, & valeant, auctoritate, & tenore prædictis concedimus, indulgemus. Illaque omnia, & singula eis, & eorum cuilibet, iisdemque auctoritate, & tenore, similiter perpetuò extendimus, eisque communicamus, &c. Non obstantibus præmissis, & de non expediendis literis super indulgentiis ad instar, ac piæ memoriæ Bonifacii Papæ VIII. etiam Prædecessoris nostri de una Concilii Generalis edita de duabus dietis, aliisque Apostolicis, ac in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis Generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, ac quorumvis Ordinum Congregationibus, Monasteriorum, & Regularium locorum præfatorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis, consuetudinibus, declarationibus, & inhibitionibus, privilegiis quoque & literis Apostolicis, etiam à Legatis, Nunciis, & Ordinariis, Ordinibus præfatis, eorumque Superioribus, & personis sub quibuscunque tenoribus, & formis, etiam in illorum fundationibus, & erectionibus obtentis, &c.

Monachis Cistercien. Reformatis Congregationis B. Mariæ Fulliensis, eorumque Monasteriis, Domibus, & locis communicata fuerunt à Sixto V. omnia indulta, concessiones, & gratiæ, quibus Cistercien. Ordo non Reformatus potitur, & gaudet, ut patet ex ejus Bulla incip. *Super specula*, quæ est 70. in ordine *in Bullario novo*, sub Datum Idibus Novembris anno 1587. Pontificatus sui 3. in his verbis ad communicationem spectantibus. 11

Necnon prædicto de Fullienf. & quibusvis aliis dictæ Congregationis pro tempore erigendis, & seu jam erectis Monasteriis, Prioratibus, Præposituris, Decanatibus, & aliis nuncupandis locis tam virorum, quàm mulierum, illorumque Superioribus, Abbatibus, & Abbatissis, Prioribus, Præpositis; Decanis, Monachis, Monialibus, Novitiis, & Conversis, aliisque quibuscunque personis utriusque sexus, in eis pro tempore existentibus, ut omnibus, & singulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, prærogativis, concessionibus, facultatibus, indultis, indulgentiis, etiam plenariis, & pro peccatorum remissionibus, relaxationibus, cæterisque gratiis, tam spiritualibus, quàm temporalibus, prædicto Ordini, & Congregationibus sub illo institutis, eorumque Monasteriis, & locis pariter utriusque sexus per universum mundum constitutis, & erectis, ac constituendis, & erigendis, in genere, vel in specie, etiam per solam signaturam, & vivæ vocis oraculo, ac per modum communicationis, & extensionis, etiam motu proprio, & ex certa scientia, & Apostolicæ potestatis plenitudine, vel aliàs quomodolibet, tam per Nos, quàm quoscunque alios Romanos Pontifices, etiam prædecessores nostros, ac Sedem Apostolicam, sub quacunque forma, & expressione verborum concessis, & concedendis quomodolibet in futurum, etiamsi talia sint, & forent, quæ specialem ipsorum requirerent mentionem, uti, potiri, & gaudere, liberè, & licitè, tam conjunctim, quàm divisim valeant, non solùm ad instar, sed æquè principaliter, & pariformiter, in omnibus, & per omnia, perinde, ac si illis, & eorum cuilibet ab initio specialiter, & expresè concessa extitissent, auctoritate, & tenore præmissis perpetuò indulgemus, ipsaque privilegia, indulgentias, & gratias quibusvis aliis Superioribus, Abbatibus, Prioribus, Monasteriis, Ecclesiis, & locis piis, ac celebrandis Capitulis, & festivitatibus ejusdem Ordinis, & singularum illius Congregationum, ad Monasterium, & Congregationem de Fullienf. hujusmodi, illorumque Abbates, Priores, Monachos, Abbatissas, Moniales, & alios, Superiores, & personas, necnon Ecclesias, Monasteria, Capitula celebrandas, Sanctorum, festivitates, & loca quæcunque, & qualiacunque, ac ex Superioribus, & personis, & Superiores, & personas perpetuò extendimus, illisque communicamus, ac de novo concedimus, & eis super indulgemus.

Iisdem Monachis communicata fuerunt à Paulo V. omnia privilegia tam d. Ordini Cistercien, quàm aliis quibuslibet Religionibus Monasticis, earumque professoribus, ac utriusque sexus eorum Monasteriis, Ecclesiis, & locis concessa, vel in posterum quomodolibet concedenda: ut constat latè per ejus Bullam, incip. *Divina disponente clementia*, sub Datum 5. Idus Julii anno 1606. Pontificatus ejus 2. quæ est 23. aliàs 18. in ordine in *Bullar. novo tom. 3.* & in alia sequenti, quæ incip. *In supereminentis*, edita die 21. Novembris anno 1607. Pontificatus 3.

Communicavit, & extendit ad eandem Congregationem Fullien. ejusque Religiosos, Monasteria, & loca

omnia & singula privilegia, prærogativas, concessiones, favores, facultates, immunitates, exemptiones, libertates, cæterasque gratias, præeminentias, & indulta cujusvis generis existentia spiritualia, & temporalia, qualiacunque illa sint, quibusvis Mendicantibus Ordinum, Congregationibus, Domibus, Collegiis, Ecclesiis, ac Regularibus locis, & personis in quibuscunque Mundi partibus consistentibus, etiam illorum intuitu, & per viam communicationis, concessa, vel concedenda quomodolibet in futurum, quatenus sint in usu, & non sint revocata, neque sub ullis revocationibus comprehensa, ac Sacris Canonibus, & Concilii Tridentini Decretis, ac Constitutionibus Apostolicis non adversantur.

12 Congregatio Cælestinorum eorumque Prælati, & Monachi gaudent per communicationem omnibus privilegiis, indultis, facultatibus, favoribus, gratiis, concessionibus, &c. quibus gaudent Prælati, ac Monachi Casinen. Congregationis, necnon quarumlibet aliarum Monachalium Congregationum ex privilegio S. D. N. Urbani VIII. Pont. Max. in hanc quæ sequitur formam:

Omnia, & singula privilegia, prærogativas, favores, facultates, declarationes, libertates, immunitates, exemptiones, præeminentias, indulta, aliasque gratias, tàm spirituales, quàm temporales cujusvis generis, & speciei existentes, tam Casinens. Ordini S. Benedicti, quàm quibusvis aliis Monachorum Congregationibus, earumque Superioribus, Præsidentibus, Abbatibus, Monachis, aliisque Regularibus personis, necnon Ecclesiis, Monasteriis, & locis Regularibus quibuscunque, tam specialiter, & nominatim, quàm in genere, & per viam communicationis, vel extensionis, aut aliàs quomodolibet per quoscunque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, seu Nos, & Sedem Apostolicam, eorumque, & Nostros de Latere Legatos, & Nuncios sufficienti ad id auctoritate suffultos concessa, & in futurum per successores Nostros, aut alios auctoritatem habentes concedenda, & quibus ipsæ Congregationes earumque Abbates, & alii quocunque nomine nuncupati Superiores, & Monachi, cæteræque personæ Regulares de jure, usu, consuetudine, privilegio, aut concessione Apostolica in genere, vel in specie, ac tam conjunctim quàm divisim, seu aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, frui, potiri & gaudere possunt & poterunt quomodolibet in futurum, dummodò tamen sint in usu, & non sint revocata aut sub aliquibus revocationibus comprehensa, ac Sacris Canonibus, & Concilii Tridentini decretis non adversentur Congregationi Cælestinorum prædictæ, illiusque Generali, ac cæteris Abbatibus, Prioribus, & aliis quocunque nomine nuncupatis Superioribus, Monachis, & personis Regularibus quibuscunque, necnon Monasteriis, Ecclesiis, Domibus, Conventibus, & locis Regularibus quibuslibet tenore præsentium perpetuò concedimus, dictaque privilegia, indulta, immunitates, exemptiones, ac gratias spirituales, & temporales hujusmodi primò dictæ Congregationi, illiusque Generali, cæterisque Abbatibus, Prioribus, & Monachis, personis prædictis, necnon eorum Ecclesiis, Monasteriis, & Regularibus locis communicamus, illaque ad eos, & illa extendimus.

Ita quòd Congregatio Cælestinorum prædicta, illiusque Generalis, & cæteri Abbates, Superiores, Monachi, & personæ hujusmodi, eorumque Monasteria, Prioratus, Grangiæ, Domus, Ecclesiæ, Oratoria, collegia, & alia loca Regularia, necnon res, & bona quæcunque præmissis omnibus, & singulis non solùm ad aliarum Congregationum instar, sed pariformiter, & præsentialiter uti, potiri, & gaudere liberè, & licitè valeant perinde, ac si ea omnia illis, & eorum singulis specialiter, & expressè, & non ad instar, sed à principio concessa, & primò in dictæ Congregationis favorem à Sede Apostolica nominatim emanassent, &c. sub Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die 24. Augusti 1624. Pontificatus sui anno 2.

Ita habetur in authentico diplomate ejusdem Pontificis, quod asservatur in venerabili Monasterio S. Eusebii de Urbe ejusdem Congregationis Cælestinorum, & originaliter, ac sub sigillo authentico mihi exhibitum fuit à D. Abbate ejusdem Monasterii.

Congregationi Monachorum Sylvestrinorum privilegia omnium Mendicantium communicavit Paulus V. die 23. Novembris 1606. cum clausula. 13

Quatenus sint in usu, & Concilii Tridentini Decretis, vel ipsius Congregationis statutis, & ordinationibus non adversentur;

Ut refert Laert. Cherub. *tom. 1. Bull. nov. in rubr. Bulla 38. Pauli III.*

Congregationi Monachorum B. Mariæ Montis Oliveti communicata fuerunt à Pio II. omnia privilegia Congregationi Casinens. à se, vel suis prædecessoribus concessa, per Bullam incip. *Licet ex debito*, quæ est 9. in ordine *in Bullar. novo tom.* 1. §. 12. sic dicitur: 14

Cæterùm Præfato, & aliis Abbatibus, visitatoribus, Prioribus, Conventibus, Personis, Monasteriis, Prioratibus, locis, & membris, dicti Ordinis, quòd omnibus aliis, & singulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, indultis, & gratiis dilectis filiis præsentibus Monasteriis Congregationis S. Justinæ Paduan. Ordinis S. Benedicti, eorumque Monasteriis, Prioratibus, membris, & personis, & bonis, tam per Nos, quàm per præfatum Eugenium, & alios Romanos Pontifices prædecessores Nostros sub quavis forma, & expressione verborum tam in specie, quàm in genere concessis, & quibus Præsidens, Abbates, Visitatores, Priores, Monachi, & Personæ, Monasteria quoque & Prioratus, membra, loca, & bona ejusdem Congregationis S. Justinæ utuntur, & gaudent, sive uti, & gaudere possunt, quæ omnia haberi volumus pro expressis, & specificè enarratis, & quæ ad Abbatem, Conventum, Monachos, Personas, Monasteria, Prioratus, membra, & bona dicti Ordinis Montis Oliveti, cum modificationibus tamen præinsertis, ac etiam infra scriptis extendimus, & eis de novo concedimus, ac etiam impartimur; ipsi Abbas, & Professores Montis Oliveti, eorumque Monasteria, Prioratus, Membra, Personæ, & bona prædicta pariformiter, & ad eorum instar, sine tamen Præsidentis, ac personatum dictæ Congregationis, eorumque Monasteriorum, & bonorum præjudicio perinde in omnibus, & per omnia uti valeant pariter, & gaudere, ac si illa omnia, & singula eis pariter à Nobis, & prædecessoribus, aut Sede prædictis specialiter, & expressè concessa, indulta, & attributa fuissent auctoritate Apostolica, tenore præsentium, ex certa scientia concedimus pariter, & indulgemus.

Monachi Congregationis Beatæ Mariæ Montis Virginis obtinuerunt communicationem privilegiorum Congregationis Camald. à Paulo V. anno Domini 1611. die 19. Maji Pontif. sui anno sexto, ut habetur in Bulla ejusdem Pontificis *in appendice Bull. nov.* Laër. Cher. *Const.* 1. cujus verba ad rem nostram spectantia sunt hæc: 15

Omnesque Abbates supradicti gaudeant, & gaudere debeant omnibus privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, facultatibus, præeminentiis quibus gaudent Abbates Camaldulenses quocunque jure.

Insuper omnes tam Monachorum, quàm Regularium Canonicorum Congregationes participant per viam communicationis omnia privilegia Religionibus Mendicantibus concessa, & inposterum concedenda: 16

dendæ: & hoc ex indulto Pii V. qui sub Dat. Romæ anno Dominicæ Incarnationis 1567. 17. Kal. Septembris Pontificatus sui anno 2. concessit Congregationibus Canonicorum Lateranensium, & S. Salvatoris, ac sanctæ Crucis Colimbriensis, Casinensium, Montis Oliveti, Vallis Umbrosæ, Cisterciensium, Carthusiensium S. Hieronymi Hispaniarum, Camaldulensium, & Fratrum Militiæ Jesu Christi Regni Portugalliæ, Eremitis S. Hieronymi à Pisis, Congregationi S. Hieronymi Fesulani, Cælestinis, Cruciferis, Præmonstratensibus, ac aliis Ordinibus, ut participent omnia privilegia, gratias, & indulta Ordinibus Mendicantibus concessa, etiam per viam communicationis, vel in futurum concedenda, cujus verba hæc sunt:

Nos igitur, qui omni, qua fieri potest, ratione commodiori, personarum quarumlibet, præsertim Deo dicatarum, animi quietem sinceris exoptamus affectibus, singulos Canonicos, Monachos, & Fratres prædictos, à quibusvis censuris, pœnis Ecclesiasticis, quavis occasione latis, si quibus innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, horum serie absolventes, & absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Canonicos, Monachos, & Fratres prædictos, si professionem Regularem juxta eorum statuta, & laudabiles consuetudines, ac privilegia, & indulta eis concessa emiserint respectivè, illorumque Monasteria, etiam Monialium, necnon domos, & loca quæcuncumque ad singulas declarationes, statuta, & immunitates, (consuetudine, ratione, seminariorum, pauperum, clericorum, juxta ordinationem dicti Concilii Tridentini erigendorum, & instituendorum: necnon subsidiorum Apostolica auctoritate pro tempore impositorum, ac quæstuatione eleemosynarum dumtaxat exceptis) exemptiones, voluntates, prohibitiones, approbationes, extensiones, decreta, & alia quæcunque, gratias, facultates, & privilegia eisdem Fratribus Mendicantibus, ut præfertur, concessa, & facta, ac alia in præinsertis literis contenta, & inde secuta quæcunqua dicta auctoritate Apostolica, tenore præsentium perpetuò extendimus, & ampliamus, illosque declarationibus, statutis, exemptionibus, voluntatibus, prohibitionibus, approbationibus, extensionibus, decretis, & aliis gratiis, facultatibus, & privilegiis hujusmodi pariformiter, & absque ulla penitus differentia; prout dicti Fratres Mendicantes utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt liberè, & licitè uti, potiri, & gaudere posse, atque debere, illaque omnia, & singula sibi, eorumque Monasteriis, domibus, & locis hujusmodi, eorumque Superioribus, & personis quibuscunque, quas illa concernunt, & pro tempore concernent suffragari, necnon modo, & forma, quibus prædictis Fratribus Mendicantibus concessa, & facta sunt, concessa, factaque esse; necnon ad singula Monasteria, domos, & loca quæcunque dictorum Canonicorum, Monachorum, & Fratrum, necnon Monialium, Congregationum, & Ordinum prædictorum in Congregatione viventium, extensa, & ampliata censeri, sicque in præmissis omnibus, & singulis per quoscunque Judices, & personas, & S. R. E. Cardinales, ac causarum Palatii Apostolici Auditores; sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & diffiniri debere: necnon quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus.

Ita refertur *in Bullar. novo* Laert. Cherub. *tom. 2. Constit. 41. prædicti Sum. Pont.* quæ incip. *Ex superna dispositionis arbitrio.*

Circa quam notandum, quòd in ea Summus Pontifex communicavit, & extendit ad dd. Congregationes omnia privilegia, gratias, & exemptiones, quas antea Mendicantibus concesserat per Bullam, quæ incip. *Etsi Mendicantium*, editam anno Domini 1567. in qua nonnulla contra Concilium Tridentinum eis concessit, sed postea Gregorius XIII. per dictam suam Constitutionem, quæ incip. *In tanta*, & est 9. in ordine *in Bullar. novo tom. 2.* omnia prædicta privilegia ad terminos juris communis, & Concilii Tridentini reduxit: unde illa tantùm indulta Mendicantium persistunt, ac prædictis 12. Congregationibus communicantur, quæ ante prædictas Bullas Mendicantes habebant, ac Concilii Tridentini decretis non adversantur. At Fratres Ordinis Prædicatorum, qui inter Mendicantium connumerantur, ex concessione Leonis X. habent communicationem privilegiorum, non solùm Ordinibus Mendicantibus, verum etiam non Mendicantibus concessorum, & in futurum concedendorum, quæ eadem concessio facta fuit Fratribus Minoribus à Clemente VII. ut videre est apud Roderic. *tom. 1. quæst. 55. art. 1.* & dicemus in sequentibus. Igitur prædictæ Congregationes Monachorum, & Canonicorum Regularium participando privilegia Mendicantium, participant etiam privilegia non Mendicantium, & omnium Regularium ubicunque in mundo existentium, tam concessorum, quam in posterum quomodocunque, & qualitercunque concedendorum, tam directè, quàm per viam communicationis. 17

Hæc autem communicatio idem operatur, ac si essent privilegia illa Congregationibus illis, quibus fit communicatio, in specie concessa; ita Oldrad. *cons. 300. num.* 8. Bertrand. *cons. 149. num. 2. lib* 1. in Antiq. Paris. *cons. 22. num. 5. lib. 4.* Doctores communiter *in l. 1. ff. de leg. 1.* ubi Joannes Crot. *num* 13. Jacob. de Nigr. *num. 5.* Roman. *cons. 383. num. 1.* Natt. *cons. 432. num. 9. lib. 1.* Crescent. *decis. 9. num. 5. vers. secundo quia, de privileg.* Rota *decis. 8. num. 5. part. 2.* Divers. *& in una Bononien. exemptionis coram Illustriss. Cardin. Verospio, 25. Maji* 1618. 18

Notandum hîc, quòd per clausulas generales à Sede Apostolica in privilegio communicationis appositas non communicantur ea privilegia, quorum communicatio à Sum. Pontifice concedente prohibita fuit (ut sunt quædam privilegia Societati Jesu concessa) sed erit necessaria clausula specialis, ut docet Suarez *de legib. lib. 8. cap. 17. num. 8.* Laurent. de Peirin. *tom. 1. privileg. sui Ordin. Minim. in annot. ad* §. 11. *Constit. Pyrrhi, num. 52. in fine*, contra Roderic. *quæst. Regul. tom. 1. quæst. 57. art. 17.* 19

Monachi Divi Basilii hanc habent communicationem: ut patet ex Bulla ad hoc eis concessa à Gregor. XIII. anno 1579. Kal. Novembris, Pontificatus sui anno 8. edita pro reformationa ejusdem Ordinis.

Ubi concessit Monasteriis, Conventibus Prioribus, & Monachis prædicti Ordinis, necnon Conversis, & Oblatis, aliisque etiam dictorum Monasteriorum S. Basilii Religiosis, & personis, ut de cætero omnibus, & quibuscunque privilegiis, prærogativis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, indulgentiis, fovoribus, gratiis, & indultis tam spiritualibus, quàm temporalibus Congregationis Casinensis, illiusque personis, & locis per quoscunque Romanos Pontifices ejus prædecessores, ac ipsum, & d. Sedem in genere, & in specie concessis, confirmatis, & innovatis, ac etiam per viam communicationis ad eandem Congregationem Casinensem extensis, quibus illis utuntur, potiuntur, & gaudent, uti, potiri, & gaudere possint quomodolibet in futurum. (Quæ tamen usu recepta sint, & sacris Canonibus, ac Concilii Tridentini Decretis, ipsiusque Ordinis sancti Basilii institutis non adversentur) uti potiri & gaudere liberè, & licitè valeant.

Hoc privilegium refertur à Roderico *in nova collect.*

privileg. Mendic. & non Mendicant. Bulla 12. inter Bullas d. Summi Pontificis. Ex quo patet, quòd Abbates dicti Ordinis S. Basilii communicent omnia privilegia concessa, & concedenda, etiam per viam communicationis Congregationi Casinensi: & prædicta Congregatio Casinen. habet indultum communicationis omnium privilegiorum, omnium, & singulorum Ordinum, & Congregationum, tam Mendicantium, quàm non Mendicantium per concessionem Pii V. quam In superiori Quæsito retulimus; ergo Religiosi prædicti Ordinis S. Basilii etiam communicant omnia privilegia, indulta, concessiones, indulgentias, & gratias, quibus cæteri Ordines tam Mendicantes, quàm non Mendicantes, potiuntur, utuntur, & gaudent.

20 Ordo Præmonstratensis à Clemente VIII. anno 1493. die 20. Septembris Pontificatus sui 2. accepit communicationem omnium privilegiorum, tam spiritualium, quàm temporalium, tam in genere, quàm in specie concessorum Congregationi S. Bernardi Ordinis Cisterciens. Regnorum Hispaniæ, ita attestante Roderic. *1. tom quæst. Reg. quæst. 55. art. 7. & in nova collect. Bullar. Apostol. pro Regular. tom. 1. Bull. 20. ejusdem Clement.* in his verbis:

Et insuper ob singularem reformationem, & observantiam in dictis Monasteriis institutam, & conservandam, eosdem amplioribus favoribus condecorare volentes omnia, & singula privilegia, concessiones, & indulta, gratiasque spirituales, & temporales in genere, vel in specie, tam conjunctim, quàm divisim Congregationi Regularis observantiæ S. Bernardi Ordinis Cisterciensis Regnorum Hispaniæ, ac eorum Monasteriis, Domibus, Conventibus, Ecclesiis, Collegiis, & piis locis concessa, communicata, & extensa, ac quibus utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, frui, potiri, & gaudere quomodolibet possunt, quorum tenores præsentibus haberi volumus pro expressis, ac si de verbo ad verbum insertis; etiamsi talia sint, vel forent, quæ specialem, & individuam requirerent mentionem, & seu particularem extensionem, prædictis Monasteriis Ordinis Præmonstratensis tam virorum, quàm mulierum, ut eis uti, frui, & gaudere liberè, & licitè possint, & valeant, cum omnibus suis clausulis particularibus & generalibus, & derogatoriis, auctoritate, & tenore prædictis concedimus, & indulgemus, dummodò non sint revocata, & non adversentur Decretis Concil. Tridentini, & quatenus etiam sint in usu, illaque omnia, & singula, & eorum cuilibet eisdem auctoritate, & tenore similiter perpetuò extendimus, & excommunicamus.

21 Fratres sancti Spiritus in Saxia de Urbe, Ordinis S. Augustini cum Monachis Casinensibus communicant in privilegiis, ut testatur Bulla Sixti IV. quæ est 22. Constitutio ejusdem *in tom. 1. Bull. novi* Laërt. Cherub. in illis verbis:

Ac pro majori Hospitalis, & aliorum Præceptoriarum, ac membrorum, & Fratrum, aliarumque personarum, subditorum, & Vassallorum prædictorum favore, & quiete, ex motu, & scientia similibus concedentes eisdem, quòd de cætero perpetuis futuris temporibus, omnibus & singulis prærogativis, exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, conservatoriis, privilegiis, gratiis, & indultis, præfatæ Congregationi sanctæ Justinæ, Illorumque Monasteriis, locis, membris, & personis per Sedem prædictam, vel aliàs quomodolibet in genere, vel in specie, concessis, aut in posterum concedendis, quorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum præsentibus insererentur haberi volumus pro sufficienter expressis, uti, potiri, & gaudere liberè, & licitè, in omnibus, & per omnia possint, & debeant, perinde ac si eis specialiter concessa fuissent, quæ ad eos, & ea omninò extendimus, & ampliamus.

Et postmodum à Sixto V. majorem communicationem obtinuerunt, ut in Bulla ejusdem, quæ cùm inter Constitutiones prædicti Pontificis non reperiatur, hic verbatim apponenda est.

SIXTUS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

EXigit incumbentis nobis Apostolicæ servitutis, officium, ut Archihospitale sancti Spiritus in Saxia de Urbe Ordinis S. Augustini tanquam peculiari curæ nostræ commissum, specialiori cura amplectentes ea, quæ illi hactenus per Sedem Apostolicam concessa sunt approbemus. Dudum siquidem fel. rec. Innoc. Papa III. qui dictum Archihospitale fundavit, & instituit, & deinde successivè plerique alii Romani Pontifices prædecessores nostri, inter quos sanctæ mem. Sixtus Papa IV. dictum Archihospitale maximè auxit; cupientes illud, ac ejus bona & jura perpetuò conservari, defendi, & protegi, ipsum Archihospitale, illiusque Præceptoriam, quæ Conventualis, ac caput aliarum Præceptoriarum Archihospitalis, & Ordinis prædictorum existit, & à qua omnes aliæ Præceptoriæ per fratres ejusdem Archihospitalis teneri solitæ dependent, ac personas, quæ ejus curam gererent, necnon ab eodem Archihospitali dependentes Præceptorias, Prioratus, Oratoria, Ecclesias, Capellas, membra, Grangias, ac in eis respectivè institutas, & erectas Confraternitates, illarumque Confratres variis indulgentiis, etiam plenariis, ac facultatibus, privilegiis, immunitatibus, exemtionibus, libertatibus, & gratiis, tam spiritualibus, quàm temporalibus, etiam per solam signaturam, & vivæ vivæ vocis oraculo in genere, & in specie, tam per viam communicationis, sive extensionis privilegiorum, tam Mendicantium, quàm non Mendicantium Ordinibus concessorum, quam aliàs diversimodè ornarunt, & decorarunt, ac locupletarunt, illaque antea concessa confirmarunt, & approbarunt, ac ad omnia loca prædicta, ab ipso Archihospitali dependentia extenderunt, & ampliarunt, ac alias, prout in singulis dictorum prædecessorum desuper confectis literis pleniùs continetur. Cùm autem ea firmius subsistere, ac majorem vim, & robur obtinere noscantur, quæ sæpius fuerint Apostolica auctoritate communita, pro parte dilecti filii Joan. Baptistæ Ruini moderni Præceptoris dicti Archihospitalis, Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur gravium onerum, quæ dicto Archihospitali incumbunt, dum illius facultates, redditusque omnes in pauperum miserabiliumque personarum subventionem erogantur, rationem habendam esse, & propria nedum privilegia, & facultates, & alia eidem Archihospitali, & ab eo dependentibus locis, & personis, ac quibusvis aliis intuitu dicti Archihospitalis concessa, conservanda, verum etiam quantum cum Deo licet, augenda fore censentes, necnon quarumcunque indulgentiarum, privilegiorum, facultatum, exemptionum, immunitatum, indultorum, & cujusvis generis gratiarum, quibusvis clausulis, & decretis, tam per dictos, quàm quoscunque alios Romanos Pontifices Prædecessores Nostros quibusvis præfatis, & aliis forsan rationibus concessarum tenores, ac prout illa concernunt, omnia, & singula in eis contenta, præsentibus pro expressis, & de verbo ad verbum insertis habentes, ac ipsum Joan. Baptistam, quinimo Archihospitale præfatum specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, ipsumque Joan. Baptistam à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine,

quavis

quavis occasione vel causa latis, si quis quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, omnia, & singula privilegia, facultates, gratias, exemptiones, immunitates, libertates, indulgentias, etiam plenarias, & peccatorum remissiones, & indulta supradicta, & alia quæcunque, sive dicto Archihospitali, sive ejus Præceptori, & ab eodem Archihospitali dependentibus, Præceptoriis, Prioratibus, Ecclesiis, Oratoriis, Capellis, & Capellanis, membris, Grangiis, & locis, nec non illorum respectivè ministris, & officialibus, & tam in dicto Archihospitali, quàm alibi institutis, Confraternitatibus, & ipsarum Confratribus, quandocunque, quomodocunque, & qualitercunque concessa, indulta, & approbata, quæ sunt in usu, & ex certa nostra scientia, denuò Apostolica auctoritate, & etiam de plenitudine potestatis tenore præsentium perpetuò approbamus, & confirmamus, ac innovamus, illisque perpetuæ, & inviolabilis firmitatis robur adjicimus, ac præsentis scripti patrocinio communimus, omnesque & singulos, tam juris, quàm facti defectus, si qui intervenerint, in eisdem supplemus, illaque omnia & singula d. Archihospitali aut in eo institutæ confraternitati, aut quibus certis, & designatis locis dumtaxat forsan concessa universis, & singulis, quæ ab eodem Archihospitali dependent, Præceptoriis, Prioratibus, Ecclesiis, Capellis, Capellanis, Hospitalibus, Oratoriis, Eremitoriis, Grangiis, membris, & locis, ac Confraternitatibus, illarumque Confratribus, & quæ illis in vim privilegiorum prædictorum jam unita fuerunt, & in posterum uniri contigerit, illorumque ministris, ac servientibus, auctoritate, & tenore præmissis, communicamus, concedimus, & impertimur, eademque omnia ad illa in perpetuum extendimus, & ampliamus, ac præsentes litteras sub quibusvis illarum, aut similium, vel dissimilium gratiarum, indulgentiarum, concessionum, & aliorum quorumcunque revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, restrictionibus, aut aliis contrariis dispositionibus, per præfatos, & quoscunque alios Rom. Pont. prædecessores Nostros, ac etiam per Nos, & Sedem Apostolicam, ac illius Legatos, etiam de latere, aut aliàs quavis auctoritate, & quomodolibet hactenùs factis, & faciendis, nullatenùs unquam comprehendi, sed semper ab illis exceptas esse, & censeri debere, ac de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis Nostræ, vel quovis alio defectu notari, vel impugnari non posse, sed eas validas semper, & efficaces existere, ac perpetuò suffragari. Sicque etiam, & non aliter in præmissis omnibus & singulis per quoscunque Judices Ordinarios, & delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam Legatos de latere, & dictæ Sedis Nuncios, ac locorum Ordinarios, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate ubique judicari, sententiari, ac definiri debere, nec non quidquid secùs super his à quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter attentari contigerit, irritum, & inane perpetuò decernimus, & declaramus. Non obstantibus præmissis, ac Nostra de non tollendo jure quæsito, si opus sit: nec non piæ mem. Pii Papæ V. etiam prædecessoris Nostri, super revocatione prædictarum indulgentiarum concessarum; quas nihilominùs indulgentias suffragari decernimus, & quibusvis aliis Apostolicis, nec non etiam in universalibus, provincialibusque & Synodalibus Conciliis editis, & edendis generalibus, vel specialibus constitutionibus, & ordinationibus, ac etiam quorumvis aliorum hospitalium, Monasteriorum, Ecclesiarum, etiam Cathedralium, vel Metropolitan. tam Mendicantium, quàm non Mendicantium Ordinum, Confraternitatum, & aliorum piorum locorum quorumcunque, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus, stabilimentis, usibus, & naturis, ac etiam novis reformationibus, privilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis, etiam eisdem, vel illorum alicui, ac illorum, nec non quibusvis aliis Superioribus, & personis, sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis, etiam derogatoriis, ac irritantibus: etiam motu proprio, ac simili scientia, & de Apostolicæ potestatis plenitudine, & forsan Consistorialiter, ac aliàs quomodolibet in genere, vel in specie, etiam pluries, & iteratis vicibus concessis, confirmatis, & innovatis, ac etiam in posterum concedendis, confirmandis, & innovandis. Quibus omnibus & singulis, etiamsi de illis specialis mentio habenda foret, illis aliàs in suo robore permansuris, ac vice dumtaxat, specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod præsentium transumptis, etiam impressis, manu Notarii, vel Secretarii dicti Archihospitalis subscriptis, & sigillo ejusdem Joan. Baptistæ moderni, & pro tempore existentis dicti Archihospitalis Præceptoris munitis, eadem prorsus fides ubique in Judicio, & extra, ac in Romana Curia, & extra eam adhibeatur, quæ ipsis præsentibus exhibitis, vel ostensis, ubicunque gentium, & locorum adhiberetur. Dat. Romæ apud Sanctum Marcum, sub Annulo Piscatoris, die 13. Augusti 1586. Pontif. Nostri anno 3.

Thom. Thomasius Gualteruttius.

Carthusienses obtinuerunt à Gregorio XI. communicationem omnium privilegiorum Domui Carthusiæ Gratianopolitanæ, & aliis domibus ejusdem Ordinis concessorum, & concedendorum omnibus domibus canonicè fundandis. 22

Deinde Pius II. eisdem concessit, ut privilegia concessiones, indulgentiæ, libertates, exemptiones, immunitates, gratiæ, & indulta prædicto Ordini, domibus, ac personis etiam Motu proprio, & ex certa scientia quovis modo, respectu, singularitate, seu causa communiter, vel divisim concessa, quotquot, & qualia sint, etiam si expressione indigerent individua, sive aliàs speciali eorumque omnium, & singulorum tenores, & effectus, ac si de verbo ad verbum inserta forent, & specificè narrata, ad omnes, & singulas ejusdem Ordinis domos, etiam in posterum ædificandas, nec non ad singulares earumdem domorum pro tempore personas pariformiter extendantur, tam in judico, quàm extra. Ita Rodet. *tom. 1. quæst. Regul. quæst.* 8. Oblati hujus Ordinis gaudent omnibus privilegiis, & gratiis, ex speciali Bulla Gregorii IX. sub Datum Reatæ tertio Nov. Februarii, anno 1632. Pont. sui 5. ut habetur *in tom. 1. Bullar. nov.* Laër. Cher. *Const. 3. ejusd. Pont.* in his verbis:

Cùm igitur, sicut vestra petitio Nobis exhibita, continebat septem oblatos, qui Redditi vulgariter appellantur, in qualibet domo vestri Ordinis habeatis ad agriculturam vestri operis deputatos, & ipsi relicto seculo continentiæ voto adstricti, promissa loci stabilitate sub obedientia sine proprio vivere teneantur. Nos vestris precibus inclinati, eosdem sub B. Petri, & Nostra protectione suscipimus, auctoritate vobis præsentium indulgemus, ut ipsi eisdem libertatibus, & immunitatibus gaudeant, quibus gaudent Fratres Ordinis antedicti.

Fratres S. Hieronymi in Hispania hanc habent communicationem concessam eis à Pio IV. Pont. sui an. 6. 4. Kal. Aug. ad instantiam Invictissimi Regis Philippi Hispaniarum II. hujus nominis; ut omnia, & singula 23

privilegia, immunitates, exemptiones, & prærogativas, indulta temporalia, favores, & gratias Ordini, & singulis, & cuivis Monasterio per quoscunque Rom. Pont. prædecessores, ac per se, & sedem Apost. ejusque Legatos, & Nuncios in genere, vel in specie concessa, ad omnia, & singula Monasteria Ordinis, tam virorum, quam mulierum, quibus in specie concessa non sunt, & in quibus aliæ causæ concessionis & indultorum prædictorum aliàs, quàm ut præfertur, suberant, ad id, ut ipsa Monasteria illis pariformiter uti, frui, & gaudere possent, & deberent, perinde ac si eis specialiter concessa fuissent auctoritate Apostolica extendit, & ampliavit, illaque inter omnia tam virorum, quàm mulierum Monasteria Ordinis, omnibus & singulis communicavit, Roder. *qq. Regul. tom, 1 q. 55. art. 9.*

Insuper (sicut testatur idem Roder, *loc. cit. art. 9.*) Sixtus V. anno Dom. 1586. 13. Decembr. Pontif. sui ann. 1. omnia, & singula privilegia, immunitates, libertates, prærogativas, indulta spiritualia, & temporalia, favores, & gratias etiam per modum communicationis, & extensionis eidem Ordini S. Hieronymi, ac singulis ejus Monasteriis, domibus, locis & congregationibus, illorumque Conventibus, Superioribus, Prioribus, Fratribus, Ministris, & etiam utriusque sexus personis, ejusque Capitulo per quoscunque Rom. Pont. prædecessores suos, & per se, & per Sedem Apostolicam, ejusque Legatos, & Nuncios in genere, vel in specie sub quibuscunque tenoribus, & formis etiam Motu proprio, & ex certa scientia, vel ad Imperatoris, Regum, Reginarum, Ducum, aut aliorum Principum instantiam quomodolibet concessa, communicata, extensa confirmata, & innovata, ac literas desuper confectas cum omnibus, & singulis in eis contentis, clausulis, & decretis (quatenus sint in usu, & Decretis Conc. Trid. non adversentur) Apostolica auctoritate approbavit, & confirmavit, illisque perpetuæ, & inviolabilis firmitatis robur adjecit, ac de uno Monasterio ad aliud extendit, ac omnes & singulos tam juris, quàm facti defectus, si qui forsan intervenerint, in eisdem supplevit, & nihilominùs pro potiori cautela illa omnia eidem ordini S. Hieronymi, ac singulis ejus Monasteriis, domibus, locis, & Congregationibus, ac illorum Superioribus Fratribus, & etiam utriusque sexus personis quibuscunque de uno eorum Monasterio ad aliud extendit.

Et insuper omnes & singulas gratias spirituales tam conjunctim, quàm divisim, & alias quomodolibet quibusvis aliis Ordinibus, Religionibus, Congregationibus, ac tam virorum, quàm mulierum Monasteriis, & domibus, cæterisque Regularibus, vel piis locis in quibuscunque Mundi partibus constitutis, illorumque Capitulis, & etiam utriusque sexus personis quibuscunque per quoscunque Rom. Pont. etiam prædecessores suos, & se, Sedemque prædictam quomodolibet concessas, (in usu tamen existentes, ac Decretis Concilii prædicti non contrarias,) quibus Ordines, Congregationes, Monasteria, domus, cæteraque Regularia, vel pia loca, illorumque Superiores, Officiales, Ministri, & personæ hujusmodi de jure, usu, consuetudine, vel privilegio, concessione Apostolica utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, ad d. Ordinem S. Hieronymi, ac singula ejus tam virorum, quàm mulierum Monasteria, domus, loca, & Congregationes, illorumque Superiores, Officiales, Ministros, ac alias etiam utriusque sexus personas, & Capitula nunc, & pro tempore existentia, ita quòd præmissis omnibus, & singulis æquè, ac pariformiter, & sine aliqua differentia, uti, frui, potiri, & gaudere, liberè, & licitè possint, perinde, ac si illæ omnes d. Ordini S. Hieronymi, illiusque Monasteriis, locis, & personis prædictis specialiter, & expressè, ac principaliter, non autem ad instar, concessæ fuissent, auctoritate, & tenore prædictis extendit, illasque omnes, & singulas S. Hieronymi, illiusque Monasteriis, locis, & etiam utriusque sexus personis prædictis communicavit.

Fratres Eremitæ S. Hieronymi Congregationis B. Petri de Pisis perfruuntur omnibus privilegiis Ordinum Mendicantium per Bullam Pii V. apud Laërt. Cherubin. *tom. 2. Bullarii novi*, quæ est 125. *Constitutio ejusdem Pontificis in ordine, sub Datum Romæ apud Sanctum Petrum die 15. Maji 1571. Pontificatus verò sexto*, per hæc verba §. 4. ad rem nostram pertinentia: 14

Et prætereà vos, & eandem Congregationem vestram, illiusque Fratres, & personas, ac Monasteria, & loca, Bullæ confirmationis, novæque concessionis privilegiorum, omnium Ordinum Mendicantium per Nos nuper, seu dudùm editæ, illius etiam tenores, & datam cum inde secutis præsentibus pro plenè & sufficienter expressis, & insertis habentes, in omnibus, & per omnia, ac ad instar dictorum Ordinum, & æquè principaliter, ex nunc, & perpetuò, auctoritate, & tenore prædictis aggregamus, ac pro aggregatis haberi, censeri, & teneri in Judicio, & extra Judicium ubilibet, volumus, declaramus, & mandamus.

Ordini Sanctissimæ Trinitatis Redempt. Captivorum, Leo X. & Adrianus V. concesserunt, ut omnes 15 Superiores, aliique quicunque in ejusdem Ordinis Monasteriis pro tempore degentes Provinciæ Castellæ, Legionis, Granatæ, ut omnibus, & singulis privilegiis, præeminentiis, concessionibus, & amelationibus, immunitatibus, exemptionibus, favoribus, & indultis, peccatorum remissionibus, & indulgentiis, etiam Mare magnum nuncupatis, & aliis quibuscunque literis Apostolicis, & omnibus gratiis, etiam vivæ vocis oraculo quatuor Ordinibus Mendicantium, & eorum singulis, etiam quoad interdicti relaxationem in eorum festivitatibus, commemorationibus, & solemnitatibus, celebrationem, & aliàs quovis modo per quoscùnque Romanos Pontifices, ac Sedem Apostolicam in genere, vel in specie, tunc, & pro tempore concessis, confirmatis, & innovatis, quorum omnium tenores haberi voluerunt dicti Pontifices Leo, & Adrianus pro expressis, & quibus domus, Priores, & Fratres Ordinum Mendicantium hujusmodi de jure, vel consuetudine, & juxta privilegia, & indulta prædicta utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere possent, quomodolibet in futurum uti, potiri, & gaudere in omnibus, & per omnia, perinde ac si singula privilegia hujusmodi Ordinis Sanctissimæ Trinitatis, & Redemptionis Captivorum, ac illius Monasteriis, Ministris, Superioribus, Fratribus, & personis præfatis specialiter concessa fuissent.

Fratres Cruciferi communicant in privilegiis cum Ordinibus Mendicantium, & non Mendicantium, tàm 16 in privilegiis concessis, quàm concedendis per Bullam Greg. XIV. sub Dat. Romæ in Monte Quirinali ann. 1591. die 12. Julii, Pont. sui an. 1. apud Laërt. Cher. *tom. 2. Bullar. nov.* in his verbis:

Et insuper omnia, & singula privilegia, prærogativas, concessiones, facultates, & exemptiones, immunitates, indulta, indulgentias, cæterasque gratias, spirituales, & temporales, ac tam conjunctim, quam divisim, & alias quomodolibet, quibusvis Mendicantium, & non Mendicantium Ordinum Congregationibus, ac tam virorum quàm mulierum Monasteriis, domibus, & Regularibus locis in quibuscunque Mundi partibus consistentibus, illorumque Superioribus, Fratribus, Monachis, & personis per d. Pium V. & alios quoscunque Rom. Pont. prædecessores Nostros, & Nos, & Sedem eandem, etiam per viam communicationis, vel extensionis, aut aliàs concessa decretis ejusdem Conc. minimè contraria, ac quibus singulæ Congregationes prædictæ, earumque

Mona-

Monasteria, domus, & loca, ac Superiores, Fratres, Monachi, & personæ hujusmodi, de jure, usu, consuetudine, vel privilegio, aut concessione Apost. vel alia quacunque auctoritate, aut aliàs quomodolibet utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, frui, potiri, & gaudere possunt, & poterunt quomodolibet in futurum ad prædictam Cruciferorum Congr. ita ut illa ejusque tam virorum, quàm mulierum Monasteria, Hospitalia, Conventus, seu Regulares domus, illorumque Priores, Superiores, Officiales, Fratres, Ministri, & aliæ personæ nunc, & pro tempore existentes, præmissis omnibus, & singulis, æquè, ac pariformiter, & sine ulla prorsùs differentia uti, frui, potiri, & gaudere, liberè, & licitè possint, ac si illa dictæ Cruciferorum Congregationi, illiusque Monasteriis, Hospitalibus, Conventibus, & domibus, Regularibus, ac Superioribus, Officialibus, Fratribus, Ministris, & personis prædictis quibuscunque communicamus.

27 Congregatio S. Hieronymi, sub denominatione S. Hieron. de Fesulis, ab Alex. VI. obtinuit pro Ecclesiis erectis, & in posterum erigendis, & pro omnibus d. Congregationis professoribus participationem, & communicationem omnium, & singulorum privilegiorum, prærogativarum, immunitatum, & gratiarum, quibus Fratres, & Religiosi Conventuum quorumcunque Ordinum Mendicantium, & non Mendicantium, ubique existentium, utebantur, potiebantur, & gaudebant; seu uti, potiri, & gaudere in futurum possent, habetur *in lit. Apost. dat. Romæ die 30. Apr. 1496. & in Comp. privileg. verb. com. privil. in annot. Cappuc. verb. ex privileg. Congr. S. Hier.*

Adverte insuper, quòd Generales hujus Religionis possunt eligere viros, qui unà cum uxoribus suis, uti & gaudere possint in quolibet Monasterio Congreg. omnibus, & singulis indulgentiis, & remissionibus, etiam plenariis, quibus ipsi Patres fruuntur, & gaudent, ac in posterum forsan frui, & gaudere poterunt, sine aliqua differentia, ac si ejusdem Congreg. professi essent: & altero eorum defuncto, alium ejus loco, ut similibus indulgentiis, & remissionibus, & plenariis in futuro tempore gaudeat, & fruatur eligere possunt; ita concessit Sixtus IV. anno 1472. die 23. Maji Pont. sui anno 1. ita refertur *in Comp. privil. ejusd. Ord. fol. 31. & in Compend. privil. Monach. S. Mariæ Fulien. tit. communicatio gratiarum.* §. 14. & *in Compend. privileg. Cleric. Regular. part. 2. tit. communicatio privilegiorum* §. 1.

28 Fratres Prædicatores communicant in privilegiis, cum aliis Ordinibus Fratrum Mendicantium, videlicet cum Ordine Eremitarum S. Augustini, cum Ordine Carmelitarum, cum Ordine Servorum B. Mariæ, nec non cum Fratribus Minoribus per Leonem X. apud Roder. *qq. Reg. t. 1. q. 55. art. 1.* ille enim proprio motu communicavit, & de novo concessit Ordini Prædicatorum omnes, & singulas gratias, concessiones, indulgentias, peccatorum remissiones, prærogativas, favores, immunitates, exemptiones, facultates, privilegia, & indulta tàm spiritualia, quàm temporalia, qualiacunque illa sint, quæ Minimorum, Eremitarum S. Augustini, Carmelitarum, Servorum B. Mariæ, ac Minorum Fratrum Ordinibus, & eorum Ecclesiis, & Oratoriis, ac Ecclesias ipsas, & Oratoria visitantibus cujuscunque status, aut sexus existant, seu pro eorum manutentione, & ornatu contribuentibus, nec non domibus, & Præsidentibus non solùm Generalibus, sed etiam Provincialibus, & Conventualibus, Fratribusque & Sororibus, nec non Monialibus, & Conversis, & Oblatis, ac utriusque sexus personis de Pœnitentia, seu Tertii habitus nuncupatis, à prædecessoribus ipsius Leonis, aut ab ipso, ejusque successoribus, aut aliis auctoritatem habentibus conjunctim, vel divisim, in genere, vel in specie concessa sunt, aut in posterum concedentur, ac si omnia, & singula nominatim exprimantur d. Ordinis Prædicatorum, & illius Ecclesiis, Oratoriis, & Ecclesias ipsas, & Oratoria visitantibus, seu pro earùm manutentione, & ornatu contribuentibus, nec non domibus, Magistroque Generali, Provincialibus & Conventualibus Fratribus, & Sororibus, sive Monialibus Conversis quoque & Oblatis, ac utriusque sexus personis de pœnitentia nominatis, & aliis ejusdem Ordinis personis.

29 Fratres Minores Regularis Observantiæ communicant privilegia tàm cum Ordine Fratrum Prædicatorum, quàm Eremitarum S. August. B. Mariæ de Monte Carmelo; omnibusque aliis Mendicantibus per Bullam Alex. VI. apud Roder. *cit. loco*, ubi habetur, quod concessit Fratribus Minoribus Regularis Observantiæ, ut omnibus, & singulis gratiis & privilegiis, libertatibus, immunitatibus, & indultis spiritualibus, & temporalibus, tàm Fratrum Prædicatorum, quàm Eremitarum S. August. B. Mariæ de Monte Carmelo, omnibusque aliis Mendicantibus per Sedem Apostol. vel Legatos ejusdem etiam per literas Apostolicas Mare magnum nuncupatas hactenus concessis (quorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, haberi voluit pro sufficienter expressis) uti, potiri, & gaudere liberè, & licitè possint, & debeant in omnibus, & per omnia, ac si prædictis Fratribus Minoribus specificè concessa fuissent.

30 Fratres Ordinis S. August. communicant in privilegiis non solùm cum Ordinibus Mendicantium, sed etiam non Medicantium cujuscunque observantiæ, ut per eundem Roder. *loc. sup. cit. eod. a. 1.* & hoc per indultum Alex. VI. qui motu proprio concessit Fratribus Augustiniensibus, ut omnium, & singularum Religionum cujuscunque observantiæ fuerint, & domorum, locorum, & personarum in illis degentium, quibus, ut privilegiis d. Ordinis Augustiniensium uti possint, per eandem Sedem concessum est, possint, & valeant hujusmodi Augustinienses ipsorum locorum, domorum, & personarum in illis habitantium privilegiis, indultis, immunitatibus, concessionibus, exemptionibus, indulgentiis, & libertatibus ejus in genere quacunque Apostolica auctoritate concessis (quorum tenores haberi voluit pro expressis, & specificatis) uti, potiri, & gaudere perpetuis futuris temporibus liberè, & licitè.

31 Fratres Eremitani S. Augustini Congreg. Lombardiæ habent communicationem omnium privilegiorum eorum Regularium, ad quos fuerunt eorundem Fratrum privilegia extensa, ut sequens Bulla restatur, quæ legitur in *Bullario Canonicorum Regularium Lateranens. in calce ejusdem Bullarii*, in his verbis:

32 Accepimus siquidem diversorum Ordinum Religiosis per Sedem Apost. ut privilegiis vobis, vel Ordini vestro concessis, frui, & gaudere possent, concessum fuisse. Quare æquum fore arbitramur, ut pari modo vos eorumdem Ordinum, & Religiosorum privilegiis gaudere possitis. Nos igitur, qui vos degentes in Ecclesia, quæ sub titulo de Populo gloriosæ Virginis Mariæ, cui deditissimi sumus, & ad quam habemus singularem devotionis affectum, in visceribus charitatis Nostræ amamus: Motu proprio, & ex certa Nostra scientia, ac de plenitudine potestatis, vobis, vestræque Congregationi, ut omnium, & singulorum Religiosorum, & cujuscunque observantiæ fuerint, domorum, & locorum, personarumque in illis degentium, quibus, ut privilegiis vestri Ordinis uti possint, per eandem Sedem concessum est, ipsarumque domorum, locorum, ac personarum in illis habitantium privilegiis, indultis, immunitatibus, exemptionibus, concessionibus, indulgentiis, & libertatibus, eis in genere quacunque auctoritate Apostolica concessis (quorum tenores omnium, & singulorum, ac si de

illis specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum mentio facta fuisset, præsentibus haberi volumus pro expressis, specificatis, & insertis) perpetuis futuris temporibus, uti, potiri, & gaudere, liberè, & licitè valeatis, concedimus, in omnibus, & per omnia, perindè, ac si illa omnia, & singula cum suis clausulis vobis, vestræque Congregationi specialiter concessa fuissent. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque in contrarium facientibus quibuscunque. Dat. Romæ apud S. Petrum, sub Anulo Piscatoris, die 8. Martii 1497. Pontif. Nostri anno 5.

32 Fratres Carmelitæ communicant in privilegiis tam spiritualibus quàm temporalibus cum Ordine Fratrum Prædicatorum, Minorum, ac Eremitarum S. August. per indultum Sixti IV. relati per Roderic. *loco sub alleg.* ubi Sixtus IV. concessit Fratribus Ordinis Carmelitarum, ut gaudere, & potiri possint, & debeant privilegiis, indulgentiis, gratiis, favoribus, ac indultis, tam spiritualibus, quàm temporalibus, concessis Fratribus Prædicatoribus, & Minoribus, ac Eremitis S. Augustini, veluti si prædicto Ordini Carmelitarum nominatim concessa fuissent, aut concederentur in futurum.

33 Fratres discalceati B. Mariæ de monte Carmelo potiuntur omnibus privilegiis, & gratiis concessis Fratribus Carmelitis, qui Mitigati dicuntur, ut habetur ex Bulla Gregorii XIII. sub Dat. Romæ apud S. Petrum sub Anulo Piscatoris, die 22. Junii 1580. Pontif. sui anno 9. Laert. Cherub. *tom. 2. Bullar. Constit. 64. ejusdem Pontificis*, in his verbis:

Et insuper omnibus, & singulis dictæ Provinciæ personis utriusque sexus, nunc, & pro tempore existentibus, quòd omnibus & singulis privilegiis, gratiis, & indulgentiis, exemptionibus, immunitatibus, prærogativis, favoribus, & indultis, tam spiritualibus, quàm temporabus, quibus Fratres, seu Moniales, vel Sorores d. Ordinis de jure, vel consuetudine, aut aliàs quomodolibet utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, Decretis ejusdem Concilii, Constitutionibus Apostolicis, ac primitivæ Regulæ, & instituto prædictis, & præsentibus literis non contrariis, uti, potiri, & gaudere, liberè, & licitè valeant indulgemus.

34 Ordo S. Mariæ à Mercede, gaudet privilegiis Mendicantium per Const. Leonis X. sub Dat. Romæ apud S. Petrum, anno 1516. 5. Kal. Aug. Pont. sui 4. in qua Bulla, ut fatetur Eman. Roderic. *qq. Reg. tom. 1. q. 55. art. 12.* non conceduntur privilegia, concedenda ipsis Ordinibus Mendicantium, sed tantùm concessa: unde in virtute illis gaudent tantùm privilegiis concessis Mendicantibus ante datam Bullæ, non verò post datam. Verum tamen est, quòd eidem Ordini fuerunt concessa etiam privilegia concedenda Ordinibus Mendicantium, non in virtute prædictæ Constit. Leonis X. seu alterius, nimirum Sixiti V. qui eidem Ordini Sanctæ Mariæ de Mercede, Ann. 5589. die 26. Aprilis Pont. sui anno 4. concessit, ut prædictus Ordo gauderet omnibus privilegiis concedendis Ordinibus Mendicantibus, ut in verbis Bullæ à Roderic. *loco cit.* adductis, videri potest.

35 Ordo Servorum B. Mariæ communicat in privilegiis cum Ordinibus Mendicantium, ex Roder. *qq. Regul. tom. 1. q. 55. art.* ubi ait quòd Pius V. *in Const. art. 2.* per ipsum allegata, dicit se inter Ordines Mendicantium, Ordinem Servorum B. Mariæ constituisse; & similiter sicut Ordinem Minimorum ea Constitutione declaravit esse Mendicantem, & omnia Mendicantibus concessa privilegia, & indulta ipsimet Religioni communicavit; sic credendum est, id ipsum Ordini Servorum B. Mariæ concessisse, cùm eum in Mendicantes connumeraverit.

36 Congregatio S. Hieronymi Jesuatorum communicat in privilegiis cum Ordinibus Mendicantium, ut testatur suballegatus Roderic. *ead. q. art. 4.* dicens quòd Pius V. anno Domini 1567. die 19. Novembris Pont. sui anno 2. inter Ordines Mendicantium hanc Religionem connumerare voluit. Unde motu proprio, non ad ipsius Congregationis, vel illius Fratrum, aut alterius ex his illi super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de sua mera liberalitate, ac ex certa scientia, & de ejusdem Sedis potestatis plenitudine, omnia, & singula privilegia, immunitates, exemptiones, facultates, gratias, libertates, indulta, & alias gratias, tam per eorum, quàm per quoscunque Romanos Pontifices prædecessores suos, & Sedem eandem quomodolibet Mendicantium Ordinibus concessa, eorum omnium, ac desuper, & tam sub plumbo, quàm sub forma Brevis confectarum literarum tenore, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro expressis, & insertis habens ad ipsam Congregationem Jesuatorum illius Fratres, domos, Ecclesias, & loca quæcunque de novo, quoad ea, quæ eorum Regulæ, & modo vivendi non repugnant tantùm, auctoritate Apostolica, tenore præsentium extendit. Et ampliùs ipsos verè Mendicantes & sub Mendicantium Ordinibus esse, & comprehendi debere. Nec non omnia & singula Conc. Trid. Decreta pro Mendicantibus hujusmodi declarata, & modificata, etiam pro Congregatione hujusmodi ejusque Fratribus declaravit, & modificavit.

37 Ordo Fratrum Minimotum S. Francisci de Paulâ communicarionem privilegiorum Ordinum Mendicantium consecuti sunt per plurimos Summ. Pontif. ut testatur Laur. de Peir. *in Bullar.* ejusdem Religionis, ubi hujusmodi communicationis Privilegia describit; præcipuè autem Pontifices eidem Ordini communicationem prædictorum privilegiorum concedentes, sunt Sixtus IV. *in Const. ejusd. Bull. Minim.* quæ etiam habetur, in 1. *tom. Bull. novi* Laërt. Cher. *Const. 5. ejusd.* & Pius V. apud eundem Laërt. *tom. 2. Const. 49. ejusd.* & Julius II. *eod. tom. 1. Const. 10.* verba autem Bullæ Sixti IV. Constitutionem eandem denotantia sunt.

Nec non ut omnibus; & singulis privilegiis, gratiis, immunitatibus, libertatibus, exemptionibus, quibus Fratres S. Francisci, cæterique Mendicantes fruuntur, & utuntur, frui, & uti possetis, & valeretis, ac possent & valerent, indulsit; ac vobiscum super his opportunè dispensavit.

Verba verò privilegii communicationis à Pio V. eisdem concessi, sunt:

Exponi sanè nobis nuper fecerunt dilecti filii Fratres Ordinis Minimorum S. Francisci de Paola jam dudum Apostolica auctoritate approbari, quòd licèt inter alia eis concessa privilegia, & indulta, omnia, & singula quatuor Mendicantium Ordinum privilegia ad Ordinum Minimorum hujusmodi, ac illius professores, & domos, eorumque Ecclesias per Sedem Apostolicam extensa, & ampliata fuerint, & propterea Fratres Ordinum hujusmodi etiam sub Mendicantium nomine comprehendi debeant, nec super præmissis à quoquam molestari possint. Cùm tamen (sicut eadem expositio subjungebat) ex eo, quòd Nos nuper in quadam declaratione per Nos sub Mendicantium Fratrum Ordinibus certis tunc expressis de causis facta, præter S. Domini, & Francisci, ac Eremitarum S. Augustini, nec non Carmelitarum Mendicantium Ordines, etiam in illis B. Mariæ Servorum inseri voluerimus: ac propterea facilè à quibusdam dubitari meritò posset, quòd si Ordinis Minimorum Fratres hujusmodi sub illis comprehendi voluissemus, Nos

spe-

specialem etiam de illis mentionem omninò fecissemus. Quare ne super præmissis unquam dubitari contingat, iidem Fratres Nobis humiliter supplicare fecerunt, ut sibi in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Præter supradictas communicationes adest recens communicatio, quam à S. D. N. Urbano VIII. ipsi Fratres obtinuerunt, quæ cùm in Bullario nondum habeatur, hîc verbatim apponitur.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

37 INjuncti Nobis Apostolici Muneris ratio postulat, ut sacrarum Religionum in militanti Ecclesia suaves in Domino fructus assiduè præstantium paternam curam gerentes, privilegia, gratias, & indulta illis à Romanis Pontificibus prædecessoribus Nostris, & Apostolica Sede concessa, quò validiùs perpetuò subsistant, Apostolicæ confirmationis robore libenter communicemus. Volentes igitur universum Ordinem Fratrum Minirnorum Sancti Francisci de Paula, ex quo uberrimi in eadem Dei Ecclesia fructus, ad ipsius Omnipotentis Dei laudem, & Christianæ Reipublicæ spirituale commodum, & utilitatem ab ipsius Ordinis initio semper prodierunt, & in dies prodeunt, ac ipsius Ordinis Correctorem Generalem, & Fratres universos specialibus favoribus, & gratiis prosequi, ac eorum quemlibet à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes supplicationibus eorum nomine per dilectum filium Deodatum Lomellinum Fratrem, & Procuratorem Generalem ejusdem Ordinis, Nobis super hoc humiliter porrectis, inclinati, omnia, ac singula privilegia, immunitates, exemptiones, libertates, prærogativas, favores, conservationes, declarationes, facultates, dispositiones, gratias, concessiones, indulgentias, & indulta spiritualia, & temporalia, etiam per modum communicationis, & extensionis inter se, & cum aliis Ordinibus Mendicantium, & non Mendicantium, eidem Ordini Minimorum, ejusque Correctori Generali, ac Fratribus, & Sororibus aliisque Religiosis utriusque sexus, eorumque Domibus, Monasteriis, Ecclesiis, & locis Regularibus quibuscunque per quoscunque Romanos Pontifices prædecessores Nostros, ac Nos, & Apostolicam Sedem, sub quibuscunque verborum formis, & expressionibus in genere, vel in specie, aut aliàs quomodolibet concessa, ac pluries confirmata cum omnibus, & singulis in eis contentis clausulis, decretis, & declarationibus, ac singulas literas, tam sub plumbo, quàm in forma Brevis, aut aliàs desuper confectas, quarum tenores præsentibus, pro expressis haberi volumus; quatenus tamen sint in usu, & non sint revocata, seu sub aliquibus revocationibus comprehensa, ac Sacris Canon. & Concilii Tridentini decretis non adversentur, ex certa Nostra scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, tenore præsentium perpetuò confirmamus, & approbamus; illisque perpetuæ, & inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos tam juris, quàm facti defectus, si qui intervenerint, in eisdem supplemus. Quocirca venerabilibus Frattibus, Patriarchis, Archiepiscopis & Episcopis, aliisque locorum Ordinariis quibuscunque, nec non dilecto filio causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Generali Auditori per præsentes committimus, & mandamus, quatenus quilibet eorum, quandocunque fuerint requisiti, per se, vel alium, seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcunque, ubi, & quando opus fuerit & quoties, solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant easdem plenum eorum sortiri, illisque omnes quos concernunt, pacificè frui, & gaudere; Non permittentes quempiam desuper contra præsentium tenotem sub quovis prætextu, & causa, etiam defectu intentionis nostræ per quoscunque quomodolibet indebitè molestari; quinimo quidquid in contrarium attentari, vel fieri continget, omnino semper in pristinum reponi; contradictores quoslibet, & rebelles, etiam per quascunque, de quibus eis videbitur, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita, compescendo, ac legitimis super his habendis servatis processibus, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Non obst. præmiss. ac piæ mem. Bonif. Papæ VIII. 38
etiam prædecess. Nostri, de una, & in Conc. Generali edita de duabus dietis, dummodò ultra tres dietas aliquis auctoritate præsentium ad judicium non trahatur; aliisque Apost. Constitutionibus, & ordinationibus, & Ordinum prædictorum statutis, & consuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis; Privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis quomodolibet, etiam pluries concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, etiam quòd in eis caveatur expressè, quòd illis nullatenùs, aut non nisi sub certis modo, & forma derogari possit, tenores hujusmodi ac si de verbo ad verbum nihil penitùs omisso, & forma in illis tradita observata, inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis, & insertis habentes, motu, scientia, & auctoritate similibus derogamus, contrariis quibuscunque, aut si aliquibus communiter, vel divisim ab Apostolica sit Sede indultum, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Verùm quia difficile foret præsentes literas ubicunque opus esset, deferri, Volumus, & pariter auctoritate Apostolica decernimus, quòd illarum transumptis manu alicujus ex Secretariis cujusvis prædictorum Prælatorum generalium, ac Romanæ Curiæ Commissarii, & successorum, aut Notarii publici subscriptis, & sigillo officii alterius eorumdem, aut personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, seu Curiæ Ecclesiasticæ munitis, eadem prorsùs fides in Judicio, & extra illud adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ. Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 28. Junii 1624. Pont. Nostri anno 1.

Fratres Capuccini gaudent omnibus privilegiis Mo- 39
nachorum Camaldulensium, & Fratrum Minorum ex speciali concessione Clementis VII. in Bulla, quæ incipit: *Religionis zelus*, edita anno Domini 1529. quinto nonas Julii, sub Dat. Viterbii, ut videre est apud Laert. Cherub. *Bullar. nov. Constit. 2. d. Clementis*, §. 9. sub his verbis:

Nec non omnibus, & singulis privilegiis, indultis, & gratiis Ordinis Fratrum Minorum hujusmodi, ac Eremo Camaldulens. B. Romualdi, illiusque Eremitis,

ris, in genere, vel in specie hactenus concessis, & inposterùm concedendis, & quibus ipsi quomodolibet utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, & potiri, & gaudere liberè, & licitè valeant, plenam, & liberam licentiam, & facultatem concedimus.

39 Fratribus Tertii Ord. S. Francisci, qui de pœnitentia nuncupantur, Paulus II. privilegia concessa ab Eugenio IV. & Nicolao V. eisdem Fratribus Ordinis Regnorum Castellæ, Legionis, & Diœcesis Leodien. nec non omnia alia privilegia d. Ordini quomodolibet concessa extendit ad Fratres ejusd. Ord. in Lombardia commorantes, ac ad alios Fratr. Congr. Lombardiæ ingredientes, cujus indulti verba ad rem sunt:

Excitat arcanum Nostræ mentis singularis affectio, qua Religiosas personas Ordinis cujuscunque devotum, & sedulum Altissimo famulatum exhibentes amplectimur: Ut gratias, privilegia, & indulta aliquibus personis alicujus Ord. concessa, ad alias quoque ejusd. Ord. personas extendamus. Dudum siquidem fel. rec. Eugenius IV. & Nicolaus V. Summ. Pontific. prædecessores Nostri volentes, quòd Tertius Ordo sancti Francisci de Pœnitentia nuncupatus, in Religionis Castellæ, & Legionis ac Diœcesi Leodiensi felicioribus augeretur auspiciis, & Fratres ipsius Ordinis tantò salubriùs possent reddere vota sua, quantò potioribus essent gratiis, & indulgentiis à Sede Apostolica communiti, per suas literas nonnulla privilegia, facultates, indulta, & gratias eisdem Fratribus concesserunt: prout in eisdem literis plenius continetur. Nuper verò pro parte dilectorum filiorum Visitatoris, & Ministri principalis Fratrum dicti Ordinis, in diversis locis Lombardiæ, maximè in Sancta Maria de Pichitono, & de Vairano, ac de Piazano, nec non S. Salvatoris de Casalbutano Laudensis, & Cremonensis Diœcesis, & Sancti Donati extra muros Comanos commorantium, ac sub observantia, & in communi viventium, ac Fratrum eorumdem, Nobis fuit humiliter supplicatum, ut privilegia, facultates, indulta, & gratias Fratribus Regnorum Castellæ, & Legionis & Leodiensis Diœcesis præfatis sic concessa ad ipsos Fratres, in dictis locis Lombardiæ, ad præsens commorantes, & quos inibi in futurum commorari contigerit; nec non ad alios Fratres aliorum locorum dicti Ordinis, qui de novo Congregationem ipsorum Fratrum prædictorum ingressi fuerint, extendere, & etiam eis concedere; ac aliàs super his opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur privilegiorum, facultatum, indultorum, & gratiarum hujusmodi tenores præsentibus pro expressis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, omnia, & singula privilegia, facultates, indulta, & gratias Fratribus Regnorum, & Diœcesis hujusmodi concessa, prædicta ad eosdem Fratres in dictis locis Lombardiæ commorantes, præsentes, & futuros, ac alios Fratres ejusdem Ordinis, in Congregationem ipsorum Fratrum Lombardiæ inposterùm ingredientes auctoritate Apostolica extendimus, & etiam concedimus per præsentes, sine tamen præjudicio Fratrum Regnorum, & Diœcesis prædictorum. Et insuper, quòd dicti Fratres dictæ Congregationis omnibus gratiis, indulgentiis, libertatibus, exemptionibus, & privilegiis Fratribus Ordinis, quomodocunque concessis in omnibus, & per omnia uti, & gaudere possint, ac gaudeant, & utantur, tenore præsentium etiam indulgemus. Non obstantibus fel. rec. Joan. XXII. & dicti Nicolai V. Summorum Pontificum, etiam prædecessorum nostrorum, illis præsertim, quibus cavetur expressè, ne Fratres, vel Sorores dicti Ordinis Congregationem faciant; & aliis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ extensionis, concessionis, & indulti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ, apud S. Marcum, Anno Incarnationis Dominicæ 1477. Kalend. Junii, Pontificatus Nostri anno 4.

Refertur per Antonium de Sill. *in Complement. Tertii Ordin. Sancti Francisci de Pœnitentia, Congreg. Lombard. privileg. 45.*

Patres Societatis Jesu gaudent communicatione privilegiorum Mendicantium per speciale privilegium ipsis concessum à Pio V. ut refert Roder. *quæst. Regular. tomo 2. q. 52. art. 5.* cujus privilegii verba ab ipso relata sunt; 40

Omnia privilegia, etiam speciali nota digna, immunitates, exemptiones, facultates, concessiones, indulta, indulgentiæ, peccatorum remissiones, gratiæ tam spirituales, quàm temporales, literæque Apostolicæ, etiam justitiam, sive mixtim concernentiæ, etiam per modum extensionis, aut communicationis, aut aliàs; concessa, seu concedenda à quibusvis Ordinibus Fratrum, & Sororum Mendicantium, illorumque Congregationibus, Conventibus, & Capitulis, ac utriusque sexus personis ac illorum Monasteriis, Domibus, Ecclesiis, & Hospitalibus, & aliis piis locis conceduntur Præposito, atque omnibus Societatis personis, Domibus, ac Collegiis, non solùm ad illorum instar, sed pariformiter, & æquè principaliter.

Advertendum tamen est, cum Collectione ejusdem Societatis, *in Compend. privileg. illius, fol. 209. part. 2. & seq.* quod & refert idem Rodericus *proximè loco citato*, ad hoc, ut prædicta Societas Jesu possit uti gratiis supradictis, & privilegiis, opus est, ne instituto Societatis, & voluntati, ac beneplacito Præpositi Generalis, seu deputatarum personarum, refragentur.

Advertit insuper idem Collector, quòd omnia aliorum privilegia, immunitates, exemptiones, facultates, concessiones, indulta, indulgentiæ, remissiones, gratiæ, & literæ Societati concessa, de quibus in præcedentibus fit mentio; nec non, & quæ ipsi Societati nominatim, vel ejus Præposito, aut personis, seu locis hactenus concessa sunt, seu imposterùm concedentur, Præposito Generali concessa intelliguntur, qui illa per seipsum, vel alium, seu alios ab eo, vel ejus commissione electos, seu eligendos quibuscunque personis de Societate, sub ejusdem obedientia degentibus, & qui in ea tria vota consueta, etiam simplicia emiserint, communicare liberè poterit.

Nec aliter cæteræ personæ Societatis, prædictis privilegiis, facultatibus, & aliis præmissis uti, aut gaudere possunt; illorumque usus, juxta Societatis institutum, Constitutiones, & morem esse debet; prout concessit Gregorius XIII. Qui postea vivæ vocis oraculo concessit, ut prædicta communicatio Novitiis etiam fieri possit.

Præter hanc communicationem, aliam universaliorem adinveni pro dicta Societate Jesu, *in lib. privileg. ejusdem Societatis Romæ impresso in Collegio Romano, pag. 137.*

Sanè dilectus Filius Everardus Mercurianus Præpositus Generalis Societatis Jesu, tàm suo, quàm dilectorum filiorum Societatis hujusmodi nominibus, Nobis nuper exposuit: Quòd licèt gratiæ, immunitates, indulgentiæ, & privilegia aliorum Ordinum Mendicantium, cæterarumque Religionum, & piorum locorum per nonnullos Romanos Pontifices, & præsertim fel. record. Pium V. prædecessores Nostros dictæ Societati fuerint communicata, & concessa; nihilominus aliquando circa illorum praxim, & usum, seu modum, & formam eisdem utendi, propter instituti ipsius Societatis ab aliis prædictis Religionibus diversitatem, dubitari contingit. Nos igitur dubiera-

tem

tem hujusmodi omninò submovere volentes, Præpositum prædictum, ac omnes alias, & singulas personas Societatis hujusmodi, à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium duntaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes; nec non immunitatum, indulgentiarum, gratiarum, & privilegiorum hujusmodi, ac literarum dd. Prædecessorum desuper confectorum tenores pro expressis habentes, supplicationibus prædicti Everardi Præpositi, ejusdem nominibus, Nobis in hac parte porrectis, inclinati. Quòd præfatus pro tempore existens Præpositus, & Societas hujusmodi, omnibus & singulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, facultatibus, concessionibus, indultis, indulgentiis, remissionibus, gratiis, & literis Fratrum, & Sororum Mendicantium, aliarumque Religionum Ordinibus, & Congregationibus, Conventibus, Capitulis, Monasteriis, Domibus, Ecclesiis, Confraternitatibus, Hospitalibus, & aliis piis locis, ac personis, tam Secularibus, quam Regularibus hactenùs concessis, & in futurum concedendis, ac Præposito, Societatique prædictis, nec non ejus Domibus, Collegiis, locis, & personis, ubique terrarum constitutis communiter, vel divisim, Apostolica, seu delegati auctoritate, vel vigore quarumcumque facultatum, etiam ad instar, aut æquè principaliter, etiam per communicationem, seu aliàs quomodolibet concessis, juxta Societatis hujusmodi instituti rationem, Constitutiones, ritus, mores, usus, consuetudines, normas, observationes, & procedendi modum, in prædictis Societatis Domibus, Collegiis, Congregationibus, Concionibus, Lectionibus, Disputationibus, Cæremoniis, & aliis, cujusvis generis actibus publicis, & privatis, ac denique ubique locorum uti, frui, potiri, & illa exequi, ac in eis procedere possint. Quodque privilegia, immunitates, exemptiones, facultates, concessiones, indulta, indulgentiæ, remissiones, gratiæ, & literæ hujusmodi; nec non, & ipsi Societati nominatim, vel ejus Præposito, aut personis, seu locis hactenus concessa, seu inposterùm concedenda prædicto, & pro tempore existenti Præposito Generali Societatis hujusmodi concessa esse intelligantur. Qui illa per seipsum, vel alium, seu alios ab eo, vel de ejus commissione electos, seu eligendos quibuscunque locis, & personis dictæ Societatis, sub ejusdem Societatis obedientia, emissis tribus votis, etiam simplicibus, degentibus prout magis expediens fuerit, communicare liberè, & licitè valeat: Nec aliter cæteræ personæ dictæ Societatis, prædictis privilegiis, facultatibus, & aliis præmissis, aut aliquo eorum, nisi per Generalem Præpositum, & de ejus beneplacito, aut per alium, seu alios de ejus commissione electos, ut præmissum est, uti, aut gaudere possint. Et insuper, quòd omnia privilegia, aliaque præmissa aliarum Religionum Capitulis, sive Conventibus, aut Congregationibus, tam in celebrandis quibusvis contractibus, quàm in quibuscunque aliis actibus, tam publicis, quàm privatis, per ejusmodi Capitula, sive Conventus exerceri solitis, hactenus concessa, & in posterum concedenda Congregationibus Societatis prædictæ, ejusque Domorum, Collegiorum, & locorum congregatis, & intervenientibus illis duntaxat, qui more Societatis prædictæ, & secundùm ejus constitutiones, & statuta, regimen, & administrationem Domorum, & Collegiorum juvare, & promovere solent; cujusmodi sunt in generalibus Congregationibus, qui ex diversis Provinciis conveniunt; in universali autem totius Societatis administratione Generalis Præpositus, cum suis Assistentibus; in rebus verò, & negotiis Domorum, & Collegiorum tractandis, Præpositi, aut Rectores, vel Vicepræpositi, aut Vicerectores, Ministri, Consultores, & Procuratores, servato in ejusmodi Congregationibus peculiari, ac proprio dictæ Societatis procedendi modo, concessa esse intelligantur, ac eo modo per Præpositum, & Societatem hujusmodi, in quibuscunque Domibus, Collegiis, & locis, ubique terrarum observari, & ad praxim, ad usum plene, & perfectè, ac validè deduci, vel referri valeant. Ne quis autem Apostolicorum indultorum prætextu Regularem, ac exemplarem instituti prædictæ Societatis disciplinam, quam modis omnibus retineri, & conservari volumus, dissolvere, aut relaxare præsumat: non esse, nec fore mentis nostræ, aut Sedis Apostolicæ, ut personæ Societatis, absque expressa Superiorum ejusdem Societatis licentia, utantur facultatibus, quæ in Jubileis, Bullis Cruciatæ, Confessionalibus, aut aliis quibuscumque Apostolicis indultis, sive communitatibus, sive privatis personis, sive piis locis, aut quomodocunque aliter hactenus concessæ sunt, aut inposterùm concedentur, etiam si in illis expressè indulgeatur, ut omnes Regulares, etiam Mendicantes, hujusmodi facultatibus uti possint. Si quando autem usus aliquatum ex præfatis facultatibus, personis de dicta Societate, ab ejusdem Societatis Superioribus concedetur, ut nulli earum liceat, nisi intra numerum eorum, qui ad confessiones personarum ejusdem Domus, aut Collegii audiendas deputati sunt, Confessarium eligere, nisi ratione itineris, aut alia de causa ab eisdem superioribus aliis Confessariis, intra, aut extra Societatem confitendi facultas, ad id specialiter daretur, Apostolica auctoritate, tenore præsentium perpetuò declaramus, statuimus, & ordinamus, secusque facta, irrita, & inania fore decernimus.

Insuper Præpositi inferiores possunt de licentia Præpositi Generalis, communicare quibusvis de Societate gratias sibi communicatas per Præpositum Generalem, & Provincialem; ut habetur *in Compendiorum privilegiorum dictæ Societatis Jesu, verbo, communicatio*, §. 1.

Præterea, communicatio privilegiorum, quam Societas Jesu habet cum aliis Mendicantibus, ad ea etiam extenditur, quæ vivæ vocis oraculo ab eis impetrata, aut eis in genere donata sunt, & quidquid alicui eorum hoc modo, aut quovis alio hactenùs concessum est, aut in posterùm concedetur, id omni motu proprio, & ex certa scientia ipsis Patribus concessum etiam censendum est, ut habetur *in Compend. privil. dictæ Societatis Jesu, verb. communicatio*. §. 6.

Postremò, omnium jejuniorum, & aliorum quorumcumque spiritualium bonorum, & piorum operum, quæ in omnibus Religionibus, ac ubique in toto Orbe pro tempore fiunt, participes sunt personæ Societatis Jesu, ut refertur *in eodem Compendio, eodem verbo, communicatio*, §. 7.

Fratres Joannis Dei, habent communicationem omnium exemptionum, privilegiorum concessorum Archihospitali Sancti Spiritus in Saxia, à Gregorio XIV. cujus diploma modò impressum, & auctoritate S. D. N. Urbani VIII. confirmatum, & roboratum hic apponitur, maximè cùm inter Constitutiones ejusdem Gregorii nondum impressum habeatur.

GREGORIUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Cum Romanum deceat Pontificem, ut ad charitatis, & alia pietatis opera, quæ in Hospitalibus, præsertim in hac Alma Urbe erectis, & institutis, ex piis Christi fidelium eleemosynis quotidie fiunt, ac etiam majora de cætero, si fieri poterit, exercendum ipsi 87

ipsi Christi fideles, nec non Superiores, & alii Ministri, & Officiales Hospitalis noviter in ipsa Urbe erecti, & instituti, in eo degentes, & infirmis in eorum infirmitatibus servientes, ac charitatis, & pietatis opera hujusmodi inibi etiam exercentes incitentur, non solùm hucusque per Romanos Pontifices ipsi noviter erecto Hospitali, & ab eo etiam extra Urbem aliis Hospitalibus institutis concesso confirmare, sed etiam majora, quæ adhuc non eis, sed aliis Hospitalibus ipsius Urbis antea institutis, & eorum Superioribus, & Ministris, ac aliis Officialibus, & servitoribus, per ipsos Pontifices concessa sunt, eidem sic instituto, & ab eo dependentibus Hospitalibus communicare, & concedere, prout in Domino conspicit salubriter expedire. Cùm autem in Ecclesia S. Joannis Colaviti in Insula de Urbe, unum Hospitale Joannis Dei nuncupatum, auctoritate Apostolica noviter erectum, & institutum sit, quod, ut accepimus, per dilectos filios, Majorem nuncupatum, & alios Confratres, qui certum eis ab hac Sancta Sede designatum habitum deferunt, & sub habitu professionem emittunt Regularem, ac sub Regula sancti Augustini Altissimo famulando inibi degunt, regitur, & gubernatur, & in quo infirmi ad illud recurrentes, recipiuntur, eisque in eorum infirmitatibus per ipsos, Majorem, & alios Confratres prædictos, necessaria cum omni, qua ipsi possunt, charitate, & pietate eleemosynas quotidie à Christi fidelibus pro ipsis infirmis petendo, & eas pro eis convertendo ministrantur: ideoque Nos ipsum Hospitale, ac alia ab eo dependentia Hospitalia, & eorum Superiores, & alios Ministros, ac Officiales, ut hujusmodi charitatis, & piis operibus exercendis, non solùm ipsi continuent, sed majora, si fieri poterunt, exercere studeant, specialibus favoribus, & gratiis decorare, & prosequi volentes, ac eos à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, Motu proprio, non ad ipsius Majoris, & aliorum Confratrum præfatorum, Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de Nostra mera liberalitate, ac ex certa etiam Nostra scientia, omnia, & singula privilegia, gratias, & indulta, à felic. record. Pio V. & Gregorio XIII. à Sixto V. Romanis Pontificibus, dicto in dicta Urbe instituto Hospitali, ac Majori, & aliis Confratribus præfatis, aliis Hospitalibus & Ministris, ac Officialibus, & infirmis, ac aliis personis dictorum Hospitalium, & cujuslibet eorum, per eorum tam sub plumbo, quàm in forma Brevis expeditas literas, concessa, auctoritate Apostolica, tenore præsentium confirmamus, ac illis perpetuæ firmitatis robur adjicimus. Et insuper omnia, & singula tam spiritualia, quàm temporalia privilegia, exemptiones, immunitates, libertatesque, & indulgentias, etiam plenarias, aliaque indulta à supradictis, & aliis quibusvis Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, per eorum tam sub plumbo, quàm in forma Brevis literas, aut eorum solam signaturam sancti Spiritus, & aliis Hospitalibus dictæ Urbis, & eorum Superioribus, Rectoribus, Administratoribus, & Ministris, ac Officialibus, & personis quomodolibet concessa, quorum omnium tenores, ac de verbo ad verbum insererentur præsentibus pro expressis, & de verbo ad verbum insertis haberi volumus, ipsi Hospitali Joannis Dei, ac aliis Hospitalibus ab eo dependen. & per totam Italiam, ac etiam ubilibet institutis, & eorum Majori præfato, vel Superiori, ac aliis Confratribus, & Ministris, ac Officialibus, & infirmis, aliisque ipsorum Hospitalium personis, specialiter, & expresse, ac si ea omnia aliis Hospitalibus, & aliis præfatis concessa per ipsos Romanos Pontifices, ipsi Hospitali Joannis Dei, & ab eo depen. & aliis hujusmodi concessa eisdem auctoritate, & tenore communicamus, ac perpetuò concedimus, ita ut ipsa Joannis Dei, & alia Hospitalia præfata, ac eorum Superior, & alii prædicti illis omnibus pariformiter, & æquè principaliter ubilibet uti, frui, & gaudere liberè valeant. Et insuper eidem Majori Confratri d. Hospitalis Joannis Dei in Urbe instituti, nunc & pro tempore existenti, ut quæcunque alia Hospitalia in tota Italia, ac aliàs ubilibet nunc, & pro tempore instituta, & instituenda, eorumque Rectores, & Gubernatores, ac Ministros, & Officiales dicto Hospitali Joannis Dei in Urbe instituto aggregare, ac omnia, & singula privilegia, exemptiones, immunitates, libertatesque, & indulgentias, aliaque indulta ei, & dicto Hospitali Joannis Dei, ac aliis ab eo dependentibus Hospitalibus, & personis per Nos communicata, & concessa, communicare, ac concedere, liberè, & licitè valeat, concedimus, & indulgemus, ac plenam, & liberam licentiam, & facultatem impartimur, & sic per quoscunque Judices, & Commissarios, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari debere: irritum quoque, & inane quidquid secus super his à quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca Venerabilibus Fratribus Patriarchæ Alexandrino, & Episcopo Amerin. ac dilecto filio Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ Generali Auditori, per præsentes motu simili committimus, & mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, præsentes litteras, & in eis contenta quæcunque, dum, & quando, ac quoties opus fuerit, & pro parte dicti Majoris, & Confratrum, ac aliorum supradictorum, vel alicujus eorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque præmissis, efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant, auctoritate Nostra eos, & eorum quemlibet dictis privilegiis, exemptionibus, facultatibus, gratiis, & indultis, ac præsentibus literis, & in eis contentis pacificè frui, & gaudere, eaque omnia firmiter observari, non permittentes eos desuper per quoscunque quomodolibet molestari, perturbari, aut inquietari. Contradictores quoslibet, & rebelles, per censuras Ecclesiasticas, illas etiam iteratis vicibus aggravando, aliaque opportuna juris & facti remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Non obstantibus præmissis, & felic. record. Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris Nostri de una, & Concilii Generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præsentium ad Judicium non trahatur, ac quibusvis aliis Apostolicis, nec non in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis, specialibus, vel generalibus Constitutionibus, & Ordinationibus, ac quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, irritantibusque, & aliis decretis, ac clausulis, etiam motu proprio concessis, confirmatis, & etiam innovatis. Quibus omnibus, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter, & expressè

de-

derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Aut ſi aliquibus communiter vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quòd interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum, de indulto hujuſmodi mentionem. Volumus autem, quòd præſentium tranſumptis, ſeu copiis etiam impreſſis, & manu alicujus Notarii publici, & alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ ſigillo munitis, eadem prorſus fides in Judicio, & extra, ac ubilibet adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, ſub Annulo Piſcatoris die 17. April. 1591. Pontificatus Noſtri anno 1.

M. Veſtrius Barbianus.

Clerici Theatini gaudent privilegiis Canonicorum Regularium Congregationis Lateranen. & Clericorum de Sommaſcha, & Societatis JESU, per ſpecialem Bullam, & privilegium Clementis VII. quod incipit, *Dudum pro parte veſtra*, ſub Datum Bononiæ, die 7. Martii 1533. ita habetur *in Conſtitut.* 38. dicti Clementis VII. §. 12. *Bullarii nov.* Laertii Cherub. *tom.* 1. in his verbis:

Ac inſuper vobis, quod omnibus, & ſingulis privilegiis, indulgentiis, prærogativis, exemptionibus, immunitatibus, gratiis, & indultis, quorumvis, etiam Ciſtercienſium, & Cluniacenſium Monachis, & aliorum, tam Mendicantium, quàm non Mendicantium Ordinum Fratribus, tam in ſpiritualibus, quàm in temporalibus, in ſpecie, vel in genere, etiam communicativè, per quoſcunque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, & pro talibus habitos, ac Sedem Apoſtolicam hactenus quomodolibet conceſſis, & in poſterum concedendis, & quibus illi, tam in vita, quàm in mortis articulo, etiam circa peccatorum remiſſiones, & injunctarum pœnitentiarum relaxationes, aut aliàs quomodolibet, uti, potiri, & gaudere poſſunt, aut poterunt quomodolibet in futurum, quæ omnia, ac ſi de verbo ad verbum insererentur, præſentibus pro expreſſis haberi volumus, perpetuis futuris temporibus utamini, potiamini, & gaudeatis, ac uti, potiri, & gaudere, nec non illorum omnium participes eſſe poſſitis, & debeatis indulgemus. Ac privilegia, indulgentias, prærogativas, exemptiones, immunitates, gratias, & indulta, Monachis, & Fratribus prædictis, tam in ſpiritualibus, quàm in temporalibus, in ſpecie, & in genere etiam communicativè conceſſa, ut præfertur, ad vos extendimus, & ampliamus, ac in vobis locum habere, & ſuum plenarium effectum ſortiri debere decernimus, & declaramus.

Habet inſuper hæc Congregatio communicationem privilegiorum aliorum Ordinum, vivæ vocis oraculo eiſdem Ordinibus conceſſorum, ut affirmat Alexander Peregrinus 1. *part. Compend. privil. ejuſdem, tit. communicatio*, §. 1.

Præterea Præpoſiti inferiores prædictæ Congregationis, ut teſtatur Peregrinus *eodem loco*, § 3. de licentia Patris Generalis, poſſunt communicare quibuſvis Profeſſis illius Congregationis gratias ſibi communicatas à Generalibus.

Inſuper Sacerdoti Novitio, non minùs quàm Profeſſo, ex eodem Peregr. *loco cit.* § 4. communicari poteſt facultas abſolvendi externos; & hoc probat auctoritate Henriq. *lib.* 7. *c.* 22. *num.* 7. qui allegat Claud. *verb. communio*, § 5. & Bernard. *verb. gratia*, § 3. Felician. *in tr. de cenſur. tit. de privil. c.* 13. Horat. Mandoſ. *de privil. ad inſtar.* gloſſ. 2. *in fin.* & gloſſ. 7. *n.* 36.

Præterea, Patres hujus Congregationis, teſte eodem Peregr. *loco cit.* §. 5. Participes ſunt omnium jejuniorum, ac aliorum quorumcunque ſpiritualium bonorum, & piorum operum, quæ in omnibus Religionibus, ac ubicunque in toto Orbe pro tempore fiunt, per communicationes cum aliis Religionibus, & Ordinibus.

Clerici Regulares de Sommaſcha retinent communicationem privilegiorum Mendicantium, ex Bulla Pauli V. quæ incipit: *Ex quo Divina Majeſtas, tom* 3. *Bullarii novi* Laertii Cherub. *conſtit.* 37. §. 1. ſub Datum Romæ, apud ſanctum Petrum, die 9. Novembr. 1607. anno tertio ſui Pontificatus in his verbis: 45

Cùm itaque, ſicut accepimus, dilectorum Filiorum Congregationis, & Clericorum Regularium Sommaſchæ, aliàs S. Majoli nuncupatorum, fortiores quotidie vires (adjuvante Domino) in militantis Eccleſiæ Caſtris appareant, ut Clerici Congregationis hujuſmodi, eò ferventiùs adhuc pugnare ſtudeant, quo majoribus ſe viderint ſpiritualibus gratiis fore munitos, ipſos, & eorum quemlibet, à quibusvis excommunicationis, &c. cenſentes per alia quæcunque privilegia, & gratias iiſdem Congregationi, & Clericis hactenus quomodolibet conceſſa, omnia, & ſingula privilegia, prærogativas, conceſſiones, favores, facultates, declarationes, immunitates, exemptiones, libertates, cæteraſque gratias, præeminentias, & indulta cujuſvis generis exiſtentia ſpiritualia, & temporalia, qualiacunque illa ſint (excepta tamen exemptione à juriſdictione Ordinariorum) quibus Mendicantium Ordinum Congregationibus, eorumque poſſeſſoribus, ac eorum Monaſteriis, Eccleſiis, Domibus, & Regularibus locis: nec non dilectis filiis earundem Religionum, & Congregationum Generalibus, Præpoſitis, Superioribus, Prælatis, & Capitulis, tam Generalibus, quàm Provincialibus, Fratribus, Novitiis, Converſis, Donatis, ac quibusvis eorum, & earum perſonis, in quibuſcunque Mundi partibus exiſtentibus, & illorum intuitu, etiam per viam communicationis, vel extenſionis, aut aliàs quomodolibet per quoſcunque Romanos Pontifices prædeceſſores Noſtros, ſeu per Nos, & ſucceſſores Noſtros, aut alios auctoritatem habentes, conceſſa ſunt, & conceduntur, ac quibus ſingulæ Congregationes prædictæ, eorumque Monaſteria, Eccleſiæ, Domus, & loca, ac Superiores, Fratres, & perſonæ hujuſmodi, de jure, uſu, conſuetudine, vel privilegio, aut conceſſione Apoſtolica, vel alia quavis auctoritate in genere, vel ſpecie, ac tam conjunctim, quàm diviſim, aut aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, frui, potiri, & gaudere poſſent, vel poterunt quomodolibet in futurum, quarum conceſſionum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, ac ſi de verbo ad verbum insererentur, etiam ſi talia ſint, & forent, quæ ſpecialem, & individuam requirerent mentionem, ſeu particularem inſertionem (quatenus ſint in uſu, & non ſint revocata, neque ſub ullis revocationibus comprehenſa, ac ſacris Canonibus, & Concilii Tridentini Decretis non adverſentur) ad eamdem Congregationem Sommaſcham, ſeu S. Majoli, ac ſingulos illius Conventus, illorumque Superiores, Præpoſitos, Prælatos, & quaſcunque perſonas, auctoritate, & tenore prædictis, perpetuò extendimus, illaque eis communicamus, & denuò concedimus, & ſuffragari volumus, & declaramus.

Clerici Regulares Minores, & eorum Prælati potiuntur omnibus privilegiis Theatinorum, ex diplomate Gregorii XIV. ſub Datum Romæ, apud S. Petrum; die 18. Febr. 1591. Pontific. ſui anno 1. in hoc tenore:

Romanus Pontifex, perſonarum Eccleſiaſticarum quarumlibet, præſertim Regularium vota, Religionis propagationem, & augmentum reſpicientium, ad exauditionis gratiam libenter admittit, prout conſpicis in Domino ſalubriter expedire. Sanè pro parte dilectorum filiorum Presbyterorum, & Clericorum

Congregationis Clericorum Regularium Minorum nuncupatorum, Nobis exhibita petitio continebat, quòd cùm ipsi cupiant pro illorum Congregationis augmento, ut ipsi in via Domini, sub suavi Religionis jugo, Deo dante, plurimum proficere possint, omnia privilegia, gratias, facultates, tam spirituales, quàm temporales, ac indulta Congregationi Presbyterorum Theatinorum nuncupatorum, concessa, eorum Congregationi hujusmodi concedi, Nobis humiliter supplicari fecerunt; quatenus eorum desiderio hujusmodi annuere, aliasque in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Clerici Regulares S. Pauli Decollati, habent communicationem privilegiorum Canonicorum Regularium Lateranensium, ut habetur *in constitutione 5.* Pauli III. quæ incip. *Dudum felicis recordationis*, edita anno 1535. 8. Kal. Augusti, Pontificatus sui anno 1. sub Datum Romæ apud S. Marcum; ita habetur in *Bullar.* Laert. Cherub. *tom.* 1. *§.* 12. sub his verbis:

46 Nec non, ut omnibus, & singulis privilegiis, & exemptionibus, immunitatibus, indulgentiis, facultatibus, libertatibus, auctoritatibus, indultis, favoribus, concessionibus, & gratiis spiritualibus, & temporalibus, quibus potiuntur, & gaudent, ac in futurum potientur, & gaudebunt Canonici Regulares Congregationis Lateranen. ac personæ, & loca eorum, quorum tenores, præsentibus, pro sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus; ita ut literæ Apostolicæ super eisdem privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, concessionibus, & gratiis eisdem concessis, vel pro tempore concedendis (mutatis dumtaxat nominibus, cognominibus, invocationibus, & diebus) ad libitum vestrum expediri possint perinde, ac si omnia illa, & singula, non solùm per clausulas generales, sed per eorum tenorem, de verbo ad verbum expressionem, & insertionem, fuissent, Vos, personæ, & loca vestra, uti, potiri, & gaudere possitis. Vobis per has nostras literas, tenore præsentium, ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, concedimus pariter, & indulgemus.

Clerici Regulares ministrantes infirmis, omnium privilegiorum, facultatum, libertatum, indultorum, favorum, tam Mendicantibus, quàm non Mendicantibus concessorum, communicationem habent, ut colligitur per memorabilem Bullam Gregorii XIV. sub Datum Romæ, apud S. Marcum, anno Domini 1591. 11. Kal. Octobris, Pontificatus sui anno 1. ut ex verbis, §. 26. manifestè colligitur, & sunt, quæ sequuntur:

Nec non etiam, eidem Camillo, & sociis, ac pro tempore existentibus Præfectis Generalibus, aliisque omnibus, & singulis personis dictæ Congregationis, ut omnibus, & singulis quibuscunque etiam speciali nota dignis privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, indulgentiis, facultatibus, libertatibus, auctoritatibus, indultis, favoribus, prærogativis, concessionibus, & gratiis quorumvis etiam Cisterciencien. Cluniacen. & Sancti Benedicti Monachis, Clericis Regularibus, ac Presbyteris Collegialibus Societatis JESU, & Canonicis Congregationis Lateranensis, ac quibuscunque aliis Clericis Regularibus, & aliorum tam Mendicantium quàm non Mendicantium Ordinum, & Congregationum Fratribus, & personis, tam in spiritualibus, quam in temporalibus, in specie, vel in genere, etiam communicativè, per quoscunque Romanos Pontifices Prædecessores Nostros, ac Sedem præfatam quomodolibet concessis; quæ tamen sunt in usu, nec sub ullis revocationibus comprehensa, neque Decretis dicti Concilii, nec ipsius Congregationis Regularibus institutis contraria, & quibus illi, tam in vita, quàm in mortis articulo, etiam circà peccatorum remissiones, & injunctarum pœnitentiarum relaxationes, aut aliàs quomodolibet uti, potiri, frui, & gaudere possunt, aut poterunt, quomodolibet in futurum, perpetuis futuris temporibus, uti, potiri, frui, & gaudere, ac illorum omnium participes esse possint, & debeant pariformiter, & æquè principaliter, absque ulla prorsus differentia; perinde ac si Congregationi, Præfectis Sociis, ac personis; & eorum Domibus, & Ecclesiis, vel Oratoriis hujusmodi nominatim, & specialiter, ac generaliter concessa fuissent.

Idem habetur apud Hieronymum à Sorbo *in Additionibus ad Compendium Mendicantium, tit. communicatio privileg.* & apud Eman. Roderic. *tom.* 1. *quæst. Reg. quæst.* 55. *art.* 11. 47

Congregatio Clericorum Regularium, Pauperum Matris Dei, Scholarum piarum, habet communicationem omnium gratiarum, immunitatum, libertatum, facultatum, & indultorum, tam spiritualium quàm temporalium Ordinibus Mendicantium, illorumque Superioribus, Professoribus, Ecclesiis, Monasteriis, & Regularibus locis, etiam per viam communicationis, vel extensionis, per quoscunque Rom. Pont. in genere, vel in specie, tam conjunctim, quàm divisim concessorum; dummodo sint in usu, & non sint revocata, & Sacris Canonibus, & Concilii Tridentini Decretis, aut Constitutionibus Apostolicis non repugnent, non solùm ad eorum instar, sed æquè, & pariformiter; perinde ac si prædictæ Congregationi nominatim, & in specie concessa fuissent, ita habetur in Bulla Gregorii XV. sub Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Majorem, anno 1622. die 15. Octobris, Pontificatus sui 2. quæ est 5. Constitutio ejusdem *in libello privileg. ejus Congreg.*

Fratres S. Antonii Viennen. Ordinis S. Augustini, 48 multis potiuntur privilegiis, & gratiis, præcipuè omnibus indultis, & immunitatibus aliis Ordinibus concessis per speciales Bullas Urbani IV. Gregorii X. Benedicti XI. Nicolai IV. Martini V. Calixti III. Pii II. Sixti IV. Alexandri VI. Julii II. & aliorum Summorum Pontificum, ut *in authentico libro privilegiorum ejusdem Ordinis*, videri potest, & quòd supradicti Pontifices huic Ordini multas contulerint gratias testatur Bulla secunda in Ordine Clementis VII. *tom.* 1. *Bullarii novi* Laertii Cherubin. quæ incipit: *Rationi congruit*, sub Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, anno Dominicæ Incarnationis 1523. 6. Kal. Decembris, Pontificatus sui, anno 1.

His positis dubitari potest, utrùm Moniales etiam 49 gaudeant privilegiis Religionis, quam profitentur; cui dubitationi respondeo, quòd Sixtus IV. (ut colligitur ex *Libro Monum. Ordin. impress.* 1. *fol.* 66. *&* *in* 2. *fol.* 148. *conc.* 372.) statuit, quòd Monasteria & loca Monialium Sanctæ Claræ, & S. Dominici eorumque Abbatissæ, & Priorissæ, Procuratores, Syndici, Oblati, & utriusque sexus Tertii Ordinis de Pœnitentia nuncupatæ personæ prædictæ, eisdem privilegiis, & immunitatibus, indultis spiritualibus, & temporalibus Fratrum Prædicatorum, & Minorum Ordinibus, & illorum Professoribus, domibus, & locis, ac Procuratoribus, & Syndicis, & Oblatis, & Conversis, seu aliis quomodolibet per Prædecessores suos, aut per ipsummet Sixtum hactenus concessis, & in posterùm concedendis, quavis auctoritate (quatenùs earum sexui, & statui non contradicant) liberè, & licitè uti possint, & debeant in omnibus, & per omnia prorsus, & sine ulla differentia, ac si eisdem Monasteriis, locis, & personis prædictis, nominatim concessa forent, & concederentur expresè. Idem affirmat Miranda *tom.* 2. *Manual. Prælat. quæst.* 46. *artic.* 2. circa quam communicationem notandum est cum Roderic. *quæst. Regular. tom.* 1. *quæst.* 55. *art.* 13. quòd in ea solùm indulgentur privilegia concedenda Minoribus, & Prædicatoribus, ipsis Monialibus, per Sixtum IV. non autem concedenda per Successores

Sixti

Sixti IV. Ideò ad ampliorem communicationem recurrendum est.

Nam Bonifacius VIII. (prout habetur *in Compend. privileg. Mendicant. in verb. Moniales*, §. 4.) statuit quòd si quæcunque Moniales commissæ fuerint gubernationi fratrum Minorum, virtute alicujus Indulti Apostolici, Moniales sic commissæ gaudeant privilegiis concessis, & concedendis prædictis Fratribus; & certum est Moniales Sanctæ Claræ, virtute Indulti Apostolici, commissas fuisse gubernationi Fratrum Minorum.

Item Clemens VII. sub Anulo Piscatoris, die 30. Maji, anno Domini 1520. Pontificatus sui anno 2. prout refert Christophorus à capite Fontium, apud Rodericum *quæst. Regular. tom 1. quæst. 55. art. 1. & art. 13.* omnia privilegia concessa, & concedenda, quibuscunque Ordinibus Mendicantibus, & non Mendicantibus, sicut indulsit Fratribus Minoribus Regularis observantiæ, ita etiam indulsisse Sororibus Sanctæ Claræ.

Quo verò ad Moniales Prædicatorum, Leo X. eis concessit omnia privilegia concessa, & concedenda Ordini Minorum, Eremitarum S. Augustini, Carmelitarum, Servorum B. Mariæ, ac Minorum Fratrum Ordinibus, ut per Eman. Rod. *quæst. Regul. tom. 1. q. 55. art. 1. & art. 15.*

Moniales etiam nostri Ordinis Vallis Umbrosæ, gaudent omnibus gratiis, & privilegiis Congregationi nostræ concessis, ut manifestè constat ex memorabili privilegio Julii II. sub Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1507. Idibus Julii, Pontificatus sui anno 4. cujus tenor videatur *in fine hujus Primi Tomi*, idipsum habetur in Bulla Eugenii IV. eidem memorabili privilegio Julii II. inserta.

Similiter Moniales Sanctæ, & immaculatæ Conceptionis privilegiis communicationis Fratrum Mendicantium, per indultum Leonis X. qui motu proprio & ex certa scientia concessit Monialibus S. & immaculatæ Conceptionis Gloriosæ Virginis Mariæ, sub obedientia Fratrum Minorum degentibus, ut omnibus, & singulis privilegiis, concessionibus, prærogativis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, favoribus, gratiis, & indultis spiritualibus, & temporalibus per ipsum Leonem, & Sedem Apostolicam Fratribus dicti Ordinis, & Monialibus Sanctæ Claræ, & Sororibus Tertii Ordinis S. Francisci quomodolibet concessis, & concedendis, & quibus Fratres, & Moniales, & Sorores hujusmodi de jure, vel privilegio, aut consuetudine patriæ utuntur, potiuntur, & gaudent, seu uti, potiri, & gaudere, quomodolibet poterunt in futurum (quæ omnia pro expressis, & individuè enarratis haberi voluit) prædictæ Moniales in supradicta obedientia permanentes utantur, potiantur, & gaudeant, ac uti, potiri, & gaudere possint in omnibus, & per omnia, perinde ac si ipsis concessa fuissent: sicque per quoscunque Judices Ordinarios, seu delegatos in foro contentioso, ac per quoscunque Confessores suos in foro conscientiæ, dum & quoties opus fuerit interpretari, judicari, & definiri debere, ex Eman. Roderic. *quæst. Regular. tom. 1. q. 55. art. 15.* & Mirand. *Manual. Prælatorum, tom. 2. q. 46. art. 2.*

Moniales Tertiariæ gaudent privilegiis Ordinis Minorum, per indultum Leonis X. qui concessit prædictis Sororibus Tertii Ordinis, quòd possint gaudere, & potiri omnibus, & singulis privilegiis, gratiis, prærogativis, exemptionibus, & indultis, sub quibuscunque verborum formis, concessis & concedendis Monialibus Sanctæ Claræ, super quo dat Conservatores, ut per Mirand. *loc. cit.*

Et Innocentius VIII. extendit, seu communicavit gratias, & indulta concessa Fratribus, & Sororibus Tertii Ordinis in communi viventibus, etiam in illis, qui vivunt in particulari, ut *in libro Monument. Ordinum, 1. impress. fol. 44. & in 2. fol. 69. concl. 146. & in suppl. fol. 100. conc. 375.* Quæ concessio, etsi unum præsupponat, aliud tamen determinat; præsupponit namque, quòd multa concedantur Fratribus, & Sororibus Tertii Ordinis, prout videre est in Bulla Sixti IV. in qua utriusque sexus Tertii Ordinis personis concedit Summus Pontifex, quidquid concessum est Ordini Eremitarum Sancti Augustini, nec non Ordini Carmelitarum, & Ordini Servorum Beatæ Mariæ ab Apostolica Sede, ut habetur *in d. lib. Monument. Ordinum, in 1. impress. fol. 105. & in suppl. fol. 118. confil. 483.*

Illud verò, quod decernit, & statuit, est, quòd hujusmodi gratiæ, & facultates intelliguntur concessæ, etiam illis, qui vivunt in particulari. Et Collector privilegiorum Mendicantium probat ex litera Bullæ auræ Sixti IV. quòd privilegia, quæ inveniuntur concessa Tertiariis Sororibus, ibi, *Ad Tertiarias viventes in particulari*, extendantur, sicut extenduntur postea per Innocentium VIII.

Sed addit, dicens: Quoad Tertiarios utriusque sexus (quidquid sit de temporibus retroactis) in præsenti sunt in triplici differentia, prout Leo X. in Concilio Lateranensi distinxit, & habetur *in Supplemento Ordinum, fol. 26. conc. 84. & 87.*

Primi sunt viventes collegialiter, & isti gaudent privilegiis, sicut Fratres Mendicantes, absque alia differentia, in quantum eorum capacitas permittit.

In secundo gradu sunt Mulieres continentiam conjugalem, aut vidualem promittentes, & habitum Tertiariorum gestantes: & hæ pariformiter gaudent, ut primi, nisi in his, quibus expressè diceret Papa, quòd solum concedit pro viventibus in Congregatione, saltem post Innocentium VIII. Nam de concessis usque ad sua tempora cum tali expressione, vel restrictione ipse Innocentius omnes parificavit.

Ultimi sunt Conjugati, aut qualitercunque à præfatis duabus speciebus distincti. Et isti de omnibus indulgentiis Mendicantium habent illa, quæ per Concilium Lateranense, non fuerunt sibi sublata: ex quo habent omnia spiritualia, scilicet indulgentias. Concilium Lateranense, (prout refertur *in Supplemento, fol. 26. concl. 86.*) statuit, quòd Fratres, & Sorores Tertii Ordinis in propriis domibus habitantes, valeant sepulturam eligere ubi voluerint; & quòd die Paschatis tantùm Eucharistiam, nec non extremam unctionem, cæteraque Ecclesiastica Sacramenta (Pœnitentiæ Sacramento dumtaxat excepto) à proprio Sacerdote parochiali recipere debeant, & voluit, quòd ad onera, quæ laicis incumbunt perferenda, teneantur, ac quòd in foro seculari coram Judicibus secularibus conveniri possint: & insuper decrevit, quòd prædicti Tertiarii in propriis domibus habitantes, nullatenùs admittantur tempore interdicti, ad audienda Divina in Ecclesiis Ordinum, quorum sunt Tertiarii; si causam dederint interdicto, vel causam ipsam nutriant, seu foveant, aut dantibus auxilium, consilium, vel favorem, quomodolibet præstiterint.

Quibus ex mente Collectoris, potest addi alia differentia, illarum Tertiariarum, scilicet, quæ cum Claustralibus habitant. Ipsæ enim secundùm determinationem Leonis X. de qua *in Supplemento fol. 26. conc. 87.* gaudent privilegiis, quibus gaudent Fratres Ordinis Tertiarii. Ex quibus ipse Collector infert, quòd etiam Tertiarii conjugati in particulari viventes, gaudent privilegio canonis, *Si quis suadente*, qua habent modum vivendi approbatum à Sede Apostolica. Et ait hanc esse Doctorum sententiam, & esse notandum, quia multoties non advertitur circa tale privilegium.

Advertendum tamen est, quòd multa inveniuntur concessa Tertiariis sub obedientia Fratrum Minorum viventibus, prout videre est ex litteris Apostolicis, super hoc emanatis, de quibus non est ambigendum, quòd gaudeant etiam postquam ab obedientia observantiæ sunt separati: ut sunt Moniales Tertii Ordinis, quæ post Pium V. se Ordinariis subdiderunt, & ab obedientia Prælatorum Ordinis Minorum se abstraxerunt, quæ non obstante recessu à tali obedientia gaudent dictis privilegiis; cùm nulla sit differentia inter obedientiam Prælatorum Minorum, & obedientiam Ordinariorum; de similibus enim, sive connexis idem est judicium, *cap. inter cæteras de rescript. cap. translato, de constit. cap. in causa, de re judic.* & ubicunque est eadem ratio, ibi debet esse eadem juris dispositio, *l. illud, ff. ad l. Aquiliam, l. à Titio, ff. de verborum oblig.*

QUÆSITUM II.

Utrùm Abbatia, sive Congregatio Regularium communicans alterius Religionis privilegia, intelligatur etiam communicare ea, quæ alicui speciali illius Religionis Conventui, sive loco, aut personæ particulari concessa sunt.

SUMMARIUM.

1 *Abbatia, vel Congregatio Regularium habens communicationem privilegiorum alterius Religionis, participat etiam privilegia, alicui speciali illius Religionis loco, vel Conventui concessa.* Sed limita, ut num. 4. 5. 6.

2 *Privilegia concessa Religiosis particularibus unius Ordinis, non extenduntur per communicationem ad Religiosos ejusdem, vel alterius Ordinis.*

3 *Sedes Apostolica ex justissimis causis, sæpè aliquos Patres à nonnullis Regulæ observantiis eximit, & cum eis dispensat.*

4 *Altaria privilegiata uni Ecclesiæ concessa non communicantur cæteris Ecclesiis; tam ejusdem, quàm alterius Ordinis per privilegium communicationis, generaliter concessum.*

5 *In generali concessione non veniunt ea, quæ quis verisimiliter in specie concessurus non esset.*

6 *Privilegia exorbitantia, & quæ rarò conceduntur, per generalem communicationem, non participantur*, & num. 7.

7 *Privilegium concessum uni Provinciæ alicujus Religionis an extendatur ad aliam ejusdem Religionis.*

8 *Privilegia tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, an communicentur omnibus Monasteriis, locis, & personis Ordinis.*

ANtequam ad materiam deveniamus, duximus advertendum, Bullam pro Canon. Regul. Lateran. quam *præced. Quæs. n. 1.* inserendam promisimus, opportuniorem existimasse pro materia. *Quæs. 3. n. 1. disp. seq. 18.* & *ibi* videatur.

1 Abbatia, vel Congregatio Monachorum, habens indultum Communicationis privilegiorum alterius Religionis, intelligitur etiam communicare concessiones, & privilegia alicui speciali loco, aut Conventui ejusdem Religionis concessa.

Hæc assertio probatur ex privilegio concesso ab Alexandro VI. Congregationi Sanctæ Justinæ, anno Domini 1501. Kalend. Aprilis, Pontificatus sui anno 9. & ad nostram Congregationem Vallis Umbrosæ extenso, ac de verbo ad verbum concesso à Julio II. anno Domini 1507. Idibus Julii, Pontificatus sui anno 4. ubi voluit, ut cujusvis particularis Monasterii communia sint, & ad illa extendantur, prout ipse Summus Pontifex per eamdem Constitutionem extendit, quando ipsa privilegia aliis Monasteriis, & locis dictæ Congregationis adaptari, & convenire possunt.

Idem habetur ex privilegio concesso à Pio IV. Ordini Divi Hieronymi in Hispania, 4. Kalend. Augusti, Pontificatus sui anno 6. ubi dicitur, quòd ad instantiam Invictissimi Regis Philippi Hispaniarum II. hujus nominis, omnia, & singula privilegia, immunitates, exemptiones, & prærogativas, indulta temporalia, favores, & gratias Ordinis, singulis, & cujusvis Monasterio per quoscunque Romanos Pontifices prædecessores, ac per se, & Sedem Apostolicam, ejusque Legatos, & Nuncios in genere, vel in specie concessa ad omnia, & singula Monasteria Ordinis, tam virorum, quàm mulierum, quibus in specie concessa non sunt, & in quibus aliæ causæ concessionis, & indultorum prædictorum aliàs, quàm ut præfertur, suberant ad id, ut ipsa Monasteria illis pariformiter uti, frui, & gaudere possint, & deberent, perinde, ac si eis specialiter concessa fuissent, auctoritate Apostolica extendit, & ampliavit, illaque inter omnia, tam virorum, quam mulierum Monasteria Ordinis, in omnibus, & singulis communicavit, habetur in *Compendio privilegiorum dicti Ordinis, titul. extensio privilegiorum.*

Ex quo Indulto constat, in prædicto Ordine Divi Hieronymi fieri communicationem privilegiorum, non tantùm generaliter Congregationibus, & personis, & locis Congregationum; verùm etiam particularibus Monasteriis ejusdem Ordinis concessorum: etiam iis Monasteriis, quibus in specie privilegia ipsa concessa non sunt, & in quibus aliæ causæ concessionum, & indultorum prædictorum aliàs suberant; adeò quòd omnia, & singula Monasteria gaudent privilegiis, & gratiis cuilibet Monasterio in particulari impartitis.

Quæ concessio extenditur ad omnes, & singulas Monachorum Congregationes, cæterosque Ordines, communicantes privilegia dicti Ordinis S. Hieronymi: ac cùm per privilegiorum communicationem, omnia privilegia fiant propria illarum Congregationum, & Ordinum, qui simile obtinent privilegium, non solùm concessa, sed etiam in posterum concedenda, clarè constat, quòd omnes Monachorum Congregationes, ac quæcunque Religiones habentes indultum communicandi privilegia alterius Congregationis, vel Ordinis, uti, & gaudere possunt in omnibus suis Domibus, ac Conventibus particularibus, concessionibus, ac gratiis alicui ipsius Congregationis, vel Ordinis, Abbatiæ, Conventui, sive loco speciali indultis.

Est autem hic advertendum, quòd cùm prædictum 2
indultum Pii IV. solùm concedat, ut privilegia tradita particularibus Monasteriis, omnibus, & singulis ejusdem Ordinis Monasteriis concessa, censeantur, non est intelligendum, nisi in casu, in quo ibi est sermo; cùm maximè juris terminos excedat: & propterea cùm nec in eo dicatur, ut privilegia concessa Fratribus particularibus dicti Ordinis, extendantur ad alios ipsiusmet Ordinis Religiosos; non erit censendum gratias, & privilegia particularibus Monachis, vel Regularibus indulta, omnibus aliis Religiosis communicari.

Tùm quia Leo X. declaravit concessionem Julii II. Fratribus Ordinis Eremitarum Sancti Augustini factam, debere intelligi, quòd gaudeant prædicti Fratres privilegiis generaliter Congregationibus, & personis, & locis Congregationum, vel Ordinis concessis, ut habetur *in Supplemento, fol. 59. concess. 157.* quæ declaratio, quantùm ad hoc viget.

Tum etiam quia contrarium affirmando nonnulla absurda, atque inconvenientia sequerentur, ac omnis Religionum observantia funditùs everteretur.

Sæpè enim Sedes Apostolica ex justissimis causis 3
aliquos Patres à nonnullis Regulæ observantiis eximit,

mit, & cum eis diſpenſat, ſi autem prædictum privilegium dicto Ordini Divi Hieronymi conceſſum, de indultis particularibus Religioſis conceſſis intelligendum eſſet, cæteri Regulares, etiam in quibus eædem rationes, & cauſæ non habent locum, allegarent pro ſeipſis diſpenſationem, ac exemptionem cum particularibus Religioſis factam æquè, ac ſi Sedes Apoſtolica ipſis ſpecialiter indulſiſſet; quod eſſet maximè inconveniens, nec ullo modo admittendum ex Roder. *quæſt. Reg. tom.1. quæſt.55. art.18 verſ. advertendum tamen*, Mirand. *in Man. Prælat. tom.2. q.46. art.1.* Joan. de la Cruz *de ſtatu Relig. lib.2. cap.4. dub. unic. concl.3. illat.1.*

4 Ex quibus elici poteſt, quòd per privilegium communicationis generaliter conceſſum, Altaria privilegiata uni Eccleſiæ Regularium conceſſa non communicantur cæteris Eccleſiis, tam cæterorum, quàm ejusdem Ordinis; licet per privilegia ſuperiùs adducta, conceſſa uni domui cenſeantur conceſſa omnibus;
5 Tum quia in generali conceſſione non veniunt ea, quæ quis veriſimiliter in ſpecie conceſſurus non eſſet,
6 *reg. in generali.18. de reg. jur. in 6.* Tum etiam quia per privilegium communicationis generaliter conceſſum, non communicantur privilegia exorbitantia, & quæ raro conceduntur, ut dixit Rota *deciſ.214. part.2. Recent. & deciſ.55. n.14. & 15. part.1. Diverſ. & in una Valentina Decimarum, 28. Novemb. 1603. coram Card. Lancelloto, & in Toletana Decimarum 26. Novembr. 1605. coram Juſto. & in una Mediolanen. Decimarum 10. April. 1606. coram Illuſtriſſ. D. Coccino Decano, & in Urbinaten. decimarum 25. Junii 1618. coram Eminentiſſ. D. Card. Pamphilio juniore, quæ in fin. operis ſunt, dec. 89. 90. & 95.*

At Altaria privilegiata raro conceduntur à Sede Apoſt. ergo, &c. Quod etiam patet ex communi uſu, & ſtylo Curiæ, de quo teſtatur Laur. de Peirin. *in declarat. privil.8. à Paulo III. ſuo Ordin. Minim. conceſſ.*
7 *num 2 tom 2.* Ex quibus reſolvitur dubitatio, quæ frequenter contingere ſolet: nimirum, an privilegium conceſſum uni Provinciæ alicujus Religionis, extendatur etiam ad alias Provincias ejusdem Religionis.

Nam ſi privilegium conceditur determinato loco, utpote, pro tali Provincia, tunc privilegium valet pro illa ſola, & non pro aliis, ut tradunt omnes Juriſtæ, quos refert Suar. *de legib. lib.8. c.26.* dicens ſervandum eſſe tenorem privilegii præſertim ſi privilegium, ex parte materiæ, & objecti ſtatuat determinatum locum. Jaſ. *in l. beneficium, n.18. & 24. ff. de conſt. Princ.* Surd. *dec.274. ad fin c.1. & 2. de privil. in 6.* Rot. *dec.663. n.2. part.1. Recent.*

Et facit ad hoc, quòd privilegium ſpecialiter quibusdam conceſſum, ut diximus, generaliter obſervari non debet, *l.3. in fin. C. de legib. l. jus ſingulare ff. eod.* Rota *in Hiſpalen. decimarum, 20. Junii 1594.* Mantic. *impreſſ. apud eundem, dec.284. n.5.* & ſic in terminis noſtræ dubitationis facit text. valde notabilis, *in cap. cùm capella de privil.* per quem text. diſponitur quòd privilegium conceſſum uni Eccleſiæ, vel provinciæ, ſeu loco, nequit trahi ad aliam Eccleſiam ſive Provinciam, vel locum.

Non obſtat ſi objiciatur, quòd in eadem Religione, licet alterius Provinciæ datur communicatio privilegiorum, & quòd uni Provinciæ, conceditur, extenditur ad alias per communicationem; reſpondetur enim talem communicationem, non habere locum in exorbitantibus, ut diximus, & quæ raro conceduntur, ut eſt Rotæ *deciſ 214. part. 2. Recent. & deciſ. 55. n.14. & 15. part.2. Diverſ. & in Valentina 28. Novemb. 1603. coram Illuſtriſſ. Cardinale Lancelloto. & in Toletana 16. Nov. 1605. coram Juſto ſupracitato num. 6.*

Unde (ſicut diximus) ſi privilegium loquatur in caſu materiæ determinatæ, tunc ad illum caſum ſolum, & non ad alium extendi poteſt; e.g. ſi Papa concederet veſci lacticiniis, & ovis diebus prohibitis, in Hiſpania non extenderetur tale privilegium ad Italiam, & Galliam. Hanc ſententiam tradunt communiter Doctores per text. *ex l. hoc modo ff. de condit. & demonſtr.* Henriquez *lib.7. de indulgent. c.14.* & Azor. *p.1. inſtit. moral. lib.5. c.22.*

8 Ex his etiam reſolutum reſtat privilegia, quæ communicantur alicui Ordini, communicari etiam omnibus Monaſteriis, locis, & perſonis illius Ordinis; nam pro ordinibus omnium Mendicantium, illorumque Eccleſiis Monaſteriis, domibus, locis, ſingulisque perſonis adeſt privilegiorum univerſalis communicatio, tam conceſſorum, quàm concedendorum per ſpeciales litteras Sixti IV. Innocentii VIII. Alexandri VI. Julii II. Clementis VII. ita affirmat Joannes Baptiſta Confect. *in Summar. privil. c.5.* ſpecialior autem eorumdem Mendicantium omnium, tam conceſſorum, quam concedendorum communicatio, edita fuit à Leone X. per ſub Datum Romæ, apud S. Petrum, die 16. Decembris 1519. Pontificatus ſui anno 7. quæ habetur apud Joan. Bapt. Confect. *in Collect. lit. Apoſt. Bulla 18. ejusdem Leonis*, per hæc, quæ ad rem ſequuntur verba:

9 Dudum per Nos accepto, quòd Romani Pontifices prædeceſſores Noſtri aliqui in Minorum, alii verò Eremitarum Sancti Auguſtini; alii ad Beatæ Mariæ de monte Carmelo, reliqui ad Prædicatorum Ordinum Fratres, & domos, juxta ipſorum vota, devotionis affectum gerentes illorum ſingulis, nonnullas gratias, conceſſiones indulgentias, peccatorum remiſſiones; prærogativas, favores, immunitates, exemptiones, facultates, privilegia, indulta, ac dona, tam ſpiritualia, quàm temporalia, per diverſas ipſorum litteras, reſpectivè conceſſerunt. Nos ad ſingulos Ordines prædictos, ſingulasque ipſorum Ordinum domos, ubi religioſè vivitur indifferenter abſque acceptione perſonarum; devotionis affectum, æqua lance gerentes, omnes, & ſingulas gratias, conceſſiones, indulgentias, peccatorum remiſſiones, prærogativas, favores, immunitates, exemptiones, facultates, privilegia, indulta, tam ſpiritualia, quam temporalia, qualiacunque illa eſſent, quæ Prædicatorum, Minorum, Eremitarum Sancti Auguſtini, Carmelitarum, Servorum Beatæ Mariæ, ac Minimorum Fratrum, in domibus, & illorum Eccleſiis, Oratoriis, & Eccleſias ipſas, & Oratoria, pro tempore viſitantibus, cujuscunque ſtatus, aut ſexus exiſterent, ſeu pro eorum manutentione, & ornatu contribuentibus, nec non Domibus, & Præſidentibus, non ſolùm Generalibus, & Provincialibus, Fratribusque, & Sororibus, nec non Monialibus, & Converſis, Oblatis, & utriusque ſexus perſonis de Pœnitentia, ſeu Tertii habitus nuncupatis, à dictis Prædeceſſoribus, aut à Nobis, ipſisque Succeſſoribus, aut aliàs auctoritatem habentibus, conjunctim, & diviſim, in genere, vel in ſpecie conceſſa fuerunt pro ſufficienter expreſſis tunc habentes ſingulis Ordinibus prædictis illorumque ſingulis Eccleſiis, Oratoriis, & Eccleſias, ac Oratoria viſitantibus, cujuscunque ſtatus, aut ſexus exiſterent, ſeu pro eorum manutentione, & ornatu contribuentibus, nec non Domibus, & Conventualibus, Fratribus etiam, & Sororibus, vel Monialibus, Converſis quoque, & Oblatis, ac utriusque ſexus perſonis, de Pœnitentia nuncupatis, & aliis ſingulorum Ordinum prædictorum, Motu proprio, & ex mera noſtra ſcientia, & libertate de Apoſtolicæ auctoritatis plenitudine communicamus.

Illaque omnia, ſingulis prædictorum Ordinum perſonis pariformiter communia fuiſſe, & eſſe volumus, prout in ſingulis litteris prædictis pleniùs continetur.

De communicatione verò non Mendicantium, (& præſertim duodecim Congregationum) univerſaliter

liter quoad Ecclesias, Monasteria, loca, & personas, idem dicendum est, quod de Mendicantibus hactenùs hic resolutum fuit, cùm ipsi non Mendicantes, & præsertim duodecim Congregationes communicent in omnibus, & singulis, tam concessis, quàm concedendis, privilegiis, gratiis, & immunitatibus, tam spiritualibus, quàm temporalibus, per speciales Summorum Pontificum concessiones, & etiam universales Bullas jam indicatas, & per Bullam Pii V. de qua latiùs *in antecedenti Quæsito, num. 16.*

QUÆSITUM III.

Utrùm Regulares non habentes speciale privilegium exemptionis ab oneribus, & impositionibus, eximantur ab iisdem, si communicent in privilegiis cum aliis Regularibus specialem exemptionem à prædictis oneribus habentibus.

SUMMARIUM.

1 *Regulares omnes, tam ex juris communis dispositione, quàm vigore privilegiorum sunt exempti à datiis, gabellis, vectigalibus, & oneribus, tam realibus, quàm personalibus.*

2 *Communicatio privilegiorum, idem operatur, quod privilegium in specie concessum.*

3 *Communicatio privilegiorum pluries fuit in Sacra Rota Romana, canonizata.*

4 *Exemptio generalis ab oneribus in materia favorabili concessa, comprehendit etiam onera realia.*

5 *Clausula* (in omnibus, & per omnia) *comprehendit quæcunque.*

6 *Exemptio à solutione decimarum, cùm sit exorbitans à jure communi, sub generalitate verborum non comprehenditur; nisi expressè dicatur.*

HAnc Quæstionem eleganter disputatam, & omnibus numeris absolutam habemus *in una Bononien. exemptionis, 15. Maji 1618. coram Illustrissimo Cardinali Verospio*, in qua cùm hæc materia benè discutiatur; ideò illam in præsentiarum transcribendam esse, operæ pretium duxi.

Coram Illustrissimo, & Reverendissimo Domino Cardinali Verospio.

Bononiensis Exemptionis Veneris 25. Maji, 1618.

LIte coram me inter nonnullos Regulares, & Regimen Bononiens. super exemptionibus introducta, ad instantiam Canonicorum Regularium Lateranensium, & Sancti Salvatoris; Dubitavi, circumscriptis pro nunc eorum laboratoribus, colonis, & emptoribus, nec non subsidio triennali.

1 An ipsi sint ab aliis datiis, gabellis, vectigalibus, & oneribus, tam realibus, quàm personalibus exempti; Et Rotæ visum fuit affirmativè respondendum, cum istis Regularibus, tam ex juris communis dispositione competat hæc exemptio. *Cap. quamquam de censibus in sexto, cap. 1. de immunitate Eccles. in sexto. Clem. præsenti eodem titulo, cap. 1. de decimis, cap. non minus, & cap. adversus, de immunitate Eccles.* Cardin. *in d. cap. non minùs, eod. tit.* Abbas *in cap. Invocamus de censibus, num. 4. & consil. 13. part. 2* Baldus *in l. 1. num. 9. Cod. de contrah. empt.* Bertaz. *de gabellis, seu vectigal. §. 7. princip. num.* 10. & fuit dictum *in Coregien. gabellæ, coram Justo, 27. Novembris* 1602. *& in Valentina gabella, 4. Decembris, 1595. coram Cardinali Pamphilio,* & *in Brundusina gabell, 13. Februarii, 1604. coram Pena.*

Quàm vigore privilegii ab Eugenio IV. sub Datum Florentiæ, 7. Kal. Martii 1434. Motu proprio concessi Monachis Casinensibus, & per Sixtum IV. Congregationi Lateranensi, nec non per Julium II. Congrega-
tioni Sancti Salvatoris communicati, quæ communi- 2
catio idem operatur, ac si dictis Congregationibus fuisset in specie talis exemptio concessa. Oldrad. *cons. 300. num. 8. & versic. præsertim in facto,* Bertrand. *consil. 149. Illud est generale, num. 2. lib. 1. in antiq.* Paris. *cons. 22. num 5. lib 4.* Doctores communiter *in l. 1. ff. de leg. 1.* ubi Joannes Crott. *num. 13. versic. ultima conclusio,* Jacobus de Nigr. *num. 5. & 6. in fin.* Roman. *cons. 383. post num. 2.* Natt. *consil. 432. num. 9. & 15. lib. 1.* Crescent. *decis. 9. num. 5. vers secundo quia, de privil.* Rota *dec. 8. n. 5. p. 2. Divers.*

Stantibus præsertim clausulis amplissimis, in eadem communicatione appositis. Aym. *cons. 294. n. 1.* Roland. *cons. 60. n. 1. & seq.* Joan. Crot. *ubi suprà, n. 13.* Jacobus de Nigr. *ibid. num. 15.*

Unde pluries dicta Communicatio fuit in Rota canonizata, videlicet *in Burgen. jurisdictionis S. Joannis 20. Decembr. 1596. coram Orano,* & *in Burgen. Procurationum, nona Martii 1598. coram eodem.* 3

Nec potest controverti privilegium hujusmodi esse amplissimum; uti conceptum per verba ampliativa, & generalissima, nimirùm *ab omnibus gabellis, talliis, & datiis, collectis, impositionibus, & oneribus, etiam ad Pontium refectionem, & viarum reparationem, aut ab alio quocunque gravamine, quovis nomine censeatur:* quæ verba sunt apta plenissimam exemptionem, quoad onerum collectarum, & impositionum species importare, Joan. Andr. *in c. Episcoporum, sub n. 7.* ubi Gemin. & Archid. *de privileg. in sexto.*

Nec valet dicere, communicationem suffragari non posse, tanquam expressè non facta mentione de exemptionibus ab oneribus realibus. Nam satis fuit generalis mentio, cùm simus in materia favorabili. Paris. *cons. 12. n. 5. & seq. lib. 4.* Decius *cons. 3. n. 4. & 5.* cum aliis *suprà allegat.* 4

Tantò magis, quia fuerunt appositæ clausulæ: *In omnibus, & per omnia,* &c. *& absque ulla prorsus differentia,* &c. Ripa *in l. 1. num. 1. de leg. 1.* & ibi *scrib.* Rot. *decis. 8. num. 5. part. 2. Divers.* Crescent. *decis. 9. n. 5. de privileg.* 5

Non obstat decisio allegata *in Valentina Decimarum, 28. Novemb. 1602. coram Illustr. Lancell.* Ibi enim de exemptione tractabatur à solutione decimarum, quæ tanquam exorbitans à jure communi sub generalitate verborum comprehendi non valebat; quod secus accidit in casu nostro, ex allegat. 6

Verùm quia non obstantibus dictis exemptionibus pro parte Civitatis, & Regiminis Bononiensis prætendebatur, istos Regulares in aliquibus casibus debere contribuere: Domini voluerunt hoc particulari dubio esse discutiendum.

QUÆSITUM IV.

Utrùm Communicantes, & participantes privilegia alicui Ordini concessa, possint illis potiri, etiam contra illum Ordinem, cum quo communicant in privilegiis.

SUMMARIUM.

1 *Privilegia participantes per communicationem, possunt eis uti, etiam contra illos, quibus principaliter concessa fuerunt.*

2 *Privilegiatus contra pariter privilegiatum, quomodo utatur privilegio, ostenditur.*

3 *Familiares & donati Fratres, ac alii hujusmodi, quamvis communicent in privilegiis, non tamen possunt eis uti contra Fratres, quorum intuitu habent talem privilegiorum communicationem.*

4 *Participantes privilegiorum communicationem, possunt*

ſunt uti illis etiam tempore Interdicti poſiti à principalibus, à quibus habent communicationem.

1 NUlli dubium eſſe poteſt, participantes privilegia per communicationem, poſſe eis uti, etiam contra illos, quibus principaliter conceſſa fuerunt, per quorum communicationem ipſi gaudent prædictis privilegiis. Ratio eſt, quia per talem communicationem facta ſunt ſibi propria, ac ſi ipſis principaliter conceſſa fuiſſent, nec poteſt dici, quòd ea habeant dependenter ab aliis, & quomodocunque ſe gerant circa talia privilegia, ſive eis utantur, ſive non, non ob-
2 ſtante vulgata Regula, quòd *privilegiatus non poteſt uti ſuo privilegio, contra pariter privilegiatum*, ut §. *ſed hac præſenti. Auth. de Sanctis Epiſcopis, l. verùm, §. ult. cum l. ſeq. ff. de minor.* tunc habet locum talis regula, quando v.g. Canones conceſſerunt Eccleſiis, aut Monaſteriis privilegium; nam eo caſu videtur, quòd objici non poſſit adverſus aliam Eccleſiam, aut Monaſterium habens ſimile privilegium, ut per Roderic. *quæſt. Regul. tom. 1. quæſt. 55. artic. 21.* non ſic in caſu noſtro.

3 Secùs autem de illis, qui non ſic ſpecialiter, & independenter communicant in talibus privilegiis, ut ſunt familiares, & donati Fratres, & alii hujuſmodi. Hi enim, quamvis communicent in privilegiis, non poſſunt tamen uti illis contra Fratres, quorum intuitu habent talem privilegiorum communicationem. Quia quòd in favorem ipſorum Fratrum principaliter conceſſum eſt, non debet in ipſorum odium retorqueri, juxta text. *in c. quod per novale, juncta gloſſ. de verb. ſignificatione.*

Ratio eſt, quia non ex æquo ipſi gaudent talibus privilegiis, ut ipſi fratres; unde ſicut diverſa eſt ratio, alia debet eſſe juris diſpoſitio, argum. text. *l. illud, ff. ad l. Aquiliam, & l. à Titio. ff. de verborum obligat.*

Unde ſi Fratres perdiderint aliquod privilegium, aut non utantur, amittunt etiam ipſum familiares, & Donati prædicti, quia tales dependenter habent communicationem privilegiorum à Fratribus, ac propterea principali ceſſante intuitum favore Fratrum, quorum intuitu tale privilegium principaliter valebat; ceſſat & minùs principale & acceſſorium, ex Bartol. *l. 1. de legat. 1. per omnia exæquata, & l. amiciſſimus, §. Lucius*, Panormitan. *in cap. ex parte, de for. compet. ad finem*, & Bald. *in l. omnia. C. de Epiſc. & cleric.* ita notat Corduba *in annot. privileg. verb. communicatio privileg. verſ. tandem.* ubi advertit, quòd hæc notatio valet ad multa, & ad hoc, quòd ſecundùm pri-
4 vilegia ſui Ordinis, ac ſuis Fratribus communicata ab aliis Religioſis, quòd verbi gratia poſſint non ſervare Interdictum, in feſtivitatibus ſuæ Religionis etiamſi ſit Interdictum poſitum ab illis aliis Religioſis; licèt talis non obſervatio Interdicti ſit in eorum præjudicium, quia ex æquo, ac ſi illis ſpecialiter conceſſa fuiſſent, communicata ſunt, & facta ſua independenter talia privilegia; de qua re videatur idem Corduba *loco citat. verb. abſolutæ quoad ſeculares, §. 19.* Unde ſequitur id, quod ait Corduba *loc. cit.* reſpectivè ad ſuam Religionem, illud etiam eſſe dicendum de aliis Religionibus, quoad prædictorum privilegiorum communicationem.

QUÆSITUM V.

Utrùm quando privilegium conceditur ad inſtar alterius Religionis, vel uni conceſſum, alteri communicatur, ſi prius illud augeatur, minuatur, vel revocetur, auctum, & diminutum, vel revocatum cenſeri debeat in Religione illa, cui communicatur.

SUMMARIUM.

1 *Doctores referuntur de hac quæſtione agentes.*

2 *Privilegium quando non per ſe, & principaliter communicatur alicui Religioni, non poteſt illa eo uti, niſi ſecundum modum, juxta quem eo utitur principalis.*

3 *Privilegium quando communicatur directè, per ſe, & æqualiter, aucto, vel diminuto, vel revocato principali, non augetur, nec diminuitur, nec revocatur in perſona eorum, quibus communicatur.*

4 *Forma communicationis privilegiorum, eſt attendenda.*

HAnc quæſtionem prolixè diſputant Mandoſ. *in tract. de privil. ad inſtar, q. 6.* Roderic. *quæſt. Regular. tom. 1. q. 55. art. 19.* latè Azeved. *conſ. 36. per tot.* Suar. *de leg. lib. 8. cap. 15. n. 5. cum ſeqq. & c. 16. à n. 11.* D. Barboſ. *de clauſul. uſufrequen. clauſ. 5. n. 8. cum ſeqq. ſecundùm Lugdun. impreſſ.* 1

Ex quibus breviter ſic diſtingendum eſſe puto: Vel enim communicatio fit non per ſe, & principaliter, in quo caſu planum eſt, quòd non poteſt ille, cui communicatur privilegium eo uti, niſi ſecundùm modum, juxta quem illo utitur ipſe principalis, ex generali regula, *cap. tranſlato, de conſt. & cap. acceſſorium, de reg. jur. cum ſimilibus*; & ideo aucto, diminuto, vel revocato privilegio principali, ſequitur neceſſario augeri, diminui, & revocari privilegium in perſona eorum, quibus communicatum eſt, ut bene tradit D. Barboſ. *d. clauſ. 5. num. 8.* 2

Aut verò privilegium communicatur non ſic dependenter, ſed directè per ſe, & æqualiter; ita ut perſona cui communicatur, eo uti poſſit, eodem modo, quo prior poterat, vel ipſe poſſet, ſi primò, & per ſe ei fuiſſet conceſſum, quæ forma frequentiſſima eſt communicationi privilegiorum inter Religiones unius ſcilicet ad alteram, ut latè proſequitur Roderic. *d. quæſt. 55. à princ.* & in iis terminis regula eſt conſtituenda negativa, quòd ſcilicet aucto, vel diminuto, aut revocato privilegio principali non augetur, nec diminuitur, nec revocatur in perſona eorum, quibus communicatur; ſicuti docet D. Barboſ. *dict. clauſula 5. num. 9.* 3

Ratio eſt, quia utrumque privilegium, ut ſupponimus, ſtat per ſe ut reipſa diſtinctum, ſolumque apponitur particula, *vel relatio ad aliud*, ad terminandam ſignificationem verborum: cognita autem hac ſignificatione, & modo, & qualitate privilegii ſic conceſſi, nulla manet dependentia unius ab altero: & conſequenter ceſſat diſtinctio, *d. cap. acceſſorium*, & locum habet Regula, *l. Papinianus exuli, ff. de minor.* ac procedit dictum Roderic. *d. ar. 19.* quòd in communicatione privilegiorum, non communicatur non uſus; quia licèt Religio, cui primò conceſſa ſunt, illis non utatur, & propter non uſum ea amittat: adhuc tamen alia Religio utitur, cui independenter communicata ſunt.

Declaranda tamen eſt proxima hæc reſolutio, ut procedat, niſi contrarium ex forma communicationis colligatur: quia ſcilicet facta eſt per modum cauſæ fiendæ, id eſt, in futurum, prout loquitur Azeved. *dict. conſil. 36. num 4.* quem refert D. Barboſ. *d. clauſ. 5. n. 10.* quia ſcilicet verba referuntur ad modum, ſecundum quem prima Religio in futurum utetur privilegio; veluti, quia conceditur ſub illa forma, *Concedo Societati JESU privilegia, quibus, ſeu prout Mendicantes utentur:* conceſſio enim, ſeu gratia hujuſmodi dependet ab uſu Mendicantium, juxta Reg. text. *in l. in delictis, §. ſi extraneus, ff. de noxa lib. action.* quam ad hoc induxit D. Barboſ. *cit. loc.* 4

QUÆSITUM VI.

Vtrùm privilegia odiosa & pœnalia Abbatibus, & Religiosis unius Congregationis concessa, extendantur per communicationem ad Abbates, & Religiosos alterius Religionis.

SUMMARIUM.

1 *Concessiones, in quibus pœna sunt constituta, dici debent potiùs statuta, quam privilegia.*
2 *Statuta non communicantur.*
3 *Odia restringi, favores convenit ampliari.*
4 *Papa alicui Ordini aliarum Religionum privilegia communicando, non intendit communicare pœnas, sed tantùm gratias.*

1 RESpondeo negativè: Nam ultra quòd hujusmodi concessiones, in quibus pœnæ sunt constitutæ, dici debent potiùs statuta, quàm privilegia: statuta autem non communicantur.

2 Præterea non est præsumendum, Summos Pontifices, concedendo privilegiorum communicationem, voluisse aliis Religionibus, ipsis invitis, concedere id, quod eisdem onus potiùs, quàm favorem allaturum esset; tum quia odia restringi, favores convenit amplia-
3 ri, *regul. Odia, de regul. jur. in 6. & in cap. sanè, de privileg.* dicitur, privilegia esse restringenda; quod intelligitur maximè de privilegiis odiosis. Neque possent Abbates, ut hujusmodi privilegia pœnalia, & odiosa, in quibus pœnæ statutæ sunt, in suis Conventibus, vel Congregationibus observentur, efficere per solam privilegiorum communicationem absque speciali Sedis Apostolicæ concessione.

4 Quando etenim Summi Pontifices alicui Congregationi, sive Ordini aliarum Religionum privilegia communicant, non intendunt communicare pœnas, sed tantùm gratias, ac ea, quæ sunt ipsi Congregationi, sive Ordini favorabilia, ejusdemque statui, communique vivendi modo non adversantur, ut sunt nonnulla privilegia alicui laxiori Religioni concessa, quæ strictiori Regulari observantiæ maximè contrariantur.

Quapropter etsi indultu communicationis talis limitatio non apponatur; tamen semper erit intelligenda; ne quod in favorem, seu commodum Congregationis alicujus est concessum, contra ipsam, seu in ipsius incommodum, & odium retorqueatur, contra Regulam juris, *in cap. quod novale. junct. gloss. de verb. signific. & c. quòd ob gratiam de Regul. jur. in 6.*

QVÆSITUM VII.

Vtrum privilegium concessum uni Religioni, si communicetur alteri, & de primo privilegio non appareat, prodesse possit in aliquo talis communicatio secunda.

SUMMARIUM.

1 *privilegii communicatio, ubi fit per verba generalia, non exprimendo illud, quod relatum continebat, tunc referens nihil omninò valet.*
2 *Referens est in ipso relato.*
3 *Dispositio referens restringitur, & limitatur secundùm privilegia antiqua, ad quæ fit relatio.*
4 *Referens non probat, nisi constet de relato.*
5 *Privilegii in communicatione, si exprimatur illud, quod primum continebat, tunc licèt privilegium non appareat, eo tamen gaudet secundum, cui communicatum est.*
6 *Intellige ubi fieret specifica, & certa mentio ab habente potestatem de novo concedendi.*

QVando privilegii communicatio fit per verba generalia non exprimendo illud, quod primum privilegium, ad quod refertur, continebat; tunc referens, tanquam incertum, nihil omninò valet, juxta regulam text. *in authent. si quis in aliquo, C. de eden.* & quæ resolvunt, aliàs sic intelligendi, Azeved. *cons. 36. numer. 2.* Cabed. Lusitan. *decis. 95. numer. 9. part. 2.* Erasmus à Chokier. *de jurisd. Ordin. in exempt. part. 4. quæst. 70. num. 6.* prout illos sic declarandos esse censet D. Barbos. *de claus. usufrequen. claus. 5. n. 7. secundum Lugdunen. impress.* 1

Ratio est, quia cùm referens sit in ipso relato, *l. asse toto. ff. de hæred. instit.* cum similibus, de quibus Peregrinus *de fidei commiss. art. 16. num. 2 cum seqq.* Marsil. *consil. 247. num. 3.* Octav. Glorit. *respon. 1. part. 3. n. 137.* & dispositio referens restringatur, & limitetur 2
secundùm privilegia antiqua, ad quæ fit relatio, Rota 3
decis. 401. num. 6. part. 5. Divers.

Ideò nil mirum, si referens non probat, nisi constet de relato, ut concludit Surd. *consil. 5. n. 57.* quem refert D. Barbos. *in responso pro privilegio à S. D. N. Vrbano VIII. sibi concesso, in vers. sed cùm dispositio.* 4

Si verò in communicatione privilegii exprimatur illud, quod primum continebat; tunc licèt privilegium non appareat; eo tamen gaudet secundum, cui communicatum est, ex Felin. & Mandos. *in tract. de privileg. ad instar. quæst. 5.* observat benè explicans Suarez *de leg. lib. 8. cap. 15. num. 6. & 7.* advertens ex Bald. hoc casu magis absolutum esse privilegium, & pingvius providere communicationem, quàm si privilegium appareret; quia secundum illud debet communicatio restringi, ex Rota *suprà alleg.* & ita in terminis concludit D. Barbos. *d. claus. 5. num. 7.* 5

Intellige, ut procedat hæc resolutio, ubi fieret specifica, & certa mentio ejus, ad quod fit relatio, ab habente potestatem de novo concedendi, sicuti ex Abbate, *in cap. examinata, de confirmat. util.* & Felin. *in cap. ex parte, num. 14. vers. secus si sit, de rescript.* docet Erasm. à Chokier. *d. quæst. 70. n. 6.* quem refert D. Barbos. *dicta claus. 5. num. 7. in fine.* 6

DISPVTATIO XVIII.

De Communicatione Privilegiorum Abbatum, & aliorum Prælatorum inferiorum.

Quæst. I. *Privilegia Abbatum, & aliorum Prælatorum, necnon Regularium, an, & quando censeantur confirmata in forma communi, & ex certa scientia, & quæ inter utramque confirmationem differentia constituatur.*

II. *Privilegia Abbatum & aliorum Prælatorum, & Regularium, qualiter innovata dicantur, & quos effectus illis hæc tribuat innovatio.*

III. *Vtrùm Abbatum, & aliorum Prælatorum, necnon eorundem Ordinum, & Congregationum privilegia fuerint aliquando, & qualiter sint hodie à Sede Apostolica confirmata.*

IV. *Vtrum confirmatis, vel sublatis privilegiis unius Abbatiæ, aut Conventus, censeantur confirmata, vel sublata privilegia ad instar illorum alteri Abbatiæ, vel conventui concessa.*

V. *Vtrùm*

V. *Utrùm confirmatio ex certa ſcientia privilegiorum, alicui Religioni conceſſorum, comprehendat ea privilegia, quæ in uſu non erant.*

VI. *Clauſulæ in privilegiis, & eorum confirmationibus, ac innovationibus inſertæ, qualiter declarandæ, & interpretandæ veniant, & ſub quibus Regulis interpretatio hæc fieri debeat.*

QUÆSITUM I.

Privilegia Abbatum, & aliorum Prælatorum nec non Regularium, an, & quando cenſeantur confirmata in forma communi, & ex certa ſcientia, & quæ inter utramque confirmationem differentia conſtituatur.

SUMMARIUM.

1 *Confirmatio eſt juris quæſiti corroboratio.*

2 *Confirmatio dicitur fieri, vel in forma communi, vel ex certa ſcientia.*

3 *Confirmatio in forma communi, eſt quando Pontifex de negotio non plenè inſtructus confirmat privilegium in eo ſtatu, & prout antea erat.*

4 *Confirmatio ex certa ſcientia eſt, quando tenor privilegii inſeritur in ipſa confirmatione, vel quando conſtat, quòd Pontifex ſciens privilegia illa, prudens, & volens confirmavit.*

5 *Confirmatio nunquam præſumitur facta ex certa ſcientia.*

6 *Confirmatio, utrùm dicenda ſit in forma communi, vel ex certa ſcientia, quando clauſula* (Ex certa ſcientia) *adjicitur, & tamen tenor privilegii inſertus non eſt, diſſeritur.*

7 *Confirmatio ex certa ſcientia confirmat actum nullum, eique novum robur tribuit, & validitatem.*

8 *Confirmatio in forma communi non reddit actum validum, ſed illum confirmat, prout antea erat.*

9 *Confirmatio in forma communi non ſuffragatur, ſi non conſtat de privilegio confirmato, & intelligitur, ſalvo jure tertii, & quatenus valida ſit, & recipit eandem interpretationem, & objectiones, quas privilegium confirmatum.*

1 CONfirmatio communiter diffiniri ſolet, quòd ſit juris quæſiti corroboratio, ut colligitur, ex Dec. *in rubr. de confirmat. util à num.* 6. & *ibi*, Bero. *à n.* 3. Cardin. Tuſch. *tom.* 2. *litt. C. concl.* 705. Cabed. Luſitan. *deciſ.* 1. *num.* 4. *part* 2. Suarez *de leg. lib.* 8. *cap.* 18. *num.* 2. D. Barboſ. *in collect. ad C. cùm dilecta* 4. *numer.* 8. *de confirmat. utilis.*

2 Fieri autem dicitur confirmatio, vel in forma com-
3 muni, vel ex certa ſcientia. In forma communi eſt, quando Pontifex de negotio non plenè inſtructus, confirmat contractum, vel privilegium in eo ſtatu, & prout antea erat, vel collationem beneficii, prout antea erat, juſtè, & pacificè poſſidebatur, ut explicat Pontifex *in c. quia diverſitatem, verſ. non obſtante, de conceſſ. præbend.* ibi, *ſub forma communi, quæ confirmat beneficium, & præbendas ſicut juſtè, & pacificè poſſidentur*, & *in cap. examinata de confirmat. util.* ubi *confirmaverat illud ſicut providè latum*, &c.

4 Dicitur autem fieri ex certa ſcientia, quando fit cum perfecta notitia totius negotii, & omnium ejus circumſtantiarum, veluti quando tenor totius privilegii, aut inſtrumenti inſeritur in ipſa confirmatione juxta text. *in cap. penult. de confirm. util.* ut reſolvunt Octav. Glorit. *reſpon.* 1. *part.* 1. *num.* 23. Card. Tuſch. *litt. C. concl.* 341. *n.* 7. & plures citati à D. Barboſ. *in tract. de clauſul. uſufrequen. clauſul.* 59. *num.* 61. & cenſuit Rot. *decıſ.* 340. *part.* 4. *Diverſ. & deciſ.* 339. *n.* 2. *Recent.* Vel ſi aliàs conſtat, quod Pontifex ſciens privilegia, aut contractus effectus, ſeu nullitates illa prudens, & volens confirmavit, & ita cum cauſæ cognitione, ut
5 poſt multos obſervat. D. Barboſ. *d. Clauſul.* 59. *n.* 59. *&* 63. in dubio enim nunquam præſumitur confirmationem factam fuiſſe ex certa ſcientia, ut multis citatis probat idem D. Barboſ. *in collectan. ad cap. cùm dilecta, num.* 13. *de confir. util.* Rota *deciſ.* 192. *numer.* 3. *part.* 1. *recent.* & *in Cæſaraugustana Camerariæ* 26. *Novembris* 1632. *coram R. P. D. Pirovano, quæ in fine operis eſt deciſ.* 78. *num.* 7.

Inter Doctores non leviter controverſum eſt, utrùm confirmatio dicenda ſit in forma communi, vel ex certa ſcientia, quando clauſula *Ex certa ſcientia*, adjicitur, & tamen tenor privilegii, vel contractus, aut rei confirmatæ inſertus non eſt. 6

In qua quæſtione communis tenet ſententia, ex certa ſcientia factam judicari propter illam clauſulam, ut ex Abb. Dec. & pluribus aliis teſtatur Garſ. *de benef. part.* 3. *cap.* 2. *num.* 230. Suarez *d. cap.* 18. *num.* 6.

Contrarium verò affirmant alii, & in ſacra Rota reſolutum fuiſſe conſtat ex deciſionibus relatis ab eodem Garſ. *cit. loc. num.* 231. cum quo reſolve ex ibi dictis per eum, *n.* 236. quem refert, & ſequitur D. Barboſ. *in collect. ad dictum cap. cùm dilecta, num.* 17. quòd agimus de hujusmodi confirmatione ad effectum confirmandi actum nullum, & rectè procedit communis, quòd per hanc clauſulam, *Et certa ſcientia*, actus nullus validus redditur, ſi Princeps de nullitate veriſimiliter habebat notitiam.

Vel agimus de ea clauſula ad effectum tollendi defectum intentionis, & ſurreptionis, & procedunt contrariæ Rotæ deciſiones, eſt recepta doctrina in hunc ſenſum ex Gabriel. *commun. tit. de clauſul. concl.* 1. *num.* 61. *cum ſeqq.* Guttier. *conſ.* 11. *num.* 13.

Inter utramque confirmationem receptiſſima eſt, & notiſſima differentia; nam illa ex certa ſcientia, confirmat actum nullum, eique novum robur tribuit, & validitatem, juxta text. *in cap.* 1. *de tranſact.* & quæ notat. D. Barboſ. *in collect. ad dictum cap. cùm dilecta, num.* 18. Et quòd per confirmationem ex certa ſcientia quæ valuerunt, approbantur, quæ valida non ſunt, recipiunt robur ex confirmatione: & quæ nullam habent relationem ad ea, quæ præceſſerunt, de novo conceduntur, declarat magiſtraliter Dec. *conſ.* 341. *n.* 7. & prius in ſubſtantia dixerat Rota apud Caſſador. *deciſ. unic. de confirmat. util. vel inutil.* & hodie pro indubitato admittitur per eandem Rotam, ut apud Seraphin. *deciſ.* 1432. *n.* 1. *& d. deciſ* 192. *num.* 2. *part.* 1. *recent. & in d. Cæſaraugustana Camerariæ coram R. P. D. Pirovano, num.* 8. 7

Quæ autem fit in forma communi non reddit actum validum, ſed illum confirmat prout antea erat, & in eodem robore, & ſtatu illum relinquit, juxta *d. c. quia diverſitatem, & d. c. examinata*, cum ſimilibus, quæ adduxit Suarez *d. c.* 18. *num.* 8. Rot. *deciſ.* 192. *n.* 2. *part.* 1. *Recent & deciſ.* 405. *n.* 1. *part.* 2. *Recent.* neque extendit confirmatum, ex eadem Rot. *deciſ.* 11. *n.* 2. *d. part.* 2. *Recent.* 8

Et quod confirmatio in forma communi non ſuffragatur, ſi non conſtet de privilegio confirmato, & intelligitur, ſalvo jure tertii, & quatenus valida ſit, & recipit eandem interpretationem, & objectiones quas privilegia confirmata, Caſſad. *deciſ.* 1. *de confirmat. util. vel inutil.* Bertrand. *conſil.* 181. *num.* 3. *lib.* 3. *part.* 3. & Rota *deciſ.* 702. *num.* 6. *&* 7. *part.* 1. *diverſ.* cum aliis *in d. Cæſaraugustana Camerariæ coram R. P. D. Pirovano, num.* 5. 9

Quos autem effectus operetur hæc confirmatio in forma communi, tradit D. Barboſ. *in collect. ad d. cap. cùm dilecta, n.* 22. *&* 23. quos ſimiliter operetur illa, ex certa

ex certa ſcientia, latè oſtendit: idem D. Barboſ. *in tract. de clauſ. uſufrequen. clauſ. 59. per totam, ſecundùm Lugdunen. impreſſ.*

QUÆSITUM II.

Privilegia Abbatum, & aliorum Prælatorum Regularium qualiter innovata dicantur, & quos effectus illis hæc tribuat innovatio.

SUMMARIUM.

1 *Innovatio privilegiorum novum jus non tribuit, ſed ſolùm antiqvum conſervat.*

2 *Innovatio dicitur nova conceſſio, quæ actus extincti redintegrationem importat.*

3 *Privilegium aliquando accipitur pro charta, ſeu inſtrumento, in quo gratia, aut conceſſio Principis continetur, aliquando verò pro conceſſione ipſa in charta contenta.*

4 *Innovatio nihil juris de novo tribuit, ubi agitur de innovatione ſolius chartæ deperdita, vel nimia vetuſtate conſumptæ.*

5 *Innovatio gratiæ in forma communi fit de actu prout eſt, & nihil mutat de eo ſtatu, in quo antea erat.*

6 *Novum jus tribuitur, & de novo privilegium reintegratur, quando conſtiterit Principem voluiſſe ex certa ſcientia ipſam gratiam, ſeu conceſſionem in charta contentam innovare.*

1 QVemadmodum *præcedenti Quæſito, num. 3.* diximus, confirmationem privilegii in forma communi nullum jus tribuere, ſed quod antea erat, conſervare, *cap. preceptis*, ibi, *non novum aliquid 12. diſt. cap. inter dilectos, verſ. cæterum, de fide inſtrumentorum*; ſic eodem modo innovatio privilegiorum novum jus non tribuit, ſed ſolùm antiqvum conſervat, juxta text. *in d. cap. cùm dilecta, verſ. nolentes*, & *in cap. ex part. 13.* & *in cap. quia intentionis 29. de privileg.* & quæ latè docent, Eman. Roderic. *qq. Reg. tom. 1. quæſt. 8. art. 2.* Suar. *de legib. lib. 8. cap. 20. per totum.*

2 Verùm contra hanc reſolutionem obſtat maximè argumentum deſumptum ex proprietate ipſius nominis *Innovatio*, quæ novam conceſſionem, & actus extincti redintegrationem importat, ut per text. *in l. dies 4. in principio. ff. de damno infecto*, ibi, *renovare, vel protelare*; ubi notant ſcribentes communiter referentes renovationem ad id, quod jam finitum eſt ſecundùm Tiraquell. *de retract. conventionali*, §. 1. Gloſſ. 7. *à num. 24.* Guttier. *de juramento confirmatorio, part. 1. cap. 49.*

3 Pro reſolutione igitur advertere oportet, privilegium aliquando accipi pro charta, ſeu inſtrumento, in quo gratia, aut conceſſio principis continetur; aliquando verò pro conceſſione ipſa, ſeu gratia, & pro eo, quod in charta, ſeu inſtrumento continetur; differunt enim ſicut continens, & contentum, ut ex text. *in l. non figura, ff. de actionib.* colligit, & benè explicat Surd. *conſ. 144. num. 13.*

4 Juxta quam duplicem acceptionem poteſt intelligi quæſtio de innovatione privilegii; nam ſi agatur de innovatione ſolius chartæ, ſeu inſtrumenti, quia, vel nimia vetuſtate conſumpta eſt, juxta text. *in d. cap. cùm dilecta*: vel quia eſt deperdita, juxta text. *in cap. cum olim 12. de privileg.* certum eſt, quod talis innovatio nihil juris de novo tribuit, & procedunt text. *in d. cap. cùm dilecta*, & *in d. cap. ex parte*, & *in d. cap. quia intentionis*, cum ſimilibus.

Ratio facilis eſt, quia hujuſmodi innovatio ſolùm fit ad faciliorem probationem ejus, quod in privilegio continebatur, & juxta ejus tenorem eſt facienda: nihil omnino addito, vel etiam detracto; ac ſubinde intentio principis hanc innovationem fieri concedentis, non eſt quidquam de novo tribuere, vel conceſſionem extendere, aut novum robur adjicere; ſed ſolùm tenorem ejus, quod antea erat conceſſum in ſcripturam redigere ad faciliorem probationem, juxta *l. contrahitur, ff. de pignor.* & ita explicat Suarez *d. cap. 20. n. 3.* & D. Auguſt. Barboſ. *in collect. in d. cap. cùm dilecta, numer. 12.*

5 Quando verò agitur de innovatione ipſius gratiæ, ſeu privilegii, quatenus importat formalem ipſam conceſſionem, videtur applicanda diſtinctio, quam circa confirmationem *præcedenti Quæſito* tradidimus, & ad inſtar illius eſt regulanda, ut tradit D. Auguſt. Barboſ. *d. loc. num. 12.* & ita ſi innovet in forma communi dicitur innovare actum prout eſt, & nihil mutat de eo ſtatu, in quo antea erat, ut advertit Suarez *d. cap. 20. numer. 5.* Obſervans hanc privilegii innovationem factam in forma communi etiam ſi gratiam & conceſſionem ipſam reſpiciat, novum jus non tribuere, ſubditque hunc modum innovandi privilegia, in uſu non eſſe.

6 Quando verò conſtiterit non ſolùm chartam innovari, ſed voluiſſe Principem ex certa ſcientia ipſam gratiam, ſeu conceſſionem in charta contentam innovare; non poteſt dubitari novum jus tribui, & privilegium etiam tempore, & alia cauſa amiſſum, reſtitui, & denuò reintegrari; ſic probatur in primis ex recepta doctrina de proprietate innovationis de qua ſupra; & ulteriùs confirmatur ex dictis *in Quæſito præcedenti* circa confirmationem ex certa ſcientia, quæ majori cum ratione in innovatione procedunt, ac proinde, ſi confirmatio ex certa ſcientia novum jus tribuit, ut ibi diximus, à fortiori, & innovatio ex certa ſcientia, ut poſt Abbatem, & Felinum comprobat Eman. Roder. *d. q. 8. n. 2.* atteſtatus, ſic tenere famoſos Doctores Salamanticæ, & poſt eum Suarez *d. cap. 20. à num. 8.*

QUÆSITUM III.

Vtrùm Abbatum, & aliorum Prælatorum, necnon eorundem Ordinum, & Congregationum privilegia fuerint aliquando, & qualiter ſint hodie à Sede Apoſtolica confirmata.

SUMMARIUM.

1 *Canonici Regulares Lateranenſes ſuorum privilegiorum confirmationem à multis Summis Pontificibus, & poſtremo à Paulo V. & Gregorio XV. obtinuerunt.*

2 *Canonici Regulares S. Salvatoris Bononien. habent ſua privilegia confirmata à Sede Apoſtolica, & præſertim à Julio II.*

3 *Canonicorum ſæcularium S. Gregorii in Alga, privilegia confirmata fuere à Pio V.*

4 *Congregatio Caſinen. etſi per multos Summos Pontifices ſua retineat privilegia confirmata, tamen eorumdem privilegiorum memorabilis eſt Bulla confirmationis Eugenii IV.*

5 *Monachi S. Benedicti de Obſervantia Hiſpaniarum, confirmationem ſuorum privilegiorum per Clem. VIII. aſſecuti ſunt.*

6 *Monachi Valliſoleti à Clem. VIII. ſua privilegia confirmari, & roborari obtinuerunt.*

7 *Ordo Camaldulen. & Congregatio Sancti Michaëlis de Murano ejuſdem Ordinis confirmationem ſuorum privilegiorum à Gregorio XIV. ſortiuntur.*

8 *Congregatio noſtra Vallis Umbroſa per multos Summos Pontifices ſua privilegia confirmata, & roborata retinet, præcipuè per Innocentium II. Cœleſtinum II. Eugenium III. Anaſtaſium IV. Alexandrum III. Julium II. & alios multos.*

9 *Monachorum Ciſtercienſium Congregationis ſancti Bernardi in Italia privilegia confirmata ſunt à Gregorio XIV.*

10 *Mo-*

10 *Monachi Cistercien. Reformati Congregationis B. Mariæ Fulien, habent sua privilegia confirmata per Sixtum V.*

11 *Congregationis Celestinorum privilegia à Sede Apostolica antiquitus confirmata sunt, & novissimè à Paulo V. & S. D. N. Urbano VIII.*

12 *Congregatio Montis Oliveti, licèt ab aliis Summis Pontificibus suorum privilegiorum confirmationem adepta sit, tamen specialissimam eorundem privilegiorum confirmationem à Julio II. consecuta est.*

13 *Congregatio Monachorum B. Mariæ Montis Virginis ab Urbano IV. obtinuit sua privilegia confirmari.*

14 *Cruciferorum privilegia à Gregorio XIV. confirmata, & revalidata fuerunt.*

15 *Carthusianorum privilegia sæpè à Sede Apostolica, & præcipuè à Sixto V. confirmata fuere.*

16 *Congregatio S. Hieronymi de Fesulis per Gregorium XIII. habet sua privilegia, & indulta approbata, & confirmata.*

17 *Monachorum S. Basilii exemptiones, & gratia, & privilegia à Gregorio III. confirmantur.*

18 *Premonstratea. Provincia regnorum Hispaniarum à Clemente VIII. sua privilegia confirmari impetrant.*

19 *Ordo S. Hieronymi Regnorum Hispaniarum, à pluribus Summis Pontificibus sua privilegia confirmari, & roborari meruit.*

20 *Fratrum S. Antonii Viennen. privilegia à Clemente VIII. confirmantur.*

21 *Fratres Eremitæ Congregationis B. Petri de Pisis, à Pio V. Privilegiorum suorum confirmationem acceperunt.*

22 *Ordo Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum assecutus est suorum privilegiorum confirmationem à Gregorio XIII.*

23 *Religiosorum Fratrum Prædicatorum, & Fratrum Minorum plurimæ privilegiorum suorum confirmationes permixtim recensentur.*

24 *Ordo B. Mariæ de monte Carmelo habet sua privilegia confirmata à Pio V.*

25 *Ordo Servorum B. Mariæ per Bullam Pii V. suorum privilegiorum confirmationem obtinuit.*

26 *Ordo Eremitarum S. Augustini sua privilegia aliàs à Sede Apostolica confirmata, obtinuit iterum reconfirmari à Julio II.*

27 *Ordo Minorum Conventualium à Paulo III. sua privilegia confirmata tenet.*

28 *Congregationis Jesuatorum per Bullas Pii V. & Gregorii XIII. privilegia confirmata, & revalidata extant.*

29 *Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula privilegia confirmata sæpè fuerunt à Summis Pontificibus, & specialiter à Julio III.*

30 *Fratrum Tertii Ordinis Sancti Francisci privilegia à Sixto IV. & Nicolao V. & Paulo II. confirmata fuere.*

31 *Fratres devoti Joannis Dei confirmationem privilegiorum sui Ordinis à Paulo V. obtinuerunt.*

32 *Societas* JESU *à pluribus Summis Pontificibus, & præsertim à Gregorio XIII. suorum privilegiorum confirmationem est adepta.*

33 *Clericorum Regularium de Sommascha, privilegia confirmata fuerant à Clemente VIII.*

34 *Clerici Regulares Theatini à Clemente VII. Paulo III. Julio III. Paulo IV. & Paulo V. suorum privilegiorum confirmationem impetrarunt.*

35 *Duodecim Religiones, & Congregationes non Mendicantes suorum privilegiorum sæpe confirmationem obtinuerant, præcipuè à Clemente VIII. & Paulo V.*

36 *Mendic. & non Mendic. privil. omnia confirmata sunt.*

37 *Privilegia ab uno Summo Pontifice concessa, possunt à successoribus ad eorum libitum revocari.*

38 *Privilegia Regularium immutabilia non sunt, nisi ea quantum à Summis Pontificibus non revocantur.*

39 *Privilegia Regularium an aliquando revocata fuerint, & præcipuè, in Lateranen. Concilio sub Leone X.*

40 *Statuta Concilii Lateranensis sub Leone X. contra privilegia Regularium recensentur.*

41 *Privilegia Regularium in Concilio Lateranen. sublata, quomodo, & à quibus revalidata fuerint.*

HIs circa privilegiorum confirmationem, & innovationem præmissis, ad singulas Ordinum, & Congregationum confirmationes descendamus: & confirmationes illæ particularium Ordinum, quæ hic non habentur, videantur in *antecedenti Disputatione* de communicatione privilegiorum, ubi ferè semper cum ipsa communicatione conjungitur & confirmatio.

Canonici Regulares Lateranenses, qui variis Sedis Apostolicæ gratiis, & privilegiis, & exemptionibus præditi sunt, particularium suorum Monasteriorum, confirmationem suorum privilegiorum, obtinuerunt, præcipuè pro Basilica S. Joannis Lateranen. & pro Canonica S. Frigdiani Lucensis, & pro Canonica S. Mariæ de Rheno, & aliis quamplurimis Ecclesiis, & Abbatibus, omnimodam totius Congregationis confirmationem privilegiorum obtinuerunt à Paulo III. ut apparet in Bulla ejusdem Pontificis, sub Datum Romæ apud sanctum Marcum, die 16. Augusti 1539. Pontificatus sui 5. & in alia Bulla, sub Datum Romæ apud S. Petrum, die 23. Aprilis 1541. Pontif. sui 7. quæ Constitutiones, & diplomata, tam pro particularibus Monasteriis, quam pro tota Congregatione, extant in libro privilegiorum ejusdem Ordinis, in quo multæ aliæ confirmationes privilegiorum, pro eadem Religione, passim inspiciuntur. 1

Præter confirmationes supradictas extat novissima confirmatio eorundem privilegiorum à Paulo V. edita, ut in Bulla ejusdem authentica habetur, quam vidi apud Reverendissimum D. Andream Fossam Genuensem, Sanctæ Mariæ Pacis Romæ Abbatem meritissimum, virum eruditissimum, & verbi Dei Prædicatorem undique celebrem, quæ Bulla incipit: *Paterna Nostra*, sub datum Romæ apud S. Petrum die 28. Novembris anno 1605. Pontificatus autem 1. Postremò verò à Gregorio XV. omnia privilegia ejusdem Congregationis, confirmata, & Apostolica Auctoritate roborata sunt, ut per Bullam subsequentem.

GREGORIUS PAPA XV.

Ad perpetuam rei memoriam.

INjuncti Nobis Apostolici muneris ratio postulat, ut Sacratum Religionum gratos Domino fructus assiduè præstantium paternam curam gerentes, Privilegia, gratias, & indulta illis à Romanis Pontificibus prædecessoribus Nostris concessa, quò validiùs perpetuò subsistant, Apostolicæ confirmationis robur libenter communiamus. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Jacob. à Bononia Procurator Generalis Canonicorum Regularium Congregationis Lateranen. Ordinis S. Augustini, quòd nonnulla Monachorum Congregationis Casinensis, Ordinis S. Benedicti, & alia diversa privilegia, gratiæ, & indulta, à diversis Romanis Pontificibus prædecessoribus Nostris, eidem Congregationi Lateranensi, tam per viam communicationis, & extensionis, quàm aliàs concessa, 51

cessa fuerunt. Cùm autem, sicut eadem expositio subjungebat, Jacobus prædictus plurimum cupiat privilegia, gratias, & indulta hujusmodi pro eorum majori validitate, & subsistentia, Apostolicæ nostræ confirmationis robore communiri, & alia privilegia eidem Congregationi Casinensi hucusque concessa, dictæ Congregationi Lateranensi concedi: Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut super præmissis opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur Jacobum prædictum specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, ipsumque, ac singulares dictæ Congregationis personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt; ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes: hujusmodi supplicationibus inclinati, omnia, & singula privilegia, gratias, & indulta prædicta per quoscunque Romanos Pontifices prædecessores Nostros eidem Congregationi Lateranensi, tam per viam communicationis, & extensionis, quàm aliàs, ut præfertur, concessa, dummodo tamen sint in usu, & non sint revocata, neque sub aliquibus revocationibus comprehensa, sacrisque Canonibus, & Concilii Tridentini Decretis, & Romanorum Pontificum prædecessorum Nostrorum, ac Nostris Constitutionibus non adversentur, Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuò approbamus, & confirmamus; illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac, quatenus opus sit dictæ Congregationi Lateranensi de novo concedimus. Præterea eidem Congregationi Lateranensi, aliisque Abbatibus, Superioribus Canonicis, aliisque personis, quòd omnibus, & singulis aliis privilegiis, gratiis, & indultis tam spiritualibus, quam temporalibus, tam eidem Congregationi Casinensi in hunc usque diem, quàm Congregationi Canonicorum Regularium S. Salvatoris Bononiensis, illarumque Abbatibus, Superioribus, personis quibuscunque etiam, ut præfertur, aut aliàs quomodolibet per quoscunque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac etiam Nos concessis, ac quibus utuntur, fruuntur, & gaudent, ac uti, frui, & gaudere possunt, & poterunt quomodolibet in futurum, dummodo similiter sint in usu, & non sint revocata, neque sub aliquibus revocationibus comprehensa, nec sacris Canonibus, ac Concilii prædicti Decretis, aut Constitutionibus Apostolicis repugnent, pari modo uti potiri, & gaudere liberè, & licitè valeant, auctoritate, & tenore præsentium etiam concedimus, & indulgemus, Decernentes præsentes literas perpetuò validas, firmas, & efficaces existere, & fore, ac primo dictæ Congregationi, aliisque prædictis in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari: Sicque per quoscunque Judices ordinarios, & Delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstante Nostra de gratiis ad instar non concedendis, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit Ordinis, & Congregationis hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis eorum omnium tenores præsentibus pro plenè & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Anulo Piscatoris, die 23. Augusti 1622. Pontificatus nostri Anno 2.

S. Card. S. Susanna.

Congregationis Canonicorum S. Salvatoris Bononien. privilegia confirmata sunt sæpè à sede Apostolica, & præcipuè à Julio II. per Bullam, (quam ipsi Privilegium magnum vocant) sub Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ 1512. quarto nonas Aprilis, Pontificatus sui 9. habetur hoc memorabile privilegium *in lib. privilegiorum Cleric. Canonic. Lateranen. Mediolan. impress. pag. 395.* in his verbis, rem præsentem concernentibus: 2

Sanè cùm sicut accepimus aliàs plura, immunitates, & diversa privilegia, gratiæ, favores, & indulta spiritualia, & temporalia per diversos Romanos Pontifices prædecessores nostros, præfatæ Congregationi, illiusque Monasteriis, locis, personis, bonis, & rebus concessa fuerint, Nos cupientes, ut dilectus filius modernus, & pro tempore existens Prior Generalis dictæ Congregationis, & Canonici præfati, & eorum curæ commissi eò potiùs possint Domino in ejus beneplacitis famulari, quò cognoverit hujusmodi privilegia, & immunitates pro illorum subsistentia firmiori, etiam Nostræ approbationis robore communiri, ac etiam Prioris Generalis, & Canonicorum, ac Congregationis hujusmodi commoditatibus, & augmento, statuique prospero, & felici, quantum cum Deo possumus adjuvare, salubriter consulere, ipsoque Generalem Priorem, & Canonicos, & Congregationis hujusmodi singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes; & absolutos fore censentes; Ac omnia, & singula Monasteria dictæ Congregationi, quàm beneficia Monasteriis dictæ Congregationis unita, annexa, incorporata, & possessa, ac quæcumque alia, & singula privilegia, gratias, favores, immunitates, exemptiones, & indulta, tam spiritualia, quàm temporalia, eidem Congregationi, ac illius Monasteriis, locis, & Personis sub quibuscunque tenoribus, & per quoscunque Romanos Pontifices, Imperatores, Reges, Principes, & quoscunque alios Christi Fideles concessa, illorumque omnium tenores, ac si de verbo ad verbum præsentibus insererentur, eisdem præsentibus pro expressis habentes, Motu proprio, non ad Prioris Generalis, & Canonicorum prædictorum, vel alicujus alterius pro eis Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam; sed de Nostra mera liberalitate, & deliberatione, certaque scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, literas omnes, ordinationes, Constitutiones, & consuetudines, quibus ipsa Congregatio regitur, & gubernatur, ac omnia, & singula alia privilegia, gratias, favores, immunitates, exemptiones, & indulta hujusmodi, auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & innovamus, ac perpetuæ firmitatis robur obtinere, atque omnia, & singula, inviolabiliter observare decernimus.

Canonici Seculares sancti Georgii in Alga, suorum privilegiorum quorumcunque confirmationem sortiti sunt per Bullam Pii V. sub datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1569. tertio Idus Decembris, Pontificatus sui 4. quæ est 92. in ordine inter Constitut. ejusdem, *tom. 2. Bullar. nov. Laert. Cherub.* in verbis ad rem nostram spectantibus, scilicet: 3

Sed ex certa scientia, & mera deliberatione Nostris, auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuò

petuò omnes, & singulas Constitutiones, ac ritus, & mores, aliaque Regularia ipsius Congregationis instituta quoad ea, quæ sacris Canonibus, & Decretis Concilii Tridentini contraria non sunt, ita quòd Rector, & Canonici prædicti in processionibus, & actibus publicis præcedant, prout antea soliti erant, necnon concessiones, gratias privilegia, & indulta ipsis Congregationi, ac Rectori, & Canonicis per quoscunque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac Nos, & Sedem eamdem principaliter, sive per viam communicationis, aut aliàs quomodolibet concessa, confirmamus, ac illa de novo, necnon etiam omnia & alia per ipsos prædecessores, ac Nos quibusvis Ordinibus, & Religionibus, etiam Fratrum Mendicantium hactenus quomodolibet concessa, & de cætero concedentur, eisdem Rectori, & Canonicis, & Congregationis gratiosè concedimus, ac confirmata, & concessa esse volumus.

4 Congregatio Casinen. aliàs Sanctæ Justinæ de Padua, quamvis per multos Pontifices, suorum privilegiorum confirmationem obtinuerit; tamen, memorabilis est confirmatio privilegiorum ejusdem Congregationis ab Eugenio IV. obtenta, ut apparet in Bulla ejusdem Pontificis, sub Datum Florentiæ, anno 1431. Pontificatus sui 1. ita elicitur ex *Compend. privileg. ejusdem Congregat. concess.* 12. *&* 27. sicut etiam memorabilis dici potest eorundem privilegiorum confirmatio, ab Innocentio VIII. facta, anno Domini 1485. Pontificatus sui 2. ex eodem *Compend. privileg. Casinen. concess.* 45. *&* 48. fuerunt etiam confirmata supradicta privilegia ab Alexandro VI. anno Domini 1501. 17. Kal. Aprilis Pontificatus sui 8. ex eodem *Compend. privil. concess.* 49.

5 Congregatio Monachorum Ordinis S. Benedicti de Observantia Hispaniarum à diversis Summis Pontificibus habet privilegia concessa, & confirmata, & nuper per Clementem VIII. innovata, & confirmata anno Domini 1593. Pontificatus sui anno 3. Datis Romæ apud Sanctum Marcum, sub Anulo Piscatoris, ex Roderic. *in collect. Bullar. tom. 2. ejusdem Clement. Bullar.* 23.

6 Congregatio Monachorum Vallisoleti à pluribus Summis Pontificibus confirmata habet sua privilegia, & postremò à Clemente VIII. confirmata, & roborata fuerunt anno 1582. Pontificatus sui anno 1. ut per Eman. Roderic. *in collect. Bullar. tom. 2. Bullar.* 21. *Clem. VIII.* quæ incipit: *Romanus Pontifex*, sub Datum Tusculi sub Anulo Piscatoris, die 5. Septembr.

7 Ordo Camaldulen. & Congregatio Eremitarum S. Michaëlis de Murano retinet sua privilegia confirmata à Gregorio XIV. ut apparet ex Bulla dicti Pontificis, quæ incipit: *Exinjuncto Nobis desuper.* Datum Romæ apud Sanctum Marcum, sub Anulo Piscatoris, die 24. Septembris 1591. Pontificatus sui anno 1. ut per Laert. Cherub. *Bullar. nov. tom. 2. Bulla ejusd. Pont.* 18. §. 9. cujus formalia verba sunt:

Quare pro parte Generalis, & Visitatorum, ac Prioris Eremi, necnon Congregationis ejusdem Eremi, ac S. Michaelis de Murano hujusmodi, Nobis fuit humiliter supplicatum, ut singulis prædictis, cæterisque in eisdem literis contentis robur nostræ approbationis adjicere, & aliàs in præmissis opportunè providere, de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur eosdem Generales, & Visitatores, ac Priorem Eremi, necnon Congregationem ejusdem Eremi, & sancti Michaëlis de Murano, ac singulares personas Monasteriorum, & locorum eorundem, specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, precibus etiam Venerabilis Fratris nostri Ptolomæi Episcopi Tusculanen. S. R. E. Cardinales Comensis nuncupari, ejusdem Ordinis Camaldulensis Protectoris, inclinati, eosdemque Generalem, Visitatores prædictos à quibusvis communicationibus, & censuris, ac singularum literarum prædictarum veriores tenores, ac si de verbo ad verbum, nihil penitùs omisso, insererentur, præsentibus pro expressis habentes, cessiones, uniones, aggregationes, & incorporationes singulorum Monasteriorum, Ecclesiarum, Hospitalium, beneficiorum, & locorum quorumcunque, in eisdem prædecessorum literis, & præsertim Leonis X. expressorum, eisdem vestræ Congregationi vigore eorumdem indultorum Apostolicorum, & facultatum hujusmodi hucusque factas, & quæ effectum sortitæ sunt, ratas, & validas, ac efficaces existere, decernimus, & declaramus. Necnon uniones, aggregationes hujusmodi, ac omnia, & singula privilegia, facultates, indulta præmissa, prout expressa sunt, necnon omnia, & quæcunque alia privilegia, indulta, concessiones, exemptiones, immunitates, facultates, & gratias, tam spirituales, quàm temporales, Generali, Visitatoribus, Priori, & Congregationi, ac Ordini prædicto, necnon Monasteriis, Ecclesiis, domibus, & locis, illorumque singularibus personis, tam per dictos prædecessores, quàm aliàs quomodolibet dicta auctoritate Apostolica concessa; necnon singulas dictorum prædecessorum literas, ac omnia, & singula in illis contenta, & inde secuta quæcunque, quatenus sunt in usu, & prout hactenus observata fuerunt, Apostolica auctoritate prædicta, ex certa Nostra scientia, tenore præsentium approbamus, confirmamus, & innovamus, illisque perpetuæ, ac inviolabilis firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos tam juris, quàm facti, ac solemnitatum quarumcunque quomodolibet omissarum, aliosque defectus, (si qui forsan intervenerint) in eisdem supplemus; unionesque & aggregationes, ac omnia alia, & singula præmissa, & in eisdem literis contenta, & comprehensa, ac superiùs expressa, eisdem Generali, Visitatoribus, Priori, & Congregationi, ac Ordini prædictis, eorumque personis, & Ministris; & cuilibet eorum, auctoritate, & tenore prædictis, etiam de novo, etiam Motu proprio, & ex certa scientia Nostra, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine perpetuò concedimus, & indulgemus.

Nostra Congregatio Vallis-Umbrosæ à primordio suæ fundationis multa privilegia obtinuit à Sede Apostolica, quæ ab Innocentio II. aucta, & confirmata fuerunt anno Dominicæ Incarnationis 1130. Indictione octava, Pontificatus sui anno 1. ut videre est in ejus Bulla, quæ incipit: *Ad hoc universalis Ecclesia*, sub datum Pisis eodem anno supradicto; in hac enim Bulla, ad instantiam B. Atthonis, tunc nostræ Religionis Abbatis Generalis, deinde Episcopi Pistorien. edita, prædictus Innocentius omnia privilegia concessa à Victore III. Gregorio VII. Urbano II. & Paschale II. Romanis Pontificibus præfatæ nostræ Congregationi, confirmat. 8

Idem Innocentios II. in alia Bulla, quæ incipit: *Regulariter substituendis*, sub Datum Pisis eodem anno ad instantiam pariter B. Atthonis, eorumdem Pontificum privilegia Congregationi Vallis-Umbrosæ concessa, confirmat.

Cælestinus II. similiter confirmavit privilegia nostræ Congregationis, à prædictis Summis Pontificibus concessa, sicut testatur ejus Bulla, quæ incipit: *Apostolici moderaminis*, sub Datum Romæ apud S. Joannem Lateranen. 15. Kal. Martii, anno 1143. Pontificatus sui 1.

Eadem nostra privilegia postmodum confirmata fuere ab Eugenio III. ad instantiam Domini Gualdonis, tunc Vallis-Umbrosæ Abbatis Generalis, per Bullam, quæ incipit: *Ad hoc nobis*, sub Datum apud Murturam 10. Kalend. Februarii anno 1146. Pontificatus sui 2.

Deinde, omnia prædicta privilegia, mirum in modum aucta, & ampliata à Sede Apostolica, confirmavit Anastasius IV. ad petitionem Domini Ambrosii Abbatis Generalis Vallis Umbrosæ, per illud Diploma, quod incipit: *Justis Religiosorum desideriis*, sub Datum Romæ, apud S. Joannem in Laterano 20. Kal. Decembris anno 1153. Pontificatus verò 1.

Postea verò præfata privilegia à tot Summis Pontificibus confirmata, & roborata ab Alexand. III. confirmantur per Bullam, quæ incipit: *Religiosam vitam*, sub Datum Turone, Nonis Junii, anno 1163. Pontif. sui 4. quæ omnes Constitutiones, & Bullæ cum multis aliis tam antecessorum, quàm successorum Pontificum prædicti Alexandri, habentur *in lib. authen. manuscript. privileg. nostræ Congregationis, & in Archivio Vallis Umbrosæ*, de quibus singulis attestatur D. Eudosius Lancellotus *in lib. 2. de vit. Sanct. & Beat.* & General. Vall *pluribus locis*.

Postremò nostræ Religionis privilegia, fuerunt confirmata à Julio II. per ejus Bullam, quæ incipit: *Militantis Ecclesiæ regimini disponente Domino*, Datum Romæ apud S. Petrum Incarnationis Dominicæ 1507. Idibus Julii Pontif. sui 4. apud Laert. Cherub. *Bullar. nov. tom. 1. Constit. ejusdem Julii II.* 13. §. 3. cujus formalia verba ad rem sunt:

Nos igitur, qui Ordinem, & Congregationem Vallis Umbrosæ hujusmodi, propter uberes fructus, quos in militanti Ecclesia in divinis contemplandis, & assiduis orationibus, ac precibus ad Deum producere noscuntur, in visceribus charitatis, & dilectionis Nostræ complectimur, Basilium Abbatem, & Diffinitores, necnon Ordinem, & Congregationem Vallis Umbrosæ hujusmodi, ac ejusdem Ordinis, seu Congregationis singulares personas, à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à jure, vel homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum dumtaxat præsentium consequendum, harum serie, absolventes, & absolutos fore censentes; necnon privilegiorum, libertatum, immunitatum, & indultorum, tam per dictos prædecessores, quàm Imperatores, Reges, & alios Principes seculares, ac Prælatos quoscunque eisdem Ordinibus, & Congregationibus, ac illorum Monasteriis, locis, bonis, & personis concessorum tenores, qui præsentibus non sunt inserti, ac si de verbo ad verbum insererentur eisdem præsentibus pro expressis habentes, privilegia, indulta, immunitates, & libertates Ordinis, seu Congregationis Vallis Umbrosæ per prædecessores, ac quatenus sint licita, & honesta, per Imperatores, Reges, & Principes, & Prælatos prædictos concessa, ac prout concernunt omnia & singula in literis Pontificum, Imperatorum, Regum, & Principum secularium, & Prælatorum prædictorum desuper confectis contenta, innovamus, approbamus, & confirmamus, ac præsentis scripti patrocinio communimus. Supplentes omnes, & singulos defectus, si qui forsan in privilegiis per Imperatores, Reges, & Principes seculares & Prælatos prædictos concessis intervenerint, illaque omnia eisdem modo, & forma, quibus concessa sunt, de novo concedimus.

9 Manachi Cistercien. Congregationis S. Bernardi in Italia habent confirmationem suorum privilegiorum à Greg. XIV. in vigore Const. ejusdem. Pontificat. quæ est in 16. in ordine in *Bullar. nov.* Laërt. Cherub. sub Datum Romæ apud S. Petrum die 28. Junii anno 1591. Pontificat. sui anno 1. de qua in *anteced. disp. 17. quæst. 1. num.* 10.

10 Monachis verò Cistercien. Reformatis Congregationis B. Mariæ Fullien. fuerunt privilegia Ordinis Cistercien. non reformati communicata, ut diximus in *disp. anteced. 17. quæst. 1. num.* 11. simulque confirmata à Sixto V. ut patet ex Bulla ejusdem, sub Datum Romæ Idib. Novembr. anno 1587. Pontif. sui 3. quæ incipit: *Super specula*, est 70 in ordine Constitutio ejusdem Sixti V. apud Laërt. Cher. *Bullar. nov. tom.* 2.

Cælestina Congregatio præter antiquas Summorum Pontificum confirmationes privilegiorum, gratiarum, & immunitatum, quas à Sede Apostolica sortita est, habet præterea eorundem privilegiorum confirmationem à Paulo V. obtentam anno 1605. die 29. Aprilis cum clausula quatenùs Concilii Tridentini Decretis, necnon Regularibus dictæ Congregationis institutis à Sede Apostolica approbatis non adversentur, & revocata non sint, nec sub aliquibus revocationibus comprehensa, ita affirmant Stephan. Quar. *in Sum. Bullar. verb. privilegia Regularium, vers. per S. D. N. Paulum V.* 11

Novissimè verò ejusdem Congregationis Monachorum Cælestinorum intelliguntur privilegia confirmata per subsequentem Bullam extensionis omnium privilegiorum, in qua, etsi Summus Pontifex S. D. N. Urbanus VIII. eidem Congregationi omnium Religiosorum privilegia communicet: omnia tamen privilegia, gratias, & immunitates, quas habebat priùs, confirmare, & conservare, ac roborare videtur, ut eamdem Bullam legenti, & attentè consideranti patebit; Hujus autem tenor præfatæ congregationi, aliisque cum ea communicantibus, & participantibus scitu dignus hic verbatim describitur in hunc, qui sequitur modum.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

SAcrosancti Apostolatus ministerium, quod ineffabilis divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei altitudo humilitati Nostræ, nullis licèt suffragantibus meritis per abundantiam cælestis misericordiæ, credidit, jugiter Nos admonet, ut inter multiplices, gravissimasque Apostolicæ servitutis curas, eam peculiari sollicitudine amplectamur, quæ privilegia piis Christi fidelium Congregationibus in militanti Ecclesia, ad divini Nominis laudem, & gloriam, sanctæque fidei Catholicæ exaltationem salubriter institutis à Sede Apostolica concessa, non solùm conservantur, verùm etiam Congregationes ipsæ novis ab eadem Sede gratiis, atque indultis decorentur, prout rerum, & temporum qualitatibus debitè pensatis, conspicimus in Domino salubriter expedire. Hinc est quòd nos ad uberes fructus, quos dilecti filii Monachi Congregationis Cælestinorum Ordinis S. Benedicti, vel ab ipsius Congregationis primordio in eadem Ecclesia magno cum Reipub. Christianæ spirituali commodo, attulerunt, & in dies afferunt, paternæ dirigentes considerationis intuitum, & attentè prospicientes, quòd Congregatio prædicta una ex duodecim existit; quæ cum Camera Apostolica tempore fel. rec. Pii Papæ V. prædecessoris Nostri de subsidio ordinatio concordarunt, necnon Monachos prædictos specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, & suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, Motu proprio, non ad Abbatis, seu Procuratoris Generalium, aut aliorum quorumcunque Superiorum, vel Monachorum ejusdem Congregationis, aut alterius pro eis Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, & matura deliberatione Nostris deque Apostolicæ potestatis plenitudine, omnia & singula privilegia, prærogativas, favores, facultates, decla-

declarationes, libertates, immunitates, exemptiones, præeminentias, indulta, aliasque gratias, tam spiritua-les quàm temporales cujusvis generis, & speciei existentes, tam Casinen. Ord. S. Benedicti, quàm quibusvis aliis Monachorum Congregationibus earumque Superioribus, Præsidentibus, Abbatibus Monachis, aliisque Regularibus personis; necnon Ecclesiis, Monasteriis, & locis Regularibus quibuscunque tam specialiter, & nominatim, quàm in genere, & per viam communicationis, vel extensionis, aut alias quomodolibet per quoscunque Rom. Pont. prædecessor. Nostros, seu nos, & Sedem Apost. eorumque, & Nostros de Latere Legatos, & Nuncios, sufficienti ad id auctoritate suffultos, concessa, & in futurum per successores Nostros, aut alios auctoritatem habentes, concedenda, & quibus ipsæ Congregat. earumque Abbates, & alii quocunque nomine nuncupati Superiores, & Monachi, cæteræque personæ Regulares de jure, usu, consuetudine, privilegio, aut conceß. Apost. in genere, vel in specie, ac tam conjunctim, quàm divisim, seu aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, frui, potiri, & gaudere possunt, & poterunt quomodolibet in futurum, dummodo tamen sint in usu, & non sint revocata, aut sub aliquibus revocationibus comprehensa, ac Sacris Canon. & Conc. Trident. Decretis non adversentur, Congregat. Cælestinorum prædictæ, illiusque Generali, ac cæteris Abbatibus, Prioribus, & aliis quocunque nomine nuncupatis Superioribus Monachis, & personis Regularibus quibuscunque, necnon Monasteriis, Ecclesiis, Domibus, Conventibus, & locis Regularibus quibuslibet, tenore præsentium perpetuò concedimus, dictaque privilegia, indulta, immunitates, exemptiones, & gratias spirituales, & temporales, hujusmodi primo d. Congregat. illiusque Generali, cæterisque Abbatibus, Prioribus, Monachis, & personis prædictis, necnon Ecclesiis, Monasteriis, & Regularibus locis communicamus, illaque ad eos, & ad illa extendimus. Ita quod Congregatio Cælestinorum prædicta, illiusque Generalis, & cæteri Abbates, Superiores, & Monachi, & personæ hujusmodi; eorumque Monasteria, Prioratus, Grangiæ, Domus, Ecclesiæ, Oratoria, Collegia, & alia loca Regularia; necnon res, & bona quæcunque præmissis omnibus, & singulis, non solum ad aliarum Congregationum instar, sed pariformiter, & æquè principaliter uti, potiri, & gaudere liberè, & licitè valeant, perinde ac si omnia illis, & eorum singulis specialiter, & expresſè, & non ad instar, sed à principio concessa, & in primo d. Congreg. favorem à Sede Apost. nominatim emanassent. Decernentes præsentes literas nullo unquam tempore subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostræ, aut alio quopiam de facto notari, impugnari, redargui, seu infringi, aut in jus, vel controversiam revocari posse, sed eas semper, & perpetuò validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac Congreg. Cælestinorum hujusmodi, illiusque personis & locis Regularibus supra expressis in omnibus, & per omnia, plenissimè suffragari. Sicque per quoscunque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Apost. Auditores, ubique judicari, & diffiniri debere; ac irritum & inane quidquid secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca V. Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, aliisque locorum Ordinariis quibuscunque, necnon Dilecto filio Causarum Curiæ Cam. Apost. Auditori per præsentes committimus, & mandamus, quatenus quilibet eorum, quandocunque per se, vel alium, seu alios, præsentes literas, & in eis contenta quæcunque ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Abbatis Generalis, & Monachorum Congr. Cælestinorum Ord. S. Benedicti prædictorum, fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate Nostra easdem plenum eorum sortiri effectum, illisque omnes, quos concernunt pacificè frui, & gaudere non permittentes, quam desuper contra præsentium tenorem sub quovis prætextu & causa, etiam defectu intentionis Nostræ quoscunque quomodolibet indebite molestari: quin immo quidquid in contrarium attentari, vel fieri contingeret, omninò semper in pristinum reponi. Contradictores quoslibet, & rebelles etiam per quascunque de quibusvis eis videbitur censuras, & pœnas Ecclesiasticas; & alia opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras, & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Non obstant. præmissis, ac piæ mem. Bonifacii Pap. VIII. etiam prædec. Nostri de una, & in Concilio edita de duabus dietis, dummodò ultra tres dietas aliquis auctoritate præsentium ad judicium non trahatur, aliisque Apostol. Const. & Ordin. ac Ordinum, & Congregationum hujusmodi statutis, ac consuetudinibus etiam juramento, confirmatione Apost. vel quavis firmitate alia roboratis; privilegiis quoque, indultis, & literis Apost. sub quibuscunque tenore, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & efficacissimis, & insolitis clausulis quomodolibet, etiam pluries concessis, confirmatis, ac innovatis. Quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, etiam quòd in eis caveatur expresſè, quòd illis nullatenùs, aut non nisi sub certis modo, & forma derogari posset, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata, inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis, & insertis habentes, hac vice dumtaxat specialiter, & expresſè derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque, aut si aliquibus communiter, aut divisim ab Apost. sit Sede indultum, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apost. non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Verùm quia difficile foret principales literas ubicunque opus esset deferri; Volumus, & pariter auctoritate Apostolica decernimus, quòd illarum transumptis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Eccles. constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ. Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 14. August. 1624. Pontif. nostri anno 2.

Monachorum Montis Oliveti privilegia, immunitates, & indulta confirmata fuerunt à pluribus Sum. Pontificib. ut jam vidi *in lib. Privil. ejusdem Congregationis*, sed specialiter confirmata, & Motu proprio auctoritate Apostolica roborata fuere à Julio II. per Bullam ejusdem, quæ incipit: *Etsi ad universos*, quæ est 12. illius Const. *tom. 1. Bull. nov.* Laert. Cherub. edit. Romæ apud S. Petrum, an. Incarnationis Dominicæ 1507. Pridie Nonas Junii, Pontific. sui 4. Verba ad rem nostram sunt: 12

Sanè cùm sicut accepimus, aliàs plures immunitates, exemptiones, ac diversa privilegia, gratiæ, favores, & indulta spiritualia, ac temporalia per diversos Romanos Pontifices prædecessores nostros præfatæ Congregationis, illiusque Monasteriis, locis, personis, bonis, 13

tiis, & rebus, concessa fuerint; Nos cupientes, ut dilectus filius modernus, ac pro tempore existens Abbas Generalis dictæ Congregationis, ac Monachi præfati eò quietius possint Domino in ejus beneplacitis famulari, eò quo cognoverint hujusmodi privilegia, & immunitates pro illorum subsistentia firmiori, etiam Nostræ approbationis robore communiri, ac etiam Abbatis, & Monachorum, & Congregationis hujusmodi commoditatibus & augmeuto, statuique prospero, & felici, quantum cum Deo possumus, salubriter consulere, in ipsosque Generalem, Abbatem, & Monachos, & Congregationis hujusmodi singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolutos fore censentes, ac omnia, & singula privilegia, gratias, favores, immunitates, exemptiones, indultaque, quæcunque, tam spiritualia, quàm temporalia eidem Congregationi, ac illius Monasteriis, locis, personis, sob quibuscunque tenoribus concessa, illorumque omnium tenores, ac si de verbo ad verbum præsentium insererentur, eisdem præsentibus pro expressis habentes, Motu proprio, non ad Abbatis, & Monachorum prædictorum, vel alicujus alterius pro eis Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de Nostra mera liberalitate, & ex certa scientia, privilegia, gratias, favores, immunitates, exemptiones, & indulta hujusmodi auctoritate Apostolica, tenore præsentium approbamus, & innovamus ac perpetuæ firmitatis robur obtinere, eaque omnia, & singula inviolabiliter observari debere decernimus.

13 Congregatio Monach. B. Mariæ Montis Virginis suorum privilegiorum confirmationem obtinuit ab Urbano IV. 5. Idus Januarii ann. 1263. Pontificatus verò 2. ut legitur in *tom. 1. Bullar. nov.* Laërt. Cherub. *Constitut. 5. ejusd. Pont.* quæ Constitut. incipit. *Cum à Nobis petitur*, edita apud Urbem Veterem eodem die, & anno supradicto; verba ad confirmationem pertinentia sunt.

Et omnes immunitates, & libertates à Romanis Pontificibus prædecessoribus Nostris, vobis, vel Monasterio vestro concessas, necnon libertates, & exemptiones secularium exactionum à Regibus, & Principibus, vel aliis Christi fidelibus, rationabiliter vobis, aut Monasterio vestro indultas, sicut ea justè, & pacificè obtinetis, vobis, & per vos eidem Monasterio auctoritate Apostolica concedimus, & confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus.

14 Cruciferi suorum privilegiorum, exemptionum, indultorum, & omnium gratiarum, tam spiritualium, quàm temporalium confirmationem per Greg. XIV. assecuti sunt, ut patet in ej⁹ Bulla 13. in ordine apud Laërt. Cherub. *tom. 1. Bullar. nov.* quæ incipit: *Romanus Pontifex*, sub Dat. Romæ in Monte Quirinali die 12. Julii anno 1591. Pontific. sui 1. verba confirmationis sunt:

Nos igitur Congregationem Cruciferorum prædictam, ejusque Patres, & personas quascunque ob eorum Regularem disciplinam specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, ac singulorum privilegiorum, & gratiarum, ac literarum desuper confectarum hujusmodi tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes: hujusmodi supplicationibus inclinati, omnia, & singula privilegia, prærogativas, concessiones, facultates, exemptiones, libertates, immunitates, indulta, indulgentias, cæterasque gratias spirituales dictæ Congregationi Cruciferorum omnibusque & singulis tam virorum, quàm mulierum Monasteriis, Hospitalibus, Domibus, & Conventibus, necnon illorum Prioribus, Superioribus, Officialibus, & personis, tam in genere, quàm in specie, ac aliàs quomodolibet, & quandocunque tam per prædictos, quàm alios quoscunque Romanos Pontifices prædecessores Nostros, ac Sedem Apostolicam, quomodolibet concessa, necnon desuper confectas literas, & scripturas quascunque & in usu sint, & Decretis Concilii Tridentini non adversentur, Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuò approbamus, & confirmamus.

15 Ordo Carthusianorum acquisivit à Sixto V. confirmationem indulgentiarum, exemptionum & privilegiorum per Bullam ejusdem Pontificis, quæ incipit: *Pro Nostra propensa charitate*, sub Dat. Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die 3. Novembris 1578. Pontificatus sui anno 4. quæ privilegia fuerant anteà eidem Odini per diversos summos Pontifices concessa, & confirmata, ut per Eman. Roderic. *in nov. collection. Bullar. tom. 2. Bulla 20. ejusdem Sixti.*

Insuper obtinuit hic Ordo, ut à Sede Apostolica multoties sua privilegia confirmarentur, tam ab Antecessoribus supradicti Sixti V. quàm à Successoribus, ut *in lib. privilegiorum ejusdem Ordinis pluribus in locis videri potest.*

16 Congregatio S. Hieronymi de Fesulis, communicationem quam acceperat ab Alexandro VI. & omnia ejus privilegia confirmata, & approbata habuit à Gregorio XIII. die 8. Septembris anno 1573. elicitur ex *Compendio privilegiorum, verbo communicatio privilegii, in annotat.* Cappuc. *vers. & Gregorius XIII.*

17 Idem Gregorius XIII. in Bulla quæ incipit *Benedictus Dominus Deus noster:* sub Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 1. Februar. 1578. Pontificatus sui anno 6. confirmavit omnia privilegia Ordinis S. Basilii per alios Summos Pontifices concessa, ut per Eman. Roderic. *in nov. collectan. Bullar. tom. 2. Bull. 12. ejusd. Pontif.*

18 Ordo Præmonstratensis Provinciæ Regnorum Hispaniarum habet sua privilegia, & indulta per diversos Summos Pontifices confirmata; nuper verò fuerunt de novo confirmata, & approbata per Bullam Clementis VIII. quæ incipit: *Romanus Pontifex*, sub Datum Romæ apud S. Marcum sub Annulo Piscatoris die 20. Septembris 1593. Pontificatus sui anno 2. ut per Eman. Roderic. *in Collect. Bullar. tom. 2. Bulla 20. ejusdem Clem.*

19 Ordo S. Hieronymi sub Regula S. Augustini Regnorum Hispaniarum, confirmata habet pleraque privilegia à diversis Romanis Pontificibus, & præcipuè à Gregorio XI. Benedicto XIII. Eugenio IV. Martino V. Sixto IV. Pio II. Paulo III. Pio IV. Sixto V. Gregorio XIV. & Innocentio IV. & noviter à Clemente VIII. per Bullam quæ incipit: *In supremo militantis Ecclesiæ solio*, sub Datum Romæ apud S. Marcum die 25. Septembris 1601. Pontificatus sui anno 10. Eman. Roder. *in nov. collect. Bullar. pro Regul. tom. 2. Bulla 19. ejusd. Clement.*

20 Fratres S. Antonii Viennen. Ordinis S. Augustini obtinuerunt confirmationem privilegiorum à Clemente VII. ab aliis Summis Pontificibus prædicto Ordini concesserunt, prout constat ex Bulla ejusdem Clementis VII. quæ incipit: *Rationi congruit*, sub Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1523. 6. Kalend. Decembris, Pontificatus sui anno 1. Laert. Cherubin. *Bullar. nov. tom. 1. §. 9.*

21 Fratres Eremitæ Congregationis B. Petri de Pisis Ordinis S. Hieronymi confirmationem privilegiorum suorum adepti sunt à Pio V. per Bullam ejusdem Pontificis, quæ incipit: *Religionis zelus*, sub Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 30. Martii 1571. Pontificatus sui anno 6. ex Laërt Cherub. *Bullar. nov. tom. 2. §. 1.*

Gregorius XIII. confirmavit privilegia Ordinis

Sanctissimæ

Sanctissimæ Trinitatis, Redemptionis Captivorum: ita testatur Bulla ejusdem Pontificis, quæ incipit: *Regimini militantis Ecclesiæ*, sub Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 18. Novembris 1575. Pontificatus sui anno 4. quæ privilegia fuerant eidem Religioni concessa, & alias confirmata per diversos Summos Pontifices, Eman. Roderic. *in nov. collect. Bull. pro Regul. tom. 2. Bulla 29. ejusdem Pontificis.*

23 Religiones Ordinis Prædicatorum Sancti Dominici, & Ordinis Minorum S. Francisci obtinuerunt varias privilegiorum confirmationes, à diversis Romanis Pontificibus, quas confirmationes, hic permixtim, & breviter propter easdem Religiones, & propter multos aliorum Religiosorum Ordines, tam Mendicantium, quàm non Mendicantium cum prædictis communicantes, indicabimus.

Primò fuerunt confirmata privilegia Fratrum Prædicatorum, & Minorum simul ab Alexandro IV. anno Domini 1254. Pontificatus sui 1. ut apparet in quadam ejus Bulla, quæ incipit: *Patris æterni benignitas*, sub Datum Neapoli, quinto Idus Aprilis, eodem anno supradicto; habetur hæc confirmatio in *Monum. Ordin. prima impr fol. 22. & 2. fol. 24. concess. 11. & in Compendio privil. verb. privilegia Fratrum*, §. 3.

Deinde fuerunt confirmata supradicta privilegia à Clemente IV. ann. 1265. Non. Julii Pontificatus sui 4. per quandam Bullam, sub Datum Viterbii eodem die & anno, ex eodem *Monum. Ord. 1. impress. fol. 30. & in 2. fol. 31. concess. 31. & eodem Compend. privileg. loc. citat.* §. 10.

Deinde fuerunt confirmata privilegia Fratrum Prædicatorum ab Eugenio IV. anno Domini 1431. Idus Aprilis, Pontif. sui 9. per Bullam, quæ incipit: *Sacræ Religionis sinceritas*, sub Datum Florentinæ eodem anno, & die, ex *Suppl. fol. 73. conf. 239. & eodem Compend. privil. loc. cit.* §. 16.

Sixtus IV. confirmavit privilegia Fratrum Minorum anno Domini 1471. Pont. sui 1. per Bullam, quæ vocatur Maremagnum, & incipit, *Regimini universalis Ecclesiæ*, sub Datum Romæ apud S. Petrum, pridie Kal. Septembris, ex eodem *Mon. Ord. 1. imp. fol. 59. & 2. fol. 142. conf. 343.* & refertur *in Compend. verbo, privilegium* §. 10.

Idem Sixtus IV. in eodem Maremagno, districtè inhibuit Prælatis sub interdicto ingressus Ecclesiæ, & suspensionis à regimine, & administratione suarum Ecclesiarum, ac Rectoribus Ecclesiarum, & aliis quibuscunque sub excommunicationis latæ sententia, & privationis earundem parochialium Ecclesiarum, ac omnium aliorum Ecclesiasticorum Beneficiorum, quæ obtinuerint, necnon inhabilitatis ad illa, & alia imposterum obtinenda, pœnis, eo ipso per eos, qui contra fecerint, incurrendis, ne Ord. Fratrum Prædicatorum, & Minorum, & illorum Domos, & Professores, præter, aut contra privilegia, & indulta Rom. Pont. quorumcunque prædecessorum ejusd. Sixti, vel contra suarum literarum tenorem, inquietare, seu molestare præsumant, ex eod. *Mon. Ord.* & refertur in eod. *Comp. verb. privilegium*, §. 11.

Idem Sixtus IV. confirmavit privilegia Fratrum Prædicatorum, & Minorum simul per quamdam aliam (quam communiter auream vocant) editam Romæ apud S. Petrum 7. Kal. Augusti, Pont. sui ann. 8. quæ incipit: *Sacri Prædicatorum, & Minorum Fratrum Ordines*, ex eodem *Mon. Ord. 2. impress. fol. 148. & in Supp. fol. 150. conc. 280.* & refertur *in Compend. privil. verb. privilegium*, §. 2.

Julius III. confirmavit privilegia Fratrum Minorum, per Bullam datam Romæ apud S. Petrum 15. Kal. Junii, Pont. sui anno 1. quæ incipit: *In militantis Ecclesiæ agro*, habetur originaliter in Salmaticensi D. Francisci Conventu, & refertur in *Bullario magno*, nunc denuò Salmanticæ impresso anno 1605.

Item Leo X. confirmavit privilegia Fratrum Minorum per quoddam vivæ vocis oraculum, ut constat ex *Supp. fol. 58. conc. 16*. & refertur *Comp. privileg.* §. 23.

Clemens VII. confirmavit privilegia Fratrum Minorum, prout patet ex sua Bulla, quæ refertur *in Compend. verb. privilegia Fratrum*, §. 32. & *verbo communicatio privilegii*, §. 19. quæ incipit: *Dum fructus uberes*, sub Datum anno Domini 1525.

Julius III. confirmavit privilegia Fratrum Minorum, per ejus Bullam, quæ incipit: *Dum Regularis vitæ studium*, sub Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, Pontificatus sui anno 1. & refertur *in Bullario magno citato.*

Idem Julius in quadam alia sua Bulla, quæ incipit: *In sacra B. Petri Sede*, sub Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 10. Julii anno Dom. 1551. Pontif. sui anno 2. confirmavit privilegia Fratrum Prædicatorum, ex *suprad. Bull. magno.*

Paulus IV. confirmavit privilegia Fratrum Minorum, & Monialium S. Claræ, necnon, & Fratrum, de Pœnitentia nuncupatorum, per Bullam, quæ incipit: *Ex clementi Sedis Apostolicæ provisione*, habetur *in Bullario magno supradicto.* 24

Pius IV. confirmavit omnia supradicta privilegia, per suam Bullam, quæ etiam incipit: *Ex clementi Sedis Apostolicæ provisione*, sub Datum Romæ apud S. Petrum sub Anulo Piscatoris die 27. Aprilis anno Domini 1561. Pontificatus verò 2. & habetur in *Bullario supradicto*; sed postea in alia Bulla, quæ incipit: *In Principis Apostolorum*, posita in confirmatione Concilii Tridentini, revocavit omnia privilegia, quæ contrariantur dicto Concilio Tridentino.

Pius V. confirmavit omnia privilegia Mendicantium, per Bullam, quæ incipit: *Et si Mendicantium*, sub Datum Romæ apud S. Petrum, anno Domini 1577. Kal. Julii, Pontificatus sui 2. extat *in supradicto Bullario magno.*

Gregorius XIII. confirmavit omnia privilegia Fratrum Minorum, & Monialium S. Claræ, ac Tertiariorum per Bullam, quæ incipit: *Ex benigna Sedis Apostolicæ provisione*, sub Datum Romæ apud S. Petrum anno Domini 1575. die 21. Mensis Martii, Pontificatus sui 3. habetur *in supradicto Bullario magno.*

Idem Pontifex antea per aliam suam Bullam, quæ incipit: *In tanta rerum, & negotiorum mole*, sub Datum Romæ apud S. Petrum anno Domini 1573. Kal. Martii, Pontificatus sui 2. omnia prius per Pium V. concessa Fratribus Mendicantibus revocaverat, & ad terminos juris communis, & ad decreta Concilii prædicti reduxerat.

Sixtus V. confirmavit omnia privilegia prædicta Fratrum Minorum de Observantia, & Monialium S. Claræ, necnon Fratrum de Pœnitentia, per Bullam, quæ incipit: *Mendicantium Ordines*, sub Datum Romæ apud S. Marcum sub annulo Piscatoris die 3. Octobris, anno 1587. Pontificatus sui 3. vide *in Bullario supradicto.*

Clemens VIII. confirmavit omnia privilegia prædictorum Fratrum Minorum de observantia, Monialium S. Claræ, necnon Fratrum Tertianorum, aliàs Fratrum de Pœnitentia nuncupatorum, per Bullam, quæ incipit: *Ratio pastoralis officii*, sub Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 20. Decembris, anno Domini 1597. Pontificatus sui 6. ex *supradicto Bullario magno.*

Paulus V. confirmavit omnia privilegia Fratrum Minorum per quamdam suam Bullam, quæ incipit: *Injuncti Nobis Pastoralis*, Pontificatus sui anno 5. ex eodem *Bullario magno.*

24 Ordo B. Mariæ de Monte Carmelo, cum aliis Ordinibus Mendicantium, sicut habet communicationem privilegiorum, ut *disp. anteced. quæst.* 1. dictum est, ita etiam habet confirmationem eorundem privilegiorum in vigore Bullæ Pii [illegible] editæ anno 1557. sub Datum Romæ apud S. Petrum die 1. Octobris, Pontificatus sui 2. quæ incipit: *Romanus Pontifex, tam universalis*, extat apud Laert. Cherub. *tom. 2. Bullar. novi Constit. 44. ejusdem Pontif.*

25 Ordo Servorum B. Mariæ per eandem Bullam Pii V. suorum privilegiorum, gratiarum, & indultorum confirmationem, aliasque prærogativas obtinet, necnon per alios Summos Pontifices, ut *in lib. suorum privil.* *apparet.*

26 Ordo Eremitarum S. Augustini obtinuit confirmationem privilegiorum, alias sibi à diversis Summis Pontificibus concessorum, à Julio II. per Bullam ejusdem Pontificis, quæ incipit: *Dum fructus uberes*, sub Datum Romæ apud S. Petrum ann. Incarnationis Dominicæ 1507. die 7. Julii Pontificatus sui 4. refertur ab Eman. Roder. *in nov. collect. Bullar. pro Regul. tom. 2. Bulla 9. ejusdem Pontificis.*

27 Ordo Minorum Conventualium S. Francisci accepit à Paulo III. Confirmationem privilegiorum, quæ dicto Ordini anteà per diversos Summos Pontifices fuerant concessa: vide Bullam ejusdem Pontificis, quæ incipit: *Exhibita nobis*, sub datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 27. Octob. 1540. Pontificatus sui anno 6. Eman. Rodetic. *in nov. Collect. Bullar. pro Regul. tom. 2. Bulla 5. Ejusdem Pontif.*

28 Pius V. in Bulla, quæ incipit *Romanus Pontifex*, sub Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 19. Novembris 1567. Pontificatus sui 2. declaravit Congregationem S. Hieronymi Jesuatorum inter Ordines Mendicantium comprehendi, & illorum privilegiis gaudere, necnon Mendicantium Privilegiorum confirmationem, virtute ejusdem Bullæ, obtinere, Roderic. *in nov. collect. Bullar. pro Regul. tom. 2. Bulla 23. ejusdem Pontificis.*

Posteà Gregorius etiam XIII. confirmavit supradicta privilegia, anno Domini 1578. Pontificatus sui 6. die 1. Februarii, ex eod. Eman. Rodetic. *tom. 1. qq. Regul. quæst. 8. art. 2.* ipse enim Gregorius, privilegiorum, facultatum, exemptionum, immunitatum, indultorum, & cujusvis sint generis indulgentiarum, per quoscunque Romanos Pontifices ejus prædecessores, quibusvis etiam specialibus rationibus concessorum tenores pro expressis habens, omnia, & singula privilegia, facultates, & gratias, exemptiones, & immunitates, libertates, indulgentias, atque peccatorum remissiones, circa tamen clausulam porrigendi manus adjutrices, & concessiones, etiam per ipsam Congregationem, sufficiente ad id facultate suffultam ad dictæ Congregationis aggregatos, infraternatos nuncupatos, extensa, atque indulta prædicta quomodocumque, & qualitercumque concessa, & approbata, quatenus sunt in usu, & Sacris Canonibus Concilii Tridentini non sunt contraria, ex certa scientia, denuo in perpetuum, Apostolica auctoritate approbavit, & confirmavit, illisque perpetuæ, & inviolabilis firmitatis robur addidit.

29 Ordo Minimorum S. Francisci de Paula sortitus est à Julio III. confirmationem immunitatum, gratiarum, privilegiorum, per alios prædecessores summos Pontifices eidem Ordini concessorum, per Bullam ejusdem Pontificis, quæ incipit: *Dilectis filiis*, sub Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1553. 15. Kalend. Maji, Pontificatus sui 4. Eman. Roder. *in nov. collect. Bullar. pro regul. tom. 2. Bulla 6. ejusdem Pontif.*

Aliæ multæ confirmationes privilegiorum hujus Ordinis videri possunt apud Laurentium de Peirinis, *in suo opere nuper edito*, ubi de illustratione, & declaratione privilegiorum prædicti Ordinis, doctissimè scribit. Videatur præcipuè *in tom. 1. §. 4. fol. 73.* & § 6. *fol. 77.* & *fol. 173.* & *fol. 188.* & 525. & *tom. 2.* ejusdem operis, *fol. 4.* & *fol. 71.* & 74. 224. 265. 267. & 301. & 397. & 476.

30 Sixtus V. omnia privilegia Fratribus Tertii Ordinis S. Francisci, qui de pœnitentia nuncupantur, confirmavit, anno Incarnationis 1471. 5. Kal. Decembris, Pontif. sui 1. ex *lib. privilegiorum Tertii Ordinis S. Francisci*, in his præcisis verbis:

Nos igitur ad commoda, profectum, & salutem Fratrum dicti Ordinis, operosa meditatione intendentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, privilegia, facultates, indulta, & gratias, Fratribus antedictis (ut præmittitur) concessa, ac omnes, & singulas locorum receptiones per eos factas, auctoritate Apostolica, tenore præsentium approbamus, & confirmamus.

Et Julius II. anno Incarnationis Dominicæ 1508. 6. Idus Januarii, Pontificatus sui sexto, confirmavit omnia privilegia, quæ supradictus Sixtus IV. Eugenius IV. Nicolaus V. & Paulus II. eidem Ordini contulerat, *ex eod. lib. privil. pag. 56.*

31 Fratres devoti Joannis Dei, confirmationem suorum privilegiorum, immunitatum, & exemptionum, consecuti sunt per memorabilem Bullam Pauli V. quæ incipit, *Romanus Pontifex, &c.* editam à Paulo V. fel. rec. 16. Martii, anno 1619. Pontificatus verò 14. sub Datum Romæ apud S. Mariam Majorem; quæ tota per extensum, propter alias rationes, posita est, *disput. 15. hujus primi tomi, quæst. 4.*

32 Societas Jesu, etsi per multos Summos Pontifices magna sua privilegia confirmata retineat, præ cæteris tamen confirmata, roborata, & approbata fuerunt simul cum omnibus facultatibus, exemptionibus, immunitatibus, gratiis, & indultis, motu proprio, certaque scientia, ac de plenitudine Apostolicæ potestatis, à Gregorio III. ut ejus literæ in *lib. litterarum Apostolicarum ejusdem Societatis, pag. 217. & 232.* & *in Comp. ejusdem Societatis, verb. privilegium, §. 11.* & *verb. communicatio gratiarum, & verb. Generalis, §. octavò testantur.*

33 Clericorum Regularium de Sommascha, privilegia confirmata sunt à Clemente VIII. per Bullam quæ incipit: *Decet ex benignitate Sedis*, anno 1593. sub Datum Romæ apud S. Marcum, 6. Kal. Maji Pontificatus sui 2. & est 22. *Constit. ejusd. Clementis VIII. in 3. tom. Bullar. nov.* Laërtii Cherub. §. 2. in his verbis:

Omnia, & singula præfata, & quæcunque aliàs privilegia, exemptiones, immunitates, concessiones, facultates, prærogativas, favores, & gratias, præfatæ Congregationi, singulisque illius domibus, Conventibus, Collegiis, Ecclesiis, Capellis, Oratoriis, Hospitalibus, necnon præposito Generali, aliisque Superioribus, & personis, tam professis, quàm non professis, ac familiaribus domesticis, eisque aliàs quomodolibet inservientibus, tam per supradictos, quàm alios Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac Nos, & Sedem Apostolicam; ejusque auctoritate quomodolibet concessa, ac desuper confectas literas, omniaque in eis contenta, necnon etiam omnia, & singula statuta, ordinationes, regulas, & constitutiones in universa Congregatione præfata, hucusque editas, licitas tamen, & honestas, sacrisque Canonibus, & Concilio Tridentino minimè contrarias, auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuò approbamus, firmamus, illisque omnibus, & singulis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, supplentes omnes, & singulos, ac quoscunque, & qualescunque juris, & facti, ac etiam solemnitatum, & aliàs quantumvis substantiales etiam de necessitate exprimendos defectus, si qui in eis, aut eorum aliquo, quomodolibet intervenerint.

Clerici

34 Clerici Regulares Theatini, confirmationem suorum privilegiorum à Clemente VII. conce orum, obtinuerunt à Paulo III. die 17. Novembris 1536. Pontif. sui anno 3. & à Julio III. die 10. Junii 1551. Pontific. sui anno 2. & à Paulo IV. die 7. Octobris, Pontificatus sui anno 1. Statuit enim iste Summus Pontifex, ut omnia privilegia, gratiæ, indulgentiæ, prærogativæ, indulta, & exemptiones, tam per ipsum concessa prædictæ Congregationi, quàm per alios, & tunc imposterum concedenda, toties integrata, confirmata, & innovata, ac in pristinum statum restituta esse censerentur, quoties per eundem Paulum IV. & Sedem prædictam, alia quæcunque privilegia, aliis Congregationibus, & quorumvis Ordinum Religiosis, & Monachis concessa, & concedenda, reintegrari, confirmari, vel innovari, & in pristinum statum restitui contingeret; etiam nostræ Congregationi concessit, & indulsit, cum Decreto, & clausulis, modo, & forma tunc expressis. Non obstante *Bulla in die Cænæ Domini* legi consueta.

Et confirmata fuerunt eadem privilegia, absque ulla limitatione à Pio V. anno 1567. Idibus Februarii; à Gregorio verò XIV. anno 1591. die 5. Aprilis, fuerunt confirmata cum hac clausula, *dummodo sub aliquibus revocationibus non comprehendantur*: & præterea iisdem concessit privilegium communicationis omnium privilegiorum absque ulla limitatione.

Postremò à Paulo V. die 4. Aprilis 1612. Pontificatus sui anno 7. fuerunt confirmata eadem privilegia, his verbis:

35 Omnia, & singula privilegia, facultates, exemptiones, immunitates, gratias, & indulta principaliter, vel per communicationem, aliàs quomodolibet Congregationi, & Clericis prædictis, per quoscunque Romanos Pontifices, etiam prædecessores Nostros, ac Sedem Apostolicam, concessa, quorum tenores præsentibus pro expressis haberi volumus, Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuò confirmamus, & approbamus, illisque perpetuæ, & inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, eaque omnia, & singula innovamus, & de novo concedimus; ac omnes, & singulos tam juris, quàm facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, &c.

Non obstantibus fel. record. Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris nostri de una, & in Concilio Generali edita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præsentium, ad Judicium non trahatur, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Decretis per quoscunque Romanos Pontifices, similiter prædecessores Nostros, etiam vivæ vocis oraculo, aut alias quomodolibet editis, nec non aliorum Ordinum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate, aliàs roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis quibuscunque personis, sub quibusvis verborum formis, & tenoribus, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis Decretis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis & innovatis; quibus omnibus, & singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, ac de verbo ad verbum mentio habenda foret, eorum omnium, & singulorum tenorem præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice duntaxat, specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Datum Romæ, &c.

Refertur *in Compend. privil. Congr. Cleric. Regul. tit. confirm. privil.* §. 3.

Congregationes, & Religiones non Mendicantes, suorum privilegiorum confirmationem obtinuerunt, & præcipuè à Clemente VIII. ut patet in ejus *Bulla*, quæ incipit: *Cùm superiore anno*, quam retulimus per extensum propter rationabiles causas, *disp. 6. hujus primi tomi, in fine Quæsiti 22.* hic verò Bulla Pauli V. prædictarum duodecim Congregationum non Mendicantium privilegia confirmans per extensum, (quia alibi non habetur) inseritur.

PAULUS PAPA V.

Ad futuram rei memoriam.

Nuper, ut charissimo in Christo filio nostro Ferdinando Romanorum Regi, in Imperatorem electo, ac dilectis filiis Catholicis Germaniæ, & vicinarum Provinciarum, adversùs seditiones, rebelliones, & Hæreticorum motus, opem ferremus, quòd sanè aliter facere non poteramus; sex decimas à personis Ecclesiasticis, beneficia Ecclesiastica, aut super eorum redditibus pensiones annuas obtinentibus, & percipientibus intra triennium persolvendas, ac aliàs sub certis modo, & forma tunc expressis, imposuimus. Ab ejsdem verò decimis persolvendis, infrascriptas duodecim Regulares Congregationes, exemptiones, & libertates, aliàs à fel. rec. Pio Papa V. prædecessore Nostro, dum cum Camera Apostolica de subsidio ordinario concordarunt, concessis, frui, & gaudere debere voluimus, & declaravimus, easque ab ipsarum decimarum solutione nominatim exemimus, & liberavimus, prout in Nostris sub plumbo desuper expeditis literis, quarum tenores præsentibus, pro expressis haberi volumus, plenius continetur. Subindè verò, ut eidem Ferdinando Regi, in Imperatorem electo, & Catholicis prædictis plenius opem ferre valeamus, easdem Congregationes requisivimus, ut summam 100. mill. scut. monetæ Romanæ, Nobis ad effectum prædictum persolverent. Unde & ipsæ Congregationes summam hujusmodi, quantò minori incommodo fieri potest, ac citiùs solvere, ut res postulat, valeant, quantùm cum Domino possumus, providendum censuimus. Cùm verò à Ministris Nostris Camerae libus, qui negotium cum earumdem Congregationum Procuratoribus consultarunt, relatum Nobis fuerit, Congregationes ipsas, quæ summam prædictam in promptu habent, nulla alia minùs damnosa, & dispendiosa ratione eamdem summam congerere posse, quàm si Nos eisdem procuratoribus summam 100. mill. scutorum hujusmodi ad censum perpetuum redimibilem, vel infrascripto, seu quovis alio licito contractu, ut infrà accipiendi licentiam, & facultatem tribueremus. Idcirco motu proprio, & ex certa scientia Nostra Congregationibus prædictis, Casinensium nimirum, & Montis Oliveti, Ordinis Sancti Benedicti, Lateranensium Canonicorum Regularium, sub Regula S. Augustini, Carthusianorum, Camaldulensium, Cælestinorum, Sancti Salvatoris Bononiensium, etiam Canonicorum Regularium, Vallis Umbrosæ, Cruciferorum, & S. Georgii in Alga, pariter Canonicorum Regularium, Cistercienfiumque Lombardiæ, & Sancti Hieronymi, earumque Procuratoribus Generalibus, quamvis ad hoc speciale mandatum non habeant, vel eorum substitutis, ut cum interventu dilecti filii nostri, & Cameræ Apostolicæ Thesaurarii Generalis, etiam absque scientia, participatione, mandato speciali, vel generali, aut consensu Abbatum, & Priorum Generalium, seu aliorum quorumcunque Superiorum, & Officialium quocunque nomine nuncupatorum, earumdem Congregationum, immo ipsis invitis, & reclamantibus summam 100. mill. scutorum, hujusmodi pro rata singulas Congregationes tangentem, à quibuscunque personis, seu mercatoribus, eorum fidem sequi volentibus, & meliorem conditionem offerentibus ad censum perpetuum redimi-

bilem; servata tamen forma Constitutionis dicti Pii V. prædecessoris, super creandis censibus editæ, seu alio quovis licito, & sacris Canonibus non improbato contractu accipere, illamque penes Depositarium Nostrum Generalem, seorsum ab aliis nostris pecuniis deponere; ita ut inde amoveri, nec in alios, quàm supradictos usus, converti valeant, ac taxam aliquam inter se, pro cujusque ipsorum facultate reddituum annuorum pro solvenda 100. mill. scut. hujusmodi, summam constituere, aut aliàs ratam partem reddituum, prout cuilibet ex Congregationibus prædictis minùs incommodum, & damnosum esse, ac magis expedire judicaverint, assignare, dictamque ratam Monti Novennali, aut Religionum applicare, quæ sufficiat pro dicta summa 100. mill. scutorum congregandam, factaque taxa hujusmodi, eamdem Monti Novennali, aut Religionum prædicto, ultrà alias taxas, quæ singulæ Congregationes hactenus solverunt, & solvere obligatæ sunt assignare, & incorporare; ac super taxa, seu rata sic facienda, assignanda, & incorporanda totidem loca prædicto Monti cedere, quot pro summa prædicta 100. mill. scut. congerenda, necessaria erunt. Nec non eisdem omnibus Procuratoribus Generalibus, seu eorum Substitutis, postquam taxa hujusmodi facta fuerit, tam pro emptoris, seu emptorum censuum prædictorum, seu eorum, qui pro congerenda summa 100. mill. scutorum, hujusmodi aliquam pecuniarum summam eisdem Procuratoribus, aut eorum substitutis in quibuscunque cedulis bancariis, cambiis, obligationibus, & contractibus, & quibusvis pecuniarum hujusmodi receptionibus fidejusserint, & intervenerint, securitate, revelatione, & indemnitate, quam super taxa inter ipsas Congregationes pro rata quarumlibet suarum congregationum respectivè tangente; nominatim dictas Congregationes unusquisque Procurator Generalis, seu ejus Substitutus, videlicet suam etiamsi ab ea speciale, aut generale mandatum in Capitulo Generali, aut aliàs juxta Constitutiones ipsarum Congregationum factam non habeat; omniaque & singula earumdem Congregationum bona mobilia, & immobilia, ubilibet existentia, præsentia, & futura principaliter, & insolidum ipsarum Congregationum nominibus, omni meliori modo, ac in ampliori forma Cameræ Apostolicæ obligare, & specialiter hypothecare. Nec non super præmissis, & illorum quodlibet, & eorumdem præmissorum, & cujuslibet ipsorum occasione, quæcunque instrumenta cum quibusvis submissionibus, renunciationibus, fidejussionibus, promissionibus, juramentis, cautionibus, conditionibus, cautelis, decretis, & clausulis solitis, & consuetis, ac aliàs necessariis, & opportunis dicto Thesaurario, ac partibus ipsis benè visis celebrare, aliaque pro personarum, & Mercatorum, ac etiam pro majori Montis prædicti, illiusque Collegii, & omnium, quæ suas pecunias in eodem Monte collocaverint, securitate, ac aliàs super his necessaria, & quomodolibet opportuna, etiamsi talia forent, quæ specificam, individuam, & expressam requirerent mentionem, facere, & exequi, ac ulterius ipsis modernis, & pro tempore existentibus prædictarum Congregationum Procuratoribus Generalibus, seu eorum substitutis, ut in earum quisque Congregationibus, taxam, ut præfertur, faciendam pro rata eas respectivè tangente, inter Monasteria, & Conventus earum dividere, & ab illis exigere, & Depositario dicti Montis, quem ipsas Congregationes, tam pro præsenti additione, quàm pro prima dicti Montis erectione, & illius additione, aliàs facta, etiam modernum Depositarium, nisi Depositariam ipsam, titulo forsan oneroso, obtineat, ad eorum libitum amovendo, deputare posse concedimus quotannis, prout de antiquis taxis, seu ratis fieri consuevit, consignare cum facultatibus, & auctoritatibus solitis liberè, & licitè possint, & valeant, ac omninò respectivè teneantur, auctoritate Apostolica, tenore præsentium plenam, liberam, & amplam facultatem, & auctoritatem concedimus, & impartimur. Prætereà pro majori Montis prædicti, illiusque Collegii Montistarum, nec non eorum, qui pecunias suas in dicto Monre collocabunt, cautela, & securitate, ex nunc pariter, prout ex tunc, postquam dictus Mons vigore præsentium ad quamlibet locorum quantitatem auctus fuerit, quòd tam antiqua, quàm nova loca augenda hujusmodi, unum, idemque Montis corpus, ac ultimorum locorum emptores, cum antiquis Montistis unum, idemque Collegium, absque aliqua prorsus ratione prioritatis, seu posteritatis differentia constituant. Ac posteriota loca, illorumque emptores, omnibus, & singulis, gratiis, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, & privilegiis, quibus antiquiora loca, illorumque possessiones, juxta dicti Montis erectionis formam utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere possunt, & poterunt in futurum pariformiter, & æquè principaliter uti, potiri, & gaudere possint, valeant, & debeant in omnibus, & per omnia, absque aliqua similiter differentia, statuimus, & ordinamus, volumusque etiam, ac eisdem Procuratoribus generalibus, seu eorum Substiruris concedimus, ut loca prædicta Montis, vigore præsentium augendi, cum interventu dicti Thesaurarii Generalis cuicunque mercatori, seu aliis personis, meliorem conditionem offerentibus, pretio inter eos conveniendo vendere, & alienare, pretiumque inde redigendum, ut præfertur, & non aliàs deponere liberè similiter, & licitè possint, ac etiam omninò teneantur, facultatem similiter impartimur. Et nihilominus omnia, & singula præmissa, ac alia eorum vigore per dictas Congregationes seu earum Procuratores Generales, aut illorum Substitutos, cum interventu dicti Thesaurarii Generalis, & instrumenta desuper celebranda, cum omnibus in illis contentis, licitis tamen, & honestis, ac sacris Canonibus non improbatis, ex nunc, prout ex tunc, postquam facta, & celebrata fuerint auctoritate, & tenore prædictis approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus. Ac omnes, & singulos, tam juris, quàm facti, ac etiam substantialium forsan solemnitatum, quomodolibet omissarum defectus, si qui in eisdem intervenerint, præcipuè verò defectus mandatorum specialium, ac generalium ad præmissa facienda requisitorum, motu, & scientia similibus, pari auctoritate, & tenore supplemus; declarantesque per hujusmodi subventionem, Nobis, ut præfertur, faciendam, privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, & gratiis, tam per prædictum Pium prædecessorem, per ejus literas, sub Datum, anno 1570. 14. Kalendas Aprilis, Pontificatus sui anno 6. quàm per piæ memoriæ Clementis Papæ VIII. similiter prædecessoris Nostri literas, sub Annulo Piscatoris, die 5. Maji 1595. ac etiam per alias ejusdem Clementis prædecessoris literas in forma motus proprii, de ann. 1597. seu aliàs eisdem Congregationibus concessis; nullatenus præjudicatum sit, aut esse censeatur, immo privilegia, immunitates, exemptiones, & gratias prædictas, ac etiam omnes, & quascunque alias gratias, immunitates, & privilegia per quoscunque prædecessores Nostros, quomodolibet concessa; quatenus tamen sint in usu, & decretis sacri Concilii Tridentini non adversentur, harum serie, quatenus opus sit, de novo confirmamus, approbamus, & innovamus, illaque eisdem Congregationibus inviolabiliter observari mandamus, etiamsi tam literæ prædictæ Pii V. quàm Clementis prædecessorum hujusmodi, & aliæ quæcunque super præmissis in Camera Apostolica registratæ non essent.

essent. Non obstante Constitutione similis memoriæ Pii IV. pariter prædecessoris Nostri, de quibuscumque literis, & gratiis interesse Cameræ concernentibus, registrandis. Volentes etiam, quòd præsentes Nostras in eadem Camera registrare, seu registrari facere, minimè teneantur. Decernentes insuper, ea omnia & singula valida, firma, & efficacia esse & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere debere, ac per omnes, & singulas Congregationes prædictas perinde, ac si Procuratores, seu eorum substituti prædicti, illas cum speciali earum mandato obligassent, ac alios omnes, ad quos spectabit observanda esse; præsentesque literas, nullo unquam tempore etiam ex eo, quòd prædictæ Congregationes, & quicunque alii, ad quos spectat, præmissis expressè, & nominatim non consenserint, aut alias quomodolibet de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis Nostræ, vel alio defectu notari, impugnari, invalidari, infringi, in jus, vel controversiam revocari, aut sub illis revocationibus, suspensionibus, reductionibus, limitationibus, aut modificationibus comprehendi minimè posse; nisi de earundem præsentium toto tenore specialis, & ad verbum expressa mentio facta fuerit. Sicque per quoscunque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ipsius Cameræ Apostolicæ Præsidentes, & Clericos, ac S. R. E. Camerarium, Thesaurariumque prædictum, & alios dictæ Cameræ Ministros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca dilectis filiis Nostro, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Camerario, & Thesaurario Generali, prædictis, ac Causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ generali Auditori, per præsentes committimus, & mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios easdem præsentes, & in eis contenta quæcunque solenniter publicantes, ac in præmissis omnibus, & singulis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate Nostra præmissa omnia, & singula in præsentibus expressa, & illarum vigore facienda quæcunque ab omnibus, ad quos spectat, inviolabiliter observari. Contradictores quoslibet, & Rebelles, in præmissis, & non parentes, per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia omni, & quacunque appellatione, reclamatione, & recursu postpositis, compescendo. Invocato etiam ad hoc, si opus fuerit auxilio Brachii secularis, non obstantibus quibusvis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, præsertim felic. record. Symmachi, Pauli II. Pauli IV. Pii V. & aliorum quorumcunque Romanorum Pontificum prædecessorum Nostrorum, de rebus Ecclesiæ non alienandis, earumque quoque Congregationum, & cujuslibet earum, Monasteriorumque singularium statutis, & consuetudinibus, etiam juramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, etiam in vim contractus, aut motu proprio, vel consistorialiter eisdem Congregationibus, illarumque Superioribus, & personis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, nec non irritantibus, ac aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, approbatis, confirmatis, & innovatis: quibus omnibus, & singulis; etiam pro sufficienti eorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales, idem importantes, mentio; seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma, ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi præsentibus, pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 1. Maji 1620. Pontificatus Nostri anno 15.

36 Ex his satis constat, privilegia tum Mendicantium, quàm non Mendicantium, confirmata esse. De privilegiis non Mendicantium (& præsertim duodecim Congregationum) non solùm probatur per particulares Summorum Pontificum Constitutiones, eadem privilegia confirmantes; sed etiam per speciales Bullas Clementis VIII. & Pauli V. pro duodecim Congregationibus confectas, superiùs relatas.

De privilegiis verò Mendicantium, dicendum est cum Joan. Bapt. Confect. *in Summar. privil. Ord. Mendic. cap. 4.* illa jam esse firma, & illæsa, non solùm ex Decreto Concilii Tridentini, sed etiam per alios Summos Pontifices, *quatenus tamen Sacris Canonibus Concilii Tridentini non sint contraria*, quæ quidem clausula est intelligenda, non de Canonibus, in corpore juris; nempe in Decretis, & Decretalibus clausulis, sed de Sacris Canonibus, & decretis Concilii Tridentini, dumtaxat; nec obstat prædictis privilegiis Constitutio illa Gregorii XIII. qua privilegia omnibus Regularibus concessa, revocantur, quia per aliam suam posteriorem Bullam confirmavit privilegia, præsertim Ordinis Sancti Francisci, ut fatetur ipsemet Confect. *loc. cit.* ac etiam confirmavit multa alia privilegia aliorum Ordinum, ut per ipsius Constitutiones apud Laërt. Cherub. *tom. 2. Bullarii novi*, positas, legentibus patet.

Unde concludit prædictus Auctor, quòd Regulares, omnibus, & singulis privilegiis, tam per breve, quàm vivæ vocis oraculo, nec non per supplicationem cum clausula, quòd sola signatura sufficiat judicio & extra, etiam in foro conscientiæ, velut confirmatis, & innovatis frui, & uti liberè, & licitè possunt.

Sed de hac re infeniùs, dum de revocatione prædictorum privilegiorum in Concilio Lateranensi facta, & per alios Pontifices, & postremo in Concilio Tridentino renovata, simulque de eorumdem privilegiorum revalidatione, & confirmatione sermonem habebimus.

Cùm enim privilegia Regularibus, & aliis exemptis à Papa concessa, possint ab ejus successoribus ad eorum libitum in totum, vel in partem, revocari, penitùs tolli, vel moderari, seu limitari, eo quòd Summorum Pontificum manus à prædecessore ligari nequaquam possunt; ideo Regularium, & aliorum exemptorum privilegia immutabilia non sunt, nisi in quantum à Successoribus Summis minimè revocantur; etiamsi de talibus privilegiis fit manifesta clausula, *quod intelligantur revocata per quamcunque posteriorem Constitutionem, nisi de eis specialis mentio fiat.* Nam si, v. g. Summus Pontifex, postquam ex speciali gratia, aliquibus Regularibus concesserit, quòd nulli decimas solvere teneantur, mittat Legatum suum à Latere, cum facultate imponendi decimas, etiam privilegiatis, non obstantibus privilegiis quibuscunque in contrarium facientibus, etiam si de illis specialis mentio fieri deberet; certum est, quòd per clausulas has generales derogatorias privilegiorum, tenentur ipsimet privilegiati decimas solvere: ratio est, quia cùm privilegia diversis locis, & personis à Sede Apostolica exhibita, sint ferè innumerabilia, & de singulis Summus Pontifex memoriam habere minimè possit; satis est, quòd primis privilegiis constet ipsum Summum Pontificem voluisse derogare.

37

38

Huic

Hinc est, quòd Summi Pontifices aliquando privilegia Regularibus concessa (prout illis meliùs visum est expedire) revocaverint, vel in partem, vel in totum abstulerint, ut fecit Leo X. in Concilio Lateranensi, anno 1516. die 19. Decembr. teste Eman. Roderic. *in sua collect. Bullar. Bulla* 45. ejusdem Leonis, revocavit enim iste Summus Pontifex aliqua privilegia Regularibus concessa, quæ ut intelligamus, an postea revalidata sint, hic breviter recensenda duxi.

40 Primò, statuit, ut pacta, & conventiones facta inter Curias, & Prælatos Regulares, valeant, nisi per sequens Capitulum Generale, & Provinciale refutentur, & talis refutatio sit debito tempore intimata.

Secundò, statuit, Presbyteros seculares posse in Ecclesiis Regularium devotionis causa celebrare, & quòd Regulares libenter eos recipiant.

Tertiò, quòd Religiosi non intrent processionaliter cum Cruce in alienas Parochias, ad levanda corpora defunctorum in suis domibus sepelienda: nisi ubi de hoc sit consuetudo, vel nisi Clerici requisiti ad deferendum corpus id facere recusent; ut etiam concesserat Sixtus IV. inter vivæ vocis oracula.

Quartò, quòd non possint Religiosi absolvere Laicos, & Clericos à sententiis ab homine latis.

Quintò, quòd Religiosi ordinandi possint per Ordinarios examinari, & per eosdem, si competenter respondeant, liberè admitti, ac in eorum domibus ab alio, quàm à Diœcesano Episcopo (nisi ipso, aut ejus Vicario, super hoc, cum debita instantia requisito, & sine causa rationabili contradicente, vel eo à Diœcesi absente) ad dictos Ordines promoveantur.

Sextò, quòd Ecclesiæ, aut Altaria Religiosorum consecrentur, & benedicantur ab Episcopo Diœcesano; nisi bis, vel ter requisitus cum debita reverentia, & instantia, venire recuset.

Septimò, quòd non possint Religiosi, sine consensu Curatorum, sponsos benedicere.

Octavò, quòd Religiosi, sub pœna centum ducatorum, non pulsent Campanas in Sabbato Sancto, antequam Campana Cathedralis, vel Matricis Ecclesiæ pulserit: & nomine Matricis Ecclesiæ, intelligitur Ecclesia Cathedralis, ut habetur *in cap. venerabilis, de verborum signific.*

Nonò, quòd Religiosi moneant seculares, ut solvant decimas.

Decimò, quòd Conservatores Religiosorum sint in dignitate Ecclesiastica constituti, nec ullum reum trahant ultra duas dietas, à loco suæ solitæ habitationis.

Undecimò, quòd excommunicati ob aliquod interesse, Ordinem Mendicantium intrare volentes, non possint absolvi; nisi prævia satisfactione; & procuratores, etiam operarii, & famuli Religiosorum subsint sententiis excommunicationis Episcoporum.

Duodecimò, quòd Fratres, & Sorores Tertii Ordinis, Mantellati, Corregiati, Pinzochetæ, Cordellari, & alii quovis nomine nuncupati, in propriis domibus habitantes, non gaudeant privilegiis collegialiter viventium, & castitatem voventium.

Et post hæc idem Leo X. *Bull*, 44. apud Eman. Roder. quæ est posterior *d. Bull.* 45. declarat, quòd dicti Fratres, & Sorores, licèt possint eligere sepulturam ubi velint, tenentur tamen Eucharistiam in Paschate, Extremam-unctionem, ac alia Sacramenta, præter Pœnitentiam à proprio Sacerdote recipere; tenentur ad alia onera Laicorum, nec sunt admittendi ad divina, quando interdicto, vel dantibus causam dederunt auxilium, consilium, aut favorem: & collegialiter viventes, ac mulieres virginalem, seu cœlibem, aut castam vidualem expresso voto etiam simplici, ut *ibi* declaratur, & sub dicto habitu vitam ducentes, privilegiis, quibus Fratres Ordinis, cujus Tertiæ Regulæ habitum gestent, gaudere debent. Prout in Concilio Lateranensi continetur, etiam si habent in propriis, vel consanguineorum domibus.

In eadem Bulla Leonis X. multa alia præcipiuntur, quæ cùm postea à Concilio Tridentino renovata sint pluribus in locis, (de quibus suprà *in Disput.* 15. *Quæst.* 4. satis actum est) ideò hîc omittuntur, cùm *loco cit.* omnia prædicta sigillatim pertacta sint, & sufficienter examinata.

Advertendum tamen est, multa ex illis, quæ paulò superiùs attulimus in Concilio Lateranensi gestis, fuisse postmodum revocata à successoribus Pontificibus, ut suis in locis, tam primi, quàm secundi Tomi dicemus; ac per consequens Regularium privilegia per eosdem successores Pontifices fuerunt revalidata, & ad hoc dicendum moveor, non solùm propter rationes, quas adducit Eman. Roder. *quæst. Regul. tom.* 1. *quæst.* 8. *per totam*, sed etiam ex eo, quòd multi Pontifices post Leonem diversorum Ordinum privilegia confirmarunt; excipiendo tantùm, quæ per non usum sunt revocata, & quæ sunt contraria Decretis Concil. Trident. ac sacris Canonibus ejusdem scilicet Concil. Trident. cùm in illo Decreta, & Canones continerentur; sic confirmat Gregorius XIII. *Bull.* 1. privilegia Minorum. Eodem etiam tenore confirmat idem Gregorius Bulla 20. privilegia Cistercienfium; & Bulla 13. privilegia S. Hieronymi Jesuatorum; & Bulla 14. privilegia Militiæ Sancti Joannis; & Bulla 15. privilegia Præmonstratensium, & sic de aliis, & excipiendo tantùm quæ non sunt in usu, & quæ sunt tantùm contra Concilium Tridentinum, firmat magis nostram conclusionem: nec valet dicere, quòd dicta privilegia erant revocata, saltem per non usum; quia ad istam revocationem per non usum est necessarius non usus centum annorum, quos manifestum est non transisse à prædicta revocatione Leonis X. usque ad primam confirmationem: immò nec sexaginta.

Item per hoc, quòd Concil. Trident. revocat aliqua ex privilegiis revocatis in dicta Bulla Leo X. virtualiter insinuat, & vult alia non esse revocata, sed in suo robore permanere: sicut ex eo, quòd apponendo Pius V. in suo proprio motu, de censibus, aliquas conditiones, ex appositis à Martino V. & Callisto III. in suis decretis de censibus, omittendo alias, colligunt Theologi, istas conditiones omissas à Pio V. non esse jam necessarias pro censibus.

Probatur insuper, & à fortiori, quòd prædicta privilegia revalidata sint; nam Casarub. *in Compend. privileg. verb. Concilium, n.* 7. ait, quòd postea Leo X. revalidavit omnia prædicta privilegia Regularium, & in pristinum statum ea restituit vivæ vocis oraculo; sed in foro conscientiæ solummodò, *& eodem num* 7. *cit. vers.* notandum est etiam, ait idem Auctor, quod etiam ideo Leo revalidavit, & in pristinum statum restituit omnia Mendicantium privilegia, pro foro etiam exteriori; & hoc per quandam Constitutionem concessam Prædicatoribus, post præfatum Concilium, quam refert Casarub. *vers. communicatio privilegiorum, num.* 10. cum derogatione omnium contrariorum, videlicet: *Non obstantibus quibuscunque Apostolicis suspensionibus, revocationibus, & restrictionibus, sive Constitutionibus, Ordinationibus, nec non Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis, specialibus, vel generalibus.*

Unde cùm ista Bulla fuerit facta post dictam modificationem privilegiorum Mendicantium, in Concilio Lateranensi, & per illam derogetur etiam Constitutionibus editis in Conciliis generalibus, non est dubium, quin deroget dictæ modificationi. Et ait idem Casarub. *loco cit.* quòd consulti super hoc viri docti, ita responderunt. Eadem insinuat Casarub. *vers. privilegia Fratrum, num.* 28. *&* 29. & expressè id pro-

bat

bat multis adductis, Roderic. *quæſt. Regular. quæſt.* 8. *art.* 10.

Non ſolùm privilegia non Mendicantium fuerunt confirmata (ut præmiſſum eſt) à Leone X. ſed etiam non Mendicantium, ut ſpeciales non Mendicantium Conſtitutiones ejusdem Leonis teſtantur; & præcipuè quædam Conſtitutio ejusdem, pro confirmatione privilegiorum Canonicorum Regularium Lateranenſium, in qua eximit hanc Congregationem à revocationibus privilegiorum factis in Concilio Lateran. per hæc præciſa verba:

Dilectis Filiis, Rectori Univerſali, ac Viſitatoribus, cæteriſque Canonicis Regularibus Sancti Auguſtini Congregationis Lateranen. ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

DEcet Romanum Pontificem geſta per eum, ſuper quibus dubia oriuntur, ſuæ declarationis arbitrio ita plana reddere, ut nullum valeat exinde dubitationis involucrum exoriri. Cùm itaque ſicut Nobis nuper exponi feciſtis, inter alia privilegia immunitatis exemptionis, conceſſionis, & gratiarum, indulta Congregationi veſtræ, ac illius locis, & perſonis pro tempore exiſtentibus, ab Apoſtolica Sede conceſſa, & confirmata, fel. record. Sixtus Papa IV. Motu proprio Congregationem ipſam Canonicorum Regularium Lateranenſium Ordinis ſancti Auguſtini, illiusque Monaſteria, Membra, Eccleſias, Loca, Perſonas, & eorum Capellanos, qui pro tempore forent in Eccleſiis, & Parochiis ejusdem Congregationis, curam animarum habentes, à quorumcunque Legatorum, Delegatorum, Subdelegatorum, nec non Nunciorum dictæ Sedis, Patriarcharum, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & aliorum quorumcunque Judicum ordinariorum, & extraordinariorum, aliarumque quarumcunque perſonarum, quantacunque ampla præfulgeant dignitate, ſeu præeminentia, jurisdictione, auctoritate, poteſtate, dominio, viſitatione, jure Cathedratici & charitativi ſubſidii, ſubventione, & exactione quarumcunque, præſtatione, nec non Synodalibus, & alterius cujuscunque Congregationis, ſeu proceſſionum evocatione. Ita quòd in Congregatione Canonicorum, perſonas, Monaſteria, Eccleſias, membra, & loca præfata, utpotè prorſus exempta, nullamque excommunicationis, ſuſpenſionis, aut interdicti ſententiam, ſeu alias cenſuras, ſeu pœnas ſpecialiter, & generaliter, eorum auctoritate ordinaria promulgare, nec ullam aliam in Monaſteria, Eccleſias, perſonas, & loca hujusmodi præeminentiam, & jurisdictionem quomodolibet exercere poſſent, etiam ratione contractus, vel delicti, ſeu rei, de qua ageretur, ubicunque iniretur contractus, committeretur delictum, & res ipſa conſiſteret, etiam cum decreto irritante, per quasquam literas prorſus exemerit, & totaliter liberaverit, Congregationemque, & omnia præfata, in jus, & proprietatem Beati Petri, & Sedis ejusdem, & ſub eorum ſpeciali protectione, atque ſua receperit. Ac per easdem ſuas litteras motu ſimili ſtatuerit, & ordinaverit, quòd quæcunque literæ Apoſtolicæ, etiam proprio motu confectæ, aut in futurum conficiendæ; etiam ſi in eisdem clauſula, privilegiis, & indultis dictæ Congregationi conceſſis; non obſtantibus, & de quibus expreſſè mentio fieri deberet, expreſsè non teneretur, quæ obviaret, & contraveniret hujusmodi privilegio, aut quibuslibet ejus particulis, ut ſuprà, niſi evidentiſſimè, & apertiſſimè appareret, quòd Summus Pontifex, qui pro tempore eſſet, hujusmodi indulto, vel alicui ejus parti, vellet per Apoſtolicas literas derogare, faciendo ſpecialem de verbo ad verbum, ex certa ſcientia, de hujusmodi privilegio, & ipſa Congregatione diverſis nominibus eam nominando, per hæc præciſa vocabula, *Congregationem, unitatem de Obſervantia, aliàs de Friſonaria, nunc Lateranen. appellatam*, cauſasque legitimas allegaret, quæ his obviare intenderet, decretum nullius eſſet roboris, & momenti, aliaque quamplura conceſſerit, decreverit, ſtatuerit, atque mandaverit, prout in prædicti Sixti indultis, privilegiis, ac literis latiùs dicitur contineri.

Quia verò ipſo Nos Sacro approbante Concilio, conceſſiones Fratribus Mendicantibus per Romanos Pontifices prædeceſſores Noſtros, & Sedem præfatam factas, ſub certis modo, & forma tunc expreſſis, per certas Noſtras literas moderavimus, ac hujusmodi moderationem ad Religioſos Ordinum quorumcunque extendi, & per eos, etiam ſervari debere volumus & decernimus (ut per illas aſſeritur) privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, conceſſionibus, gratiis, & indultis hujusmodi dictæ Congregationi conceſſis præjudicatum fuiſſe, & Congregationem, & alias perſonas hujusmodi, juxta moderationem hujusmodi, dumtaxat uti, & gaudere debere. Quamobrem Nos, ad quos ex commiſſi Nobis officii debito pertinet, omnem ex Apoſtolicis Conſtitutionibus dubietatis ſcrupulum amovere, ne propter veritatis ſuppreſſionem quis jure ſuo fruſtretur, volentes ſuper hoc dictæ Congregationis ſtatui, & indemnitati providere.

Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine decernimus, & declaramus, per moderationem, & literas Noſtras prædictas, nullam privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, conceſſionibus, gratiis, & indultis Congregationi præfatæ, & in illius favorem, ut præfertur, per tot Romanos Pontifices conceſſis, & iteratis vicibus confirmatis, præjudicium inferri, quemadmodum neque ea ſub hujusmodi moderatione comprehenſa fuiſſe, vel eſſe, aut contineri, & potuiſſe comprehendi, vel poſſe; ſed quoad hujusmodi moderationem illos permanſiſſe, & permanere; Congregationemque, & illius pro tempore exiſtentem Rectorem Generalem, Viſitatores, Abbates, Præpoſitos, Priores, Canonicos, Perſonas, Capellanos, & omnes Præfatos illis, absque hujusmodi moderatione, liberè juxta eorum tenorem, uti poſſe, & debere in omnibus, & per omnia; perinde ac ſi à moderatione hujusmodi, & deſuper confectis literis, vos expreſsè excepti fuiſſetis: Sicque per quoscunque Judices, & Commiſſarios etiam Cauſarum Sacri Palatii Apoſtolici Auditores, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter interpretandi facultate, judicari, & ſententiari debere. Irritum quoque, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, nec non omnibus illis, quæ in dictis Noſtris literis voluimus non obſtare, cæterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem, quòd tranſumptis præſentium, manu Notarii publici confectis, & alicujus Prælati ſigillo munitis, eadem fides adhibeatur, in Judicio, & extra, quæ præſentibus adhiberetur; ſi illæ eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris die..... Septembris, 1519. Pontificatus Noſtri anno 7.

Habetur in *libro privileg. Ordin. Canonicorum Regularium Lateranen. Mediolanen. impreſſ. pag.* 478. & originaliter extat hoc diploma in Eccleſia prædictorum Canon. Regular. Alexandriæ Inſubrum.

Circa

Circa hanc Constitutionem supradicti Leonis, animadvertit Collector *privil. praedictorum Canonicorum loco cit.* quòd in Concilio Lateranensi, sedente ipso Leone, ad favorem Episcoporum, & Rectorum Ecclesiarum Parochialium, nonnulla Mendicantium privilegia limitata, & moderata fuerunt, utpotè circa Parochiales, eorum Ecclesias, processionum advocationes, confessiones secularium, Sacratissimæ Eucharistiæ, ac Extremæ Unctionis administrationem, Ordinum susceptionem, & id genus plurima, prout in Bulla ejusdem Leonis, edita anno 1516. 14. Kalendas Januarii, Pontificatus anno 4. quæ incip. *Dum intra mentis arcana*, & est 27. in ordine.

Tum verò ipsa moderatio extensa fuit eademmet Constitutione ad alios Ordines; sed per supradictum privilegium exempta fuit Congregatio supradictorum Canonicorum Regularium Lateranensium, ac per consequens omnes Ordines, & Congregationes, quæ communicant cum illis.

Fuerunt etiam confirmata supradicta privilegia, ac cum fortissimis circumstantiis roborata à Sixto V. anno 1587. die 3. Octobris, Pontificatus sui 3. ut elicitur ex Bulla ejusdem Pontificis, quæ incipit: *Etsi Mendicantium*, quæ extat apud Eman. Roderic. *in nova collect. Bullar. pro Regular. Bulla* 14. ejusdem Sixti V. Ex quo sequitur, præfata privilegia esse revalidata: quia confirmatio privilegiorum facta ex certa scientia, habet vim restituendi privilegia revocata; non solùm auctoritate privata, sed etiam à jure communi, ex Suar. *lib.8. de leg. cap.19. num* 4. At supradicta privilegia ex certa scientia confirmata sunt, ut constat ex dictis; ergo jam erunt revalidata.

Si dicas, ad restituenda privilegia jam revocata in Concil. Gener. quod requiritur, ut fiat de Concilio specialis mentio, per clausulam, *Non obstante revocatione talis Concilii*, vel saltem, *Generalis Concilii* in communi, ex Suarez *loc. cit. num.5.* & Eman. Roder. *tom.1. quæst. Regular. quæst.8 art.10.* ubi multos Doctores cumulat: sed in clausulis Bullæ Sixti V. confirmativæ privilegiorum Ordinis Minorum, non est talis clausula; ergo per illam Bullam non erunt revalidata privilegia, per Concilium Lateranense, sub Leone X. revocata.

Respondet argumento, Laurent. de Peirin. *Con. 1. declarat. privileg. Ordin. Minim. Constitut. 4. Julii II. §.3. num.* 11. quòd ista clausula, *non obstantibus Constitutionibus Conciliis Generalis*, licèt explicitè non sit apposita, est tamen implicitè, quatenùs scilicet, confirmat dicta privilegia, dummodo decretis Sacri Concilii Tridentini non sint contraria; quæ exceptio, ut jura clamant, firmat regulam in contrarium, quasi velit Sixtus V. per hæc verba: *Dummodo Decret. Sacri Conc.* &c. confirmare, & innovare omnia Regularium privilegia, quæ contra Decreta Concil. Tridentini non sunt, etiamsi derogent Constitutionibus aliorum Concilium: alioquin illa clausula, *Dummodo Decretis Sacri Concilii*, &c. esset superflua.

Corroboratur id, quod dictum est, nam expressiùs, & clariùs prædicto Concilio Lateranensi per Gregorium XIII. derogatum est, qui teste eodem Laurent. de Peirin. *loc. cit. num.*13. in ejus constitutione confirmativa privilegiorum; hæc adhibet verba: *Non obstantibus præmissis, ac quibusvis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, etiam Generalis Concilii Lateranensis, ultimo celebrati*. Ex quibus manifestè remanet decisum, supradicta privilegia remanere in suo robore, neque obstare Concilium Lateranense prædictum, neque quoad forum internum, vel externum; ita Passarellus *in not. privil. not* 12. & Joan. de la Cruz *lib. 2. de statu Relig. cap.3. dub.5. conclus.* 3. quos citat, & sequitur idem Laurent. de Peirin. *loco citato*.

Postremò probatur ex eodem Joanne de la Cruz *loco cit. versic. tandem ista*, ubi per Bullam Pauli V. quæ incipit: *Ad perpetuam rei memoriam*, edita prima die Decembris, anno 1609. probat privilegia præfata non esse revocata: quia Paulus V. in dicta Bulla innovat, & confirmat illa privilegia tam pro foro interno, quàm externo; & addit, quòd etiam à Clemente VIII. ex certa scientia, fuerunt hujusmodi privilegia confirmata, non excipiendo privilegia, quæ non sunt in usu; sed illa tantùm, quæ Decretis Concilii Tridentini non adversantur.

Insuper idem Joannes de la Cruz, id ipsum confirmat ex literis quibusdam monitorialibus Auditoris Cameræ Apostolicæ, ad favorem, & pro manutentione privilegiorum Ordinis Prædicatorum, datis Romæ die 11. Octobris 1612. ubi Illustriss. Card. Joannes Dominus Spinula fidem facit, Sanctissim. Pontificem Paulum V. ad instantiam Procuratoris Generalis Fratrum Prædicatorum, manutenere, & velle in suo robore manere omnia privilegia, quomodolibet à prædecessoribus dicti Summi Pontificis, etiam per viam communicationis, dicto Ordini Prædicatorum concessa.

Præcipitur pariter in eisdem literis, omnibus Ordinariis, & aliis Superioribus, sub gravissimis censuris, ne eos impediant, quominus eisdem privilegiis, gratiis, immunitatibus, exemptionibus, & aliis indultis uti valeant.

QUÆSITUM IV.

Utrùm confirmatis, vel sublatis privilegiis unius Abbatiæ, aut Conventus, censeantur confirmata, vel sublata privilegia ad instar illorum alteri Abbatiæ, vel Conventui concessa.

SUMMARIUM.

1 *Privilegia unius Religionis, si confirmata fuerint in forma communi, non propterea censentur confirmata privilegia alteri Religioni ad instar illorum concessa.*

2 Limita, *si confirmatio esset, ex certa scientia; vel esset clausula in privilegio ad instar, quòd respiciat præterita, & præsentia, & futura privilegia alterius Religionis.*

3 *Privilegiis unius Religionis confirmatis, censentur etiam confirmata privilegia concessa ad instar illorum alteri Religioni, quæ habet communicationem privilegiorum concessorum, & concedendorum.*

4 *Privilegiis sublatis alicujus Religionis, quando censentur sublata, seu revocata privilegia ad instar illorum aliis Ordinibus, seu Congregationibus concessa, ostenditur.*

Quoad primi Quæsiti partem, nimirum quoad confirmationem, respondeo, quòd si privilegia unius Abbatiæ, vel Congregationis Monachorum, seu alterius Religionis, tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, fuerint confirmata in forma communi; non propterea censentur confirmata privilegia alteri Religioni ad instar illorum concessa. 1

Secùs erit dicendum, si confirmatio ex certa scientia facta sit, & in privilegio ad instar alteri Religioni concesso extet clausula, quòd respiciat privilegia alterius Congregationis, non solùm præterita, & præsentia, verùm etiam futura. Ratio est, quia concedens privilegium ad instar alterius, solùm dirigit mentem suam ad id, quod jam est alteri concessum, non autem ad concedendum; nisi in eo exprimatur, Bald. *in l. omnia C. de Episc. & Cler.* Suar. *de legib. lib. 8. cap. 15. n.2.* quando verò non modò præterita, atque præsentia, verùm etiam futura concessa fuerint; tunc per confirmationem priorum privilegiorum, confir- 2

mata etiam censentur ad instar eorumdem aliis concessa; talis enim confirmatio est veluti nova quædam eorum concessio, ut tenet Bart. *in l. more majorum, ff. jurisd. omn. jud.* quem refert Roderic. *tom. 1. quæst. 8. art. 2.* & Miranda *in Man. Prælat. tom. 2. quæst. 42. a. 5. conclus. 2.*

3 Unde confirmatis privilegiis unius Religionis, censentur etiam confirmata privilegia concessa ad instar illorum alteri Religioni, quæ habet communicationem privilegiorum concessorum, & concedendorum illi Religioni, cujus privilegia confirmata fuerunt; ita Roder. & Mirand. *loco citato*; & Surd. *dicto lib. 8. de legib. cap. 19. num. 10.* ubi etiam censet, id valere, etsi confirmatio fit in forma communi; quia etiam confirmatio in forma communi, gratia, & privilegium est: Ita etiam Laurent. de Peirin. *in declarat. constit. 4. Julii II. pro suo Ord. Minim. num. 12. tom. 1.* & hæc quoad confirmationem.

4 Quo verò ad revocationem est dicendum, quòd sublatis privilegiis alicujus Ordinis, sive Congregationis non censentur sublata, seu revocata privilegia ad instar illorum aliis Ordinibus, seu Congregationibus concessa. Nam privilegia concessa studio Bononiensi ad instar privilegiorum studii Senensis non censerentur sublata, & revocata, si revocarentur, aut perderentur privilegia dicti studii Senensis.

Ratio est, quia privilegia alicui Congregationi, seu Ordini ad instar alterius concessa, non dependent ab aliis, quoad eorum conservationem: sed quoad productionem tantùm; & statim, ut conceduntur, sunt propria illius Ordinis, cui ad instar concessa sunt. Ex his infertur, quòd si aliquæ Religiones obtinerent aliqua privilegia ad instar Ordinis Humiliatorum, qui fuit extinctus à Pio V. Pontifice Maximo; hujusmodi privilegia aliis Religionibus per viam communicationis concessa, quantùm ad ea non censentur sublata, aut revocata, licèt sint extincta quantùm ad dictum Ordinem Humiliatorum: Ratio est, quia statim ac alteri Ordini, seu Congregationi conceduntur, seu communicantur, ejusdem propria, ac ab aliis independentia efficiuntur, ita Guliel. & Bald. *in l. privilegia, C. de sacrosanct. Eccl.* quos refert & sequitur Panormit. *in cap. super specula, num. 6.* Rodet. *tom. 1. quæst. Regular. quæst. 9. art. 9.* Mirand. *loc. cit. art. 5. conclus. 1.* de quo latiùs agendum erit in hac Disput. *Quæst. 5.*

QUÆSITUM V.

Utrùm confirmatio ex certa scientia privilegiorum, alicui Religioni concessorum, comprehendat ea privilegia, quæ in usu non erant.

SUMMARIUM.

1 *Refertur Julii II. responsum, ad propositum Quæsitum.*

2 *Quod interpretantur Collector privileg. Mendicant. & alii, qui eum sequuntur, sed malè,* ut num. 6.

3 *Confirmatio ex certa scientia, confirmat actum nullum, eique novum robur tribuit, & validitatem.*

4 *Confirmatio ex certa scientia, habet vim novæ concessionis, quando confirmat id, quod invalidum est.*

5 *Confirmatio ex certa scientia, non dicitur simplex confirmatio, seu innovatio, sed ampliatio, vel nova concessio.*

6 *Confirmatio simplex privilegiorum ex certa scientia, cùm possit referri ad privilegia valida, & invalida; ad ea tantùm referri debet, quæ valida, & in usu sunt.*

7 *Clausula,* Ex certa scientia, *non tollit effectum intentionis.*

Hæc quæstio solet sæpè sæpiùs in materia practicabili inter Doctores disputari; qui in ea decidenda in varias divisi sunt sententias. Cujus tamen resolutio absque dubio pendet ex responso Julii II. incip. *In militantis Ecclesiæ agro*, quod refert Roderic. *tom. 1. Bullar. pag. 570.* 1

Confirmaverat enim Summus Pontifex Sixtus IV. ex certa scientia, per illa verba, *Et de novo concedimus*, privilegia Minoribus Fratribus concessa. Quæsitum deinde fuit à Julio II. utrùm hujusmodi confirmatio comprehendat ea privilegia, quæ jam in usu non erant? Respondet Julius prædictus negativè; quòd scilicet privilegia, quæ in usu non sunt, minimè confirmantur.

Sed contrà insurgit Collector privileg. Mendicant. prout eum refert Roder. *quæst. Regular. tom. 1. quæst. 8. art. 2. ad finem*, asserens hoc Julii II. responsum datum fuisse absolutè, & generaliter propter defectum relationis; hoc est, Julius II. ita respondit, quia plenè non fuit informatus de forma confirmationis; ac proinde, quòd in ea reperiebantur clausulæ, *Ex certa scientia, Mera voluntate, Motu proprio, & pro potiori cautela*: & quòd si de his clausulis plenè informatus fuisset, contrarium responderet; & hoc ipsum post Cordub. repetit Suar. *de legibus, lib. 8. cap. 20. num. 9.* asserens non videre, quid aliud posset responderi. 2

Pro illis poterunt aliqua afferri, quæ suam videntur astruere opinionem; & in primis, quòd confirmatio illa *Ex certa scientia*, actum nullum confirmat, eique novum robur tribuit, & validitatem, juxta text. *in cap. 1. de transact. in fin.* quòd in hac confirmatione procedere notavit Gloss. *in cap. quia intentionis 29. de privil.* & sequuntur ibi omnes; & præcipuè ea aliis, Suarez *d. lib. 8. cap. 18. à num. 12.* & nonnulli citati à Barbos. *in collect. ad cap. cùm dilecta, 4. num. 18. de confirmat. utili.* 3

Tum quia eadem confirmatio habet vim novæ concessionis, quando confirmat id, quod invalidum est, ut censuit Rota *in Facen. Vicariæ, 27. Jan. 1614. coram bon. memor. Buratto, impress.* per Farinac. *decis. 513. num. 6. part. 2. Recent.* 4

Tum quia non dicitur simplex confirmatio, seu innovatio, sed ampliatio, & nova concessio, *cap. si Apostolica*, & ibi Gloss. *in verb. confirmamus, de præbend. lib. 6.* Gozadin. *cons. 62. num. 15.* Barbos. *in collect. ad dictum cap. cùm dilecta, num. 10.* 5

Ego tamen, his minimè refragantibus, advertendum duxi cum Barbos. *in collect. ad dictum c. cùm dilecta, num. 29.* confirmationem illam Sixti IV. fuisse generalem privilegiorum Fratribus Minoribus concessorum; nec de singulis, etiam de ipsorum justitia, ac validitate, causæ cognitionem processisse; unde cùm possit referri ad privilegia valida, quæ in usu sunt, & ad invalida, vel quæ alias non sunt in usu, ad ea tantùm debet referri, quæ valida, & in usu sunt, juxta celebrem doctrinam Antonii de Butr. per text. ibi, *in cap. dudum, num. 15. de decim.* multum commendans, quòd benè notetur, cùm alibi non reperiatur; sequuntur Alexand. *cons. 39. num. 10. volum. 4.* Gabed. Lusitan. *decis. 3. num. 5. part. 2.* Rota *decis. 11. num. 3. part. 2. Recent.* & confirmari potest ea text. & quæ ibi notant Abb. & alii communiter, *in cap. 1. versic. nec constitutione, de iis, quæ fiunt à majori parte Capituli, & in cap. 1. de jurejuran. lib. 6.* 6

Non obstat, quòd Pontifex ex certa scientia se confirmare adjecit; non enim ideò sequitur, ex certa scientia fecisse; & plenè de singulis informatum fuisse; immò defectus intentionis potest præsumi respectu eorum, quæ vel injusta sunt, vel per non usum sublata; quem defectum intentionis clausula illa, *Ex certa scientia*, non tollit, juxta ea, quæ ad hoc pro- 7

positum tradunt, Menoch. *cons. 1. num. 432.* Sanchez *de matrim. lib. 8. disp. 4. num. 6.* Rodolphin. *de suprema, seu absoluta Princip. potestate, cap. 6. num. 5.* Aldred. *pro omnimod. Regul. exempt. part. 2. cap. 1. num. 11.* & ita respectu eorum, de quibus Pontifex non habuit notitiam, magis reducitur ad confirmationem in forma communi, quæ non reddit actum de invalido validum, sed illud confirmat, prout antea erat, & in eodem robore, & statu eum relinquit, juxta text. *in cap. quia diversitatem, de concess. præbend. & in cap. examinata, de concess. util.* cum similibus, de quibus Rota *decis. 192. num. 3. part. 1. Recent.* & *decis. 229. num. 11.* & *decis. 405. num. 1. part. 2. Recent.*

Quapropter facilius, & præstabilius est asserere, juxta supradicta respondisse Julium II. quàm ab illius Pontificis interpretatione temerè recedere cum Collectore privilegiorum, & aliis, qui eum sequuntur.

QUÆSITUM VI.

Clausulæ in privilegiis, & eorum confirmationibus, ac innovationibus insertæ, qualiter declarandæ, & interpretandæ veniant, & sub quibus Regulis interpretatio hæc fieri debeat.

SUMMARIUM.

1 *Clausula*, Quatenus sint in usu, *in privilegiorum confirmationibus, confirmat illa privilegia, quæ sunt in observantia, quamvis invalida per quamcunque aliam causam, si adsit Clausula*, Ex certa scientia.

2 *Canones Sacri hic intelliguntur, qui sunt inserti in Concil. Trident.*

3 *Verba*, Et decretis Sacri Concilii Tridentini non adversentur, *revocant solùm privilegia, quæ à prædicto Concilio Trident. revocata sunt per clausulam*, Non obstantibus, &c.

4 *Defectus omnes juris positivi supplet clausula*, Supplentes, &c.

5 *Juris naturalis defectus non supplet clausula*, Supplentes, &c. *prout nec supplet defectus, qui concernunt personam supplicantis.*

6 *Clausula*, Prorsus eximimus, &c. *vis, & effectus ostenditur.*

7 *Dictio*, Prorsus, *excludit omnia, & singula, quæ in contrarium excogitari possunt.*

8 *Clausula*, Nobis, & successoribus Nostris, canonicè intrantibus, *vis, & effectus ostenditur.*

9 *Contravenientes clausulæ*, Indignationem Omnipotentis Dei, &c. *peccant mortaliter.*

10 *Clausula*, Indignationem Omnipotentis Dei, &c. *importat comminationem privationis beneficiorum.*

11 *Privilegii Pontificii infractores, in quo adest clausula*, Indignationem Omnipotentis Dei, &c. *subjiciuntur pœna arbitrariæ.*

12 *Clausula*, Sublata, &c. *claudit os Judici, & illi tollit facultatem aliter judicandi.*

13 *Privilegium munitum clausula*, Sublata, &c. *ubi non intrat, tunc hæc clausula, nihil operatur.*

14 *Majora expressis non comprehendit clausula*, Sublata, &c. *nec se extendit ultra limites principalis dispositionis.*

15 *Clausula*, Sublata, &c. *non obstat dicenti gratiam non comprehendere casum, de quo agitur.*

16 *Privilegium, seu facultas facta pro foro conscientiæ, in exteriori suos operatur effectus secundùm aliquos, cujus contrarium verius est*; ut num. 17.

18 *Clausula*, Sine Parochiæ præjudicio, *vis, & effectus ostenditur.*

19 *Specificationis specialis vim habet clausula*, In omnibus, & per omnia, *in privilegiis inserta.*

20 *Expressionis specialis habet vim clausula*, Motu proprio.

21 *Vitium subreptionis tollit clausula*, Motu proprio, *nisi procedat subreptio ex re ipsa, vel contingat in falsa causa expressione.*

22 *Juri tertii, non solum in re, sed etiam ad rem, non præjudicat clausula*, Motu proprio.

23 *Præjudicium tertii non infert clausula*, Motu proprio, *maximè quando non præcessit causa cognitio.*

24 *Privilegium contra jus alterius obtentum, non firmat clausula*, Motu proprio.

25 *Contraria omnia censentur sublata, absque alia derogatione, stante clausula*, Ex certa scientia.

26 *Tertii in grave præjudicium nihil operatur clausula*, Ex certa scientia.

27 *Subreptionis præjudicium. non tollit clausula*, Ex certa scientia, *nisi quando Princeps informatus processerit.*

28 *Clausula*, Ex certa scientia, *non operatur in iis, quæ in facto consistunt, & de quibus Princeps non præsumitur habuisse notitiam.*

29 *Princeps ubi scribit*, De plenitudine potestatis, *nihil opponi potest contra privilegium, vel quòd gratiam annullet.*

30 *Solemnitatis defectus omnes non pervenientes à natura, tollit clausula*, De plenitudine potestatis.

31 *Tertii in præjudicium nihil operatur clausula*, De plenitudine potestatis.

32 *Regula de jure quæsito non tollendo, non derogat clausula*, De plenitudine potestatis.

33 *Clausula*, De plenitudine potestatis, *nihil operatur, quando ea utens, de negotio informatus non est.*

34 *Clausula*, De plenitudine potestatis, *si apponatur super illicito, intelligitur de potestate bona, & laudabili.*

35 *Facta*, De plenitudine potestatis, *sine causa, dicuntur, per allusionem, fieri de plenitudine tempestatis.*

36 *Clausula*, Non obstantibus, &c. *tollit omnia, quæ dispositioni, in qua est apposita, obstare possunt.*

37 *Clausula*, Non obstantibus, &c. *non auget plus quàm gratia conferat.*

38 *Dispositio, super qua est apposita clausula*, Non obstantibus, &c. *si nulla existeret, illa clausula nihil operaretur.*

39 *Derogatoriæ derogatoriarum, quando deroget clausula*, Non obstantibus, &c. *ostenditur.*

40 *Privilegium ad pias causas, vel commiserationis causa, seu publicæ utilitatis gratia concessum, non derogat clausula*, Non obstantibus, &c.

41 *Expressionis individua vim habet clausula*, Pro expressis, &c. *cum omnibus suis qualitatibus.*

42 *Derogationis specialis vim habet clausula*, Pro expressis, &c.

43 *Derogatorias derogatoriarum tollit clausula*, Pro expressis, &c.

44 *Tertii in præjudicium non operatur clausula*, Pro expressis, &c.

45 *Intentionis defectum non tollit clausula*, Pro expressis, &c.

46 *Clausula*, Quorum tenores, &c. *vis, & effectus remissivè.*

47 *Clausula*, Decernens irritum, &c. *irritat omnia, quæ in contrarium fiant, & actum reddit nullum ipso jure.*

48 *Titulum, & possessionem inficit decretum irritans, quando intrat constitutio, cui adhæret.*

49 *Formam inducit clausula*, Decernens irritum, &c.

50 *Clausula*, Decernens irritum, &c. *etiamsi non extendatur, suos operatur effectus.*

51 Tem-

51 *Tempus unum, quod videatur alteri inesse, operatur clausula,* Ex tunc, prout ex nunc.
52 *Clausula,* Ex tunc, prout ex nunc, *operatur, ut actus postea factus, censeatur jam à principio factus.*
53 *Clausula,* Ex tunc, prout ex nunc, *non est retroractivn ad diem data in prajudicium juris alteri medio tempore quæsiti.*
54 *Clausula,* Pro majori cautela de novo concedimus, *nihil plus tribuit, quàm ipsa confirmatio.*
55 *Clausula,* Sicut accepimus, *posita in gratia motus proprii, non eget justificatione, secus in gratia ad partis instantiam.*
56 *Clausula,* Contradictores, &c. *intelligitur de eo, qui de facto, & injustè contradixit.*
57 *Clausula,* Appellatione remota, *non solùm frivolas, verùm etiam legitimas tollit appellationes.*
58 *Clausula,* Appellatione remota, *non impedit, quin possit Judex ex legitima causa, recusari.*
59 *Tertii respectu comparentis pro suo interesse, nihil operatur clausula,* Appellatione remota.
60 *Appellationem ab interlocutoria, non tollit clausula,* Appellatione remota.
61 *Legibus quæ in communi conveniunt, privilegiis etiam convenire, & cum sua proportione, applicari possunt.*
62 *Lex interpretari debet, ne inutilis reddatur.*
63 *Verba debent aliquid operari.*
64 *Privilegium dici non potest illud, quod nihil specialiter concedit.*
65 *Lex ubi non distinguit, non nos distinguere debemus.*
66 *Lex una indistinctè loquens, per aliam distinguitur, & limitatur.*
67 *Lex non includit id, ad quod mens, & ratio nullatenus non se extendit.*
68 *Verba sunt intelligenda, non secundùm quod sonant, sed secundùm mentem, & intentionem proferentis.*
69 *Privilegiorum verba sunt interpretanda secundùm propriam significationem, & communem usum loquendi.*
70 *Verba debent interpretari naturaliter, & propriè, & verè; non autem accidentaliter, civiliter, & fictè.*
71 *Privilegia recipiunt interpretationem à supplicatis.*
72 *Privilegium quando latè, quando verò strictè sit interpretandum, ostenditur,* & num. 74. 75.
73 *Privilegium enormiter lædens Ecclesiam, aut alios, non valet; nisi fiat mentio de ista enormi læsione.*
76 *Privilegia dubia Regularium, dubietate ortu ex ambiguitate verborum, & ex Juristarum interpretatione, in favorem Regularium sunt interpretanda.*
77 *Statuta Regularium non ita rigorosè interpretari debent, ut apices juris serventur, sed amplianda sunt ex bono, & æquo.*

Hucusque latè egimus de privilegiis, privilegiorumque communicatione, confirmatione, & innovatione; quia verò in eis reperiuntur quamplures clausulæ apponi solitæ, ex quibus genuina pendet eorum interpretatio; ideo me gratum facturum esse censui Abbatibus, & aliis quibuscunque hujusmodi Privilegiis quomodolibet fungentibus, si de principalium clausularum vi, & effectibus aliqua in præsenti breviter dixerim, in hunc qui sequitur modum.

CLAUSULA PRIMA.

Quatenus sint in usu, & sacris Canonibus, ac Decretis Concilii Tridentini non adversentur.

1 Hæc clausula, quæ in confirmationibus privilegiorum frequens est, confirmat tantùm in prima ejus parte privilegia illa, quæ sunt in observantia, suumque valorem retinent; non autem ea, quæ invalida, & amissa sunt per non usum, vel per contrarium usum: secus autem si sunt in usu, quamvis invalida per quamcunque aliam causam; quia tunc, & eo casu per confirmationem ex certa scientia revalidantur, & innovantur; ita docent Roderic. *quæst. Regul. tom. 1. quæst. 8. art. 3.* Suar. *de leg. lib. 8. cap. 18. num. 16.* Joannes de la Cruz *de stat. Relig. lib. 2. cap. 3. dub. 2. conclus. 6.* Laurent. de Peirin. *in declarat. privileg. suo Ordini Minimorum concessorum, tom. 2. super Constit. 1. Gregorii XIII. num. 1.* D. August. Barbosa *de clausul. usufrequent. clausula 124. num. 1. secundùm Lugdun. impress.*

2 Circa alia hujusmodi clausulæ verba, *Et Sacris Canonibus*, observandum est, quòd Sacri Canones, de quibus in præsenti, intelliguntur illi, qui in corpore juris communis inserti sunt, atque illud constituunt; quia cùm omnia ferè privilegia sint contra jus commune, hujusmodi confirmationes parum, aut nihil operarentur; sed sunt Canones inserti in Concilio Tridentino; quod ostendit dictio illa, *Et*, quæ est conjunctiva, & conjungit Canones Concilii, cum ipsius Decretis; ita Hieronym. à Sotbo *in annotat. ad Compend. privileg. verb. privilegia Fratrum, versic. est etiam advertendum,* Roderic. *dicta quæst. 8. art. 8.* Laurent. de Peirin. *loco cit. num. 2.* D. August. Barbos. *de clausul. usufrequent. claus. 52. num. 4. & clausul. 124. num. 2. secundum Lugdun. impress.*

Circa alia verba, *Et decretis Sacri Concilii Tridentini non adversantur*, notandum, quòd per illam revocantur solùm privilegia, quæ à prædicto Concilio revocata sunt per clausulam, *Non obstantibus, &c.* quæ clausula in ejusdem Concilii decretis aliquando apponitur, aliquando verò non, ut patet observantibus: aliud est enim quòd privilegia sint Tridentinæ Synodi contraria, aliud, quòd sint ab ea revocata; ea enim sunt simpliciter Concilio contraria, quæ ab illo revocantur; at quæ non revocantur tacitè admittuntur.

3 Nec obstat, quòd ipsum Concilium *sess. 25. de Regular. cap. 22.* omnia, & singula in superioribus decretis contenta observari præcipiat, *Non obstantibus quibuscunque privilegiis, &c.* nam intendit ea tantùm revocare, quæ adversantur decretis ejusdem *sess. 25. de Regular.* non autem illa, quæ sunt contra decreta aliarum sessionum.

Nec item obstat, quòd Pius IV. per Bullam, incip. *In Principis Apostolorum Sede*, revocaverit omnia privilegia, & indulta, quæ Tridentinæ Synodi decretis contrariantur; quia cùm ea Constitutio edita sit ad majorem observationem, & robur Decretorum Concilii, intelligenda, & explicanda est, prout idem Concilium intelligitur, & explicatur secundùm doctrinam Suar. *de leg. lib. 8. cap. 18. num. 18.* Navar. *in Manual. cap. 27. num. 190.* Roderic. *d. quæst. 8. art. 6.* Laur. de Peirin. *loco cit. num. 3.* Qui in fine addit, sensum communem istius clausulæ, modo obtinere in praxi, ut per eam censeantur derogara privilegia, non solùm quæ à Concilio per clausulam, *Non obstantibus*, derogantur, sed etiam ea, quæ sunt eidem Concilio simpliciter contraria.

II.

Supplentes omnes, & singulos defectus, &c.

4 Hæc clausula, quamvis suppleat omnes defectus juris positivi, secundùm Monet. *de commun. ult. volunt. cap. 7. num. 158.* Vivian. *in prax. jurispatr. lib. 13. cap. 8. num. 158. in noviss.* D. August. Barbos. *de clausul. usufreq. claus. 177. num. 2.*

5 Non supplet tamen defectus juris naturalis, *Clement. 1. §. caterùm, de re jud.* Mart. *de clauf.1. clauf. 171. num. 7.* Card. Tusch. *tom. 1. lit. C. concl. 343. num. 15.* Monet. *d. cap. 7. num. 558.* ubi ampliat procedere, licèt adsit simul clausula, *Ex plenitudine potestatis*, & *Ex certa scientia.* Vivian. *d. cap. 8. num. 168.* D. August. Barbos. *d. clauf. 177. num. 8.*

Nec etiam tollit defectus substantiales, Mart. *d. clauf. 181. num. 9.* Roder. *quæst. Regular. tom. 1. quæst. 8. art. 15.* Vivian. *d. cap. 8. num. 165.* D. August. Barbos. *d. clauf. 77. num. 11.* Nec supplet defectus, qui concernunt personam supplicantis, vel contrahentis. Stephan. Gratian. *disceptat. forensium cap. 599. num. 9.* Monet. *d. cap. 7. num. 159.* Mart. *d. clauf. 181. num. 1.* Menoch. *conf. 1. num 412.* Vivian. *d. cap. 8. num. 169.* Prout nec supplet defectum causæ, Magon. Luen. *decis. 12. num. 21.* D. August. Barbos. *d. clauf. 177. num. 19.* ubi aliqua de hac clausula prosequitur.

III.

Prorsus eximimus, ac totaliter liberamus.

6 HÆc clausula propter suam generalitatem, non solùm derogat privilegiis privatæ personæ concessis, sed etiam Universitati in genere, vel in specie, sub cujuscunque tenoribus, etiam motu proprio, & ex certa scientia, vel de plenitudine potestatis, aut per viam generalis legis, & statuti perpetui; ita Henriquez *in summ. lib. 7. de indulg. cap. 27. num. 4.* asserens *in commento littera F.* hujusmodi clausulam sic geminatam excludere omnem interpretationem in
7 contrarium: est enim de natura illius dictionis, *prorsus*, excludere omnia, & singula, quæ in contrarium excogitari possunt, *cap. statutum, §. provisurus, de rescript. lib. 6.* quod ad id citat D. August. Barbos. *de diction. usufrequent. dict. 294. num. 1. secundùm Lugdunens. impress.*

IV.

Nobis, & Successoribus Nostris canonicè intrantibus.

8 TEndit hæc clausula ad hoc, quòd licèt omnis, qui erit verus successor talis Pontificis canonicè in Pontificatum introire dicatur; additur tamen illa particula, *canonicè intrantibus.* ad innuendum, nos non debere obedire, nec subjici illi, qui non per ostium, sed aliunde intrudetur in ovile Domini; ita Laurent. de Peitin. *in declar. privileg. Ordin. Minimorum, Constitut. 2. Sixti IV. §. 9. num. 11.*

V.

Indignationem Omnipotentis Dei, &c.

9 HÆc clausula, quæ teste Lauden. *in tract. de privileg. quæst. 18.* consuevit apponi in privilegiis Apostolicis, facit ut illi contravenientes mortaliter tantùm peccent; quia hoc est virtualiter obedientiæ præceptum in virtute Spiritus sancti, secundùm Laurent. de Peitin. *in declar. privil. Ordin. Minim. tom. 1. Constit. 3. Sixti IV. §. 4. num. 7.*

10 VerùmBald. *in cap. 1. §. porrò, num. 6.* quæ sit prima causa feudi amittendi, putavit importare quoque comminationem privationis beneficiorum, prout illum referunt Cardin. Tusch. *verb. indignationis pœna, conclus. 91.* Marchesan. *de commiss. part. 1. pag. 422. num. 104. in ultima impress.*

11 Ego verò probabilius existimo infractores Pontificii privilegii, in quo adest hujusmodi clausula, subjici pœnæ arbitrariæ, sicuti docent Martin. Lauden. *d. quæst. 18.* Belench. *de charit. subsid. quæst. 44.* Erasm. à Chokier *de jurisdict. Ordin. in exempt. part. 4. quæst. 62. num. 1.* Joannes à Chokier. ejus frater, *in Eschol. ad præf. primar. Imperat. in fine*; refert & sequitur D. August. Barbos. *in tract. de clauf. usufrequent. clauf. 91.*

VI.

Sublata, &c.

PRoprius effectus hujus clausulæ est, claudere os 12
Judici, & illi tollere facultatem aliter judicandi; ita ut pars, quæ venit contra literalem privilegii intellectum, audiri non valeat, nisi obtenta ab ipsomet Summo Pontifice, in Signatura Gratiæ, oris apertione; sicuti benè tradunt Marchesan. *de commiss. part. 2. pag. 441. num. 3. & pag. 547. num. 2. in ult. impress.* Gonzal. *ad regul. 8. Cancell. gloss. 66. num. 3. cum seqq.* Nicol. Garz. *de benefic. part. 6. cap. 3. num. 98.* Monet. *de commutat. ultim. volunt. cap. 7. num. 213.* Card. Tusch. *tom. 1. lit. C. conclus. 344. num. 7.* & plures alii citati à D. Barbos. *de claufsul. usufrequent. clauf. 175. num 3. secundùm Lugdunen. impress.* quibus addo Vivian. *in prax. jurispatron. lib. 13. cap. 8. num. 246. in ultima impress.* in tantùm, ut si Judex contrarium faciat, ulteriùs procedendo, processus exinde factus est ipso jure nullus, Cardinalis Tuschus *dicta lit. C. conclus. 345.* Vivian. *d. cap. 8. num. 247.* D. August. Barbos. *d. clauf. 175. num. 5.*

Intellige, hanc clausulam prædictum effectum 13
suum operari, postquam fuerit cognitum intrare depositionem, Rota *decis. 423. num. 5. part. 2. Recent.* quia aliàs nihil operatur, quando & in casibus, in quibus privilegium, ea munitum, non intrat, secundùm Anton. Gabriel. *comm. lib. 6. tit. de clauf. concl. 3. num. 8.* & alios, quos refert D. August. Barbos. *d. clausul. 175. num. 39.*

Est enim hæc clausula tantæ efficaciæ, tamque 14
parti præjudicialis, ut non se extendat ultra limites principalis dispositionis, nec comprehendat majora expressis, ex Gonzal. *d. gloss. 66. num. 31.* Nicol. Garz. *d. cap. 3. num. 84. cum seqq.* Et ideò non obstat di-
centi, gratiam non comprehendere casum, de quo 15
agitur, ut per Put. *decis. 48. num. 6. lib. 1. in correct.* Monet. *d. cap. 7. num. 229.* nam per hujusmodi clausulam minimè impediri potest, quominùs Judex possit videre de comprehensione, Rota *decis. 569. in fine, part. 2. Recent.* D. August. Barbos. *de clauf. 175. num. 33.*

VII.

In foro conscientiæ.

NOn defuerunt Doctores gravissimi, qui constan- 16
ter tenent privilegium, seu facultatem factam pro foro conscientiæ, in exteriori suos operari effectus, ut in casu frequentissimo exemplum ponentes de absolutione censurarum, vel dispensationibus irregularitatum, factis virtute privilegiorum Mendicantibus competentium, & aliis Religionibus, de quibus Roder. *quæst. Regul. tom. 1. q. 61. art. 2. cum seqq.* aut quæ fiunt ab Episcopo, auctoritate Concil. Trident. *sess. 24. de reformat. cap. 6.* vel per *Bullas Cruciata*, aut similes, quæ facultatem faciunt limitatam ad forum conscientiæ, ut notat Henriquez *in summ. lib. 7. c. 13. §. 2. lit. V. & lib. 14. cap. 20. §. 1.* contendens sic absolutos à benigno Judice admittendos esse, ut benignè absolutos etiam pro foro exteriori.

Verùm contra eos verior extat aliorum sententia, 17
meritò existimantium, absolutum quoad forum conscientiæ, licèt de absolutione constet, indigere alia absolutione pro exteriori, ut scilicet ab aliis pro absoluto, seu dispensato habeatur: ac proinde privilegium, seu concessionem pro foro conscientiæ, minimè prodesse in foro exteriori, ut benè resolvunt Sayr, *de cens. lib. 2. cap. 20. n. 31.* Covar. *in cap. alma mater, part. 1. §. 11. num. 16. & lib. 2. variar. cap. 10. num. 3.* Navar. *in Manual. cap. 17. num. 278. ad fin.* Sanchez *de matrim. lib. 3. disput. 15. num. 17. vers. ad quartum*, quos refert & sequitur D. August. Barbos. *in suo novissimo tractatu, de locis commun. argum. jur. usufreq. loco 50. num. 3.*

num.3. cum seq. ubi *à num.6.* disputat quid dicendum, quando expressè facultas concessa in privilegio limitatur ad forum conscientiæ.

VIII.

Sine parochiæ præjudicio.

18 UBi Pontifex in privilegiis dicit, vitandum esse præjudicium ab exemptis, & privilegiatis, intelligit tantùm circa decimas, & primitias clericis, à laicis exhiberi solitis; ut declaravit Sixtus IV. referente Joanne à Cruce *de Stat. Relig. lib.2. cap.5. dub.7. conclus. 2.*

Plura circa clausulam, *Sine præjudicio, &c.* si scire cupias, consule D. August. Barbos. *in tractatu de clausul. usufreq. claus. 157. secundum Lugdun. impress.*

IX.

In omnibus, & per omnia.

19 HAbet hæc clausula in privilegiis, & alibi inserta, vim specialis specificationis, ut tenent Mari. *de clausul. p.1. claus.62. num.4.* Cardin. Tusch. *lit.C. conclus.354. num.1.* D. August. Barbos. *de clausul. usufreq. claus.67. num.7. secundùm Lugdun. impress.* & ideò ob hanc magnam efficaciam operatur, ut exæquata unam, & eandem naturam habeant, & nulla sit penitùs differentia, §. *1. versic. per omnia ferè Institut. de donat.* Beriazol. *de claus. instrum. claus. 21. num.1.* ubi subdit importare perfectionem, & integritatem dispositionis, Cardin. Tusch. *de conclus.354. num.6.*

X.

Motu proprio.

20 HÆc clausula, quia habet vim specialis expressionis; ut tradunt Anton. Gabr. *commun. lib.6. tit. de claus. conclus.2. n.93.* Monet. *de commut. ultim.*
21 *volunt. cap.7. n.93.* Ideò tollit vitium subreptionis, *cap. si motu proprio, de prabend. lib.6. Clem. si Romanus, eod. tit.* cum aliis *cit.* à Suarez *de legib. lib 8. c.12. n.11.* Sanch. *de matrim. lib.8. disp.21. n.47. cum seqq.* & à D. August. Barbos. *de claus. usufreq. claus.79. num.16. secundùm Lugdun. impress.* nisi subreptio hujusmodi procedat ex reipsa, secundùm Seraph. *decis. 398. num.5.* Rot. *decis.656. num.4. in princip. p.1. Recent.* vel contingat in falsæ causæ expressione, ex Suarez *d. c.12. num.11. cum seqq.* & Sanch. *d. disput.21. num.52.* & D. August. Barbos. *d. claus.79. num.23.* vel sit in tacenda inhabilitate personæ, Gabriel. *d. conclus.2. num.44. cum seq.* Sanchez *dicta disput. 21. num.49.* D. August. Barbos. *dicta claus.79. num.18.*
22 vel præjudicet juri tertii, non solùm in re, sed etiam ad rem, Sanchez *dicta, disputat. 21. num.50.* Monet. *de commut. ult. volunt. cap. 6. num.160.* D. August. Barbos. *d. claus.79. num.19.* In supradictis enim casibus, clausula hæc motus proprii, non tollit vitium subreptionis, ut præcitati Doctores resolvunt.

23 Quòd autem in præjudicium tertii non operetur hæc clausula, maximè quando non præcessit causæ cognitio, fuit dictum in Rot. *impressa per Cencium,*
24 *post suum tractatum, de censib. decis. 72. num.5.* & ideò minimè firmat privilegium contra jus alterius obtentum, ex Seraphin. *decis.398. num.6.* nec operatur, ut privilegium lite pendente, habitum cum hac clausula, *nulla de lite pendente in eo facta mentione*, validum sit: sicuti docent Gabriel. *d. conclus.2. numer.3.* & plures citati à Cened. *ad Decretal. collect.53. num.2.*

XI.

Ex certa scientia.

25 DE hac clausula aliqua diximus suprà *hac Disputat. Quæst.1.* & *ibi* dictis addendum duxi, quòd stante hac clausula, contraria omnia censeantur sublata, absque alia derogatione, vel clausula *Non obstante*, ut concludunt Card. Tusch. *lit. C. conclus.140. n.1.* & plures citati à D. Barbos. *de claus. usufrequent. claus.59. n.12.* ubi *n.13.* subdit, quòd pariter operatur, ut id, quod confirmatur, si non est solemne, reddatur solemne, ita ut det robur, quoad solemnitatem sicut quoad validitatem, & *num.17.* subjicit, quòd tollit omne juris obstaculum, & *num.25.* quòd tollit omnem erroris præsumptionem.

In tertii grave præjudicium nihil operatur, licet in 26
modico aliter se res habeat, ut in specie tenet Card. Tusch. *d. concl.340. num.7.* asserens, hanc clausulam privilegio, juncta derogatione generali, operari præjudicium tertio, quando non est magnum, Menoch. *consil. 36. num. 59.* D. August. Barbos. *d. clausul. 59. num.29. cum sequentibus.*

Subreptionis etiam præjudicium non tollit hæc clau- 27
sula, nisi quando Princeps informatus processerit, secundum Rodolphin. *de suprem. & absol. Princip. potest. c.5. num.13.* Glorit. *respons.1. part. num.30.* & plures citati à D. August. Barbos. *d. claus.59. num.50.*

Nec etiam operatur in iis, quæ in facto consistunt, 28
& de quibus Princeps non præsumitur habuisse notitiam, Rodolphin. *d. tract. cap.6. num.5.* Cardin. Tusch. *d. concl.140. num.44.* Sanchez *de matrim. lib.8. disp.4. n.6.* D. August. Barbos. *d. claus.59. n.34.* & ideo nihil pariter operatur, quando apponitur super negotio, de quo Princeps non habet notitiam, Cardin. Tusch. *d. conc.340. n.41.* Glorit. *respon.1. part.1. num.3.*

XII.

De plenitudine potestatis.

MUltos & singulares effectus operatur hæc clau- 29
sula; nam ubi Princeps scribit de plenitudine potestatis, nihil opponi potest contra privilegium, ut ex Aug. *consil.368. n.1. vers. quartò*, tradit Card. Tusch. *tom.1. lit. C. concl.342. num.2.* & his citatis D. August. Barbos. *d. claus. usufrequent. claus.41. num. 21. secundum Lugdun. impress.* vel quòd gratiam annullet, Monet. *de commut. ultim. volunt. cap.7. num.124.*

Tollit igitur hæc clausula omnes defectus solemni- 30
tatis non provenientes à natura; ut post Alexand. *cons.195. num.3. lib.2.* resolvit Cardin. Tusch. *d. lit. C. conclus.342. num.4.* ac etiam obreptionem & subreptionem juxta ea quæ tradit Rodolph. *de absol. Princ. potest. cap.5. num.15.*

In tertii verò præjudicium nihil operatur; sicuti 31
docent Marchesan. *de commiss. part.2. §.2. cap. unic. num.100. pag.421.* Seraphin. *decis.1082. num.8.* Rodolphin. *d. cap.6. num.11.* nec derogat regulæ de jure quæsito non tollendo, ut per Rot. apud Marchesan.
d. part.2. pag.325 num.7. quem refert D. August. Bar- 32
bos. *d. claus.41. num.42.* ubi *à num.24.* disputat, an, & quando Princeps possit de plenitudine potestatis quemquam dominio rei suæ privare.

Nec etiam operatur, quando ea utens de negorio, 33
ob quod illa utitur, informatus non est, Menoch. *consil.1. num.426. & consil.103. num.78.* Rodolphin. *d. cap.6. num.2.* ubi *num.3.* subdit in dubio, ubi Princeps aliquid facit, aut concedit de plenitudine potestatis, præsumi actum fecisse cum causæ cognitione;
& ideo si apponatur super illicito, intelligitur de po- 34
testate bona, & laudabili, secundum Bald. *consil.345. in princip. lib.1.* Cardin. Tusch. *d. lit. C. conclus.242. num. 9.* sicut etiam intelligitur apposita ex justa
causa; quia quæ sine causa fiunt de plenitudine po- 35
testatis, dicuntur per allusionem fieri de plenitudine tempestatis; ut tradunt Henriquez, *in Sum. lib. 14. cap.17. num.5. in comment. lit. Z.* Peregrin. *de jure fisc. lib.1. tit.3. num.65.* D. August. Barbos. *d. claus. 41. num.25.*

XIII.

Non obstantibus, &c.

36 PRæcipuus hujus clausulæ effectus est tollere omnia, quæ dispositioni, in qua est apposita, obstare possunt; ut tradunt Marc. Anton. *vasar. resol. lib. 1. resol. 46. num. 7. & 11.* Cen. *de censib. part. 3. cap. 1. quæst. 3. art. 8. num. 14.* D. August. Barbos. *de clausul. usufrequent. claus. 82. n. 4. secundum Lugdun. impress.* Rot. *decis. 506. num. 5. part. 1. Recent.*

37 Non auget tamen, nec ampliat plus quam gratia conferat, Calderin. *cons. 116. in fin. vers. prædictis non obstantibus, aliàs cons. 1. de privileg.* quia ad limites illius apposita censetur; per ea quæ tradit D. August. Barbos. *d. tract. claus. 43. num. 4. & 11.* unde prove-
38 nit, illam nihil operari, si dispositio, super qua est apposita, nulla existeret; secundùm Mart. *de claus. part. 1. claus. 79. num. 26.* Card. Tusch. *lit. C. concl. 349. num. 9.* D. Aug. Barbos. *d. claus. 82. num. 10.* subreptionis virium non tollit Mart. *d. claus. 79. num. 10.* Card. Tusch. *d. conc. 349. num. 18.* Gonzal. *ad Regul. 8. Cancellar. gloss. 15. num. 32.* D. August. Barbos. *d. claus. 82. num. 8.*

39 Non sufficit clausula generalis, *Non obstantibus, &c.* ad derogandum clausulis derogatoriis derogatoriarum, nisi adderentur sequentia verba, *Etiamsi de illis illorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua mentio, ac de verbo ad verbum, facta fuisset*, Rot. *dec. 87. num. 4. part. 2. Recent.* ubi post Ant. de Butr. *cons. 2.* & Mohedan. *decis. 1. de rescript.* hoc intelligit verum, præsertim accedente clausula, *Pro expressis, &c.* refert D. August. Barbos. *d. claus. 43. n. 17.* Similiter quotiescunque secundum privilegium habet clausulam derogatoriam, cum illis verbis: *Etiamsi talia forent, de quibus mentio fieri oporteret de verbo ad verbum*, censeretur per illud, primum revocatum, habens clausulam derogatoriam derogatoriarum sicuti docent Menoch. *de præs. lib. 6. præs. 41. num. 22.* Gonzal. *ad reg. 8. Cancell. gloss. 26. num. 23.* Erasm. à Chokier. *de jurisd. Ordin. in exempt. p. 3. q. 9. n. 6.* Monet. *de commut. ultim. volunt. cap. 8. num. 539.* & plures, quos refert, & sequitur D. August. Barbos. *d. clausul. 43. num. 18.* & diximus supra *Disp. 16. Quæst. 8.*

40 Circa verò clausulam, *Non obstantibus privilegiis, &c.* illud advertere oportet, quòd non derogat privilegium ad pias causas, nec illa, quæ commiserationis causa, vel publicæ utilitatis gratia concessa sunt; ut docet D. Aug. Barbos. *d. tract. claus. 183. n. 18. cum seqq.* sicut nec censentur per illam sublata, seu revocata, vivæ vocis oracula; nisi id expressè specificetur, ut attestatur D. Aug. Barbos. *claus. 83. num. 23.*

XIV.

Pro expressis, &c.

41 HAbet hæc clausula vim specialis, & individuæ expressionis cum omnibus suis qualitatibus; sicuti docent Menoch. *cons. 1003. num. 47. & 48.* Cardin. Tusch. *tom. 1. lit. C. conclus. 339. num. 6.* Monet. *de commut. ultim. volunt. cap. 7. numer. 201. paulò post princ. ubi num. seq.* subdit, hanc clausulam, & illam, *Quorum tenores, &c.* eandem vim habere; refert D. August. Barbos. *in tractat. de clausul. usufrequent. clausul. 102. num. 2.* & continet insertionem tenoris Mart. *de clausul. part. 1. claus. 101. num. 6.* Gabr. *commun. lib. 6. tit. de claus. concl. 5. num. 1.* ac proinde ha-
42 bet vim specialis derogationis, Menoch. *cons. 190. num. 24. & de præsumpt. lib. 6. præsumpt. 39. num. 6.*
43 tollitque derogatorias derogatoriarum, Gregor. *decis. 109. num. 11.*
44 Non operatur tamen in præjudicium tertii de quo Princeps non intellexit; Gabr. *d. concl. 5. num. 19.* Monet. *d. cap. 7. num. 210.* D. Aug. Barbos. *d. claus. 102. 45
num. 13.* ubi *num. 14.* similiter dicit, non tollere defectum intentionis, nec operari in iis, quæ consistunt in facto ignorato; & *num. 16.* subjicit, non tollere defectus, per quos gratia est subreptitia, maximè quando apposita est limitatè.

Plura de clausula, *Quorum tenores, &c.* quæ, ut su- 46
prà dicebamus, huic de qua nunc agimus, similis est, & eandem vim habet, si plura scire cupias, consule D. Aug. Barbos. *d. tract. de claus. usufrequent. claus. 127. secundum Lugdunen. impress.*

XV.

Decernens irritum, &c.

IRritat hæc clausula in privilegiis, seu alibi apposi- 47
ta, omnia, quæ in contrarium fiant, *cap. si eo tempore, de elect. lib. 6. cap. 1. vers. adjiciebatur, de concess. præbend. eod. lib.* Gonzal. *ad regul. 8. Cancell. gloss. 67. à num. 12.* Nicol. Garz. *de benefic. part. 5. cap. 1. à n. 27.* Monet. *de commun. ult. volunt. cap. 7. num. 230.* D. August. Barbos. *in tract. de claus. usufrequent. claus. 40. num. 2.* ubi *num. 3.* ampliat, ut actus contra decretum irritans factus, sit nullus ipso jure, etiam parte non opponente, nisi actus ante illius decreti interpositionem plenè perfectus sit; & *num. 7.* subdit, ligare etiam ignorantes non solum si adsint ea verba, *Vel ignoranter contigerit attentari*; verùm etiam si non adsint; & *num. 13.* hoc intelligit respectu nullitatis, non verò aliarum pœnarum.

Operatur etiam effectum inficiandi titulum, & pos- 48
sessionem, quando intrat constitutio, cui adhæret tanquam accessorium; Rot. *decis. 652. n. 3. part. 1. Recent. & decis. 341. num. 3. ad part. 1. Recent.* ubi fuit dictum, hanc clausulam in privilegiis, tanquam accessorium, non operari effectum, nisi postquam cognitum fuerit, privilegia intrare; prout refert D. Aug. Barbos. *d. claus. 40. num. 20.*

Formam inducit hæc clausula, adeo, ut illa non ser- 49
vata, actus ipso jure corruat, Rot. *decis. 225. num. 25. part. 2. Recent.* D. August. Barbos. *d. claus. 40. num. 32.* ubi *num. 34* subdit tollere præscriptionem; & *num. 35.* resolvit, tollere etiam consuetudinem, nedum in præteritum, sed etiam in futurum.

Quos quidem effectus, & alios quamplures, si qui 50
sint, operatur hæc clausula, non modo si est integra, & extensa, nimirum, *Decernentes irritum, & inane, si secùs, à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari*; sed etiam si dicatur, *irritum, & inane, &c.* ut observant Gonz. *d. gloss. 67. à num. 2.* Monet. *d. cap. 7. num. 252.* D. Aug. Barbos. *d. claus. 40. num. 39.*

XVI.

Ex tunc, prout ex nunc.

OPeratur hæc clausula in privilegiis, & rescriptis 51
Apostolicis, quod unum tempus videatur alteri inesse; sicuti docent Surd. *decis. 113. num 10.* & Stephan. Grat. *discept. forens. c. 239. num. 18.* Marchesan. *de commiss. part. 3. pag. 352. num. 89. in ult. impress.* & plures alii quos refert & sequitur D. Aug. Barbos. *de claus. usufrequent. claus. 61. num. 6.*

Habet enim hunc effectum, ut actus postea factus 52
censeatur jam à principio factus; gloss. *verb. ex nunc, in Clem. volentes, de hæret.* Cened. *singul. 14. num. 1.* D. August. Barbos. *d. claus. 61. num. 2.*

Non est tamen retrotractiva ad diem datæ in præ- 53
judicium juris alteri quæsiti medio tempore; Put. *decis. 186. lib. 2. in Correct.* Mart. *de claus. part. 1. claus. 54. num. 3.* Camill. Borell. *in Sum. decis. tit. 20. num. 363.* D. August. Barbos. *ubi sup. num. 8.*

XVII.

XVII.

Pro majori cautela.

54 AD majorem confirmationis privilegiorum validitatem, aliquando apponi solet hæc clausula, *Et pro majori cautela de novo concedimus*, quæ nihil plus tribuit, quàm ipsa confirmatio; ut fuit dictum in Toletan. *admissionis 17. Junii 1609. coram R. P. D. Pamphilio, impressa* per Farinac. *decis. 192. num. 2. part. 1. Recent.* prout refert D. August. Barbos. *in tract. de clausul. usufrequent. claus. 102. num. 3. secundum Lugdunen. impress.*

XVIII.

Sicut accepimus.

55 HÆc clausula posita in gratia motus proprii, non eget justificatione; secus verò in gratia ad partis instantiam; sicuti docent Put. *dec. 100. lib. 3. in correct.* Seraph. *dec. 1371. n. 4.* Rot. *dec. 447. n. 1. & 2. p. 1. Divers. & dec. 656. n. 3 p. 2. Recent.*

XIX.

Contradictores, &c.

56 HÆc clausula intelligenda est de contradictore, qui de facto solùm, atque injustè contradicit; secus autem si contradicat de jure, juxt. gloss. *in c. pro illorum, verb. contradictores, de prabend. & in l. si servum, §. hac verbi, verb. abstinec. ff. de acquirend. hæredit.* Archid. *in §. quid ergo, 17. q. 4.* Panorm. *d. cap. pro illorum n. 9.* Roman. *consil. 482.* quem allegat ad. ... tio ad eundem Panorm. *loc. cit. lit. E.* plures refert D. Aug. Barbos. *in tract. de clauf. usufreq. claus. 33. n. 2.* Felin. *in cap. causam qua col. 19. sub n. 9. de rescript. & in cap. super eo, col. ult. in princ. n. ult. de offic. deleg.* & alii, quos refert & sequitur Navarr. *in cap. cum contingat n. 3. de rescript.* Roderic. *quæst. Regular. tom. 1. quæst. 8. art. 12.* Circa eandem clausulam notandum est, quòd per eam datur jurisdictio compescendi, non solùm partes molestantes, verùm & extraneos contradicentes de facto; nam dicta clausula etiam extraneos comprehendit, ut notant gloss. & Panormit. *d. c. pro illorum.*

XX.

Appellatione remota.

57 PLures effectus operatur hæc clausula, quos recenset Panormit. *in c. ut debitus, à num. 14. de appellat.* & plenè D. Aug. Barbos. *d. tract. de clauf. 3. secundum Lugdunen. impress.* ad eum videri poterunt: dubium autem est, an de legitima, à verò de frivola appellatione intelligenda sit? ad quod respondetur, per eam non solùm frivolas, verùm etiam legitimas appellationes tolli; quia jura ita frivolas appellationes odio habent, quòd temerè, & calumniosè appellantes puniant, ut *l. à Proconsulibus C. de appellat. & in l. ab executore C. quo appellat. non recip.* gloss. *in can. ad Romanum, 2. quæst. 6.* Panormitan. *in cap. 2. in princ. de appellat.* immò ita appellans offendit Judicem, à quo appellat, ac ei injuriam facit, gloss. *2. in can. si quis præpostera 50. dist.* & gloss. fin. *in l. fin. C. quando provocare non est necess.* ait, Judicem actione injuriarum agere posse, quando appellatio ab eo facta est supervacua, & calumniosa, quam gloss. approbat, & à nemine impugnari, ait Felin. *in d. cap. 2. in princip. de appellat.* Cum igitur ex juris dispositione frivola appellatio removeatur, non est censendum Summos Pontifices, volentes Religionibus aliquod privilegium conducere, nempe quod ad suorum indultorum, & exemptionum executionem, appellatione remota, procedatur, frivolam, ac temerariam, seu calumniosam tantum appellationem juribus nimis exosam repellere voluerint, cùm privilegium semper aliquod operari debeat. Ita Panormit. *in cap. super eo il 2. num. 9. de appellat.* Roderic. *d. q. 8. a. 13.* Laurent. de Peirin. *in expofit. 7. Constit. Julii II. pro suo Ordine Minorum, numer. 3. titul. 1.*

58 Circa eandem clausulam advertendum secundò, quòd per eam non impeditur, quin possit Judex ex legitima causa recusari. Nam non est præsumendum, Principem voluisse, ut quis litiget coram Judice suspecto, arg. *in cap. cum inter. de excep.* Immò dubium est, an Princeps hujusmodi exceptionem recusationis tollere possit: quia recusatio est de jure naturali, ut probatur *in can. quod suspectis, 3. quæst. 5. & in cap. secundò requiris, de appell.* sed ea quæ sunt de jure naturali, per Principem sine causa non tolli possunt, *Clem. pastoralis, de sent. & rejud.* Instit. *de jure nat. gent. & civil. §. sed naturalia.* Ita Panormit. *in d. cap. cum inter, num. 9. & in cap. cùm ad hæc de refert.* Et quod per remotionem appellationis, sive de jure, sive per rescriptum, non censeatur remota recusatio, dicit gloss. *in c. si autem, §. si quis in quacunque, 2. q. 6.* quam probat Panormit. *in cap. novit ille, num. 3. in fin. de appellat.* idem Panormit. *in cap. postremo numer. 1. & in cap. super eo, il 2. num. 10. eod. tit.* ubi dicit, hoc esse notandum, & menti commendandum.

59 Notandum tertiò, quòd hæc clausula operatur vires suas respectu partium, non autem respectu tertii comparentis pro suo interesse, Panormit. *in cap. super eo, de offic. deleg.* Bald. *in addit. ad Spec. tit. de appellat. verb. clausula appellatione remota.*

60 Quartò notandum, quòd licet tollat appellationem à diffinitiva; non tamen tollit ab interlocutoria, ut not. Addit. ad Panormit *ad cap. super eo, lit. B.* addens quòd dicta clausula non prohibet, quin pars possit appellare, sed facit, quòd Judex nequeat talem appellationem admittere.

61 Nunc verò aliquæ observandæ sunt Regulæ principaliores, quibus privilegia interpretari, & in eis insertæ clausulæ intelligi debent, in quibus extendendis paululum immorabor, ne extra materiam vagari videar. Illudque unicum advertendum duxi, quòd licet de lege aliquando incidat sermo, & de ea regulæ infra extendendæ expressè loquantur, ad privilegia quoque trahenda sunt; quia omnia, quæ legibus in communi conveniunt, & ad earum perfectam rationem requiruntur, omnesque effectus, qui illis tribuuntur, & cum quibus intelliguntur, privilegiis etiam convenire, & cum sua proportione applicari possunt; nam privilegium lex est, ut supra diximus *Disp. 16. Quæst. 7. numer. 2.*

62 Prima igitur regula est: Sicut lex taliter interpretatur, quòd inutilis non reddatur, ut *in l. non dubium, C. de legib.* & ejus verba aliquid debent operari, ne reddatur superflua, *l. 3. in princ. ff. de jurejur. c. si Papa, in fin. de privil. lib. 6.* cum aliis citatis à Gonzal. *ad regul. 8. Cancell. §. 7. proœmiali num. 127.* & à Cardin. Tusch. *tom. 8. lit. V. concl. 85.* ita similiter privilegium dici non potest illud, quod nihil specialiter concedit, sed illud tantum, quòd jure communi concessum est, ut colligitur ex text. *in cap. Abbate 25. de verb. signif. cap. ult. 25. quæst. 1.* ibi, *Nec privilegia concederentur, nisi, &c.* gloss. *in rubr. de rescript. lib. 6.* 63 64

65 Secunda regula: Lex ubi non distinguit, nec nos distinguere debemus, *l. de pretio ff. de public. in rem act. l. non distinguemus ff. de recept. arbitr. cap. quia circa 22. de privileg. Clement. ult. de rescript.* Surd. *consil. 51. num. 7. & consil. 182. num. 15. & consil. 301. num. 50. & consil. 108. num. 3.* Cardin. Tusch. *tom. 2. lit. D. conclus. 508.* Monet. *de distribut. quotid. part. 2. quæst. 2 num. 36.* nisi auctoritate alterius legis, Bart. *in l. unica C. quorum legat.* quia lex una indistinctè loquens per aliam distinguitur, & limitatur, *l. sciendum ff. qui satisd. cogant. l. jurisgen. §. si paciscar, ff. de pact.* Bart. *in l. quasitum, §. fur, num. 12. ff. de fide instrum.* Bellet. *disquisit. clerical. part. 1. titul. de bonis cleric. §. 1. numer. 20.* 66

67 Tertia regula. Lex non includit id, ad quod mens, & ratio auctoris non se extendit, *l. cùm Prætor, §. dolo, ff. de legat. 2.* Panorm. *in cap. suggestum, & in cap. me-*
68 *minimus, de appellat.* & ideò verba privilegiorum sunt intelligenda, non secundum quod sonant, sed secundùm mentem, & intentionem proferentis, *l. non omnis, in princ. ff. si cert. petat. c. intelligentia, cap. propterea, de verb. sign.* Surd. *cons. 431. n. 35.* Gonzal. *ad regul. 8. Cancell. gloss. 48. num. 55.*

69 Quarta regula Privilegiorum verba sunt interpretanda secundum propria significationem, & quatenus eorum propria significatio patitur, *l. cum lege, ff. de testam.* Card. Tusch. *tom. 8. lit. V. conclus. 91.* Rot. *de-*
70 *cis. 352. num. 1. part. 1. Recent.* Et debent intelligi secundum communem usum loquendi, *l. liberorum §. quod tam, ff. de legat. 3.* Surd. *cons. 313. num. 87. & cons. 454. num. 18.* Et debent interpretari naturaliter, propriè, & verè; non autem accidentaliter, civiliter, & fictè, *l. fin. C. de his. qui ven. ætat. impet.* Menoch. *consil. 97. num. 86.* Cardin. Tusch. *tom. 8. lit. V. concl. 102.* ita ut verbis subtiliter non sit dialecticandum; ex Mantic. *de conject. ult. volunt lib. 1. tit. 1. num 4.* & secundum subjectam materiam, *l. cùm pater §. donatum, ff. de legat. 2. l. si uno,* & ibi Bart. *ff. locat.* Cardin. Tusch. *d. lit. V. concl. 95.* Gonzal. *ad regul. 8. Cancell. gloss. 48. num. 53. 54 & 58.*

71 Quinta regula. Privilegia recipiunt interpretationem à supplicatis, cum mente enim supplicantis præsumitur se conformare concedens; ita *can. inter dilectos, §. cæterum, de fid. instrument. cum gloss. ibi.*

72 Sexta regula. Quando privilegium est obscurum, & contrarium debet strictè interpretari, ut minùs, quàm possit deroget juri communi: ita *in cap. cùm dilectus, de consuet.* ut si cum illegitimo dispensetur ad ordines, intelligitur de Ordinibus Minoribus tantùm, secundum Panormit. *in cap. si quisquam, de cohabitat. cleric. & mulier.* Sylv. & Armil. *verb. privilegium:* immò si non exprimitur causa concessionis, vel non sit ex certa scientia, vel motu proprio, non præsumitur de voluntate Principis, *l. 1. C. de per. bon.* immo per importunitatem obtentum, per *l. 1. C. de fund. lim.* & vult Bald. & alii *in c. licet causam. de prob.* quod ponatur simul ex certa scientia, & motu proprio: & idem est de rescripto tollente jus tertii, ut de privilegio ad beneficia; ut habetur *in cap. quamvis de præbend. in 6.* & hoc casu, nisi consuetudo aliter interpretetur, ut notatur *in cap. quod dilectus, de consanguin. & affinit.* vel nisi verba aliud exprimant; quia ab illorum propria significatione non debemus recedere, nisi de mente aliter constet, ut *in cap. olim, & cap. his, de verb. significat.*

73 Septima regula. Privilegium enormiter lædens Ecclesiam, aut alios, non valet, nisi fiat mentio de ista enormi læsione: quia in dubio non præsumitur Principem concedere aliquid cum alterius gravi dispendio, *l. quoties, C. de precibus Imper. offe.* & Panormit. *in cap. cum ad hæc, de cleric. non resid.* unde privilegium immunitatis ab oneribus, alicui concessum non liberat eum ab oneribus, quæ potest leviter, & breviter expedire, ut est casus *in l. decurio. C. de decurion.*

Octava regula. Privilegium largè sumptum pro omni concesso præter jus, largissimè interpretatur, in præjudicium concedentis: strictè tamen si est in aliorum præjudicium: ita *in cap. quia circa de privil. in gloss. ult.* & Innoc. *in cap. olim, de verb. signific.* sed non interpretatur ita strictè, quod nihil operetur; semper enim privilegium debet aliquid operari: ita *in cap. si Papa. de privileg. in 6.* & servetur proprietas verborum; quia quando in privilegio sunt verba lata, universalia, & præcisa, est latè interpretandum, secundum Anton. de Butr. *in cap. olim, de verborum signification.* & licet materia sit odiosa, non excluditur lata interpretatio, quæ ex proprietate verborum nascitur, ut insinuat Panormitan. *in d. cap. olim,* ubi ait, quòd privilegium latè est interpretandum, ubi verba hoc patiuntur; & quando privilegium concessum personæ loquitur simpliciter, intelligitur secundum conditionem personæ: ita *cap. si placuit, & cap. si viva, 16. quæst. 1.* & quando constat de mente legis, vel privilegii, debet servari secundum Panormitan. *in cap. quanto, in gloss. fin.* in dubio recurrendum est ad verba, *reg. fin. de reg. jurid. in 6.* 74

Nona regula: Privilegium latissimè interpretatur, quantum fieri possit, *de donat. cùm dilectus, & l. beneficia, ff. de constit. Prin.* Nisi præjudicet juri alieno; quia tunc reducitur ad jus commune, ita *in cap. dilectus de cons. §. penult. & fin.* dum tamen aliquid operetur, ita Innocent. Bernard. Goffr. relati à Sylvestro *verb. privilegium.* 75

Decima regula est: Privilegia dubia regularium, dubietate orta ex ambiguitate verborum, & ex Juristarum interpretatione, in favorem Regularium sunt intelligenda, ita concessit Camaldulensibus Leo X. & Julius I. Congregationi Montis Oliveti; ut habetur *in Compendio societatis, verb. privilegia, §. 4.* & hæc regula, notetur à Regularibus pro decisione multorum dubiorum. 76

Undecima regula: Statuta Regularium non ita rigorosè interpretari debent, ut apices juris serventur, sed amplianda sunt ex bono, & æquo; hoc est secundum naturalem æquitatem, non ad libitum, sed secundum terminos juris, ut ait Bald. *in Rub. C. de const. pecun.* quòd humanæ æquitates in se vim statuti minimè habent, nisi aliquo statuto, & consuetudine legitimè præscripta, sint munitæ; & (ait) debent interpretari, quæ ad regulares pertinent, non secundum apices juris, sed ex bono, & æquo, secundum terminos juris naturalis, & gentium, & non ad libitum cujuscunque. 77

DISPUTATIO XIX.

De jure præscribendi Abbatum & aliorum Prælatorum Episcopis inferiorum.

Quæst. I. *Vtrùm Abbates & Prælati inferiores, Episcopalia jura præscribere possint.*

II. *Vtrum Abbas vel alter Prælatus inferior, Episcopalia insignia præscribere possit.*

III. *Vtrum Abbas vel alter Prælatus inferior possit præscribere visitationem, & obedientiam alii jure debitam, & an contra ipsum eadem præscribi valeat.*

IV. *Per quantum temporis spatium contra Abbatias, & Monasteria, loca, personas, & bona Religiosorum, præscribatur.*

V. *Vtrum Abbate, vel Prælato malè alienante rem Ecclesiæ cum consensu Capituli incipiat contra Ecclesiam currere præscriptio, tempore, quo durat Abbas, & Prælatus.*

VI. *Vtrum Abbatiali Ecclesia vacante currat præscriptio contra illam.*

VII. *Utrum præſcriptio currat contra tributum, vel cenſum debitum Eccleſiæ Abbatiali inſignum ſubjectionis.*

VIII. *Utrum Abbas, ſi poſtquam aliquid bona fide, & juſto titulo præſcripſerit, ſuperveniat mala fides, teneatur in conſcientia illud reſtituere.*

QUÆSITUM I.

Utrùm Abbates, & Prælati inferiores Epiſcopalia jura præſcribere poſſint.

SUMMARIUM.

1 *Jura Epiſcopalia Abbates, & Prælati inferiores præſcribere poſſunt.*
2 *Ordinis Epiſcopalis ea quæ ſunt, per inferiorem illum non habentem, conſuetudine, & præſcriptione acquiri non poſſunt.*
3 *Declaratur text.* in cap. pervenit 91. diſt.
4 *Prælato inferiori poſſunt competere præſcriptione, vel conſuetudine, illa quæ ſunt juriſdictionis, & dignitatis Epiſcopalis.*
5 *Juriſdictio in juribus Epiſcopalibus præſcribendis, cenſetur acquiſita inferiori privativè reſpectu Epiſcopi.*
6 *Contrarium tenent alii.*
7 *Sub diſtinctione reſolvitur.*

1 QUòd Abbates, & Prælati inferiores Epiſcopalia jura præſcribere poſſint, expreſsè probatur *in cap. auditis, in cap. de quarta, & in cap. cùm olim* 18. *verſ. quia de præſcript.* firmat. gloſſ. *in d. cap. auditis, verb. jus Epiſcopale,* Jo. Andr. *in cap. cum Epiſcopus de offic. Ord. lib.* 5. Panorm. *in cap. cùm non liceat, n. ult. & d. cap. auditis num.* 4. 5. *&* 6. *cap. cùm olim num.* 4. *&* 5. *de præſcript.* Philipp. Franc. *in cap. cùm perſona* §. *ſi autem, num.* 1. Bald. *conſil.* 93. *dub.* 5. Balb. *tract. de præſcript.* 1. *part. princ. c.* 8. *quæſt.* 12. *per tot.* Barb. *de offic. & poteſt. Epiſc. part.* 3. *alleg.* 117. *à princip. ſecundum Lugdunen. impreſſ.* Et fuit ſæpè dictum in Rot. ut colligitur *ex dec.* 324. *num.* 12. *part.* 1. *Recent. & deciſ.* 243. *num.* 9. *part.* 2. *etiam Recent.* Vide quæ ſunt dicta ſupra *diſp.* 15. *quæſt.* 9.

2 Verùm ea, quæ ſunt Epiſcopalis ordinis per inferiorem non habentem illum ordinem, conſuetudine, & præſcriptione acquiri non poſſunt, ut probare videtur text. ſic intelligendus, *in cap. quarto de conſuet, & in cap.* 1. *cum ſeqq. de conſecr. diſt.* 1. quippe qui non poſſunt habere poſſeſſionem legitimam, ſine qua non præſcribitur, juxta regulam ſine poſſeſſione, *de reg. jur. lib.* 6. ita ſentiunt Abb. *n.* 6. & Pariſ. *n.* 4. *in d. c. audi.* Covar. *lib.* 1. *var. cap.* 10. *num.* 14.

3 Nec aliud probat text. *in cap. pervenit.* 95. *diſt.* ubi ex privilegio, & commiſſione Sedis Apoſtolicæ poſſunt non Epiſcopi Sacramentum Confirmationis conferre; ac ſubinde, idipſum acquirere præſcriptione immemoriali, argumento, *cap. ſuper quibuſdam verſ. præterea de verb. ſignif.* quia reſponderi poteſt, ſecundùm Covarr. *d. cap.* 10. *num* 14. ad Epiſcopale munus aliquot pertinere, quæ nec ex Papæ diſpenſatione non Epiſcopis poſſunt delegari; & hoc nulli dubium eſſe poteſt, nec ullo temporis jure acquiri non Epiſcopis poſſe.

Alia verò, quæ licet Epiſcopalem ordinem requirant, delegatione tamen, & privilegio Papæ poſſunt non Epiſcopis competere; tunc adhuc temporis titulo minimè valent alicui convenire; ſiquidem in his privilegium Principis, & immemorialis præſcriptio paria non ſunt; ex eo, quòd non Epiſcopi (ſecluſo Romani Pontificis privilegio) incapaces ſint horum munerum; & ideo non habet immemorialis præſcriptio parem vim cum privilegio.

4 Illa verò quæ non ſunt Ordinis, ſed juriſdictionis, & dignitatis Epiſcopalis, poſſunt ex conſuetudine, ſeu præſcriptione inferiori Prælato competere; ut probatur in *d. cap. auditis,* ubi Epiſcopus Vigorien. obtinuit in cognitione cauſarum matrimonialium contra Abbatem de Heteſcani præſcribentem, quia probavit interruptionem; igitur prædictus Abbas præſcripſiſſet, niſi interrupta fuiſſet præſcriptio; at cognitio cauſarum matrimonialium, ſicut, & publicæ pœnitentiæ impoſitio, ac indulgentiarum conceſſio, ſunt dignitatis Epiſcopalis, ut probatur in *cap. accedentibus, de exceſſ. Prælat.* & ita contra Oſtien. *in cap. literas, de reſtitut. ſpoliat.* probat Panorm. *ibi num.* 8. ubi etiam gloſſ. Innoc. Joan. Andr. Ant. de Butrio, & communiter ſcribentes, idem Panor. *in d. cap. accedentibus, n.* 2. *&* 3. *de exceſſ. Præl.* & in *d. cap. auditis, num.* 6. ubi etiam Felin. *num.* 1. Roman. *conſ.* 299. & communiter Doctores.

Utrùm autem in his juribus Epiſcopalibus præſcribendis juriſdictio cenſeatur acquiſita inferiori accumulativè cum Epiſcopo, aut potius privativè; ita ut ſolus Abbas præſcribens utatur, Epiſcopus verò privetur, & excludatur, ne amplius uti valeat; quæſtio eſt ad præſentem materiam, non contemnenda; in qua una ſententia tenet, jura hæc ſic præſcripta competere inferiori præſcribenti privativè reſpectu Epiſcopi, ſicuti per text. *in d. cap. auditis in fine* ibi, *ſilentium imponentes,* reſolvunt, *ibi,* Abb. *num.* 7. Felin. *n.* 9. & Pariſ. *numer.* 7. Marian. *num.* 8. *in cap. cùm contingat, de foro compet.* Balb. *de præſcript. part.* 1. *quinta n.* 88. *& part.* 1. *num.* 22. & ſaltem ſtante præſcriptione longiſſimi temporis, agnovit Rot. *coram Mantic. dec.* 296. *n.* 1. 5

Altera verò ſententia tenet, juriſdictionem, & Epiſcopalia jura, non privativè, ſed accumulativè ad Epiſcopum præſcribi, quam probarunt Joan. Andr. Oſtien. Butr. Imol. & alii *in cap. paſtoralis de offic. Ordinar.* Roland. *conſil.* 80. *num,* 22. *cum ſeqq. lib.* 2. illamque in praxi ſervandam, & communem (antiquorum fortaſſe) teſtatur Covarr. *in cap. alma mater, part.* 1. §. 12. *num* 3. 6

Juvat pro hac parte, quod juriſdictio, & poteſtas ſpecialis alicui communicata, intelligitur accumulativè non verò privativè reſpectu illius, qui Ordinariam de jure habet; ita ut locus ſit præventioni; ſicuti docent Bart. per text. *ibi, in l.* 2. *ff. de offic. præfect. Urb.* Barbat. *conſ.* 59. *col.* 3. *vol.* 3. Pariſ. *conſ.* 9. *numer.* 11. *vol.* 4. Gramm. *deciſ.* 30. *n.* 2. *& conſ.* 6. *in fin. in eremum.* Octav. Glorit. *reſponſ.* 6. *num.* 6. & ſæpè ſæpius cenſuit Rot. ut in *dec.* 121. *num.* 4. *part.* 1. *Recent. & deciſ.* 30. *n.* 3. *& deciſ.* 33. *num.* 1. *part.* 2. *etiam Recent.* ubi fuit dictum, quòd viſitandi jus alicui conceſſum, non cenſetur conceſſum privativè quoad Epiſcopum, niſi expreſſe dictum ſit, quòd Epiſcopus non poſſit viſitare.

Tùm etiam, quia ſi juriſdictio, & jura Epiſcopalia in propoſito præſcriberentur privativè, utique Epiſcopus privabitur jure obedientiæ, & procurationis debitæ, contra *cap. cùm non liceat,* & *cap. tùm ex officii, de præſcript.*

Inter has contrarias opiniones diſtinctione opus eſt; ut ſcilicet prima ſententia procedat, quando per integrum præſcriptionis tempus præſcribens ſolus uſus eſt juriſdictione, & juribus præſcriptis; Epiſcopus verò, vel alius, contra quem præſcriptio proceſſit intra illud tempus uſus non fuit; tunc enim ex quo ſolus ille, vel quaſi poſſedit ſolus, acquiſivit, & ita privativè, argumento text. *in l. ſi quuquam, ff. de diver. & tempor. præſcript.* Poſterior verò procedit, ubi etiam is, contra quem præſcriptio completur, intra tempus illius exercuit juriſdictionem, vel jura alia, quæ ſimiliter alius præſcri- 7

præscribens quasi possidens exercuit; & ita has contrarias componunt opiniones Abb. *in d. cap. auditis num.* 14. *& in d. cap. pastoralis num.* 7. Roland. *consil.* 439. *num.* 11. *vers.* 3. *lib.* 3. quos refert & sequitur D. August. Barbos. *d. part.* 3. *alleg.* 127. *num.* 18. *secundum Lugdunen. impressionem.* Vide quæ dixi suprà *disputat.* 15. *quæst.* 9.

QUÆSITUM II.

Utrum Abbas, vel alter Prælatus inferior, Episcopalia insignia præscribere possit.

SUMMARIUM.

1 *Agitur pro parte negativa.*
2 *Abbas potest insignia Episcopalia præscribere, & quæ præscriptio requiritur,* num. 5.
3 *Præscriptione acquiri possunt, quæ conceduntur privilegio.*
4 *Insignia Episcopali privilegia inferioribus Prælatis conceduntur.*
6 *Respondetur ad argumenta.*

1 Videtur primò, quòd Abbates, & Prælati inferiores Episcopalia Insignia præscribere nequeant, per text. *in c. pervenit il* 2. *dist.* 93. ubi Summus Pontifex scribens Joanni Episcopo Syracusano dicit:

Pervenit ad nos, quòd Diaconus Ecclesiæ Catanen. calciatus compagis procedere præsumpsisset; quòd quia hactenùs nulli per totam Siciliam licuit, nisi tantummodò Diaconibus Messanensis Ecclesiæ, quibus olim à prædecessoribus Nostris non dubitatur esse concessum, benè recolitis. Quia ergo tantæ temeritatis ausus leviter non est attendendus, cum hoc Fraternitas vestra subtilitate perquirat, ut, an per se, vel alicujus hoc auctoritate præsumpserit, Nobis subtiliter innotescat. Nam si diligenter ea, quæ malè usurpantur omittimus, excessus viam aliis aperimus.

Ex quibus verbis clarè percipitur, quòd Abbates, & alii Episcopo inferiores Insignia Episcopalia præscribere non possunt; esset enim ea malè usurpare: similiter id etiam habetur in *cap. illud ead. distinctione.*

Præterea, nullus debet præsumere, quæ sibi non videntur concessa. Et ea quæ sunt per Apostolos, & per eorum successores instituta, non sunt turbanda, vel violanda, ut disponitur in *c. amputato,* 25. *quæst.* 2. ergo videtur quod Abbas non potest præscribere insignia Episcopalia.

2 Contrarium tamen dicendum est, videlicet, posse Abbates, & Prælatos inferiores insignia Episcopalia præscribere, probatur, per ea, quæ dicta sunt in *antec. Quæs.* & etiam probari potest his rationibus.

Nam si possunt præscribere ea, quæ sunt jurisdictionis, eò fortiùs poterunt præscribere hæc insignia, quæ non sunt Ordinis Episcopalis, sed sunt quædam ornamenta quæ solent inferioribus concedi ad honorem suarum Ecclesiarum, ut tradit Panormit *in cap.* 1. *in fine, ut lite pendente nihil innov.*

3 Præterea probatur; nam quæ conceduntur privilegio, præscribi possunt, *c. duo simul, de offic. Ord. c. cùm contingat, de for. comp.* Card. post Lapum *in Clem.* 2. *col. penult. de Relig. dom.* Oldrad. *consil.* 122. Panorm.
4 *in c. accedente, num.* 3. & ibi Fel. *num.* 6. *de præscript.* Sed insignia Episcopalia privilegio inferioribus conceduntur, *cap. Abbates, & c. ult. Apost. de privileg. in* 6. ergo præscribi possunt; ita tenent Panorm. *in cap.* 1. *n.* 10. *ut lit. pend.* & in *c. auditis,* ubi etiam Felin. 1. *de præscript.* Calder. *consil.* 2. *de præscript.* Pancirol. *in thesaur. var. lect. cap.* 25. *in prin.* dicentes, prædicta jura non solùm cumulativè, sed etiam privativè ad Episc. ab Abbatibus præscribi posse.

5 Ad hanc autem præscriptionem faciendam requiritur tempus cujus initii memoria non extat, id est centenii, *cap.* 1. *de præscript. in* 6. Rom. *sing.* 289. *incipit numquid usus Insignium:* quod est intelligendum sine titulo; nam habenti titulum sufficit spatium 40. anni ad præscribendum talia Insignia, colligitur ex Panorm. *d. cap.* 1. *in fin.* Pancirol. *loc. citat. vers. videndum est.*

Ad argumenta contraria respondemus quod prædicta jura loquuntur de eo, qui non legitimò præscripsit, ut dicit ipse Pancirol. *ubi suprà.* 6

QUÆSITUM III.

Utrùm Abbas, & Prælatus inferior possit præscribere visitationem, & obedientiam alii jure debitam, & an contra ipsum eadem præscribi valeat.

SUMMARIUM.

1 *Præscriptio contra visitationem jure communi, vel speciali competentem, quibus modis contingere possit, ostenditur.*
2 *Præscriptio tollens omninò visitationem jure communi injunctam, non valet.*
3 *Præscriptio impediens morum correptionem, & Ecclesiarum reformationem, meritò prohibetur.*
4 *Præscriptio admittitur, quæ visitationem transfert, vel aliis accumulat.*
5 *Declaratur* text. in c. cùm ex officii, de præscript.
6 *Præscriptio omnis extinguens omninò, & in totum obedientiam Prælatis à subdito jure communi debitam, indistinctè prohibetur.*
7 *Prælatus inferior potest præscriptione acquirere, ut in sua Parochia præcedat Episcopum.*
8 *Exemptio non potest extinctivè præscribi, sed translativè.*
9 *Populus non exemptus Abbatiæ exempta præscribere potest contra Episcopum exemptionem, ut subsit Abbatiæ exempta.*

Præscriptio contra visitationem juri communi, vel vel speciali competentem, multis modis contingere potest: aliquando absolutè extingvendo, & tollendo omnino visitationem ipsam; ita ut subditi jam amplius à nemine visitentur: aliquando verò non tollendo, nec extingvendo, sed transferendo visitationem, vel jus visitandi ad alium; ita ut maneat quidem visitatio, sed tamen non is, ad quem pertinebat, sed alius visitet; aliquando denique non tollendo, nec transferendo, sed accumulando; ita quod maneat visitatio penes illum, ad quem spectabat; sed tamen non fit penes illum solum; quia per præscriptionem alius eidem in visitatione accumulatur, ut colligitur, ex *cap. cùm ex officii. de præscript.* 1

Priori casu nulli dubium esse potest, præscriptionem tollentem omninò visitationem, jure communi injunctam, non valere, ut probat text. *in d. c. cùm ex officii,* & sentiunt gloss. 2. *in c. irrefragabili, de offic. Ord.* Mar. *de visit. à num.* 19. & alii quos refert D. Barb. *de offic. & pot. Episc. p.* 3. *alleg.* 129. *num.* 1. *&* 10. *secund. Lugdun. impress.* Ratio est, quia præscriptio impediens morum correptionem, & Ecclesiarum reformationem, meritò prohibetur, arg. text. *in c. cùm inter,* & in *cap. ex parte, de consuet.* ex eo, quod cedit in damnum publicum; ac exinde proveniunt multò majora mala in Rep. quàm sit bonum vitandi lites, & certitudinem dominiorum, pro quibus bono publico introducta fuit præscriptio, *l.* 1. *ff. de usucap.* sed præscriptio omnino tollens visitationem injunctam jure communi, impedit morum correptionem, & reformationem Ecclesiarum; & ita obviat bono publico, quod per visitationem prætenditur, igitur, &c. ita D. Barbos. *d. num.* 10. 2 3

Posterioribus verò casibus pro certo apud Doctores constituitur, præscriptionem admitti, quæ visitationem transfert, vel aliis accumulat; ut satis suadetur ex eo, 4

ex eo, quia præscriptio illa admittenda est, quæ nullo jure prohibetur, nec impedit morum, aut Ecclesiarum reformationem; nec aliàs obviat bono publico, ut probat *d. l.* 1. sed præscriptio, quæ transfert visitationem, vel alii accumulat, nullo jure prohibetur, quia morum, & Ecclesiarum reformationem non impedit, nec bonum publicum offendit, cùm adhuc maneat visitatio facienda ab eo, in quem transfertur, vel accumulatur; igitur, &c. quæ quidem resolutio satis evidenter colligitur ex *d. cap. cum ex officii*, dum ibi agebat Pontifex de visitatione jure communi competenti, qualis est illa, quam Archiepisc. exercet in provincia, & dixit contra hujusmodi visitationem præscribi non posse, quæ verba intelliguntur de præscriptione, quæ ex diametro opponitur, & omninò tollit visitationem. Cùm verò idem Pontifex subjungit, *Quam-*
5 *vis alius contra ea præscribere possit*, satis apertè significat admitti præscriptionem, per quam transfertur, seu accumulatur visitatio, quia talis præscriptio, absolutè loquendo, non est contra visitationem, quam non tollit, sed contra Prælatum, cui præjudicat: quare ita meritò resolvit D. Barbos. *d. alleg.* 119. *num.* 11. *cum seq.* & censuit Rot. *decis.* 394. *num.* 2. *part.* 1. *Recent.* ubi etiam fuit dictum, quod consuetudo visitandi in præjudicium Episcopi debet esse præscripta, saltem ex spatio quadraginta annorum; & ita concludo posse Abbates, & alios Prælatos inferiores visitationem jure communi Episcopis debitam, sibi transferendo, vel accumulando: illis verò semel acquisitam non posse à subditis in totum, & omninò præscribi, ex his, quæ suprà latè deduximus.

6 Ex quibus jam infertur, omnem præscriptionem extingventem omninò, & in totum obedientiam Prælatis à subditis jure communi debitam, indistinctè prohiberi, ut probat text. *in cap. cùm non liceat, de præscript.* cùm aliis latè adductis per D. Barbos. *d. part.* 3. *alleg.* 128. *n.* 1. *secundùm Lugdunen. impress.* Unde
7 colligitur illam in parte præscribi posse, v. g. quòd Prælatus inferior in sua Parochia præcedat Episcopum, ex Felin. *in d. cap. cùm non liceat col.* 1. Balb. *de præscript.* 1. *part. princ. quæst.* 12. *num.* 6. *in fin.* quos refert Erasm. à Chokier. *de jurisd. Ord. in exempt. par.* 1.
8 *quæst.* 6. *num.* 16. & ita exemptio extinctivè non potest præscribi, sed translativè, Mil. *in reper. verb. præscribi non potest exemptio*, Rom. *cons.* 239. Balb. *d. q.* 12. *n.* 1. *propè fin.*

9 Ex quo evenit, ut populus non exemptus Abbatiæ exemptæ præscribere possit contra Episcopum exemptionem, ut subsit Abbatiæ exemptæ, sicuti docent Abb. *in d. cap. non liceat n.* 17. Caccialup. *in tract. de union. art.* 3. *num.* 20. *cum seq.* Erasm. à Chokier. *d. q.* 6. *num.* 10. quos refert & sequitur D. Aug. Barbos. *d. par.* 3. *alleg.* 129. *num.* 9.

QUÆSITUM IV.

Per quantum temporis spatium contra Abbatias, & Monasteria, loca, personas, & bona Religiosorum præscribatur.

SUMMARIUM.

1 *Ecclesiæ omnes circa Romanam gaudent quadragenaria, non autem centenaria præscriptione.*

2 *Præscriptio centenaria requiritur contra Ecclesias Marchiæ, & Ferrariæ, quæ sunt de patrimonio Romanæ Ecclesiæ, & de horto ejusdem.*

3 *Ecclesiæ Abbatiales Regulares exemptæ, ex privilegio gaudent sexagenaria, vel centenaria præscriptione.*

1 Videtur, quòd Ecclesia Abbatialis exempta gaudet tantum quadragenaria præscriptione; & hoc probatur primò per *cap. possessiones*, 16. *quæst.* 3. ubi sic disponitur. *Possessiones Ecclesiarum, & Episcoporum triennales Abbates, vel Monachos habere, omnibus modis prohibemus, sed si tollitur eis triennalis possessio à beato Gregorio conceditur eis quadragenalis præscriptio.*

Probatur secundò; nam Religiosis domibus conceditur præscriptio quadraginta annorum, *cap. volumus eadem sup. cit. quæst.* 3.

Præterea quarta decimarum, & funeralium præscribitur contra Episcopum spatio quadraginta annorum, si non solvantur, ut habetur *in cap. de quarta extra, de præscript.*

Nec valet, quod dicit Archid. *in cap. volumus*, 16. *quæst.* 4. *in cap.* 2. *de præscript, in* 6. qui censet Ecclesias exemptas immediatè Sanctæ Sedi subjectas, gaudere privilegio præscriptionis centum annorum ad instar Ecclesiæ Romanæ. Quia id est intelligendum in juribus, & bonis, quæ immediatè ad ipsius Apostolicæ Sedis dispositionem pertinent; ut videatur voluisse Joann. Andr. *in cap. cùm nobis, de præscript.* & expressè dictum Archid. ita declarat Panormitan. *in cap. ad audientiam, num.* 11. *eodem tit.* Unde illud dictum Archidiac. procedere potest, ut non præscribatur contra Ecclesiam exemptam, & immediatè Sedi Apostolicæ subjectam, nisi spatio centum annorum, & in materia libertatis, seu exemptionis; quia aliàs præscriberetur contra jus immediatè Summo Pontifici competens. Unde exemptus, etiamsi velit, non potest expressè privilegio exemptionis renunciare, vel in inferiorem Judicem consentire, *cap. cùm tempore, de arbitr.* notat Joan. Andr. *in regula, scienti, de jur. in mercurial.* Panormitan. *d. num.* 13.

Vel dictum Archidiac. posset intelligi de Ecclesiis, 2
quæ sunt de patrimonio Romanæ Ecclesiæ, & de horto ejusdem, prout sunt omnes Ecclesiæ Marchiæ, & Ferrariæ, ut probatur in *Authent. Ecclesia Rom. post princ.* per gloss. ibi *in verb. Petri*; quam notabilem dixit Rota *in Ferrarien. seu Comaclen. bonorum de Nasellis*, 7. *Junii* 1627. *coram Reverendiss. D. Coccino*, in qua ea ratione fuit resolutum, contra Ecclesias Marchiæ & Ferrariæ non præscribi, nisi spatio centum annorum, ex traditis per Felin. *in cap. ad audientiam, n.* 22. *vers. ampliа quarto, de præscript.*

His tamen non obstantibus, quæ regulariter de jure 3
ita se habent, dicendum est contra Abbatiales Ecclesias Regulares exemptas non currere præscriptionem quadraginta annorum, sed ad minus sexaginta; ut concessit Eugenius IV. Congregationi Casinensi, & patet ex ejus Bulla data Florentiæ anno Domini 1434. 7. Kalend. Martii, Pontificatus sui anno 4. quæ refertur à Roderic. *in nova collect. Bullar. Apostolic. pro Regular. Bulla* 7. *d. Pontificis*; eamdem concessionem de verbo ad verbum ad nostram Vallumbrosanam Congregationem extendit Julius II. ut patet ex ejus Bulla alibi adducta. Simile privilegium concessum est à Julio II. Congregationi Montis Oliveti, ut patet ex ejus Bulla quæ est 12. in ordine *in tom.* 1. *Bullar. nov.* Eodem indulto sexagenariæ præscriptionis gaudent Canonicorum Regularium Lateranen. Monasteria, & Ecclesiæ ac loca; ita eis concessit Sixtus IV. anno Domini 1477. & habetur *in lib. privileg. d. Congregat. p.* 354. Immo non solum sexagenaria præscriptio contra prædicta Monasteria exempta, ac loca, personas, & bona Regularium, necessaria est; verum etiam centenaria, quæ requiritur contra Ecclesiam Romanam, ex concessione Eugenii IV. facta Monasterio D. Pauli de Urbe Congregationis Casinen. sub Datum Florentiæ anno Domini 1442. 7. Kalend. Julii, Pontificatus sui anno 12. per quam concessit, *ut sicut contra Rom. Eccles. non nisi centenaria currit præscriptio, secundùm Constitutiones Canonicas, & legitimas sanctiones; ita quoque prædicto Monasterio minoris temporis præscriptio non obstat*; quod privilegium habetur *in lib. privileg. Ordinis*, & refertur à Roderic. *in nova collect.*

Bulla

Bulla 17. *Eugenii IV.* estque in lapide marmoreo incisum in eadem Ecclesia D. Pauli de Urbe, quod privilegium confirmavit, ac in particulari iterum eidem Congregationi concessit Paulus III. de eo expressam mentionem habens in alia sua concessione, eidem Congregationi facta, anno Domini 1537. Nonis Novembris, Pontificatus sui anno 4. quæ est 15. in ordine *in Bullar. nov.* Laert. Cherub. *tom.* 1. Et cum (ut *in Disputatione de communicatione privilegiorum*, latiùs diximus) privilegia concessa uni Monasterio, censeantur concessa toti Congregationi: illud privilegium Monasterio D. Pauli de Urbe concessum, jam communicatum est toti Congregationi Casinen. præsertim ex alio privilegio eidem concesso ab Alexandro VI. ubi voluit cujusvis particularis Monasterii ipsius Congregationis privilegia toti Congregationi prædictæ, & illius particularibus Monasteriis communia esse, & ad illa extendi, ac extensa esse decrevit. Unde per consequens dictum privilegium etiam participatur ab omnibus cæteris Congregationibus illius privilegia communicantibus. Quare dicendum est, per hujusmodi privilegium adversùs Abbatiales Ecclesias, Conventus, ac ipsorum bona, & jura, nisi centum annorum spatio, præscribi non posse, ita sentit Joan. de la Cruz *de statu Relig. lib.* 2. *c.* 3. *dub.* 2. *concl.* 2. Roder. *quæst. Reg. tom.* 15. *quæst.* 36. Unde patet responsio ad argumenta in contrarium adducta, quamvis enim procedant de jure communi; tamen in favorem Monasteriorum, ac bonorum Regularium placuit Summo Pontifici illud tempus dilatare.

QUÆSITUM V.

Vtrùm Abbate, vel Prælato malè alienante rem Ecclesiæ cum consensu Capituli, incipiat contra Ecclesiam currere præscriptio, tempore quo durat Abbas, & Prælatus.

SUMMARIUM.

1 *Arguitur, quòd statim incipiat currere præscriptio.*

2 *Præscriptio contra Ecclesiam, vel Monasterium pro rebus malè alienatis non incipit currere ante mortem vel cessationem Abbatis, vel Prælati, qui malè alienavit, & nisi adsit scientia, & patientia cujuslibet successoris,* num. 3.

4 *Respondetur ad argumenta.*

1 VIdetur primò, quòd Abbate alienante rem Ecclesiæ, statim incipiat currere præscriptio contra Ecclesiam, cujus sunt res alienatæ, ut probatur *in cap. continebatur, extr. de his quæ fiunt à Prælat. sine consensu Cap.* ubi habetur, quòd concessio decimæ ab Abbatissa facta priùs, si conventu sciente, & non contradicente facta est, robur firmum debet habere.

Secundò prætereà, in venditione rerum Ecclesiasticarum taciturnitas pro consensu habetur, ut dicit Gloss. *in supra alleg. cap.* Ergo si Abbate malè alienante, Capitulum tacet, videtur quod currat præscriptio.

2 Sed contra est quod disponitur *in cap. si sacerdotes, 16. quæst.* 3. ubi gloss. ponit casum, quod quidem Prælati injustè alienaverunt possessiones Ecclesiarum, & receptores retinuerunt possessiones illas per spatium 30. annorum, & cùm quæsitum fuisset in Concilio Toletano, utrum detentores tuti sint præscriptione illa; fuit responsum, quòd non; quia præscriptio non curris in vita Prælati malè alienantis; sed incipit currere post ejus mortem. Et licet Paulus IV. statuerit contra bona Ecclesiastica malè alienata nunquam præscribi posse; tamen Pius IV. ejus Successor eam Bulla revocavit, & ad terminos juris communis reduxit, ut est videre in sua Bulla incip. *provida fol.* 681. *in Bullar.* & ideo bona Abbatiarum, vel aliarum Ecclesiarum malè alienata præscribi possunt spatio 40. annorum de jure communi, per text. *in authen. quas sanctiones, C. de Sacrosanct. Eccles. & cap. ad audientiam, & cap. cum nobis, & cap. illud & cap. quarta, de præscript.* vel ex privilegio, de quo infrà mentionem faciemus, spatio 60. annorum, vel etiam centum, ex aliquo privilegio directè, aut per communicationem, de quo etiam infra: cum limitatione tamen, ut diximus, quòd præscriptio currere incipiat post mortem, vel cessationem Abbatis, qui malè alienavit. Et hujus ratio est; quia contractus non sumpsit vigorem à principio, & ideo subducitur tempus, quo Prælatus malè alienans vixit, vel in Prælatura duravit, per text. *in d. can. si Sacerdotes,* ita Joan. Andr. *in cap.* 1. *num.* 3. *de reb. Eccles. non alien. in* 6. & ibi Anton. de Butr. *num.* 7. Rebuff. *in comp. alienat. rerum Eccles. num.* 38. Redoan. *eod. tract. quæst.* 79. *cap.* 3. Molin. *de just. disp.* 7. & alii apud Aloys. Ricc. *in prax. fori Eccles. dec.* 32. *num.* 2 & 3. quibus addo Quaranta *in Summ. Bullar. verb. alienatio rerum Ecclesiæ num.* 46. *vers. hinc non immeritò,* D. Barbos. *de offic. & potest. Episc. part.* 3. *alleg.* 95. *num.* 72. & *alleg.* 132. *num.* 6. *secundum Lugdunen. impress.* Et hoc est intelligendum, ut neque post 3
mortem, vel cessationem Abbatis, qui malè bona suæ Abbatiæ alienavit, præscriptio in favorem possidentis currere intelligatur; nisi adsit scientia, & patientia cujuslibet successoris Abbatis: eò maximè, ubi plures intra dictum tempus successissent, quam scientiam & patientiam probandi, onus incumbit fundanti se in d. præscriptione, Cavalc. *decis.* 46. *num.* 19. *part.* 1. Ricc. *d. decis.* 32. *num.* 6. Quarant. & Barbos. *loc. cit.*

Ad contraria resp. & primò ad text. *in cap. continebatur,* sicut respondet Gloss. quòd ideo valet talis alienatio, quia fuit facta ad tempus alicui Clerico pro beneficio; nos verò loquimur de alienatione in perpetuum. Vel etiam possumus respondere unà cum gloss. *in cap. sine exceptione* 12. *quæst.* 2. *in verb. hoc sciat,* quæ dicit, quòd licet omnes clerici consentiant; si tamen non observatur forma alienationis, alienatio nulla est, & habetur *in l. jubemus C. de sacrosan. Eccles.* & plura alibi.

QUÆSITUM VI.

Vtrùm Abbatiali Ecclesia vacante currat præscriptio contra illam.

SUMMARIUM.

1 *Præscriptio nusquam currit Prælato, sed ipso jure dormit contra Ecclesiam quocunque modo vacantem.*

2 *Ecclesia, quoad propositum, vacare dicitur, ubi careat proprio, & immediato Prælato.*

3 *Hostilitatis tempore dormit contra Ecclesiam ipso jure præscriptio.*

4 *Schismatis, & pestis tempore cessat contra Ecclesiam præscriptio.*

5 *Pestis dicitur bellum inter Deum, & homines.*

INdubitata est Juris conclusio, quæ dictat contra Ecclesiam quocunque modo vacantem Prælato nusquam currere, sed ipso jure dormire præscriptionem, ut probat text. *in cap. de quarta, vers. nisi, & in cap. audiiis, de præscript. cum aliis cit.* per Cravet. *de antiq. temp. part.* 4. *cap. materia numer.* 48. Balb. *de præscript.* 2. *part.* 6. *princ. à num.* 7. D. Augustin. Barbos. *de offic. & potest. Episc. part.* 3. *alleg.* 132. *numer.* 5. *cum seqq.* 1

Dicitur autem Ecclesia, quoad propositum vacare, ubi careat proprio, & immediato Prælato, qui pro rebus Ecclesiæ jure agere debuit; qualis est Abbas respectu Abbatialis Ecclesiæ, quantumcunque non desint alii Prælati Superiores, & mediati sicuti docent Innoc. *in cap. olim il* 1. *de restit. spol.* Abbat. *num.* 2. 2

Felin.

Felin, *num.* 5, *in d. cap.* 1. *de præſcript.* D. Auguſt. Barboſ. *d. alleg.* 132. *num.* 7.

3 Amplia, ut etiam hoſtilitatis tempore dormiat contra Eccleſiam ipſo jure præſcriptio, ut probat text. *in* 2. *prima actione*, 16. *quæſt.* 3. *& in cap. ex transmiſſa*, ibi, *præſcriptione hoſtilitatis tempore non currente*, *de præſcript.* & id ipſum de tempore ſchiſmatis, tradit
4 text. *in cap. cùm vobis* 14. *eodem tit. de præſcript.* & reſolvunt Balb. *de præſcript.* 2. *part. ſexta. à num* 3. Pariſ. *conſ.* 104. *num.* 174. *cum ſeq. lib.* 1. Rip. *de peſte part.* 2. *princ. à num.* 12. D. Auguſt. Barboſ. *d. alleg.* 132. *num.* 11. idem reſolventes de tempore peſtis; quaſi
5 tunc ſit bellum inter Deum, & homines ſecundum D. Aug. Barboſ. & ab eo citatos *in tract. de loc. commun. argum. jur. loc.* 13. *num.* 1.

QVÆSITUM VII.

Vtrùm præſcriptio currat contra tributum, vel cenſum debitum Eccleſiæ Abbatiali in ſignum ſubjectionis.

SUMMARIUM.

1 *Arguitur pro parte affirmativa.*
2 *Contra cenſum debitum ratione ſubjectionis non præſcribitur.*
3 *Reſpondetur ad argumenta.*

1 ET primò videtur, quòd præſcriptio currat contra tributum, vel cenſum debitum Eccleſiæ Abbatiali in ſignum ſubjectionis. Nam trennalis præſcriptio, petitori ſilentium imponit, ut habetur in *cap. poſt quingentos*, §. *item* 16. *quæſt.* 3. ubi habetur, quòd lex 30. annorum non poteſt abrumpi. Unde ex auctoritate hujus text. videtur, quod contra tributum, vel cenſum debitum Eccleſiæ Abbatiali currat præſcriptio, ſi Eccleſiæ non fuerit ſolutum, ſaltem per ſpatium tanti temporis.

Secundò, præterea etiamſi aliquis mala fide rem alienam poſſidere cœpit, poſt triginta annos adverſus omnem petentem, exceptione tutus erit; ut eſt text. ad literam in *cap. placuit*, §. *quòd ſi mala fide*. 16. *q.* 2. Ergo contra tributum Eccleſiæ Abbatiali debitum currit præſcriptio, ſi ceſſetur à ſolutione per longi temporis ſpatium.

2 Sed contra eſt, quòd dicit Panormitan. *in c. ſignificavit, de cenſ. n.* 6. quòd contra cenſum debitum ratione ſubjectionis non præſcribitur, per text. *in l. Competit. C. de præſcript.* 30. *vel* 40. *annorum*; & ratio quare cenſus non præſcribitur, eſt, quia ſicut ſubjectio ſimpliciter non præſcribitur *c. cùm non liceat, de præſcript.* ita neque præſcribitur cenſus illam repræſentans ſubrogativè, ita Fel. *in cap. ad audientiam n.* 2. *de præſcript.* & *ibi* etiam Panormitan. *n.* 18. dantes in hoc regulam, quòd cenſus, & ſubjectio pariformiter regulantur, adeò ut, ubi ſubjectio præſcribi poteſt, ibi etiam cenſus præſcribi poterit, eſto quòd præſtaretur in ſignum ſubjectionis: & è contra, ubi ſubjectio non præſcribitur, ibi neque cenſus ob eam debitus. Quibus rationibus ſic ſtantibus, ad argumenta reſpondeo.

3 Ad primum. Non obſtat text. *in c. poſt quingentos*, §. *item*, 16 *q.* 3. nam text. ille loquitur de eo, qui auctoritate Prætoris poſſidet, ut dicit gloſſ. *ibidem*. Nam ſi ſuper rebus Eccleſiæ mota fuerit controverſia, & juſta ſit definitio ſubſecuta, ille qui cœpit poſſidere auctoritate Judicis poterit præſcribere; nam iſte poſſidet, qui auctore Prætore poſſidet, *c. dixit* 14. *q.* 5. *& c. cùm inter, extrà, qui filii ſint legitimi, & l. juſtè, ff. de acq. poſſ.* vel ſic ille poteſt intelligi, quòd fuit ſecuta concordia inter partes, ut dicit ibi gloſſ. *in verbo, ſed non loquitur*, quæ concordia vocatur definitio.

Ad ſecundum argumentum *in c. placuit*, §. *ſi mala*, reſpondemus, quòd ideo lex permittit, ut quis mala fide tem alienam præſcribat, quia odit, & punit negligentes, & deſides circa bona ſua, ut dicit text. *in dec. placuit*, & ſi aliquo caſu iſte malæ fidei poſſeſſor cecide rit à poſſeſſione ſua, actionem non habet. Non ſic eſt in ſolutione cenſus debiti Eccleſiæ; nam ſi ſteterit per mille annos Eccleſia ipſa ad perendum cenſum, non per hoc debet puniri, ut negligens; nec contra eam currit præſcriptio, rationibus ſupra allatis: poteſt eſſe & alia ratio; nam non poteſt præſcribi cenſus, quod datur Principi in ſignum ſubjectionis, ut vult text. *in l. competit, C. de præſcript.* 30. *vel* 40. *annorum*, ergo & à fortiori, nec poteſt præſcribi hujuſmodi cenſus debitus Eccleſiæ; ſed res Eccleſiæ dicuntur publicæ, ſicut res fiſci, ut *in cap. quid ergo*, 23. *quæſt.* 4. juncta gloſſ. ſed argumentum à fiſco ad Eccleſiam nondum eſt probabile, ſed fortè quia æquiparantur à jure *l. fin. C. de Sacroſanct. Eccleſ. &* §. *ſimmus* juncta gloſſ. *in Authent. de non alien. vel permut. reb. Eccleſ. coll.* 2. *& cap. audiuis*, & ibi Panormitan. *de integr. reſtitut.* ergo nec poteſt præſcribi cenſus, qui debetur Eccleſiæ Abbatiali in ſignum ſubjectionis.

QVÆSITUM VIII.

Vtrùm Abbas, ſi poſtquam aliquid bona fide, & juſto titulo præſcripſerit, ſupervenìat mala fides, teneatur in conſcientia illud reſtituere.

SUMMARIUM.

1 *Arguitur pro parte affirmativa.*
2 *Præſcribens aliquid bona fide, & juſto titulo ſi poſt completam præſcriptionem mala fides ſupervenerit, eſt tutus etiam in conſcientia.*
3 *Iura faciunt hoc meum, illud tuum.*
4 *Lex humana iniquum non continens, an ſit ſervanda.*

VIdetur primò quòd ſi Abbas, finita præſcriptione, noverit rem fuiſſe alienam, teneatur in foro conſcientiæ illam reſtituere; Nam ſi res aliena, propter quam peccatum eſt, reddi poſſit, & non redditur, dicit text. *in cap. ſi res*, 15. *quæſt.* 6. quod pœnitentia non agitur, ſed ſimulatur; ſi autem veraciter agitur, non remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum. 1

Secundò in præſcriptione requiritur bona fides à principio, & in fine, & ex omni tempore præſcriptionis, ut eſt text. *in cap. quoniam omne de præſcript.* ergo ſi finita præſcriptione Abbas cognoverit rem eſſe alienam, tenetur in foro conſcientiæ illam reſtituere.

Sed contrarium firmat gloſſ. *in cap. vigilanti extr. de præſcript. in verbo, ſed contra videtur*, ubi dicit, quod completa præſcriptione jam tutus eſt ſecundum utrumque jus, & allegat *cap. de quarta. & cap. quoniam omne, eodem tit. de præſcript.* & in pluribus aliis locis: ergo jure poſſidet, ſi jure, ergo juſtè, & benè, ut *in cap. quid dicam*, 14. *quæſt.* 4. nec jam dicitur aliena. 2

Præterea jura faciunt hoc meum, illud tuum, ut *in cap. quo jure* 8. *diſt.* Item conditor canonis, vel legis poteſt mihi dare rem alienam, & totus ero, ut *l. Lucius ff. de evict. & l. benè à Zenone, C. de quadrien. præſcriptione*; & ſic multo fortiùs potuit inducere hanc præſcriptionem, in odium negligentium. Sed ultra ſententiam gloſſ. adſunt circa hoc aliæ ſententiæ ſcribentium, telatorum per Panormitan. *in d. cap. vigilanti, de præſcript. ſub num.* 6. Et inter alios fuit opinio Alani diſtinguentis, an res fuiſſet præſcripta ex cauſa lucrativa, aut ex cauſa non lucrativa, ut primo caſu teneatur reſtituere, ſecundò non. argum. *cap. quod habetur*, 13. *quæſt.* 1. qui quidem canon partum facit; ſed hæc diſtinctio reprobatur ſecundum Oſtien. *per l. penult. C. de præſcript. long. temp.*

temp. & cap. Apostolica, de notat. quæ jura benè faciunt in hac materia, & licet D. Anton. tenuerit quòd sit peccatum; tamen contrarium dicendum est, cum Panormitan. *loc. cit.* qui indistinctè tenet opinionem glossæ sententis non esse peccatum; quæ communiter à Canonistis approbatur. Cujus motivi ratio est; quia jus Canonicum, etiam quatenus disponit in foro contentioso, pro fine habet salutem animæ, ut *in cap. cùm contingat, de jure jur.* & quod ibi not. Nam finis juris Canonici est, dirigere hominem ad bonum commune, secundùm quod congruit humanæ societati, non solùm civiliter, sed secundum fidem in Deum tenendo, & vitam æternam expectando, ut *in §. Rex pacificus in proœm. Decretal. & in cap. prodest, 23. quæst. 5. not. in regula, peccatum, & regula possessor,*
4 *de reg. jur. lib. 6.* Item lex humana iniquitatem non continens, servanda, etiam in foro conscientiæ, ut notat Joan. Calderinus *in proœm. Decretal.* & Joan. Andr. post B. Thomam, *in cap. 3. de usur. lib. 6.* cùm ergo lex humana, & Canonica justa de causa, tollant actionem, & conferant dominium scribendi; non apparet ratio sufficiens, quare teneatur restituere in foro animæ, facit *cap. 1. de rescript. eod. tit.* ubi inducitur præscriptio ex causa, & cum notitia rei alienæ; ipsa enim lex justa de causa potest privare aliquem re sua, & alteri tradere, vel ex causa perpetrati delicti, vel ex causa boni publici, ut text. *in l. item si verberatum, ff. de re jud. & cap. pro humani, de homicid. lib. 6.* Item jus canonicum nunquam scienter injicit laqueum, nec scienter defendit aliquem in peccato, ut *cap. literas de restit. spoliat. & cap. consanguinei, de re jud. & cap. fin.* Si enim præscriptio bonæ fidei esset inductiva peccati, post notitiam habitam, completa præscriptione, jus canonicum profectò non diceret quem posse præscriptione se tueri, *cap. facit, eod. tit. cap de quarta, & cap. ad aures, eod. tit. de præscription.* Nec Papa mandat præscriptionem rescindi, immò expressè eam approbat, ad idem facit *cap. audītis, eod. tit. de præscript.* ubi licet postmodum constiterit, illi Abbati viro Religioso nullum jus competere, tamen ait Papa; illum debere defendi ex juribus præscriptionis. Et hanc opinionem tenet Innoc. *in cap. cura in fine, de jure patronat.* ubi asserit, quòd licet post completam præscriptionem appareat de illegitimo titulo; nihilominus tamen salva conscientia possunt hi qui præscribunt bona, præscripta retinere; quia tuti sunt auctoritate illius, qui potestatem concedendi jus super talibus habet, & qui hanc pœnam amissionis jurium suorum induxit in odium negligentium, & favorem sollicitorum, ita etiam Bald. *in cap. si quis per 30. col. 3. si de feud. fuerit controv.* idem Bald. Card. & Imol. in *d. cap. vigilanti*, ubi etiam Felin. *col. 6. numer. 12.* Visis igitur juribus, auctoritatibus, & rationibus, ambiguitatem propositi quæsiti explanantibus ad argumenta in contrarium adducta deveniendo.

Ad primum argumentum *in c. si res, 24. q. 6.* respondemus: Quòd text. ille loquitur de furibus, qui dum possunt non restituunt, nos vero loquimur de Abbate, qui post completam præscriptionem bona fide & justo titulo non tenetur restituere, si deinde superveniat mala fides rationibus suprà allegatis.

Ad secundum argumentum respondemus unà cum gloss. *in d. cap. si res, in verbo, indicas*, quòd si possessor ex omni tempore præscriptionis habuit bonam fidem, tunc res illa facta est sua de beneficio juris; unde tunc non est dicendum, quòd habet conscientiam rei alienæ, licet post tempus præscriptionis incipiat scire rem alienam fuisse.

DISPUTATIO XX.

De Pontificalibus Insigniis, & ornamentis Prælatitiis, ac indumentis Abbatum, & aliorum Prælatorum.

Quæst. I. *Utrùm Abbates & alii Prælati Episcopis inferiores, tam Regulares quàm Seculares utantur insigniis Pontificalibus.*

II. *Utrùm Abbates, & alii Prælati, tam Regulares quàm Seculares utantur ornamentis, & vestibus Prælatitiis.*

III. *Utrùm Abbates, aliique Regulares ad Episcopatum, aliasve dignitates extra eorum Ordines assumpti, easdem vestes Ordinum suorum, & habitum retinere debeant.*

IV. *Quibus Insigniis, ornamentis, & vestibus induantur cadavera Abbatum, & Prælatorum in eorundem funeralibus, & qua pompa sepeliantur.*

QUÆSITUM I.

Utrùm Abbates & alii Prælati, tam Regulares, quàm Seculares Episcopis inferiores utantur Insigniis Pontificialibus.

SUMMARIUM.

1 *Insignia Pontificalia concessa sunt Abbatibus propter decorem Ecclesiarum suarum.*
2 *Pontificalia Insignia quæ sint.*
3 *Mitra quibus nominibus vocetur, & quid significet.*
4 *Baculus Pastoralis, quibus nominibus vocetur, quid significet, & quare Summus Pontifex illo non utatur.*
5 *Anulus quid significet.*
6 *Anulus quare in quarto digito ponatur.*
7 *An Abbates non habentes speciale privilegium, Anulo uti valeant.*
8 *Sandalia, sive Compagi quid sint.*
9 *Tunica, & Dalmatica quid denotent.*
10 *Chirothecæ quid significent.*
11 *Cruce pectorali quare ornetur Abbas,* & num. 24.
12 *Abbates Mitra, Baculo pastorali, Anulo, Sandaliis, & aliis Episcopalibus Insigniis, & ornamentis uti posse probatur per nonnulla privilegia quæ adducuntur.*
13 *Abbates Canonicorum Regularium, à multis Summis Pontificibus usum Mitræ, Baculi pastoralis, & aliorum Insignium sunt assecuti.*
14 *Abbates Canonicorum Regularium Sancti Salvatoris Bononien. per specialem Bullam extensionis, habent usum Pontificalium.*
15 *Abbates Casinenses, aliàs Sanctæ Justinæ de Padua, Insignium Pontificalium Summorum Pontificum privilegiis usum sunt assecuti.*
16 *Abbates Congregationis Camaldulen. Pontificalibus Insigniis, per Bullam Leonis X. insigniti sunt.*
17 *Abbates nostræ Congregationis Vallis-Umbrosæ, tam specialiter, quàm universaliter gaudent privilegiis utendi Insigniis Pontificalibus.*

18 *Abbatis*

18 *Abbates Cistercienses per varia Summorum Pontificum privilegia, Insignis Pontificalibus utuntur.*

19 *Abbates Cœlestinorum habent usum Pontificalium vigore Constitutionum Cœlestini V. Eugenii IV. & Pauli V.*

20 *Abbates Montis Oliveti Insignis Pontificalibus potiuntur vigore multorum privilegiorum, & specialiter Julii II.*

21 *Abbates Montis Virginis prædictis Pontificalibus Insignis utuntur vigore Bullæ Urbani V.*

22 *Abbates Præmonstratenses habent usum Pontificalium virtute Bullæ Gregorii IX.*

23 *Prior Generalis Monachorum Sancti Hieronymi Congregationis Lombardiæ solus in sua Religione habet usum Pontificalium Insignium per Bullam Pauli V.*

24 *Abbates Cruce pectorali utuntur in celebratione Missarum.*

25 *Abbates seculares, an Insigniis Pontificalibus potiantur.*

26 *Abbates commendatarii, an iisdem insignis decorentur.*

27 *An aliqui Priores utantur Pontificalibus.*

1 CUm Insignia & ornamenta Pontificalia, seu Episcopalia data sint Abbatibus ad decorem Ecclesiarum suarum, secundum Joannem Andream *in c. ut Apostolica, de privileg. in 6.* & Francisc. Marc. *in decis.* 1076. *n.* 2. non verò ad pompam propriæ personæ, & animi fastum, neque ad simplicitatem Monasticam dissipandam; ideo mirum non est, quòd Pontificalia hæc Insignia in Abbate minimè probaverit D. Bernardus *epist.* 42. *ad Henricum Senonen. Archiepiscopum*, in hæc verba: *Multo labore, ac pretio quidam horum Apostolicis adepti privilegiis, per ipsa sibi vendicant insignia Pontificalia, utentes, & ipsi more Pontificum, Mitra, Anulo, atque Sandaliis: sanè si attenditur rerum dignitas hanc Monachi abhorret professio: si ministerium solis liquet congruere Pontificibus. Profectò esse desiderant, quod videri gestiunt; meritoque non queunt esse subjecti, quibus jam ipso se comparant desiderio. Quod si & nomen eis conferre privilegiorum posset auctoritas, quanto putas auro redimerent, ut appellarentur Pontifices:* hæc Bernardus.

Et Petrus Blesensis, Archidiaconus Barthonien. *epist.* 90. scribens Vilhelmo Blesensi Abbati Machinen. ejus fratri, qui ab Apostolica Sede horum Insignium usum obtinuerat, illum monet, ut vel ista Insignia, & ornamenta reddat, aut abbatiam relinquat, subdens: *Insignia Episcopalis eminentiæ in Abbate, nec approbo, nec accepto; Mitra enim, Anulus, & Sandalia in alio, quàm in Episcopo quadam superba elatio est, aut præsumptuosa ostentatio libertatis, &c.* refert Renat. Choppin. *Monast. lib.* 1. *tit.* 2. *num.* 18. Hac fortassis de causa, jam Congregatio Bursfeldensis *in c.* 18. *Constit.* infrascriptam edidit legem pro suis Abbatibus, ut testatur Renat. Choppin. *loco cit.* sub his verbis: *Nemo ex Abbatibus nostris, etiam Apostolico suffultus privilegio, Mitra, & cæteris hujusmodi Insigniis, & apparatibus Pontificalibus uti præsumat: Hæc enim licet interdum simplici animo rationabiliter fieri possint, tamen à lippientibus, & ad judicandum pronis, curiosæ vanitati magis, quàm Religiosæ simplicitati deputari solent.* Quæ postea Constitutio abolita est: cùm Abbates Bursfeldenses hodie Insigniis Pontificalibus omnes utantur, ut mihi Romæ retulit D. Fridericus Monachus ejusdem Congregationis.

2 Ut ergo quod probandum est facillimè perscrutemur, prius videndum est, quænam sint hujusmodi Insignia Pontificalia, deinde illorum uniuscujusque significatum. Insignia ergo Pontificalia, seu Episcopalia, quibus (seclusis privilegiis) de jure communi Episcopi, aliique Prælati superiores uti possunt, sunt, Mitra, Baculus pastoralis, Anulus, Sandalia, Tunicella, Dalmatica, Chirothecæ, & Crux pectoralis, ut testatur Isidor. Moscon. *tractat. de magnitud. militant. Eccles. part.* 1. *lib.* 1 *cap.* 8. *versic. ornamenta.* Horum singulorum significationes apponit Guilielm. Durand. *in rationali divinorum offic. lib.* 3. *à cap.* 13. & alii citandi, ex quibus aliqua hic breviter insinuanda duximus.

Et primò, quoad Mitram, dico, quòd multis nominibus nuncupatur; dicitur enim Mitra, seu Apex ex S. 3
Augustino 2. *Civit.* 15. seu sertum cum Gemmis ex Ennodio: *de Mitra S. Ambrosii*; seu Corona Sacerdotalis, ex Ammiano Marcellino, *lib.* 29. seu Corona gloriæ, ex Euseb. Cæsarien. *lib.* 10. *Histor. c.* 4. seu Pileum generis neutrius, vel Galea, vel Tiara, ex Isidor. *lib.* 19. *Orig. cap.* 21. seu Infula, ex Hugon. Victor. *lib.* 1. *de Sacrament. cap.* 55. seu Cidaris, ex Alcuino, *cap. de singul. vestibus*, seu Phrygium ex Nicephor. *lib.* 14. *cap.* 34. quòd imposuit capiti S. Sylvestri Constantinus, seu Lorum ex Balsamone apud Buleng. *de vest. Pontif. lib.* 1. *cap.* 6. seu Auriphrygium circulare, ab Innoc. III. *in sermone de S. Sylvestro*; ab Apostolis ortum habuit, ex Baronio *Ann.* 32. *num.* 298.

Mitra vox Latina est, Græca, & Syriaca, vel, Hebræa, ex Varron. *lib.* 1. *de ling. Lat.* & hoc modo interpretatur à Josepho Scaligero; nempe Mitra Syriacum, Diadema Græcum, Vitta Latinum.

Mitræ magnitudo non est hic describenda; sed solummodo ejus forma aliquo modo insinuanda; visum est, his exemplis; nam Mitra S. Sylvestri, asservatur Romæ in Ecclesia S. Martini de Montibus, quæ acutam formam habet, non altiorem palmo, serico & auro contexta, est coloris cærulei, cum imagine B. Mariæ Virginis, & parvuli Jesu inter duos Angelos stantes, Diaconali veste indutos; fertur etiam, quod Valentiæ visitur Mitra S. Augustini Episcopi, Ecclesiæ eximii Doctoris; altioris palmo, formæ similiter acutæ, quam ipse Apicem appellavit, serica est, & alba, quam cingit, & dividit à cuspide linea cærulea, serico, & auro texta.

Gestatur verò ad majorem Prælati ornatum, ad hoc ut Prælatus magis honoretur; nam ignorantes putant, quod ille qui habet majores ornatus, sit majoris auctoritatis, juxta illud:

Hunc decorant homines, quem vestimenta decorant.
Gloss. *in cap. ut Apostolica, de privileg. lib.* 6.

Quo autem ad ejus significationem, dicunt aliqui, quòd significat spineam coronam; & ideo Diaconus Pontifici Missam celebranti, Mitram imponit; quia Pontifex in tali officio Missæ, Christum in passione figurat, & quòd duo cornua Mitræ, sint duo charitatis præcepta.

Alii dicunt, quòd Mitra, scientiam utriusque Testamenti designat: & quòd duo ejus cornua sunt duo Testamenta, anterius Novum, posterius Vetus: Abbas ergo Mitram accipiens, & cum ea caput tegens, intelligat, quòd quinque sensus à Mundi illecebris custodire debet, ut duorum Testamentorum præcepta servet, & duo charitatis præcepta impleat, ad hoc, ut mereatur accipere coronam quam sibi Dominus præparavit in æternum, ut Durand. *d. cap.* 13. & D. Genesius Minuccius Monachus Vallis-Umbrosæ, *in suo Speculo Ecclesiastico, lib.* 1. *cap.* 4. optimè notant.

Baculus Pastoralis, similiter multis nominibus nuncupatur; dicitur enim Baculus, Virga pastoralis, Pe- 4
dum, Ferula, & Capuita, quæ sunt synonyma, ex Ivone Carnot. *epist.* 8. *de Hom. in Gen. lib.* 1. *cap.* 217. Cambucam vocant aliqui apud Petrum Commestorem, *in Hist. Exod. cap.* 52. Camburtam vocat Ordo Romanus, *in dedicat. Eccles.* Capuita autem, & Camburta, sunt voces corruptæ à Cambara, voce Barbara, quæ Baculum retortum denotat; Regula certa est, ut Baculus, & Mitra in Prælato, correlativa sint, ut habetur *ex*

Caremon. Episc. lib. 1. c. 17. Hinc notandum est, differre Baculum Episcopi, à Baculo Abbatis; nam Baculus Episcopi non ornatur sudario, sicut Baculus Abbatis, Act. Mediolanen. Eccles. *Instruct. Fabr. Eccles.*

Baculus Pastoralis correctionem Pastoralem significat, estque auctoritatis, & disciplinæ signum ac imbecillitatis humanæ sustentaculum; unde in ceremonia consecrationis Episcopi, consecrans tradendo, ait, *Accipe Baculum pastoralis officii, ut sis in corrigendis vitiis piè sæviens, judicium sine ira tenens, in favendis virtutibus auditorum animos demulcens, in tranquillitate severitatis censuram non deserens.*

Per Baculum ergo Pastoralem, potestas intelligitur Sacerdotalis, quæ à Christo Domino Apostolis collata fuit, quando eos ad prædicandum misit, eis præcipiendo, ut Baculos tollerent. Et Moyses etiam à Deo cum virga missus fuit in Ægyptũ, virtute cujus tot mirabilia operatus est in Terra, & in Mari, & ad ejus contactum Petræ in deserto aquas dederunt, & populum ad terram fluentem, lac, & mel, recto duxit itinere.

Additur etiam, Baculum Doctrinæ significare auctoritatem; hac enim debiles, & infirmi sustentantur, inquieti corripiuntur, & à via veritatis aberrantes ad pœnitentiam revocantur. Designantur autem per Baculum ea, quæ his versibus comprehenduntur.

In baculi forma, Præsul, datur hæc tibi forma:
Attrahe per primum, medio rege, punge per imum,
Attrahe peccantes, rege justos, punge vagantes.
Attrahe, sustenta, stimula, vaga, morbida, lenta.

Gloss. *in cap. unic. §. fin. verb. propter historiam, de sacra unct.* & optimè Isidor. Moscon. *dict. cap. 8. vers. item Baculus, pag. 233.*

Quòd autem Baculus sit acutus in fine, rectus in medio, & retortus in summo, denotat, quòd Pontifex debet pungere pigros, regere debiles sui rectitudine, & colligere vagos. Porrò Summus Pontifex Baculo pastorali non utitur, tum propter historiam, tum propter mysticam rationem, ut dicitur *cap. unic. §. ult. de sacr. unct.* Historiam refert ibi gloss. *verb. propter historiam*, dicens, quòd Martialis unus de discipulis Petri, quem posuit Dominus inter discipulos, cum dixit: *Nisi efficiamini sicut parvulus iste, non intrabitis in regnũ Cælorum, &c.* missus fuit à Beato Petro ad prædicandum in Germaniam; qui cùm iret, mortuus est, & rediit Collega ad Petrum, & Petrus ait: *Accipe Baculum & tangens eum, dic, ut in nomine Domini surgat, & prædicet; & ivit, & 40. die à tempore mortis tetigit eum, & resurrexit, & prædicavit; & ita Petrus removit à se Baculum, & dedit subditis*; ita gloss. *loc. cit. cum aliis citatis* à D. Barbos. *de offic. & potest. Episc. p. 1. tit. 1. c. 13. n. 15. & in collect. ad cap. unic. num. 14. de sacra unct.*

Mystica ratio est; quia Baculus habet in summitate recurvationem, quasi adtrahendum, ut diximus, quòd non est necessarium in Summo Pontifice; quia nullus ab illo divertere potest finaliter; Ecclesia enim non potest esse nulla, *can. pudenda in fin.* 24. *q.* 1. vel quia per Baculum designatur coercitio, sive castigatio. Ideò alii Pontifices recipiunt à suis superioribus Baculos, quia ab homine potestatem recipiunt, Romanus Pontifex non utitur Baculo, quia potestatem à solo Deo recipit; ita gloss. prædicta, *verb. mysticam rationem*; hæc de Baculo pastorali. De eodem vide *in Quæst. seq. num. 13.*

De Anuli significatione tractat Panormit. *in cap. clerici, il 2. de vita & honest. clericorum, n. 6. circa med.* dicens, quòd quemadmodum Anulus datur sponsæ in signum matrimonii, ut *in cap. fœmina, 30. q. 5.* ita etiam Prælatis Ecclesiasticis in signum matrimonii spiritualis. Tractat etiam de ea Durand. *d. l.* 3. c. 14. dicens; quòd Anulus est fidei Sacramentum, quo Christus sponsam suam Sanctam Ecclesiam subarravit, ut ipsa de se dicere valeat: *Anulo suo subarravit me Dominus meus Christus, &c.* & Isidor. Moscon. *d. c. 8. vers. item Anulus, pag. 233.* ait, quòd datur Anulus ad honorem Pontificiæ dignitatis, ut signaculum secretorum, & ut sponso fideli animarum Dei; subdens quòd quando datur, talia solent proferri verba: *Accipe anulum discretionis, & honoris fidei signum, ut quæ signanda sunt signes, & quæ aperienda sunt prodas, quæ liganda sunt, liges, & quæ solvenda sunt, solvas.*

Anulus ergo Abbatis significat integritatem fidei, ut videlicet Ecclesiam sibi traditam, diligat, & custodiat; nam ipsi Abbates dicuntur trahere matrimonium cum Ecclesiis eorum, quemadmodum contrahitur inter Episcopum, & Ecclesiam suam; & dicuntur sponsi suarum Ecclesiarum; ita ut ipsorum morte Ecclesiæ viduatæ dicantur, ut per Innoc. *in cap. quia propter in princ. vers. viduatis, de elect.* & per Bart. *in l. si ita quis, §. is, cui, num. 3. vers. quartò inter Monasterium, ff. de legat. 2.* & latè probavimus *in tract. de elect.*

Ponitur autem Anulus in quarto digito, ut sciat Abbas, se Ecclesiæ corde & animo servire: fertur enim in eo digito venam esse, quæ à corde procedit, *d. can. fœmina, 30. q. 5.* Joan. Andr. *in d. cap. clerici, il 2. n. 9.* 6

Quòd autem Abbates Anulo uti possint, patet, tum ex privilegiis à Sede Apostolica illis concessis, quæ infra adducemus, tum etiam ex consuetudine, quæ saltem dat interpretationem concessæ potestatis.

Utrùm autem cessante privilegio, possint Abbates 7
Anulos deferre, Joan. Andr. *in d. cap. clerici, il 2. n. 9.* per illum text. ait, quòd cessante privilegio soli Episcopi, & Superiores deferre possint: & ducitur ex eo, quia solus Episcopus contrahit matrimonium spirituale cum sua Ecclesia, & per ejus mortem Ecclesia dicitur viduata. Sed hæc ratio non obstat, quin etiam Abbates absque privilegio, tamquam Ecclesiæ Prælati, Anulo uti possint, immo ex ea id confirmatur. Nam etiam inter Abbates, & eorum Ecclesias contrahitur matrimonium spirituale, & Ecclesiæ eorum morte viduatæ dicuntur, per text. *in cap. ne pro defectu, de elect.* ubi Doctores communiter dicunt, quòd Ecclesia remanet viduata, nedum per mortem Episcopi, verùm etiam per mortem cujuscunque Prælati Regularis, & quisque illorum dicitur Pastor Ecclesiæ, ut patet expressè in d. text. Præterea *in d. cap. clerici,* non dicitur quod illi tantùm possint uti Anulo, qui matrimonium spirituale contraxerunt; sed solùm dicit, quòd clerici non debent Anulos deferre, nisi eis ex officio dignitatis competat. Abbates autem dicuntur habere dignitatem *cap. indemnitatibus, de elect. in 6. & cap. ut Apostolica, de privil. eod. lib.* & alibi latiùs probavimus: hanc sententiam videtur amplecti Panormit. *in d. cap. clerici, n. 5. & 6.* ubi allegat rationes pro, & contra. De eodem Anulo *in Quæst. seq. num. 13.*

Inter alia ornamenta Pontificalia, quibus uti potest 8
Abbas, sunt Sandalia, sive Compagi, de quibus fit mentio *in can. nonnullis, §. Compagis, & can. seq. 93. dist.* ubi probatur, Sandalia esse propria Episcoporum ornamenta.

Sandalia, & Caligæ idem sunt apud S. Hieronymum *in Isaiam l. 5. c. 20.* quæ ab Alcuino, *c. quid signif. vestim.* Soleæ dicuntur; distingvuntur tamen, quia Caligæ primùm induuntur usque ad genua; Sandalia verò pedes tantùm contegunt, ex Innoc. III. *lib. 1. cap. 48.* vel dicuntur Caligæ, quia ligantur, ex Isidor. *lib. 19. Orig. c. 34.* vel dicuntur Cambagi, & Pedules, & Compobi à S. Gregorio, *lib. 7. epist. 28.* & ab Amalar. *lib. 2. c. 18.* horum enim usus ab Apostolis introductus est, teste Rabano, *lib. 1. instit. cler. cap. 22.* ita ut nemo inferior, absque Summi Pontificis auctoritate, illa gestare possit, ut notat Archid. & Franch. *in c. ut Apostolicæ, n. 1. vers. item uti Compagis, de privileg. in 6.* de eisdem Sandalibus *in Quæst. seq. num. 13.*

At Abbates illis uti possunt ex specialibus concessionibus, & privilegiis Sedis Apostolicæ, de quibus infrà.

Illorum

Illorum significationem reperies Apud Durand. *in Rationali, cap.* 8. *num.* 1. *& seq.*

9 Tunica, quam Abbas solemniter celebraturus induitur, perseverantiam denotat; nam cùm omnes virtutes in stadio currant, perseverantia tantùm accipit bravium; qui enim usque in finem perseveraverit, hic salvus erit, text. *in cap. Apostolus, & cap. multi, de pœnit. dist.* 2.

Induitur autem tunicam post Albam; quia sicut per Albam corporis castigatio; ita per tunicam virtutes animæ intelliguntur, quibus Abbas, & alius Prælatus, qui eis induitur, semper ornatus esse debet. Tunica verò ideò non cingitur, quia sicut per eam iter non impeditur, ita pariter virtutes per illam designatæ, liberum iter ad contemplandum Deum præbent; videatur latè Guilielm. Durand. *in Rationali sæpius cit. lib.* 3. *cap.* 10. *num.* 1. *& seq.*

Sequitur videre de Dalmatica, quàm immediatè Abbas super Tunicam vestit, ex institutione Sylvestri Papæ, *can. Diacont,* 93. *dist.* Alcuin. *de divin. offic. cap. quid significent vestimenta,* Amalar. Fortunat. *lib.* 2. *de Eccles. cap.* 21.

Dalmatica autem ex eo appellata fuit, quia in Dalmatia, & post alia indumenta Sacerdotalia inventa fit. Ejus forma largitatem denotat, cùm largas, & extensas manicas habeat; Unde secundùm Apostolum, oportet Episcopum non turpis lucri cupidum, sed hospitalem esse, 88. *dist. cap. consequens,* quæ etiam Abbati adaptari debent; Non ergo manum habeat ad dandum collectam, & ad recipiendum porrectam; sed illud efficere debet, quòd per Prophetam suadetur, *Frange esurienti panem tuum, & egenos, vagosque induc in domum tuam*; videatur ejus forma *in Quæst. seq. num.* 13.

Præsefert autem Crucis formam ad significandum, ut Mundo sit crucifixus, qui ea ornari desiderat, juxta Apostoli sententiam, *Mihi Mundus crucifixus est, & ego Mundo,* refert Isidor. Moscon. *d. cap.* 8. *vers. Item Antulus, pag.* 234.

10 Postquam Abbas Dalmaticam est indutus, manus cooperit Chirothecis. Chirothecæ enim ex *Ordine Romano,* dicuntur Manicæ, quia manuum ornamenta sunt; convenit enim, ut Episcopi, & Abbatis, sive alterius Prælati Pontificalibus utentis, quælibet pars ornatior appareat, & talis ritus deductus est ab Apostolis, Gemma, *lib.* 1. *de antiq. rit.* 215. Per Chirothecas enim, quibus manus vestiuntur, exempla Sanctorum, quæ in operibus demonstrantur, intelligenda sunt, quæ opera ab omni inquinamento mundata esse debent; denotatur etiam per ipsas Chirothecas albas, Castitas, & mundities, ut manus, id est operationes sint mundæ, & ab omni sorde immunes. Chirothecis etiam manus operit, ut nesciat sinistra, quid faciat ipsius dextera, juxta illud Dominicum elogium, Matth. 6. videatur latè Durand. *in pluries citat. Rational. divin. offic. lib.* 3. *capite* 12. vide *in seq. Quæst. num.* 13.

11 Superest denique, ut de Cruce pectorali aliqua postremò dicamus; nam indutus Abbas omnibus ornamentis, assumit etiam Crucem, quæ à collo suspensa ante pectus pendet; & hoc ad significandum, quod ait Apostolus: *Glorificate, & portate Deum in corpore vestro.* Imponendo autem sibi, & deponendo Crucem; illam osculatur, ad denotandum, quòd Christi passionem, quæ per illam significatur, credit, & confitetur, ad quam repræsentandam in officio Missæ separat, ut per Durand. *d. lib.* 3. *cap.* 9.

12 Quòd Abbates Regulares habeant usum Mitræ, Baculi, Anuli, & cæterorum Pontificalium Insignium, de quibus suprà: certum est, tam ex privilegiis directè, & specialiter, sive indirectè, & per communicationem eis concessis: quàm ex consuetudine, ut supponitur ex text. *in d. cap. ut Apostolica, de privileg. in* 6. ubi Summus Pontifex Abbatibus, non tantùm Mitræ, sed aliorum Pontificalium usum concedit, cujus, *cap.* verba sunt hæc: *Ut Apostolica Sedis benignitas, qua nonnullis Abbatibus, aliisque Prælatis, quibus non competit ex propria dignitate, concessit in Ecclesiarum suarum gloriam, & honorem, quòd Mitra, & alii Pontificalibus uti possint, &c.* idem ait Panormit. *in cap. clerici, sl. a. n.* 6. *de vita & honest. clericorum.*

Aliqua autem singularum Congregationum, & quorundam locorum privilegia hîc recensere nobis visum est ad hujus rei veritatem confirmandam.

Et primò, pro Abbatibus Canonicorum Regularium privilegia concessa sunt, ut videri potest in *Bullis* Gregorii IX. anno 1238. & Urbani IV. anno 1386. & Bonifacii IX. anno 1400. & Sixti IV. anno 1485. & Innocentii VIII. anno 1489. & Alexandri VI. anno 1493. & Julii III. anno 1551. quæ Bullæ habentur *in lib. privileg. dict. Ordin. Mediolani impresso anno* 1606. 13

Extensa sunt privilegia prædicta Canonicorum Regularium Lateranensium, ad omnes Prælatos, Congregationis S. Salvatoris Bononien. per Innocentium VIII. ut patet in hac Bulla ejusdem Pontificis, sub Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno 1489. pridie idus Novembris, Pontific. sui 6. cujus tenor est: 14

Exposcit vestræ devotionis sinceritas, & Religionis promeretur honestas, ut tam vos, quos speciali dilectione prosequimur, quàm Monasteria vestra dignis honoribus attollamus. Cùm itaque sicut exhibita Nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, Priorius dictorum Monasteriorum pro tempore existentibus, ut quoties ipsos in Monasteriorum prædictorum, & aliis Ecclesiis tunc in Diœcesi Castellana, quæ nunc Diœcesis Venetiarum existit, consistentibus, Missam, & alia Officia Divina celebrare contingeret, Mitra, Baculo, & aliis Pontificalibus Insigniis uti, ac benedictionem solemnem, post Missarum, Vesperarum, & Matutinarum solemnia (dummodò in benedictione hujusmodi aliquis Antistes, vel Sedis Apostolicæ Legatus præsens non foret) elargiri possent Apostolica fuit auctoritate concessum. Nos volentes vos, qui (ut asseritis) dicto indulto hactenus usi fuistis & in dies utimini: ac Monasteria prædicta favore prosequi gratiæ amplioris, vestris in hac parte supplicationibus inclinati, vobis, & Prioribus dictorum Monasteriorum pro tempore, ut existentibus in quibuscunque Ecclesiis Monasteriorum, Prioratuum, ac locorum vestri Ordinis, Congregationis, tam in Civitate, & prædicta Diœcesi Venetiarum, quàm aliis ubilibet consistentibus, Mitra, Anulo, & aliis Pontificalibus Insignijs hujusmodi uti, Benedictionemque solemnem post Missarum, Vesperarum, & Matutinarum solemnia, divinis interessentibus officiis (dum tamen aliquis Antistes, vel Sedis prædictæ Legatus præsens non fuerit) elargiri, ac omnes Novitios Ordines vestrum expressè professos, ad primam clericalem Tonsuram, & minores ordines promovere, Campanas quoque, & paramenta, & quascunque vestes, & divino cultui deputata, vel deputanda, in quibusvis Monasteriis, Prioratibus, & aliis dictæ Congregationis locis, benedicere libere, & licitè possitis, fel. record. Alexandri Papæ IV. prædecessoris Nostri, quæ incipit: *Abbates*; & aliis Constitutionibus & ordinationibus Apostolicis non obstantibus, auctoritate præfata, tenore præsentium, de speciali dono gratiæ, indulgemus. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem, &c. Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1489. pridie Idus Novembris, Pontificatus Nostri, anno 6. 15

Habetur *in lib. privileg. Canonic. Regul. Mediolan. impress. pag.* 378.

15 Pro Abbatibus Casinensibus, aliàs Sanctæ Justinæ de Padua, dicendum est, quod Urbanus II. concessit Abbati Monasterii Sanctissimæ Trinitatis Caven. Ordinis Sancti Benedicti Congregationis Casinen. ac ejus successoribus, ut possint omnia Pontificalia exercere, quæ Episcopi in suis Diœcesibus exercere possunt (exceptis dumtaxat Sacrorum Ordinum collatione, Basilicarum, & Altarium consecratione, ac Chrismatis confectione:) de quo privilegio aliàs pluries mentionem habebimus. Sed Pontifex concedendo, ut possit prædictus Abbas Pontificalia exercere, videtur etiam concessisse, ut Pontificalibus Insigniis uti valeat; nam qui aliquid concedit, videtur concessisse omne id, sine quo res concessa exerceri non potest. Præterea Eugenius IV. anno Domini 1442. 7. Kalendas Junii, sub Datum Florentiæ, concessit Abbati Sancti Pauli de Urbe, facultatem celebrandi cum Mitra, Anulo, Sandaliis, Tunica, & Dalmatica. Similia privilegia concesserunt multi Pontifices eidem Religioni.

16 Abbatibus Congregationis Camaldulen. Pontificalium usum concessit Leo X. ut habetur in Compendio Rotæ, *tit. Abbas* §. 4.

Abbates nostræ Congregationis Vallis-Umbrosæ, sigillatim multi, & universaliter omnes, habent usum Pontificalium.

17 Primus enim inter Abbates nostræ Congregationis, qui usum Pontificalium obtinuerunt, fuit D. Nicolaus Abbas Sancti Michaëlis de Passiniano, hic ab Urbano V. usum Mitræ, Anuli, Sandalium, & cætera adeptus est, ut apparet in ejus diplomate, sub Datum apud Villam Novam Avinionen. Diœces. Pontificatus sui primo, in his verbis:

Sinceræ devotionis affectus, quem ad Nos, & Romanam geris Ecclesiam, promeretur, ut votis tuis, in iis præsertim, per quæ Monasterio tuo, honori accrescit, favorabiliter annuamus. Olim siquidem felicisrecordationis Clemens Papa VI. prædecessor Noster, tibi, & successoribus tuis Abbatibus Monasterii S. Michaëlis de Passiniano, Ordinis Vallis-Umbrosæ Fesulanæ Diœces. qui essent protempore, per suas certi tenoris literas, auctoritate Apostolica indulsit, ut tu, & illi Mitra, & Anulo, Sandaliis & aliis Insigniis Pontificalibus uti, ac in Missa, & Mensa solemnem benedictionem facere, locis tamen, & horis, ac temporibus congruis, liberè valeatis, dummodo in benedictione ipsa ali quis Antistes, vel Legatus Sedis Apostolicæ præsens non esset: prout in eisdem literis plenius continetur. Cùm autem sicut exhibita Nobis pro parte tua petitio continebat, Episcopi locorum partium diversarum, te hujusmodi gratia in locis exemptis, & non exemptis, ut non permittant, nisi priùs licentiam ab eis obtineas per publicum instrumentum: pro parte tua Nobis fuit humiliter supplicatum, ut providere tibi de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur volentes te præmissorum intuitu favore prosequi gratiæ amplioris, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, tibi, ut quamdiu vitam duxeris in humanis, & eidem Monasterio præfueris, Mitra, & Anulo, Sandaliis, & aliis insigniis supradictis, juxta concessionem supradictam, absque dictorum Episcoporum licentia uti possis, auctoritate Apostolica tenore præsentium indulgemus. Nulli ergò omninò hominum liceat, hanc paginam Nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Secundus verò fuit D. Marcus Abbas Monasterii Sancti Salvii, extra, & prope muros Florentiæ, qui à Bonifacio IX. Mitræ, Anuli, Baculi, & aliorum Pontificalium usum consecutus est per Bullam ejusdem Pontificis, sub Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, 5. Kalendas Maji, Pontificatus sui anno 9. de qua alibi.

Ab eodem Bonifacio IX. Dominus Joannes Abbas Prædictorum Pontificalium exercitium obtinuit, ut constat ex Bulla ejusdem Pontificis, quæ incipit: *Exposcit vestra devotionis*, sub Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, Kalend. Septembr. Pontificatus sui anno 12.

Deinde Dominus Ricciardus Abbas Sancti Pancratii Florentiæ, à Martino V. iisdem Pontificalibus decoratus est, in vigore ejusdem Pontificis Bullæ, quæ similiter incipit: *Exposcit vestræ devotionis*, sub Datum Florentiæ, anno 1420. Pontificatus sui anno 3.

Ab eodem Martino V. Dominus Gaspar Monasterii Sanctæ Trinitatis Florentiæ Abbas, Pontificalia acquisivit, anno 1420. sub datum Florentiæ, undecimo Kalendas Junii, Pontificatus sui 3. virtute diplomatis ejusdem Martini V. quod similiter incipit: *Vestræ devotionis sinceritas*. Quæ omnia privilegia, cùm multis aliis, ejusdem tenoris nostræ Congregationis particularibus Abbatibus concessa, extant *in libro authentico manuscripto in Archivio Vallis Umbrosæ*.

Circa quæ privilegia præfatum usum Pontificalium nostræ Congregationis Abbatibus concedentia, notandum est, quod non solum illis, de quibus in prædictis diplomatibus facta est mentio, concessa sunt, sed etiam successoribus eorundem Abbatum, ut constat per illa verba in eisdem privilegiis apposita:

Ut tu fili Abbas, & successores tui Abbates dicti Monasterii, qui pro tempore fuerint, Mitra, Anulo, & Baculo Pastorali, ac aliis Pontificalibus Insigniis, liberè possitis uti, &c.

Non solùm prædictis Abbatibus, verùm etiam quam pluribus aliis nostræ Congregationis concessa fuisse privilegia, ut diximus, probat memorabilis Bulla Gregorii XI. Domino Simoni Abbati Vallis Umbrosæ directa, in qua ornamenta Pontificalia eidem Abbati, & Successoribus suis concedit, atque iisdem Pontificalibus quamplures Abbates dictæ nostræ Congregationis decoratos esse affirmat, ut in sequenti Bulla ejusdem Gregorii IX. quisque intueri potest.

Exposcit nostræ devotionis sinceritas, & Religionis promeretur honestas, ut tam vos, quos speciali dilectione prosequimur, quàm Monasterium vestrum dignis honoribus attollamus. Hinc est, quòd Nos, vestris in hac parte supplicationibus inclinati; ut cùm tu fili Abbas, ut asseritur, tui Ordinis Caput existas, & quamplura Monasteria dicti Ordinis, quorum Abbates Insigniis Pontificalibus ex privilegio Sedis Apostolicæ speciali, uti possunt, tibi subjecta fore noscuntur, tu, & Successores tui Abbates dicti Monasterii, qui pro tempore fuerunt in Missarum solemniis, & aliis Divinis officiis, Mitra, Anulo, & aliis Pontificalibus Insigniis, liberè uti possitis, fel. record. Alexandri Papæ IV. Prædecessoris Nostri, quæ incipit: *Abbates*, & aliis quibuscunque Constitutionibus Apostolicis, in contrarium editis nequaquam obstantibus, vobis eisdemque Successoribus auctoritate Apostolica, de speciali gratia, tenore præsentium indulgemus. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Avenion. 11. Kalend. Julii, Pontificatus Nostri anno 2.

Abbates Cistercienses eandem facultatem utendi Pontificalibus habent, per varia privilegia Summorum Pontificum, & præsertim per Constitutionem Innocentii VIII. sub Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno 1489. die 9. Aprilis Pontificatus sui 4. quæ Constitutio extat apud Rodericum *in nova collect. Bull. tom. 1. Bulla 5. ejusdem Innocentii.* 18

Abbates

19 Abbates Cælestinorum habent usum Pontificalium, per memorabile privilegium Cœlestini V. eorum Institutoris, & etiam per Bullam Eugenii IV. quæ refertur ab Emanuele Roderic. *in collect. privilegiorum, pro Regular. Bulla* 18. *ejusdem Eugenii IV.*

Quæ privilegia, etsi Abbati Sancti Spiritus de Sulmona, totius Ordinis Cælestinorum Generali, concessa sint, tamen à Paulo V. per Constitutionem, quæ incipit: *Ad Sacram Beati Petri Sedem*, sub Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Majorem, die 29. Januarii, Pontificatus sui 11. extenduntur ad omnes alios Abbates, qui in eadem Congregatione postea creati sunt in virtute supradicti privilegii Pauli V. quòd habetur *in Appendice Bullarii novi* Laertii Cherubini, *Constitutione 6. aliàs 94. Pauli V.*

20 Abbates Montis Oliveti habent usum Pontificalium vigorè multarum Bullarum Summorum Pontificum, & præcipuè Julii II. quæ in libro privilegiorum dictæ Congregationis videri possunt.

21 . Abbates Montis Virginis iisdem Pontificalibus insigniti sunt per speciale privilegium Urbani IV. sub Datum apud Urbem Veterem, 2. Idus Septembris, Pontificatus sui anno 3. Laërt. Cherubin. *tom. 1. Bullarii nov. Constitution. 6. ejusdem Pontificis.*

22 Præmonstratenses Abbates habent usum Pontificalium, ut in sequentis Bullæ verbis manifestè ostenditur.

☞ . Ut pulchra, & decora filia Hierusalem Fidelibus, & Infidelibus terribilis appareat, ut castrorum acies ordinata Ecclesia militans, variis insignitur titulis dignitatum, per quos tanquam ornata monilibus, & circumdata varietate, venustate præferat virtutum Ecclesiæ triumphantis specimen. Quare Sedes Apostolica Mater Ecclesiarum omnium & Magistra, alias Ecclesias tanquam adolescentulas honorum insigniis libenter adornat pro meritis singularum sperans, ut immaculatas in ornatu, tanto se diligentiùs studeant conservare, quanto propensiùs tenentur diligere decus proprium, & decorem. Considerantes itaque devotionis, & fidei puritatem, cùm ad Nos, & Romanam Ecclesiam Monasterium tuum, & degentes in eo habuisse, ac habere noscuntur: & volentes ex hoc Monasterium ipsum spiritualibus decorare Insigniis, ac prævenire honoribus, ac favoribus gratiosis, tibi, & successoribus tuis in perpetuum utendi Anulo continuè, & ubique in divinis officiis, & competentibus locis, Mitra, Sandaliis, aliisque Pontificalibus Insigniis, nec non benedictionem populo in eodem Monasterio, & Ecclesiis Ordini suo pleno jure subjectis, jure Pontificum largiendi; dummodo Legatus dictæ Sedis, Archiepiscopus, vel Episcopus præsens in benedictione hujusmodi non existat, plenam, & liberam Motu proprio, non ad tuam, vel alterius super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex Nostra mera liberalitate concedimus auctoritate præsentium facultatem. Datum in Prioratu de Grassello, prope Mulansam Nasionen. Diœces. 4. Kal. Jun. Pontif. Nostri anno 8.

Ita habetur *in lib. privileg. tom. 2. Præmonstraten. Bulla* 107.

23 Prior Generalis Monachorum S. Hieron. Congregationis Lombardiæ, Pontificalibus Insigniis ornatus est, ut in sequenti privilegio Pauli V. ostenditur.

PAULUS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

☞ PRæclara virtutum merita, per quæ Congregatio S. Hieronymi de Observantia, Italicæ Regionis nuncupata, Ordinis ejusdem S. Hieronymi, canonicè instituta in agro Dominico Altissimo famulari, & in dies perficere comprobatur, Nos inducunt ut ea libenter concedamus, quæ illius decori ad divini cultus augmentum for. [illegible] aspicimus opportuna. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Balthasar Sudatus Generalis, ac Monachi, & Religiosi dictæ Congregationis; quòd cum ipsa Congregatio, & aliæ consimiles Congregationes diversarum Provinciarum, variis privilegiis, & facultatibus ornatæ fuerint, ipse verò Balthasar Generalis, & Monachi primodictæ Congregationis divini cultus augmentum in sua Provincia adaugere desiderantes, plurimum cupiant sibi, ut infrà, per Nos, & Sedem Apostolicam benignè indulgeri. Nos igitur eosdem exponentes specialis gratiæ favore prosequi volentes, nec non eos, & eorum singulos à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occasione, & causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium, dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes. Supplicationibus pro eorum parte parte Nobis humiliter porrectis, inclinati, eidem Balthasari, ac futuris Successoribus suis primodictæ Congregationis Generalibus, quandocunque existentibus, ut in Monasterio Hospitaletto nuncupato, Lauden. Civitatis, vel Diœces. Mitra, & Baculo, ac Anulo pastoralibus, & etiam Cruce, ac Sandaliis, & aliis ornamentis, quibus Pontificali dignitate prædui utuntur, ac cum quibus Sacra facien. incedunt adinstar, seu eodem prorsus modo aliarum Congregationum, & præsertim Generalis Sylvestrinorum, ac multorum Priorum Triennalium Canonicorum Regularium, ac Præpositi Ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Scala Mediolanen. uti, ac etiam post nocturnas, seu matutinas horas, nec non Missam decantatam, ac Vesperas, in absentia tamen Episcopi Lauden. & dummodo nullus ibi præsens existat Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, aut alius Antistes, solemniter benedicere, ac solemnem benedictionem post earumdem horarum Missæ, & Vesperarum celebrationem, & alia divinorum solemnia impartiri, & singulis Christi fidelibus hujusmodi benedictioni interessentibus, & decem dierum indulgentias, & peccatorum remissiones concedere, & elargiri, & seu decem dies de injunctis eis, aut aliàs quomodolibet debitis pœnitentiis relaxare, & publicare in forma Ecclesiæ consueta, liberè, & licitè possint, & valeant, Apostolica auctoritate, tenore præsentium concedimus, & indulgemus. Decernentes Balthasarem, & pro tempore existentes primodictæ Congregationis Generales prædictos desuper à quoquam etiam loci Ordinario, seu alio quocunque, quavis auctoritate, & facultate fungenti, desuper molestari, perturbari, ac inquietari nullatenus unquam posse, ac irritum, ac inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Apostolicis, nec non in Provincialibus, & Synodalibus, ac universalibus aliis Conciliis editis, & edendis, specialibus, vel generalibus Constitutionibus, & Ordinationibus, ac primodictæ Congregationis juramento, confirmatione Apostolica, & quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, primodictæ Congregationi, aliisque Superioribus, & personis, sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis in contrarium forsan, quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua mentio in præsentibus facienda foret, illis, aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expressè derogamus. Cæterisque contrariis quibuscunque, &c. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub Anulo Piscatoris, die 18. Martii, 1613. Pontif. Nostri anno 9.

Subscripta, O. Raggius, à tergo N. Rainerius.

Quod privilegium non extendit ad totam prædictam Congregationem, neque ad omnes alias Religiones communicantes privilegia ipsius Congregationis, ut ex *Disputatione de Communicatione privilegiorum*, elicitur.

Non solùm ex vi privilegiorum Sedis Apostolicæ, possunt Abbates seculares uti, & decorari Insigniis Pontificalibus; verùm etiam ex antiqua consuetudine, jam ab ipsis fundata in c. *Abbates, de privileg. in 6.* Unde talis consuetudo postea sortita est munus præscriptionis.

24 Satis constat ex privilegiis adductis, quòd etiam Abbates uti possint Cruce pectorali, quia omnium Pontificalium Insignium, & ornamentorum usus in illis tribuitur; habetur *in Rubr. Missal. Monast.*

Confirmatur ex Pontificali Romano, *part. 1. rubr. de Benedictione Abbatis*; ubi Abbas electus, qui benedicendus est, post Tractum, seu Sequentia, procedens ad Capellam pro eo paratam, deposito Pluviali, accipit Sandalia, & Crucem pectoralem, si antea, & in principio non acceperat; & deinde aptata sibi Stola, recipit Tunicellam, Dalmaticam, Planetam, & Manipulum.

25 Quoad Abbates seculares, nihil certi hic statuere possumus, ex ipsis enim aliqui Mitrati sunt; alii verò non, neque habent communicationem privilegiorum aliis Abbatibus Regularibus, vel secularibus concessorum, quòd sciatur; recurrendum erit igitur ad specialia privilegia; quia (ut supra diximus) hæc facultas non competit eis intuitu officii, vel dignitatis; sed ex privilegio Sedis Apostolicæ.

26 An verò Commendatarii, Mitra, Anulo, Baculo pastorali, cæterisque Insigniis Pontificalibus uti possint, dicendum est cum Michaële Leon. Estensi, *in Speculo Sacrorum Rituum, verb. Abbas Commendatarius, versic. an Commendatarius Mitram, &c.*

Quod cùm hujusmodi pastoralia Insignia, de jure, Abbatibus non competant, sed tantùm ex privilegio; ideo nisi speciali privilegio sint suffulti; non poterunt supradictis Insigniis decorari.

Si dicas, quòd Commendatarii habent privilegia concessa Abbatibus illius Abbatiæ, quam habent in commendam; ergo poterunt, quemadmodum & ipsi Abbates utebantur Pontificalibus, & ipsi quoque uti.

Respondetur, Abbatem Comendatarium non gaudere privilegiis illius Religionis, & illorum Abbatum Regularium; quia appellatione Religiosorum non venit, juxta doctrinam Bartoli, quam refert & sequitur Roder. *quæst. Regul. tom. 3. quæst. 51. art. 9.*

Unde si Commendatarius haberet aliqua privilegia, temporalem statum Abbatiæ commendatæ concernentia, tamen non debet in hoc desumi ratio similitudinis veri Abbatis, & Commendatarii; quia privilegium, (ut habetur *in cap. fane de privileg. in 6.*) non debet propter hujusmodi similitudinem de una ad aliam personam extendi, Bart. *in l. 1. C. de constit. Princ.* & Salas *de legib. disputat. 17. sect. 8. num.* 48.

Neque sufficit dicere, quod Commendatarius perpetuus verus Prælatus sit, quia in aliquibus à verò Prælato differt, & distat; ita Gomez. *super Regul. Cancell. in Reg. de triennal. quæst. 5. art. 1. num.* 22.

Ex quibus satis constat Commendatarium, nisi speciali privilegio, vel saltem immemorabili consuetudine, & præscriptione suffultum, non posse uti Insigniis Pontificalibus.

Ostenditur clariùs, quòd Commendatarii non utantur Insigniis Pontificalibus, per quamdam Constitutionem Pauli III. quæ incipit; *Debita consideratione*, sub Datum Romæ, apud S. Marcum die 30. Julii, 1540. Pontificatus sui anno 6. quæ est 23. ejusdem Pontificis, *tom. 1. Bullar. nov.* Laertii Cherub. §. 6. cujus verba ad nostram confirmationem, & clariorem demonstrationem firmandam, sunt:

Præterea eisdem referendariis, & aliis infrascriptis, ac eorum singulis, Monastena, quorum Abbates pro tempore existentes, Mitra, & aliis Pontificalibus Insignis, ex privilegio Apostolico, vel aliàs uti consueverunt, in commendam pro tempore obtinentibus, in ipsis Monasteriis, perinde ac si illis, ut Abbates præessent, Mitra, Anulo, & Baculo pastorali, ac aliis Pontificalibus Insigniis hujusmodi uti; nec non solemnem benedictionem post Missarum, Vesperarum, Matutinorum, & aliorum divinorum Officiorum solemnia super populum tunc intereffentem (dummodo in ibi aliquis Antistes, seu dictæ Sedis Legatus præsens non sit, vel si præsens fuerit, ad id ejus accedat assensus) elargiri liberè, & licitè valeant.

Ex quibus verbis manifestè ostenditur, Commendatarium absque speciali privilegio Sedis Apostol. non posse Insigniis hujusmodi uti, & gaudere: & prædictum privilegium potius referri ad Referendarium his Pontificalibus decorandum, quàm ad Commendatarium.

De Prioribus autem, sive Præpositis, tam Regularibus, quàm secularibus similiter dicendum est, eos non decorari Episcopalibus Insignibus, & ornamentis propter rationes superiùs dictas, dummodo virtute privilegiorum (quemadmodum multi Priores, & Præpositi Canonicorum Regularium Lateranensium, & Canonicorum Regularium Sancti Salvatoris Bononien. & alii seculares) his Insigniis non utantur. 27

QUÆSITUM II.

Utrùm Abbates, & alii Prælati, tam Regulares, quàm Seculares, utantur ornamentis, & vestibus Prælatitiis.

SUMMARIUM.

1 *Abbates, & alii Prælati, tam Regulares, quàm seculares, quibus vestibus, & ornamentis ex stylo Curiæ Romanæ uti valeant.*

2 *Abbates Generales quorumdam Ordinum, ex privilegio possunt deferre Prælatorum Regularium habitum, & ornamenta,* & num. 11.

3 *Abbates Generales Cælestinorum, & Montis Virginis habent privilegium gestandi habitum Prælatorum Regularium, & Mozettam,* & num. 9. & 11.

4 *Abbas debet incedere in Ecclesia cum habitu decenti, & non camerali.*

5 *Vestes debent esse coloris Religionis professæ, nisi ex privilegio Sedis Apostolicæ super hoc dispensetur.*

6 *Abbates non possunt uti Rochetto.*

7 *Abbates extra Italiam, quo habitu utantur, & præsertim, qui ex clericis secularibus Monasteriis præficiantur, & quem habitum adhibeant in Capella Papali, ostenditur.*

8 *Abbates, qui ex cœtu Monachorum assumuntur, quem habitum induant.*

9 *Bulla Pauli V. concedens habitum, & ornamenta Prælatorum Abbatibus, recensetur.*

10 *Abbatum vestimenta non possunt ita de facili demonstrari; ideò consuetudines, & privilegia Abbatum inspicienda sunt.*

11 *Abbates, & Prælati inferiores multi, gestant Mozettam, & habitum Prælatorum Regularium.*

12 *Abbates, & alii Prælati inferiores an utantur proprio Sigillo, & Insignis sui Monasterii, vel Familiæ propriæ.*

13 *Insignium Pontificalium, & indumentorum sacrorum Abbatum, & Prælatorum inferiorum, forma, & figura.*

1 In præsenti non agimus de simplici habitu Clericorum, vel Monachorum, sed de vestibus Prælatitiis, &

& ornamentis, quibus Abbates, & prælati tam regulares, quàm seculares ex privilegio Sedis Apostolicæ, vel ex consuetudine utuntur. De habitu enim simplici, & ordinario Monachorum, nec non Abbatum, inferiùs erit sermo.

Dicendum est ergo, Abbates, & alios Prælatos inferiores ex stylo Romanæ Curiæ uti posse pallio, quod Mantellettum communiter vocant, & in actibus publicis in Ecclesia præstitis sub pallio, & Mantelletto prædicto deferre posse habitum lineum, quem Rochettum appellant, sed non omnes, ut *in sequenti Quæsito* latiùs ostendemus, & hoc elicitur *ex cap. Clerici, de vita, & honestate Clericorum*, Lælius Zecch. *de Republ. Eccles. cap. 1. de Prælat. in genere.*

Circa præsentem materiam propter diversas consuetudines valde ambiguam, nequaquam loquar ex propria sententia, sed tantum referam ea, quæ docet Michael Leon. Estensis vir eruditus, & in Sacris Cæremoniis, præcipuè Curiæ Romanæ, summopere versatus, *in suo Speculo Sacrorum Rituum, verbo, Abbatis*
2 *Vestes, & Insignia*, ubi ait: quòd Abbates Generales quorumdam Ordinum Monachorum, ex privilegio Summorum Pontificum habent facultatem deferendi Prælatorum Regularium habitum, hoc est, Caputium, sive Mozettam, Mantellettum, Biretum Clericalem, & Pileum more Prælatorum. Hoc nostro seculo, Ab-
3 bas Cælestinorum Generalis in sua antiqua possessione confirmatus, ac stabilitus est, deferendi habitum Prælatorum Regularium, hoc est, Caputium, sive Mozettam, Mantellettum, Biretum Clericalem; & Pileum more Prælatorum, quæ Prædecessoribus suis à Sede Apostolica jam olim concessa fuerant; ita respondente Sacra Rituum Congregatione die 17. Junii, anno 1606. ut clariùs in Bulla Pauli V. *infrà num. 9. ponenda*, ostenditur; & post triennium Abbati Generali Montis Virginis usus Caputii, sive Mozettæ concessus fuit eadem suadente Sacra Congregatione, die 9. Maji, anni ejusdem, quo die etiam respondisse me-
4 minimus, Abbatem debere incedere in Ecclesia cum habitu decenti, & non cum habitu camerali.

5 Sunt alii quamplurimi Abbates, tam Regulares, quàm Seculares in Gallia, Hispania, & Germania, qui habitum Prælatitium gestant, & possunt extra Monasteria propria, etiam coram Episcopo, deferre Mozettam, ut respondit Sacra Rituum Congregatio sub die 9. Decembris 1617. Reperiuntur etiam in nostra Italia multi Abbates, qui ex immemorabili Mozettam deferunt in publicis Processionibus, & congressibus, ut Abbas S. Michaelis de Salvenere Ordinis Vallis-Umbrosæ, Abbas S. Michaelis de Pistorio, & S. Mercurialis de Forolivio Ordinis Vallis-Umbrosæ, & in pacifica Mozettæ delatione, ut suprà, adhuc extat ex antiquissima consuetudine Abbas Vallis-Umbrosæ, & multi alii quos refert Augustinus Barbosa *de jure Ecclesiastico lib. 1. cap. 17. num. 56.*

6 Debent autem Vestes istæ omnino esse coloris habitus Religionis professæ, nisi aliter superinde ab Apostolica Sede sit indultum; solet enim ipsa interdum ex aliqua justa causa, ut color Religionis professæ mutari possit, benignè concedere; ita factum fuit anno Christi 1607. cum Abbate, & Monachis S. Petri de Monte, Meten. Dioec. Sacra enim Rituum Congregatione suadente, die 17. Martii, concessum eis est ut relicto colore albo, uti possent vestibus nigris, quia ex hujusmodi mutatione nullum præjudicium generabatur Ordini Præmonstratensi, quem illi expressè professi fuerant.

7 Rochettum autem deferre Abbates Regulares nullatenus possunt, nisi sint de tali Ordine, qui ex privilegio, vel ex consuetudine; Rochettum deferat, ut exempli gratia, ex Ordine Canonicorum Regularium, qui Rochettum regulariter deferunt, vel ex consuetudine immemorabili, vel ex Sedis Apostolicæ privilegio, ut ait prædictus Leo *loc. cit.* Grassum affirmant *in diariis ad annum 1516.* Quòd quidam (de quo sic inscribebat Abbatem (cujus nomen justa de causa silentio prætereo) cùm venisset ad Urbem, Rochetto, & Capello nigro utebatur, sicut Abbas; licet revera Abbas non esset, & sæpè monitus, ut Rochettum non portaret, ille temerè, & superbè respondens, se posse illo uti, quia erat de numero Canonicorum Regularium Lateranen. mandavit Grassus eidem, de ordine Papæ, & totius ferè Sacri Collegii, ut Rochettum deponeret, alioquin Urbis Baricello juberet, ut illum per viam incedendo, publicè, & cum ignominia Rochetto spoliaret; unde conquestus de hac re apud Papam prætensus Abbas, obtinuit, ut negotii hujus discussio committeretur Bernardino Guterii altero Cæremoniarum Magistro; is primum eumdem prætensum Abbatem acriter reprehendit; sed verò visis quibusdam ejusdem scripturis, in quibus ostendebat se esse de Ordine Canonicorum Regularium Lateranen. discordiæ finis impositus est.

Narrat insuper idem Grassus *in diariis suis ad annum 1521.* de quodam Abbate Generali Ordinis Sancti Antonii Viennen. qui cùm ad Urbem venisset cum Cardinale Joanne à Lotharingia, ambulabat per urbem, indutus habitu illo, quo Rotæ Auditores Regulariter indui solent, & in eodemmet habitu Capellæ Pontificiæ interesse volebat; sed à Grasso redargutus, abstinuit: præscripsit autem eidem Abbati Grassus prædictus, ut per Urbem incedendo, esset cum Manto amplo nigro, & Capuccino, sive Papafico nigro, & manicis vestis latis, ac Capello nigro, sicut Protonotarii iisdem temporibus utebantur.

In Capella autem esset cum Cappa longa, caudata & capucciata de Saia nigra, non autem de Camelotto, & à Rochetto omnino abstinerent; quæ omnia ille postmodum exactissimè observavit.

Cæterùm (ut refert idem Leon. *loc. cit.*) hoc habitu Prælatorum Regularium utuntur etiam extra Italiam Abbates omnes, qui ex clero seculari, ad Monasteriorum regimen assumuntur. Qui quidem omnes cum Pontificiæ Capellæ interesse volunt, Mantello, & Capuccio deposito, Cappam amplam assumunt laneam, coloris habitus Religionis professæ, pellibusque griseis, vel albis suffultam, juxta colorem habitus supradicti. 8

Si verò loquamur de Abbatibus, qui in Congregationibus Monachorum solent ad gubernationem Monasteriorum communiter eligi, ipsi per Abbatialis tituli adeptionem, suæ Religionis habitum non dimittunt; sed eodemmet habitu induuntur, quo cæteri ejusdem Monasterii Monachi solent indui; dummodo tamen melior sit, ac decentior, & non excedat modestiam Regularem & observantiam Monasticam; ita docet Abbas, *in Clement. ne in agro, num 8. in fine de statu Monach.* ubi de habitu quotidiano, & domestico Abbatis scribens, ait, quòd in Monasterio, in quo fuerit Congregatio duodecim Monachorum, aut suprà Abbas, Prior, vel alius Præsidens intra septa Monasterii, portare debet Florum; in aliis autem Monasteriis ubi non est tanta Congregatio, Cucullam. 9

Cùm verò Abbates, Priores, vel alios Præsidentes, & Monachos extra Monasteria proficisci contigerit, Florum, Cucullam, aut Cappam clausam habeant, & subtus Cappam, si eam portaverint, Cucullam deferant, aut si maluerint, scapulare; licet enim sub Cappa sit portandum saltem scapulare, aut sub Floro, vel sub Cuculla; adsunt etiam pro eodem vestitu Abbatis Vestes, quæ Rotundellæ dicuntur, quæ nunc sunt in usu, & non propriæ, de quibus apud eumdem Abbatem, *loc. cit. num. 9. & 10.* ubi ad majorem intelligentiam supradictarum rerum, ait, quòd nomine Cu-

cullæ

cullæ venit habitus longus, & amplus, manicas non habens: & nomine Flori, habitus habens longas, & largas manicas: & nomine Rotundellarum, Mantellus longus, apertus tamen ante: & nomine Cappæ Mantellus rotundus, non apertus, totum hominem cooperiens.

10 Fateor circa hujusmodi ornamenta Prælatitia non posse aliquid certi statui; multi enim Abbates ex privilegio, vel antiqua consuetudine utuntur prædictis ornamentis, alii verò non; Alii utuntur Mozetta, & Cappa, & Mantellotto, sed non Rocheto; Alii Cappa ampla tantum; quibusdam in locis, & præcipuè in Gallia, & Germania ferè omnes Abbates gestant Mozettam, & Mantellettum, cum Pileo Prælatitio, & etiam multi in Italia; inter quos extat Abbas Sancti Spiritus de Sulmona, qui non solùm Mozettam, & Cappam, verùm etiam alia ornamenta, quæ Prælatis inferioribus concedi sunt solita, vigore hujus privilegii, magna animadversione digni, cujus tenorem hîc mihi apponere visum est.

PAULUS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

11 EX injuncto Nobis Apostolici muneris debito, Jus suum unicuique conservare tenemur. Proinde, cùm sicut pro parte dilecti filii Celsi Romani Abbatis Generalis Congregationis Cælestinorum Ordinis Sancti Benedicti, Nobis insuper expositum fuit, ex antiquo privilegio Apostolico à felicis recordationis Cælestino Papa V. nimirum concesso, & ab Eugenio IV. & aliis Romanis Pontificibus prædecessoribus Nostris confirmato pro tempore existens Abbas Generalis dictæ Congregationis Cælestinorum, functiones omnes, quas cæteri omnes Abbates exempti faciunt, & exercent, facere, & exercere; nec non semper tam in Urbe, quàm in omnibus aliis Civitatibus, & ubique locorum, habitum Prælatorum Regularium, Caputium scilicet, sive Mozettam super Mantelleto, & Biretum quadratum, more Clericorum Secularium, ac Pileum, more Prælatorum; ac in Ecclesiis, & Monasteriis suo Ordini subjectis, Cappa, Baculo, Mitra, & cæteris Pontificalibus indumentis, uti, & in eisdem Ecclesiis Missas solemniter more aliorum Abbatum benedictorum, celebrare, ac Monachis sui Ordinis, & aliis Christi fidelibus quibuscunque ad dicti Abbatis Missas audiendas convenientibus, & interessentibus, quandocunque Episcopi, & alii Superiores Prælati, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales ibi præsentes non sint, solemnem benedictionem impertiri possint; & consueverint: cumque in Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium super sacris ritibus, & cæremoniis deputatorum examinatis privilegiis supradictis, decretum semel, atque iterum fuerit, prædictum Abbatem Generalem Congregationis Cælestinorum pro tempore existentem in pacifica possessione omnium, & singulorum præmissorum manutenendum esse, illumque à quovis Episcopo, vel Ordinario locorum, aut eorum Vicariis, & aliis quibuscunque personis super præmissis molestari, perturbari, vel inquietari non posse, declaratum fuerit. Et cùm sicut eadem expositio subjungebat, ipse Celsus Abbas pro majori eorumdem decretorum validitate, cupiat illa confirmationis Apostolicæ robore communiri. Nos illius honestis votis benignè annuentes; ac ipsum Celsum Abbatem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium, dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine super hoc Nobis humiliter porrectis, inclinati, decreta ejusdem Congregationis, auctoritate Apostolica, tenore præsentium confirmantes, & approbantes juxta illorum seriem, per easdem præsentes decernimus, & declaramus, prædictum Celsum modernum Abbatem Congregationis Cælestinorum, ejusque successores, stante antiqua possessione dicti Abbatis, & prædecessorum, prædicta facien. & exercendi in pacifica possessione omnium, & singulorum præmissorum manutenendum, ac manutenendos esse, nec illos aut quempiam illorum, à quovis Episcopo, vel Ordinario locorum, aut eorum Vicariis, & aliis quibuscunque personis desuper quovis prætextu molestari, perturbari, vel inquietari ullatenus posse. Sicque per quoscunque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane quidquid secus super his à quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca dilectis filiis nunc, & pro tempore existentibus ejusdem Congregationis apud Nos, & Apostolicam Sedem Protectori, & Causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Generali Auditori, per præsentes committimus, & mandamus, quatenus ipsi, vel alter eorum præsentes literas, & in eis contenta quæcunque, ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte dicti Celsi moderni, aut pro tempore existentis Abbatis Generalis dictæ Congregationis, fuerint requisiti, solemniter publicantes, ac ipsi Abbati in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciat auctoritate nostra illum eorumdem præmissorum effectu pacificè frui, & gaudere: non permittentes illum desuper à quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebitè molestari. Contradictores quoscunque per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita, compescendo. Invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis: Non obstan. felic. record. Bonifacii Papæ VIII. etiam Prædecessoris Nostri, de una, & in Concilio Generali edita de duabus dietis; dummodo ultrà tres dietas aliquis auctoritate præsentium, ad judicium non trahatur, aliisque Apostolicis Constitutionibus, & Ordinationibus, cæterisque contrariis quibuscunque. Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, sub Anulo Piscatoris die 9. Decembris 1606. Pontificatus Nostri anno 2.

Ex quibus licet nobis inferre, multos Abbates, tam Regulares, quam seculares, ubique Terrarum; nec non alios nonnullos Priores, & Ecclesiarum quarumdam Præpositos, gestare habitum Prælatitium: Regulares enim retento sui Ordinis colore, habitum Prælatorum Regularium deferre, superiùs ostensum est. Abbas Montis Casini, Abbas Sanctissim. Trinitatis Caven. Ordinis Casinen. aliàs Sanctæ Justinæ de Padua; & Abbates S. Spiritus de Sulmona Ordin. Cælestinorum, & Montis Virginis, & multi alii, tam Regulares, quàm seculares, & nonnulli Priores, & Præpositi habitu Prælatitio, cum omnibus pertinentiis suis utuntur (*servatis de more servandis.*) An autem possint Abbates, & Prælati habentes usum Mozettæ, extra sua Monasteria, & coram Episcopo illam deferre: Respondeo affirmativè, ut per sequentes determinationes Sacræ Rituum Congregationis apparet; & maximè, si Abbates, & Prælati prædicti sint in possessione eadem Mozetta extra Monasteria, & coram Episcopo, utendi. 12

Die Sabbathi 9. Decembris, 1617.

INstitit Episcopus Vercellen. apud Sacram Rituum Congregationem, pro declaratione, An Abbas Canon. Regul. Lateran. ejusdem Civit. & Præpositus

ejus.

ejusdem Ordin. in loco Biellæ suæ Diœcesis, possint Episc. 'po ipso præsente, deferre Mozettam in processionibus, aliisque publicis actibus.

Eadem Sacra Rituum Congregatio, audita relatione Illustriss. & Reverendiss. Domini Cardin. Lancellotti, cui hac causa commissa fuerat, decrevit posse ubique, etiam præsente Episcopo, deferre Mozettam.

A. Maria Cardin. Gallus.

Loco † sigilli.

Petrus Ciammariconius Secr. Congr.

Vercellen. Die Martis 30. Martii 1621.

Congregatio Sacrorum Rituum, Illustriss. D. Card. Crescentio referente inhærendo Decreto, sub die 9. Decembris, 1619. emanato, censuit Abbatem Sancti Andreæ Congreg. Lateranen. Civit. Vercellen. posse, ubique, etiam præsente Episcopo, deferre Mozettam, eidemque pontificaliter celebranti, juxta antiquam consuetudinem, Sede, seu Cathedra cum duobus gradibus uti licere.

Fran. Maria Card. à Monte.

Loco † Sigilli.

Petrus Ciammaricontus Secr. Congr.

12 Abbates possunt deferre Biretum, ut supra dictum est, etiamsi usus Mitræ illis non esset concessus, ut colligitur ex Pontificali Rom. *part.1. in tit. de benedictione Abbatis auctoritate Ordinaria, pag.*116. ubi dicitur: *Si Abbas non habet usum Mitra, non datur ei Mitra, sed accipit Biretum.*

Quoad Sigillum dicendum est, Abbates, qui sunt Capita Ordinum, & vocantur Magni Abbates, nec non etiam alii Abbates exempti, uti posse Sigillo proprio, quòd est authenticum, & illi præbetur fides, sicut Sigillo Episcoporum; ita Speculat. *in tit. de probat.* Archidiac. *in can. cura sit, num. 2. II. quæst. 3. de confirmat. util. verb. inut.* Fran. Mar. *decis. Delphin. quæst.* 1080. *num* 2. & 3. Et consequenter proprijs armis, seu insignijs uti posse affirmandum est, quòd colligitur ex Pontif. Rom. *cit. part.1. tit. de Bened. Abbatis, ubi in rubr. circa princ.* inter alia pro Abbatis Benedictione præparanda, requiritur, ut præparentur etiam duo Panes Magni, & duo Barilia vini, quæ ornari debent; adeo ut duo videantur argentea, & duo aurea, habentia hinc & inde insignia Pontificis benedicentis, & Monasterii, sive electi benedicendi, cum Capello, vel Mitra, vel Cruce, pro cujusque gradu, & dignitate.

Præterea in veteribus usus obtinet, ut Abbates sui Monasterii, vel propriæ prosapiæ Insignia simul cum Mitra, vel Pileo Prælatitio deferant.

13 His Pontificalibus Insigniis, & Ornamentis Prælatitiis in Abbatibus sic ostensis, hic abs re non erit eorumdem Pontificalium Insignium & Ornamentorum formam, & figuram ostendere, eo ordine servato, quo eadem Abbas induit.

Caligæ ergo ita longæ esse debent, ut usque ad genua protensæ, ligulis in ea parte adstringantur.

Sandalia, seu Calcei, è solea integra subtus constent, à parte autem superiori ornata, & ex serico panno.

Tunicella, & Dalmatica amplioribus manicis, quàm Diaconalis, & ex eadem materia, qua Caligæ constent, longæ & latæ sint, ut est Dalmatica Diaconalis.

Chirothecæ debent esse contextæ, & circulo aureo insigniter in extrema parte ornatæ.

Sub-Biretum mitrale formæ rotundæ debet esse, & quadratæ.

Mitræ formam superiùs descripsimus; ideo hic dicendum est, quod Mitræ triplex est species: una, quæ pretiosa dicitur; quia gemmis, & lapidibus pretiosis, vel laminis aureis, vel argenteis contexta esse solet: Altera auriphrygiata sine gemmis, & sine laminis aureis, vel argenteis, sed vel aliquibus parvis margaritis composita, vel ex serico albo auro intermixto, vel ex tela aurea simplici sine laminis, & margaritis, uti suprà.

Tertia, quæ simplex vocatur, sine auro, ex simplici serico damasceno, vel alio, aut etiam linea ex tela alba confecta rubeis laciniis, seu frangiis, & vittis pendentibus, ex Cæremon. Episcop. *lib.1. cap.*17. ubi tempora describuntur, quibus Mitris prædictis uti debeant Episcopi, & consequenter Abbates; licet de pretiosa respectivè ad Abbatem sit aliqua difficultas, quæ evacuabitur per ea, quæ inferiùs dicturi sumus.

Nam eadem Mitra, vel ejusdem usus Mitræ, omnibus concessus est, quia ex majoritate ornatus ejusdem Mitræ, colligi potest majoritas dignitatis, ex Geminiano, *in cap. ut Apostolica, num. 1. de privilegus, in 6.*

Et ideo ille, cui ex privilegio conceditur usus Mitræ auriphrygiatæ, & pretiosæ, reputatur dignior illo, cui usus Mitræ simplicis concessus est: quapropter Abbates, & alii Prælati, qui à Sede Apostolica obtinent usum Mitræ, debent diligenter animadvertere, cùm in locis exemptis Mitra uti volunt, ut ea tantùm, & non alterius speciei, ex supranumeratis, utantur, quæ eis à Sede Apostolica est concessa; ita Dominus Michael Leon. Esten. *in Specul. Sacr. Cæremon. verbo, Abbas, §. Abbatis Vestes, & Insignia, versic. Mitras Abbatis.*

Unde in propriis Ecclesiis maximè, (inveterata consuetudo id permitteret) puto nullam remanere difficultatem, quoad Mitram pretiosam respectivè ad Abbates, maximè cùm, dum Romæ morarer, non semel, & bis, sed multoties pretiosis Mitris Abbates in propriis Ecclesiis utentes viderim.

Anulus sit ex auro puro, ex Innoc. III. *lib.1. cap.*46. & solide conflatus palam (ut dicunt) habeat cum Gemma, in qua nihil sculpti existat, & debet esse benedictus ex Ordin. Roman. 14

Qui Abbates non sunt, caveant ne unquam Anulum in Missa gestent, quia tunc prohibitus est etiam Protonotariis non participantibus, & quibuscunque Doctoribus, per Decretum Sacræ Rituum Congregationis, die 11. Februarii, 1623.

Gremiale, quo utuntur Prælati, dum in Pontificalibus celebrant per longitudinem constet cubitis circiter duobus, per latitudinem verò tantùm uno; ex unciis item circiter duodecim, undique cinctum laciniarum auro vel argento intextarum ornatum.

Baculus Pastoralis, quem gestare debet Abbas manu sinistra, quæ cordis esse dicitur, cum parte curva versus Populum, à parte ima debet esse acutus, à media totus rectus, à summa verò retortus. Orario, aut Sudario, (quia Abbatialis est) ornetur, & per longitudinem rectam cubitorum trium, & unciarum duodecim protrahatur. Et pars retorta totidem unciis, aut paulò altius emineat, à summa rectitudinis parte sit crassitudine orbiculari unciarum circiter septem, quæ propè ad imam partem descendens paulatim diminutam unciis quinque constet, & connectatur cum illa parte recta, aliquo opere cælari argenti, quod sexanguli formam exhibeat, quæ Sacris ornetur Imaginibus, ex D. Bartholomæo Gavanto *in Comment. Rubric. Missal. & Breviar. Roman. tom. 1. part. 2. tit. 1. num. 6. & part. 5. tit. 3. §. 3.*

De mensuris autem aliorum indumentorum Sacerdotalium, & sacræ suppellectilis, vide cit. Barthol. Gavant. *in Append. ad rubr. Missal. tom. 1. de mensuris propriis supell. ad Missam congruen.* III. *& de munditia ejusdem suppellectilis* XII. ubi plura Abbatibus, & de quibus nonnulla *in Disput.* 21. scitu necessaria leguntur.

QUÆ-

QUÆSITUM III.

An Abbates, aliique Regulares ad Episcopatum, aliasve dignitates extra eorum Ordines assumpti, easdem vestes Ordinum suorum, & habitum retinere debeant.

Summarium.

1 *Religiosus in Episcopum promotus minimè absolvitur ab illis observantiis suæ Religionis, quæ munus Pontificium non impediunt.*

2 *Monachus factus Canonicus, vel Episcopus non amittit habitum Monasticum.*

3 *Episcopi Regulares, retento colore habitus suæ Religionis, possunt se conformare cum Episcopis Secularibus in forma, seu figura illius.*

4 *Episcopus Regularis omittens habitum suum, & assumens albam, & candidam vestem, quæ ab Episcopis exteriùs defertur, non incurrit excommunicationem latam contra Monachos habitum amittentes.*

5 *Regulares Canonici ad Episcopatus assumpti, an habitum mutent, ostenditur.*

6 *Canonici Regulares ad Episcopatus assumpti, uti possunt forma indumentorum, & colore, quo utuntur clerici seculares.*

7 *Personatum habentes, & Doctores ex Ordine Canonicorum Regularium utuntur Cappis violaceis, & rubeis.*

8 *Prior Sancti Spiritus in Saxia utitur Almutiis de panno, utrumque humerum capientibus, more aliorum Prælatorum.*

9 *Prælatis ex Canonicis Regularibus assumptis non interdicitur color, ac forma aliis clericis secularibus non interdictus.*

10 *Rocheto utuntur Prælati ex Canonicis Regularibus assumpti.*

11 *Prælati ex Ordinibus Mendicantium assumpti, utuntur in Capella Apostolica habitu Ordinis sui, sed ampliori, & pretiosioris lanæ.*

12 *Prælati assumpti ex Ordinibus non Mendicantium, & Canonicis Regularibus, quibus vestibus in Capella utuntur, ostenditur.*

13 *Monachis, quod prohibetur, non dicitur prohibitum Canonicis Regularibus.*

14 *Argumentum à simili est validum.*

15 *Prælati ex Canonicis Regularibus assumpti, utuntur Cappa violacea, cum pellibus albis, sicuti utuntur Prælati deferentes Rochetum.*

16 *Concessio principali, conceditur & accessorium.*

17 *Argumentum ab identitate rationis fortissimum est.*

18 *Lex ubicunque non est clara, & non expressa, debet ampliari, vel restringi ad limites rationis.*

19 *Ratio dat esse legi.*

20 *Argumentum ab exemplis nitentibus rationi, validum est.*

21 *Officia clericalia Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Canonicis Regularibus conceduntur, non autem Monachis, & aliis Religiosis.*

22 *Pileo utuntur Prælati ex Canonicis Regularibus assumpti.*

23 *Rocheto more Romanæ Ecclesiæ, & aliorum Prælatorum, utuntur Prælati ex Canonicis Regularibus assumpti.*

24 *Prælati ex Canonicis Regularibus assumpti, distinguuntur à secularibus pariter Episcopis in Toga linea, quæ est eorum essentialis habitus.*

1 SAnctus Thomas 2. 2. *quæst.* 186. *art.* 8. dicit, Religiosum Episcopum factum, minimè absolvi ab illis observantiis suæ Religionis, quæ munus Pontificium non impediunt, neque dedecent dignitatem Episcopalem, sed magis juvant ad perfectam vitam; neque liberatur ab illa observantia, (ut ipse ait *loc. cit.*) qui amplectitur continentiam, habitum Religionis, & cùm sint Religionis insignia, numquam potest Religiosus ab illis absolvi; ideo gloss. *in cap. in nova.* 16. *quæst.* 6. ait, quòd Monachus factus Canonicus, vel 2
Episcopus non amittit habitum Monasticum; idem habetur *in cap. Monachi,* 16. *quæst* 1. *& cap. clerici officia de vit. & honestate clericorum.*

Obligatio autem habitum gestandi, etiamsi sit Religiosus in dignitate Episcopali constitutus, non oritur ex præceptis Regulæ; sed potiùs ex jure Canonico, & communi consuetudine; hanc sententiam tenent communiter ferè omnes Doctores, ita Ricard. *in 4. dist. 28. art. 5. quæst. 1. ad ultimum,* Ostiens. *in Summ. tit. de statu Monach. num.* 5. Henriq. *cap. quod Dei timorem, de stat. Monach. num.* 8. Franc. *in rubr. de testament. in 6. num.* 75. Nicol. de Ubald. *de successab intest. part. 1. num.* 4. Imol. *Clem. 1. num. 21. de statu Monach.* Sylvestr. *verb. Religio, 6. quæst.* 10. Angel. *verb. Monachus, num.* 7. Tabien. *verb. Episcopus, q. 6. num.* 7. Navarr. *lib. 3. consil. editione prima, de Regular. consil.* 18. Eman. Sà, *verb. Episcopus, num.* 11. Henriq. *lib. 10. de Sacram. Ord. cap. 32. num. 5. & cap.* 33. Lessius *lib. 2. de just. & jur. cap.* 40. *dub.* 14. *num.* 113. Sot. *lib. ult. de just. quæst. ult. art. ult.* ubi ait, quòd apud Italos id non servatur, quod falsum est, ut experientia rerum magistra fidem facit.

Verùm quidem est, quòd in Rituali Romano per 3
Clementem VIII. reformato conceditur Episcopis Regularibus, ut retento colore habitus suæ Religionis, possint se conformare cum Episcopis secularibus in forma, seu figura illius, & ita observatur modò universaliter, sicut praxis ipsa docet.

Et est ita necessarius regularis habitus Episcopis, 4
qui Religionis vota emiserunt, ut multi asserant, Episcopum Regularem omittentem habitum suum, & assumentem albam, & candidam vestem, quæ ab Episcopis exteriùs defertur, incurrere excommunicationem latam contra Monachos habitum omittentes, *cap. 2. ne cleric. vel Monach. in 6.* ita affirmant multi Doctores, quos refert Sanch. *in Decal. tom. 2. lib. 6. cap. 6. num.* 23. quæ quidem opinio cùm valde dubia sit, immo opposita verior, dicendum est, quòd ille text. *in d. cap. 2. ne cleric. &c.* loquitur de Religioso sub Abbatis obedientia constituto, ut non possit propter assumptionem alterius habitus vagari; quæ ratio in Episcopo Religioso deficit, utpotè qui non est sub Abbatis obedientia constitutus, & induens Episcopalem habitum minùs erit aptus ad evagandum; hanc sententiam tenet Bonifacius *in clem. 1. §. rursùs, n. 33. & 34. de statu Monach.* Covarr. Eman. Roder. Azor. & alii, quos citat, & videtur sequi Sanch. *loc. cit.*

Sed maximum insurgit dubium, quoad Abbates 5
aliosque Regulares Canonicos Congregationis Sancti Salvatoris Lateranen. & Sancti Salvatoris Bononien. an ipsi ad Episcopatum, aliasque dignitates extra Ordines suos assumpti mutent habitum; cui dubio non semel, neque bis in Ecclesia Dei ab eorum adversariis agitato, non potest melius responderi, quàm referendo ea, quæ *in lib. privileg. eorumdem Canonicorum Regularium, à pag. 436. usque ad pag.* 477. 529. continentur, & præcipuè (ne prolixior videar) illa, quæ *à pag. 468. usque ad pag.* 475. Aliorum etiam Abbatum, & Prælatorum habitum ostendentia, sub his verbis ex præciso tenore leguntur.

De habitu Prælatorum ex ordine Canonicorum Regularium assumptorum.

QUantum verò ad Prælatos Canonicorum Regu- 6
larium Lateranen. cùm superiùs probatum fuerit, Canonicos Regulares non prælatos uti posse forma

forma indumentorum, & colore quo utuntur Clerici seculares data differentia lineæ Togæ, seu Rocheti, quis dubitet, quòd prælati à fortiori, dato decenti cultu, poterunt uti & forma, & colore, quo alii Prælati.

7 Nam si habentes personatum, & Doctores ex dicto Ordine, utuntur Cappis violaceis, ac rubeis, & etiam pellibus albis in caputio, quanto magis uti poterunt eisdem Cappis alii, qui sunt Prælati.

8 Utuntur ergo amplis Almutiis de panno utrumque humerum cooperientibus; uti videmus in Priore S. Spiritus in Saxia, qui cùm sit Regularis, & profiteatur Regulam Sancti Augustini, & sit inferior quocunque Abbate, nec sit canonicus essentialiter (præsupponit tam in Regulari, quàm in seculari clerico, ut suprà probatum est) utitur tamen Almutiis de panno utrumque humerum capientibus, more aliorum Prælatorum, & colore, & forma habitus adinstar electorum secularium, data differentia in Cruce, qua discernitur ab aliis clericis, quoniam approximant, & sunt vicini Canonicis Regularibus.

9 Quia tamen non sunt Canonici, neque essentialiter clerici, non possunt uti Toga linea, sive Rocheto; Prælatis ergo ex Canonicis Regularibus assumptis, non interdicitur forma, & color aliis clericis secularibus non interdictis.

Quare uti poterunt colore violaceo, & cælestino, & leonaceo, & nigro, & purpureo, si sint Sanctæ Rom. Ecclesiæ Cardin. Et ut reverendissimus Cardinalis de Anglia præfatus, & Orator, & sui Prælatiti, & alii de Anglia affirmare possunt. Prælati ex Canonicis Regularibus assumpti, utuntur colore Rosaceo, & incedunt more Prælatorum secularium, quòd expressius patet per literas Apostolicas Innocentii Papæ IV. directas Abbati, & Conventui Sancti Ruffi Ordinis Canonicorum Regularium.

10 Quantùm verò ad Rochetum, non est dubium, quòd si Canonici Regulares Prælatis inferiores utuntur Rocheto, quòd & Prælati ex eis assumpti tantò magis utentur: quoniam si id, de quo minùs, videtur inesse, & id de quo magis, ut sunt jura vulgatissima *in cap. si laicis, 38 dist. & 3. q. 3. de Judic. & 59. distinct. si officia, & 34. quæst. 2. cum per bellicam, & 11. quæst. 2. non æstimamus.*

Constat etiam ex *cap. clerici officia, de vita, & honestate clericorum*, ubi dicitur, quòd Prælati, dum procedunt in publicum, debeant uti superindumentis lineis, nisi Monachi fuerint, quos oportet ferre habitum monachalem; ecce quòd Canonici Regulares non excepiuntur, sed solùm Monachi, & à simili cæteri Religiosi, qui non censentur clerici essentiales.

11 Propterea S. Thomas contra impugnantes Religionem, *artic. 20.* dicit, quòd quamquam Monachis prohibeatur usus hujusmodi superindumentorum lineorum, non sequitur, quòd Canonicis Regularibus prohibeatur, cùm ipsi non sint Monachi, sed clerici, & sic secundum Doctores, præsertim Abbatem Siculum, in odiosis, nusquam Canonici Regulares veniunt appellatione Monachorum, sed benè in favorabilibus. Liber quoque Cæremoniarum, S. R. E. hoc expressè determinat *in cap. de habitibus, in Capella Apostolica.*

Dicit enim, quòd Prælati ex Ordinibus Mendicantium assumpti, utuntur in Capella Apostolica, habitu Ordinis sui, sed ampliori, & pretiosioris lanæ.

12 Assumpti autem ex Ordinibus non Mendicantibus, utuntur Cappa ampla, sed nigra, cum pellibus nigris, vel grisеis. Assumpti autem ex Canonicis Regularibus, qui in suo ordine utuntur Rocheto, utuntur etiam in Capella Romana. Ita ait Benedictus Papa, ubi suprà libro Cæremoniarum S. R. E. & si quis vellet interpretari aliter quàm est consuetudo Romanæ Curiæ, errat; quia, qui ordinavit librum præfatum scivisset & hoc interpretari, sicut & alia interpretatur; nec velint glossare textum perperam, quòd scilicet Rocheti debent esse breviores, & ampliores; quia liber hoc non dicit; & si hoc voluisset, scivisset aliter declarare, sicut declarat de amplitudine, & pretiositate in Ordinibus Mendicantibus, & de pellibus nigris, & grisеis in Monachis. Et Benedictus Papa intendit de Rocheto Romano, & non aliter, ubi suprà.

Denominabitur enim particulariter Canonicorum Regularium, in dicto libro Rochetus, & dicitur, quòd Prælati Canonici Regulares utuntur Rocheto, scilicet more Romanæ Curiæ, unde hoc nomen accepit; quia unicus est Rochetus, & una forma ejus, non plures; nomina enim debent esse convenientia rei; & denominatio rei facit optimum argumentum, ut *in cap. oratorium, & in cap. de oratorio, 42. dist.*

De Cappa autem Canonicorum Regularium in Capella, non loquitur expressè pro Canonicis dictus liber; quia dum tantummodo de Monachis dicit, quod utantur Cappa nigra, & pellibus nigris, vel grisеis, ex eo, quòd status eorum, est status pœnitentiæ, ut supra dictum est, non intendit hic ordinare de Canonicis Regularibus, quorum status est essentialiter Clericalis, & administrationis Sacramentorum, & Doctrinæ. Nam, & si quidquam prohibeatur Monachis, non sequitur propter hoc, quod prohibeatur Canonicis Regularibus, sicut dicit nobilis 13
cap. quod Dei timorem, de statu Monach. & Beatus Thomas in simili, *in lib. contra impugnantes Religionem*, dicit expressè, quòd licèt prohibeatur Monachis docere; non tamen sequitur ex hoc, quòd prohibeatur Canonicis Regularibus, ad quos tanquam ad essentiales clericos pertinet docere, *19. quæst. 1. cap. si clericatus*; & idem, ut supra, si Monachis prohibeatur uti superindumentis lineis; non tamen censetur prohibitum Canonicis Regularibus: & istud opusculum S. Thomæ fuit approbatum per Clementem Papam IV. unde à simili quamquam prohibeatur Prælatis Monachis uti Cappa violacea cum pellibus albis in Cappella; non tamen propter hoc prohibetur Canonicis Regularibus.

Argumentum enim à simili est validum, ut Doctores, *in cap. jus naturale, 1. dist.* Et illa, quæ in 14
jure ponuntur gratia exempli, non restringunt regulam juris ad expressa tantùm, sed etiam alia similia, *ut Clem. 1. ne Clerici, vel Monach. §. hactenus de gradib.*

De libro Cæremoniarum.

Nam cùm liber Cæremoniarum præfatus, dicat, 15
quòd Prælati ex Canonicis Regularibus assumpti utantur Rocheto in Capella: accessoriè, & consequenter ostendit, quòd debent quoque uti Cappa congruenti, scilicet violacea cum pellibus albis, sicut utuntur Prælati deferentes Rochetum; aliàs enim esset indecorum, & novum, sive ridiculum, & maximæ admirationis in Capella, si prælatus uteretur Rocheto, & Cappa nigra, cum pellibus nigris.

Cùm ergo Cappa violacea cum pellibus albis, sit quid accessorium ad Rochetum, tanquam ad principale; consequens est, ut qui utitur Rocheto utatur & Cappa violacea sibi convenienti: accessorium enim sequitur naturam principalis, *cap. si laicus, 31. dist. cap. qui sacrum, 50. dist.*

Nam si aliqua sibi cohærent, vel aliquid sequatur 16
ex alio; concesso primo, conceditur & aliud sequens, vel dependens, aut accessorium, *cap. si quis viduam, cap. deinde, 26. dist. cap. hoc, quippe, 2. quæst. 6.* & præsertim

Cc

sertim cùm numquam reperiatur aliquod in contrarium, nulla expressa prohibitio, nullus usus, sive consuetudo, sive etiam ratio contraria, sive saltem exemplum contrarium.

Immo ratio favet Canonicis Regularibus, per ea, quæ superiùs dicta sunt, de statu essentialiter clericali, ad differentiam aliorum Religiosorum, seu Regularium, & de Rocheto, juxta d. librum cæremoniarum S. R. E.

17 Et Benedictus Papa præfatus in suis Constitutionibus, & ante eum Innocentius IV. Abbati, & Canonicis Lateranen. scribens, & ante eum Alexander III. quem idem Innocentius adducit; est enim fortissimum argumentum ab identitate rationis, ut *in c. si Romanorum, 19. distinct. cap. consuetudo, 2. distinct. cap. si laicis, 31. distinct. cap. de hymnis, de cons. dist. 1. l. illud, ff. ad l. Aquiliam.*

18 Ubicunque enim lex non est clara, & expressa, debet vel ampliari, vel restringi ad limites rationis regulariter; ut *in l. scire oportet, §. illud, ff. de excusat. tut.*

19 Ratio quippe dat esse legi, & est ejus principale, & præcipuum fundamentum, *cap. erit autem lex 4. dist. & l. 2. ff. de legib.*

20 Item exempla generalia favent Canonicis præfatis in dicta forma habitus in Rocheto, & Cappa violacea, & albis pellibus; ut suprà declaratum est. Et argumentum ab exemplis innitentibus rationi, ut hic in casu nostro, est optimum argumentum, ut *in cap. sana, 9. dist. cap. turbat, 87. dist.* & secundum eadem exempla judicandum est, *cap. in causis de sent. & re judic.* & si dicatur, quòd ista sunt exempla aliarum Provinciarium, & non Romanæ Curiæ. Respondetur, quod in Romana Curia quantum ad Canonicos Regulares non apparent, neque deduci possunt exempla contraria; immo practicatum est in Romana Curia juxta rationes & leges, & exempla adducta in variis prælatis, & Officialibus Sanctæ Rom. Ecclesiæ, etiam diebus nostris, qui erant Canonici Regulares, & utebantur Rocheto, & cappa congruenti, ut suprà, & pileo viridi inferiùs, sicut facilè probari potest per eos, qui noverunt, & viderunt, & probabitur, si opus fuerit.

21 Immo ad insinuandum quanta differentia sit à statu Canonicorum Regularium, ut sunt essentialiter Clerici, à statu Monachorum, & aliorum Religiosorum; patet etiam maximè in hoc, quòd Sedes Apostolica concedit Canonicis Regularibus, officia clericalia Sanctæ Romanæ Ecclesiæ quæ non concedit Monachis, & aliis Religiosis, sicut Protonotariatum, & Subdiaconatum Sanctæ Sedis Apostolicæ; fiunt enim quotidie Protonotarii Canonici Regulares, & de hoc patet per Constitutiones præfati Benedicti Papæ *in cap. de mutuis*, & *in cap. de Canonicis venatoribus*, ubi facit mentionem de Protonotariis Canonicis Regularibus, & fuerunt aliqui Subdiaconi Sanctæ Sedis Apostolicæ, ut facillimum, & inpromptu est probare, quòd non fit de Monachis, & aliis Religiosis. Et ratio est, quoniam dicti Canonici, ut essentialiter clerici, non prohibentur ab officiis clericalibus, propter quæ præcipuè non mutant habitum, scilicet togam lineam vel Rochetum, ut in præallegatis officiis patet.

Et si dicatur, quòd raro apparent Prælati ex Canonicis in Curia Romana, & quòd ideo non perpendatur de hujusmodi exemplis in Curia; Respondetur, quòd multi apparent, ex hac ipsa Congregatione jam assumpti, nec non & aliqui existunt; sed quia non differunt in habitu, & cultu ab aliis Prælatis secularibus, ideò non cognoscuntur, aut decernuntur ab aliis.

De pileo autem non est dubium, cùm expresè de illo mentionem faciat Liber Cæremoniarum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ *in supradicto capitulo, de habitibus in Capella Apostolica.* 22

Et quamquam *in d. libro* dicatur, quòd Canonici Regulares Episcopo utuntur Pileo nigro, &c. consuetudo tamen est in contrarium, & quidem præscripta tempore, de quo non extat memoria, & consuetudo rationabilis, quæ quidem tollit legem contrariam, posito, & non concesso, quòd dictus liber habeat vim legis, Gloss. & Doctores *in cap. 1. de tregua, & pace.* Est arbitrandum dictum librum in illo passu esse mendosum in Scriptura, quia ubi dicit; *Sed utuntur*, debebat dicere, *Nec utuntur*; ea ratione potissimum, quòd consuetudo antiqua in contrarium interpretatur legem & statuta, ut *in l. si de interpretatione, ff. de leg.* & *in cap. dilectus de consuetud.* & per ea, quæ notat Joannes *in cap. dilecto, de consang. & affin.* & præcipuè cùm videretur monstrum in natura, videre Episcopum utentem Rocheto, & Pileo nigro, quia à Protonotariis Apostolicis non possent discerni; quòd omnino est contra omnem æquitatis rationem. Et posito, quòd ex eo, quòd de Cappa nihil *in d. libro* determinetur, in dubio quis etiam id velit accipere, & adductis rationibus non acquiescere; facilè saltem convincetur, ex ea regula juris, quòd odiosa restringuntur, favorabilia ampliantur, *reg. odia, de reg. jur. in 6.* ubi nihil in contrarium expresè apparet determinatum. Odiosum enim est, quòd prohibetur Prælatis Monachis, & Mendicantibus, ut non utantur Rocheto, & Cappa violacea, & pellibus albis, in dicto libro: ideò non est hoc extendendum, aut ampliandum ad Canonicos Regulares, quibus non prohibetur; sed restringendum est ad Monachos, & Mendicantes tantùm, de quibus in ipsa prohibitione fit solummodo mentio, & tantò magis, quòd expresè ratio potissima clericalis status essentialiter in Canonicis præfatis, eos distinguens ab ipsis Monachis, & aliis Religiosis, clarissimè militat, & contrarium persuadet, juncta exemplis aliis, pluribusque rationibus, & legibus suprà adductis.

Hoc verò, quòd *in d. libro* caveatur expresè, quòd 23
dicti Canonici Prælati utuntur Rocheto est favorabile, ideò ampliandum ad omnia, præsertim consequentia; scilicet, quòd utantur Rocheto more Romanæ Curiæ, & aliorum Prælatorum, & Cappa violacea, & pellibus albis, & pileo viridi consuetis deferri ab his, qui Rocheto in dicta Capella utuntur, & purpureis, si sint S. R. E. Cardinales; cùm præcipuè, quidquam expresè in contrarium non caveatur, & nulli præjudicium generetur. Et clarum est, quòd Rochetus plus est, quàm Cappa; quia etiam inferiores Prælati utuntur Cappa violacea, & pellibus albis, ut Doctores seculares, & tamen non possunt uti Rochero, & multi utuntur Pileo, sicut & pelle. Si ergo Rochetus est quid majus, concesso majori, conceditur & quod minus est; forma scilicet Rocheti juxta morem Curiæ, Cappa violacea cum pellibus albis, & Pileus viridis Episcopalis: argumentum optimum, *in cap. 1. 19. quæst.... cap. præcipimus, 21. quæst. 1.* & *in cap. ex parte de decim.* Pellis autem alba.

Stat ergo conclusio, omnes septem suprapositas con- 24
clusiones connectens, quòd scilicet Canonici Regulares nostri, de quibus agitur, tanquam essentiales Clerici distincti à Monachis, & aliis Regularibus, uti possunt Almutiis, pellibus, Cappis, habitu, forma, & colore Clericis secularibus non prohibitis, data tamen differentia signi in toga linea, quæ est eorum essentialis habitus, qui à secularibus Clericis distinguantur: & quòd Prælati ex canonicis Regularibus, uti

possunt

possint Rocheto, more Romanæ Curiæ, Almutiis de panno super utrumque humerum, & Cappa violacea cum pellibus albis, & Pileo viridi, si sunt Episcopi, vel rubeo, si Cardinales, more aliorum Prælatorum secularium. Quæ tamen omnia, Pater Beatissime, tuæ maximæ sapientiæ, & auctoritati, Sanctæque Romanæ Ecclesiæ, ac cujuslibet Sapientis judicio submitto, ad laudem Dei Omnipotentis, & immaculatæ Dei Genitricis Mariæ, Beatorumque Apostolorum Petri & Pauli ac totius triumphantis & militantis Ecclesiæ Dei.

Determinatio per Sanctissimum Patrem, facta in causa Habitus Prælatorum, ex Congregatione Sanctissim. Salvatoris Lateranen. Electorum.

Venerabili Fratri Zacchiæ Episcopo Sebastiensi, Prælato Nostro domestico.

LEO PAPA X.

Venerabilis Frater. Salutem, & Apostolicam benedictionem. Dudum cùm ad Ecclesiam Sebastien. à Nobis, de Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio promotus esset in Pastorem, dubitatum fuit à nonnullis, an tu, qui Ordinem Canonicorum Regularium Sancti Augustini expressè professus eras, in habitu, & coloribus Prælatis secularibus de jure, vel consuetudine permissis incedere posses, prout incedebas; & cùm quæstio hujusmodi ad nos perlata fuisset, Nos causam ipsam maturè determinare desiderantes, Venerabili Fratri nostro Nicolao Episcopo Albanen. tunc titulo Sanctæ Priscæ Presbytero Cardinali de Flisco nuncupato, vivæ vocis oraculo commisimus, ut super his se diligenter informaret, & demum Nobis referret. Cùm autem præfatus Nicolaus Episcopus Nobis retulerit, de antiqua consuetudine in pluribus locis, etiam in Romana Curia, ubi Pontifex residet, receptum fuisse, ut Canonici Regulares hujusmodi in Episcopos promoti, tam in Capella Nostra, quàm extra, utantur habitibus, & coloribus, quibus utuntur alii Clerici seculares in Episcopos promoti. Nos propterea juxta relationem Nobis factam, ut præfertur, fraternitati tuæ vivæ vocis oraculo concessimus, ut habitus, & colores, quos dicti Clerici seculares in Episcopos promoti, tam in Capella Nostra, quam extra gestant, gestare posses; & ita etiam tenore præsentium auctoritate Apostolica de novo concedimus; In contrarium non obstantibus quibuscunque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub Anulo Piscatoris, die 1. Septembr. 1519. Pontificatus Nostri anno 7.

QUÆSITUM IV.

Quibus Insigniis, ornamentis, & vestibus induantur cadavera Abbatum, & Prælatorum in eorumdem funeralibus, & qua pompa sepeliantur.

SUMMARIUM.

1 *Habitus, & Insignia, quibus ornatur corpus, seu cadaver Abbatis defuncti.*
2 *Corpus Abbatis debet à dignioribus Monasterii deferri, & officium ab Abbate aliquo, vel digniori de Collegio debet celebrari.*
3 *Exequiæ pro defuncto Abbate, & Oratio funeralis, à quibus sint celebrandæ.*
4 *Abbas defunctus, si est Generalis alicujus Ordinis, debent ejus exequiæ ab uno Abbate, cum quatuor assistentibus Abbatibus cum Mitra, & Pluviali celebrari.*

Abbatum cadavera induuntur iisdem vestibus, & Insigniis Pontificalibus, quibus Abbas vivens induebatur, dum solemniter celebraturus erat, nempe Caligis, Sandaliis, Amictu, Alba, Cingulo, Stola, Manipulo, Cruce pectorali, Tunicella, Dalmatica, Chirothecis, Planeta coloris violacei, Anulo, & Mitra simplici, & ponatur super pectus defuncti Abbatis Crux aliqua, quam manibus teneat, hoc elicitur ex praxi Cæremon. Andreæ Piscat. *lib. 1. sect. 9. cap. 9.* ubi ait, quòd Abbas defunctus induitur Pontificalibus, eodem modo, quo Episcopus supradictis Insigniis Pontificalibus, & ornamentis induitur, postquàm defunctus est, ex Cæremon. Episcop. *lib. 2. cap. 38.* ergo & Abbas, ex quo loco à simili de Episcopo totus desumatur modus, vel saltem proportionaliter, quoad ea, quæ forsitan hic desiderantur; servato tamen (si Abbas Regularis sit) propriæ Religionis usu. 1

Defuncti Abbatis cadaver debet à dignioribus Monasterii, seu Collegii deferri, & officium ab aliquo Abbate ex vicinioribus (si haberi poterit) celebrabitur; sin minùs à digniori illius Collegii, ex eodem Pisc. *loco cit.* 2

Exequiæ pro defuncto Abbate, solemniter debent ab alio Abbate celebrari; cum Oratione funebri, ab aliquo Theologo, sive Oratore ad hoc vocato, in fine Missæ, ante absolutionem faciendam, ex eodem Andr. Piscat. *loco citato.* Absolutio autem in fine, debet fieri ab Abbate celebrante, & quatuor ex dignioribus illius Monasterii, seu Collegii. Si Abbas defunctus esset Generalis alicujus Congregationis; præter Abbatem celebrantem, quatuor etiam cum Mitra & Pluviali adesse poterunt. 3

DISPUTATIO XXI.

De Pontificalibus Abbatum, & Prælatorum inferiorum, quoad eorum exercitium, & actualem usum.

Quæst. I. *Quo jure Abbates, & alii Prælati inferiores, Pontificalia exerceant.*
II. *An Abbates præter quàm in propria Ecclesia Abbatiali, possit etiam in aliis Ecclesiis, & beneficiis ei unitis, etiam non pleno jure sibi subjectis, & in Ecclesiis communibus, Pontificalia exercere.*
III. *Utrum Abbas possit exercere Pontificalia extra Ecclesias sibi subjectas, & coram Episcopo.*
IV. *Utrùm Abbates ab aliis Abbatibus, vel Prælatis exemptis invitati, possint in eorum Ecclesiis Pontificalia exercere.*

V. *Vtrùm Abbates Generales possint in omnibus suarum Congregationum locis Pontificalia exercere.*

VI. *Vtrùm Abbates tempore Capituli tam Generalis, quàm Provincialis, Pontificalia exercere valeant.*

VII. *Vtrum Abbates post Matutinarum, Missarum, & Vesperarum solemnia, possint in Pontificalibus benedictionem populo elargiri.*

VIII. *Quibus in locis possit Abbas solemniter populo benedicere.*

IX. *Vtrum Abbates præsente Episcopo, vel alio majori Ecclesiæ Prælato possint in suis Ecclesiis solemniter populum benedicere.*

X. *De præparatione Abbatis solemniter celebraturi, & de ordine in tali solemnitate procedendi, ac de ejus Sede Abbatiali, & an Baldachino, & quibus Ministris uti debeat.*

XI *An Abbates, & alii Prælati inferiores habentes usum Pontificalium, utantur Pontificali Romano, & Cæremoniali Episcoporum.*

QUÆSITUM I.

Quo jure Abbates, & alii Prælati inferiores Pontificalia exerceant.

SUMMARIUM.

1 *Pontificalium Insignium usus Abbatibus, non ratione dignitatis, sed ex privilegio, & consuetudine aut præscriptione competit.*

2 *Abbates non omnes habent eadem Insignia, sed alii plura, alii pauciora.*

3 *Quo temporis spatio usus Pontificalium Abbatibus competere possit.*

4 *Insignia Pontificalia non sunt Ordinis Episcopalis.*

1 Pontificalium Insignium exercitium, & usum Abbatibus ex jure privilegiato competere; non autem ratione dignitatis, evidenti concluditur ratione, quia Prælatos Episcopis inferiores regulariter loquendo, his Pontificalibus Insigniis uti non possunt, nisi speciali Apostolicæ Sedis privilegio muniti sint, aut ex consuetudine, vel præscriptione longi temporis, cujus non sit memoria in contrarium, illa acquisiverint; aliàs nulla daretur differentia inter ipsos, & Episcopos.

Nec ullibi in jure hoc eis concessum reperitur, immo *in cap. ut Apostolica, de privileg. in 6.* habetur expresse id, quòd nostræ intentionis est probare: nempe, quòd Abbates, non ratione dignitatis, sed ex Romanorum Pontificum indultu Pontificalibus Insigniis uti possint; ibi enim sic legitur:

Ut Apostolicæ Sedis benignitas, quæ nonnullis Abbatibus, aliisque Prælatis, quibus non competit ex propria dignitate, concessit in Ecclesiarum suarum gloriam, & honorem, quòd Mitra, & aliis Pontificalibus uti possint, provideat, ne inde, &c.

2 Ex quibus planè expressè probatur, Pontificalium Insignium usum, & exercitium, Abbatibus non ratione dignitatis, sed jure privilegiario competere. Ita per illum text. Franc. *ibi num. 1.* & Panormitan. *in cap. clerici, il. 2. num. 6. de vita & honestate clericorum*, Andr. Barbat. *in cap. volentes, col. 8. de offic. legat.* & communiter Doctores; circa quod non est satis immorandum.

3 Unde provenit, ut non omnes Abbates eadem habeant Insignia: sed alii plura, alii verò pauciora, juxta tenorem privilegiorum, & prout à Sede Apostolica eis indultum fuerit: ideo si unumquodque privilegium percurramus, quo Pontificalia hæc Monachorum Religionibus concessa sunt, inveniemus aliquibus solius Baculi usum; aliis verò majora concessa fuisse, quæ omnia ex privilegiis, *in disputat. antecedén. Quæsit. 1.* adductis, colligi possunt.

Potest etiam competere ex consuetudine; vel præscriptione quadraginta annorum, cum titulo: vel si non habent titulum, per spatium tanti temporis, de cujus initio non sit memoria hominum in contrarium: cùm enim hæc insignia non sint Ordinis Episcopalis, sed tantùm quædam Insignia inferioribus ad honorem suarum Ecclesiarum concedi solita, ut *cap. Abbates, & d. cap. ut Apostolica, de privileg. in 6.* nihil obstat, quo minus Abbates nomine suarum Ecclesiarum præscriptione acquiri possint. Ità post Innoc. Panorm. *in cap. 1. num. 9. & seq. ut lite pend. nihil innov.* & diximus latiùs alibi.

QUÆSITUM II.

An Abbas, præterquàm in propria Ecclesia Abbatiali possit etiam in aliis Ecclesiis, & beneficiis ei unitis, etiam non pleno jure sibi subjectis, vel Ecclesiis communibus Pontificalia exercere.

SUMMARIUM.

1 *Pontificalium usus denotat jurisdictionem in eo loco, in quo illis quispiam utitur.*

2 *Archiepiscopus in sua Provincia tantùm habet usum Pallii, & aliorum Pontificalium.*

3 *Abbas circa usum Pontificalium procedit à pari cum Episcopo, & cum aliis usum Pontificalium habentibus.*

4 *Abbati in Ecclesiis, & beneficiis sua Abbatia unitis permittitur usus Pontificalium.*

5 *Abbas potest exercere Pontificalia etiam in Ecclesiis, non sibi pleno jure subjectis.*

6 *Præpositi Canonicorum Regularium Lateranen. sunt in dignitate constituti, & possunt omnia, quæ possunt Abbates illius Religionis.*

7 *Electus legitimè ad aliquam Ecclesiasticam dignitatem habet legitimum titulum Ecclesiæ, cui præficitur.*

8 *Abbates, & Priores Congregationis Canonicorum Lateranen. possunt benedicere quæcunque ornamenta, & vasa; & in solemnibus Festivitatibus Missas, & Vesperas in Pontificalibus celebrare.*

9 *Privilegia Casinen. & Canonicorum Regularium Sancti Salvatoris Bononiensis, communicantur Congregationi Canonicorum Regularium Lateranen.*

10 *Communitas Ecclesiæ non facit, quin Prælatus, si aliunde habet potestatem exercendi Pontificalia in eadem Ecclesia illa exercere possit.*

11 Cap. Abbates de privileg. in 6. *non obstat Abbatibus, & Prælatis præcipuè Congregationis Lateranen. quin Pontificalia exercere possint in Ecclesiis, etiam non pleno jure sibi subjectis.*

Certum

1 CErtum est de jure communi, quòd usus Pontificalium denotat exercitium jurisdictionis in eo loco, in quo quis eis utitur, ut *in c. cùm sis, de auct.*
2 *& usu pall. ubi gloss. & in cap. 1. eod. tit.* ubi probatur, quòd Archiepiscopus in sua Provincia tantùm habet usum Pallii, & Insignium Pontificalium, qui extra illam ei denegatur, ut *in cap. ex tuarum eod. tit.* Sed
3 cùm Abbas circa usum Pontificalium procedat à pari cum Episcopis, & cum omnibus, quibus talis usus permissus est, ut *in c. Apostolica, de privileg. in 6.* & sicut Episcopis & Archiepiscopis de jure conceditur talis usus, non solùm in Ecclesia Metropolitana, & Cathedrali, sed etiam in qualibet Ecclesia suæ Provinciæ, ut
4 *in d. c. cùm sis*; ita, & Abbati etiam in aliis Ecclesiis, & beneficiis unitis est permissus talis usus, cùm etiam in ipsis locis habeat jurisdictionem.

5 Unde cùm militet eadem ratio in Abbate, quæ militat in Episcopo, idem jus in eo militare debet, juxta text. *in l. illud, ff. ad l. Aquiliam, & l. à Titio, ff. de verb. oblig.* de qua re dubium non est; quia potestas exercendi Pontificalia non solùm in Ecclesia propria, sed etiam in aliis sibi pleno jure subjectis, competere noscitur Abbatibus, per text. *in d. c. ut Apostolica, & per c. Abbates eod. tit. & lib.* ac per specialia privilegia super hoc eis concessa à Sede Apostolica, de quibus *in anteced. Disp. Quæst. 1.* & *in præsent. Disp. Quæst. 7.* Difficultas autem est, utrùm possint etiam hoc facere in aliis Ecclesiis, quæ illis pleno jure non subsint: & credo affirmativè respondendum, si id ex privilegio illis competat; ut constat ex quodam privilegio Martini V. sub datum Florentiæ anno 1420. Pontificatus sui anno 3. concessum Abbati S. Pancratii de Florentia nostræ Congregationis Vallumbrosanæ, & successoribus, in quo non solùm concedit usum Mitræ, Anuli, Baculi Pastoralis, & aliorum Pontificalium; sed etiam facultatem elargiendi populo benedictionem solemnem in Ecclesiis omnibus, quomodolibet sibi subjectis etiam si pleno jure ad ipsum non spectet: cujus privilegii tenor est:

Nos vestris in hac parte supplicationibus inclinati, ut tu Abbas, & successores tui Abbates dicti Monasterii, qui pro tempore fuerint, Mitra, Anulo, Baculo Pastorali, & aliis Pontificalibus Insigniis libere possitis uti; nec non, quòd in dicto Monasterio, & Prioratibus eidem Monasterio subjectis, & Parochialibus, & aliis Ecclesiis ad vos communiter, vel divisim pertinentibus, quamvis vobis pleno jure non subsint, benedictionem solemnem, post Missarum, Vesperarum, & Matutinarum solemnia (dummodò in benedictione hujusmodi aliquis Antistes, vel Sedis Apostolicæ Legatus præsens non fuerit) elargiri possitis, fel. rec. Alexandri Papæ IV. prædecessoris Nostri, quæ incipit: *Abbates*, & aliis quibuscunque Constitutionibus Apostolicis in contrarium editis, nequaquam obstantibus, vobis, & eisdem successoribus, auctoritate Apostolica de speciali gratia, tenore præsentium indulgemus.

Simile privilegium concessit Paulus III. Abbati Vallis Scholarium, ut habetur apud Renat. Choppinum *in Monast. lib. 1. tit. 2. num.* 18. hoc etiam similiter habetur in privilegio concesso Abbati S. Mercurialis Forolivii ejusdem Nostræ Congregationis Vallis Umbrosæ per Bonifacium IX. sub Datum Romæ anno ejus 12. apud sanctum Petrum, Kalend. Septembris.

Quo verò ad exercenda Pontificalia in Ecclesiis communibus, controversia ad præsens Romæ agitatur, & pro parte favorabili Abbatum, & Prælatorum usum Pontificalium exercentium, infrascripta consulta quorumdam peritissimorum Jurisperitorum hic transcribere mihi visum est; maximè cùm idem privilegium utendi Pontificalibus in Ecclesiis communibus, etiam nostræ Congregationis Vallis Umbrosæ, concessum sit per Martinum V. ut paulò superiùs diximus.

Papien. S. Petri in Cælo Aureo.

ILlustrissime Domine. Quòd Præpositus Canonicorum Regularium Lateranen. S. Petri in Cælo aureo 6
Papiæ sit in dignitate constitutus, & possit omnia, quæ possunt Abbates ejusdem Religionis in aliis Monasteriis, probatur eo ipso, quòd est loco Abbatis, & nullum habet Superiorem in dicto Monasterio, Abb. *in cap. cùm illorum, num.* 13. post gloss. *ibidem vers. Abbatem, de sent. excom.* & Cassan. *Catal. glor. mund. part. 4. consid. 33.* ubi ait, quòd idem judicatur de Præposito, quòd de Abbate circa præeminentias, quando est loco Abbatis.

Non enim vis consistit in nomine, sive in Superioritate, ita ut sive Abbas, sive Prior, sive Præpositus nuncupatur, semper dicitur in dignitate, quando est loco Abbatis, ex eo, quòd Monasterium non habet Abbatem, ut per Abb. *ubi sup. ex c. fin. de cor. stat. Regul.* ibi *eorum Prælatos*, ubi hac ratione utitur verbo generali, & Butr. *d. c. cùm illorum, num.* 35. loquens de istis Canonicis Regularibus non habentibus Abbates, sed Priores.

Quia satis est, quòd proponatur ad curam super alios gerendam, ut per Gemin. *cons. 132. n. 1. vers. nam licet* ex text. *in c. quamvis de verborum significat.*

Idque maximè stante Bulla Alexandri VI. expedita per Julium II. ubi Præpositus aliis Canonicis, & Conventui præficitur Aret. *cons. 23. num. 7.* Rot. *decis. 9. de præben. in Nov.*

Et hac ratione etiam dicitur habere legitimum titulum Ecclesiæ, quia eo ipso, quòd est legitimè electus per suos Superiores, & juxta Constitutiones suæ Congregationis intitulatus in hac Ecclesia, & Monasterio, ex quo non datur Monasterium sine Ecclesia, ut in *Januen. Parochialis 23. Martii 1626. & 19. Aprilis 1627. coram D. Durano*, dicitur verus Præpositus, & in necessariam consequentiam trahit secum titulum verum, & dignitatem, ex eo orientem in ipsa etiam Ecclesia Monasterio annexa, Oldrad. *cons. 146. num. 4.* Rot. *coram Gregor. XV. decis. 240. num. 27.* & *in Cremonen. Canonicatus 26. Aprilis 1624. coram D. Decano.* 7

Ita ut possit jus & jurisdictionem ex privilegiis Apostolicis competen. Abbatibus, & Superioribus dict. Congregationis exercere, etiam in hac Ecclesia solemniter celebran. Pontificalibus Insigniis utendo cum Anulo, Mitra, & Baculo argenteo, *cap. Abbates de privileg. in 6.* Specul. *de privileg. num. 6.* Lap. *alleg. 19.*

Siquidem Urbanus III. concesserat Præposito S. Agathæ Cremonen. indultum deferendi Baculum Pasto- 11
ralem in processionibus, & Gregorius IX. concesserat Præposito S. Crucis Mortariæ facultatem deferendi Anulum & Baculum Pastoralem, & conferendi suis Fratribus Minores Ordines; & Urbanus VI. etiam indulserat Priori S. Fridiani Lucæ, quòd posset uti Mitra, Anulo, Baculo Pastorali, & aliis Insigniis Pontificalibus, ac in dicto Monasterio, & aliis subjectis Ecclesiis benedictionem solemnem post Missarum, Vesperarum, & Matutinorum solemnia populis in eisdem Ecclesiis convenientibus ad Divina elargiri, non obstante Constitutione Alexandri VI. incipien. *Abbates, & aliis, &c.* & similiter alii plures Pontifices alia privilegia concesserunt aliis Abbatibus, & Præpositis dictæ Congregationis, ut in facto.

Quæ omnia fuerunt, & sunt communicata omnibus aliis Monasteriis per Martinum V. & sanct. mem. 8
Pium V. qui etiam specialiter quibusvis Monasteriis d. Congregationis concessit, ut possent Abbates, Prio-

res, &c. benedicere quæcunq; ornamenta, & vasa, &c. ac in solemnibus anni Festivitatibus Missas, & Vesperas in Pontificalibus celebrare, ac solemnem benedictionem impendere.

9 Ac etiam Gregorius XV. omnia privilegia Congregationis Casinen. & Congregationis Canonicorum Regularium S. Salvatoris Bononien. eidem Congregationi Lateranen. communicavit: ita ur non possit in dubium revocari, quin iste Præpositus possit in hac etiam Ecclesia prædicta exercere ex dictis indultis Apostolicis, Anchar. *d. cap. Abbas num.* 2. *not.* 5. & Gemin. *num.* 1. & 2.

Nec in contrarium faciunt literæ Joannis XXII. quia (ut in facto ponderatur) potius coadjuvant intentionem Præpositi, dum non solùm præservant privilegia, & jura omnia, sed per eas Abbas vocatur antiquior in loco, & dignitate major, & conceditur facultas celebrandi Missam solemnem.

Minus etiam facit ex adverso allegata Bulla Bonifacii, quia de ea non docetur.

10 Sicuti nec valet dicere hanc Ecclesiam esse communem cum Eremitanis adversariis ex dicta Bulla Joannis XXII. cùm in ea concedatur illis simplex facultas celebrandi unà cum Canonicis, & Altaria quædam assignantur pro Missis celebrandis: nec de proprietate verborum, cùm re vera sit Canonicorum, dum eorum Præpositus unà cum ipsis Canonicis percipit in Festo Sancti Petri intra Missarum solemnia ipsis Eremitanis præscribentibus in Choro, Ecclesiæ Canones debitos à Vasallis, Feudatariis, Censuariis, & Livellariis dicti Monasterii in signum directi dominii dicti Præpositi, & Canonicorum in vim literarum Alexandri VI. & Leonis X. ad tradita per Mascard. *conclus.* 947. *de probat.* ex quibus etiam colligitur, Ecclesiam ad Præpositum, & Canonicos, etiam pleno jure spectare, gloss. *d. cap. Abbates verb. pleno jure, in addit.* & ibi Archid. *verb. pleno jure*, & Anchar. *num.* 2. *not.* 3. Franc. *num.* 1. *in gloss.* 2.

Quamvis ubi solùm esset communis, adhuc Præpositus præmissa posset ibi exercere, tum quia Ecclesia dicitur ad hoc destinata, Jas. *cons.* 98 *num.* 1. *lib.* 1. Bero. *cons.* 132. *num.* 8. *lib.* 3. Corn. *cons.* 212. *num.* 4. *lib.* 2. Castren. *cons.* 395. *lib.* 2. *in princip. vers. illud etiam.*

Tum etiam, quia privilegia loquuntur de Ecclesiis suis, & quod commune est, meum est etiam, ut in terminis Statuti, Castr. *cons.* 321. *lib.* 1. *vers. item quia etiam, & cons.* 395. *in princ. vers. nam & quod lib.* 2. Surd. *decis.* 263. *num.* 7.

Quare &c.

Papien. S. Petri in Cœlo Aureo.

11 Illustrissime, & Reverendissime Domine. Ultra jam deducta supplicamus adverti, quòd licèt, *cap. Abbates de privileg. in* 6. restringat, & limitet Abbatibus Apostolica auctoritate privilegiatis, facultatem elargiendi benedictionem solemnem super populum in Ecclesiis, quæ ad eos pertineant pleno jure, & ibi gloss. *in verb. pleno jure*, ex persona scilicet in spiritualibus, & temporalibus, & *ibidem* additio per Archid. Alan. & Joan. Andr. scripta esse dicatur, quòd tunc Ecclesiæ pleno jure pertineant ad Monasteria, quando in eis Sacerdotes instituunt, & omnes obventiones percipiunt, præter stipendia Ministrorum.

Attamen quocunque modo ex prædictis veniant verba illa *pleno jure*, secundum ejusdem *cap. Abbates*, explicanda, dicimus dictum Capitulum, illiusque dispositionem, nullatenus obstare Abbatibus, & Prælatis Congreg. Canonicorum Regularium Lateranen. cùm in Apostolicis privilegiis eis concessis utendi Pontificalibus, & benedictionem elargiendi super populum, in Monasteriis, & eorumdem Monasteriorum Ecclesiis, specificè, & expressè derogatum legatur dictæ Constitutioni Alexandri IV. *in d. cap. Abbates*; prout claris verbis legitur in literis Apostolicis privilegii Urbani VI. Priori S. Fridiani concessi, *in lib. privilegiorum, fol.* 260.

Item in privilegio Apostolico Sixti Papæ IV. Præposito S. Mariæ Pacis de Urbe concesso in eodem *libro, fol.* 369.

Item ex privilegio Apost. Innocentii VIII. singulis Prælatis Congreg. Canonicorum S. Salvatoris, in eodem *libro, fol* 377. Ita ut cùm ex indultis Apostolicis privilegia uni Monasterio concessa, ad alia extendantur; & ex literis Apostolicis Gregor. XV. privilegia Canonicorum S. Salvatoris sint communicata singulis prælatis Congreg. Lateranen. consequens est, *d. cap. Abbates*, non obstare Præposito Monasterii S. Petri d. Congreg. Lateranen. quin in ejusdem Monasterii Ecclesia Pontificalibus uti, & benedictionem elargiri in populum possit, ex jam deductis.

Quare, &c.

QUÆSITUM III.

Utrùm Abbas possit exercere Pontificalia extra Ecclesias sibi subjectas, & coram Episcopo.

SUMMARIUM.

1 *Abbati non licet Mitram, & alia Pontificalia deferre, nisi in locis suæ jurisdictionis.*
2 *Rex non patitur, ut Diadema Regium in suo regno ab alio deferatur.*
3 *Joan. Andr. sententia, quoad exercitium Pontificalium, quomodo sit intelligenda.*
4 *Pontificalium usus, si simpliciter concedatur Abbatibus, an illis ubique uti possint.*
5 *Abbas habens usum Pontificalium, invitatus ad aliud Monasterium, potest illis uti.*
6 *Pontificalium usus, an extra Monasterium Abbatibus competat*, & num. 7. 8. 9. & 10.

Abbati non licet Mitram & cætera Pontificalia Insignia deferre, præterquam in locis suæ jurisdictionis, & dignitatis. Quia Archiepiscopo prohibetur, ut faciat Crucem in aliena Provincia ante se deferre, *c.* 1. *ut lit. pend. cap. antiqua, de privileg. Clem. Archiepiscopo, de privileg.* 1

Item non licet Archiepiscopo in aliena Provincia Pallium gestare, *cap. ad honorem, cap. ex tuarum, de auctorit. & usu Pall.*

Neque etiam Rex pateretur, Diadema Regium ab alio in suo regno deferri. Denique consuetudine Ecclesiæ receptum est, ut inferior, accedente Superiore, Insignia sua deponere debeat, *can. denique* 21. *dist. cap. volentes, de offic. legat. d. cap. antiqua, de privil. l. fin. de offic. Proconsul.* 2

Ita pariter dum adest Episcopus, Abbas tanquam ejus inferior, Mitram, aliaque Insignia, sibi ex privilegio competentia, demittere debet. Joan. Andr. *in cap. cùm contingat de ætat. & qualit. in cap. Abbates de privileg.* ait, inspiciendum esse tenorem privilegiorum: ideo puto intelligendum esse in loco, ubi nec ex privilegio, nec ex alia ratione potest illa deferre, ut alibi ostensum est, & ostendemus infrà; præcipuè cùm de Conciliis Generalibus, & Synodis sermo erit. 3

Unde si Abbatibus concessus est Pontificalium Insignium usus in suis Ecclesiis, tunc non poterunt eis uti in alienis Episcopo subjectis; quia tenor privilegii extra extendi non debet. Si verò usus Pontificalium in privilegio simpliciter, absque loci determinatione conceditur, ait, posse Abbates illa gestare, etiam extra proprias Ecclesias, & in locis non exemptis; nec integrum esse Episcopo id eis prohibere; ex quo tenor privilegii, vel jus non restringit eos ad certum locum, cujus generis privilegia nunquam vidi. Distinctionem 4

hanc

hanc probant Lapus de Castelliono, *alleg.* 19. *incip. an Abbas*;
5 subdens, quòd si Abbas habet jus utendi Pontificalibus in suo Monasterio, invitatus ad aliud Monasterium, poterit in Pontificalibus celebrare, si Monasterium, ad quod invitatur, est exemptum; ita etiam Philipp. Franc. *in cap. ut Apostolica, num.* 5. *&* 6. *de privileg. in* 6.

6 Abbatibus usus Pontificalium intra eorum Monasteria concessus est, non autem extra, nisi ex privilegio Sedis Apost. aliter dispositum fuerit, ut optimè resolvit Gemin. *in cap. ut Apostolica, n.* 8. *de privil. in* 6. ubi advertit formam privilegiorum Sedis Apost. circa usum Pontificalium, attendendam esse: ita ut si Abbati concessus sit usus Pontificalium simpliciter in suo Monasterio, illis ullo modo uti poterit extra suum Monasterium; eò quod tale Pontificalium exercitium ad proprias Ecclesias restrictum sit in favorem Episcoporum, quippe quorum respectu communi jure actus Pontificales proprii esse debent: ac proinde eorum jure inferiores præjudicare non possunt.

Ex quibus infertur primò, minimè licere Abbatibus, & aliis Prælatis Episcopo inferioribus, Mitræ usum
7 exercere extra suas Ecclesias; cùm enim appellatione Pontificalium Mitra contineatur, ut dictum est: & suprà *hoc Quæsito* firmatum habeamus, Pontificalia extra suas Ecclesias exercere non posse Abbates; igitur nec usum Mitræ; quam illationem probat expressè textus *in c. ut Apostolica, de privileg. lib.* 6. *in fin.* quatenus expressè concedit Abbatibus, & aliis Prælatis inferioribus, si sunt exempti, in Provincialibus, & Episcopalibus Conciliis uti posse Mitris auriphrygiatis, non habentibus laminas, aut gemmas; in aliis verò locis exemptis, & non exemptis Mitris uti licere illis, prout concessa eis à Sede Apostolica indulta permittunt; ergo si talia indulta id non permitterent, minimè liceret eis Mitris uti extra suas Ecclesias, præterquam in Conciliis Provincialibus, & Episcopalibus, quæ exceptio in aliis firmat Regulam in contrarium, ut omnia jura clamant.

Secundò, ex dictis infertur, minimè licere Abbatibus, quibus simpliciter intra suas Ecclesias Pontificalia
8 Insignia concessa sunt, Baculum Pastoralem gestare, ex eo, qui hujusmodi Baculus nedum signum honoris est, sed dignitatis, & potestatis pastoralis; nam in traditione ejusdem Baculi, à consecratore dicitur: *Accipe Baculum pastoralis officii, ut sis in corrigendis vitiis piè saviens*; vel in libello, qui *Ordo Romanus* inscribitur: *Accipe Baculum pastoralis officii, potestatem ligandi, atque solvendi, ut sis in corrigendis vitiis perseverans, &c.* Ecce quomodo Baculus non ornamenti, sed potestatis, & Regiminis pastoralis signum est; ergo nequeunt Abbates vigore privilegiorum, quibus simpliciter Pontificalium usus illis conceditur, Baculum extra proprias Ecclesias, & loca, deferre, ut bene notat Duran. *de ritibus Eccles. lib.* 2. *c.* 9. *num.* 38.

Tertio infertur posse Abbatem deferre insignia Pontificalia in Ecclesia exempta, licèt privilegium dicat, ut deferat in suo Monasterio, & tunc deferre poterit
9 prædicta insignia Pontificalia extra Monesterium in Ecclesia exempta, quando usus eorum Pontificalium fuit simpliciter concessus, ita Augustinus Barbosa *lib.* 1. *de Jure Eccles. cap.* 17. 58.

Limita tamen, ubi aliter à Sede Apostolica indultum fuerit, & ex speciali privilegio concessum; sicuti videmus indultum Abbatibus Canonicorum Regularium Congregationis Lateranen. & eorum privilegia
10 communicantibus, qui in processionibus suarum Ecclesiarum, diebus solemnibus, Baculum pastoralem extra easdem Ecclesias, deferre possunt, ex speciali gratia Urbani III. Præposito Sanctæ Agathæ Cremonæ directo, quod habetur *in libro privilegiorum dictæ Congregationis, fol.* 214. cujus privilegii tenor hic inseritur.

URBANUS EPISCOPUS.
Servus Servorum Dei,
Dilecto Filio Lanfranco Præposito, S. Agathæ Cremonæ, Salutem, & Apostolicam benedictionem.

Cum fel. mem. Alexander, & Lucius prædecessores Nostri, sicut ex eorum literoris manifestè 11
Nobis innotuit, prædecessori tuo, quam tibi de benignitate Apostolicæ Sedis indulsimus, ut in processionibus Ecclesiæ vestræ diebus solemnibus deferatis Baculum pastoralem; Nos eisdem prædecessorum Nostrorum vestigiis inhærentes, eumdem Baculum diebus ipsis in processionibus deferendi, liberam, tibi, tuisque successoribus concedimus facultatem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Veronæ, 4. Kalend. Julii.

Tertiò, & ultimò infertur, Abbates, & alios Prælatos Episcopis inferiores, non solùm Mitræ usum non posse exercere, & Baculum pastoralem gestare: sed
neque etiam quæcunque Pontificalia exercere extra 12
suas Ecclesias. Nomine autem actuum Pontificalium, intelligitur Ordinum minorum collatio Ecclesiarum, Altarium, Vasorum, & Campanarum consecratio, aut reconciliatio, populi solemnis benedictio, Cœmeterii, & secundum quosdam, etiam Corporalium, aliorumque Altaris paramentorum benedictio, ut colligitur ex gloss. *verb. Pontificalibus in extravag. suscepti regiminis, de electione*, Mar. Alter. *de censur. tom.* 2. *disput.* 16. *de susc. cap.* 3. *vers. quæris aliquis*, Paul. Laym. *in qq. Canon. de Prælat. Eccles. elect. quæst.* 224. *in princ.*

QUÆSITUM IV.

Utrùm Abbates ab aliis Abbatibus, vel Prælatis exemptis, invitati, possint in eorum Ecclesiis Pontificalia exercere.

SUMMARIUM.

1 *Abbates invitati à Prælatis exemptis, possunt in eorum Ecclesiis Pontificalia exercere.*

2 *Abbates, & alii Prælati exempti, etiam Ordinarii appellantur.*

3 *Abbas invitatus ab alio Abbate, ut in sua Ecclesia Ordines Minores conferat, potest illos conferre.*

Ad propositam dubitationem, respondeo, licitè Abbates posse in locis ab ordinariorum juris- 1
dictione exemptis, si ab eorum Prælatis invitentur, Pontificalia exercere. Et præterea, quæ dicta sunt in *antecedentibus Quæsitis*, & dicentur, *in sequentibus*, & *in* 2. *tom. in disput. de Sacrament. Ord.* Moveor etiam; quia Concil. Trident. *sess.* 6. *de reformat. cap. ult.* prohibens Episcopis, ne in alterius Diœcesi Pontificalia exerceant, requirit Ordinarii loci licentiam.

At Abbates & alii Prælati exempti habent jurisdictionem quasi Episcopalem, seu Ordinariam: & proinde Ordinarii etiam appellantur, Navar. *cons.* 9. *titul. de privileg.* Flamin. Paris. *de resignat. benef. lib.* 3. *quæst.* 11. Dec. *cons.* 121. Panorm. *cap ut fama, num.* 6. *de sent.*
excomm. & alii apud Erasm. Chokier. *de jurisd. Ordin. in exempt. part.* 1. *quæst.* 1. *num.* 9. & probavimus 2
latè suprà *in disp.* 1. *quæsit.* 3.

Invitati igitur Abbates à Prælatis extraneis exemptis, quasi Episcopalem jurisdictionem habentibus,

5 poterunt in eorum Ecclesiis Pontificalia exercere, unde Grass. *part. 2. decis. aur. lib. 1. cap. 10. num. 2.* ait, quòd Abbas invitatus, ab alio Abbate, ut in sua Ecclesia Minores Ordines conferat, possit illos conferre, sicut Episcopus ab alio Antistite invitatus, hoc facere potest. Sed de hac re, *in 2. tom. in Disp. de Sacrament. Ordin.* fusiùs.

QUÆSITUM V.

Vtrum Abbates Generales possint in omnibus suarum Congregationum locis, Pontificalia exercere.

SUMMARIUM.

1 *Archiepiscopus non potest in Ecclesiis suorum Suffraganeorum, absque ipsorum licentia, Pontificalia exercere.*

2 *Abbates Generales possunt in omnibus suarum Congregationum Ecclesiis, Pontificalia exercere.*

3 *Abbates locales Generalibus Ordinum subditi sunt sicut Monachi ipsi.*

4 *Abbates Generales nulla habita licentia ab Abbatibus Localibus, possunt in Monasteriis eorum Pontificalia exercere.*

PRo ratione dubitandi, videtur dicendum quòd non; nam Generales solent Archiepiscopis, seu Primatibus comparari, ut in simili, per Suar. *de Relig. tom. 4. tract. 8. lib. 2. cap. 2. num. 11.* At Archiepiscopus, seu Primas non potest in Ecclesiis suorum Suffraganeorum, absque ipsorum licentia, Pontificalia exer-
1 cere, per text. *in cap. sicut unire, de excess. Prælat.* facit text. *in cap. pastoralis de offic. Ordin. can. nullus Primas. 9. quæst. 2.* Ergo pariter nec Abbates Generales possunt in Ecclesiis suarum Congregationum, absque licentia Abbatum Localium, Pontificalia exercere.

Contrarium tamen, extra controversiam, est. Nam Abbates Generales in omnibus Congregationum suarum Ecclesiis, & locis, Pontificalia exercere possunt:
2 quippe qui sunt immediati illorum Superiores, sicuti Abbates Locales; ut patet ex usu, & institutione singularum Religionum; Abbates enim Locales tam exactè, & perfectè Generalibus, vel Provincialibus, aut
3 Nationalibus Prælatis, ubi extant, & Provinciales, seu Nationales Generalibus subditi sunt, sicut minimi Religiosi suo Abbati Locali; perfectè autem eis subjecti esse non possent, nisi universalium Prælatorum jurisdictio ad omnes, & singulos respectivè descenderet, & in omnibus, & singulis suarum Congregationum Ecclesiis jurisdictionem exercere possent, ut alibi latiùs ostendimus.

His igitur sic stantibus, patet Abbates Generales ad hoc ut possint in omnibus suorum Ordinum Ecclesiis, & locis Pontificalia exercere, nulla Localium Abbatum licentia indigere; immo ipsi Generales, si velint poterunt eisdem inferioribus Abbatibus facultatem Pontificalia exercendi adimere, vel limitare, ut diximus *in tract. de privileg.*

Nec obstat, quod Abbates Generales comparentur Primatibus; quia licet Ecclesiæ Romanæ exemplo ad denotandum Hierarchicum Ordinem Prælatorum
4 in Religione dispositum; hæc comparatio aliquo modo videatur locum habere; non tamen omnino eodem modo comparantur Abbates Regulares, sicut Episcopus ad Archiepiscopum, & Archiepiscopus ad Primatem, seu Patriarcham; sed Provincialis, seu Nationalis Prælatus (Nam Provinciales in Religionibus non Mendicantibus parum sunt in usu) exercebit suam jurisdictionem in Ecclesiis suæ Provinciæ, vel Regni, aut Nationis, æquè ac proprius Abbas Localis & Generalis æquè ac Provincialis, vel Nationalis, ac Localis Abbas, exercere possunt, ut diximus.

Si petas, an generales habeant usum Pontificalium, ex vi sui Generalatus, vel Abbatiæ. Respondeo, habere usum Pontificalium, quatenus Abbates sunt: ideo omnes Generales Congregationum Monachalium sunt Abbates, & Generalis nostræ Congreg. Vallis Umbrosæ, ut Abbas S. Salvii habet prædictum usum, ut sequens Bulla Bonif. IX. ostendit.

Exposcit vestræ devotionis sinceritas, & Religionis promeretur honestas, ut tam vos, quos speciali devotione prosequimur, quàm Monasterium vestrum dignis honoribus attollamus. Hinc est, quod nos vestris in hac parte supplicationibus inclinati, ut tu fili Abbas, & successores tui Abbates dicti Monasterii, qui pro tempore fuerint, Mitra, Anulo, & Baculo, ac aliis Pontificalibus Insigniis, liberè possitis uti, necnon in dicto Monasterio, & Prioratibus eidem Monasterio subjectis, ac Parochialibus, & aliis Ecclesiis ad vos communiter, vel divisim pertinentibus quamvis vobis pleno jure non subsint, Benedictionem solemnem post Missarum, Vesperarum, & Matutinorum solemnia, dummodo in Benedictione hujusmodi aliquis Antistes vel Sedis Apostolicæ Legatus præsens non fuerit, elargiri possitis, felicis recordationis Alexandri Papæ IV. prædecessoris nostri, quæ incipit: *Abbates*, & aliis quibuscunque Constitutionibus Apostolicis in contrarium editis, nequaquam obstantibus, vobis & eisdem successoribus. Auctoritate Apostolica, de speciali gratia, tenore præsentium indulgemus. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam Nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, 5. Kal. Maji, Pontificatus nostri anno 9.

Asservatur in libro authentico manuscripto privileg. nostræ Congregat. in Archivio Vallis Umbrosæ existenti.

QUÆSITUM VI.

Vtrum Abbates tempore Capituli tam Generalis, quàm provincialis, Pontificalia exercere valeant.

SUMMARIUM.

1 *Abbates tempore Capituli ab eorum dignitatibus, & muneribus absolvuntur.*

2 *Abbates, qui ad tempus creantur tempore Capituli, non possunt Pontificalia exercere.*

PRo explicatione hujus Quæsiti sciendum est, quòd in Religionibus Monachalibus, ac etiam Canonicorum Regularium, ex præscripto Constitutionum, solent Abbates, tempore celebrationis Capituli per Præsidentem ejusdem Capituli ab eorum munere, ac dignitate absolvi; ut observatur in nostra Congregatione, in qua singulis bienniis Capitulum Generale celebrandum est, ut patet in nostris Constitutionibus, *cap. 1.* Ac in eodem Capitulo Præsidens Generalis totius Congregationis omnes & singulos ejus Abbates Visitatores, Priores, ac alios Officiales ab eorum officiis, & dignitatibus absolvit, ut patet in earundem Constitutionum, *cap. 15.* 1

Idem servatur apud Patres Congreg. Casinen. ut habetur in ejus Constitut. *part. 1. cap. 10.* & in Congreg. Cælestinorum, ut in eorum Constitut. *tract. 2. cap. 7. part. 2.* & in Congreg. Montis Oliveti, *part. 1. cap. 6.* Constit. ac in singulis aliis Religionibus, in quibus Abbates ad tempus creantur.

His igitur sic stantibus, dubitatur, utrùm Abbates, eo tempore, quo ab Abbatiis absoluti remanent, usque quò denuò ad illas assumantur, valeant interim licitè

Pontifi-

2 Pontificalia exercere. Et reſpondetur negativè; quia per hujusmodi abſolutionem privantur, & ceſſant à munere, & dignitate Abbatiali. At privilegia Pontificalium uſum, & exercitium concedentia; ſive ea in corpore juris clauſa ſint, ſive non, hujusmodi exercitium Abbatibus tantùm concedunt: ergo ceſſante dignitate, & officio, ceſſat etiam omnis facultas, quæ eorum intuitu eis competebat; ac ſtatim, ut Monachus deſinit eſſe Abbas, amittit uſum privilegiorum, quæ ſibi tanquam Abbati competebant: & hoc teſtatur uſus, & conſuetudo ipſarum Religionum.

QUÆSITUM VII.

Vtrum Abbates poſt Matutinarum, Miſſarum, & Veſperarum ſolemnia, poſſint in Pontificalibus benedictionem populo elargiri.

SUMMARIUM.

1 *Benedictio, quæ populo in Miſſa elargitur; quædam ſimplex, quædam ſolemnis.*

2 *Abbates quo tempore poſſint ſolemnem benedictionem populo elargiri.*

3 *Privilegia Summorum Pontificum Abbatibus ſolemnem benedictionem populo elargiendi facultatem concedentia.*

1 PRo hujus quæſiti intelligentia præmitto duplicem eſſe benedictionem, quæ in Miſſa populo elargitur: quædam enim eſt ſimplex, quæ fieri poteſt à quocunque ſimplici Sacerdote, abſente Epiſcopo, vel cum præſens eſt, ipſo annuente, *can. ecce 95. diſtinct.*

Quædam eſt ſolemnis, quæ fit cum illa ſolemnitate, *Adjutorium noſtrum, &c.* & hanc benedictionem ſolemnem poſſunt Abbates fidelibus intra eorum Eccle-
2 ſias exiſtentibus, poſt Miſſarum ſolemnia, Veſpertinas, ac Matutinas horas elargiri, ex Apoſtolicæ Sedis privilegio, ut patet ex *cap. Abbates, de privileg. in 6.* ubi habetur, quòd Abbates, quos Apoſtolica Sedes in exhibitione benedictionis ſuper populum, ſpeciali privilegio inſignivit, in Eccleſiis, quæ ad eos pertinent pleno jure, quando in eis Divina Officia celebrant, poſſunt poſt Miſſarum ſolemnia, & Veſpertinas, ac Matutinas laudes benedictionem ſolemnem ſupra populum elargiri. Eſt etiam communis ſententia omnium Doctorum ibidem ſcribentium.

Idipſum probatur ex quamplurimis privilegiis à Sede Apoſt. Abbatibus, & aliis Prælatis, quorum aliqua hic inſinuanda ſunt; & primò Abbates, & Prælati
3 Congreg. Canonicorum Regularium, à multis Summis Pontificibus habent, ut poſt Miſſarum Veſperarum, & Matutinarum ſolemnia benedictionem ſolemnem populo impertiantur; ita habetur ex Bulla Innocent. VIII. ſub Datum Romæ, apud S. Petrum, anno 1489. pridie Idus Novembr. Pontif. ſui anno 6. quæ incipit: *Expoſcit veſtra devotionis*, quæ legitur *in libro privilegiorum dictæ Congregat. pag.* 377. & ex Bulla Alexandri VI. ſub Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, anno 1493. die 8. Maji, Pontific. ſui anno 1. quæ incipit: *Cum ſicut dilecti filii, in eodem libro pag.* 382. & ex Bulla Leonis X. ſub Dat. Corneti, anno 1517. 3. Idus Octobr. Pontificatus ſui anno 5. quæ incipit: *Ex ſuperna Majeſtatis providentia, in eodem lib. privileg. pag* 425. & ex Bulla Pii V. ſub Datum Romæ, apud Sanctum Petrum anno 1566. 16. Kalend. Februar. Pontificatus ſui anno 1. quæ incipit: *Æquum reputamus, & rationi conſonum, in eodem lib. pag.* 140.

His, & ſimilibus privilegiis gaudent Abbates Caſinen. per ſpeciales Sedis Apoſtol. conceſſiones, & primo, ex Bulla Urbani II. ſub Datum Salerni, 18. Kalend. Octobr. anno 1092. Pontif. ſui anno 5. quæ incipit: *Reverendiſſimo Patri*, extat in Monaſterio Sanctiſſ. Trinit. Caveuſ. & ex Bulla Pii IV. ſub Datum Romæ apud S. Petrum, anno 1565. die 6. Julii, quæ incipit: *Sedis Apoſtolica circumſpecta*, habetur *in tom. 2. Bullar. Nov.* Laërt. Cherub. *Conſtitut.* 37. ejusdem Pontific. & ex Bulla Eugenii IV. ſub Datum Floren. anno Domin. 1442. 7. Kalend. Julii. Pontif. ſui anno 12. quæ incipit: *Sacra Religionis zelus*, apud Roderic. *in nova collect. privileg. tom. 2. Bull.* 16. ejusdem Eugenii V.

Idem etiam conceſſum fuit Abbatibus Congregat. Camaldulen. à Leone X. ut habetur in Compendio Rot. *tit. Abbas*, §. 4.

Et noſtræ Congregationis Vallis Umbroſæ Abbatibus plura Sedis Apoſtolicæ diplomata, eamdem benedictionem Pontificalem poſt Matutinarum, Miſſarum, & Veſperarum ſolemnia, ab eisdem Abbatibus populo elargiendi, facultatem concedunt. Ex qoibus infraſcripta hîc recenſere mihi viſum fuit; primum eſt, Urbani V. ſub Datum apud Villam Novam Avenioni 18. Kalend. Octobris, anno 1373. Pontificatus ſui anno 1. incipit: *Sincera devotionis affectus:* & habetur cum aliis hic citandis *in Libro authentico privilegiorum noſtræ Congregationis, & in Archivio Sancti Michaëlis de Paſſiniano*, cujus Abbati prædictum privilegium donatum fuit.

Aliud ſimile diploma Abbati ſancti Salvii prope, & extra mœnia Florentiæ, conceſſit Bonifacius IX. ſub Datum Romæ, apud ſanctum Petrum 5. Kalend. Maji. Pontificatus ſui anno 1. quod incipit: *Expoſcit veſtra devotionis ſinceritas.*

Extat ejusdem Pontificis alia Bulla, ejusdem tenoris, Abbati ſancti Mercurialis de Forolivio directa, quæ incipit: *Expoſcit veſtra devotionis ſinceritas*, ſub Datum Romæ, apud S. Petrum, Kalendis Septembr. Pontific. ſui anno 12. Gregorius IX. ſub Datum Averion. 11. Kal. Julii, Pontif. ſui anno 2. Aliud ſimile privilegium, quod pariter incipit: *Expoſcit veſtra devotionis ſinceritas*, conceſſit Abbati Vallis-Umbroſæ, anno 1372. Similiter Martinus V. ſub Datum Florentiæ, 5. Kal, Maji, Pontificatus ſui anno 3. Domini verò anno 1420. ejusdem Benedictionis Pontificalis munus impertivit Abbati Sancti Pancratii Florentiæ, ut legitur in Bulla propria, quæ etiam incipit: *Expoſcit veſtra devotionis ſinceritas.* Ab eodem Martino V. data eſt alia Bulla Abbati Sanctiſſimæ Trinitatis Florentiæ ejusdem tenoris; & eodem ferè tempore, dum Florentiæ moraretur, quæ pariter incipit: *Expoſcit veſtra devotionis ſinceritas.* Abbatibus Ciſtercien. eandem ſolemnem benedictionem populo elargiendi, facultas conceſſa fuit ab Inocentio VIII. ſub Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, anno 1489. die 9. Aprilis, Pontificatus ſui an. 5. per Bullam quæ incipit: *Expoſcit tua devotionis ſinceritas.* Refertur in nova *Collect. Bullar. Apoſtol. pro Regular.* Roderic. *Bulla* 5. dicti Pontificis.

Pro Congregatione Cæleſtinorum, ultra privilegium Cæleſtini V. eorum Inſtitutoris, Eugenius IV. conceſſit Abbati Sancti Spiritus de Sulmona, ejusdem Congregationis Generali, ut poſſit ſolemnem benedictionem in Miſſa, ac Veſperis, & Laudibus elargiri, anno Domini 1434. 5. Kalend. Novembris Pontificatus ſui anno 4. quod privilegium refert Roderic. *loc. citat. Bull.* 18. ejusdem Pontificis.

Eodem privilegio inſignitus eſt Abbas Montis Virginis, ex Bulla Urbani IV. ſub Datum apud Urbem Veterem, 2. Idus Septembris, Pontificatus ſui anno 3. quæ incipit: *Eccleſia Romana velut*, & legitur *in tom. 1. Bullar. novi*, Laërt. Cherub. *Conſtitut.* 6. ejusdem Urbani IV.

Abbati Valliſcolarium in Gallia privilegium Populo poſt Matutinarum, Miſſarum, & Veſperarum ſolemnia, ſolemniter benedicendi, elargitus eſt Paulus III. die 13. Maji, anno 1539. ita teſtatur Renat. Choppin. *lib. 1. Monaſt. tit. 2. num.* 18. Eodem privilegio potitur Abbas Sancti Germani de Pratis, Lutetiæ Pariſiorum, per

Bullam

Bullam Alexandri III. editam anno 1167. die 3. Augusti, sub Datum, apud Tusculanum, quæ habetur in Archivio ejusdem Abbatiæ Sancti Germani, ut fatetur idem Renat. Choppin. *loco cit.* & *in 2. lib. Ecclesiast. Polit. forens.*

QUÆSITUM VIII.

Quibus in locis possit Abbas solemniter Populo benedicere.

SUMMARIUM.

1 *Abbas habens privilegium simpliciter populum benedicendi, non potest extra Ecclesias sibi subjectas, illo uti.*

2 *Quænam Ecclesiæ dicantur Abbatibus plene jure subjecta.*

3 *Abbas habens licentiam celebrandi in aliena Ecclesia, potest etiam uti benedictione Pontificali.*

4 *Abbas transiens per loca extra suam jurisdictionem, rogatus à devotis personis, potest illas absque solemnitate, & absque animo exercendi jurisdictionem, licitè benedicere.*

5 *Abbates, accedendo ad Altare ad Pontificalem Missam celebrandam, & ab eo recedendo post ejusdem Missæ celebrationem, transeuntes per Ecclesiam possunt populum benedicere.*

6 *Abbates cùm ad solemniter celebrandum accedunt, non debent à sua domo associari, nec excipi.*

7 *Abbas in sua propria Ecclesia præsente Episcopo sedere debet in sede inferiori, sive à sinistris Episcopi.*

8 *Abbas secularis in sua Ecclesia dum solemniter divinis interest, potest suos Canonicos ad sibi assistendum assumere.*

1 RESpondeo dicendo, quòd inspiciendus est tenor privilegii. Nam si Summus Pontifex concederet Abbatibus privilegium simpliciter populo benedictionem solemnem elargiendi, hujusmodi privilegium non extenderetur extra Monasterium, & Ecclesias, ac loca ipsis Abbatibus pleno jure subjecta; quia, cùm tale privilegium tendat ad diminutionem Episcopalis auctoritatis, strictè interpretari debet, ut minùs lædat: ex illo generali principio *in Disputatione de privilegiis*, posito: nempe privilegia in præjudicium tertii vergentia, esse restringenda, quantum eorum verba patiuntur, non autem amplianda, gloss. *in cap. Abbates de privileg. in 6.* Non poterunt igitur Abbates alibi publicè, aut per vias, aut Civitates, aut Villas, aut Castra, ita solemniter populum benedicere; nam aliàs delinquerent, nisi ex speciali privilegio hanc potestatem essent consecuti, Azor. *instit. Moral. part. 2. lib. 12. cap. 20. q. 7.* D. Barbos. *de offic. & potestat. Episcop. part. 2. alleg. 17. in fin.* Sylvest. *in verb. Abbas, quæst. 2.* & fuit decisum à Sacra Rota *in una Salamantina jurisdict. 3. Julii, 1580. coram Seraphino.*

2 Ecclesiæ autem dicuntur Abbatibus pleno jure subjectæ, quæ tam in his, quæ ad spiritualium, quàm in his, quæ ad temporalium rerum administrationem pertinent, sunt in cura, & potestate ipsorum Abbatum, & Monachorum, ut per gloss. *in d. cap. Abbates, verb. pleno jure*, & ibi communiter Doct.

Notandum est autem, quod ex privilegio possunt Abbates hujusmodi solemnem benedictionem populo dare, non solùm in Ecclesiis sibi pleno jure subjectis, verùm etiam in Ecclesiis, quæ sibi subsunt, quamvis non pleno jure, ex indulto Bonifacii IX. sub Datum Romæ, Pontif. sui anno 12. his verbis:

Abbates dicti Monasterii, qui pro tempore fuerint, Mitra, Anulo, Baculo, & aliis Pontificalibus Insignis uti liberè possitis, necnon quòd in dicto Monasterio, & Prioratibus eidem Monasterio subjectis, ac Parochialibus, & aliis Ecclesiis ad vos communiter, vel divisim pertinentibus; quamvis vobis pleno jure non subsint, &c.

De qua re etiam alibi.

Posset autem Abbas, in Ecclesia aliena celebrans, 3 uti benedictione Pontificali, cum verbis: *Sit nomen Domini benedictum, &c.* quia illa est potiùs Ordinis, quàm jurisdictionis: nam si potest in aliena Ecclesia, absque Ordinarii licentia, celebrare, poterit etiam benedictionem Pontificalem dare, cùm sit accessorium, & consequens ad illam celebrationem, per *cap. cui licet*, & ibi gloss. *de regul. jur. in 6.* Atque ita quoad Episcopos resolvit Piasec. *in praxi nova Epist. part. 1. cap. 2. num. 3. versic. benedicit*; ac fuisse conclusum Neapoli, coram aliquibus Prælatis, asserit Ricc. *in prax. aur. resol. 203. num. 5.* Unde idem dicendum puto de Abbatibus; non enim est aliqua ratio, quæ videatur suadere, id in eis esse restringendum. Et sicut etiam Episcopus, transiens per alienam Dioecesim, 4 rogatus à devotis personis, illas absque solemnitate benedicens, & absque animo jurisdictionem exercendi, nullam pœnam incurrit; ut post Anchar. & Suar. censent Marc. Anton. Genuen. *in Manuar. Pastor. cap. 63. num. 4.* & D. Barbos. *de offic. & potest Episcop. part. 2. alleg. 27. num. 65.* Idem etiam puto dicendum de Abbatibus, cùm eadem ratio militet.

Dico etiam, quòd ipsimet Abbates, tam accedendo 5 ad Altare ad Pontificalem Missam celebrandam habitu domestico, quàm ab eo recedendo post ejusdem Missæ Pontificalis celebrationem, vel transeuntes per Ecclesiam, possunt benedictionem populo præsenti elargiri; quia cùm possint majus, quòd est benedicere populum solemniter in Missa, poterunt etiam minus, quod est, transeundo per Ecclesiam tradere hujusmodi benedictionem: maximè cùm hæc benedictio non sit solemnis, sicut ea quæ datur in Missa Pontificali. Si dicas, privilegia hoc eis non concedunt. Respondeo, eadem privilegia concedere eis celebriorem, quæ est illa solemnis in Missa; ergo videntur etiam concedere eis minorem; nec inde alicui ullum præjudicium infertur.

Præterea omnia prædicta expressiùs probari videntur ex privilegio Urbani II. &c. Quod hodie omnibus ferè Abbatibus per communicationem est commune, in quo Abbati Monasterii Sanctissimæ Trinitatis de Cava concessit, ut possit omnia in suos subditos, quæ possunt Episcopi in suos, quibusdam exceptis, in quibus non includitur facultas populum benedicendi; ergo sicut Episcopi possunt hujusmodi benedictionem populo elargiri; ita etiam poterunt Abbates.

Non tamen debent Abbates associari ex sua domo, nec excipi cum ad Pontificaliter celebrandum accedunt, quia Cæremoniale de Episcopis loquens in hoc casu non comprehendit Abbates, ita sacra Rituum Congregatio *in Hispan. S. Joannis de Pegna 11. Decembris 1613.* & D. August. Barbos. *de jure Eccles. lib. 1. cap. 17. num. 111.* Quo in loco advertit Abbatem in Ecclesia suæ jurisdictioni subjecta præsente Episcopo, sedere in sede inferiore Episcopi, & sine ornatu, aut à sinistris apud Episcopum, vel à conspectu Episcopi; in loco tamen inferiore respectu Sedis Episcopi; ita declarasse fatetur eamdem sacram Congregat. *in Aquilana 18. Martii 1617.* Absente verò Episcopo Abbas Ecclesiæ secularis Collegiatæ ab Ordinario exemptæ, & Sedi Apostolicæ subjectæ immediatè usum Mitræ habens, potest, dum in tali Ecclesia divinis solemniter interest, suos Canonicos assumere ad sibi assistendum, & eamdem in illos jurisdictionem exercere, quam Episcopus exercet in suos. Eadem Sacra Rituum Congregat. *in Alexandrina Sancti Petri in Brogolio 7. Februarii 1604.*

QVÆSI-

QUÆSITUM IX.

Utrum Abbates præsente Episcopo, vel alio Majori Ecclesiæ Prælato, possint in suis Ecclesiis solemniter populum benedicere.

SUMMARIUM.

1 *Abbates de jure communi nequeunt, præsentibus Episcopis, vel aliis majoribus Prælatis, solemniter populo benedicere.*
2 *Minor non debet majorem benedicere.*
3 *Abbates in suis Ecclesiis Missam Pontificalem celebrantes, possunt solemniter populum benedicere.*
4 *Abbates ex speciali privilegio possunt populo benedicere solemniter, etiam coram Episcopo, & aliis majoribus Prælatis.*

DE jure communi Abbates nequeunt, præsentibus Episcopis, vel aliis majoribus Ecclesiæ Prælatis,
1 benedictionem solemnem populo elargiri, *can. ministrare, 16. q. 6. can. cum ad celebrandas,* juncta gloss. *de consecr. dist.* 1. Joan. Andr. *in addit. ad gloss. cap. Abbates, verb. solemnitatem, de privil. in 6.* quia minor non debet majorem benedicere, *can. denique 21. dist.*
2 ubi hoc probatur exemplo Melchisedech qui prout legitur in Epist. S. Pauli ad Hebr. 7. benedixit minori, scilicet Abrahæ.

Juri etiam communi consona sunt quamplurima privilegia, per Sedem Apost. Abbatibus concessa, ut possint solemniter in Ecclesiis sibi pleno jure subjectis populum benedicere; & in his addita est clausula, *Dummodo in benedictione hujusmodi aliquis Antistes, vel Sedis Apostol. Legatus præsens non fuerit.* Ita ha-
3 betur in privileg. Bonifacii IX. sub Dat. Romæ, anno ejus 12. Abbati S. Mercurialis de Forolivio, Ordinis Vallis Umbrosæ, concesso; & in privileg. Martini V. sub. Dat. Floren. anno 3. sui Pontif. Abbati S. Pancratii ejusdem Civit. Ordinis Vallis-Umbrosæ, elargito, & in alio Indulto ejusd. Pontif. sub Datum Floren. eodem anno 3. sui Pontif. anno Dom. 1420. Abbati Sanctiss. Trinitatis Floren. ejusdem Ordinis Vallis Umbrosæ, concesso, quæ habetur *in libr. privil. Congregat. Vallis Umbrosæ authentico*, de quibus suprà *in quæsit.* 7. etiam egimus.

Ex speciali tamen privilegio possunt Abbates benedicere solemniter populo, etiam præsentibus quibuscunque Ecclesiæ Prælatis, vel etiam Sedis Apost. Le-
4 gatis; sicut concessit Sixtus IV. sub Datum Romæ apud S. Petrum, an. Dom. 1483. 17. Kal. Octobr. Pontific. sui anno 13. Præposito, sive Abbati S. Mariæ Pacis Romæ Congregationis Canonic. Regular. Lateranen. ut in his verbis ad rem nostram spectantibus legitur:

Ipseque Præpositus dictæ præpositura, qui pro tempore potuerit Mitra, Annulo, Baculo, & aliis Pontificalibus Insignis, etiam uti, necnon in dicto Pacis Templo, ac intra septa dicti Monasterii benedictionem solemnem post Missarum, Vesperarum, & Matutinarum solemnia, etiamsi in benedictione hujusmodi aliquis Antistes Cardinalis, vel Sedis Apostol. Legatus præsens fuerit, elargiri liberè, ac licitè possit, & valeat fel. rec. Alexandri Papæ IV. prædecessoris Nostri, quæ incipit *Abbates*, & aliis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Ordinis, & Congreg. prædictorum juramento, confirmatione Apostol. vel quacunque firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus cæterisque contrariis nequaquam obstantibus, motu, scientia, & auctoritate prædictis concedimus, pariter & indulgemus.

Ita habetur *in lib. privileg. dictæ Congregationis Canonicorum Regularium, fol.* 369.

Et hoc privilegium praxi demandatum fuisse coram duo decim Illustriss. Cardin. anno Dom. 1614. die 14. Julii, in festo Visitat. B. Virginis post Capellam solemniter habitam in Sacello B. Mariæ Pacis Romæ per Reverendiss. Dominum Joannem Chrysostomum Neapolitanum loci Abbatem, post Missam solemniter cum insinitis Pontificalibus decantatam, juxta formam privilegii suprà allati, testatur Gabr. Pennot. *in sua Tripart. Hist. lib. 3. cap. 33. num.* 4.

QUÆSITUM X.

De præparatione Abbatis solemniter celebraturi, & de ordine in tali solemnitate procedendi, ac de ejus Sede Abbatiali, & an Baldachino, & quibus Ministris uti debeat.

SUMMARIUM.

1 *Locus Abbatis in Ecclesia, & in processionibus qualis esse debeat.*
2 *Sedes Abbatis solemniter celebrantis, qualis esse debeat.*
3 *De Faldistorio in celebratione præparando.*
4 *Credentia quomodo præparanda.*
5 *Paramenta pro Canonicis, vel Monachis Abbati in celebratione servientibus.*
6 *Abbas quo ordine solemnia celebraturus incedere debeat.*
7 *Abbas quomodo parandus.*
8 *Orationes dicendæ ab Abbate dum Pontificalibus paramentis induitur.*
9 *Ordo in Choro, & inter Canonicos, & Monachos observandus.*
10 *Abbates, & alii Prælati inferiores, an Baldachinum erigere possint, & quos Ministros possint assumere.*

PRopositaa præparatio ab Abbate facienda, & prædictus ordo procedendi, describitur ab Andr. Piscar. *in sua prax. Cæremon. lib. 1. sect. 9. cap. 5. & 6.* ubi hæc infrascripta notat.

Abbati in propria Ecclesia primus locus in sedendo, necnon & processionabiliter incedendo cum suis Canonicis, vel Monachis, & in cæteris publicis functionibus debetur. 1

Abbati solemnes Vesperas, Missamve celebraturo solium aptabitur rotundum, cum ornamentis coloris tempori & festivitati convenientibus, cum duobus scabellis nudis hinc inde pro assistentibus: ad quod gradibus panno viridi obductis, parebit adscensus: necnon & pavimentum Presbyterii simili panno, vel tapete cooperiri convenit, & per circuitum scamna ad usum Canonicorum, qui parati assistere tenentur, panno etiam viridi velabuntur. 2

Ante gradus Altaris solemnibus paramentis ornati, parabitur Faldistorium coopertum indumentis coloris aliorum paramentorum; ipsum, & soli partem contegentibus, superpositis pulvinis similis coloris. 3

Ad aliud Sacellum, decenter exornatum Sanctissimum Sacramentum reponendum asportabitur, ubi Faldistorium, ut suprà opertum cum pulvinis aptabitur.

In cornu Epistolæ prope Altare erit mensa cum duobus candelabris absque Cruce, Imagine, vel reliquis candelis accensis. In qua mensa reponantur omnia necessaria ad solemnis Missæ celebrationem; similiter & vasa pro manuum ablutione, Mitra simplex, & aureis fimbriis ornata, Sandalia, Gremiale, Bugia Argentea cum parva candela, & instrumentum pro danda pace Nobilibus viris, quæ omnia ordinatè disposita sericum linteum desuper stratum velabit. 4

Secus mensam ad parietem Baculus Pastoralis reponatur, & loco congruo erunt promptæ prunæ accensæ cum forcipibus, ad opus Thuribuli.

Magister Cæremoniarum supra Altare Abbatis celebrantis, paramenta strata disponet, videlicet, Amictum, 5

ctum, Albam, Cingulum, Crucem pectoralem, Stolam, Tunicellam, Dalmaticam, & Casulam. Manipulum verò cum Missali in credentia asservabit, celebranti in introitu Missæ cum osculo porrigendum, & subligandum.

Canonici, vel Monachi, qui parati erunt assistendi, parent se in Sacristia, vel alio loco congruo, non autem in Presbyterio. Qui se ordine, & dignitate discreti extiterint, dignitates Pluvialia, Presbyteri Casulas, Diaconi Dalmaticas, & Subdiaconi Tunicellas induant. At si ordine, dignitateque non distinguantur, præparentur saltem quatuor, aut sex Pluvialia, quibus primi Amictu circa collum posito, & Superpelliceo induti exornentur: similiter, & paramenta pro duobus Diaconis assistentibus, & pro Diacono, & Subdiacono, qui Evangelium, Epistolamque cantabunt, pariter, & Pluviale pro Presbytero, qui primus dicitur assistens, prompta existant necesse est.

6 Circa Ordinem quo Abbas solemnia celebraturus incedere debeat, dico, quòd Magister Cæremoniarum omnibus in Ecclesia ritè, ut suprà, dispositis, & accedente hora celebrandi, Superpelliceo amictus, convocando Canonicos, sive Monachos, Chorali habitu indutos, se confert ad domicilium Abbatis celebraturi, quem ad Ecclesiam pergentem, immediatè seniores junioribus præcedendo, comitantur. Ad valvas Ecclesiæ Magister Cæremoniarum aspergillum de manu Acolythi suscipiendo tradit digniori, qui Abbati, manu deosculata, illud porrigit; ipse verò, se omnibusque aspersis, ad Altare Sanctissimi Sacramenti pergit: ubi omnibus circulariter genuflexis, Abbas in medium accedendo, illud genuflexus adorat: inde super pulvino, in genuflexorio præparato humiliter procumbens, aliquantulum orat: postea surgens iterum genuflexo, Sanctissimo Sacramento reverentiam facit; similiter, & omnes Canonici, sive Monachi surgentes, usque ad terram Sanctissimum Sacramentum venerantur, & ad Altare, ubi celebrandum erit; pulsantibus organis accedunt. Hic undique in gyrum Canonici, seu Monachi prope Presbyterium genuflectunt, Abbas autem in Faldistorio ad hoc præparato orat, & post paululum surgit, & facta Cruci profunda reverentia, ad solium se recipit, & inter assistentes assidet, quousque Canonici, sive Monachi sacris se vestibus induant.

Tunc Canonici, seu Monachi, subito ad Sacristiam, vel alium locum ad id congruum, ad se parandum accedunt, supra Rocherum, aut Superpelliceum amictu circumcincto, similiter, & Ministri Altaris, qui omnes ubi ad Abbatem pervenerint, duo qui assistebant se parant.

Inde Canonici, sive Monachi sacris induti, in gyrum ante Abbatem se disponunt, sicuti Canonici Cathedralium Episcopo assistere solent: ipsisque nudato capite assistentibus, Abbas iteratis humanitatis vicibus, se ad caput cooperiendum adstringat, cui mox cum reverentia obsequentes, caput contegant.

7 Surgens Abbas lavat manus, & sacris se vestibus induit super Rocheto, si eo uti potest, at si sit Regularis supra Superpelliceum, & Acolythis singillatim paramenta portantibus à Ministris & assistentibus paratur uti Episcopus. Medio tempore, quo induitur, à Choro cantatur Tertia, quibus peractis processionaliter versus Altare pergitur ad Missæ celebrationem, quemadmodum de Episcopo dicit ejus Cæremoniale. Quapropter conveniens erit, quòd Abbas sacra vestiat in Sacristia, vel in aliquo alio Sacello juxta Ecclesiæ ostium, similiter, & omnia in Missa celebranda observentur, quæ ab Episcopo.

8 Quapropter Orationes dicendæ dum Pontificalibus paramentis induitur, ex Missali Monastico desumptæ hic singulæ recensentur.

Ad Caligas.

Calcea Domine pedes meos in præparationem Evangelii pacis, & protege me in velamento alarum tuarum.

Cùm exuitur Cappa.

Exue me, Domine, veterem hominem cum moribus, & actibus suis; & indue me novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia, & sanctitate veritatis.

Cùm lavat manus.

Da, Domine virtutem manibus meis ad abstergendam omnem maculam immundam, ut sine pollutione mentis, & corporis valeam tibi servire.

Ad Amictum.

Pone, Domine, galeam salutis in capite meo, ad expugnandas omnes diabolicas fraudes; inimicorum omnium versutias superando.

Ad Albam.

Dealba me, Domine, & à delicto meo munda me, ut cum his, qui Stolas suas dealbaverunt in sanguine Agni, gaudiis perfruar sempiternis.

Ad Cingulum.

Præcinge me, Domine, Cingulo fidei, & virtute castitatis lumbos meos, & extingue in eis humorem libidinis, ut jugiter maneat in me vigor totius castitatis.

Cum accipit Crucem pectoralem.

Munire digneris me, Domine Jesu Christe, ab omnibus insidiis inimicorum omnium, signo sanctissimæ Crucis tuæ: ac concedere digneris mihi indigno servo tuo, ut sicut hanc Crucem Sanctorum tuorum Reliquiis refertam ante pectus meum teneo, sic semper mente retineam, & memoriam Passionis, & Sanctorum victorias Martyrum.

Ad Stolam.

Redde mihi, Domine, obsecro, Stolam immortalitatis, quàm perdidi in prævaricatione primi parentis, & quamvis indignus accedere præsumo ad tuum sacrum Mysterium cum hoc ornamento, præsta, ut in eodem in perpetuum merear lætari.

Ad Tunicellam.

Tunica jucunditatis, & indumento lætitiæ induat me Dominus.

Ad Dalmaticam.

Indue me, Domine, indumento salutis, & vestimento lætitiæ, & Dalmatica justitiæ circunda me semper.

Ad Chirothecas.

Circunda, Domine, manus meas munditia novi hominis, qui de Cælo descendit: ut quemadmodum Jacob dilectus tuus pelliculis hædorum opertis manibus paternam benedictionem, oblato patri cibo, potuque gratissimo, impetravit: sic, & oblata per manus nostras salutari hostia, gratiæ tuæ benedictionem merear. Per Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum, qui in similitudinem carnis peccati pro nobis obtulit semetipsum.

Ad Planetam.

Domine, qui dixisti, Jugum meum suave est, & onus meum leve: præsta ut illud portare sic valeam, quòd possim consequi tuam gratiam.

Ad Mitram.

Mitram, Domine, & salutis galeam impone capiti meo; ut contra antiqui hostis, omniumque inimicorum meorum insidias inoffensus evadam.

Ad Annulum cordis.

Cordis, & corporis mei, Domine, digitos virtute decora, & septiformis Spiritus sanctificatione circunda.

Ad Manipulum.

Merear, precor Domine, Manipulum portare mente flebili, ut cum exultatione portionem accipiam cum justis.

Quibus

Quibus ita peractis, quòd Chori distinguatur oporter; unus enim ordo est trium assistentium, scilicet Presbyteri cum pluviali, & duorum Diaconorum paratorum; alius est Canonicorum, seu Monachorum cum paramentis circumeirca adstantium: alius Ministrorum inferiorum, qui cum superpelliceis, in gradibus Altaris, & Sedis assistendo, aliis stantibus stant, sedentibus, & ipsi consident: alius est Canonicorum, seu Monachorum cum habitu Chorali, & consueto in Choro præsentium: alius Magnatum, Magistratuum, & Virorum Nobilium: & observandum, quòd quando assurgit unus, ceteri illius Ordinis elevantur, at ubi surgit Abbas, omnes consurgunt.

Celebrante Abbate à Canonicis, seu Monachis inter se binis confessio fit; & Dicitur: *Kyrie eleison, Gloria, Credo, Sanctus, & Agnus Dei*, & à Diacono, & Subdiacono Altari ministrantibus idem in propriis scabellis secus Altare, conficitur.

Thuriferarius ad Vesperas, Diaconus verò ad Missam duplici ductu immediatè post Abbatem (ceteris de Choro etiam, dignioribus postpositis) incensat Canonicos paratos assistentes, singulis antè, & post, reverentiam faciendo (convenienter tamen semper digniores debent assistere parati) & singillatim omnibus de Choro incensaris, incensatur Magistratus. Si casu aderit alius Prælatus, ille immediatè post Abbatem celebrantem thurificari debet.

Presbyter assistens dabit pacem digniori cujuslibet Chori Canonicorum cum paramentis assistentium: cæteris in Choro non paratis Acolythus; laicis verò instrumento deferendo per clericum.

In fine Vesperarum, vel Missæ populo solemniter benedicit, & illis, vel illa absolutis in sua sede exuit vestes; similiter, & Canonici, vel Monachi in propriis locis: Deinde facta Oratione in Faldistorio, Abbas à Canonicis, seu Monachis ordinariis vestibus indutis, usque ad suum domicilium associatur, ut supra.

10 Si petas an Abbates, & alii Prælati inferiores habentes usum Pontificalium, Baldachinum erigere possint, & secum Ministros omnes, quos in Pontificali celebratione adhibet Episcopus, habere.

Respondeo, quòd Sacra Rituum Congregatio, anno 1606. die 28. Januarii, Archiepiscopo Firmano instante, certas præscripsit regulas, secundùm quas Abbates, Priores, ac Præpositi, usum Pontificalium habentes celebrare deberent. In primis voluit, ut quando solemniter celebrant, contenti sint sua sede, quæ locata sit in cornu Evangelii in plano Presbyterii, cum duobus tantùm gradibus parvis, & sine ullo suppedaneo suggestu lapideo, vel ligneo, ac sine Baldachino desuper, sed cum Postergali tantùm ex aliquo panno, vel serico levi sine auro, coloris convenientis solemnitati quæ celebratur. Ut non habeant duos Diaconos, assistentes, quando celebrant; sed contenti sint Diacono & Subdiacono, qui in Missa cantaturi erunt Epistolam, & Evangelium, & uno Capellano cum Pluviali, qui assistat ad Librum, nec alios Ministros habeat, præter prædictos, nisi aliquos Clericos, & Ministros, cum Cottis, qui sibi de Mitra, & Baculo, & aliis necessariis ministrent, & Altari inserviant. In Altari sex tantum, & non septem candelabra existant cum totidem candelis, & sua Cruce, neque Abacus alius, præterquam parva mensa in cornu Epistolæ, super qua duo candelabra locari possint, Mitra, qua utuntur, Calix, Missale, Thuribulum cum Navicula, & alia necessaria pro actu celebrationis, atque sub Mitra, Bireto parvo nigro, & non alterius coloris omninò uti debeant. Hæc Sacra Rituum Congregatio.

Licèt verò ordinationes istæ in specie factæ fuerint contra Priorem Monasterii S. Cathari næ Ordin. Canonicorum Regularium Lateranen. Firmani, tamen cum annis subsequentibus super iisdemmet negotiis orta esset discordia inter Neapolitanum Archiepiscopum, & Abbatem S. Severini, eadem Congregatio anno 1617. die 18. Martii decretum supradictum factum contra Priorem Sanctæ Catharinæ Firman. extendit ad omnes Abbates, Priores, ac Præpositos Ordinum quorumcumque, habentes usum Mitræ. Verùm cum Casinenses Abbates apud Sacram eamdem Congregationem institissent, quòd occasione supradicti Decreti læderentur privilegia Religionis illius, petierunt, ut jura ipsorum iterum meliùs examinarentur; re diligentiùs, & maturiùs discussa, eademmet Congregatio die 12. Martii anno 1618. respondit in hac parte recedendum à supradicto Decreto ann. 1617. Ac censuit, licere eisdem Abbatibus, quando solemniter in eorum Ecclesiis celebrant, uti Baldachino coloris convenientis solemnitatibus, atque apparatu, juxta eorum antiquissimam consuetudinem; ita tamen, ut modestè cum debita convenientia, sine pompa, & auro, & tribus vicibus tantùm in quolibet anno.

Anno verò præterito, quoad rem hanc iterum orta est controversia inter Archiepiscopum Florentinum, & quosdam Abbates usum Pontificalium habentes, quæ adhuc sub Judice decidenda extat, iddò attendatur resolutio qua promulgata, Deo dante, tandem emanavit resolutio super controversia prædicta, à Sacra rituum Congregatione, à qua præscriptus fuit modus utendi Baldachino, Abbatibus Casinen. ac etiam Camaldulen. & Olivetanis, ut in decretis, quæ sequuntur apparet.

DECRETUM SACRÆ Rituum Congregationis.

Pro Abbatibus Casinensibus.

Cum aliàs de anno 1606. sub die 28. Januarii Sacra Rituum Congregatio, instante Archiepiscopo Firmano, interdixerit Priori Sanctæ Catharinæ Ordinis Canonicorum Regularium in eorum Ecclesia usum aliquorum Cæremoniarum; Et de anno 1617. sub die 18. Martii illud Decretum ad instantiam bon. memoriæ Cardinalis Carafæ Archiepiscopi Neapolitan. extenderit ad omnes Priores, & Abbates cujuscunque Ordinis, etiam Casinen. Ab hoc Decreto reclamavit Procurator generalis Casinen. & ad S. Congregationem recursum habuit, asserens suam Congregationem indefensam fuisse; Et re maturè, ac diligenter discussa, referente bon. mem. Cardinali Lancellotto, Sacra Congregatio de anno 1618. sub die 12. Martii censuit quoad usum Baldachini, & quorundam Ministrorum in aliis Decretis prohibitorum, recedendum esse à prædictis Decretis de Annis 1606. & 1617. emanatis, & licere iisdem Abbatibus, quando solemniter celebrant, uti Baldachino, & apparatu juxta eorum antiquissimam consuetudinem, ita tamen, ut modestè, cum debita convenientia, sine pompa, & auro, atque in tribus ad summum Festivitatibus quolibet anno utantur, prout in dictis Decretis latiùs continetur.

Nunc demum Archiepiscopus Florentinus ad S. Congregationem accedens, institit prohiberi Abbati Sanctæ Mariæ ejusdem Civitatis Florentiæ Ordinis Casinensium usum Baldachini, & dictorum Ministrorum, & aliarum nullarum Cæremoniarum in dedecus, & præjudicium suæ Archiepiscopalis Dignitatis vergentium; Et citato, ac interveniente P. D. Dominico Pinello ejusdem Congregationis Casinensium Procuratore generali, & Partibus sæpè, ac sæpiùs auditis, ac negotio diligenter discusso, referente Illustriss. ac Reverendiss. D. Cardinali Pio.

Eadem S. Rituum Congregatio inhærendo dicto ultimo Decreto facto de anno 1618. censuit, & declaravit, licere Abbatibus Casinensibus, quando solemniter celebrant

celebrant (quod in tribus ad Summum Festivitatibus facere eis permittitur) uti Baldachino, sine auro tamen, & pompa, & aliquibus etiam Ministris paratis sacris indumentis; Quia verò numerus horum Ministrorum in aliquibus eorum Monasteriis erat valde excessivus, vetuit, ac prohibuit, ne iidem Abbates solemniter, ut suprà, celebrantes, alios possint habere Ministros sacris indumentis paratos, quam duos Diaconos, & Presbyterum assistentes, Diaconum pro cantandis Evangelio, & Epistola, ac sex ad summum alios, duos cum Pluvialibus, duos cum Planetis, & duos cum Tunicellis coloris tempori convenientis. Quoad reliqua verò in dictis Decretis de ann. 1606. & 1617. emanatis contenta, S. Congregatio eadem Decreta confirmavit, & quatenus opus sit, innovavit, inhibens omnibus Abbatibus Casinen. ac seriò præcipiens, ut in reliquis omnibus ea ad ungvem inviolabiliter observent, eorumque dispositioni addidit, ut supradicti Abbates nullo modo debeant, nec possint habere, & tenere sedem suam Abbatialem fixam, & permanentem prope Altare, ut sedes Episcopalis retineri consuevit; minusque liceat supradictis sex Monachis paratis, ut suprà, sedere in sedibus Choralibus, ut Canonicorum secularium mos est, sed sedes pro Abbate solemniter celebrante retineatur in Ecclesia, iis tantummodo tribus diebus, quibus ipse Abbas solemniter celebrat; dictique sex Monachi parati sedere debeant loco congruo, juxta Ecclesiarum convenientem situm, super scabellis ad hunc effectum tunc appositis, panno laneo coopertis. Die 29. Januarii 1628.

Joan. Baptista Cardinalis Detus.

Loco † Sigilli.

F. Fulvius Benignus Secr.

Breve S.D.N. Urbani PP. VIII. quo confirmatur Decretum S. Congregationis Rituum super usu Baldachini, & facultate celebrandi solemniter in Pontificalibus, ad favorem Abbatum Congregationis Camaldulen. editum.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

NUper pro parte dilecti filii Desiderii Arigonii seu Baldellonii de Mantua Procuratoris generalis Congregationis Camaldulen. Nobis expositum fuit, quod aliàs à Ven. fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus sacris Ritibus præpositis emanavit decretum tenoris subsequentis, videlicet: [Eminentissimo, & Reverendissimo D. Cardinale Columna referente, instantiam P. D. Desiderii Arigonii, seu Bardellonii de Mantua Procuratoris Generalis Congregationis Camaldulen. nomine Abbatum ejusdem Congregationis, ut attenta antiqua consuetudine solemniter cum Baldachino, & assistentibus in eorum Ecclesiis celebrandi recederetur quoad eos à decretis aliàs hac de re editis in causis Firmana 28. Januarii 1606. & Neapolitana 18. Martii 1617. Sacra Rituum Congregatio censuit licere Abbatibus Congregationis Camaldulen. quando solemniter celebrant, quod in tribus tantùm, quolibet anno Festivitatibus eis facere permittitur, uti Baldachino, sine auro tamen, & pompa, cum assistentia unius Presbyteri, & duorum Diaconorum, ultra Diaconum & Subdiaconum pro cantandis Evangelio, & Epistola, ac sex aliorum ad summum Monachorum, sacris vestibus indutorum, quorum duo assistant Pluvialibus, duo cum Planetis, & duo cum Tunicellis coloris tempori convenientis, & dummodo iidem Abbates nullo modo teneant Sedem Abbatialem fixam & permanentem, ut Sedes Episcopalis retineri consuevit, sed eorum Sedes retineatur in Ecclesia his tantummodo tribus diebus per annos singulos, quibus Abbates solemniter celebraturi erunt, & dicti sex Monachi ut supra parati, non in Sedibus Choralibus, sed super scabellis sedeant in loco congruo, juxta Ecclesiæ convenientem situm ad hunc effectum tunc appositis, panno laneo coopertis dictis sacræ Congregationis decretis in causa Firmana, & Neapolitana editis, aliàs in suo robore permansuris die 21. Augusti 1632.) Cùm autem, sicut eadem expositio subjungebat, dictus exponens decretum hujusmodi Apostolicæ nostræ confirmationis robore communire summoperè desideret, Nos illum favoribus & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis communicationis, suspen. & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequen. harum serie absolventes, & absolutum fore censent. supplicationibus illius nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum Apostolica auctoritate tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes & singulos tam juris quàm facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus. Decernentes illud, necnon præsentes literas valida, firma, & efficacia existere & fore, ac ab omnibus ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari. Sicque per quoscunque Judices ordinarios & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum & inane si quid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, & quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis, cæterisque contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Anulo Piscatoris die 15. Septembris 1632. Pontificatus nostri, anno 20.

M. A. Maraldus.

S.D.N. Urbani Papæ VIII. Approbatio, & Confirmatio Decreti Sacræ Congregationis Rituum super usu Baldachini, & Assistentium.

Pro Abbatibus Congregationis Olivetanæ.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

EXponi Nobis Nuper fecit dilectus filius Silvius Favilla de Neapoli, Procurator Generalis Congregationis Monachorum Montis Oliveti, quod nuper à Venerabilibus fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus sacris Ritibus Præpositis emanavit Decretum tenoris sequentis, videlicet: [Instante Patre Don Silvio Favilla de Neapoli, Procuratore Generali Congregationis Monachorum Montis Oliveti, nomine Abbatum ejusdem Congregationis, ut, attenta antiquissima Consuetudine solemniter cum Baldachino, & Assistentibus in eorum Ecclesiis celebrandi, recederetur quoad eos à decretis aliàs hac de re editis in causis Firmana 28. Januarii 1606. & Neapolitana 18. Martii 1617. sacra Rituum Congregatio, sæpiùs audito eodem Procuratore Generali, & ratio-

nibus

nibus ab eo deductis maturè conſideratis, Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo D. Cardinali Cæſarino referente, cenſuit, & declaravit, in hac parte recedendum eſſe a dictis ſacræ Congregationis decretis: & licere Abbatibus Olivetanis ſolemniter, in tribus tantùm Anni feſtivitatibus celebrantibus uti Baldachino, ſine auro tamen, & pompa: necnon aſſiſtentia unius Presbyteri, & duorum Diaconorum, ac aliorum ſex ad ſummum Monachorum ſacris indumentis coloris ſolemnitati convenientis paratorum, ultra Diaconum, & Subdiaconum, qui in Miſſa cantaturi ſunt Evangelium, & Epiſtolam; atque ita ut idem Abbates nullo modo teneant ſedem Abbatialem fixam, & permanentem prope Altare, ut ſedes Epiſcopalis retineri conſuevit: ſed eorum ſedes retineatur in Eccleſia iis tantummodo diebus, quibus ſolemniter celebratur: & dicti ſex Monachi, ut ſuprà parati, non in ſedibus Choralibus, ſed ſuper ſcabellis ſedeant, in ſitu congruo juxta Eccleſiarum convenientem ſitum tunc appoſitis, panno laneo coopertis: dictis ſacræ Congregationis Decretis in cauſis Firmana, & Neapolitana editis aliàs in ſuo robore permanſuris. Die 17. Martii 1629.] Cùm autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, Silvius præfatus plurimùm cupiat, Decretum hujuſmodi pro firmiori illius ſubſiſtentia, inviolabilique obſervatione Apoſtolicæ noſtræ Confirmationis robore communiri: Nos ſpecialem illi gratiam facere volentes, eumque à quibusvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliisque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à Iure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harùm ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes; ſupplicationibus dicti Silvii, ejuſdem Congregationis nomine, nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinſertum hujuſmodi cum omnibus in eo contentis Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuò approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus: ac omnes, & ſingulos tam juris, quàm facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus. Decretum hujuſmodi, necnon præſentes Litteras validas, firmas, & efficacia eſſe, & fore, ſuosque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, atque ita per quoscunque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere: ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus, & declaramus: Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem quòd præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ eisdem præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die 4. Aprilis 1629. Pontificatus noſtri anno 6.

M. A. Maraldus.

Locus † Annuli Piſcatorii.

Eadem forma utendi Baldachino præſcripta fuit Abbatibus noſtræ Congregationis Vallis Umbroſæ 31. Maji 1629. Ac etiam Cæleſtinis 30. Junii ejusdem anni 1629. Et nuper de anno 1633 emanavit aliud Decretum ejusdem Sacræ Rituum Congregationis, in quo præſcribitur Canonicis Regularibus Lateranen. eadem forma utendi Baldachino in hunc qui ſequitur modum.

DECRETUM SACRÆ Rituum Congregationis.

Pro Canonicis Regularibus Lateranenſibus ſolemniter in Pontificali cum Baldachino celebrantibus.

Referente Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo D. Cardinali Cæſarino petitionem R. P. D. Marci Antonii Gentilis de Bononia, Abbatis Monaſterii B. Mariæ de Pace, & totius Congregationis Canonicorum Regularium Lateranenſium Procuratoris Generalis, circa uſum Baldachini pro Prælatis ſuæ Congregationis habentibus uſum mitræ, & baculi, quando ſolemniter celebrant in eorum propriis Eccleſiis: Sacra Rituum Congregatio cenſuit, licere Prælatis Congregationis Canonicorum Regularium Lateranenſium habentibus uſum mitræ, & baculi, quando ſolemniter celebratur, uti Pontificalibus cum Baldachino, & numero Miniſtrorum inſervientium hoc modo, & forma, ut in tribus ad ſummum anni Feſtivitatibus in poſterum ſolemniter celebrare poſſint in Pontificalibus, cum Baldachino, ſine auro tamen, & pompa, nec alios poſſint habere Miniſtros ſacris indumentis paratos, quam duos Diaconos, & Presbyterum aſſiſtentes, ultra Diaconum, & Subdiaconum pro cantandis Evangelio, & Epiſtola; ac ſex alios Canonicos propriæ Congregationis, nempe duos cum Pluvialibus, duos cum Planetis, & duos cum Tunicellis, coloris tempori convenientis: Item, quod non poſſint iidem Prælati ullo modo tenere Sedem Abbatialem fixam, & permanentem prope Altare, ut Sedes Epiſcopalis retineri ſolet; Minusque liceat dictis ſex Canonicis, ut ſuprà paratis, ſedere in ſedibus Choralibus, ut ſecularium Canonicorum mos eſt, ſed ſedes pro Prælatis ſolemniter celebrantibus retineatur in Eccleſia, iis tantummodo diebus, quibus ipſi Prælati ſolemniter celebrant; Dictique ſex Canonici ut ſuprà parati, ſedere debeant loco congruo, juxta Eccleſiarum convenientem ſitum ſuper ſcabellis ad hunc effectum tunc appoſitis, panno laneo coopertis. Die 15. Januarii 1633.

C. Epiſcopus Portuen. Card. Pius.

Locus † Sigilli.

Julius Roſpiglioſus Secret.

QUÆSITUM IX.

An Abbates, & alii Prælati inferiores habentes uſum Pontificalium, utantur Pontificali Romano, & Cæremoniali Epiſcoporum.

SUMMARIUM.

1 *Abbates, & alii Prælati inferiores habentes uſum Pontificalium debent uti Pontificali Romano, & Cæremoniali Epiſcoporum.*

2 *Pontificalia Abbatibus conceſſa ſunt ad decorem Eccleſiarum ſuarum.*

3 *Pontificale Romanum, & Cæremoniale Epiſcoporum reformavit Clemens VIII.*

Ex his, quæ hactenus dicta ſunt, & inferiùs dicentur, ſatis reſoluta remanet propoſita dubitatio; ideo dicendum eſt, Abbates, & alios Prælatos inferiores, Pontificalium uſum habentes, debere uti Pontificali Rom. & Cæremoniali: ita affirmat Andreas Piſc. *in ſua eruditiſſima Praxi Cæremon. lib. 1. ſect. 9. num. 2.* quod etiam elicitur ex D. Victorino Totino Camaldulenſi *in ſuo Cæremon. rationali Eccleſiaſtico*, ſæpè, & præſertim *lib. 1. cap. 5. 6. 7. & ſeqq.* quibus locis Abbates ad Cæremoniale, & Pontificale ſemper remittit.

Probatur etiam in Missali Monastico auctoritate Pauli V. recognito, in rubricis pluribus in locis; & præsertim *in rubrica de ingressu Sacerdotis ad Altare num. 6.* in illis verbis: *In Missa Pontificali omnia serventur, ut in Pontificali, & Ceremoniali Romano ordinatur, cujus Pontificalis Ordinem Episcopus, sive Abbas ut supra, numquam prætermittat.*

2 Confirmatur evidentissima ratione, nam ex eo, quòd Summi Pontifices Abbatibus Pontificalia concesserunt ad decorem Ecclesiarum suarum; Abbas *in cap. inter Monasterium in fin. de re jud. cap. ut Apostolica, de privil. in 6.* debebant etiam modum, & ritum eisdem Abbatibus, circa hujusmodi Pontificalia præscribere, ut de facto concesserunt: cùm plurima Cæremonialia ante tempora Clementis VIII. circumferrentur, quibus postea Cæremonialibus ab eodem Clemente VIII. abolitis, & prohibitis propter rationabiles causas, sicut habetur in ejus Bulla, sub Datum Romæ apud Sanctum Petrum, die 10. Februarii 1596. Pontificatus sui 5. Novum Pontificale ab eodem restitutum est, atque editum pro omnibus, & singulis usum Pontificalium habentibus, & cæteroquin sacris utentibus, ut his præcipuè verbis ejusdem Bullæ legimus.

Ut autem ipsius operis labor finem eum, ob quem est susceptus, sortiatur, utque posthac in omnibus, & singulis Ecclesiis uno eodemque modo cæremoniæ, & ritus Pontificales observentur: Motu proprio, & ex certa Nostra scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, omnia, & singula Pontificalia in hunc usque diem in quibuscunque terrarum Orbis partibus impressa, & approbata, & quibusvis privilegiis Apostolicis munita, & decretis, ac clausulis roborata, per præsentes supprimimus, & abolemus, eorumque usum in posterum universis Ecclesiis, Monasteriis, Conventibus, Militiis, Ordinibus, & locis, atque etiam omnibus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, & aliis Ecclesiarum Prælatis, cæterisque omnibus, & singulis personis Ecclesiasticis, secularibus, & Regularibus utriusque sexus interdicimus, & prohibemus, & hoc Nostrum Pontificale sic restitutum, & reformatum in omnibus universi terrarum Orbis Ecclesiis, Monasteriis, Ordinibus, & locis, etiam exemptis si quæ sunt, recipi, & observari præcipimus. Statuentes Pontificale prædictum nullo unquam tempore in toto, vel in parte mutandum, vel ei aliquid addendum, aut omnino detrahendum esse: ac quoscunque, qui Pontificalia munera exercere, vel aliàs, quæ in dicto Pontificali continentur facere, aut exequi debent, ad ea peragenda, & præstanda, ex hujus Pontificalis præscripto, & ratione teneri; neminemque ex iis, quibus ea exercendi, & faciendi munus impositum est, nisi formulis, quæ hoc ipso Pontificali continentur, servatis, satisfacere posse. Omnibus igitur, & singulis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, & cæteris Ecclesiarum Prælatis, necnon aliis quibuscunque personis Ecclesiasticis, secularibus, & Regularibus utriusque sexus, ad quas id spectat, præcipimus, & mandamus, ut omissis, quæ sic suppressimus, & abolevimus, cæteris omnibus Pontificalibus, hoc nostrum in suis Ecclesiis, Monasteriis, Conventibus, Ordinibus, Militiis, Diœcesibus, & locis prædictis recipiant, illoque posthac perpetuò utantur; cæterum, &c.

Confirmatur ex alia Constitutione Clementis VIII. postmodum edita, quæ incipit: *Cùm novissimè*, sub Datum Romæ apud Sanctum Petrum die 14. Julii anno 1600. Pontificatus sui 9. ubi manifestè idem Summus Pontifex præcipit cæremonias, & alios ritus Ecclesiasticos ab eo determinatos, non solùm ab Episcopis, verùm etiam ab aliis Prælatis inferioribus observari debere.

In qua Bulla advertendum est, nequaquam prohiberi, & aboleri alia Cæremonialia antiqua dummodò præfato Cæremoniali Episcoporum sint conformia.

DISPUTATIO XXII.

De usu, & exercitio Pontificalium Abbatum, & Prælatorum inferiorum quoad Benedictionis munus exercendum.

Quæst. I. *An Abbas possit Ecclesiastica ornamenta benedicere.*
II. *An Abbas possit alienarum Ecclesiarum ornamenta benedicere.*
III. *An Abbas possit Corporalia benedicere.*
IV. *Qualia debeant esse ornamenta, & paramenta Ecclesiastica, & Abbatibus benedicenda.*
V. *An Abbates possint benedicere Cruces, & sacras Imagines, Libros, Arma, & Vexilla bellica.*
VI. *An Abbas possit Moniales benedicere.*
VII. *Utrum Abbas possit Diaconissas benedicere.*
IX. *Utrum Abbates, & Prælati Regulares primarium lapidem, in Ecclesiæ fundatione ponendum, Pontificali more benedicere possint.*

QUÆSITUM I.

An Abbas possit Ecclesiastica ornamenta benedicere.

SUMMARIUM.

1 *Benedictio sacrarum vestium, & Ecclesiasticorum ornamentorum est Ordinis, non jurisdictionis.*
2 *Potest à Summo Pontifice hac benedictio committi simplici Sacerdoti.*
3 *Abbates possunt ex consuetudine vestes sacras, ac Pallas Altaris benedicere.*
4 *Consuetudo jus divinum mutare nequit.*
5 *An benedictio sacrarum vestium possit ex consuetudine acquiri à simplici Sacerdote.*
6 *Abbates seculares, qui Pontificalibus utuntur, possunt benedicere ornamenta Ecclesiarum.*
7 *Potestas benedicendi vestes sacras, & alia Ecclesiastica ornamenta, extenditur ad Priores, & Vicarios Abbatum.*
8 *Abbas habens usum Pontificalium intelligitur ornamenta Ecclesiastica posse benedicere.*

Missis benedictionibus, quæ etiam simplicibus Sacerdotibus de jure communi concessæ sunt, ut aquæ, aut panis, de quibus in Missali Romano; cùm supponamus Abbates esse Sacerdotes, ac per consequens posse quidquid licet simplicibus Sacerdotibus; agemus in præsenti Disputatione de jure ipsorum Abbatum, & Prælatorum quoad alia sacramenta, ut sunt benedictio sacrarum vestium, & similium.

Ut

1 Ut autem ordinatè procedamus, explicandum proponimus in hoc primo Quæsito, utrùm n possint Ecclesiastica ornamenta suarum Abbatiarum benedicere.

Hæc autem benedictio jure ordinario Episcopis consecratis tantùm competit, cùm sit Ordinis, non autem jurisdictionis; quia in ea servatur certa forma, & solemnitas verborum ad rem aliquam divino cultui sacrandam, ab Ecclesia tradita: potestas autem exercendi ea quæ sunt Ordinis, consistit in certa forma verborum, per Ecclesiam tradita, Panormit. *in cap. aqua de consecrat. Eccles.* Sylvest. *verb. benedictio, num.* 3.

2 Nihilominùs potest à Summo Pontifice committi simplici Presbytero; quia cum sit immediatè ab Ecclesia instituta, per ejusdem supremam potestatem ejus minister designari potest.

Unde ajunt communiter Doctores *in cap. Abbatis de privileg. in 6. & in Clem. attendentes de stat. Monach.* magnam in hoc vim habere posse consuetudinem, ad tradendam hujusmodi potestatem; quia hæc potestas conferri potest per extrinsecum privilegium.

3 Propterea asserunt communiter, quòd Abbatibus ex consuetudine licet sacras vestes, & Pallas Altaris benedicere, idem Sylvest. *dict. verb. benedictio, numer.* 5. Suarez. *de Relig. tom.* 4. *tract.* 8 *lib.* 2. *cap.* 30. *num.* 2. quamvis enim ea, quæ conveniunt Episcopis ratione suæ consecrationis ex jure divino, (ut Chrisma conficere, & similia non possint consuetudine acquiri, *cap. quanto, de consuetud.* quia consuetudo jus divi-
4 num mutare nequit; tamen (ut diximus) alia, quæ ipsis Episcopis competunt, & reservantur ex Ecclesiæ institutione (ut benedictio ornamentorum Ecclesiasticorum, de qua agimus) possunt per consuetudinem acquiri à simplici Sacerdote, ut bene notat,
5 Suar. *d. cap.* 30. *num.* 4. sed de hac re *in* 2. *Quæsit. hujus Disp.*

Hæc autem consuetudo potiùs est signum concessionis à Summo Pontifice super hoc eis factæ, quàm, quòd per eam hujusmodi potestas tribuatur, cùm nullum sit expressum jus in quo dicatur, illam posse consuetudine acquiri.

Unde potiùs videtur fundari in privilegiis anteà ipsis Abbatibus concessis.

6 Idem videtur dicendum de Abbatibus secularibus, qui Pontificalibus Insigniis utuntur; potest enim eis non ex jure communi, sed ex consuetudine, vel privilegio Ecclesiæ, ornamentorum benedictio competere, sicut de Regularibus jam diximus per multa privilegia, quæ habetur *in Compendio privilegiorum, verb. benedictio.*

7 Notandum quòd hæc potestas, non solùm Abbatibus concessa est est, verùm etiam extenditur ad Priores, & Vicarios ipsorum Abbatum, per privilegium concessum Congregationi S. Justinæ ab Innocent. VIII. anno Domini 1487.

Qui concessit Prioribus d. Ordinis, & Vicariis in absentia Prioris, & cuilibet habenti principale regimen cujuscunque Monasterii, posse benedicere Corporalia, vestimenta, cæteraque ornamenta Ecclesiastica, ad cultum divinum pertinentia, tam sui Monasterii, quàm etiam undecunque sint;

Ita refertur *in lib. privileg. dictæ Congregationis, folio* 132.

8 Novissimè S. Rituum Congregatio multis Abbatibus concessit privilegia, ut possint ornamenta, & paramenta Ecclesiastica benedicere, anno enim 1610. die 12. Junii concessit Abbati de Murbach Principi Imperii nullius Diœcesis, & Sedi Apostolicæ immediatè subjecto eandem facultatem pro sua Ecclesia, dummodo in illis benedictionibus unctio non adhibeatur. Et anno 1606. die 18. Novembris Abbati sancti Petri de Monte Theolen. diœcesis dedit facultatem ornamenta sacerdotalia benedicendi pro servitio Monasteriorum sibi subjectorum cum eadem clausula restrictiva. Et anno 1610. die 9. Octobris concessit Abbati Bredlenien. Polonien. diœc. facultatem benedicendi paramenta Ecclesiastica pro usu Ecclesiarum Parochialium suæ Abbatiæ. Ita refert D. Meus Barbosa *de jure Ecclesiastico, lib.* 1. *cap.* 17. *num.* 62. ubi fatetur se credere non esse necessarium in specie Abbatibus concedendam esse facultatem benedicendi paramenta Ecclesiastica, sed sufficere in genere concessionem à Sede Apostolica emanantem pro exercitio Pontificalium; proferebat *ex declaratione quadam S. Congregationis Conc. Trid. supr. decretum sess.* 23. *cap.* 10. per hæc verba ejusdem Congreg. *Abbas qui est benedictus, vel qui ex privilegio Sedis Apostolicæ habet, ut Pontificalia exercere possit ac si esset benedictus, potest omnia sacra benedicere; illis exceptis in quibus unctio requiritur*, ut refert Suar. *de Relig. tom.* 4. *tract.* 8. *lib.* 2. *cap.* 30. *num.* 2.

QUÆSITUM II.

An Abbas possit alienarum Ecclesiarum ornamenta benedicere.

SUMMARIUM.

1 *Abbates benedicere possunt ornamenta, tam suarum Ecclesiarum, quam undecunque ad se venientia.*

2 *Decretum Sacræ Congregationis Rituum prohibentis Abbatibus benedicere ornamenta Ecclesiarum non sibi subjectarum, recensetur.*

3 *Sacerdotes simplices non possunt benedicere proprias vestes, & ornamenta.*

4 *Episcopus an possit potestatem benedicendi ornamenta Ecclesiastica, simplici Sacerdoti delegare.*

PRima sententia est Gemin. *in cap. Abbati, de privileg. in 6.* quem refert Sylvest. *verb. benedictio, num.* 5. *dicentis*, Abbates solummodò sui Monasterii paramenta benedicere posse. Contrarium tamen est ve- 1
rius, & in praxi ita observatur; quia Abbates de consuetudine paramenta non tantùm suarum Ecclesiarum, verum etiam undecunque ad se venientia, benedicere possunt, ut testatur Sylvest. ubi suprà *n.* 3. & hanc esse multorum opinionem tenent Mirand. *in Man. Prælat. tom.* 1. *quæst.* 40. *art.* 3. & Cæsarub. *in addit. ad Compend. privileg. Mendic.* & Roder. *quæst. Reg. tom.* 1. *q.* 19. *art.* 2.

Præterea id hodie non est in controversia ponendum, clarè enim patet ex privilegiis, Monachalibus Congregationibus elargitis, & præcipuè ex privilegio Innocentii VIII. Congregationi Casinensi, alias S. Justinæ de Padua, concesso: ubi dicitur, quòd possint Abbates dictæ Congregationis benedicere Corporalia, vestimenta, cæteraque ornamenta Ecclesiastica, tam sui monasterii, quam etiam undecunque sint.

Item idem Innocentius VIII. concessit aliud privilegium Cisterciensibus, ut Generalis, & quatuor præcipui Abbates possint Pallas Altaris, & omnia ornamenta Ecclesiastica benedicere.

Ex quibus infertur, quod hujusmodi potestas non limitatur ad ornamenta tantùm suorum Monasteriorum, sed ampliatur ad omnia ornamenta Ecclesiastica, undequaque venientia. Qua quidem circumscri- 2
pta consuetudine credo procedere decretum Sacræ Rituum Congregationis die 24. August. 1609. quo cavetur, Abbates, & alios Prælatos Regulares non posse benedicere paramenta Ecclesiarum, non sibi subjectarum, ut refert Bartholom. Gavant. *in Comment. Rub. Miss. & Brev. tom.* 1. *part.* 4. *titul.* 19. *de Rubr. Benedic. num.* 22. Ubi pariter affirmat ex sententia Navarri *consil.* 2. *de consecrat. Eccles.* Sacerdotes simplices non posse benedicere proprias vestes. Ex quibus resolvendum est cum Sylvestro *loc. cit. num.* 3. &

Emanuel Roderiq. *cit. quæst.* 19. *art.* 2. & Mirand. *in d. Manual, q.* 4. *art.* 3. ubi viget consuetudo posse Abbates usum Pontificalium habentes benedicere ornamenta Ecclesiastica undequaque ad se venientia.

4 Si quæras an Episcopus possit hanc facultatem simplici Sacerdoti delegare. Respondent Tabien. *verb. Abbas num.* 12. & Ugolin. *de Episcop. cap.* 22. *num.* 5. negativè: immo sacra Rituum Congregatio sæpè requisita ab Episcopis, & à S. R. E. Cardinalibus, ob justas causas in Ecclesiis propriis non residentibus, pro facultate delegandi, eam concessit, aliquando limitando personas in dignitate constituras 14. Novembris 1615. aliquando tempus ad 6. menses 14. Martii 1616. & sæpius tandem sine limitatione 2. Maji 1619. & deinceps aliis eodem modo: ita refert idem Bartholom. Gavant. *loc. cit. num.* 23.

QUÆSITUM III.

An Abbas possit Corporalia benedicere.

SUMMARIUM.

1 *Corporalium benedictio de jure communi ad Episcopum spectat.*

2 *Abbates possunt Corporalia, tam de suo Ordine, quàm si aliunde ad eos deferantur, benedicere, &* num. 3.

4 *Experientia est rerum magistra.*

1 CORporalium quoque benedictio, jure communi attento, Abbatibus interdicta est, per *can. consulto. de consecrat. dist.* 1. ubi statuitur, ut Missæ sacrificium conficiatur in Corporali lineo, ab Episcopo consecrato.

Unde Angel. *verb. benedictio num.* 2. ait, se dubitare de hujusmodi benedictione Corporalium, quæ licèt sit verbalis, Episcopis tantùm reservata videtur, *ex d. cap. consultò*, tamen posse per consuetudinem Abbatibus competere, eo quia Episcopis, potiùs ratione dignitatis, quàm ordinis, reservata est. Et Sylvest. *verb. benedictio, num.* 5. ait, Abbates hujusmodi benedictionem præscribere posse, cum sine unctione fiat.

2 Verùm dicendum est, potestatem benedicendi Corporalia, absque controversia, eis competere hodie, non modò ex præscriptione, sed etiam ex quamplurimis privilegiis à Sede Apostolica eis partim directè, & specialiter, partem indirectè, & per communicationem concessis. Utrumque habetur, ex privilegio Innocentii VIII. Joanni Abbati Cisterciensi, ac aliis quatuor Coabbatibus concesso anno 1489. 5. Idus Aprilis, Pontificatus sui anno 5.

Prima pars, quoad consuetudinem, probatur ex illis verbis:

☞ Licèt Abbates prædecessores à tanto tempore citra, cujus contrarii hominum memoria non extitit, præmissa omnia, seu majorem partem facere consueverint.

Per quæ verba testatur Papa, id ex immemoriali consuetudine antea dd. Abbates facere potuisse.

Secunda pars, scilicet, quod hoc eis liceat ex privilegio, patet ex eodem indultu Innocentii VIII. his verbis:

☞ Tibi, & successoribus tuis, ac dictis Abbatibus aliorum quatuor Monasteriorum prædictorum nunc, & pro tempore existentibus, ut de cætero perpetuis futuris temporibus prædicta, & quæcunque alia vestimenta, ac ornamenta Ecclesiastica (Corporalibus, &c.
3 comprehensis) in locis, & domibus d. Ordinis benedicere, tam de ordine, quàm si ad vos aliunde nonnunquam deferantur, liberè, ac licitè possitis, ac possint, auctoritate Apostolica, & ex certa scientia, tenore præsentium; de specialis dono gratiæ indulgemus.

Quòd privilegium non communicatum est omnibus Abbatibus, tam Monachalibus, quam aliarum Congregationum, & adhuc durat, estque in viridi observantia: nec dici potest, quod non fuerit usu receptum,
cùm contrarium doceat experientia, quæ est optima 4
rerum magistra.

QUÆSITUM IV.

Qualia debeant esse ornamenta, & paramenta Ecclesiastica, quæ ab Abbatibus benedicenda sunt.

SUMMARIUM.

1 *Vestes sacræ benedictionem amittunt, & iterum benedicendæ sunt, quando ita franguntur, ut ad usum, ad quem destinatæ fuerant, ampliùs aptæ non sint.*

2 *Quid sit faciendum, quando hujusmodi vestes ex vetustate eò deductæ sunt, ut divinis usibus ampliùs inservire nequeant.*

3 *Vestium sacrarum significationes, vide remissivè.*

4 *Corporale, quid sit, & ex qua materia confici debeat.*

5 *Amictus*
6 *Alba*
7 *Cingulum*
8 *Stola*
9 *Planeta*
10 *Corporale*
11 *Conopæum*
12 *Mappa*
13 *Pluviale*
14 *Superpellicæum*
15 *Dalmatica*
16 *Tunicella*

} *Quomodo, & qualiter fieri debeat ostenditur.*

VEstes sacræ benedictionem amittunt, & iterum 1
benedicendæ sunt, quando ita scinduntur, aut franguntur, ut ampliùs ad usum ad quem destinatæ fuerant, aptæ non sint, aut ampliùs priorem figuram non retineant; aliàs formam benedictionis non amittunt; etiamsi aliqua pars, quæ benedicta non est, unà cum filo prophano non benedicto assumatur, Angel. *verb. benedictio, num.* 3. Armill. *verb. benedicere, n.* 3. Azor. *instit. Moral. part.* 1. *lib.* 10. *cap.* 28. *quæst.* 9. Unde Stola facta de Planeta benedicta debet iterum benedici; quia est mutata forma quæ dabat esse rei; ac datur ad ipsam Stolam particularis benedictio, alia à benedictione, quæ data erat Planetæ; Ita Ugol. *de potest. Episc. cap.* 32. §. 1. *n.* 6. D. Barbos. *de offic. & potestat. Episc. part.* 2. *alleg.* 27. *n.* 45. subdentes, quòd si tales vestes breviores fiant, dummodò formam non mutent, nova benedictione non indigent. Si autem ex Stola Manipulus fiat, non erit iterum benedicendus; nam harum vestium benedictiones non differunt, & longitudo, & brevitas vestis formam non mutat, si vestis apta sit ad eos usus, ad quos benedicta est; Ita Angel. *d. n.* 3. Sylvest. *verb. benedictio q.* 6. Azor. *d. q.* 9. *vers. dubitabis, an Casula.*

Si autem eò ex vetustate deductæ sint, ut ampliùs 2
divinis usibus inservire nequeant, igne erunt comburendæ; quia non licet ea, quæ in sacrario fuerint, malè tractari, sed incendio universa tradantur; cineres quoque eorum in Baptisterium inferantur, ubi nullus transitum habeat, aut in pariete aut in fossis pavimentorum jactentur, ne introeuntium pedibus inquinentur; ita habetur *can. Altaris, de consecr. dist.* 1.

Quid autem singulæ hæ vestes significent, videatur 3
Grass. *part.* 1. *dec. aur. lib.* 2. *c.* 41. Suar. *tom.* 3. *in part. disp.* 82. *sect.* 2. & 3. Bonac. *de Sacram. disp.* 8. *quæst. unic. punct.* 5. *n.* 43. *cum seqq.* Azor. *d. cap.* 38. *q.* 8. *cum seqq.*

Corporale autem est pannum, in quo Sacrum Chri- 4
sti Corpus reponitur, dum Missæ sacrum conficitur: & dictum est Corporale; quia in eo reponitur, & connectitur Corpus Domini: inde enim nomen accepit, quasi Corporis Christi in altari indumentum; & ideo

esse debet de syndone munda, & de lino puro è terra procreato, atque contexto, non autem ex serico, purpura, aut alio panno, vel intincta tela, *can. consulto omnium, de consecr. dist. 1.* quia refert syndonem illam mundam, qua Christi Corpus involutum, in monumento conditum fuit, Azor. *d. c. 38. q. 8.* formam autem illius vide *inf. num. 10.*

5 Amictus è tenui tela fit, longitudine cubitorum circiter duorum, latitudine autem sesquicubitali, in duobus ejus angulis anterioribus assuantur funiculi commodè longi, ut revocari ante pectus queant, & cum iis fieri modus possit. In medio Crux acu pingatur, unicarum duarum, longè ab extremitate digitis duobus, in parte superiori. Extremitates illius, præterquàm ex ea parte, qua collum ambiunt, aliquo modesto opere ornari possunt.

6 Alba è tela linea fit, longè producta cubitos quatuor, latè sexdecim, ac populo ampliùs circumquaque pateat, manicas habeat longitudine sesquicubitali, hoc est, cubito cum dimidio, latitudine ab humeris penè cubitali, quæ usque ad manus sensim angustiùs ducantur: in summa veste, & in extremis manicis aliquid dumtaxat fit acu paululum, ac tenuiter elaboratum: nimius enim labor in his ornandis, vanitatem sapit, & levitatem.

7 Cingulum ex candido lino, vel cannabi tenui conficiatur, longitudine cubitorum circiter septem: capita ejusdem globulis ejusdem materiæ inserantur, filamentorum manipulis appensis, quos floccos dicunt.

Manipulus tres Cruces habere debet, & chordulas ad ligandum solidiores.

8 Stola cum Planeta colore simul, & materia congruat, longè cubitis circiter sex, ita ut producatur infrà genua, latè autem unciis sex pateat; frangiæ unciarum trium sint; & Cruces tres in eadem Stola ponantur, una nimirum in medio, aliæ verò in partibus extremis; & unaquæque Crux sit formæ quadratæ; Stolæ Sacerdotali nihil appendatur; Diaconali autem ab utraque parte media, duo funiculi cum flocculis laciniatis connectantur.

9 Planeta more Romano (nam Ambrosiano eam describunt Acta Mediolanen. Ecclesiæ) latè pateat cubitos circiter duos, longè tres: fascia quæ vel assui solet, vel distingui in ipsamet planeta, ut columnæ speciem à tergo, & Crucis ante pectus effingat, lata erit unciis octo ad minimum. Funiculi addantur, sint linea serica in ea parte, qua pectus tegitur, ita oblongæ, ut reduci possint ante pectus, ad firmandam Planetam, ne defluat à tergo.

10 Corporale è tela linea, & candida sit, ut dictum est supra *num. 4.* ac simplex item: ab oris autem acus opere simplici, punctum solum retortum sit: longè autem uncias triginta ad minus pateat latè totidem ità verò complicatum, ut nulla ejus extremitas appareat; Crux acu pingi potest anteriori parte.

Purificatorium è tela, neque tenui, neque crassa nimis, & simplici fit acus opere confectum: latitudine unciarum circiter octodecim ad minimum; longitudine totidem, nec verò minùs, in medio Crux parvula acu pingatur.

11 Conopæum Tabernaculi majoris Sanctissimæ Eucharistiæ, è materia nobiliori, vel alba semper, vel juxtà colorem varium festorum à summa parte crispatum, in fimbriis non angustè, sed longè latiùs respondeat, & totum Tabernaculum tegat. In extremis oris habeat de more ornatum laciniarum decore contextarum.

12 Mappæ altaris superiores è lino seu cannabi, ea sint longitudine, ut ab utroque Altaris latere profundius tribus digitis, quàm planum Bradellæ, demissæ sint; nullæ ab ulla parte bombacio-cærulei, alteriusve coloris elaboratæ sint: latitudine verò totam Altaris mensam contegant. Inferiores Mappæ totam saltem mensam cooperiant.

Mappæ pro communione adhibendæ, non supra scamna, seu Cancellos (horum enim longitudinem æquabunt) longè pareant cubitos tres, latè circiter duos: capita earum exornari poterunt.

Crux in Altari collocanda, imaginem Crucifixi habeat, & præalta emineat candelabris, binc inde positis.

Pluviale ad imos usque talos protenditur, longitudine cubitorum trium, & unciarum circiter sex consstans, & pro semicirculi ratione latè patens: à parte anteriori à summo ad extremum, hinc, & inde auriphrygio decoratur: à posteriore parte caputium habeat ornatu auriphrygiato, qui anteriori respondeat: laciniæ verò, hoc est, frangiæ, Romano ritu, latiores esse debent circum caputium, breviores in oris Pluvialis extremis. Fibula anteriori connecti debet Pluviale, additis binis, seu ternis unciis, majoribus. Globuli laciniati pendentes à caputio non sunt amplius in usu Romani Clerici secularis. 13

Superpelliceum è tela potiùs tenui, manicis ita oblongis, ut crispatæ, usque ad digitos summos pertingant; quæ esse possunt cubitis circiter duobus vel circa; latè autem patentibus in orbem circiter cubitis quatuor: in ipso ore potiùs forma sit rotunda, quàm quadrata: à pectore nullo modo scissum, aut dissectum; longè ducatur infrà genua, ferè ad media crura, latè pateat ab extremis oris in ambitum cubitis circiter tredecim, ab humeris circiter octo; à nulla parte neque nimis affectatum, & artificiosi operis elegantia elaboratum; ab humeris præsertim non speciosa artificii ornatu. 14

Dalmatica non recisis manicis, sed ad manum usque protensis, iisdemque latè patentibus conficiatur; longa esse potest cubitis duobus, & unciis sexdecim; lata verò ab humeris cubito uno, & unciis circiter quatuor; ab extremis oris undique patens cubitis circiter quinque. 15

Tunicella Subdiaconalis similis sit Dalmaticæ Diaconali, de qua suprà; excepto, quòd angustiores debet habere manicas. 16

QUÆSITUM V.

An Abbates possint benedicere Cruces, & sacras Imagines, Libros, Arma, & Vexilla bellica.

SUMMARIUM.

1 *Abbates possunt benedicere Cruces.*
2 *Abbates possunt benedicere Imagines, Libros, Arma, & Vexila bellica.*
3 *Benedictiones aliqua particulares personis particularibus conceduntur.*

Quod spectat ad Cruces, dicendum est, posse Abbates ex speciali privilegio eas benedicere, ut probatur ex quodam privilegio vivæ vocis oraculo, à Julio II. Abbati S. Æmiliani de la Cogolla concesso, quod refertur *in nova collect. Bullar.* Roderic. *Bulla 25. d. Pontific.* ubi inter alia ipse summus Pontifex concessit prædicto Abbati, ut possit Cruces benedicere. 1

Idem probatur ex alio privilegio Pauli III. qui Priori Vallisoletani, in Abbatialem dignitatem evecto, concessit amplum privilegium exercendi Pontificalia, non solùm ea, quæ hucusque in superioribus Quæsitis dicta sunt; sed quamplura alia suo loco ponenda, in quo privilegio particulariter Crucium benedictionem ei concedit; quod habetur apud Renar. Choppin. *in Monast. lib. 1. tit. 2. num. 18.*

Ex quo pariter habetur, posse prædictum Abbatem, ac alios cum eo communicantes, non solum Cruces, sed etiam imagines, & libros benedicere; ibi enim hæc præcisa verba apponuntur, *Nec non vestes, indumenta,* 2

menta, ornamenta, & paramenta Ecclesiastica, etiam Sacerdotalia, Libros, Imagines, Cruces, &c. benedicere. Quò verò ad Arma, & Vexilla, & alia similia, sentiendum est à fortiori, posse ab Abbate benedici, ut Romæ de anno 1625. dum Pontificiæ militiæ ibi commorarentur, observari vidi, & inter plura Vexilla, & Arma, quæ ab Abbatibus benedicta fuere, Vexillum Excellentissimi D. Ferdinandi Ursini coram ingenti militum, & populi multitudine solemniter benedixit in Ecclesia S. Praxedis de Urbe, Reverendiss. P. D. Horarius Morandius ejusdem Ecclesiæ Abbas; nec abs re, seu otiosè factum fuisse credendum est, cùm hoc Abbatibus per viam communicationis licere colligatur ex privilegio concesso Abbati Sanctissimæ Trinitatis Caven. Ordinis Sancti Patris Benedicti ab Urbano II. anno 1092. 18. Kalend. Octobris, ubi concessit prædicto Abbati, & successoribus canonicè promovendis, quòd omnia Pontificalia exercere valeant, quæ Episcopi in suis Diœcesibus facere possunt *Sacrorum Ordinum collatione, Basilicarum, & Altarium consecratione, ac Chrismatis confectione, dumtaxat exceptis*; & aliàs, ut in dicto privilegio, quòd refertur à Roderic. *in nov. collect. privileg. Apost. pro Regular. Bulla unic. ad. Pontificis.* Advertendum est aliquas Benedictiones particulares personis particularibus dumtaxat competere ex speciali Sedis Apostolicæ privilegio, ut v. g. Benedictio Corrigiæ Sanctæ Monicæ, & paniculorum S. Nicolai de Tolentino per hoc Decretum.

DECRETUM

Illustrissimorum, & Reverendissimorum Dominorum Cardinalium Negotiis Episcoporum, & Regularium præpositorum, pro Benedictione Corrigiæ S. Monicæ, & Paniculorum S. Nicolai de Tolentino, à Superioribus Ordinis tantùm facienda.

Illustrissimi, & Reverendissimi Domini.

PRocurator Generalis Ordinis Eremitarum S. Augustini supplicat humiliter declarari, benedictionem & distributionem Corrigiæ S. Monicæ, nec non Paniculorum S. Nicolai de Tolentino, Confraternitatibus Laicorum, etiamsi devotionis, & non pro consequendis Indulgentiis, causa fiant, sed ad Ordinis præfati superiores dumtaxat pertinere, juxta Decretum aliàs editum, tenoris sequentis.

[Conquerente apud S. C. Cardinalium negotiis Episcoporum, & Regularium præpositorum, Ordinis Eremitarum S. Augustini, Procuratore Generali, quasdam Confraternitates Corrigiatas Sanctæ Monicæ eandem Corrigiam, nec non Paniculos S. Nicolai de Tolentino, pro Indulgentiis, à Summis Pontificibus concessis, consequendis, absque ejusdem Ordinis Superiorum licentia, benedicendi, ac distribuendi facultatem sibi arrogare: Illustrissimi præfatæ Sacr. Congreg. Patres, benedictionem, & distributionem hujusmodi ad præfati Ordinis Superiores dumtaxat spectare, & pertinere, confraternitatibus verò, ne in præmisis se ingerant, inhibendum esse consueverunt. Romæ 30. Sept. 1622.]

Sacra Congregatio Cardinalium negotiis Regularium præposita censuit, benedictionem, ac distributionem in præinserto Decreto enunciatas ad prædicti Ordinis Superiores duntaxat pertinere, etiamsi easdem, vel aliquam earum fieri contigerit devotionis causa, non autem pro indulgentiis consequendis, ac propterea etiam hoc casu esse inhibendum Confraternitatibus, ne in præmissis quoquomodo se ingerant. Romæ die 16. Julii 1627.

L. Card. S. Sixti.

Locus † Sigilli.

P. Faganus Secr.

QUÆSITUM VI.

An Abbas possit Moniales benedicere.

SUMMARIUM.

1 *Monialium benedictio de jure solis Episcopis competit:*
2 *Abbates benedicere possunt Moniales, in quas Ordinariam jurisdictionem habent. Et hoc ex privilegio, non autem ex vi eorum muneris, & jurisdictionis.*
3 *An possint hanc benedictionem simplici Sacerdoti demandare.*

VIdetur dicendum, quòd non. Nam Monialium benedictio de jure solis Episcopis competere videtur, ex textu *in can. perlectis 25. dist. & can. quamvis 68. distinct.* notant Sbroz. *de Vicar. Episcop. lib. 2. quæst. 8. num. 1.* Azor. *Instit. Moral. part. 1. lib. 12. quæst. 6.* D. Augustin. Barbos. *de offic. & potestat. Episcopi part. 2. alleg. 27. n. 51.* Ugolin. *in simili tract. c. 31. §. 1. num. 1.* qui dicunt, ad Episcopum spectare, Moniales benedicere, seu velare. Quæ sententia potest pluribus rationibus probari. 1

Primò: nam Reginæ temporales quando Regi, vel Magno Principi matrimonio copulantur, solent ab aliquo Magno Sacerdote præcipua aliqua dignitate nimirum Cardinalitia, Patriarchali, aut saltem Episcopali insignito, benedici; ergo à fortiori Moniales, quæ Summo Regum Regi Deo desponsantur. Secundò probatur ex Concil. Carthaginen. relato *in can. si jubet 26. quæst. 6.* ubi interdicitur simplici Presbytero Virginum consecratio, seu benedictio; & hæc potestas in solo Episcopo ibi supponitur, & *in can. devotionis, 20. quæst. 1.* quod communiter ad hoc allegatur per Doctores, ut patet ex D. Thom. *in 4. dist. 38. q. 1. art. 5.* Palud. *ibi quæst. 5. art. 3.* & D. Anton. *3. p. tit. 2. cap. 2.* Sylvest. *verbo, consecratio Virginum quæst. 2. num. 3.* & communem omnium sententiam testatur Suarez *de Relig. tom. 4. tract. 9. lib. 1. cap. 11. n. 12.* Rationem assignat D. Thom. *loc. cit.* quia hæc consecratio est spiritualis quædam desponsatio cum Christo, per quam repræsentatur desponsatio ipsius Christi cum Ecclesia, quoad illius incorruptionem: ideò solus Episcopus cui Ecclesiæ cura committitur, Virgines desponsat, velando non sibi, sed Christo, quasi sponsi paranymphus.

Contrarium pluribus probare nititur Benedict. Bomact. *in suo libello de consecr. Virg. cap. 4.* ubi post multas rationes, per quas Episcopo benedictionem Monialium competere ex officio asserit, docet non solùm Abbates, sed etiam Priores, Archipresbyteros & Præpositos posse Moniales, in quas jurisdictionem Episcopalem habent, benedicere: quia hoc munus ad jurisdictionis, non Ordinis potestatem spectat; & hoc probat experientia, quæ multis in locis, quasi ab immemorabili tempore introducta est, ut Abbates, Præpositi, vel Archipresbyteri Monialibus, in quas potestatem jurisdictionis exercent, benedictionis munus impendant. An autem hæc potestas eis competat ex privilegio, sive ex consuetudine, mihi incertum est; tamen consuetudo jam à multo tempore introducta, neganda non est, quæ ex privilegio, vel aliunde orta esse potest; ideo dicendum est Abbates habentes jurisdictionem in Moniales, posse illas benedicere, & velare, quod ferè idem est, ut idem Bendd. Bomact. *loc. cit.* & hoc probat experientia rerum magistra: Nam Camaldulen. Abbates Moniales sibi subditas velant, & consecraat; & hujus functionis antiquitùs in tali Religione introductæ, usque in hodiernum diem observatæ, testis est B. Ambrosius Camaldulensium Abbas Generalis *in quadam sua Epistola manuscript.* Idem dicendum est de Abbatibus nostræ Congregationis, qui in pacifica possessione benedicendi Moniales sibi 2

sub-

subditas, hactenùs persticerunt, & persistunt: quòd autem hæc potestas ipsis ex vi jurisdictionis proveniat, non satis probo; hæc namque consecratio est actus Ordinis Episcopalis, & non tantùm jurisdictionis, quia consistit in quadam forma per Ecclesiam tradita, tum etiam, quia in Pontificali Romano semper supponitur Episcopus tanquam ordinarius hujus consecrationis Minister; unde Abbates, ac cæteri Episcopo inferiores Prælati, licèt jurisdictione Episcopali potiantur, hujusmodi actum exercere non possunt: quòd si aliqui Abbates, & Prælati hanc potestatem obtineant, ac tales consecrationes efficiant, ad id eis ex speciali Sedis Apostolicæ privilegio concessum fuisse oportet, sicut nonnullis Abbatibus datum esse testatur Suar. *d. c.11.n.12. vers.fin.* consuetudo verò non erit causa hujus potestatis, sed erit signum concessionis à Summis Pontificibus factæ circa talem facultatem.

Infert ex hoc prædictus Benedictus Bomactheus, quòd cùm Abbates, & alii regulares Prælati, & Præpositi, Archipresbyteri, & alii exempti, ex vi sui muneris possint benedicere Moniales, in quas Ordinariam jurisdictionem habent, poterunt consequenter hujusmodi benedictionem simplicibus Sacerdotibus delegare, videatur *loc. cit. cap.* 5. quæ illatio ea supradictis nullo modo subsistit, ut patet.

QUÆSITUM VII.

Utrùm Abbas possit Diaconissas ordinare.

SUMMARIUM.

1 *Diaconissæ officium quid sit, & an hodie sit in usu.*
2 *Diaconissas an Abbates ordinare possint.*

1 Officium Diaconissæ olim adipiscebatur per specialem benedictionem, ex qua tribuebatur potestas incipiendi horas in Choro, ac legendi Homilias vel Evangelium ad Matutinas, quod aliis non licebat: & hæc Diaconissa non poterat ante annos quadraginta ordinari, ut habetur ea gloss. junct. text. *in cap. Diaconissam 27. quæst.* 1. hodie verò prædicta ordinatio Diaconissarum non est amplius in usu, nec expectatur supradicta ætas, nec datur eis velum distinctum, sed omnes Virgines eodem die, quo recipiunt consecrationem, ad Officium Diaconissatus ordinantur; juxta formam in Pontificali Romano præscriptam; idque constat ex usu, & testatur Benedict. Bomact. *de mod. consecr. Virg. c.3. num.3. in fin. & cap.18. etiam in fin.*

2 Igitur sicut Abbates possunt Virgines consecrare, possunt eas etiam ad illud officium ordinare: est enim eadem cæremonia, & fit eodem actu, quo fit Virginum consecratio. Objicies ex *cap.* 1. 15 *quæst.* 3. ubi habetur, quòd mulieres non solùm ad Sacerdotium, sed nec etiam ad Diaconatum provehi possunt; ergo Moniales non possunt Diaconissæ ordinari. Respondeo *in d. cap.* 1. loqui de Diaconatu, per quod imprimitur character, & tribuitur facultas legendi Evangelium in Missa, & salutandi Populum, solita salutatione, *Dominus vobiscum.* Diaconatus autem, de quo in præsenti est sermo, non comprehenditur inter sacros Ordines, nec per eum character imprimitur, nec nisi facultatem Homilias, & Evangelia ad Matutinas legendi, & horas Canonicas inchoandi, tribuit, ut inquit gloss. *in d. cap. Diaconissam, & in can. Sanctimoniales 23. dist.*

QUÆSITUM VIII.

An Abbas possit Abbatissas benedicere.

SUMMARIUM.

1 *An Abbatissæ benedici debeant.*
2 *Abbatissas sibi subjectas potest Abbas benedicere.*
3 *Abbatissæ temporales an sint benedicendæ.*
4 *Electa, & confirmata in Abbatissam debet benedici; si hujusmodi benedictionis eo in loco usus vigeat.*
5 *Abbatissæ benedicendæ, vel non benedicendæ sunt, ex consuetudine, spatio 40. annorum introducta.*
6 *Abbatissa, quæ convenit benedici, si infra annum à die suæ confirmationis, munus benedictionis non susceperit, à suo jure cadit.*
7 *Electa, & confirmata in Abbatissam, ante benedictionem nuncupatur Abbatissa.*
8 *Abbatissæ benedictio qualibet die fieri potest.*
9 *Abbatissæ benedictio non potest iterari.*
10 *Monialis corrupta in Abbatissam electa non potest benedici.*
11 *Abbatissa quomodo benedicenda.*

Pro majori intelligentia hujus quæsiti videndum est prius, an Abbatissa egeat benedictione: nam frustrà quæreretur à quo possit benedici, nisi cognoscatur, an egeat benedictione. Ad quam difficultatem respondetur, quòd *in Clem. attendentes de stat. Monach.* habetur, *ut quævis ad regimen Abbatiarum assumptæ, in Monasteriis, in quibus Abbatissæ sunt solitæ benedici, intra annum, à suæ confirmationis tempore computandum, munus benedictionis suscipiant, alioquin à jure suo, nisi subsit causa rationabilis, prorsùs se noverint cecidisse.* Ex quibus infertur, quòd ubi non adest consuetudo, Abbatissæ non sunt benedicendæ; hæc autem consuetudo, ut advertit gloss. *in d. Clem. §. statuimus, verb. solitæ*, poterit cognosci: nam si constet, quòd per quadraginta annos sit continuata benedictio, Abbatissa eget benedictione. Si autem per spatium ejusdem temporis contrarium patere poterit, non erit benedicenda: si autem intra idem tempus constabit aliquas fuisse benedictas, aliquas verò non, liberum erit Abbatissis benedictionem suscipere, vel non suscipere; Ita Azor. *inst. moral. part.* 1. *lib.*13. *cap.* 10. *quæst.* 4. His igitur præcognitis, *ex eadem Clementina* quæsiti explicatio elicietur: in ea enim dicitur, benedictionem Abbatissæ spectare ad eos, quibus de jure communi, vel speciali eorum confirmatio competit. Confirmare autem Abbatissas, si exemptæ sint, & Sedi Apostolicæ immediatè subjectæ, ad Romanum Pontificem, vel ad alium ab eo delegatum, pertinebit: si non sint exemptæ, sed sub Episcopi jurisdictione, & potestate, ab Episcopo erunt confirmandæ; si erunt exemptæ, sed Monachorum Abbati subjectæ, ab ipso Abbate confirmationem accipient. Ita Azor. *loc. cit. quæst.* 3. 1

Ex his ergo sequitur, quòd Abbatissæ exemptæ, & Abbatibus subjectæ, quæ per consuetudinem solitæ sunt benedictionem accipere, ab eisdem Abbatibus erunt benedicendæ, Nec obstat, quòd D. August. Barbos. *de offic. & potest. Episcop. part.2. alleg.27. num.* 51. & alii dicant, ad Episcopum spectare benedictionem Abbatissarum; quoniam respondetur esse intelligendum de Abbatissis non exemptis, quæ sub Episcopi potestate, & jurisdictione sunt positæ; non autem de aliis; aliter enim frustra essent exemptæ. Insuper hoc habetur ex privilegio expresso Innocentii VIII. ac etiam ex alio privilegio Clementis etiam VIII. quæ retulimus *in Disputatione de benedictione Abbatis.* 2

Est autem advertendum, quod Abbatissæ temporales, illæ nempe, quæ non nisi ad triennium eliguntur, ea Constitutione Gregorii XIII. de anno 1583. Kal. Januarii, non sunt de jure benedicendæ, nisi Apostolica Sedes aliud expresè decernat, vel servet contrarium. Navarr. *cons.* 4. *de Regular. in antiq. & consil.*2. *de stat. Monach. in novis*, Stephan. Quaranta *in Summa Bullar. verb. Abbatissa, in fin.* & alii, quos refert, & sequitur D. August. Barbos. *de offic. & potest. Episc. part.*2. *alleg.* 27. *num.* 59. 3

Electa igitur, & confirmata Abbatissa, debet benedici, si hujusmodi benedictionis eo in loco usus vigeat, 4

geat, quia ut ait Vital. *ſuper Clem. attendentes, §. ſtatuimus, de ſtat. Monach.* Abbatiſſa non eſt benedicenda, niſi hoc Monaſterii conſuetudo requirat; inſpiciendus ergo erit mos Conventus, & Monaſterii, & ſi tali more ſervato per annos quadraginta, pateat Abbatiſſas fuiſſe ſolitas benedici, utique benedicenda erit, etiam ſi priùs contrarium ſervatum fuerit, gloſſ. *in d. Clem. attendentes, de ſtat. Monach.* Azor. *inſtitut. moral. part. 1. lib. 13. c. 10. q. 4.* Navarr. *conſ. 2. An Abbatiſſa num. 1. de ſtat. Monach.*

5 Ex quo inferas Abbatiſſas benedicendas, vel non benedicendas eſſe ex conſuetudine, ſpatio quadraginta annorum introducta, gloſſ. & Card. *in d. Clem. attendentes.*

6 Quòd ſi Abbatiſſa, quæ ex vi conſuetudinis ſui Monaſterii conſuevit benedici, infra annum à die ſuæ confirmationis munus benedictionis non ſuſceperit, à ſuo jure prorsùs ſe noverit cecidiſſe, *Clement. attendentes, §. ſtatuimus, de ſtat. Monach.* excuſatur tamen propter infirmitatem; ſi Diœceſanum ſæpius requiſierit; ſi vacat Sedes; ſi poſſeſſionem non habuit; ſi per eam non ſtetit, gloſſ. & Card. *in d. Clem. attendentes, verbo, rationabilis, de ſtat. Monach.*

7 Petes, an electa, & confirmata Abbatiſſa, ante benedictionem poſſit nomine Abbatiſſæ nuncupari. Reſpondeo affirmativè. Gemin. *in cap. indemnitatibus, §. ſanè num. 4. de elect.* Joan. de Anan. *cap. meminimus num. 5. de accuſat.*

8 Si petas iterum, quo die talis benedictio fieri poſſit. Reſpondeo, qualibet die, gloſſ. *in d. Clem. attendentes, §. ſtatuimus, verbo benedici*, ubi Vital. *num. 6. de ſtat. Monach.* affirmat à ſolo Presbytero conferri poſſe prædictam benedictionem.

9 Dices: poteſtne iterari talis benedictio Abbatiſſæ? Reſpondeo cum gloſſ. & Card. *in d. Clem. attendentes* nequaquam, quia benedictio illa eſt quaſi Sacramentum, & ad inſtar benedictionis nuptiarum, *cap. 1. & 3.*
10 *de ſecund. nupt.* Et ideo ita reſolvunt Navarr. *d. conſ. 2. de ſtat. Monach.* Azor. *d. lib. 13. c. 10. ſub q. 4.* Ludovic. Mirand. *in tract. de Sacr. Monial. q. 7. art. 7. concl. unic. verſ. ſecundò probatur.*

11 Si ergo contingat Abbatiſſam eſſe benedicendam, advertendum eſt, duos antiquitus fuiſſe modos, & ritus, eaſdem Abbatiſſas benedicendi; juxta duo genera Abbatiſſarum, quòd aliæ ſunt Abbatiſſæ Canonicam vitam profitentes: aliæ verò Monaſticam; juxta quæ genera Abbatiſſarum prædicti modi, & ritus benedicendi; vide apud D. Michaëlem Leonicum *in ſpeculo ſacrorum Cæremoniarum, verbo Abbatiſſa, §. benedictio Abbatiſſa*, & in Pontificali Romano, novus Ritus per Clem. VIII. inſtitutus, in tali functione, ſi fieri contingat, deſumatur.

QUÆSITUM IX.

Vtrùm Abbates, & Prælati Regulares primarium lapidem in Eccleſia fundatione ponendum, Pontificali more benedicere poſſint.

SUMMARIUM.

1 *Eccleſia, priusquam conſtruatur, fundamenti locus deſignandus eſt, & ubi Altare erigitur, Crux lignea eſt erigenda.*

2 *Lapidem primarium in Eccleſia fundatione ponere ſpectat ad poteſtatem Ordinis.*

3 *Abbates non poſſunt jure Ordinario, ſed privilegio, vel conſuetudine talem actum exercere.*

ANtequam Eccleſia aliqua conſtruatur, fundamenti locus, & atrium Prælati judicio deſignari debet, & pridie lignea Crux in loco, ubi Altare erigendum eſt, figi debet; ſequenti die primarius lapis, cui impreſſa ſit Crux, in fundamento ponendus eſt, *can. nemo Eccleſiam, de conſecrat. diſt. 1.* 1

Hic autem actus abſque dubio eſt poteſtatis Ordinis; quia à nemine, qui ſaltem non ſit Sacerdos, exerceri poteſt, ut patet ex Pontificali, *rub. de benedictione, & impoſitione prim. lapid. pro Eccleſ. ædificand.* Tum quia in eo ſervatur certa forma, & ſolemnitas ab Eccleſia tradita, ut conſtat ex Pontificali *loc. cit.* quod eſt ſignum aliquod, ſpectare ad poteſtatem Ordinis, ut ait Panormitan. *in cap. aqua de conſecrat. Eccleſ. vel Altar.* 2

Non poſſunt Abbates jure ordinario hanc benedictionem præſtare, niſi eis id concedatur ex privilegio, vel conſuetudine, quæ ſit ſignum conceſſionis à Superiore factæ. Hujusmodi privilegium conceſſum fuit Abbati Sancti Spiritus de Sulmona Generali totius Ordinis Cæleſtinorum à Cæleſtino V. ejus Congregationis inſtitutore, quod refertur in alio privilegio ab Eugenio IV. eidem Congregationi conceſſo, ſupradictum confirmante, anno Domini 1434. 5. Kalend. Novemb. Pontific. ſui anno 4. in hæc verba: 3

Liceat quoque (Pater Abbas) tibi, tuisque ſucceſſoribus inter Fratres ejusdem Ordinis, & aliis ad Miſſas veſtras convenientibus, benedictionem ſolemnem facere, dummodo, &c. ac vaſa, & alia paramenta ad cultum divinum pertinentia, nec non in ædificandis Capellis, Eccleſiis, aut Hoſpitalibus Primum lapidem, & fundamenta Pontificali more benedicere auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus.

Quam conceſſionem refert Roderic. *in nova collect. Bullar. Apoſtolic. pro Regular. Bulla 18. ejusd. Pontif.* & hujusmodi uſus benedicendi lapides in ædificandis Capellis, Eccleſiis, aut aliis ſacris domibus, (de quarum ædificatione in 3. Tom.) inter Abbates præcipuè Regulares, maximè viget.

DISPVTATIO XXIII.

De uſu, & exercitio Pontificalium Abbatum, & aliorum Prælatorum inferiorum quoad munus conſecrationis præſtandum.

Quæſ. I. *An Abbas poſſit benedicere ea, in quibus intervenit Sacra Vnctio.*

II. *An Abbates poſſint conſecrare Calices, Patenas, Pixides & alia ſimilia Vaſa Eccleſiaſtica.*

III. *Qualia eſſe debeant Calix, & Patena, & alia Eccleſiaſtica Vaſa ab Abbate conſecranda, & quando cenſeantur amittere conſecrationem, ita ut iterum conſecranda ſint.*

IV. *An Abbas poſſit conſecrare Altaria, & lapides deſervientes ipſis Altaribus.*

V. *Vtrùm Abbas poſſit Altaria portatilia ad uſum aliarum Eccleſiarum, & piorum locorum, non ſolùm propriæ Congregationis, verùm etiam aliarum Eccleſiarum, & locorum non ſibi ſubjectorum, benedicere & conſecrare.*

VI. *An aliquid animadvertendum ſit ab Abbatibus circa Altarium conſecrationem.*

VII. *An*

QUÆSITUM I.

An Abbas poſsit benedicere ea, in quibus intervenit ſacra Unctio.

SUMMARIUM.

1 *Abbates per vias, & Civitates, & coram Epiſcopo, non poſſunt populo benedicere.*
2 *Conſecratio eſt Ordinis Epiſcopalis, non juriſdictionis.*
3 *Abbates nonnullas res, in quibus intervenit ſacra Unctio benedicere poſſunt.*
4 *Conſecrandi poteſtas Abbatibus competere poteſt, tam ex privilegio, quàm ex conſuetudine approbata à ſummo Pontifice.*
5 *Decretum memorabile pro benedictionibus in quibus intervenit ſacra Unctio.*

1 Cum ſuperiùs probatum ſit *in Diſp. 21. Quæſ. 7. & 8.* Abbates poſſe ſolemniter populo benedicere, dicendum reſtat (antequam ad benedictionem, in qua intervenit Unctio, deveniamus) Abbates non benedicere populo, regulariter loquendo, niſi id eis Apoſtolicæ Sedis privilegio ſpecialiter concedatur, Vital. *in Clem. Archiep. num 8. de privil.* & *in cap. Abbates de privil. in 6.* Benedictio enim ſolemnis ſimplici Sacerdoti non competit, *cap. Eccleſ. 95. diſt.* Exceptis S.R.E. Cardinalibus, qui ex antiquiſſima conſuetudine ſolemniter benedicere poſſunt, & conſequenter dicimus, quòd Abbates de jure communi nullam habent facultatem benedicendi ſolemniter, niſi id eis ab Apoſtolica Sede concedatur, vel ex longa conſuetudine hujuſmodi benedictionis munus acquiſierint, Card. *in Clem. 2. §. ſtatuimus de ſtatu Monach.* licèt Gemin. *d. cap. Abbates,* teneat contrarium; ſed loquitur ibi (ut opinor) de benedictione tantùm, quæ datur publicè per vias, & per Civitates, & Caſtra.

Benedictio ergo hujuſmodi per vias, & Civitates, & Caſtra, fieri non poteſt ab Abbate, niſi hoc ei expreſſo Sedis Apoſtolicæ privilegio concedatur, *ex d. cap. Abbates, de privileg. in 6.* & non poteſt acquiri talis benedictio ex conſuetudine, ut teſtatur Gemin *in d. c. Abbates, n. 5.* Unde privilegium conceſſum ſimpliciter Abbatibus ſolemniter benedicendi, debet reſtringi ad proprias Eccleſias, ſibi ſubjectas, *ex c. de Monachis, de exceſſ. Prælat. in 6.* & gloſſ. *in d. c. Abbates.* Præterea Sacra Rituum Congregatio *in una nullius Provinciæ Burgen. anno* 1609. *die* 24. *Auguſti,* declaravit, quòd licet Abbas habeat uſum Mitræ, & Baculi, & ſolemniter populo benedicere poſſit; privatam tamen benedictionem, more Epiſcoporum, per vias minimè dare poſſit.

Abbates coram Epiſcopo non poſſunt benedictionem ſolemniter elargiri, *c. cùm miniſter, 29. q. 6. c. denique 21. diſt.* gloſſ. *in d. cap. Abbates.* Ideò Sacra Rituum Congregatio anno 1604. ad inſtantiam Epiſcopi Eugubin. declaravit, poſſe Abbatem Monaſterii S. Petri de Eugubin. ſolemniter quidem celebrare, & in Pontificalibus populo benedicere, ſed non in præſentia Epiſcopi.

Eadem facultas benedicendi ſolemniter populo, non ſolet concedi à Sede Apoſtolica, niſi Abbatibus habentibus uſum Mitræ, & aliorum Pontificalium, Specul. *de privil. verſ. non eſt etiam, & verſ. ſequenti.* Ideò Sacra Rituum Congregatio *in una Conſtantien. anno* 1604. *die* 20. *Martii,* Abbati qui uſum Baculi habebat, etiam Mitræ uſum conceſſit, cum facultate benedicendi ſolemniter: quaſi non poſſet eidem Abbati facultas ſolemniter benedicendi concedi, niſi priùs Pontificalium uſus concederetur. His additis

Eſt multorum Doctorum ſententia, non licere Abbatibus conſecrationem ullam efficere, in qua Unctio Chriſmatis requiritur.

Ratio eorum eſt, quia talis conſecratio eſt Ordinis Epiſcopalis, non juriſdictionis. At ea, quæ ſunt Ordinis Epiſcopalis, non poſſunt aliis competere, etiam ex conſuetudine, vel præſcriptione, ut tenent Gemin. Franc. Anchar. & gl. *in c. Abbates, de privileg. in 6.* 2
Idem etiam videtur prohiberi per Sacram Congregationem Cardinalium, in quodam reſponſo ſuper Concil. Trident. *ſeſſ. 23. c. 10.* quæ ſic ait: *Abbas, qui eſt benedictus, vel qui ex privilegio Sedis Apoſtolicæ habet, ut Pontificalia exercere poſſit, ac ſi eſſet benedictus, poteſt omnia ſacra benedicere, illis exceptis, in quibus Unctio requiritur,* ut refert Suar. *de Relig. tom. 4. tract. 8. lib. 2. c. 30. n. 2.*

His tamen non obſtantibus, aſſerendum eſt Abbates, qui utuntur Epiſcopalibus Inſigniis nonnullas conſecrationes (in quibus Unctionis Chriſma neceſſarium eſt) efficere poſſe; quia hoc illis ex privilegiis Sedis Apoſtolicæ conceditur, ut patebit ex conceſſionibus Summorum Pontificum inferiùs citandis. 3

Nec obſtat, quòd hujuſmodi conſecratio ſit Ordinis Epiſcopalis, & propterea non poſſit aliis competere, etiam præſcriptione, vel conſuetudine, ut dicunt Gemin. & alii *ſuprà alleg.* (ut ipſimet ajunt) poteſt Abbatibus convenire ex privilegio Romani Pontificis. 4
Ultra quod nonnulli tenent, quòd poſſet etiam eis competere ex conſuetudine; quando talis conſuetudo, vel eſt jure communi approbata, vel Summi Pontificis tacito conſenſu permiſſa, Azor. *inſtitut. moral. part. 2. lib. 8. c. 7. q. 2.* allegans Card. *in Clem. attendentes, §. ſtatuimus, de ſtat. Monach.*

Eſſet quidem magni momenti ſupradicta reſponſio Sacræ Congregationis illuſtriſſimorum Cardinalium, contra noſtram Concluſionem, niſi eadem Sacra Congregatio poſtea declaraſſet, non impediri eoſdem Abbates, qui ſpecialibus ad id Summorum Pontificum privilegiis gaudent, uti poſſe, ex Decreto ejuſdem Sacræ Congregationis Illuſtriſſimorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, in favorem Monachorum Caſinenſium emanato, cujus tenor eſt. 5

DE-

DECRETUM.

Sacræ Congregationis Illustrissimorum, ac RR. DD. S. R. E. Cardinalium, Sacrosancti Tridentini Concilii Interpretum.

Ad favorem Monachorum Casinensium, super Pontificalibus.

ILlustrissime, & Reverendissime Domine, fel. rec. Urbanus Papa II. privilegium concessit Abbati Sacri Monasterii Sanctissimæ Trinitatis Caven. Ordinis Sancti Benedicti quòd per Terras, & Castra sua Ecclesias cum Cruce signare, & omnia alia Pontificalia exercere posset, quæ Episcopi in suis Diœcesi facere possunt (sacrorum Ordinum collatione, Basilicarum, & Altarium consecratione, ac Chrismatis confectione dumtaxat exceptis) & aliàs ut in dicto privilegio, sub datum Salerni 18. Kalend. Octobris, anno 1092.

Eugenius Papa IV. ejus Motu proprio, sub datum Florentiæ, anno Incarnationis 1442. 7. Kal. Junii, inter alia, facultatem dedit Abbati Monasterii, Sancti Pauli celebrandi Missas cum Mitra, & Anulo, Sandaliis, Tunica, Dalmatica, & conferendi Ordines Minores suis Monachis, & benedicendi indumenta, quæ ad usum Altaris ejusdem Monasterii requirerentur.

Alexander VI. ejus Motu proprio sub Datum Romæ, anno Incarnationis Dominicæ 1501. Kalend. April. confirmat omnia privilegia dictæ Congregationis, & cuilibet Monasterio illius, per Summos Pontifices concessa, & cujuslibet particularis Monasterii privilegia toti Congregationi, & ejus particularibus Monasteriis communia esse, & ad illa extendi debere voluit, & extendit.

De anno 1565. die 6. Jun. felic. record. Pius Papa IV. eidem Congregationi, ut singuli illius Abbates pro tempore existentes, Baculo pastorali, & Mitra Pontificali in Ecclesiis Monasteriorum, (in quibus pro tempore deputabuntur) uti, ac benedictionem Pontificalem, post Divina Officia Christi fidelibus inibi existentibus elargiri, quoscunque lapides marmoreos, & porphyricos, aut alios ad usum Altarium portatilium aptos, pro usu quorumcunque utriusque sexus dictæ Congregationis Monasteriorum, Prioratuum, Ecclesiarum, & aliorum piorum locorum, super quibus ad Altaria intra claustra eorumdem Monasteriorum, & Prioratuum, seu septa Ecclesiarum, & piorum locorum hujusmodi dumtaxat, Missæ celebrari possint, consecrare, & benedicere, Ordinariorum locorum licentia desuper minimè requisita, liberè, & licitè valeant, plenam, & liberam licentiam, & facultatem, Apostolica auctoritate concessit.

Et semper Abbates Congregationis hujusmodi, liberè Mitra, & Baculo pastorali usi fuerunt, Calices, Altaria in quibus unctio requiritur, paramente, Lapides consecrarunt, & benedixerunt, Minores Ordines suis subditis contulerunt, & alia Pontificalia exercuerunt, & in tali possessione semper extiterunt, & de præsenti sunt, vigore supradictorum, & aliorum privilegiorum.

Modò à nonnullis nimis scrupulosis viris dubitari contigit, an Abbates prædicti consecrationem, & benedictionem supradictam facere, & Pontificalia exercere possint, sub prætextu assertæ resolutionis hujus Sacræ Congregationis declaran. quòd Abbates benedicti non se ingerant in benedictionibus, in quibus unctio requiritur.

Ad tollen. omnem difficultatem Procurator Generalis dictæ Congregationis humiliter supplicat DD. VV. Illustrissimis, & Reverendissimis, quatenus dignentur declarare ipsis Abbatibus, stantibus dictis privilegiis confirmatis, & approbatis, quorum Summarium datur, ac de novo concessis successivis temporibus, etiam à Clemente VIII. fel. record. facultatem prædictam benedicendi, consecrandi, Baculum, & Mitram deferendi, & alia Pontificalia exercen. competiisse, & competere, non obstan. supradicto decreto, quod quidem non comprehendit Abbates Casinen. ut supra privilegiatos; sed tantùm Abbates seculares benedictos, qui non gaudent istis privilegiis, sed tantùm habent, quod illis jus commune concedit, &c.

Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, declaravit decisionem à se aliàs editam, quòd Abbates utcunque benedicti, benedicere non possunt ea, in quibus unctio requiritur, non obstare quominus iidem munus prædictæ benedictionis, quoad ea, in quibus unctio requiritur, impendere queant, si specialibus Sedis Apostolicæ privilegiis, quibus idem Concilium nequaquam derogat, muniti fuerint. Datum die decimo Septembris, 1614.

P. Cardinalis Arigon.

Hoc decretum supradictum novissimè relatum fuit à Domino meo August. Barb. *de jur. Eccl. lib. 1. cap. 17. num. 64.* ubi opinioni meæ adhærens dicit, quod absque speciali privilegio Abbates non poterunt consecrare Calices, Patenas, Pixides, & alia similia vasa Ecclesiastica, nec non Altaria, & Lapides deservientes ipsis Altaribus, & Campanas, ac omnia alia, in quarum consecratione requiritur unctio Chrismatis: nam dicit ipse Barb. *videmus aliquibus Abbatibus specialia privilegia ad hæc, vel eorum aliqua consecranda per summos Pontifices concessa*, quæ refert Tamburinus *de jur. Abbat. tom. 1. disput. 23. quæst. 2. usque ad 24.*

QUÆSITUM II.

An Abbates possint consecrare Calices, Patenas, Pixides, & alia similia Vasa Ecclesiastica.

SUMMARIUM.

1 *Privilegia, quibus concessum est, ut Abbates possint Calices, Patenas, Pixides, & alia similia Vasa Ecclesiastica consecrare, recensentur.*

2 *Abbates communicantes in privilegiis consecrandi Calices, Patenas, & alia Vasa Ecclesiastica, possunt consecrare prædictos Calices, & Patenas, & eadem Vasa.*

3 *Abbates Regulares non benedicti gaudent iisdem privilegiis, quibus fruuntur Abbates benedicti.*

VIsum est, non prohiberi Abbates Regulares habentes jus exercendi Pontificalia, & jurisdictionem Episcopalem, seu quasi, efficere consecrationem, in qua Sacra Chrismatis unctio intervenire debet: si id ex specialibus Sedis Apostolicæ privilegiis obtineant. Nunc videndum est, utrùm hujusmodi privilegiis gaudeant, & consequenter an possint consecrare Calices, Patenas, Pixides, & alia similia Vasa Ecclesiastica, in quorum consecratione requiritur unctio Chrismatis. Cui dubitationi satisfacimus dicendo, quòd 1
Urbanus II. concessit privilegium Abbati Sacri Monasterii Sanctissimæ Trinitatis Caven. Ordinis S. Benedicti, quòd posset per Terras, & Castra sua Ecclesias ædificandi, cum Cruce signare, & omnia alia Pontificalia exercere, quæ Episcopi in suis Diœcesibus facere possunt, (Sacrorum Ordinum collatione, Basilicarum, & Altarium consecratione, ac Chrismatis confectione, dumtaxat exceptis) & aliàs, ut in dicto privilegio, sub Datum Salerni 18. Kal. Octobris, anno 1092. quod à Roderico, sed mendosum, refertur in *novo Collect. Bullar. Apostolicarum pro Regularibus, Bulla unica* dicti Pontificis, & Paulus III. Pontifex Maximus, anno Domini 1539. 13. Maji, concessit Abbati Vallisolarium in Gallia, & ejus successoribus, ut Mitra,

Mitra, Anulo, Baculo pastorali, & quibusvis aliis Pontificalibus Insigniis uti, nec non vestes, indumenta, & paramenta Ecclesiastica, etiam Sacerdotalia, Libros, Imagines, Cruces, Campanas, Calices, Vasa, & Tabernacula quæcunque prædicti erecti Monasterii, ac Prioratuum, & Membrorum, & Ecclesiarum illi subjectarum, ac Altaria illorum benedicere, liberè, & licitè valeant; ut habetur apud Renatum Chopp. *in Monast. lib.2. tit.2. num.18.*

Item Innocentius VIII. privilegio concesso, anno Dominicæ Incarnationis 1489. ad petitionem Joannis Abbatis Cistercii concessit illi, & quatuor aliis Coab-
2 baribus tunc, & pro tempore existentibus, ut de cætero perpetuis futuris temporibus, quæcunque vestimenta, ac ornamenta Ecclesiastica, Corporalia, Vasculaque ad reponendam Sacram Eucharistiam, in locis, & domibus dicti Ordinis benedicere, & Calices consecrare, tam de dicto Ordine, quàm si ad eos aliunde nonnunquam deferantur, valeant, & possint; ex-tat in *libro privileg. dicti Ordinis Cisterc.* quod refertur etiam à Roder. *in nova Collect. Bullar. Apost. pro Regular. Bull.* 5. dicti Pontificis, & à Ludovico Miranda *in Manual. Prælat. tom.2. q 40. art* 4. ubi advertit, quòd eodem privilegio non possunt frui aliæ Religiones, etiam communicationis privilegium obtinentes: adducens hanc rationem; quia ipsi Abbates sunt benedicti, & in suis Abbatiis, & Monasteriis habent jurisdictionem quasi Episcopalem, quod (ut ipse dicit) non procedit de Abbatibus Congregationum Monasticarum habentibus communicationem privilegiorum; quod videtur falsum; quia in ipsis militat eadem ratio, ut per ea, quæ in *Disp.*17. per totam, manifestissimè constat; habent enim jurisdictionem quasi Episcopalem in suos subditos, licèt non sint benedicti; quia gaudent eisdem privilegiis, ac si benedicerentur, ut diximus latè in *Disputatione, de benedictione Abbatis.*
3 Præterea adest aliud privilegium vivæ vocis oraculo concessum à Julio II. Abbati Monasterii S. Æmiliani de la Cogolla Ordinis S. Benedicti Vallisoleti, per quod concessit moderno Abbati dicti Monasterii, qui triennalis existit, & illi, qui perpetuis futuris temporibus erit, ut Corporalia, Patenas, Calices, Cruces, & alia Ecclesiastica ornamenta, juxta formam S. Romanæ Ecclesiæ fieri solitam, benedicere liberè, & licitè possit, & valeat; ut habetur in *nova Collect. privileg.* Roder. *Bulla* 25. dicti Pontificis.

His, & nonnullis aliis privilegiis gaudent Regulares Abbates, qui tum directè per speciales Summorum Pontificum concessiones, tum indirectè per communicationem, prædictum munus consecrationis exercere possunt.

Et Sacra Congregatio Eminentissimorum DD. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum die 5. Aprilis 1620. pro Abbatibus Cassinensibus censuit eos vigore suorum privilegiorum, posse in locis eorum jurisdictioni subjectis, Campanas, & Calices consecrare, ut in Decreto sequenti.

DECRETUM.

Illustrissime, & Reverendissime Domine. Fuit aliàs ab hac Sacra Congregatione declaratum, licere Abbatibus Congregationis Casinen. benedicere etiam ea in quibus unctio requiritur, si specialibus Sedis Apostolicæ privilegiis reperiantur muniti, non obstante declaratione olim facta, quòd Abbates Benedicti non se ingererent in hujusmodi benedictionibus.

Et cùm hodie contradicente D. Episcopo Patavino contingat dubitari, An Abbati Venet. Monasterii S. Justinæ de Padua liceat benedicere Campanas, & Calices, propterea hac de re exhibet inter alia privilegium fel. rec. Urbani Papæ II. ab aliis Summis Pontificibus approbatum, & confirmatum. Quo quidem privilegio Abbates dictæ Congregationis semper absque ulla contradictione usi sunt in benedicendo Calices, & Campanas.

Quare pro parte Abbatis supplicatur per hanc Sacram Congregationem declarari, An eis competat facultas prædicta benedicendi Campanas, & Calices.

Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum censuit, Abbates Congregationis Casinensis nisi hac in parte Sedis Apostolicæ privilegiis munitos, posse utique in locis eorum jurisdictioni subjectis Campanas, & Calices benedicere, die 5. Aprilis 1620.

R. Card. Ubaldinus.

QUÆSITUM III.

Qualia esse debeant Calix, & Patena, & alia Ecclesiastica Vasa ab Abbate consecranda, & quando censeantur amittere consecrationem, ita ut iterum consecranda sint.

SUMMARIUM.

1 *Calix cum Patena, ex qua materia esse debeant.*
2 *Calix cum Patena consecratus esse debet, ac Chrismate perunctus.*
3 *Calix, & Patena quando censeantur consecrationem amittere,* & num. 5. & 6.
4 *Calix, & Patena consecrantur propter contactum Corporis, & Sanguinis Domini nostri.*
5 *Pixis, non est necessarium, ut sacra Chrismatis Unctione consecretur; & ex qua materia esse debeat.*

Agens de consecratione Calicis, Patenæ, & alio- 1
rum Ecclesiasticorum Vasorum ab Abbatibus præstanda, hic necessariò circa eadem Vasa, multa ab eisdem Abbatibus notanda sunt.

Primò. Notandum est, quòd Calix cum Patena non debet esse de ære, aut aurichalcho, aut cupro; quia hæc propter æruginem vomitum provocarent; nec ex ligno propter poros, ne sanguis subintret; nec ex vitro, vel crystallo, propter fragilitatem; nec ex lapide, propter ineptitudinem, *can. vasa, & can. ut Calix, de consecrat. dist.*1. ubi statuitur: Ut Calix Domini cum Patena, si non ex auro omninò, tamen ex argento fiat: si autem tam pauper est Sacerdos, saltem stanneum Calicem habeat. De ære autem, vel aurichalcho Calix non fiat, ne ob vini virtutem æruginem faciat, pariterque ad vomitum provocet.

Nullus autem in ligneo, aut vitreo Calice præsumat Missam celebrare; videatur etiam ibi gloss.

Debet insuper Calix cum Patena esse consecratus, 2
ac Chrismate perunctus, *cap.* 1. *de Sacramen. non iter.* Sylv. *verb. Missa, q.* 2. & alii.

Secundò. Notandum, consecrationem amittere, 3
cùm ita notabiliter franguntur, ut ad usum præfixum deservire nequeant, ut tradit Vasq. 3. *part. disput.* 233. *cap.4. num.4.*

Amittunt etiam consecrationem hæc vasa, si cùm sunt inaurata, & usu aurum conteritur, postea iterum deaurantur, quoad illam superficiem, quæ tangit corpus, & sanguinem Christi; quia qui mutat, vel addit materiam, novum opus videtur facere, *lib.* 1. *§. opus novum, ff. de nov. oper. nunc.* Tum quia est alia superficies, & antiqua esse desiit; & Calicis, ac Patenæ consecratio in superficie consistit.

Tum etiam, quia Calix, & Patena consecrantur 4
præcipuè propter Corporis, & Sanguinis Christi contactum; cùm autem de novo auro regantur, contactus non potest fieri in parte consecrata: quia aurum additum non est consecratum. Ita tenent Sylv. Angel. Armill. Rosell. Tabien. *in verb. Calix*, quos refert, & sequitur Azor. *Instit. moral. part.* 1. *lib.*10. *cap.* 18. *q.* 4. &

part.2.lib.9.c.7.quæst.3. Barthol. ab Angel. *dialog.5. de Missis*, §.324. Roder. *in Summ. tom.1.c.249.n.21.* Suar. *tom.3.disp.85.sect.7.* §. *alia autem forma, vers. solet verò.* Reginald. *in prax.for.pœnit.lib.29.n.199.* Ugolin. *de potest. Episcop.cap.31.n.3.vers.2.* D. Barbos. *de offic. & potest. Episc. part.2. allegat.27. num.38.* Contra Emanuelem Sà *in aphorism. verb. Calix.* Sylv. *de benef. part.1.q.5.n 99.* Ægid. de Coninch. *de Sacram. quæst.83.art.3.dub.3.num.246.*

5 Notandum tertiò, quòd si Calix argenteus auro tectus paulatim aurum amittit ob quotidianum usum, quo ipsum aurum conteritur, consecratione non privatur; nam antequàm penitùs aurum decidat, consecratio reficitur, si restauratur; pars etenim consecrata, tanquam magis digna, trahit ad se partem non consecratam denuò appositam, minùs dignam. Vel aurum totum deperditur; & tunc Calix consecrationem amittit; nam antequam pars auri apponeretur, totum aurum evanuit. Ita Sylv. Angel. Armill. Tabien. *in verb. Calix*, quos refert & sequitur Azor. *d.c.28.q.6.*

6 Notandum quartò, quòd consecratio Calicis amittitur per aliquos ictus, qui solent ab Aurifice infigi, ut tenent Armilla *in verb. Calix, num.4.* Barthol. ab Angel. *dialog.5. de Missa*, §.323. & Azor. *loco proximè cit. quæst.5.*

Retinet etiam formam consecrationis, quoties separatio fit absque fractione. Ut quando Calix ita est à principio elaboratus, ut ejus cuppa à pede separari, & iterùm conjungi facilè queat. Aliter esset dicendum, si cuppæ separatio fieret cum fractione; quia in eo casu, Calix non est aptus ad usum ad quem fuerat fabricatus: cùm amittat suam formam, & figuram. Ita Henriq. *in Summ. lib 9.c.28.n.2.lit.N.* Barthol. ab Angel. *dict. dialog 5. de Missis*, §.326. Suar. *d. sect.7. vers. rursus inquiri potest.* Nugn. *q.83.art.3.dub.4* Coninch. *de Sacrament. q.83.art.3.lib.3.n.248.* Azor. *d. part.1. lib.10.cap.28.q.7.* & alii, quos refert & sequitur idem D. Barbos. *d. allegat.27.num.40.*

7 Pixis, seu vas, in quo Christi Corpus pro Communicaturis conservatur, ex congruentia debet esse consecratum; præcipuè si postulat loci consuetudo, Suar. *d. sect.7.* §.3. obiter inquiri potest, paulò ante finem, Reginald. *d. lib.29.n 201.* Barbos. *d. alleg.27.n.41.*

Non est autem necessarium, illud Chrismatis unctione consecrari; quia in Pontificali Romano tantùm ponitur simplex illius benedictio. Convenit autem, ut fiat ex eadem materia, ex qua Calicem, & Patenam fieri, jus præcipit; nempe ex auro, vel argento, vel ob paupertatem, ex stanno; ita Suar. & Reginal. *loc. cit.*

Ex quibus probatum, & ostensum restat, quid de aliis Ecclesiasticis vasibus dici posset.

QUÆSITUM IV.

An Abbas possit consecrare Altaria, & lapides deservientes ipsis Altaribus.

SUMMARIUM.

1 *Altare aliud fixum, aliud portatile.*

2 *Altarium consecratio de jure communi ad Episcopum spectat.*

3 *Abbates ex privilegio possunt Altaria, tam portatilia, quàm fixa consecrare.*

1 ANtequam hujus Quæsiti resolutionem tradamus, operæ pretium erit videre, quotuplex sit Altare, quòd est duplex; aliud stabile, seu fixum, aliud portatile, quòd in jure *viaticum* appellatur, *cap. ult. de privileg. in 6. & cap. concedimus, de consecrat. dist.1.*

Altare stabile, seu fixum, dicitur tota mensa, in qua integrum sacrificium fit. Portatile verò, dicitur parvus ille lapis, qui Ara appellatur, & habet foramen cum consecratione, & signo superposito, & facilè de loco ad locum moveri potest.

His suppositis, est sententia communis Doctorum, 2
ad Episcopum spectare Altarium consecrationem; quia de jure communi nullus alius præter Episcopum potest hanc consecrationem efficere; *can. nullus Presbyter, 2. & can. concedimus, de consecratione, dist.1.* notant Azor. *Instit. Moral. tom.1. lib.10.c.27.q.3.* Suar. *tom.3. disp.81. sect.5.* §.3. additur Reginald. *in prax for. pœnit. lib.29.n.190.* D. Barbos. *2 part. de offic. & potest. Episc. alleg.27.n.23.* & communiter Doctores; quæ quidem sententia verissima est de jure communi.

Dixi, *de jure communi*, quia ex privilegio Sedis Apostolicæ possunt utique Abbates Altaria benedicere, & consecrare, quod est extra controversiam, ut habetur *in Rubric. Missal. Monastic. de praparat. Altar. & ornament. 20.*

Ideo jure privilegiorum possunt utique Abbates, 3
privilegium ad hoc habentes (ut multi de facto habent) Altarium consecrationem efficere; & non solùm Altaria parva portatilia, verùm etiam totum Altare fixum, seu mensam benedicere. Quoad Altare portatile patet ex privilegio Pii IV. qui anno 1565. die 6. Junii, Pontificatus verò 6. concessit Congregationi Casinen. ut singuli illius Abbates pro tempore existentes, Pontificalibus non solùm uterentur Insignibus, & ornamentis: verùm etiam, ut quoscunque lapides marmoreos, porphyri os, aot alios ad usum Altarium portatilium; pro usu quorumcumque utriusq; sexus dictæ Congregationis Monasteriorum, & aliorum piorum locorum, consecrare, & benedicere possint, Ordinariorum locorum facultate minimè requisita. Cujus diplomatis verba sunt:

Cùm in diversis Monasteriis, nec non locis Regularibus vestræ Congregationis Casinen. (aliàs Sanctæ Justinæ de Padua) diversa Altaria, Capellæ, Capellaniæ, & alia pia loca indies erigantur, instituantur, & sæpenumero crescente Presbyterorum Religiorum ejusdem Congregationis, Altaria benedicta deficiant: Nos volentes commoditati Religiosorum Congregationis, ac eorum devotioni in præmissis opportunè consulere, ipsamque Congregationem favoribus, & gratiis prosequi; eidem Congregationi, ut singuli illius Abbates pro tempore existentes, qui (licèt quinquennales sint) nihilominùs ex privilegio Apostolico eidem Congregationi concesso, Baculo pastorali, ac Mitra Pontificali in Ecclesiis Monasteriorum, in quibus Abbates pro tempore deputati uti, & benedictionem Pontificalem, post Divina Officia Christi fidelibus inibi existentibus, elargiri consueverunt, quoscunque lapides marmoreos, vel porphyreos, aut alios ad usum Altarium portatilium aptos, pro usu quorumcunque utriusque sexus dictæ Congregationis Monasteriorum, & Prioratuum, seu septa Ecclesiarum, & piorum locorum hojusmodi dumtaxat Missæ celebrari possint consecrare, & benedicere (Ordinariorum licentia desuper minimè requisita) liberè, & licitè valeant, plenam licentiam, & facultatem, auctoritate Apostolica, tenore præsentium concedimus, & indulgemus.

Quo privilegio gaudent multi Abbates, cum Casinensibus in privilegiis communicantes, ut sunt Abbates Canonicorum Regularium Lateran. & Abbates Cælestin. quorum specialia diplomata communicationis privilegiorum, suprà in *Disput. 17.* retulimus. Eodem privilegio, sicut omnibus, & singulis dictæ Congreg. Casinen. fruitur nostra Congregatio Vallis Umbrosæ, per Bullam memorabilem Julii II. de qua *in fine hujus primi tom.* Omitto alios Abbates eodem privilegio gaudentes, ut in supradicta *Disput. 17.* videri potest.

Quod verò ad Altare fixum, seu totam mensam, dico, eodem privilegio probari posse, Abbatibus licitum

esse,

esse, hujusmodi Altaria consecrare; quia Procurator Generalis Casinensis, in suo memoriali Sacræ Congregationi Illustrissimorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, Concilii Tridentini interpretum, porrecto, postquam explicavit supradictum privilegium, sicut & multa alia, dicit, quòd semper Abbates Congregationis hujusmodi, liberè Mitra, & Baculo pastorali usi fuerunt, Calices, Altaria, in quibus unctio requiritur, paramenta, & lapides consecrarunt, & benedixerunt, cui privilegio subscripsit ipsamet Congregatio, *Non obstare quo minùs iidem Abbates munus prædictæ benedictionis, quoad ea, in quibus unctio requiritur, impendere queant.*

Probatur insuper ratione, quia ad Altaris consecrationem requiritur Unctio Chrismatis, & benedictio Sacerdotalis, ex *cap. Altaria, 2. de consecrat. dist. 1.* Sed Abbas utraque potitur, ut suprà dictum est; ergo Abbas poterit benedicere Altare tam portatile, quàm fixum; quia locus citatus loquens de consecratione Altaris, non distinguit Altare portatile à fixo.

Nec obstat, quòd in privilegio Urbani II. Abbati Monasterii Caven. Ordinis Sancti Benedicti concesso, inter Pontificalia prædicto Abbati concessa, excipiatur Altaris consecratio; quia si in illo privilegio Salerni dato 18. Kalend. Octobr. anno 1092. fit hujusmodi exceptio: in privilegio Pii IV. anno 1565. ut suprà, facta fuit Altarium consecrationis concessio; non solùm Abbati Caven. aliisque Casinen. sed, ut diximus, etiam omnibus privilegiorum communicatione gaudentibus.

Confirmatur, quia antea Innocent. VIII. in sæpiùs citato privilegio Joanni Abbati Cistercii, ac aliis quatuor Coabbatibus, eorumque successoribus in perpetuum concesso, indulsit:

Ut altaria de novo constructa, seu translata, restaurata, aut murata in quibuslibet locis dicti Ordinis, Chrismate sacro, priùs ab aliquo Catholico Antistite recepto, consecrare liberè, ac licitè possint, & valeant.

Et Paulus III. concedens Abbati Vallisoletanum Altarium consecrationem, ut diximus suprà in *secundo Quæsito*, loquitur absolutè de omnibus Altaribus, & ubi lex non distinguit, etiam nos distinguere non debemus, *l. non distinguemus, ff. de receptis arbitris, & Clement. ultim. de rescript.* cum aliis citatis à Cardin. Tusch. *tom. 1. litera D. concl. 508.*

Et facto confirmari vidi Romæ, cùm enim de anno 1624. Illustriss. & Reverendiss. Visitatores Sacræ Visitationis Apostolicæ accederent ad hanc nostram Sanctæ Praxedis Ecclesiam, & visitantes Altaria fixa, inibi collocata, & de Consecratore Patres nostros interrogassent, acquieverunt, quòd per Abbates nostræ Religionis, pro tempore in prædicto Monasterio existentes, consecrata responderimus. Ex quo elici videtur, etiam Altaria fixa ab Abbatibus Sedis Apostolicæ privilegio munitis, consecrari posse; quòd etiam confirmatur ex *Rubricis Missalis Monastici*; auctoritate Pauli V. recogniti, ubi in dicta *Rubric. de Præparat. Altar. & Ornament. 20.* habetur, quòd Altare debet esse consecratum ab Episcopo, sive ab Abbate, privilegium Sedis Apostolicæ ad hoc habente, & loquitur ibi *Rubr.* universaliter de omnibus Altaribus.

QUÆSITUM V.

Utrùm Abbas possit Altaria portatilia ad usum aliarum Ecclesiarum, & piorum locorum, non solùm propriæ Congregationis, verùm etiam aliarum Ecclesiarum, & locorum non sibi subjectorum, benedicere & consecrare.

SUMMARIUM.

1 *Abbates possunt consecrare Altaria portatilia, pro usu suarum Ecclesiarum, & quarumcunque aliarum locorum propriæ Congregationis.*

2 *Abbates aliqui præscripserunt sibi jus Altaria portatilia Ecclesiarum non sibi subjectarum, consecrandi.*

Paucis præsens Quæsitum explicabitur, resolvendo

1 Quoad primam partem, nempe, quòd liceat Abbati lapides ad usum Altarium portatilium aptos, non solùm pro usu propriæ Abbatiæ, verùm etiam quorumcumque Monasteriorum, Prioratuum, Ecclesiarum, & aliorum piorum locorum propriæ Congregationis benedicere; probatur ex privilegio in *antecedenti Quæsito* adducto, per quod Pius IV. de anno 1565. die 6. Junii, concessit Congregationi Casinen. ut singuli illius Abbates, pro tempore existentes, quoscunque lapides marmoreos, & porphyricos, aut alios ad usum Altarium portatilium aptos, pro usu quorumcunque utriusque sexus dictæ Congregationis Monasteriorum, Prioratuum, Ecclesiarum & aliorum piorum locorum, super quibus ad Altaria intra claustra eorumdem Monasteriorum, & Prioratuum, seu septas Ecclesiarum, & piorum locorum hujusmodi dumtaxat, Missæ celebrari possint, consecrare, & benedicere (Ordinariorum locorum licentia desuper minimè requisita) liberè, & licitè valeant; habetur in *lib. privileg. dictæ Congreg.* Et similis potestas Abbatibus competit per aliud privilegium (ut suprà *in antecedenti Quæsito* diximus) Innocentii Papæ VIII. Cisterciens. concessum.

2 Quo verò ad Altaria portatilia aliarum Ecclesiarum non sibi subjectarum, dico, quòd licèt privilegia prædicta extendantur solummodò ad Ecclesias, & loca propriæ Congregationis: tamen, cùm Abbates possint jura Episcopalia præscribere, & etiam Pontificalia Insignia, ut diximus suprà in *Disputatione 19. Quæsit. 2.* ac per consequens usum prædictorum Pontificalium, quorum Abbates capaces sunt, juxta ea, quæ in *eadem Disputatione* dicta sunt; ideò dicendum est, Abbates multis in locis præscripsisse jus consecrandi Altaria portatilia.

De hac re iterum habebitur sermo in *Quæsit 13. n. 3. hujus Disput.* ubi ostendimus etiam ex privilegio, Abbates hujusmodi Altaria aliarum Ecclesiarum consecrare posse.

QUÆSITUM VI.

An aliquid animadvertendum sit ab Abbatibus circa Altarium consecrationem.

SUMMARIUM.

1 *Altare consecratum debet esse lapideum, non autem ligneum.*

2 *Altare portatile quanta longitudinis, ac latitudinis esse debeat.*

3 *An sit de essentia Consecrationis Altarium, ut fiat cum appositione Reliquiarum.*

4 *Altare quando desinat esse sacrum.*

5 *In Ecclesiis consecratis Abbati subjectis, nemo absque ipsius licentia, Altare fixum erigere, vel erectum demoliri potest.*

1 Cùm de Altarium consecratione hic sermo institutus sit, nonnulla circa prædicta Altaria consecranda, notatu digna, libuit apponere. Animadvertendum est itaque, quodcunque Altare consecratum lapideum, non autem ligneum esse debere, juxta *can. Altaria 1. de consecrat. dist. 1.* notant Fusc. *de visit. lib. 1. cap. 21. num. 9.* Ugolin. *de potest. Episc. cap. 30. num. 1.* Suar. *tom. 3. disp. 81. sect. 5. conclus. 2.* D. Barbos. *de offic. & potest. Episc. part. 2. alleg 27. num. 24.* Reginald. *in prax. for. pœnit. lib. 29. num. 188.*

Tamburinus Tom. I. Ee 2 Altare

2 Altare autem non consecratum, potest esse ligneum, immò neque refert, si tota Massa Altaris fixi consecrati, non sit lapidea: dummodo superior mensa, quæ solùm consecratur, sit ex lapide, ut ait Suar. *loc. cit.*

Altare autem portatile tantæ longitudinis, ac latitudinis esse debet, ut capere possit pedem Calicis, & Patenam cum Hostia consecrata, vel ut super eo valeat major eorum pars firmiter, absque ullo cadendi periculo, collocari. Sylv. *in verb. Altare, num.* 1. Azor. *instit. moral. part.* 1. *lib.* 10. *cap.* 27. *quæst.* 7. Duran. *de ritu Eccles. lib.* 1. *cap.* 25. *num.* 7. Jacob. Graff. *in decis. aur. part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 42. *num.* 4. Suar. *ubi suprà*, qui dicit esse communem, & alios citat, ita etiam Henriq. *in Summ. lib.* 9. *cap.* 28. Reginald. *dicto lib.* 29. *n.* 189. D. Aug. Barbos. *d. alleg.* 27. *num.* 21.

3 An autem ad substantiam consecrationis Altarium spectet, illam fieri cum appositione Reliquiarum Sanctorum; duæ super hoc extant opiniones. Prima est afferentium, esse præceptum Ecclesiæ, ne consecrentur Altaria, absque Sanctorum Reliquiis: tamen si fieret hujusmodi consecratio, esse valida, quam sententiam sequuntur nonnulli, quos citat idem Azor. præcipuè Sot. *in* 4. *dist.* 13. *quæst.* 2. *art.* 3. quem sequitur Suar. *loco citato*, §. *tertiò, additur circa finem*, qui dicunt, consuetudine derogatum esse, *Can. placuit, de consecrat. distinct.* 1. nec esse servandum, nisi ubi sacræ Reliquiæ haberi possunt; quia in tanta Altarium multitudine, non potest commodè dicti Canonis præceptum adimpleri.

Altera opinio affirmat, non solùm ab Ecclesia, præcipi, ne consecrationes Altarium fiant sine Reliquiis: verùm etiam esse de substantia ipsius consecrationis; ita ut Altare sine Reliquiis consecratum pro Altari prophano non consecrato, sit habendum; ut dicitur in *dicto can. placuit, de consecrat. distinct.* 1. & hanc opinionem sequitur Azor. ibidem referens, idem tenere Sylv. Tabien. & alios, qui concludunt, non esse Altaria consecranda, absque Summi Pontificis auctoritate, ubi sacræ Reliquiæ haberi non possunt: eamdem opinionem post Azor. secuti sunt Fusch. *de visitat. cap.* 31. *num* 2. & D. Barbos. *alleg.* 27. *num.* 26. Nihilominùs prima sententia verior videtur: & ideò sequenda; ita enim usus, & praxis docet; verùm quando commodè fieri posset, observari deberet dispositio, *dicti Canon placuit*, ut ait Reginald. *d. lib.* 29 *num.* 190. *vers. porrò difficultas est.*

4 Notandum insuper, utrumque Altare amittere consecrationem, seu desinere esse sacrum; quando est enormiter fractum quòd tunc contingit, quoties non remaner alterius integra pars, quæ possit commodè pedem Calicis, & Hostiam cum Patena, sine periculo labendi continere, ut ait Henriq. *in Sum. lib.* 9. *cap.* 28. §. 1. Vel quando cornua, quæ inunguntur, fuerint fracta; vel quando signum sepulchri, in quo sunt conditæ Reliquiæ, frangeretur, removeretur, vel minueretur, ut ait Azor. *d. cap.* 27. *quæst.* 12. Henriq. *in margin. litera L. & M.* qui testatur de communi, quem refert, & sequitur Reginald. *d. lib.* 29. *num.* 292. D. Barbos. *d. alleg.* 27. *num.* 25. qui plures cumulat; vel quando Altaris fixi mensa à stipite, vel columnis, quibus innititur, removeretur, vel ita frangeretur, ut ad usum, pro quo est consecratum, non sit ampliùs aptum inservire; quod relinquitur Ordinarii judicio, qui rem oculis inspectam facilè poterit dijudicare; ut ajunt idem Azor. & D. Barbos. *locis citatis.*

Execratur etiam omnibus aliis modis Altare fixum, & stabile, quibus execratur portatile, ut dicit Ugolin. *de potestat. Episc. c.* 40. *n.* 4. *vers. execratur.*

Si degradatus, interdictus, aut etiam excommunicatus in Altari celebraverit, non est illud iterum consecrandum, per text. *in c.* 2. *in fine*, extra *de Sacram. non iterand.* Fusc. *d. cap.* 22. *num.* 5.

Altare etiam censetur execratum, Ecclesia execrata, non autem è contra; quia Altare se habet, ut accessorium respectu Ecclesiæ; Ecclesia autem, ut principale, argum. text. *in cap.* 1. *de consecrat. Eccles.* Fusc. *d. cap.* 22. *num.* 7.

Hoc autem est intelligendum de Altari portatili, non autem de fixo, quòd execrata Ecclesia, non censetur execratum, nec reconciliatione indiget, Sylv. *verb. Altare, q.* 11. Mirand. *tom.* 2. *Man. Prælat. q.* 39. *art.* 7. *concl. unic.* D. Barbos. *d. allegat.* 27. *num.* 26.

Tandem adverto, quòd sicut in Ecclesiis consecratis, quæ Episcopi jurisdictioni subsunt, nemo potest, absque ejus licentia, & consensu Altare fixum erigere, per text. *in can. nullus Presbyter, de consecrat. dist.* 1. *& can. quamvis dist.* 68. ac illud demoliri, ad eumdem Episcopum spectat, *can. placuit, eadem dist.*

Ita etiam in Ecclesiis Abbati subjectis nemo potest absque ejus licentia, Altare fixum erigere, sive erectum demoliri; quia hoc spectar ad jurisdictionem ipsius Abbatis, cui Ecclesia subjecta est.

QUÆSITUM VII.

An Abbates possint Ecclesias consecrare.

SUMMARIUM.

1 *Solus Episcopus de jure potest Ecclesias consecrare?*
2 *Simplex Sacerdos potest, ex delegatione Summi Pontificis, Ecclesias consecrare.*
3 *Abbatibus non licet Ecclesias consecrare.*

Solus Episcopus de jure potest Ecclesias consecrare, ut habetur ex *cap. nemo, de consecrat. dist.* 1. Et Episcopus debet esse proprius, non autem extraneus, nisi de licentia proprii, *cap. tua fraternitas, de consecrat. Eccles. vel Altar.* ibi, *In tua Diœcesi*, qui non potest Ecclesiæ consecrationem aliis, quam Episcopis committere, per *cap. aqua, eod. tit.* ubi expressè prohibetur, hoc delegari ab Episcopo simplicibus Sacerdotibus, non obstante consuetudine cujusdam Provinciæ, quæ ibi corruptela dicitur, Episcopus enim nequit simplici Presbytero mandare ea, quæ sunt Ordinis Episcopalis propria; & si committat, & mandet, irrita, & nulla censebitur consecratio. Ita gloss. & Doctores *in d. cap. aqua*, Azor. *instit. moral. part.* 1. *lib.* 10. *cap.* 26. *quæst.* 10. Sylvest. *verbo, consecratio,* 2. *num.* 2. *quæst.* 1. Mirand. *in Manual. Prælat. tom.* 2. *quæst.* 39. *art.* 1. *conclus.* 3. & alii apud D. Barbos. *de offic. & potest. Episc. part.* 2. *alleg.* 27. *num.* 1. 1

Simplex autem Sacerdos benè potest, ex delegatione Sedis Apostolicæ, Ecclesias consecrare, ut ajunt gl. Innoc. & Doct. *in d. c. aqua*, Azor. *q.* 10. 2

Quo autem ad Abbates, nihil in jure invenio, per quod ipsis hæc potestas tribuatur, nec ullus Doctorum, quem viderim, de hoc sermonem habet; immo omnes communiter ad solum Episcopum spectare, concludunt; posset utique eis, ex privilegio speciali Romanorum Pontificum, talis facultas competere; nec esset mirum aliquos Abbates hujusmodi privilegio gaudere, quod me later, hactenùs alicui concessum fuisse. 3

QUÆSITUM VIII.

Ad quem spectet Abbatiales Ecclesias consecrare.

SUMMARIUM.

1 *Ecclesias Abbatiales, & Regulares consecrare, spectat ad Episcopum Diœcesanum.*
2 *Episcopus Diœcesanus, si requisitus Ecclesias Abbatiales, & Regulares consecrare renuerit, quilibet alius Episcopus id facere poterit.*

3 Privile-

3 *Privilegium, quo gaudent Regulares, ut Ecclesiæ eorum possint à quolibet Episcopo consecrari, si Episcopus Diœcesanus requisitus consecrare renuerit, non videtur revocatum à Concilio Tridentino.*

1 EX dictis *in superiori Quæsito* constat, ad Episcopum tantùm spectare consecrationem Ecclesiarum, quæ in sua Diœcesi erectæ sunt; nec extraneus poterit, absque Diœcesani licentia, illas consecrare, etiam si essent exemptæ; quia incurreret in pœnam constitutam à Concil. Trident. *sess. 6. de reformat. cap. ult.* ubi habetur, quòd *Nulli Episcopo liceat, cujusvis privilegii prætextu, Pontificalia in alterius Diœcesi exercere, nisi de Ordinarii loci expressa licentia, &c. & si secus factum fuerit, Episcopus ab exercitio Pontificalium sit ipso jure suspensus.* Ex quo loco Sacri Concilii constat, non valere amplius privilegia Monachis concessa, quibus poterant, absque Diœcesani licentia, Episcopos quoscunque, ad eorum Ecclesias consecrandas, vocare.

2 Verùm notandum, quòd si Episcopus Diœcesanus ab eisdem Monachis requisitus, eorum Ecclesias consecrare noluerit; quilibet alius Episcopus idipsum facere poterit, per speciale privilegium concessum ab Honorio IV. Fratribus Minoribus, quod habetur *in Mon. Ord. 1. impress. fol. 17. & 2. fol. 101. concess. 112.* & refertur *in Comp. verbo. Altaria*, §. 2. per quod concessit, ut si Diœcesani requisiti à Fratribus Minoribus cum debita humilitate, noluerint in Ecclesiis eorum primarium lapidem ponere, ac Ecclesias, vel Oratoria, & Altaria sua consecrare, vel id facere intra quatuor menses distulerint; possint prædicti Fratres per quoscunque voluerint Episcopos, gratiam, & communionem Apostolicæ Sedis habentes, præmissa recipere. Idipsum, immo aliquantulum latiùs concessit Joannes XXI. Fratribus Carmelitanis dicens;

Quòd si locorum Ordinarii ab ipsis Fratribus humiliter requisiti noluerint, seu recusaverint indebitè Cœmeteria eorum benedicere, seu etiam consecrare; possint hujusmodi Cœmeteria per aliquem Antistitem, gratiam, & communionem Sedis Apostolicæ habentem, quoties opus fuerit, facere benedici, ac etiam consecrari.

Quod habetur etiam *in Monum. 1. impress. fol. 89. & 2. fol. 172. conclus. 402.* & refertur *in Compend. verb. benedicere Ecclesiastica*, §. 3.

3 Nec videntur hujusmodi privilegia abrogata per Concil. Trid. *d. c. ult. sess. 6. de reformat.* ubi præcipitur, quòd nullus Episcopus in alterius Diœcesi, sine ipsius licentia, Pontificalia possit exercere, cujusvis privilegii prætextu, &c. quia quoad hoc supradicta privilegia non censentur esse privilegia, sed continere jus commune, dummodo sit petita licentia, juxta *cap. 1. de suppl. negl. Præl. & c. nihil est. §. ultim. de elect.* ita ait Mirand. *in Man. Prælat. tom. 2. q. 39. artic. 1. conclus. 3.* quem refert & sequitur D. August. Barbos. *de offic. & potest. Episc. part. 2. alleg. 27. n. 11.* videatur etiam Roderic. *quæst. Regul. tom. 1. q. 19. art. 4.* Utrùm autem Abbates possint Ecclesias, & loca propriæ Congregationis benedicere, dicemus in sequenti.

QUÆSITUM IX.

An Abbas possit Ecclesias, Cœmeteria, Capitula, & Oratoria propriæ Congregationis solemniter benedicere.

SUMMARIUM.

1 *Missa in loco sacro celebranda est.*
2 *Ecclesia non consecrata gaudet eisdem privilegiis, quibus gaudet Ecclesia consecrata.*
3 *Abbates possunt Ecclesias propriæ Congregationis solemniter benedicere.*

Tamburin Tom. I.

1 COmmunis est Doctorum sententia, Missam in loco sacro celebrandam esse, ut testatur Suarez *tom. 3. in 3. part. D. Thom. disput 81. sect. 3. in princip.* quod habetur etiam ex *can. sicut, can. Missarum, can. hic ergo, can. nullus Presbyter, & can. clericos, de consecrat. dist. 1.* & ex Trident. Synod. *sess. 22. in decreto de observan. & evit. in celebrat. Missar.* ubi advertunt Doctores, nomine loci sacri, secundum vetera illa jura, Ecclesiam consecratam significari.

2 Notandum tamen, ex usu eo nomine, etiam significari Ecclesiam benedictam; dummodo Sedis Apostolicæ, vel Episcopi auctoritate ad Sacramenta administranda fundata sit; atque reliqua necessaria adsuetint, argum. gloss. *in cap. fin. verb. non consecrata, de consecrat. Eccles.* quæ dicit, Ecclesiam non consecratam perfrui eisdem privilegiis, quibus gaudet consecrata; idem colligi potest ex prædicto Concilio Tridentino *loc. cit.* ut advertit Reginald. *in prax. for. pœnit. lib. 29. n. 175.* quibus sic positis ad solutionem quæsiti deveniendo,

3 Dico, licere Abbatibus, & Prælatis Regularibus, Ecclesias proprii Ordinis, seu Congregationis solemniter benedicere: etsi earum consecratio illis interdicatur, & hoc per specialia privilegia Abbatibus concessa; & etiam per indultum à Julio II. Ordini Minimorum impartitum; hic enim Pontifex concessit prædicto Ordini, quòd Generales, & Visitatores (quos ipsi appellant Vigiles) ac Provinciales, & eorum Vicesgerentes, possint omnes, & singulas ejusdem Ordinis Ecclesias, Cœmeteria, Capitula, & Oratoria solemni benedictione benedicere. Ita habetur in *Supplem. fol. 8. concess. 19.* & refertur in *Compend. verb. benedicere Ecclesiastica*, §. 12.

Idem privilegium concessit Leo X. Fratribus Min. ut habetur in *eod. Supplem. fol. 16. concess. 53.* & refertur *in Comp. ubi supra*, §. 14. per quod prædictus Leo X. concessit Generalibus, & Provincialibus, ac Custodibus, nec non, & Guardianis Fratrum Minorum Observantiæ, pro eo tempore existentibus, ut omnia, & singula ejusdem Ordinis de Observantia, Ecclesias, Cœmeteria, Capitula, & Oratoria ubicunque existentia, tam recepta, quàm recipienda, ac paramenta, & ornamenta, & alia quæcunque ad divinum cultum, & usum Fratrum necessaria, in quibus Chrisma non intervenit, pro eorumdem Fratrum usu tantùm, solemni benedictione valeant benedicere; & voluit quod hoc idem possint alii Fratres ejusdem Ordinis, qui ad hoc in Capitulis Generalibus fuerint deputati; quorum privilegiorum vigore poterunt etiam Abbates, & alii Prælati virtute communicationis, suas Ecclesias benedicere.

Aliud privilegium superiùs adductis simile, aliaque Pontificalia Insignia concernens pro Canonicis Regularibus S. Salvatoris Bononiensis, hic recensetur: cùm in Bullariis communibus minimè reperiatur; cujus tenor est.

Alexander Episcopus Servus, &c. Cùm sicut dilecti filii nobilis vir Augustinus Barbarico Dux, & Dominium Venet. Nobis nuper fecerunt exponi; ipsi qui ad Monasteria vestra, quorum videlicet, Monasterium S. Antonii, de eorum jure patronatus existit, singularem gerunt devotionis affectum, ad illa pro divinis audiendis officiis nonnunquam accedant; & pro tempore cupiant dicta Monasteria per Nos, illorumque pro tempore existentes Priores favoribus prosequi gratiosis, ipsorum Ducis, ac Dominii, ac vestris in hac parte supplicationibus inclinati, vobis, & pro tempore existentibus Prioribus, quibus, ut quoties ipsos in quibuscunque Ecclesiis vestris, Missam celebrare contingat, Mitra, Baculo, & aliis Pontificalibus Insigniis uti, ac benedictionem solemnem elargiri valeatis, Apostolica fuit auctoritate concessum; Et omnibus utriusq; sexus Christi fidelibus,

Ee 3 Missis

Missis hujusmodi interessentibus (dummodo aliquis Antistes præsens non fuerit) Indulgentias per Episcopos, videlicet quadraginta dierum dari consuetas, quoties Missas hujusmodi contigerit celebrare, concedere: ac Ecclesias, Monasteria, Prioratus, & alia loca quæcunque dictæ Congregationis, illorumque Cœmeteria pro tempore quomodocunque polluta, reconciliare perpetuò valeatis. Constitutionibus, Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis nequaquam obstantibus, auctoritate præfata, tenore præsentium, de specialis dono gratiæ, indulgemus. Per hoc autem Constitutioni, quæ reconciliationem hujusmodi per Episcopos tantùm fieri præcipit, nullum in posterum volumus præjudicium generari. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub Anulo Piscatoris, die octava Maji 1493. Pontificatus Nostri anno 1.

Habetur *in lib. privileg. Canon. Regul. Mediol. impress. pag.* 382.

QUÆSITUM X.

An Abbas possit Ecclesias pollutas reconciliare.

SUMMARIUM.

1 *Sacerdos simplex potest Ecclesias tantùm benedictas, si polluantur, reconciliare.*

2 *Ecclesiæ si sint consecratæ, spectabit ad Episcopum earum reconciliatio.*

3 *Abbates Regulares possunt Ecclesias pollutas reconciliare, aqua prius per Episcopum sacrata; nisi Episcopus distet ultrà duas dietas: quo casu etiam ipsi possunt aquam benedicere.*

4 *Dieta quot milliaria contineat.*

Ecclesiarum aliæ sunt consecratæ, aliæ verò benedictæ, ut *suprà* dictum est: has autem pluribus modis pollui, aut violari contingit: ut inferiùs pate-
1 bit. Ecclesias benedictas tantum, non autem consecratas quilibet simplex Sacerdos reconciliare potest per aspersionem solius aquæ sacratæ. Ita expressè tenet Sylv. *verb. consecratio*, 2. *q.* 8. Sot. *in* 4. *dist.* 13. *q.* 2. *art.* 3. Henriq. *de excomm. & interd. lib.* 3. *cap.* 51. §. 5. *& lib.* 9. *de Missa cap.* 27. §. 6. Azor. *instit. moral. pars* 1. *lib.* 10. *cap.* 26. *q.* 15. Navar. *in Man. cap.* 27. *num.* 151. qui testatur de communi, & D. August. Barbos. *de offic. & potest. Episcop. p.* 2. *allegat.* 28. *num.* 57. qui plures refert.

2 Ecclesia verò consecrata reconcilianda est per Episcopum proprium, vel alienum; cum consensu proprii; & per aquam ab Episcopo benedictam, vino, & cinere admixtam: & cum verbis, quæ habentur in *Pontificali, vel Manuali Romano*; ita habetur in *c. proposuisti. & in c. aqua, de consecr. Eccles. vel Altaris*, ut notant Azor. *instit. moral. part.* 1. *lib.* 10 *cap.* 26. *q.* 15. *& part.* 2. *lib.* 9. *c.* 5. *q.* 5. Cened. *ad sex. collect.* 135. *num.* 1. Mirand. *in Man. Prælat. tom.* 2. *q.* 36. *art.* 8. *concl.* 2. & omnes Doct. *sup. citat.* & alii, quos refert, & sequitur D. Barb. *de offic. & potest. Episc. p.* 2. *alleg.* 28. *n.* 55. Nec potest Ecclesiam consecratam reconciliare simplex Presbyter, nisi ex commissione Summi Pontificis; etiamsi in contrarium esset consuetudo, per *d. c. aqua*, ubi dicitur; hujusmodi consuetudinem, potiùs esse dicendam corruptelam; Episcopus enim nequit ea, quæ sunt Ordinis delegare alteri, qui non sit Episcopus; quamvis committat ea, quæ sunt jurisdictionis. Ita Mirand. *loc. cit.* Ugol. *de offic. & potest. Episc. c.* 29. §. 8. *num.* 2. Marian. Alter. *de censur. disp.* 3. *cap.* 4. quos refert D. Aug. Barbos. *loc. citat. num.* 56. Abba-
3 tes autem, & Prælati Regulares possunt Ecclesias ex quavis causa pollutas, vel violatas reconciliare, aqua per eosdem benedicta; si Episcopus, illas benedicturus obstet, & ultra duas dietas; aliter autem aqua debet per Episcopum sacrari; ut constat ex privilegio Leonis X. concesso Generalibus, & Provincialibus, ac Custodibus, nec non, & Guardianis Fratrum Minorum Observantiæ pro tempore existentibus, quod habetur in *suppl. fol.* 116. *concl.* 55. & refertur in *Comp. verb. benedicere Ecclesiast.* §. 14. ubi supradictus Leo X. post alia concessit eisdem, quòd similiter possint reconciliare Ecclesias, &c. quæ quomodolibet sanguinis, vel seminis effusione pollutæ fuerint; & hoc cum aqua per prædictos Prælatos benedicta: præsertim in locis remotis, ubi Episcopum, aquam benedicentem, per duas dietas adire non poterint. Hoc privilegium refert idem Mirand. *loc. cit. conclus.* 3. & Sayr. *de censur. lib.* 5. *cap.* 16. *n.* 31. Ugolin. *d.* §. 8. *num.* 2. D. Aug. Barbos. *loco citato, num.* 64.

Quælibet autem Dieta continet viginti milliaria, 4
seu septem leucas, ut gloss. *in cap. nonnulli, verbo, ultra dietas, de rescript.* & Henriq. *in Sum. lib.* 9. *cap.* 27. §. 6. *& lib.* 13. *cap.* 51. §. 5. & alii relati per Dom. Aug. Barbos. *d. alleg.* 28. *num.* 65.

Idem privilegium concessit Julius II. Prælatis Ordinis minimorum, ut habetur in *Supplem. fol.* 8. *conclus.* 30. & refertur in eodem *Compend.* ubi suprà, §. 13. *qui Julius II. concessit Prælatis dicti Ordinis Minimorum, ut possint reconciliare suas Ecclesias, sanguinis, sive seminis effusione, seu aliàs quomodocunque pollutas, quoties opus fuerit; aqua tamen priùs per aliquem Catholicum Antistitem, ut moris est, benedicta.* Ex quibus satis constat, posse Abbates, & Prælatos, Regulares, suas Ecclesias quomodocunque violatas, sive pollutas, reconciliare, aqua priùs per Episcopum sacrata; qui si ultra duas dietas distaverit, poterunt ipsi aquam, ut suprà, benedicere. Præter prædicta privilegia Mendicantibus concessa, adsunt etiam aliæ concessiones Monachalibus Ordinibus à Sede Apostolica factæ, ut possint eorum Ecclesias, & earum Cœmeteria, vel alia loca Ecclesiastica, sanguinis, vel seminis effusione, aut alias quovis modo pollutas, vel polluta, reconciliare.

QUÆSITUM XI.

Quibus modis Ecclesia intelligatur polluta.

SUMMARIUM.

1 *Ecclesia quomodo polluatur per sanguinis effusionem, aut homicidium.*

2 *Ecclesia quomodo violetur per seminis effusionem.*

3 *Ecclesia polluitur, si intra illam sepultus fuerit fidelis excommunicatus.*

4 *Ecclesia, an polluatur quando in ea sepelitur Paganus, vel infidelis, aut filius fidelis ante Baptismum.*

5 *Ecclesia polluitur, quando benedicitur, aut consecratur ab Episcopo excommunicato.*

6 *Ecclesia violatur, quando omnes parietes, aut major eorum pars simul ruunt.*

7 *Ecclesia polluta, pollutum etiam censetur Cœmeterium, sed non è contrà.*

8 *Pollutio, an quando est occulta, Ecclesia, & Cœmeteria indigeant reconciliatione.*

Cum suprà tractatum sit de Ecclesiæ pollutæ, & violatæ reconciliatione, explicandum videtur non immeritò, quando Ecclesia censeatur polluta; sex autem modis Ecclesiam violari contingit, ut ait Navar. *in Man. c.* 27. *à n.* 251. *usque ad* 254. exclusivè, & Sylv. *verb. consecratio*, 2. *q.* 5. Arm. *eodem verb. n.* 4. Roderic. *in Sum. tom. c.* 123. Henriq. *in Summ. lib.* 9. *de Miss. cap.* 27. §. 6. Mirand. *in Man. Prælat. tom.* 2. *q.* 39. *art.* 5. *concl.* 1. Suar. *tom.* 3. *disput.* 81. *sect.* 4. *per totam*, & alii plures, quos citat D. Barbos. *de offic. & potest. Episcop. alleg.* 28. *num.* 1.

Primus casus est, quando intra eam sanguis huma- 1
nus incuriosè effunditur, aut causa naturalis ejusdem effusionis, seu mortis alicujus datur, ut habetur in *cap. pro-*

propoſuiſti, de conſecrat. Eccleſ. & in *cap. ſi motum,* & *cap. Eccleſiis, de conſecr. diſt.* 1. Dicitur, *Intra,* quia requiritur, ut homicidium intra Eccleſiam contingat; ſi enim extra eam eveniret, non propterea violatur Eccleſia.

Utrùm autem intelligatur polluta, ſi homicidium, vel ſanguinis injurioſa effuſio in gradibus, vel ante januam, vel in ipſa janua Eccleſiæ contingat, latè explicat Barboſ. *de offic. & poteſt. Epiſc. part.* 2. *alleg.* 27. *num.* 20. 21. *&* 21. Dicitur *Eccleſiam* generaliter, ad comprehendendum tam conſecratam, quàm nondum conſecratam. Dicitur, *ſanguis humanus*; quia ſi eſſet ſanguis cujusvis alterius animalis irrationalis, non per hoc pollueretur Eccleſia. Dicitur: *injurioſè*; quia ſi naturali modo, aut caſu aliquo, vel ob juſtam hominis defenſionem ſanguis fundatur; non propterea cenſetur polluta Eccleſia; ut tenent communiter Doctores
1 *in dict. cap. propoſuiſti, de conſecrat. Eccleſ. & cap. ſi Eccleſiam, eodem tit. in* 6. & Sylveſt. *in verb. conſecratio,* 2. *quæſt.* 5.

Nec præterea intelligeretur polluta: ſi joco, aut ludo honeſto, & juſto ſanguis effunderetur; maximè ſi ſit in parva quantitate, quæ non ſufficiet ad Eccleſiæ violationem, ut mox dicemus. Nec ſi effuſio fieret per puerum judicio carentem, aut ſtultum, vel amentem; ut ait Navar. *in Manual. cap.* 27. *n.* 258. & Doctor. *in d. cap. propoſuiſti,* Azor. *inſtitut. Moral. part.* 1. *lib.* 10. *cap.* 26. *quæſt.* 13. Dixi, *effunditur,* quia non eſt intelligendum, de modica fuſione; utpotè ſi gutta ſanguinis, etiam injurioſè, intra Eccleſiam ceciderit: ſed de notabili, ſeu conſiderabili; quia verbum, *effuſio,* denotat largitatem, & copioſum fluxum; arg. text. *in can. ſæpe,* 41. *diſt.* & *in can. revertimini,* 16. *quæſt.* 1. notat gloſſ. *in cap. cùm illorum,* 32. *verbo, effuſionem ſanguinis, de ſententia excommunicat.* Abb. *in dict. cap. propoſuiſti.* Quòd ſi ſanguis non fundatur, quamvis oſſa, vel membra conterantur, vel franguntur, non polluitur Eccleſia; dummodo inde mors non ſequatur, & homicidium ſit conſummatum, ut notant Azor. *loc. cit.* Dom. Barboſ. *allegat.* 28. *numer.* 35. Suar. *dict. ſect.* 4. *in princ.* ſubdens, tunc neceſſarium eſſe, ut mors ipſa in Eccleſia contingat, aliàs enim homicidium revera non fit in Eccleſia. Dixi, *aut datur cauſa*; quia ſufficit, ut quis in Eccleſia vulnus accipiat; etiamſi extra eam exeat, antequam ſanguis effundatur, vel in vaſe aliquo ſanguinem recipiat, ſi vulnus mortiferum ſit, vel grave: ut docent communiter omnes; è contrà non polluitur Eccleſia, quando aliquis extra eam vulneratur, & poſtea ſanguinem in ea fundit; ut tenent gloſſ. & Doctores *in cap. unic. de conſecration. Eccleſ. in* 6. & notat Bonac. *in tract. de matrimon. quæſt. ultim. punct. ult. numer.* 20. & Suar. *loc. cit.* Dixi *naturalis*; quia non ſufficit, ſi Judex in Eccleſia mortis ſententiam, contra aliquem ferat; dummodo in ea nulla fiat ſanguis effuſio, ut ait Azor. *dict. cap.* 26. *quæſt.* 13. *verſic. quæres.* Dixi, *aut mortis,* quia ſufficit, in ea ſuffocare, aut quolibet alio modo hominem, ſine ſanguinis effuſione, inique, & injurioſè interficere. Unde ſi Judex ſuſpenderet aliquem in Eccleſia, illam pollueret; non tamen ſi illum ſuſpenderet ſuper Eccleſiæ tectum, vel ejus parietibus, extra illam; quia tunc homicidium non fit intra illam; ut notant Sylv. Navar. Suar. & alii, *locis citatis.* Sufficiet etiam, ſi quis intra Eccleſiam pro fidei defenſione vulneretur; aut trucidetur, & ſic martyrium ſubeat; quia Eccleſia tunc non polluitur ſanguine Martyris, ut ab ipſo fluit; ſed polluitur ſacrilega actione, & homicidio; quia illud eſt verè homicidium; ita Sylveſt. *verb. conſecratio,* 2. *quæſt.* 5. Azor. *d. quæſt.* 13. *d. verſic. quæres, in fine,* Suar. *d. ſect.* 4. *circa initium.* D. Barboſ. *d. alleg.* 28. *numer.* 9. & communiter omnes. Non tamen cenſeretur polluta Eccleſia, ubi quis intra illam exiſtens, hominem extra eam exiſtentem ſagitta, vel tormento immiſſo percuteret; quamvis è converſo ſufficiat mors, vel effuſio facta in Eccleſia per lapidem, vel ſagittam, ſeu tormentum foris immiſſum, ut tenent Doctores citati.

2 Secundus caſus, in quo dicitur polluta Eccleſia, eſt per voluntariam in illa humani ſeminis effuſionem, *d. cap. unic. de conſecrat. Eccleſ. lib.* 6. & ſufficit ſeminis emiſſio, etiam per conjugalem copulam: etiamſi intra vas naturale contingeret, ut diximus de effuſione ſanguinis, per quam etiam polluitur Eccleſia: dummodo intra eandem contingat; quamvis in ipſa Eccleſia materiali non cadat, ut ait Gambarupt. *de caſibus reſervat. cap.* 15. *caſ.* 6. *num.* 2. Barboſ. *d. alleg.* 28. *numer.* 44. Dixi, *per voluntariam,* quia non ſufficit, ſi fiat in ſomniis, ut ait Navar. *d. cap.* 27. *num.* 252. Sylv. *d. quæſt.* 5. dicentes, quòd fallitur. Angel. *in verb. conſecratio Eccleſ.* §. 9. qui exiſtimavit Eccleſiam pollui, ſi ſemen humanum per ſomnium fundatur. Dixi, *Seminis humani,* quia effuſio ſeminis cujusvis alterius animalis irrationalis ad id non ſufficit; ut dictum eſt *ſuprà,* circa ſanguinis effuſionem.

3 Tertius caſus eſt, quando intra eandem Eccleſiam fuerit ſepultus aliquis excommunicatus, *cap. conſuluiſti, de conſecrat. Eccleſ.* ubi ſtatuitur, Cœmeteria, in quibus excommunicati ſepeliuntur, eſſe polluta; quod majori ratione erit cenſendum de Eccleſia, ut cenſeatur polluta, quando in ea excommunicatus ſepeliatur, ut tenent Azor. *d. cap.* 26. *quæſt.* 13. *verſic. tertiò quando,* Henriq. *in Summ. lib.* 9. *de Miſſ. cap.* 27 §. 5. *& lib.* 13. *cap.* 51. §. 3. Suar. *tom.* 3. *diſputat.* 81. *ſect.* 4. *verſic. quarta cauſa, & de Relig. tom.* 1. *tract.* 2. *lib.* 3. *cap.* 2. *à num.* 3. Reginal. *in prax. for. pœnit. lib.* 32. *numer.* 17. & alii, quos refert Barboſ. *d. alleg.* 28. *numer.* 52.

4 Quartus caſus eſt, quando in Eccleſia aliquis paganus, ſeu infidelis ſepelitur, vel ſepultus jacet, *cap. Eccleſiam* 1. *&* 2. *de conſecrat. diſtinct.* 1. quo caſu non modò reconciliari debet Eccleſia; verum etiam parietes illius erunt abradendi; licèt in caſu præcedenti reconciliatio ſufficiat. Videatur latè Suar. *dict. ſect.* 4. *verſ. quintò violatur*; Bonac. *dict. punct. ultim. num.* 23. dicentes, nomine infidelium, & paganorum, comprehendi etiam pueros, qui ante Baptiſmum moriuntur: etiamſi ſint filii fidelium; ita etiam Coninch. *q.* 83. *artic.* 3. *dub.* 1. *num.* 234. contra Sayr. *de cenſur. lib.* 5. *cap.* 16. *num.* 25.

5 Quintus caſus eſt, quando Eccleſia per Epiſcopum publicè excommunicatum conſecratur, ut ait Abbas, & alii ſecuti Joan. Andr. *in cap. conſuluiſti, de conſecr. Eccleſ.*

6 Sextus, quando omnes parietes renovantur, ſcilicet, quando omnes, aut major eorum pars ſimul dejiciuntur, ut colligitur ex *d. can. Eccleſiis, de conſecrat. diſtinct.* 1. *& cap. ligneis, extrà de conſecrat. Eccleſ. vel Altar.* & tractat latè Sylveſt. *verbo, conſecratio,* 2. *quæſt.* 4.

7 Eſt autem notandum, quod quoties aliqua Eccleſia violatur, etiam Cœmeterium illi contiguum pollutum cenſetur: quia nobilius trahit ad ſe minùs nobile: polluto tamen Cœmeterio, non cenſetur polluta Eccleſia, etiam illi conjuncta; nec uno Cœmeterio polluto, cenſetur pollutum aliud Cœmeterium illi contiguum per medium parietem, *cap. ſi Eccleſiam, de conſecrat. Eccleſ. in* 6. notant Sayr. *d. c.* 16. *num.* 18. & Suar. *d. ſect.* 3. *verſic. quintò violatur,* Bonac. Coninch. & alii, *locis citatis.*

8 Eſt etiam notandum, quòd Eccleſia, & Cœmeteria occultè polluta, quandiu pollutio latet, non indigent reconciliatione; at quando incipit publicari, & manifeſtari violatio, tunc eſt neceſſe, ut Eccleſia reconcilietur; ut ajunt Abbas, Navar. & alii, *locis citatis.*

Ex quibus omnibus colligent Abbates, quando Ecclesiæ reconciliatione indigebunt.

QUÆSITUM XII.

An Abbas possit Campanas consecrare.

SUMMARIUM.

1 *Campanarum usus antiquus in Ecclesia.*
2 *Campanarum consecratio de jure communi spectat ad Episcopum.*
3 *Abbates possunt Campanas consecrare.*
4 *Exceptio, seu limitatio firmat, atque constituit regulam in contrarium.*

1 EX antiquo more habetur, Ecclesiam consuevisse Campanas consecrare; quod probatur ex Concilio Colon. *tit. de constit. & consuetud. cap.* 14. & ex *c.* 1. *de offic. custod.*

2 Hæc autem consecratio de jure spectat ad Episcopum; ut scribunt Durand. *in rational. divin. offic. lib.* 1. *cap.* 4. Ugolin. *de potest. Episc. cap.* 31. §. 1. *numer.* 2. Durantes *de ritib. Eccles. lib.* 1. *cap.* 22. & Cæs. Baron. *tom.* 10. *annal. pag.* 810. & Angel. Rocc. *in suo tractatu de Campanis, cap.* 5. ubi tradit formam, & verba consecrationis; forma autem, & verba hujusmodi consecrationis habentur in *Pont. Rom. Clementis VIII. part.* 2. *c.* 370. Dixi, *de jure*, quia ex privilegio, etiam non Episcopus potest Campanas consecrare; cùm etiam Abbates habeant hujusmodi facultatem, ut patet ex privilegio sæpiùs citato Urbani II. Abbati Monasterii Sanctissimæ Trinitatis Caven. Ordinis S. Benedicti, Congregationis Casinen. concesso.

3 Ut ipse, ac ejus successores in perpetuum possint omnia Pontificalia exercere, quæ Episcopi in suis Diœcesibus facere possunt, sacrorum Ordinum collatione, Basilicarum, & Altarium consecratione, ac Chrismatis confectione dumtaxat exceptis.

4 At cùm exceptio, seu limitatio firmet, atque constituat Regulam in contrarium, *cap. Dominus*, 32. *quæst.* 7. dum in prædicto privilegio non excipitur Campanarum benedictio videtur, concessa, idipsum expresse patet ex alio privilegio Pauli III. Abbati Vallischolarium in Gallia concesso, ubi inter cætera ei indulsit, ut valeat Campanas consecrare, prout refert Renatus Chopp. *in Monast. lib.* 1. *tit.* 2. *num.* 18. quo privilegio gaudent omnes Abbates privilegiorum communicationem eandem obtinentes; & de facto eo utuntur multi.

QUÆSITUM XIII.

An Abbates possit consecrare Calices, Altaria, Campanas, & benedicere Lapides, Pixides, & alia vasa Ecclesiastica ad usum alienarum Ecclesiarum.

SUMMARIUM.

1 *Abbas potest consecrare Calices, Patenas, & benedicere Pallas Altaris, & qualibet alia Ecclesiastica ornamenta, ac Corporalia, & Pixides, seu alia Vasa ad reponendam Sacram Eucharistiam, necnon quascunque Imagines, undecunque ad eum deferantur.*
2 *Abbas potest benedicere Campanas, tam ad usum alterius loci, quàm propria Ecclesiæ.*
3 *Abbates possunt Altaria portatilia, undecunque ad se venientia, consecrare.*

1 DIco primò, quòd possunt Abbates consecrare Calices, & benedicere Pallas Altaris, ac quæcunque alia ornamenta Ecclesiastica, ac Corporalia, & Prixides, seu alia Vasa ad reponendam sacram Eucharistiam; ac similiter quascunque Imagines; etiamsi aliunde ad eos deferantur. Ita habetur ex privilegio Innoc. VIII. Joan. Abbati Cistercii concesso, sub Datum Romæ, apud sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1489. quinto Idus Aprilis, Pontificatus sui anno quinto, cujus verba sunt hæc:

Tibi, & successoribus tuis, ac dictis Abbatibus aliorum quatuor Monasteriorum prædictorum, nunc, & pro tempore existentibus, ut de cætero perpetuis futuris temporibus prædicta, & quæcunque alia vestimenta, ac ornamenta Ecclesiastica, Corporalibus, vasculisque ad reponendum sacram Eucharistiam, ac Imaginibus quibuslibet comprehensis, in locis, & domibus dicti Ordinis, benedicere, & Calices consecrare, tam de dicto Ordine, quàm si ad vos aliundè nonnunquam deferantur, liberè, ac licitè possitis, & possint, auctoritate Apostolica, & ex certa scientia, tenore præsentium de speciali dono gratiæ indulgemus.

Quæ verba cùm de se sint satis clara, non indigent majori explicatione.

2 Dico ergo secundò, Abbatibus non est interdictum, Campanas ad usum alterius loci, quàm proprii Monasterii, & Ecclesiarum, & locorum sibi pleno jure subjectorum, consecrare; ut docet communis praxis, & consuetudo, & decisum fuisse refert Macerat. *in decis. Papa* 112. *casu* 3. quem refert, & sequitur Ricc. *in collect.* 995. licet contrarium dixerit, *in prax. for. Eccles.* 539. quòd non est verum, immò repugnat praxi, & communi consuetudini. Videmus enim actu, Abbates habentes usum Pontificalium, consecrare Campanas, undecunque ad eos ad hunc effectum delatas.

3 Idem dicendum puto de Altaribus portatilibus, quod suprà dictum est de Campanis; quia certum est etiam ex communi praxi, & consuetudine, & ex pacifica possessione, in qua prædicti Abbates communiter reperiuntur; Altaria undecunque ad se delata consecrandi. Nec est etiam verum id, quod idem Riccius ait, *in dicta decis.* 539. nempe, Abbates non posse consecrare Calices, benedicere Corporalia, & Vestes ad usum aliarum Ecclesiarum; quia licet id procedere possit de jure, tamen cùm expressis verbis specialiter hoc reperiatur concessum, ut in prædicto privilegio Innocentii VIII. non debet hujusmodi potestas negari.

QUÆSITUM XIV.

Utrum Abbas, habens usum Pontificalium, & illi ante centum annos, aut amplius concessum fuerit privilegium v. g. consecrandi, sed præcedentes ejus Abbates alioquin eo usi non fuerint, possit tale privilegium exercere; an verò per non usum censeatur amissum.

SUMMARIUM.

1 *Privilegiarius per non usum non amittit privilegium, etiam per mille annos, si occasio, & opportunitas illo utendi, non se obtulerit.*
2 *Privilegiarius, si non utatur privilegio suo data utendi occasione, illud amittit, vel ex præscriptione, seu ex vi tacita renunciationis.*
3 *Privilegiarius, per non usum, non potest amittere privilegium, si non habeat potestatem renunciandi.*
4 *Prælatus non potest renunciare juribus, & privilegiis datis, & acquisitis Ecclesiæ, ac dignitati suæ.*
5 *Renunciatio privilegii habet speciem alienationis.*
6 *Prælatus Ecclesiæ per merum non usum privilegii, illud perdere non potest.*

1 DOctores in hac materia distingvere solent, an occasio, & opportunitas sese obtulerit, pro qua privilegium datum est, qua minimè data, certum est nullo unquam tempore amitti, quantumcunque privilegiatus mille annis eo non utatur, ut probatur ex regul. text.

text. *in l. & Attilicinius ff. de servit. rust. præd. cum similibus*, de quibus Molin. *de primogenit. lib. 2. cap. 6. num. 22. cum seqq.* Ratio est, quia si hæc amisso privilegii fundatur in eo, quòd privilegiarius privilegio non utens, ei videtur renunciare, ut deducitur ex *d. cap. si de terra*; minimè huic voluntati tribui potest, quòd non utatur privilegio, eique renunciare intendat, quando nulla utendi occasio occurrit, juxta text. *in l. ejus est nolle, ff. de regul. jur.* & in *cap. cùm super de offic. delegat.*

2 Verùm utendi occasione oblata, si privilegiarius suo privilegio non utitur, communis resolvit, amitti privilegium duplici ex capite, vel præscriptionis, vel tacitæ renunciationis; concurrentibus scilicet qualitatibus omnibus, quæ in renunciatione expressa requiruntur, & sufficere possunt, id est, quòd scienter voluntariè non utatur, & potestatem habeat renunciandi, juxta *d. cap. cùm super.* 3

Unde cùm Prælatus non possit renunciare juribus, ac privilegiis datis, & acquisitis Ecclesiæ, ac dignitati suæ, ex gloss. *recepta, in cap. ult. 16. quæst. 6.* Sylvest. *in Summ. verb. alienatio, num. 18.* cùm talis renunciatio sit species alienationis, quæ causam justam, & Capituli consensum requirit, *cap. 1. de rebus Eccles. non alienan. lib. 6.* ideò Prælatus Eclesiæ per merum non usum privilegii perdere illud non potest. Felin. *in cap. cùm omnes, num. 15. de constit.* Eman. Roder. *quæst. Regul. tom. 1. q. 18. art. 1.* & in propriis terminis resolvit Paul. Layman, *in quæst. canon. de Prælator. Ecclesiast. elect. quæst. 225.* 4 5

DISPUTATIO XXIV.

De præeminentiis Abbatum, aliorumque Prælatorum Episcopis inferiorum, quoad Concilia Generalia, Provincialia, vel Diœcesana; necnon processiones, & alias sessiones, & actus, tam publicos, quàm privatos.

Quæs. I. *Vtrùm Abbates ad Concilium Generale convocandi sint.*
II. *Vtrùm Abbates in Concilio Generali decisivum, vel consultivum tantùm suffragium habeant, ac illi se subscribant.*
III. *Quis locus in Generali Concilio Abbatibus competat.*
VI. *Vtrùm Abbates ad Diœcesanam Synodum accedere teneantur.*
V. *Quis locus in Diœcesana Synodo Abbatibus competat, quove amictu, ac quibus ornamentis in ea uti debeant.*
VI. *Quo amictu, & quibus ornamentis utantur Abbates in Conciliis Generalibus, & Synodis, ac Capellis Pontificiis, & Consistoriis, necnon equitationibus solemnibus; & quem Ordinem in illis observare debeant.*
VII. *Vtrùm Abbates, & Prælati inferiores habentes territorium, cum jurisdictione Episcopali, possint Synodum congregare.*
VIII. *Vtrùm Abbates, & Prælati Regulares ad processiones accedere teneantur.*

QUÆSITUM I.

Vtrùm Abbates ad Concilium Generale convocandi sint.

SUMMARIUM.

1 *Arguitur pro parte negativa.*
2 *Abbates hodie ad Generalia Concilia convocandi sunt.*
3 *Abbates de consuetudine in literis indictionis Concilii vocandi sunt.*
4 *Abbates multi, qui de facto intervenerant Conciliis Generalibus, referuntur.*
5 *Respondetur ad objecta.*

1 CUm in præsenti Disputatione, de præeminentiis, quæ Abbatibus, & aliis Prælatis inferioribus in Conciliis Generalibus, Provincialibus, & Diœcesanis, necnon in processionibus, & aliis hujusmodi actibus competunt, agere proposuerim; visum est primùm resolvere, an ipsi Abbates, & Prælati ad Concilia prædicta, & processiones accedere teneantur: & ab universaliori, atque digniori incipiendo, præsens Quæsitum apposui. An scilicet Abbates ad Generalem Synodum convocandi sint. Ad quod pro ratione dubitandi videtur dicendum, quòd non; nam de jure communi Concilia Generalia, quæ ad res Fidei, & morum definiendas congregantur, solùm sunt Episcoporum, ut habetur ex *canon. secundo, omnia, 11. distinct.* ubi Augustin. ait. *Omnia talia, quæ neque Sanctarum Scripturarum auctoritate continentur, neque in Conciliis Episcoporum statuta inveniuntur, &c. sine ulla dubitatione resecanda esse existimo.* & *can. Synodum, dist. 12.* Marcellus Papa Synodum Generalem, Episcoporum Synodum vocat, & in *can. canones, dist. 5.* sic dicitur: *Prima Synodus, scilicet Nicæna, fuit trecentorum decem, & octo Episcoporum; secunda scilicet Constantinopolitana, fuit centum, & quinquaginta Episcoporum; tertia, quæ fuit Ephesina prima, fuit ducentorum Episcoporum, quarta scilicet Calcedonen. fuit quingentorum, & triginta Sacerdotum*, id est, ut exposuit gloss. *Episcoporum.* Præterea habetur in Synod. Calcedonen. *art. 1.* quòd Abbas Martinus requisitus à Constantino quodam, ut ipse quoque se subscriberet actis Concilii Ephesini secundi, respondit; non est meum subscribere, Episcoporum tantùm est, & eorum, qui digni sunt. Quæ omnia manifestè indicant, ad Generale Concilium Episcopos tantùm convocandos esse; non autem Abbates, ac alios Prælatos Episcopis inferiores.

His tamen non obstantibus, dicendum est, Abbates hodie ad Generale Concilium interesse debere, ut ostendit Michaël Leonicus *in specul. sacrar. car. verb. Abbas*, & habetur in *C. convenientibus*, ubi Turrecrem. *1. q. 3.* & ex gloss. *in can. Episcopus 18. dist.* 2

Unde Abbates specialiter de consuetudine in literis indictionis Concilii vocandi sunt; præsertim Abbates, qui jurisdictionẽ Episcopalem, vel quasi Episcopalem habent, & qui beneficio Sedis Apostolicæ sunt ab Ordinariorum jurisdictione exempti. Card. Alban. *de potest. Papæ, part. 2. n. 229.* & patet de facto Abbates multos intervenisse Conciliis Generalibus, præcipuè Ordinis S. P. Benedicti, & eisdẽ Conciliis subscripsisse, ut in 3 4

ut in Concilio Florentino sub Eugen. IV. Celebrato anno Domini 1439. & in Concilio Lateranen. sub Leone X. & in Concilio Senensi, ut testatur Jacobat. *de Conc. lib. 2. art. 2. n. 41. & 42.* & antiquiùs multos Abbates Conciliis interfuisse, & illis subscripsisse, ostendemus in *Quæsito sequenti.* Novissimè in Concilio Tridentino interfuerunt septem Abbates; ac septem Generales Religionum, atque à septima Synodo Generali infrà semper Abbates in ea intervenisse testantur Jacobat. *cit. de Concil. d. lib. 2. artic. 2.* Azor. *instit. Moral. p. 2. lib. 5. c. 12. q. ult.* & Franciscus à Coriolano *in Compend. Conciliorum in princ. prælud.* Quòd antea voluerunt gloss. *in can. conveniensibus, 1. q. 7.* Archid. *in can. statuimus §. sed hoc, 1. q. 1.* idem Archidiac. & Alex. *in d. can. convenientib.* idem Alexan. *in c. canones, 15. dist.* Dominic. *in c. & Apostolica, de re jud. in notabilibus*, S. Ant. *3. part. Sum. tit. 24. cap. 2.*

5 Ad objecta in contrarium respondetur, quòd licet jure communi Abbates non sint ad Generalem Synodum convocandi, cum simpliciter, & propriè tantùm ad Episcopos spectet in ea intervenire, ut probant Bellarm. *de controvers. Christ. Fid. tom. 1. de Conc. & Eccles. lib. 1. cap. 15.* Azor. *d. lib. 5. cap. 11.* tamen ex privilegio Sedis Apostolicæ, vel ex consuetudine nihil obstat, quòd ad eam sint convocandi, ut de facto diximus, illos convocatos fuisse, ac in nonnullis Generalibus Conciliis interfuisse. Ita Dominicus, D. Antoninus, Archidiaconus, & Cardinalis Alexandrin. Bosell. & Brixien. apud Jacobat. *loc. cit. col. 8. vers. sed contrarium, litera D. & col. 19. vers. hodie tamen, litera etiam D.*

Ex eo, quia in Conciliis alii intersunt, ut Judices qui dicuntur suffragium decisum habere; alii ut disputando examinent difficultates, qui dicuntur habere suffragium consultivum; alii, ut ministrent, quales sunt Notarii, & Custodes; alii ut defendant Concilium, videndum est, an Abbates habeant in Synodo Generali suffragium consultivum, vel decisivum.

QUÆSITUM II.

Utrùm Abbates in Concilio Generali decisivum, vel consultivum tantum suffragium habeant, ac illi se subscribant.

SUMMARIUM.

1 *Abbates habentes jurisdictionem quasi Episcopalem, sunt de necessitate ad Oecumenicam Synodum convocandi*, & num. 5.

2 *Abbates habent in Conciliis votum decisivum, sicut Episcopi.*

3 *Abbates primis sex Conciliis non fuerant vocati, quia erant subditi Episcopis.*

4 *Abbates à quo tempore citrà ad Generalia Concilia admitti, & iussi se subscribere cœperint.*

5 *Generales religionum ad concilium vocandi sunt.*

6 *Abbates plures, qui Generalibus Conciliis interfuerunt, referuntur.*

7 *Abbates quidam Congregationis Vallis-Umbrosæ, qui Conciliis Generalibus infuerunt, recensentur.*

8 *Prælati inferiores Episcopis, Conciliis intervenire debent.*

9 *Abbates, & alii Prælati, ut sciant quando Conciliis debent intervenire, citandi sunt.*

1 Panormitanus *in quæst. 1.* quæ incipit: *Episcopus, & quidem Rector, n. 28. circa finem*, ait, quod Abbates habentes jurisdictionem quasi Episcopalem, sunt de 2 necessitate ad Oecumenicam Synodum convocandi; habentque in ea votum decisivum, sicut & Episcopi: hoc probatur ex *c. convenientibus, 1. q. 7.* ubi dicitur, quòd Abbas in Concilio Papæ locum tenuit; & Abbates quamplures vocem decisivam in Concilio dederunt, sicut Episcopi.

Præterea in *c. Adrianus il 2. 63. dist.* dicitur, quòd Synodus illa celebrata fuit à 153. Religiosissimis Episcopis, & Abbatibus, & sic illi Abbates Episcopis comparantur.

Insuper glos. *in d. can. convenientibus, verb. Monachis.* ait: Abbates debere Concilio interesse; licèt secus dicat de Monachis simplicibus.

Et licèt in primis illis sex Conciliis Abbates vocati non sint, nec interfuerint, id factum fuit, eo quia tunc Abbates erant Episcopis subjecti, nec dum exemptionis privilegio à Romana Ecclesia muniti; unde Conciliorum decreta ipsis Abbatibus Episcopi tradebant, & denunciabant, & ut ea susciperent, eisque parerent, sua auctoritate præcipiebant. *Can. decernimus, 18. dist.* 3

Postea à tempore septimæ Synodi citra cœperunt Abbates ad Oecumenica Concilia admitti, ut patet in *d. can. convenientibus, & d. can. Adrianus 2.* & sic consuetudine introductum est, ut etiam Abbates Episcopalem, seu quasi jurisdictionem habentes, necnon etiam Religionum Generales in Generali Synodo tanquam Judices intersint, ac in ea se subscribant, suffragium decisivum, ac definiendi jus habentes. Ita Jacobat. *de Concil. lib. 2. a. 2.* ubi plures citat, Bellarm. *de Concil. & Eccles. lib. 1. cap. 15. vers. ad Catholicorum*, Azor. *instit. Moral. part. 2. lib. 5. cap. 11. q. ult.* Et hoc est intelligendum tam de Abbatibus secularibus, quàm de Regularibus, dummodo quasi Episcopalem jurisdictionem habeant, ut ex citatis Doctoribus colligitur. Ex his patet, antiquum esse in Ecclesia Dei, Abbates in Conciliis suffragium dare, ut ex eorum inscriptionibus, in fine cujuslibet Concilii appositis, potest intueri. 4

Et primò in Concilio Toletano circa tempora Agathonis Papæ, vel secundum alios, Leonis Papæ II. anno 681. vel, ut alii dicunt, 685. in quo D. Samuel, D. Gundalphus, D. Lefrasias, D. Theodoratus, D. Bateradus post subscriptionem Episcoporum eisdem Conciliis interfuerunt, & se subscripserunt. Et in alio Concilio Toletano 8. anno 653. celebrato sub Martino I. D. Fugitivus, D. Anatolius, D. Eutychius, D. Ilephonsus, D. Sempronius, D. Eumerius, D. Quiriacus, D. Morarius, D. Joannes, D. Secundinus, omnes Abbates, qui si ab Episcopis tunc temporis non erant exempti, & tamen eisdem Conciliis se subscripserunt, multò magis Abbates exempti. Idem videri potest in aliis Conciliis, & præcipuè in Lateran. sub Innocentio III. anno 1225. cui multi Abbates subscripserunt, sicut testantur acta ejusdem Concilii *in fin.* aliquando etiam pro Episcopis, & tanquam eorum Vicarii subscripserunt, ut videre est in Concilio Cabilonen. tempore Vitaliani Papæ celebrato. Ne autem prolixus videar, omnes Abbates, qui aliis Conciliis, usque ad Conc. Florentinum subscripserunt, omittam, & breviter dicam, quòd Concil. Florentino, Lateranensi, aliisque Conciliis, ac postremò Tridentino, Abbates multi subscripserunt: de Conciliis Florent. Abbatum subscriptione vide in actis ejusdem Concilii, celebrati sub Eugenio IV. anno Dom. 1439. inter quos libuit mihi quosdam Abbates meæ Religionis Vallis-Umbrosæ peritissimos, hic apponere, non omnes, sed aliquos, qui fuerunt isti, nimirum Reverendissimus D. Placidus, Abbas Generalis Vallis-Umbrosæ, D. Benedictus Abbas S. Pancratii de Florentia, D. Franciscus Abbas S. Mariæ de Pacciano, D. Joannes Gratianus Abbas de Ripolis prope Florentiam, D. Bertaccius Abbas Sanctæ Mariæ de Monte plano, D. Bartholomæus Abbas Sanctæ Mariæ de Bibona, & multi alii ex omnium Monachorum Ordinibus. Multi enim annotati non fuerunt in actibus hujus Concilii, quia priusquam subscriptio fieret discesse- 7

discesserunt; & Concilio Lateranen. multi subscripserunt Abbates diversarum Religionum, & ex Religione mea Vallis Umbrosæ inter alios D. Blasius Milanesius Abbas Generalis, vir undequaque insignis. Ita habetur in fine ejusdē Conc. celeb. sub Julio II. & Leone X. an. 1517. Concilio Tridentino subscripserunt similiter Abbates, inter quos fuerunt Ludovicus de Baiseji Gallus, Abbas Cisterciensis, D. Stephanus de Navaria Abbas S. Mariæ Gratiarum prope Placentiam, D. Augustinos Losp us Hispanus Abbas S. Benedicti de Ferraria Casinensis, D. Eusebius de Cordes Antverpiensis Abbas pro titulo.

8 Non solùm Abbates, verùm etiam alii Prælati inferiores ad Concilium admittendi sunt, & possunt in Concilio proponere, ut habetur in *can. ubi num. 96. distinct.* Et complero Concilio, Cardinales, Episcopi, & Abbates subnotabunt eorum nomina, imponendo suæ dignitatis titulos, eo modo, ut dictum est in subscriptione particularium suprà relatorum, qui cum proprio nomine etiam titulum dignitatis appofuerunt: ita servatum fuisse in Concil. Eugenii IV. Ferrariæ incepto, & Florentiæ completo, affirmat Alphons. Alvarez *in Thesaur. Christian. Religion. cap. 51. §. 2. numer. 24.*

9 Ad hoc autem, ut sciant Abbates, & alii Prælati, qui debent interesse Conciliis, quando ad ea accedere debeant, citandi sunt; forma autem citationis erit, quòd Summus Pontifex, vel ejus Legatus jubeat, ut omnes Prælati veniant ad Concilium Generale, assignando eis tempus, & locum; ita notatur in *l. aut qui aliter, ff. quod vi:* aut citatio, quam facit Summus Pontifex, debet fieri per literas Apostolicas, ut habetur in *c. dilecti, de dolo, contumacia, in verb. volentes*; quæ verò fit à Legato Papæ, debet fieri per literas continentes tenorem literarum Apostolicarum, ex *cap. cùm in jure, de offic. deleg.*

QUÆSITUM III.

Quis locus in Generali Concilio Abbatibus competat.

SUMMARIUM.

1 *Abbates in Oecumenica Synodo primum locum post Episcopum juniorem, vel illius Procuratorem, habere debent.*

2 *Abbates precedunt Generales Ordinum, qui non sunt Abbates, quia sunt in priori gradu dignitatis post Episcopum.*

3 *Abbates inter seipsos illi primum locum obtinent, quorum Ordinum Regula prius approbata fuit.*

4 *Abbates Canonicorum Regularium Lateranens. & Abbates Monachorum Casinensium in Conciliis Generalibus, quam praecedentiam inter se observent.*

5 *Inter Abbates ejusdem Ordinis prior ad Abbatiam assumptus precedere debet.*

1 RESpondeo, cùm in Synodo Oecumenica præter Episcopos, solùm Abbates, ac Ordinum Generales interesse debeant; locus Abbatum erit immediatè post Episcopum Juniorem, ut docent Panorm. *in c. 2. num. 2. de judic. & in cap. ex ore, num. 3. de privileg.* Thom. Campeg. *de Concil. cap. 15. num. 17. & seq.* Hav. Cherub. *in Compend. Bullar. tom. 2. constit. 24. Pii IV.* Et debent sedere ante Episcoporum absentium Procuratores, prout etiam observatur in Synodo Provinciali, & tradit Franc. Leo *in Thes. for. Eccles. part. 1. c. 9. n. 5.*

2 Unde illi præcedent Generales Ordinum, qui non sunt Abbates, eo quia Abbatia est in priori dignitatis gradu post Episcopatum, ut patet ex *can. si quis deinceps, 16. q. 7.* & per plura alia loca Juris Canonici, quæ infrà suo loco afferemus; tradit etiam Cardinal. Jacobat. *lib. 1. tractat. de Concil. titul. de ordine sedend. in Concil. circa fin. vers. post præmissos.*

3 Inter seipsos primum locum obtinebunt Abbates illius Ordinis, cujus Regula priùs à Sede Apostolica approbata fuit.

4 Adverto autem, quòd ex Abbatibus Congregationis Canonicorum Regularium Lateranens. & Congregationis Casinens. quamvis ex decreto à Pio IV. confirmato, quando capitulariter cum suis Monachis incedunt, primus locus Abbatibus Canonicorum Regularium Lateranensis Congregationis debeatur; tamen ut ex eodem decreto habetur, quando de per se, absque eorum Conventibus in Conciliis Generalibus, Provincialibus, & Synodalibus, & aliis actibus publicis, & privatis intervenerint, præcedent, ac præferendi erunt, dignoremque locum obtinebunt, qui Priores ad Abbatiam promoti fuerunt, nec dignitas à Congregatione, & Ordine, sed à promotione attendenda est, ut habetur in d. decreto, quod refert Navar. *in comment. 4. de Reg. num. 5.* & nos latè infrà *Disput. seq. quæst. 1.*

5 Inter Abbates autem ejusdem Ordinis, ille dignioremlocum obtinebit, qui prior ad Abbatialem dignitatem assumptus fuit; *l. 1. ff. de Albo scribendo lib. 1. Cod. de consil. lib. 12.* & dicemus latè infrà in hac disputatione.

QUÆSITUM IV.

Utrum Abbates ad Diœcesanam Synodum accedere teneantur.

SUMMARIUM.

1 *Abbates, & Prælati Regulares exempti ad Diœcesanam Synodum accedere non tenentur.* Limita, ut num. 3. & 4.

2 *Accedere ad Synodum Episcopi est signum subjectionis.*

5 *Abbates, si essent Parochialium Rectores, tenerentur ad Synodum accedere, etiamsi essent nullius Diœcesis,* sed limita, ut num 6.

7 *Episcopus, vel alius loci Ordinarius, nihil exemptis in Synodo præcipere potest extra ea, quæ animarum curam concernunt.*

8 *Abbates, & Prælati seculares, etiam exempti, ad Diœcesanam Synodum accedere tenentur.*

9 *Abbates, & Prælati inferiores in Synodis Provincialibus decisivum votum habent.*

10 *Procuratores Abbatum, & aliorum Prælatorum inferiorum, in Synodo Provinciali votum consultivum tantùm habent.*

1 CErtum, & indubitatum est, Abbates, & Prælatos Regulares exemptos nullo modo ad Synodum Diœcesanam accedere teneri, *cap. ex ore,* & ibi Panorm. *num. 1. de privileg.* gloss. *cap. ut Apostolica verb. videtur, & cap. exemptione, verb. curam, de privileg. in 6.* Archidiac. *c. Abbates eel. fin. 18. quæst. 2.* Federic. *cons. 183.* & alii communiter, & clarè colligitur ex Conc. Trid. *sess. 24. de reformat. cap. 2.* ubi sic habetur: *Synodi quoque Diœcesanæ celebrentur, ad quas exempti etiam omnes, qui aliàs cessante exemptione interesse deberent, nec Capitulis Generalibus subduntur, accedere teneantur.*

At Abbates Regulares Capitulis Generalibus subduntur, ergo ex dispositione Concilii ad Synodum accedere non tenentur.

2 Præterea probatur, nam accedere ad Synodum Episcopi, est signum subjectionis, *cap. fin. de caus. possess. & propriet.* Specular. *de testam. §. nunc videndum, vers. intendit probare,* Nicol. Mil. *in reperter. verb. Episcopus 5. 1.* & apud omnes indubitatum esse, ait Erasm. Chokier. *de jurisd. Ordin. in exempt. part. 4. quæst. 19. num. 1.* At Abbates exempti sunt ab Episcopi juris-

pi jurisdictione (eos enim, ut tales supponimus, & de his modò loquimur:) ergo non debent ad Synodum, ab ipso Episcopo convocatam accedere; aliàs enim nihil operaretur exemptio.

3 Limitatur tamen, nisi adsit consuetudo, ut ad Synodum vocentur per can. fin. 18. quæst. 2. Vel nisi ha-
4 beant Capellas, & Ecclesias Parochiales cum cura animarum, etiam suo Monasterio annexas; quia tunc ad Synodum accedere tenentur, sive exempti sint, sive non, vel mittere Capellanos, qui illas administrant per text. in d. cap. ex ore, de privileg. & cap. 1. juncta gloss. in verb. instituta, de privil. in 6. & cap. quod super his, juncta gloss. de majorit. & obed. Concil. Trident. d. cap. 2. ibi: *Ratione tamen Parochialium, aut aliarum sæcularium Ecclesiarum, etiam annexarum, debeant ii, qui illarum curam gerunt, quicunque illi sint, Synodo interesse.* Et ratio est; quia cùm Regulares Curati subsint, quoad curam animarum, correctioni, & visitationi Episcopi, ex dispositione ejusdem Concilii sess. 25. de Regul. cap. 11. debent ad Synodum convenire, ad hoc, ut de ejus statutis, & ordinationibus informentur. Præterea id etiam probatur ex illis verbis Concilii ejusd. cap. 2. d. sess. 24. de reformat. per quæ statuitur, quòd ad Synodum Diœcesanam omnes illi accedere debeant, qui aliàs, cessante privilegio exemptionis, ad eam accedere tenerentur; ait Parochialium Ecclesiarum Rectores, cessante privilegio exemptionis, Synodo interesse tenentur, d. cap. quod super his de majorit. & obed. ergo, &c. Atque ita Joan. Franc. Leo. in Thesaur. fori Eccles. part. 1. cap. 9. numer. 13. Piasec. in praxi nova Episc. part. 2. c. 2. num. 2. & Dominus meus Joan. Anton. Massobr. de Synod. Diœces. cap. 3. dub. 2. d. num. 2. D. August. Barbos. de offic. & potest. Episc. part. 3. alleg. 93. num. 5. Laurent. de Peirin. in exposit. Constitut. 2. Julii II. pro suo Ord. Minim. num. 64. tom. 1.

5 Immò si Abbates essent Parochialium Rectores, tenerentur, ad Synodum venire, etiamsi sint nullius Diœcesis, tunc enim accedere debent ad Synodum viciniorem, ut decisum fuisse à Sacra Congregatione, refert Franc. Leo, loc. cit. & tenent Sayr. in florib. decis. sub tit. de offic. Ordin. decis. 11. citatus à Riccio, in collect. decis. part. 4. collect. 1151. Piasec. d. num. 2. vers. & non solum, D. Augustin. Barbos. d. alleg. 93. num. 7. & ad id cogi poterunt dicti Rectores Regulares per censuras Ecclesiasticas, d. cap. quòd super his, Massobr. d. cap. 3. numer. 7. Laurent. de Peirin. loc. etiam citat. numer. 65.

6 Hoc tamen sublimita, nisi habeant privilegium non veniendi ad Synodum, cap. nimis prava, de excess. Prælat. cap. quoniam per Confessionem, de privileg. Hostiens. & Imol. apud Erasm. Chokier. d. quæst. 19. n. 5. Massobr. d. dub. 2. num. 3. vel ut idem Massobr. subdit. num. 4.) nisi essent jam in possessione, & consuetudine non veniendi: tenentur etiam Abbates in Synodo comparere, si citentur, vel adversus illos opponantur querelæ in iis casibus, in quibus Episcopus contra ipsos ordinaria, vel delegata jurisdictione procedere potest, per can. propter, 18. dist. Piasec. d. num. 2. vers. etsi citentur. Et notandum, quòd Episcopus, vel alius loci
7 Ordinarius nihil exemptis ad Synodum accedentibus, præcipere potest, extra ea, quæ animarum curam concernunt; ut docent Gemin. in can. Episcopus, num. 2. ubi etiam Præposit. num. 1. 18. dist. Felin. in cap. quod super his, num. 1. de majorit. & obed. Bottæus in tract. de Synod. part. 2. num. 4.

8 Abbates autem seculares, etiamsi sint exempti ad Episcopalem, seu Diœcesanam Synodum venire tenentur ex Concil. Tridentin. d. cap. 2. ubi statuens, ut exempti omnes, qui aliàs cessante exemptione, interesse deberent, nec Capitulis Generalibus subduntur, ad Synodum Diœcesanam accedere teneantur, videtur etiam includere Abbates seculares exemptos, ipsi enim cessante exemptione ad Synodum ab Episcopo Diœcesano convocatam venire, illique parere tenerentur, & contemnentes per Ecclesiasticas censuras
compelli possent, d. cap. quod super his, & ibi communiter Doctores de majorit. & obed. & cùm nullis Generalibus Capitulis subdantur, Concilium non videtur eos ab hujusmodi subjectione excludere. 9

Ad Provincialem autem Synodum Abbates, & Prælati inferiores exempti omnes accedere non coguntur, sed ii tantum, qui de jure, vel consuetudine interesse debent, ex Conc. Trid. d. cap. 2. sess. 24. & hi vocem, & votum decisivum in eo habent.

Eorum autem Procuratores vocem tantùm consul- 10
tivam habere possunt, ut super d. cap. 2. decisum fuisse, testatur Franc. Leo in Thesauro for. Eccles. part. 1. c. 9. num. 7. qui procuratores in ea sedere habent post Procuratores Episcoporum absentium.

QUÆSITUM V.

Quis locus in Diœcesana Synodo Abbatibus competat, quove amictu, ac quibus ornamentis in ea uti debeant.

SUMMARIUM.

1 *Abbatibus in Synodo primus locus post Episcopum competit.*

2 *Denominatio prior majorem dignitatem denotat.*

3 *Canonici Cathedralis Ecclesiæ collegialiter incedentes, vel sedentes, præcedunt Abbates; secùs autem si collegialiter non incedunt,* & num. 5.

4 *Abbates titulares, vel habentes usum Mitræ, Commendatarios præcedunt.*

5 *Abbates Commendatarii, omnesque alii Prælati inferiores, præcedunt Canonicos Cathedralis Ecclesiæ collegialiter non incedentes.*

HEnricus Bottæus in tract. suo de Synodo, part. 3. num. 10. & seqq. agens de locis, quæ in sedendo
in Diœcesana Synodo interessentibus competunt, primum locum post Episcopum Abbatibus assignat: & hoc jure merito, nam Abbatia est dignitas prima post Episcopalem, ut notat Bald. in cap. pastoralis, gloss. in verb. Superioris, de offic. delegat. quem sequuntur ibi Fel. col. 4. & Modern. est text. in auth. habita C. ne filius pro patre, & in cap. decernimus de judic. c. fin. de offic. deleg. in 6. cum similibus allegatis per Decium in d. cap. decernimus, in quibus Abbas nominatur primo 1
loco post Episcopum, at ex priori nominatione major 2
dignitas arguitur, gloss. in can. bene, verb. Mediolanen. 96. dist.

Sed limitatur hoc modo, scilicet, ut non præce-
dant Canonicos Cathedralis Ecclesiæ collegialiter incedentes, vel sedentes, quia cùm tunc repræsentent Cathedralem Ecclesiam, quæ semper plus aliis honorari debet, sunt Abbatibus præferendi, Dominic. in cap. quamvis sl. 1. §. quamquam 3. notat. de præbend. in 6. Felin. in cap. postulasti num. 4. vers. fallit tertiò, de rescript. Cassan. in Catalog. glor. mund. part. 4. consid. 32. Graff. dec. aur. part. 1. lib. 3. c. 5. n. 13. & Franc. Leo in Thesaur. fori Eccles. part. 1. cap. 2. num. 51. 3

Quando autem Canonici, & dignitas Cathedralium non collegialiter, sed singulariter incedunt, vel sedent, tunc Abbates benedicti habentes jus Baculum deferendi, & Mitram, illos præcedunt. Cassan. d. consid. 32. Navar. consil. 2. de majorit. & obed. p. 1. Felin. ubi proximè Franc. Leo d. cap. 2. & cap. 9. num. 5. & præcedunt omnes alios Abbates usum Mitræ, & Baculi non habentes, Navar. consil. 1. num. 5. eod. tit.

Abbates titulares, vel habentes usum Mitræ Com- 4
mendatarios denique præcedunt, ut decisum fuisse à Sacra Congregatione, refert idem Franc. Leo d. cap. 9.
num. 4. At Abbates Commendatarii, omnesque alii 5
Abbates

Abbates tam ſeculares quàm Regulares, præcedunt Canonicos Cathedralis Eccleſiæ collegialiter non incedentes, vel ſedentes: omnes enim, qui ſunt capits Eccleſiarum, in quibus habent juriſdictionem in foro contentioſo ſuper eos, qui ſunt de ſuo Collegio, de jure non ſolùm dicuntur habere dignitatem, verùm etiam ſunt Eccleſiæ Prælati, gloſſ. *in cap. cùm Eccleſiarum*, ubi Panormit. *n.* 10. *de offic. Ord.* Caſſan. *d. conſid.* 32. *& conſid.* 34. Navar. *conſ.* 4. *num.* 2. *&* 3. *tit. de majorit. & obed.* Franc. Leo *d. cap.* 9. *num.* 5. de quibus omnibus *in Diſputatione de præcedentia Abbatum, & Prælatorum inferiorum* latiùs dictum fuit.

QUÆSITUM VI.

Quo amictu, & quibus ornamentis utuntur Abbates in Conciliis Generalibus, & Synodis, ac Capellis Pontificis, & Conſiſtoriis, necnon equitationibus ſolemnibus, & quem ordinem in illis obſervare debeant.

SUMMARIUM.

1 *Abbates exempti, utentes Mitra, & aliis Pontificalibus in Conciliis, & Synodis, ornantur Mitris auriphrygiatis, laminas aures, vel argenteas non habentibus, ſed limita,* ut num. 3. & 4.

2 *Abbates non exempti in Conciliis, & Synodis utuntur Mitris ſimplicibus albis, & planis.*

3 *Abbates in Conciliis, & Synodis, & publicis ſeſſionibus Pluviali rubeo induuntur.*

5 *Locus Abbatum in Conciliis, & Synodis qualis eſſe debeat.*

6 *Abbates Urbis in Coronatione Summi Pontificis jam præcedebant Epiſcopos, & Archiepiſcopos,* & numer. 10.

7 *Abbates in proceſſionibus, quo amictu, & ornamentis procedere debeant.*

8 *Abbates in Capella Pontificia, & Conſiſtorio, quibus indumentis ornentur, & quem locum obtineant.*

9 *Abbates in equitationibus ſolemnibus cum paramentis, vel ſine, equitant immediatè ante Epiſcopos non aſſiſtentes.*

11 *Exempla prædictarum præcedentiarum, & ornamentorum Abbatum cum aliis Prælatis in Capella Pontificia, & in proceſſione Corporis Chriſti recenſentur.*

AMictus, & ornamenta Abbatum in Conciliis, & Synodis, non ſolùm in Cæremonianis inferiùs citandis determinantur, verùm etiam in ſacris Canonibus, & Doctoribus; videatur *cap. ut Apoſtolicæ de*
1 *privileg. in* 6. in quibus ſtatuitur, ut Abbates, quibus ex privilegio conceſſum eſt, ut Mitra, & aliis Pontificalibus uti poſſint, ſi exempti ſunt, in Conciliis, & Synodis Mitras suriphrygiatas, non tamen aureas, vel argenteas laminas habentes, geſtare poterunt.

2 Quòd ſi exempti non ſint, ſimplicibus albis, & planis utantur, notant Joan. Andr. Franch. & alii, *ibid.* Speculat. *lib.* 4. *part.* 4. *rub. de privileg. & exceſſ. privilegiat, num.* 9. Nicolaus Boher. *de auctor. magni Concilii part.* 1. *num.* 15,

3 Quòd autem Abbates exempti in Synodis uti poſſint Mitris auriphrygiatis, intelligendum eſt in Synodis, & Conciliis Provincialibus, & Diœceſanis; non autem in Concilio Generali, in quo nec Epiſcopi uti poſſunt Mitris auriphrygiatis, ſed tantùm planis, & albis. Ita Cardin. Jacobat. *de concil. lib.* 1. *rub. de loco ſeden. in Concil. verſ. poſt præmiſſos ſedebunt Abbates.*

Quibus ſic in Sacris Canon. & Doct. oſtenſis, circa eadem clariùs, quoad ornatum, ordinem, & locum Abbatum in Conciliis, & Synodis, annotat Andreas Piſcata *in Praxi Cæremoniarum lib.* 1. *ſect.* 9. *cap.* 8. ſcilicet, quòd cùm Abbates habeant in Conciliis Generalibus, & Synodis de jure votum deciſivum, & conſultivum, ut diximus, oporter quòd non ſolùm ad prædicta Concilia accedant, ſed in publica ſeſſione
Pluviali rubeo induti, cum Mitra ſimplici ſedeant, 4
quod etiam habetur in *Carem. Rom. lib.* 1. *ſeſſ.* 14. *cap.* 3.

Notat ſimilitet idem Andreas Piſcara, *loc. cit.* quòd
Abbatis locus tam in Concilio provinciali, quàm Ge- 5
nerali, erit poſt Epiſcopos immediatè; habetur etiam ex *Carem Epiſc. lib.* 2. *cap.* 31. Si verò Diœceſanæ Synodo interſint, cùm capitulariter Canonici ſimul cum Epiſcopo conveniant, tunc exiſtente Epiſcopo cum ſuis Canonicis (qui cum illo unum corpus efficiunt) à latere dextero; Abbates à latere ſiniſtro ante omnes ſebebunt: in reliquis verò publicis functionibus Abbates ſedere ſemper conſueverunt
immediatè poſt Epiſcopos: immò Abbates Urbis in 6
coronatione Summi Pontificis præcedebant Epiſcopos, & Archiepiſcopos ſedentes inter aſſiſtentes Epiſcopos; nunc verò juxta emendati Cæremonialis regulas eorum locus mutatus eſt, ut infrà.

Notandum eſt etiam cum ſupradicto Andrea, quod 7
Abbates in proceſſionibus Pluvialibus induti cum Mitris procedunt, & ita etiam parati Sanctorum Corpora, vel reliquias deferre conſueverunt, ſicut in proceſſione ſolemni à Sancto Carolo Archiepiſcopo Mediolanenſi celebrata, Abbates Caſinenſes Corpus Sancti Simpliciani ſolemniter, unà cum ipſo Archiepiſcopo, tranſtuliſſe, legitur *in Vita ejuſdem S. Caroli* à Guſan. *deſcripta.* Hæc notat ſupradictus Andreas Piſcar. *loc. cit.*

Quo verò ad Capellam Pontificiam, & Conſiſtorium, & ſolemnem equitationem, necnon permixtim, quoad alia in Quæſito præſenti inſinuata, notanda ſunt
ea, quæ ſcribit Michael Leonicus *in ſuo Speculo ſacra-* 8
rum Cæremoniarum, verb. Abbas, §. *Abbatis*, prætogativæ, & præeminentiæ, nimirùm, quòd in Capella Pontificia, & in publicis Conſiſt. pro Canonizatione Sanctorum, Abbates induti ſuis quotidianis veſtibus ſedeant poſt Epiſcopos non aſſiſtentes; & ab ultimo illorum in Miſſis dignior pacem recipit, quam aliis ſui Ordinis diſtribuit. Non intelliguntur tamen propterea præcedere Protonotarios; quia poſt Epiſcopos non aſſiſtentes pacem recipiunt; nam thurificatio ipſa gradus melius diſtinguit, quàm pax: thurificantur enim in eadem Capella poſt ultimum Protonotarium immediatè, & poſt eundem feria ſexta majoris hebdomadæ, Crucem adorant; candelas verò, cineres, palmas, & agnos, quando dantur, recipiunt Pluvialibus, & Mitris induti, poſt Epiſcopos non aſſiſtentes; ratione enim paramentorum tunc Protonotariis præferuntur; eo caſu tamen oſculantur (ut Graſſus inſinuat in *diariis ad annum.* 1513. Conc. Lateran. *ſeſſ.* 8.) pedem Pontificis, & non genu.

In equitationibus ſolemnibus cum paramentis, vel 9
etiam ſine paramentis, equitant immediatè ante Epiſcopos non aſſiſtentes, vel poſt Protonotarios, ſi eis poſt Pontificem equitandum eſt: nam Protonotarii ſemper equitant poſt Pontificem.

In die verò Coronationis novi Pontificis Maximi 10
in proceſſione ad Baſilicam Sancti Petri, in qua ſolemni, ad Lateranum equitatione Abbates Urbis induti Cappis, & Pileis ſolitis, vel Pluvialibus, & Mitris, ſi in ſacris veſtibus equitandum ſit, ex antiquiſſima Romanæ Eccleſiæ conſuetudine præcedebant Archiepiſcopis, & Epiſcopis omnibus, non aſſiſtentibus; atque inter ipſos, ac Prælatos aſſiſtentes equitant, vel incedunt. In Lateranenſi Concilio ſub Julio II. Abbates Urbis ſederunt ſuper alios omnes, ut notat Graſſ. *in diar. ſeſſ.* 1. *Lateranenſ. Concilii*; ita refert Idem Leonicus *loc. cit.*

22 In processione diei Corporis Christi an. 1606. post Pœnitentiarios incesserunt duo Abbates Mitrati & post eos Episcopi non assistentes. Refert Mucantius Junior *in diariis suis.*

Abbas Generalis Monachorum Montis Oliveti die Pentecostes in Capella Pontificis Ferrariæ ann. Christi 1598. sedit post ultimum Protonotarium, quia id sede Episcoporum non assienstium sedere non potuit, quia locus non aderat, post quem sedere debuissent, si fuissent præsentes, aliorum Ordinum Generales ex decreto Greg. XIII. an. 1580. de quo Mucantius idem *in fin. tom. 1. Diar. & princ. 2.*

Inter Abbatem Generalem Ordinis S. Basilii, & Generalem Ordinis Minorum Conventualium, ac Procuratores Prædicatorum, & S. Augustini Eremitarum, anno 1605. primo Pontificis Pauli V. orta est discordia de præcedentia; declaratum fuit ad favorem Abbatis; quia sic etiam decisum fuerat tempore Clementis VIII. die 28. Jun. 1679. & etiam sub Gregor. XIII. Abbates sedebant ante omnes Generales Mendicantium; quia dictum est, quòd Ordo S. Basilii est antiquissimus omnium Ordinum Monachorum, propterea in festo Nativitatis ejusdem anni sedit post Pœnitentiarios paratos immediatè; & asseverat *in Diariis suis* Mucantius Junior *per Congregationem Sacrorum Rituum eodem anno ad favorem ejusd. Abbatis declaratum fuisse lib. Diar.*

QUÆSITUM VII.

Utrùm Abbates, & Prælati inferiores, habentes territorium cum jurisdictione Episcopali, possint Synodum congregare.

SUMMARIUM.

1 *Synodorum genera quot sint.*
2 *Abbates, & Prælati omnes, qui sunt locorum Ordinarii, possunt Synodum congregare eodem jure, quo possunt Episcopi.*
3 *Abbates aliqui ex illis, qui Synodum congregant, recensentur.*

1 PRo majori intelligentia hujus Quæsiti sciendum, tria esse genera Synodorum: Alia enim est Synodus Generalis, ad quam de jure conveniri debent omnes Episcopi, ac de consuetudine, vel privilegio etiam Abbates, & Generales Ordinum, ut *suprà* visum fuit; Alia est Provincialis, & ad eam congregantur omnes alicujus certæ Provinciæ Episcopi, *c. porrò dist. 3.* Tertia est Synodus Diœcesana, quam ad obviandum Ecclesiarum incommodis in dies nascentibus, & ad mores Cleri reformandos, ac controversias componendas, ordinarunt Sacri Canones, ac Sacrosancta Tridentina Synodus, à quolibet Episcopo in sua Diœcesi semel in anno congregari, *can. quoniam. dist.* 18. Conc. Trid. *sess. 24. de reform. cap.* 2. Hujusmodi Synodum
2 Diœcesanam congregare possunt omnes illi Abbates tam seculares, quàm Regulares, qui sunt locorum Ordinarii eodem jure quo possunt Episcopi. Nam cùm congregatio Synodi spectet ad potestatem jurisdictionis, non autem ad potestatem Ordinis, non est cur Abbates, qui sunt locorum Ordinarii, & habent jurisdictionem quasi Episcopalem, ac Regulariter possint omnia, quæ sunt jurisdictionis, juxta gloss. *notab. in Clem. 1. verb. proprii, de reb. Eccles. non alienandis.* non possint illam congregare, prout illam actu congregarunt, & congregant Abbates Casinen. in sua Diœcesi D. Germani, multos ab hinc annos, nempe an. 1286. sub Honorio IV. & postmodum continuarunt illam congregare usque ad præsentem annum 1626. in quo D. Simplicius Caffarellus ejusdem Monasterii Abbas & illius Diœcesis Ordinarius, eam congregavit sub Sanctissimo Domino Nostro Urbano VIII. sicut fecerat suus prædecessor D. Paulus à Parma anno 1620. sub Paulo V. ut latiùs videri potest in Synodo prædicta D. Simplicii celebrata, *impress. Romæ sess. ejus. 1. c. 1.* ubi recensentur quamplurimæ Synodi à nonnullis Patribus Abbatibus ejusdem insignis Monasterii Montis Casini antea congregatæ. Idipsum etiam faciunt nonnulli alii Abbates locorum Ordinarii, tam in Italia, quam extra: in Italia, Abbas Sanctissimæ Trinitatis Caven. Ordinis Casinensis, & Abbas S. Mariæ de Vangaditia in Policinio Ordinis Camaldulensis, & Abbas S. Mariæ de Bagno dicti Ordinis Camaldulensis, & Abbas Nonantulæ Ordinis Cisterciens. & Abbas Montis Regalis Ordinis Casinensis, & multi alii, qui de facto habent jus congregandi, vel olim habuerunt; similiter multoties Abbates præcipuè in Anglia, qui cùm loca Episcoporum, & Archiepiscoporum tenerent, Synodum congregasse fatendum est, & nonnulli ex his Abbatibus recensentur, affirmat Clem. Reyner. *de antiquitate Benedictinorum in Ang. sec. 2. §. 3. in vers. Prioratus Cathedrales, quorum Abbates erant Episcopi,* ubi hos Abbates in locum Episcoporum, & Archiepiscoporum, & Monachos loco Canonicorum enumerat: & sunt infrascripti.

Abbas Archiepiscopus Ecclesiæ Christi Salvatoris de Cantuaria.

Abbas Ecclesiæ Conventriensis qui habebat suffragium in Comitiis Parlamentaribus.

Abbas Ecclesiæ Dulnelmensis.

Abbas Cathedralis Ecclesiæ Eliensis in Agro Cantabrigensi.

Abbas Cathedralis Ecclesiæ Nordoniensis.

Abbas Ecclesiæ Cathedralis Wigomiensis.

Abbas Ecclesiæ Cathedralis Wittoniensis S. Swthuni.

Abbas Cathedralis Ecclesiæ Bathoniensis in Agro Somersetensi.

Et multi alii his supradictis similes Abbates Priores, & Prælati Regulares Canonicorum Regularium Lateranens. referuntur à D. Gabriele Pennotto *in Historia tripartita, passim.*

QUÆSITUM VIII.

Utrùm Abbates, & Prælati Regulares ad processiones accedere teneantur.

SUMMARIUM.

1 *Clerici omnes etiam exempti, tam seculares, quàm Regulares, etiam Monachi tenentur ad publicas processiones accedere.*
2 *Regulares an possint cogi omnibus processionibus interesse.*
3 *Regulares in strictiori clausura perpetuò viventes non tenentur ad processiones accedere.*
4 *Regulares item, qui per dimidium milliaris ab Urbe, seu oppido distant.*
5 *Regulares item specialiter ad id privilegiati, non tenentur ad processiones.*
6 *Regulares, si ad tales processiones vocati pluries accessissent, an in posterum teneantur accedere.*
7 *Regulares ad processiones adstricti, si vocati non accedant, an Episcopi per censuras adversus eos procedere possint.*

REgulariter Clerici omnes, etiam exempti, tam seculares, quàm Regulares, etiam Monachi, tenentur ad processiones publicas accedere: & ad id compelli possunt à locorum Ordinariis, prout decisum est in Concilio Tridentino *sess. 25. de Regular. cap.* 13. & notant Roder. *quæst. Regular. tom. 3 quæst. 36. art. 1.* Erasm. Chokier. *de jurisdictione Ordinar. in exempt. part. 2. quæst. 45. num.* 109. Renat. Choppin. *de sacra polit. forens. lib. 2. tit. 6. num.* 18. Franc. Leo *in Thesauro for. Eccles. part. 4. cap. 2. numer.* 143. D. Augustin. Barbos. *de offic. & potest. Episcop. part. 2. allegat.* 78. *num.* 8. & 14. 1

Non

2 Non tenentur tamen exempti sponte comparere, nisi vocentur, ut ait Roderic. *d. art.* 1. Nec etiam omnibus processionibus interesse cogi poterunt, nisi fiant ex aliqua magna causa, ut puta imminente peste seu alio flagello, vel pro pace, aut etiam in novo introitu Episcopi, vel Legati, vel ad generales Litanias, quæ fiunt post Pascha, & ante Festum Ascensionis Domini. Panormitan. *in cap. nimis prava, num. 3. de excessibus Prelat.* Felin. *in c. dilectus, col. 3. sub num. 7. de offic. Judic. Ordin.* ubi alios citat, Chokier *d. n.* 109. Roderic. *d. artic. 1. in fin.* vel ad quas secundum consuetudinem antiquam locorum accedere consueverunt, non tamen ad alias, ut voluit Pius V. *in sua Constitut.* incipien. *Etsi mendicantium*, ubi §. 29. sic ait:

Postremò, quòd *cap. 13. sess. 25.* cautum fuit, quòd omnes scilicet tam Clerici, quàm Regulares quicunque ad publicas processiones vocati accedere compellantur, id quod ad Fratres præfatos de illis tantùm processionibus intelligi volumus, ad quas secundùm consuetudinem antiquam locorum soliti sunt accedere, vel quæ pro bono pacis Ecclesiæ, vel pro victoria contra infideles indicuntur.

Super qua re ita à Sacra Congregatione declaratum invenio.

Ordinarius potest præcipere Regularibus ut eant ad processiones publicas, ut puta in Festo corporis Christi, in Litaniis, & Jubilæis publicis faciendis in plebibus, in quibus ipsi habent Monasteria, dummodo processiones sint ejus generis, quòd in Bulla S. D. N. Pii V. Mendicantibus concessa, *quæ incipit. Etsi Mendicantium*, publicata 17. Kal. Junii anno 1567. comprehendantur: & dummodo Regulares non sint ex illis Conventibus Collegia nuncupatis, quæ in eadem Bulla excipiuntur.

Ita decisum refert Laurent. de Peirin. *tom. 2. privileg. sui Ordin. Minim. in annot. ad Constitut. 7. Pii V.* §. 29. *n.* 25. Hoc idem censuit Congreg. Sacrorum Rituum, dum scilicet respondens Congregationi Casinens. & Monachis S. Sixti Placentiæ commorantibus rescripsit, non esse cogendos dictos Monachos ab Episcopo, ut præter eorum solitum, & consuetudinem accedant ad processiones majores, & minores, Rogationum, sed satis esse, si ad processionem Sanctissimi Sacramenti accedant, juxta eorum solitum, & antiquam consuetudinem; quam consuetudinem, tam dictis Monachis Placentiæ commorantibus, quàm aliis ejusdem Congregationis Casinen. ubique conservandam esse, eadem Sacra Rituum Congregatio declaravit die 10. Junii 1602. subscripsit Ptolemæus Cardinalis Comen. Joan. Paulus Mucantius pro Secretario. Deinde ipsamet Sacra Congreg. decreta, & resolutiones supradictas, aliàs in prædictis Congregationibus factas, servandas esse censuit, ac declaravit sub die 30. Julii 1616. subscripsit Antonius Maria Cardinalis Gallus, Joannes Paulus Mucantius Secretarius Congregationis.

3 Nec item omnes Regulares ad processiones ire compelluntur; nam in strictiori clausura perpetuò degentes (ut sunt Carthusiani, & his similes) ad eas non tenentur, ut disposuit Concilium *loc. cit.*

4 Item Religiosi per dimidium milliaris distantes non tenentur, nec consequenter ab Ordinariis compelli possunt ad processiones accedere; prout à Sacra Congregatione decisum fuisse, referunt Stephan. Quaranta *in Sum. Bullar. verb. privilegia Regularium, pag. mihi 406. & verb. præcedentia col. 2. vers. de præcedentia, in fin.* Piasec. *in sua praxi nov. Episc. part. 2. cap. 3. sub num. 47. circa fin.* Aloys. Riccius *in praxi fori Eccles. resol. 308. n. 3. in 2. edit.* D. August. Barbos. *alleg. 78. n. 21.* Item Religiosi illorum Conventuum, qui Collegia nuncupantur, ad processiones cogi non possunt, ut concessit Pius V. citata Bulla incipien. *Etsi Mendicantium*, ubi *d.* §. 29. *in fin.* sic ait:

Quod etiam de illis Conventibus, qui Collegia nuncupantur, minimè intelligi volumus, in quibus Fratres sub arctiori clausura degunt, ita ut nec in choro cantent, nec ad mortuos accedant, sed tantùm studiis, & lectionibus vacent.

Faciet etiam declaratio Sacræ Congregationis superiùs adducta.

Præterea quando Religiosi Apostolicæ Sedis privile- 5
gio exempti sunt, ne ad processiones ire compellantur;
certum est, eos non teneri. Sed dubitatur, an si ab E- 6
piscopo vocati pluries accessissent, intelligantur, per contrarium usum privilegium amisisse, & sic in posterum ad id compelli possint? Ad quod dicendum est, quod non: quia tale privilegium est meræ facultatis, quod nonnunquam amittitur per non usum, ut patet ex dictis *in Disput. de privileg. Abbatum*, & sic taliter privilegiati possunt ire, si volunt, si autem nolunt, abstinere; tùm etiam quia precariò accessisse videntur, & sic nullum jus Episcopo acquisitum est, ut docet Calderin. *cons. 8. sub tit. de privil.* relatus à Felin. *d. num. 7. in fin.* & Stephan. Quaranta *d. verb. præcedentia, vers. an in casu.*

Cùm autem in prædicto Concilii decreto disponatur, ut Regulares ad publicas processiones vocati accedere compellantur; dubium est, an si vocati venire recusarent, Episcopi possint per censuras contra eos procedere? ad quod respondendum est, eos accedere renuentes, per censuras ad id ab Episcopis adstringi non posse; licèt per alias pœnas Ecclesiasticas, sic; ut privari à confessionibus audiendis, & à prædicatione Verbi Dei in Ecclesiis non proprii ordinis. Ratio prioris dicti est, quia Religiosi pluribus Sedis Apostolicæ privilegiis tuti sunt, ne ab Episcopis, vel aliis quibuscunque Ordinariis ex quavis causa excommunicari, suspendi, vel interdici possint, ut dicetur infrà suo loco. Ratio secundi dicti est, quia cùm ex dispositione Concilii sit eis commissa auctoritas, Regulares ad processiones cogendi; consequenter censetur eis tradita facultas, eos aliquibus remediis, vel aliis viis opportunis ad id compellendi. Atque hanc sententiam sustinent Gambara *in tract. de potest. Legati à latere lib. 8. c. fin. n. 77.* Henriq. *in sum. lib. 7. c. 25. §. 7.* Roderic. *in sum. tom. 1. c. 74. n. 4. & tom. 3. quæst. Regul. quæst. 36. art. 1.* Sanch. pluribus relatis *lib. 7. de matrim. disp. 33. n. 23.* Stephan. Quaranta, *ubi proximè*, Scortia, *in Bullis selectis, theoremate 393. vers. si autem*, Laur. de Peir. *s. p. Ritual. not. 3. & tom. 1. privil. sui Ord. Min. in annot. ad Constit. 2. Sixti IV. n. 60.* contra Maceraten. *dec. Papien. 35. dub. 2.* Genuensis *in praxi Archiepisc. Neapol. c. 45. n. 9.* Ricc. *d. resol* 308. *n.* 6. & alii, quos refert & sequitur D. Aug. Barb. *d. alleg. 78. n. 25.* quorum tamen sententiam audivi, confirmatam fuisse decreto Sacr. Congr. quod nondum ad manus meas pervenit, quod si extat, utique servandum erit.

DISPUTATIO XXV.

De præcedentia Abbatum, & aliorum Prælatorum inferiorum, tam secularium, quàm Regularium, inter alios, & inter seipsos.

Quæst. I. *De præcedentia inter Abbates, & Canonicos Regulares Congregationis Lateranensis, ac Abbates, & Monachos Casinenses, quorum causa orta olim fuerat in Sacro Oecumenico Concilio Tridentino.*

II. *Vtrùm Abbates præcedant Canonicos Cathedralis, vel Collegiatæ Ecclesiæ, an verò ab illis præcedi debeant.*

III. *Vtrùm Abbas Vicarium Episcopi præcedere debeat.*

IV. *Vtrùm, & quando Abbas præcedere debeat alios Prælatos Episcopo inferiores, cæterosque in dignitate constitutos, tam in Ecclesia Cathedrali, quàm in aliis inferioribus.*

V. *Vtrùm Abbates Regulares inter alios seculares, & laicas dignitates, habeant aliquam præcedentiam.*

VI. *De præcedentiis Abbatum inter seipsos.*

VII. *De præcedentiis Prælatorum Regularium, qui Abbates non sunt, inter seipsos.*

VIII. *De præcedentiis Ordinum Regularium inter se in processionibus, & aliis actibus publicis.*

IX. *Abbas secularis exemptus obtinens usum Mitræ, & Baculi, quam assistentiam habeat, si Episcopus loci Ordinarius ad suam Ecclesiam exemptam veniat.*

QUÆSITUM I.

De præcedentia inter Abbates, & Canonicos Regulares Congregationis Lateranensis, ac Abbates, & Monachos Casinenses, quorum causa orta olim fuerat in sacro Oecumenico Concil. Trident.

SUMMARIUM.

1 *Auctor uti merus relator narrat omnia, quæ usque ad hæc tempora* in hac quæst. *scripta & diffinita fuerunt.*

2 *Causam præcedentiæ committit Pius IV. tribus S.R.E. Cardinalibus.*

3 *Origo Canonicorum Regularium deducitur ex Veri Testamento à Levitis.*

4 *Levitarum officium quale erat.*

5 *Antiquitas Religionum inspicitur secundùm tempus Novi Testamenti.*

6 *Sacerdotium Novæ Legis est perfectius, antiquius, & honorabilius.*

7 *Christus duodecim Discipulos, tanquam majores Sacerdotes, septuaginta duos verè, quasi minores instituit.*

8 *Apostoli in singulis Civitatibus Episcopos, & Presbyteros ordinaverunt.*

9 *S. Marcus primus post Apostolos in Alexandrina Civitate fuit Institutor Clericorum.*

10 *Canonici Regulares successerunt loco antiquorum Clericorum.*

11 *Identitas nominis solet arguere identitatem rei.*

12 *Canonici Regulares vocantur Clerici simpliciter, quemadmodum antiqui illi Clerici, ut probatur per multa jura.*

13 *Jura quando volunt intelligere de Clericis secularibus, id exprimunt.*

14 *Clerici antiqui vocabantur etiam Canonici.*

15 *Canonici Regulares Sancti Augustini vocantur etiam Canonici simpliciter, absque eo, quòd apponatur nomen Regularitatis.*

16 *Canonici dicuntur fraterni Clerici, constituti in fraternitate.*

17 *Canonicus quando quis est, necessariò est Clericus, sicut quando quis est homo, necessariò est rationalis.*

18 *Jus Canoniæ, non potest cadere, nisi in Clerico.*

19 *Appellatione Canonicorum, veniunt etiam Canonici Regulares.*

20 *Clerici antiqui vocabantur etiam Regulares.*

21 *Nomen Regularitatis unde provenit.*

22 *Canonicus dicitur à Canon, quod est Regula, quia observare tenetur Regulam à Sanctis Patribus institutam.*

23 *Canonici Regulares conveniunt in habitu cum antiquis Clericis.*

24 *Habitus ex delatione oritur quasi possessio status.*

25 *Habitus antiquorum Clericorum erat lineus institutus à Deo.*

26 *Apostoli usi fuerunt habitu lineo.*

27 *Episcopi induuntur vestibus lineis.*

28 *Canonici Regulares continuè deferunt tunicam lineã.*

29 *Habitus Canonicorum Regularium, propriè est linea tunica.*

30 *Monachis est prohibitus de jure habitus lineus.*

31 *Vestis sola linea est habitus Canonicorum Regularium, cætera verò indumenta sunt ex accidenti, & non mutant Ordinem.*

32 *Monachus albus potest esse Abbas Monachorum nigrorum.*

33 *Habitus interior dicitur de substantia Religionis, non autem exterior.*

34 *Clerici antiqui vivebant in communi.*

35 *Vivere in communi, denotat paupertatem.*

36 *Clerici antiqui vivebant sub obedientia, & in charitate,* ut num. 37.

38 *Apostoli, licèt expressè non profiterentur tria vota, tamen illa observabant.*

39 *Canonici Regulares dicunt Officium Romanæ Curiæ.*

40 *Canonici Regulares abusivè imitantur antiquos Clericos.*

41 *Probatur ex multorum auctoritate, quòd Canonici Regulares descendant ab antiquis Clericis.*

42 *Sancta Mater Ecclesia in festivitate Sancti Augustini, canit sententiam Sancti Possidii, ejusdem discipuli, in qua dicitur, quòd Sanctus Augustinus instituit Monasterium Clericorum, & cœpit vivere secundùm Regulam, sub Sanctis Apostolis institutam.*

43 *Doctrina Catholicorum Doctorum sumpsit auctoritatem à Romana Ecclesia.*

44 *Congregatio Canonicorum Regularium Lateranensium, vocatur Divina in terris familia Clericorũ.*

45 *Canonici Regulares, ad exemplum nascentis Ecclesiæ, servarunt sanctam institutionem.*

46 *Apostoli fuerunt pars immediata Corporis Christi.*

47 *Christus fuit Summus Sacerdos.*

48 *Canonici Regulares servant normam, ac instituta primorum Clericorum Christianæ Religionis.*

49 *Vocantur etiam Canonici Sacri Ordinis.*

50 *Sanctus Marcus post Apostolos primus, in Alexandrina Ecclesia fuit conditor, & institutor Ordinis Canonici.*

51 *Sanctus Augustinus decoravit Ordinem Canonicorum divinis Regulis.*

52 *Canonici Regulares priorum Patrum vitam probabilem imitantur, & Apostolorum instituta, instinctu Spiritus sancti renovant.*

53 *Institutio Ordinis Canonicorum Regularium fuit antiquitùs, & ab ipsis ferè primordiis observata.*

54 *Canonici Regulares habent Papalem determinationem pro se.*

55 *Decretis Papæ non licet contradicere.*

56 *Standum est declarationi Papæ in iis, quæ concernunt factum alienum.*

57 *Causarum in decisionibus magis standum est auctoritati Papæ, quàm alterius cujuscunq; Sancti Doctoris.*

58 *Verba dispositiva quæ?*

59 *Verba*

59 *Verba enunciativa prolata per modum causæ, probant.*
60 *Item quando sunt geminata.*
61 *Item in antiquis.*
62 *Item quando sunt emanata motu proprio.*
63 *Clausula*, Ex certa scientia, *operatur saltem præsumptionem veritatis narratorum.*
64 *Jus præcedentiæ est juris positivi, & sapit privilegium.*
65 *Papa potest tollere sola voluntate jus positivum.*
66 *Ecclesia Alexandina fuit privata veteri prælatione Patriarchatus, & postposita Constantinopolitana.*
67 *Jus præcedendi; est jus honoris.*
68 *Jus, quod non directè, sed secundariè, & indirectè aufertur, non dicitur sublatum.*
69 *Doctores qui attestantur clericatum essentialiter competere Canonicis Regularibus, enumerantur.*
70 *Monachis competit clericatus per accidens, & non per se.*
71 *In Synodo Nicæna fuit ordinatum, ut Monachorum conversatio, & vita, secundùm etymologiam nominis, ab omnibus discreparet.*
72 *Monachus Græcè & Latinè significat singularis.*
73 *Monachus non docentis, sed plangentis habet officium.*
74 *Divus Hieronymus dicere solebat Monacho*, si cupis esse quod diceris, Monachus, id est, solus, quid facis in Urbibus?
75 *Alia est causa Monachi, alia Clerici: Clerici si oves pascunt, Monachi pascuntur.*
76 *Monachi ex sua origine sunt laici.*
77 *Monachi non sunt Clerici.*
78 *Potest quis esse verus Monachus, & laicus.*
79 *Status primitivæ Ecclesiæ, non cogebat Monachos ut fierent Clerici.*
80 *Monachi non præstabunt obedientiam alicui, nec ipsi Abbati.*
81 *Monachi possidebant propria.*
82 *Monachi solvebant decimas Clericis, sicut laici.*
83 *Monachi, sine consilio Clericorum, nihil poterant agere.*
84 *Gelasius ex causa necessitatis concessit quibusdam Monachis, ut possent effici Clerici in defectum Clericorum.*
85 *Monachi fuerunt in statu laicali usque ad tempora Eusebii, Zozymi, & Siricii.*
86 *Monachi Scythiæ convenerunt in unum, ut sacerdotem sibi invenirent, qui eis Missarum solemnia celebraret.*
87 *Gregorius concessit Monachis, ut possent effici Clerici, & de oblatis vivere, ita demùm, si fuissent probatæ vitæ, & bonorum morum, ac etiam docti.*
88 *Divus Hieronymus colloquens ad Monachum, dicebat*, sic vive in Monasterio, ut Clericus effici merearis.
89 *Monachus vix bonus facit bonum Clericum.*
90 *Monachis competit Clericatus per accidens, & non essentialiter, sicut Clericis.*
91 *Arctitudo vitæ non habetur in consideratione, quoad prælationem.*
92 *Transitus ut fiat de una Religione ad aliam, magis attenditur ratio Clericatus, quàm arctitudo.*
93 *Monachi olim habitabant in sylvis, & extra Urbes.*
94 *Canonicorum Regularium vita hodie est arctior, quàm Monachorum, propter eorum ordinationes.*
95 *Fratrum Prædicatorum vita hodie est arctior, quàm vita Monachorum, propter eorum Constitutiones.*
96 *Fratres Prædicatores si hodie se transferrent ad vitam Monachorum, non evitarent apostasiam.*
97 *Ingressus ad validitatem non consideratur Regula antiquitùs instituta, sed modus vivendi de præsenti, Tamburinus Tom. I.*
98 *Monachus hodie posset transire ad Canonicos Regulares, si strictiorem vitam tenerent.*
99 *Arctitudo vitæ est inducta pro humilitate carnis, per jejunia, & orationes.*
100 *Canonicorum Regularium Religio ad quid principaliter instituta.*
101 *Monachorum Religio ad quid fuit principaliter instituta.*
102 *Clericatus intelligitur concessus Monachis, sine præjudicio Clericatus concessi Canonicis Regularibus.*
103 *Vera ratio assignatur, quare Augustinus Antiquos Clericos reformavit, & Monasterium Clericorum instituit.*
104 *Distinctio Clericorum secularium, à Clericis Regularibus, unde emanavit.*
105 *Clerici seculares, usurpato nomine ita vocantur.*
106 *Perseverãtes in bono, dicuntur melioris conditionis.*
107 *Obedientes magis laudantur, quàm contumaces.*
108 *Clerici seculares ex tolerantia Sedis Apostolicæ, permittuntur.*
109 *Clerici seculares ab Augustino vocantur claudi.*
110 *Clerici seculares hodie præcedunt Canonicos Regulares, ex eo, quia pro suo Capite habent Episcopum.*
111 *Canonici seculares Ecclesiæ Cathedralis, præferuntur etiam Abbatibus, quando processionaliter incedunt.*
112 *Canonici Regulares cur ita dicti.*
113 *Canonicorum nomen fuit repertum post ordinationem Monachorum.*
114 *Clerici antiqui, saltem tacitè profitebantur tria vota.*
115 *Augustinus non præcepit suis Clericis, ut expressè profiterentur.*
116 *Honor auctus non mutat qualitatem personæ.*
117 *Augustinus per Regulam à se traditam, non dicitur dedisse novam Regulam antiquis Clericis.*
118 *Novum quando quid dicatur per additionem.*
119 *Ordo reformatus, dicitur idem Ordo, non diversus.*
120 *Prior in tempore, potior in jure, in honoribus, & sessionibus.*
121 *Priùs institutus præcedere debet secundo loco institutos.*
122 *Regula Augustini fuit priùs instituta, quàm Regula Benedicti.*
123 *Chronicis, & Historiographis standum est in factis antiquis.*
124 *Canonici Regulares sunt antiquiores Helia, & Helisæo.*
125 *In ordinatis, attenditur antiquior ordinatio.*
126 *Jo. Baptista, Paulus Eremita, Antonius, Hilarion, Macharius fuerunt Eremitæ, non Monachi.*
127 *Inter Eremitas, & Monachos est differentia magna.*
128 *Eremitæ testabantur.*
129 *Eremitæ ducebant uxores.*
130 *Eremitæ nulli obediebant.*
131 *Eremitæ sunt sicut locustæ, quæ non habent Regem.*
132 *Eremitæ vita qualis esse debeat, non reperitur in jure canonum.*
133 *Monachorum mentio, cur habeatur in antiquissimis juribus.*
134 *Vera interpretatio dicti Sancti Bernardi, asserentis, Monachalem Ordinem extitisse primum in Ecclesia Dei.*
135 *Christiani omnes habuerunt initium ab Apostolis.*
136 *Qui Clerici vocabantur.*
137 *Origo Clericorum, & laicorum.*
138 *Monachi erant laici, usque ad tempora Eusebii, & Zozymi, & Siricii.*
139 *Ordo Monasticus, qua ratione dicitur originem habuisse ab Apostolis.*

140 *Monachi postquam effecti fuerunt Clerici, dicuntur retinere figuram Apostolorum.*
141 *Monachi, quomodo dicantur imitari Apostolos.*
142 *Regularium Ordinum in pracedentia attenditur antiquior approbatio.*
143 *Ante Concilium Lateranense, omnes Regula erant ipso jure approbata.*
144 *Collegia causa Religionis non erant prohibita.*
145 *Regula Religiosorum antequam essent qua nunc sunt, erat aliquis modus vivendi approbatus.*
146 *Regula S. Augustini fuit prius approbata, quàm Regula S. Benedicti.*
177 *Temporis ex antiquitate, prasumitur confirmatio Papa.*
148 *Approbatio in dubio, censetur facta juxta ordinem institutionis.*
149 *Sanctus Augustinus Episcopus potuit approbasse suam Regulam.*
150 *Episcopi in eorum Diœcesibus omnia possunt, qua non reperiuntur reservata per Papam.*
151 *Regula Sancti Augustini connumeratur inter ejus opuscula.*
152 *Regula S. Augustini in Jure passim citatur.*
153 *Ordo scriptura tunc attenditur, quando sumus in dubiis.*
154 *Ordo scriptura non attenditur, quando sumus certi dispositionem non dare ordinem.*
155 *Canonici Regulares in ordine scriptura, in qua certum est non dari ordinem, etiam praferuntur.*
156 *Fundamentum non fit in his, qua vario modo sunt observata.*
157 *Canonici Regulares in ordine scriptura, in qua certum est dari ordinem, praferuntur.*
158 *Regula antiquorum Clericorum, vocabatur Canonica.*
159 *Error Geminiani, qui dixit, Regulam Sancti Benedicti fuisse prius approbatam, quàm Regulam S. Augustini.*
160 *Alexander III. concessit privilegium Canonicis Regularibus, qui manebant in Ecclesia Sancta Crucis in Hierusalem de Urbe, ut non posset eligi Presbyter Cardinalis, qui non esset de gremio illorum.*
161 *Augustinus fuit magnus Episcopus, & solemnis Ecclesia Doctor.*
162 *Dignior quis dicitur, qui à digniore, & majore est ordinatus, licèt posteriùs receptus.*
163 *Regula Canonicorum Regularium, est dignior Regula Monachorum, propter nobiliorem secundarium finem.*
164 *Religio illa dicitur alteri praferri, qua ordinatur ad finem absolutè potiorem.*
165 *Opus activa, conjuncta cum contemplativa, est dignius opere activa vita tantùm.*
166 *Monachi sunt dediti vita contemplativa tantùm.*
167 *Canonici Regulares intendunt contemplativa, & activa.*
168 *Canonici Regulares possunt habere Eccl. Paroch.*
169 *Monachi, quando pradicant, faciunt prater suam Regulam.*
170 *Ignorans grammaticam potest esse Monachus.*
171 *Vita activa est magis fructifera, quàm contemplativa.*
172 *Opus vita activa est duplex.*
173 *Pralati Canonicorum Regularium sunt etiam Abbates.*
174 *Monachi habent interdum Priores, pro suis Pralatis.*
175 *Monachorum proprium non est habere Abbates in Pralatos, nèc ex eorum natura, sed ex accidenti.*
176 *Canonici Regulares habent etiam Abbates in Pralatos.*
177 *Monasteria Canonicorum Regularium, quibus prasunt Abbates, enumerantur.*
178 *Canonici Regulares habent nedum Abbatias, sed Patriarchales, & Cathedrales Ecclesias.*
179 *Ecclesia Lateranensis olim erat Regularis.*
180 *Canonici Regulares habent interdum Priores, & Prapositos, qui dicuntur constituti in dignitate, sicut Abbates.*
181 *Abbates, Priores, & Prapositi Canonicorum Regularium sunt constituti in dignitate, magis quàm Monachorum.*
182 *Abbatis nomen, primava ejus origine inspecta, potius est nomen sollicitudinis, quàm honoris.*
183 *Abbatis nomen competit cuilibet Praposito Collegiorum secularium.*
184 *Abbas antiquitùs prastabat obedientiam Ostiario, & aliis in minoribus Ordinibus constitutis.*
185 *Abbates Olim erant Laici.*
186 *Abbas venit appellatione Monachi.*
187 *Abbas poterat olim esse illiteratus, sicut Monachus.*
188 *Abbates hodie sunt in dignitate, quia permissum est eis, ut effici possint Clerici.*
189 *Dignitas Abbatialis hodie magis competit Canonicis Regularibus, quàm Monachis.*
190 *Canonicus Regularis potest esse Abbas.*
191 *Monachus non potest esse Abbas, nisi per accidens sit clericus.*
192 *Privilegium gerendi Mitram, & Baculum, non competit Abbatia, nisi per accidens.*
193 *Privilegium idem potest competere Prapositis, & Prioribus.*
194 *Prior, Prapositus, seu Abbas Canonicorum Regularium habens privilegium gerendi Mitram, & Baculum, & Abbas Monachorum eodem privilegio suffultus, si in eodem loco reperiantur, praferri debet Abbas Canonicorum Regularium.*
195 *Abbas Canonicorum Regularium si non haberet illud privilegium, quid dicendum, ostenditur.*
196 *Processionibus, & publicis actibus non fit comparatio meritorum personarum, sed Ordinum.*
197 *Sententia lata in Concilio Constantien. & confirmata ab Innocentio VIII. in favorem Canonicorum Regularium.*
198 *Roma, ab immemorabili consuetudine, pracedunt Canonici Regulares.*
199 *Consuetudo attendi debet in pracedentiis.*
200 *Consuetudo Urbis attendi debet in quibuscunque locis, & Civitatibus.*
201 *Doctores qui scripserunt pro Canonicis Regularibus Sancti Augustini Congregationis Lateranensis, referuntur.*
202 *Congregatio Casinenses, olim Sancta Justina appellata.*
203 *Dominici Tarvisini liber maledictis refertus.*
204 *Bergomatis cujusdam cucullati Eremita scripta contra Lateranenses; Eusebii, & Celsi libri.*
205 *Pistoris fuit pronunciatum contra Lateranenses Canonicos.*
206 *Felinus Roma Rota Auditor, & Jo. Anton. Card. Alexandrinus in favorem Casinensium inclinarunt.*
207 *Nomina eorum, qui attestantur communem opinionem in favorem Casinensium.*
208 *Canonicorum Regularium multa sunt species.*
209 *Canonici Ecclesia Casaraugustana sunt ex veris Canonicis à Divo Augustino institutis.*
310 *Ad substantiam Canonicorum Regularium, Clericatus ipsius qualitas necessario requiritur.*
211 *Augustinus dicit se esse clericum.*
212 *Ex accidenti, & non ex natura quod evenit, non videtur esse in consideratione.*

213 *Ordo Clericalis per manus impositionem confertur.*
214 *Jus canonia, est jus spirituale.*
215 *Canonici Regulares fuerunt priùs Clerici, quàm Monachi.*
216 *Hodie Monachi sunt Clerici.*
217 *Doctores quàmplures existimarunt Monachos præferendos esse Canonicis Regularibus.*
218 *Clerici seculares qui.*
219 *Canonici Regulares qui.*
220 *Jura de uno disponentia, de alio regulariter non versificantur ex propria natura.*
221 *Canonici Regulares postponuntur omnibus Clericis secularibus.*
222 *Clericus secularis factus Canonicus Regularis, amittit ea quæ erant Clericorum secularium, & efficitur Regularis.*
223 *Monachis Benedictinis ex institutione eorum Regula datur, quòd possunt esse Clerici.*
224 *Appellatione Clericorum veniunt etiam Monachi.*
225 *Maximè in favorabilibus.*
226 *Canonici Regulares appellantur.*
227 *Clerici seculares omnibus Regularibus præferuntur.*
228 *Canonici Regulares non sunt de gremio Clericorum secularium.*
229 *Canonici Regulares discrepant à Clericis secularibus.*
230 *Religio utraque tam Monachorum, quàm Canonicorum Regularium, ordinatur ad opera vitæ contemplativa.*
231 *Monachi, non Clerici usque ad quæ tempora fuerunt.*
232 *Monachi in Clericos, quando promoveri cœperunt.*
233 *Canonia per se non est dignitas.*
234 *Canonici alicujus Ecclesiæ esse non possunt, qui non sunt Clerici.*
235 *Clericorum appellatio est generalis sub alterna appellatione Christianorum.*
236 *Clericorum appellatio competit personis omnibus Ecclesiasticis.*
237 *Clericorum appellatione continentur omnes Ordinem habentes, in quacunque dignitate sint, aut classe, etiam prima tonsura.*
238 *Clerici dicuntur omnes, qui non sunt laici.*
239 *Christiani omnes aut sunt Clerici, aut laici.*
240 *Ecclesiasticus status quomodo distinguatur.*
241 *Ordinem Ecclesiasticum habentes, dicuntur Clerici.*
242 *Canon Clericorum ipsorum vitam maximè integram exoptat.*
243 *Lateranensi in Ecclesia priùs fuerunt alii Religiosi, quàm Ordinis S. Augustini.*
244 *Romæ quinque Ecclesiæ Patriarchales.*
245 *Lateranensis Ecclesia ex Bonifacii VIII. Constitutione habuit Decanum.*
246 *Canonici Regulares quo tempore in Lateranensi Ecclesia esse cœperunt.*
247 *Albericus fide dignus, & Auctor gravissimus.*
248 *Lateranensis Ecclesiæ concessio ad causam præcedentiæ non prodest Lateranensibus Canonicis, nisi fortè in ipsa eorum Ecclesia.*
249 *Paulus Diaconus scripsit, non multùm post Beati Gregorii Pontificatum.*
250 *Septiformis Litania, quæ dicta.*
251 *Monachi quibus in locis Canonicis Regularibus, præponantur.*
252 *Monachos præferendos esse, qui Doctores affirmaverint.*
253 *Tenor sententiæ Pistorii latæ contra Canonicos Regulares in favorem Monachorum.*
245 *Regulares personæ semper debent ferre habitum professionis uniformem.*
255 *Monachus debet ferre vestes Monachales.*
256 *S. Benedicti Regula per Gregorium approbata.*
257 *Regulæ tres principales.*
258 *Regula S. Hieronymi, nullibi in jure cautum, quomodo approbetur.*
259 *Abbatialis dignitas post Episcopalem immediatè præfulget.*
260 *Abbas cum suis Monachis debet poni in loco digniori.*
261 *Membra à suo capite discedere non debent.*
262 *Essentia, & proprietas præfertur accidenti, & privilegio.*
263 *Abbates de jure habent locum in Concilio post Episcopos.*
264 *Identitas probatur concurrente eadem persona, re, & causa.*
265 *Qualitas aliqua licèt sit mutata, tamen qui hodie sunt, constituunt eamdem Congregationem.*
266 *Identitas ex quibus probetur.*
267 *Canonici, de quibus agitur, appellantur eo nomine, quo instituti fuerunt à Beato Augustino.*
268 *Habitus qualem demonstrat, præsumitur quis talem esse.*
269 *Clerici instituti fuerunt à Divo Augustino in Ecclesia Cathedrali Hipponen.*
270 *Canonici in Cathedralibus propter eorum caput, quod est Episcopus, sunt in dignitate.*
271 *Canonici Regulares emittunt tria vota ex professo.*
272 *Clerici antiqui non profitebantur tria vota.*
273 *Clericis antiquis permissum erat habere proprium.*
274 *Professio mutat statum personæ.*
275 *Descendentia deducitur à stipite per continuatam successionem, sicut à fonte rivuli.*
276 *Novellum idem est, quòd novum.*
277 *Novum propriè dicitur, quòd de novo ortum habet.*
278 *Verbum,* Novella, *idem importat, quod,* Nova.
279 *Verbum,* Novum, *quandoq; accipitur pro,* Ultimo.
280 *Civitas Hipponensis fuit à Vandalis funditus destructa.*
281 *Succedere aliud est, aliud se submittere.*
282 *Habitus non facit Monachum.*
283 *Clerici instituti à S. Augustino, quòd gestarent habitum, quem nunc gerunt Canonici Regulares, non constat.*
284 *Consuetudo debet considerari in terminis suis.*
285 *Regulares debent deferre habitum suæ Regulæ, & professionis conformem.*
286 *Locum qui vult habere in processione, debet deferre habitum illi convenientem.*
287 *Verba narrativa Papæ non probant, nisi ad effectum, ad quem sunt prolata; secùs quando principaliter contingit super illis dubitari.*
288 *Clausula,* Ex certa scientia, *procedit in iis, quæ consistunt in jure, non in facto.*
289 *Clausula,* Ex certa scientia, *non operatur in antiquis.*
290 *Doctores, qui tenuerunt, Monachos Sancti Benedicti præcedere Canonicos Lateranenses, referuntur.*
291 *Relatio Illustrissimi S.R.E. Card. Cicadæ, refertur.*
292 *Relatio Illustrissimorum S.R.E. Card. Sarraceni, & Scotte, refertur.*
293 *Sententia lata à Pio IV. Pont. Max. in d. causa præcedentiæ ad relationem supradictorum S.R.E. Cardin. refertur.*
294 *Breve Papæ Pii IV. in quo mandatur observari prædictam sententiam, refertur.*
295 *Bulla ejusdem Pontif. pro Præcedentia dictorum Canon. Lateranens. cum Canonicis Congregat. S. Georgii in Alga.*

GRavissima est quæstio, in quam incidimus, & ab ea libenter manum, & calamum retraheremus; si illius omissio maximo defectui adscribi non posset; cùm omnes ma-

tenas necessarias percurrere in hac quæstione propo-
suerimus ; & ne volentes adimplere partes quas sus-
cepimus, incidamus in alium scopum. Verùm ut le-
genti relationem olim in hac quæstione actorum bre-
viter præbeamus ; ideò tanquam merus relator om-
nium, quæ in illa ad hæc usque tempora scripta fuerunt,
quæque dicta sunt, per summa capita recensebimus.

2 Ad cujus quidem rei dilucidationem sciendum est,
Pium IV. per Bullam, quæ incipit, *Regiminis univer-
salis Ecclesia*, commisisse causam præcedentiæ Illu-
strissimis,& Reverendissimis DD. Cardinalibus Joanni
Michaëli Sarraceno, Tituli S. Anastasiæ, & Joanni
Baptistæ Cicadæ, Tituli S. Clementis, & Bernardino
Scotto, Tituli S. Matthæi : virtute cujus Bullæ prædicti
Illustrissimi jurisdictionem adepti sunt partes audien-
di, citandi, & sub censuris, & pœnis procedendi. Ad-
est etiam altera commissio causæ, in qua mandatur
prædictis Judicibus, ut postquam causam cognoverint,
ad suam Sanctitatem referant decidendam.

Produxerunt igitur tam Canonici Regulares, quàm
Monachi Casinenses unusquisque pro suorum jurium
defensione, & ad probandum jus Prælationis, publica
authentica instrumenta, decreta aliqua, & nonnullas
Pontificias Bullas, aliaque ut in processu. Deventum
deinde est ad rationes, & jura conducentia diffinitioni
causæ : & pro illa consulti fuerunt ab utraque parte
gravissimi Italiæ Jurisconsulti, & Excellentes Curiæ
Romanæ Advocati, ex quibus duorum insignium
scripta hîc transcribere operæ pretium duximus ; ut
curiosus Lector apud se rationes, & jura olim pro
utraque parte ab insignibus viris allegata, perpendere
debeat : & sunt quæ sequuntur.

*Pro Reverendis Canonicis Regularibus Ord. S. Au-
gustini, Congregationis Lateranen. adversùs
Monachos S. Benedicti, Congregationis Casi-
nensis, in causa pracedentia. Allegationes Sci-
pionis Lancelloti Romana Sacra Aula Consisto-
rialis Advocati, postea S.R.E. Cardinalis.*

IN antiqua, & vulgari proposita quæstione, An Reve-
rendi Domini Canonici Regulares, Ordinis S. Au-
gustini, Congregationis Lateranensis, præferri debeant
Monachis, Ordinis S. Benedicti, Congregationis Casi-
nensis, in processionibus, ac quibuscunque aliis pub-
licis actibus : Respondendum est affirmativè.

Pro cujus veritatis substantia habenda, necessariò
probandum duxi, Reverendos Dominos Canonicos
Regulares descendere ab his Clericis, de hisque cen-
seri debere, quos Beatus Augustinus instituit. Quod,
quò faciliùs effici possit, altiùs eorum origo repeten-
da non est, quàm si ex Veteri testamento deducamus.
3 Nulli dubium est, clericos in eo figurativè institutos
4 fuisse, ut in *c. 1. 22. dist.* Et vocabantur Levitæ, seu
Nazareni, id est, ministri Domini. Quorum primus
fuit Aaron, Exodi *cap. 24.* Et hi nihil proprii habe-
bant, sed ex oblationibus Laicorum vivebant. Nu-
meri *c. 35.* & Deuteronom. *cap. 14. & cap. 1. de deci-
mis*, ac divinis in templo vacabant, *can. plurimos*, 82.
dist. ut hæc, & alia tradit Speculator *in libello*, qui *ra-
tionale divinorum* inscribitur *lib. 2. in princ.* & *in tit.
de Sacerdote*, & tradit Alber. de Trot. *in trad. de per-
fect. cleric. lib. 1. cap. 16. & 17.*

Et ab his Levitis ortum habuisse Canonicos Regu-
lares, testatur Joannes de Reo antiquus decretorum
Doctor Hispanus, in *lib. de dispens. n. q.* quæ incipit :
Cùm totum Regnum, & Paschalis Papa *in Constitution.*
ab eo editis, pro ipsis Canonicis Regularibus.

5 Si verò tempus Novi Testamenti considerare vo-
6 lumus, secundùm quod solùm antiquitas Religionum
inspicienda est ; quia Sacerdotium novæ legis est per-
fectius, dignius, & honorabilibus, eo quod in lege
antiqua, de qua suprà dictum est, continebatur ; cùm
illud uti umbra, hoc tanquam veritas appareat, ut
probat D. Paulus *ad Hebr. cap. 19.* & S. Thom. *3. part.
summa q. 22. art. 1.* & habetur in *cap. translato*, cum
ibi notatis per Abb. *de constit.* & negari non potest, 7
illud à Christo Domino, hujus seculi Redemptore,
sumpsisse exordium, qui duodecim discipulos, tan- 8
quam majores Sacerdotes, septuaginta duos verò dis-
cipulos, quasi minores instituit ; Sicut ipsi Apostoli
in singulis Civitatibus Episcopos, & Presbyteros or-
dinaverunt, ut dicitur in *d. cap. 1. vers. simpliciter,
dist. 21.* & testatur S. Anacletus *in cap. in novo, ead.
dist.* ut latè tradit Aug. de Albert. de Trot. *in d. tract.
q. 17. num. 5.*

Et post ipsos Apostolos, S. Marcus Petri discipulus 9
in Alexandrina Civitate, fuit primus clericorum insti-
tutor, ut refert Cassian. *in lib. de inst. Monach. in princ,*
horum verò clericorum loco successisse Canonicos Re- 10
gulares, Congregationis Lateranensis.

Probatur primò, quia invicem conveniunt in no- 11
mine, quod arguere solet identitatem rei. Alex. *cons.
125. col. 1. vol. 7.* Bald. *cons. 70. vol. 4.* Tum quia quem-
admodum illi, ita ista vocantur clerici simpliciter, ut 12
probatur in *c. certè 12. q. 1.* ibi, *nullum ordinare cleri-
corum, cap. nolo, in fin. ea. q. & causa.* ubi Augustinus
alloquens suos clericos, inquit, se deleturum de ta-
bula clericos eos, qui proprium retinuerint, *c. obser-
vandum, 15. q. 2.* ubi ex Concilio Tarraconen. prohi-
betur Clericis, pro patrocinio causarum, munera sus-
cipere, & id Gratianus declarat intelligi de Canoni-
cis Regularibus, *c. legi 16. q. 1.* ubi in *vers. nimis*, Au-
gustinus dicit, se esse de numero clericorum, *cap. in
omnibus*, junct. gloss. *in vers. ut Canonici de conscer.
distinct. 5.* ubi text. loquitur de Canonicis, & Clericis,
in communi viventibus, & gl. intelligit de Canonicis
Regularibus, *c. cùm causam de elect.* ubi text. simpli-
citer nominat clericos, & tamen loquitur de his, qui
vivunt sub Regula S. Augustini.

Idem probatur in *c. dilectis, de Jud.* ibi, *Prior, & cle-
ricis*, & in *c. quoniam, de vit. & honest. cleric.* ibi, *cer-
tum valeat ponere numerum clericorum*, & gloss. *in
vers. clericorum*, dicit, ex hoc videtur, quòd loqua-
tur de Regularibus, qui simul vivunt, *c. decimas*, 16.
q. 1. juncta *rub.* ubi *rub.* loquitur de Canonicis, & Mo-
nachis, *d.* verò *c.* loquitur de clericis communiter vi-
ventibus *c. quia tua fraternitas 12. q. 1.* ubi Papa vo-
cat clericos ordinatos à S. Augustino, & in *c. quando
necessitas 86. dist. c. si quis irascitur 12. q. 1. cap. qui-
cunque 17. q. ult. can. si quis 13. q. 2.* In quibus juri-
bus allegatur Augustinus, *De communi vita Clerico-
rum*, & Regula ipsa Canonicorum Regularium in-
scribitur, *De communi vita clericorum.*

Immo quando jura nolunt intelligere de clericis se- 13
cularibus, id exprimunt, ut in *in c. indemnitatibus §.
penul. de elect. in 6. Clem. attendentes §. illius quoque de
stat. Monach. c. tua, in princ. de testam. c. inter quatuor,
de religios. dom. c. 1. c. cùm illorum, §. primos, de sent.
excom.* & in aliis pluribus juribus licet intueri.

Tum etiam, quia sicut illi antiqui clerici, vocaban- 14
tur etiam Canonici, ut in *c. in omnibus*, & ibi gloss. *in
vers. Canonici, de consecrat. dist. 5.* & in *cap. in causis §.
Nuncii*, ibi, *ad eos duos de Canonicis, de electione*, ubi
loquitur de Canonicis, qui tamen erant Regulares, ut
patet in *c. præterea, de praben. c. ad audientiam, el 2. de
Eccl. adif.* ubi *in fine* vocat simpliciter Canonicos, quos
suprà dixerat esse Regulares : prout hoc idem dicitur
*in c. cum venissent, de restit. spol. & in c. licèt, in prin.
de Regular.* vocantur simpliciter Canonici *c. dilecta de
major. & obed.* ibi, *Canonicas suas*, quæ non possunt in-
telligi de secularibus, cùm essent reprobatæ, & in *c. ex
literis, in prin. de dolo, & contum.* & in *c. cùm super, de
cau. pos. & propriet.* ubi *d. c.* dirigitur Canonicis Beth-
leemitis,

leemitis, qui erant Regulares, & in *c. cùm I. & A. de re Jud.* ibi, *Canonicis S. Dionysii*, & postea loquitur de eorum Abbate; ergo de Regularibus, quia seculares non habent Abbatem, & in *c. ad nostram de confir. util.* ubi *in prin.* loquitur de Canonicis, postea vocat Regulares personas, & in *c. nullus de jur. patr.* ubi prohibetur, ne Monasteriis, vel Canonicis decimæ solvantur, & Doct. ibi intelligunt de Regularibus Canonicis, & in *c. cùm super inscriptione, de confess.* & *c. sanè de Regul.* dum loquitur de Canonico, qui professionem fecerat, & in *c. cùm olim, il secondo, de provil.* ubi quem in princ. vocavit Canonicum, postea vocat Regularem, & in *c. sunt nonnulli*, junct. gloss. *in vers. Canonicis 16. q. 1.* & in *c. præsens. circa finem 20. q. 3.* ubi vocat Canonicos Regulares, & in *c. Cumana in princ. de elect.* & in *c. cùm causam, in prin. de appell.* ibi, *& Canonicos de novo loco*, & in *c. ad nostram, de confir. util. c. si Canonici, in prin.* junct. gloss. *de Offic. ordin. in 6.*

15 Ita etiam ipsi Canonici Regulares S. Augustini vocantur simpliciter Canonici, absque eo, quòd apponatur nomen Regularitatis, ut in *c. cùm causam, de elect.* & in *c. cùm in Ecclesiis, de major. & obed.* ubi Canonicis S. Victoris, & S. Joannis in monte, quæ Monasteria sunt sub Regula S. Augustini, & in *can. perniciosam 18. q. 2.* ubi vocantur Canonici, qui Regulam S. Augustini profitentur, & in *cap. post translationem, d. renunc.* ibi, *Lucanum Canonicum S. Frigdiani*, Quæ Ecclesia est Canonicorum Regularium Lucæ.

16 Et prædicta comprobantur; quia Canonici dicuntur fraterni clerici, constituti in fraternitate *cap. relatum, de praben.*
17 & ex quo, qui est Canonicus necessariò est clericus, sicut quando quis est homo, necessariò est rationalis, ut arguit Abb. *in cap. bona, il primo*
18 *col. 3. n. 4. de postul. Prælat.* Nam canonia non potest cadere, nisi in clericos; ut notat gloss. *in c. cùm, in verb. receperim. de constit.* ubi per Felin. *n. 14.* Abb. *in cap. 2.* per illum text. *in 2. not. de instit.* quæ fraternitas clericalis, cùm sit etiam in Canonicis Regularibus, meritò ipsi etiam veniunt appellatione Canonicorum; ut per
19 Card. *in Clem. 2. q. 5.* per gloss. ibi *in ver. benef. de Judic.*
20 Tum etiam, quia sicuti isti vocantur clerici, seu Canonici Regulares; ita etiam hac additione vocabantur interdum illi antiqui Clerici, ut tradit Specul. *in d. rationali divinorum, part. 6. cap. 89. n. 6.* ubi inquit, quòd in primæva Ecclesia, & antiquitùs multa post tempora, Clerici, qui usurpato nomine seculares dicuntur, erant Regulares, &c. & probatur in *can. dilectissimus 22. q. 2.* ubi illi appellantur Clerici Regulares, qui regulariter vivunt, renuntiant bonis, & nihil proprii habent, & ibi etiam declarat gl. *in verb. præcipimus*, & in *can. observandum 25. q. 2.* ubi postquam text. prohibuerat, ne quis Clericorum munera caperet, subdit hoc de illis intelligendum, qui canonicam vitam professi, regulariter se victuros proposuerunt, & in *cap. intelleximus, de ætat. & qualit.* ubi laudatur Canonicus Regularis, qui ex Monachorum statu revertitur ad statum Canonicorum Regularium, & in *c. 1. de fil. Presbyt.* ibi, vel in *Congregatione Canonica regulariter viventes*, & in *c. plerique, de pact.* ibi, *plerique, sicut accepimus, Regulares Clerici*, & in *rubr. ne Clerici, vel Monachi*, & per Clericos intelliguntur Regulares; & probatur ex auctoritate S. Possidii, de qua inferiùs dicetur, ibi, *& incipit vivere secundùm Regulam sub Sanctis Apostolis institutam.*

21 Et ratio prædictorum est, quia nomen Regularitatis ex eo provenit, quia Canonicus dicitur à canon, quod
22 est regula *can. canon, 3. dist.* & ibi not. Domin. & Præpos. gloss. *in l. placet, C. de sacros. Eccl.* Card. *in Clem. si justa q. 1. de preben.* Ex quo tenetur observare Regulam à Sanctis Patribus institutam, *cap. in omnibus, de consec. dist. 5.* licèt Canonici seculares illam hodie, ex permissione Pontificum minimè observent.

Secundò probatur, quia Canonici Regulares con- 23
veniunt in habitu cum antiquis clericis, juxta not. per
Bar. *in l. 2. C. si ser. expor.* E ex delatione habitus ori- 24
tur quasi possessio status, ut post alios not. Franc. *cap.*
Judex, §. idem esse, de sent. excomm. in 6. Nam sicuti 25
eorum habitus erat lineus, ab Ipso Deo institutus, ut habetur Exodi *cap 29. & 39.* ubi dicitur, *induens Aaron vestimentis lineis*, & Levitici, *c. 6. vestiens tunica Sacerdos, & fæminalibus lineis*: & in Apocalypsi dicitur de omnibus Sanctis, *ambulabunt mecum in albis lineis*, & in *c. primo*, dicitur, *equus albus*, ibi Nicolaus de Lyra, per equum album, intelligit Jacobum
Apostolum Patriarcham Hierosolymitanum, qui in- 26
duebatur tunica, subdens, quòd etiam Apostoli usi fuerunt habitu lineo, ut habetur in *historia S. Sylvestri de S. Euphrosyno Pamphiliæ Episcopo*, qui eo tempore Romam venit indutus collobio candido quod S. Jacobi Apostoli fuisse fertur.

Ita hodie, non solùm Clerici seculares dicti vesti- 27
bus lineis utuntur, sine quibus Ecclesia nihil audet
tentare, cùm præcipiat omnibus Episcopis, ut in pub- 28
lico; & in Ecclesiis indumentis lineis utantur, ut in *cap. pen. de vit. & honest. cler.* Sed etiam ipsi Canonici
Regulares tunicam lineam continuè deferunt in te- 29
stimonium eorum professionis; prout hunc esse propriè eorum habitum not. gl. *in Clem. prima, vers. habitus, de elect.* de quo etiam meminit Aug. *in sermone*, qui incipit, *Charitati vestræ*, dum inquit, *birrum, & tunicam lineam nemo accipiat, nisi in commune.*

Monachis verò hic habitus est prohibitus, ut in *d. c. pen. cir. fin. de vit. & honest. cler.* ibi, *nisi Monachi fuerint*, & in *cap. cùm ad Monasterium in princ. de stat. Monach.*

Et si diceretur Clericos illos antiquos eumdem sem- 30
per habitum gessisse, quod non fuerint Canonici, cùm aliqui ferant cucullam, aliqui birretum album, & aliqui nigrum, quidam cappam, alii mantellum. Re-
spondetur, lineam vestem esse habitum Clericorum, 31
cætera verò sunt ex accidenti, & non mutant ordinem, ut not. gloss. *in d. Clem. 1. vers. habitum, de elect.* & ideò
inquit Archid. *in cap. in novo 16. q. 7.* quòd Monachus 32
albus potest esse Abbas Monachorum nigrorum, & dicit gl. *in c. Deus qui, in vers. professi, circa fin. de vit.*
& honest. cler. quòd habitus interior dicitur de substan- 33
tia Religionis, non autem exterior, & ibi declarat Abb. *col. 2. vers. in ea gloss.* Sicut etiam ex ipsis Monachis aliqui sunt nigri, aliqui albi, de quo etiam per gl. *in d. c. nova. vers. nec habitu.*

Tertiò conveniunt etiam in professione. Nam quoad votum paupertatis, certum est, illos vixisse in communi; nam Apostolorum tempore bona eorum, qui ad Fidem convertebantur, vendebantur, & eorum pretium ad pedes ipsorum Apostolorum ponebatur, qui dividebant prout unicuique opus erat, ut habetur in Act. Apostolorum, *c. 2. & 4. in fin. & cap. 5. in princ.* & probatur in *can. dilectissimi 12. q. 1.* ubi Clemens prædictus, qui fuit electus Pontifex à Petro, licèt ei non successerit immediatè, nisi post Linum, & Cletum, in epistola ad Jacobum Apostolum hortatur vitam communem necessariam, & iis maximè qui militare Deo student, & vitam Apostolorum, discipulorumque suorum imitari. Et in *c. quia tua fraternitas, ead. caus. & q.* eamdem vitam communem testatur, & commendat; & in *cap. scimus, cap. cui portio 12. q. 1. decimas, 18. q. 1.* & hoc sumptum erat ex Veteri Testamento, ubi
Levitis nihil erat proprium, sed vivebant ex decimis 34
eis solutis per alias tribus, ut suprà dictum fuit.

Et hanc fuisse vitam Clericorum tradit S. Augustinus *in cap. nolo, cap. cùm dicatis, cap. certè 12. q. 1.* & Urbanus Papa *in cap. videntes 12. q. 5.* & in *can. præter hæc 32. dist.* ubi similiter mandat Clericis Religiosis, ut simul manducent, & dormiant, & quidquid Eccle-

siis

sis competit, communiter habeant, & in *c. necessaria* 12. *q.* 1. ubi mandat claustra constitui juxta Ecclesiam, & quòd omnibus sit unum refectorium, & dormitorium, ut tenet Abb. *in c. Deus qui, col. 2. versic. in multis, de vit. & honest. cler.* & in *c. Episcopus col. 1. versic. sed pro clara, de preb.* Præpos. *in can. 1. col. 4. versic. 1. n. omnia, & versic. tertium tempus 44. dist.* & habetur in Historia Eusebii quæ est approbata, ut in *can. Sancta Romana Ecclesia dist. 15.* ubi loquens de hujusmodi Clericis, inquit, Primò omnium renunciant cunctis facultatibus suis, sicut legimus in Actibus
35 Apostolorum, &c. Barbat. *de prestan. Card. q. 6. in princ.* vivere autem in comuni denotat paupertatem.

36 Ex quo oritur votum obedientiæ, quæ elicitur ex eo, quòd in communi habitatur; nam qui in unum habitant, habent cui obtemperent, prout etiam expressè dicitur in *cap. 3.* Act. Apostolorum, ubi in hoc consistebat vita Clericorum, ut renuntiarent proprio, vacantes divinis ministeriis, constringentes se sub Apostolorum obedientia, & per August. de Ancon. in *d. tract. .... de potest. Eccles. quæst. 1. art. 3. vers. respondeo, dicendum.*

37 Prout etiam de voto castitatis habetur per S. Augustinum *in 2. sermone, de communi vita Clericorum,* qui incipit, *propter quod volui,* ubi loquens de vita Apostolorum inquit, *Clericus duas res professus est, sanctitatem, & clericatum:* & per sanctitatem intelligir ipsam castitatem, de quo etiam per Aug. de Ancon. *d. tract. quæst. 90. art. 3. vers. respondeo dicendum,* & de Clericis est text. *in can. de his dist. 28.* & in *can. electores 32. dist.*

38 Et quòd tam Apostoli, quàm Clerici eorum imitatores profiterentur tria vota, probat S. Thom. *in 4. sent. dist. 38. art. 2. quæst. 3 ad 3. argumen.* dum inquit: *antequàm essent ista Regula, quæ modo sunt, erat aliquis modus vivendi ab Ecclesia approbatus, per quem aliqui ad ea quæ supererogationis sunt se obligabant, & tunc temporis obligatio ad talem modum vivendi idem faciebat, quod nunc obligatio ad certam regulam,* sequitur ibi Petr. de Palud. & Ricard. *ead. q.* Præpos. *in d. can. 1. dist. 44. col. 4.* S. Thom. 2. 2. *quæst. 88. vers. ad 3.* ubi dicit, quòd Apostoli intelliguntur vovisse pertinentia ad statum professionis, & sequitur Jo. de Turrecrem. 17. *quæst. 1. in summ. col. 2. vers. ad rationes.* Ad Religionis etiam perfectionem dicuntur prædicta tria vota spectare, & per eundem Thom. *ead. q.* idem etiam expressè tenet Aug. de Ancon. *in d. tract. q. 84. art. 3. vers. ad 2. arg.*

Hæc etiam eadem vota profiteri debere ipsos Canonicos Regulares, præcipit S. Aug. *in d. sermone,* qui incipit, *Propter quod volui,* dum inquit, *Qui societatem communis vitæ jam susceptam, quæ laudatur in actibus Apostolorum, deserit, à voto suo cadit, à professione sua cadit,* & in *can. scimus 12. q. 1.*

39 Quartò probatur, quia Canonici Regulares dicunt
40 officium Rom. curiæ, quod etiam celebrant Canonici Seculares, qui dicuntur etiam imitari antiquos Clericos, licèt abusivè; & ita habetur per Specul. *dicta rationabili divinorum lib. 6. c. 89. n. 6.*

41 Ultimò, quòd Canonici descendant à Clericis institutis à D. Augustino, eamdemque Regulam observent, quam ipsi Clerici observabant & eorum clericalis institutio in ipsos fuerit continuata, probatur auctoritate Vincentii *in speculo doctrinali lib. 19. cap. 16.* ubi inquit, *Ordo Canonicorum Regularium primò ab Apostolis posteà à B. Augustino Regulariter fuit institutus,* & in *Speculo historiali lib. 16. cap. 51. circ. med.* inquit, *factus Sacerdos Monasterium Clericorum instituit, & cœpit vivere secundùm Regulam sub Sanctis Apostolis institutam,* sequitur S. Antonius Archiepiscopus Florentinus *in 2. part. sua Chronica tit. 15. cap. 16. §. 7. vers. circa annos.* Raphaël Volateran. *lib. 21. commensariorum, ver. Augustinus,* ibi: *Ordo Canonicus, non tam ab eo institutus, quàm revocatus; ab Apostolis enim in Monte Sion exordium sumpsit,* &c. Roset. Doct. Parisien. *in lib. de Religione Ecclesiast. tit. 14. cap. 3.* Joan. de Nigravalle *in lib. Epilogi Chronicarum lib. 33. cap. 18.* Fasciculus temporum *in 6. ætate, in vita Alex. II. fol. 73. col. 2,* ubi inquit, *Ordo Canonicus capit florere in Beluacen. Ecclesia; qui priùs ab Apostolis, posteà à B. Augustino fuit Regulariter institutus,* hoc etiam testatur S. Possidius, qui vitam S. Augustini descripsit,
dum inquit, *S. Augustinus factus Presbyter Monaste-* 42
rium Clericorum mox instituit, & incepit vivere secundùm Regulam sub Sanctis Apostolis institutam. Et hanc Possidii auctoritatem, cùm Sancta mater Ecclesia canat in festivitate ejusdem Augustini, non vide-
tur quærenda alia major probatio, quia doctrina Ca- 43
tholicorum Doctorum non aliunde, quàm ab ipsa Romana Ecclesia auctoritatem sumpsit, ut dicit S. Thom. *in quodlibet. art. 2. ad 3. dist. 7.* & ipsa tanquam speculum nobis imitanda fuit præposita, ut dicit text. *in can. si Romanorum 19. dist. & in can. Ecclesiarum 11. dist.* & per Riccar. idem etiam confitentur Summi Pontifices, ut Benedict. XII. *in sua extravag.* quæ reperitur inter constitutiones ipsorum Canonicorum Regularium, Paschalis *in 7. Epistola ad Priorem S. Frigdiani Ordinis Canonicorum Regularium, & in Epistola Honorii, & Calixti ad eundem.*

Attestatur etiam Eugenius IV. *in Bulla,* quæ maxima cum veneratione in Ecclesia Lateranensi custoditur, ubi hanc Canonicorum Regularium originem elegantissimè deducens, mirificis laudibus extollit.

Primùm dum appellat Congregationem horum 44
Canonicorum divinam in terris familiam Clericorum, ex quo innuit apud eos esse clericalem institutionem, *can. duo 12. q. 1. not.* Abb. *in rub. de vit. & honest. cleric. circa fin.*

Secundò, quia dicit, *qui ad exemplum nascentis* 45
Ecclesiæ Sanctam institutionem servarunt; nam Ecclesia nascens fuit ab initio in Apostolis, penès quos Cle-
ricalis institutio fuit, cùm ipsi fuerint pars immediata 46
Corporis Christi, *c. Cleros 21. dist. c. cùm secundùm, de*
preben. & Christus fuit Summus Sacerdos, *c. translato,* 47
de constit.

Tertiò, dum inquit, quòd hi primorum Christianæ 48
Religionis Clericorum normam, traditiones & instituta sectantur: nam Papa appellat Apostolos primos Clericos; & propterea infertur, quod dicti Canonici sequuntur Regulam, & instituta ipsorum Apostolorum, *arg. l. in testamento, de cond. & demon.* ideo apud ipsos est Clericalis institutio per Apostolos in principio constituta.

Quartò, *in verb. hujus verò,* vocat Canonicos sacri 49
Ordinis; sacri verò Ordines consistunt essentialiter in Clericatu, ut habetur *in c. 1. de fil. Presbyt. in 6.*

Quintò, inquit, post Apostolos primum in Alexan- 50
drina Ecclesia Marcum Petri discipulum, fuisse institutorem, & conditorem hujus sacri Ordinis, & sic licèt iste sacer Ordo fuerit introductus per Apostolos Christi; tamen Marcus postea dicitor fuisse institutor Ordinis, non quòd aliquid de suo addiderit, sed quia magis in lucem deduxit: sicut vocatur jus civile Flavianum, non ex eo, quòd Flavius aliquid de suo adjecerit, sed quia ad populi notitiam illud deduxit, ut dicitur *in l. 2. §. posteà, de orig. jur.*

Sexto, quod gloriosus Augustinus eumdem Ordi-
nem divinis Regulis decoravit, etsi non ipse invenit, 51
sed inventum decoravit, sicut aliud est ædificare, aliud est ædificium reformare, *l. in fundo, de rei vend. l. jurisgentium, §. quinimmo de pact.* & propterea subsequentia verba Eugenii, quòd Beatissimus Gregorius præcepit Augustino facto Episcopo Anglorum, ut *in can. qui tua Fraternitas, 12. q. 1.* velut sacram plantationem

tionem instituit, & in Occidentis partibus ampliavit, debent intelligi non respectu inventionis, sed reformationis, alioquin ipse Eugenius esset sibi contrarius, cùm suprà dixerit fuisse hunc Ordinem inventum ab Apostolis, & Sancto Marco, contra *l. nam ad ea, de condit. & demonst.* & verbum, *ampliavit*, denotat rem factam prorogare, *l. sed si manente, de prec. l. inter socerum. §. cùm inde, de pact. dot.* Doct. *in cap. hi qui, verb. specialiter, de prebend. in 6.*

52 Septimò, quia inquit, *Hi profectò sunt, qui priorum Patrum vitam probabilem imitantur, & Apostolorum instituta, instinctu Spiritus sancti renovant.* Et sic Ordo iste sacer vivendi fuit ab Apostolis institutus.

53 Octavò, dum inquit, quòd hæc sancta institutio fuit antiquitùs ab ipsis ferè primordiis observata, quare tempore primitivæ Ecclesiæ originem habuit hæc institutio Clericorum, qui dicuntur Canonici Regulares; & quod uno, & eodem tempore factum est, non debet diverso jure censeri, *arg. ad eum qui adest, de usuc. l. hoc jure, de vulgar. & pupill.*

Et hæc Eugenii Bulla fuit confirmata à Nicolao V. & Sixto IV. propterea majoris auctoritatis esse dignoscitur, *cap. extra scientiam 64. dist.* not. Bald. *in l. humanum in 3. not. C. de legib.*

54 Quare cùm super hac dubitatione habeamus Papalem determinationem, non est ulteriùs disputandum; cùm in dubiis recurratur ad Papam pro declaratione, *cap. literis de restit. spol.* & decretis Pontificum non
55 licet contradicere: not. Joan. Andr. *in cap. dilecto, de praben. cap. tibi, de rescript. in 6.* sed pro lege sunt ser-
56 vanda, *§. sed quod principi Instit. de jur. nat.* cum vulgaribus, & declarationi Papæ standum est in his, quæ concernunt factum alienum, Soccin. *cons. 47. dub. 5. num. 17. vol. 3.* Dec. *cons. 341. num. 8.* & dicit Sanctus Thomas *2. 2. art. 12. quæst. 21.* quòd in decisionibus causarum magis standum est auctoritati Papæ, quàm alterius cujuscunque Sancti Doctoris, Dec. *in cap. 1. in 1. lect. col. 2. in 2. not. de constit.*

Nec obstat si diceretur, verba hujus Bullæ esse enunciativa, quæ non probant, tanquam emissa propter aliud, nisi ad effectum, de quo agitur, secùs si præsentialiter contingat de illis dubitari, juxt. not. *cap. illud, de præsumpt. cum simil.*

Quia respondetur non esse enunciativa, sed dispositiva, ut ibi dum inquit, *Hi sunt profectò, qui priorum Patrum vitam probabilem imitantur, & Apostolorum instituta, &c.* & ibi, *sicque hæc Sancta Canonicorum Regularium, & Deo placens antiquitùs institutio, & ab ipsis ferè primordiis observata extitit.* Nam in his Eugenius fundat intentionem suam per modum causæ, quare tam insignibus privilegiis Canonicos Re-
58 gulares ornare cupit. Nam illa dicuntur verba dispositiva, quæ per se principaliter emanant, hoc est, ad hunc solùm finem, & enunciant illud, quod proferunt, *l. ex hac scripta, de donat.* Jas. *in l. ex his n. 1. C. de milit. test.* Alex. *cons. 82. num. 19. vol. 3.* Afflict. *decis. 83. col. 2.* prout sunt ista, de quibus suprà dictum est; & quando per modum causæ proferuntur, plenè probant, ut declarat Aretin. *consil. 23. dub. 2.*

59 Præterea, etiamsi essent enunciativa probarent; Tum quia sunt prolata per modum causæ, ut dictum est. Bart. *in l. emptor, per illum text. §. ancilla, de rei vend.* Alex. *cons. 46. col. 3. vers. quinto, volum. 1.* Bald. *cons. 170. col. 1. vol. 2.* Jas. *in d. l. ex his, num. 2. vers.*
60 *decimo.* Tum etiam, quia sunt geminata. Bart. *in l. cùm scimus, col. 1. C. de agric. & cens. lib. 11.* Alex. *cons. 190. col. 6. vol. 6.* Dec. *in l. si quis in conscribendo n. 4. vol. 2.* Tum quia sunt prolata ab eo, à quo omnes Religionum prolationes emanant, ut infrà dicetur: quo casu enunciativa probant, Bart. *in l. gerit col. 4. vers. circa secundum, de acquir. hæred.* Jas. *in d. l. ex his, num. 2. vers. octavò.* Martes. *not. 35.* Ruin. *cons. 26. n. 5. vol. 1.*

Tum etiam, quia sumus in antiquis ultra centum 61
annos, adeo, ut plenè probant Jas. *cons. 65. vol. 3.* Soccin. *cons. 266. col. 2. vers. ad secundum respondetur, vol. 2.* Alex. *cons. 6. col. fin. vol. 1.* Dec. *cons. 321. n. 8.* Alex. *cons. 187. n. 21. vol. 2.* & fama deduci potest ex enuntiatione supradictarum confirmationum, ut post Salicet. Bald. & alios notab. Castren. *in l. cùm aliquis, C. de jur. delib.* Aret. *cons. 42. col. 1. vers. tertiò.*

Accedit, quia sunt emanata motu proprio, & tunc 62
statur assertioni Papæ, ut post Lap. *not.* Card. *in Clem. 1. quæst. 10. de probat.* Abb. *in cap. dudum col. 1. num. 3. vers. quid autem, de privileg.* Alex. *cons. 112. col. 1. vers. refert, vol. 7.* & est communis opinio secundum Soccin. *cons. 87. col. 9. num. 25. vers. confirmatur, volum. 3.* Jas. *cons. 65. col. 3. in fin. vers. ubi autem vol. 3.* Mohed. *decis. 271. 272.*

Maximè quando cum clausula, *Motu proprio*, est 63
adjecta clausula, *Ex certa scientia*; quia illa sola operatur saltem præsumptionem veritatis narratorum, Alex. *cons. 15. col. 2. vers. præterea, vol. 5.* Socc. *cons. 266. col. 10. vers. item ex certa scientia vol. 2.* & omnis error censetur exclusus, ut not. Bart. *in l. conficiuntur, in princ. vers. etiam quando, de jure codicill.* cum aliis de quibus per Dec. *in cap. ad hæc, col. 2. de rescript.* minus etiam obstat, si diceretur, dictam Bullam non posse præjudicare juri tertii. Quoniam respondetur primo, non constare de aliquo jure Monachorum, ex supradictis, & infrà dicendis.

Secundò etiam si aliquod jus haberent Monachi, 64
cùm illud sit juris positivi, & sapiat privilegium. Præ-
pos. *in can. Episcopos 17. distinct. col. 1. n. 3. vers. gloss.* 65
tractat, potest Papa sola voluntate illud tollere, ut per Felin. *in cap. quæ in Ecclesiarum, vers. 4. conclus. n. 78. de constit.* ubi dicit, ita omnes tenere, & *ibi* per Doct. *col. 4. vers. superest*, cum aliis per eum adductis, cùm ipse sit suprà jus, *cap. proposuit de concess. prabend.* sic-
ut videmus in Ecclesia Alexandrina, quæ fuit privata 66
veteri prælatione Patriarchatus, & postposita Constan-
tinopolitanæ, ut *in can. renovantes 22. distinct. & cap.* 67
antiqua, de privileg. nam jus præcedendi est jus honoris *cap. 1. de major. & obed.* & datur ex consuetudine, ut not. Bald. per illum text. *in cap. cùm olim, in princ. de consuetud.*

Tertiò, etsi jus esset realiter acquisitum Monachis, non posset illis dici sublatum, cùm Eugenius in prædicta Bulla non declaret Canonicos Regulares præcedendos Monachis; sed tantùm referendo antiquam eorum originem, pronuntiat eos esse veros successores antiquorum Clericorum, &c. Ex qua declaratione
propter effectum juris, Clerici præferuntur Monachis, 68
adeo quòd non dicitur eis sublatum jus, ex quo non directè id sit, sed indirectè & secundario, ut post Abbatem tenet Curt. Jun. *cons. 1. num. 21.* Felin. *in cap. quæ in Ecclesiarum, col. 16. vers. secunda declaratio n. 64. de constit.* & dicit gloss. fin. *in cap. quamvis, de pact. in 6.* præjudicium intelligitur de principali, non secundariò.

Ex quibus omnibus supradictis auctoritatibus, & attestationibus oritur notoria descendentia Canonicorum Regularium ab antiquis Clericis, cùm id dicatur notorium, quòd omnes, seu major pars scit, loquitur, & profitetur juxta doctrinam omnium Doctorum *in cap. vestra de cohabit. Cleric.*

Quare cùm constet Reverendos Dominos Canonicos Regulares Ordinis S. Augustini, Congregationis Lateranensis descendere ab his Clericis, quos B. Augustinus instituit, concludendum est, eos ex pluribus præferri debere Monachis S. Benedicti, Congregationis Casinens.

Et

Et primò, ratione Clericatus, quem originaliter ha-
69 bent annexum ex his, quæ suprà deducta fuerunt; &
quod essentialiter illis competat, affirmat Archid. *in*
can. mandamus 19. *quæst.* 3. & ibi, Gemin. & Ægid.
vers. ad declarationem, Joan. Fantuc. *col.* 2. *vers. pro*
cujus declaratione, S. Thom. 2. 2. *quæst.* 189. *art.* 8. *in*
resp. ad 2. *argum. & in libell. contra impug. Religionem*
fol. 4. Joan. de Friburgo *in sum. confess. lib.* 3. *tit.* 28.
quæst. 16. *summa.* Pisanel. *vers. Monachus.* summa Ta-
biena *in eod. vers.* Joan. Andr. *in cap. sanè, in fin. de*
Regul. Card. ibidem col. 1. *vers. in hoc autem.* Archiep.
Florent. *in* 3. *part summ. tit.* 16. *cap.* 4. *vers. de transitu*,
Hugo de S. Victore *lib.* 2. *de sacram. part.* 3. *cap.* 3.
70 Monachis verò Clericatus competit per accidens,
& non per se, ex quo in Sancta Nicæna Synodo fuit
71 ab omnibus ibi residentibus ordinatum, ut Monacho-
rum conversatio, & vita secundùm etymologiam no-
72 minis ab omnibus discreparet, cùm Monachus Græcè
& Latinè singularis dicatur, ut *in can.* 16. *quæst.* 1. &
73 D. Hieronym. *in can. Monachus ead. quæst.* inquit,
Monachus non docentis, sed plangentis habet officium,
74 *& in can. si cupis ead. etiam quæst.* idem ait: *Si cupis*
esse, quod diceris Monachus, id est, solus, quid facis in
Urbibus? & in can. alia d. quæst. 1. inquit idem Hiero-
75 nymus, *alia est causa Monachi, alia Clerici, Clerici*
oves pascunt, ego pascor.
76 Monachi ex ipsorum origine sunt Laici *l. generali-*
ter C. de Episc. & Cleric. quæ est Canonizata *in can. ge-*
neraliter 16. *quæst.* 1. & ibi not. Alber. quòd Monachi
77 non sunt Clerici, & probat text. *in can. quidam* §. *nos*
vero 18. *q.* 2. ibi, *si verò Laici*, *& in can. cui*, 16.
quæst 3. ibi, *idem dicitur*, *& in can. de Monachis* 15.
78 *quæst.* 1. & dicit Abb. *in cap.* 2. *col.* 2. *num.* 6. *vers. sed*
quia de institution. quòd potest quis esse verus Mona-
chus, & Laicus. Spec. *in tit. de dispen.* §. *nunc de*
Episcoporum vers. 56. & ibi per Joan. Andr. *in addit.*
79 *in verb. Superioris*, ubi dicitur, quòd status primitivæ
Ecclesiæ non cogebat Monachos, ut fierent Clerici.
80 Et propterea non præstabant obedientiam alicui,
nec ipsi Abbati, ut dicit gloss. *in can. de Viduis, in verb.*
proprius, in fin. 27. *quæst.* 1. Joan. Andr. *in cap. fin. de*
81 *cond. appo.* & possidebant propria, ut not. gloss. *in l.*
si quis Presbyter. in vers. Monachus C. de Episcopis, &
82 *Clericis*, & solvebant decimas Clericis, sicut Laici,
gloss. *in cap. ex parte, il primo vers. laborum, de de-*
83 *cim.* immo sine Clericorum consilio nihil poterant age-
re, *can. Ecclesia* 16. *quæst.* 1. ex causa tamen necessita-
84 tis, fuit semel à Gelasio concessum quibusdam Mona-
chis, ut possent clericari in defectum Clericorum, re-
manentibus tamen salvis antiquis institutis, ut habe-
tur *in can. priscis* 55. *distinct.* & ibi notat Præpos. quòd
de jure non possunt clericari, & *in can. requisitis, in*
fin. 1. *quæst.* 7. ubi eadem Gelasio provisio ex causa ne-
cessitatis refertur, & tradit Spec. *in tit. de disput.* §. *post*
hoc. num. 20. *vers. generaliter.*
85 In hoc autem statu laicali fuerunt ipsi Monachi us-
que ad tempora Eusebii, Zozymi, & Siricii, ut ex sen-
tentia Historiæ Ecclesiasticæ testatur Gratianus *in can.*
86 *hinc est, circa fin.* 16. *q.* 1. ubi etiam adducit Hierony-
mum referentem, Monachos Scythiæ convenisse in
unum, ut Sacerdotem sibi invenirent, qui eis Missa-
87 rum solemnia celebraret; ut etiam meminit Spec. &
Joan. Andr. *in d.* §. *nunc de Episcoporum vers.* 56. con-
cessit etiam Gregorius Monachus, ut possint clericari,
& de oblatis vivere, & *in can. moderamine, can. ex*
auctoritate 16. *q.* 1. non tamen passim, & indistinctè
hoc fuit permissum; sed ita demùm, si fuissent pro-
batæ vitæ, & bonorum morum, ac etiam docti, *can.*
priscis, in fin. 55. *distinct. can. si quis Monachis, can. sic*
88 *vive, can. in Parochia, can. Monachos, can. doctos* 16.
q. 1. & idem dicit D. Hieronymus ad Ruffum, *sic vive*
89 *in Monasterio, ut Clericus esse merearis*, ut in *can. sic*
vive 16. *q.* 1. & vix bonus Monachus facit bonum Cle-
ricum, ut dicitur *in can. legi, dicta quæst.* 1.
Et quòd Monachis competat Clericatus per acci- 90
dens, & non essentialiter, sicut Clericis, tenet S. Tho-
mas *d. quæst.* 189. Archidiac. *in d. can. mandamus*, &
ibi Ægid. & Joan. Fantuc. Archiep. Florent. *in d. cap.* 4.
vers. de transitu, Ugo de S. Victore *d. c.* 13. Jo. Andr.
in d. c. sanè, & cæteri suprà adducti, qui tenent Cle-
ricis competere essentialiter, & Cald. *cons.* 30. *in pr.*
de Reg.
Quare cùm naturalis qualitas Clericatus, quæ com-
petit Clericis, præferri debeat accidentali qua gaudent
Monachi, *l. qui habet. de tutelis*, cum vulgaribus;
præferendi sunt etiam Reverendi Domini Canonici Re-
gulares, qui sunt Clerici, Monachis ipsis, ex sui origi-
ne Laicis, cùm Clerici sint digniores Monachis.
Insuper non obstat, quòd licèt Monachi habeant
Clericatum per accidens, tamen cùm effecti sunt Cle-
rici, habent cum majori arctitudine vitæ *can. quod*
Dei timorem. de stat. Monach. atque ideò ad ipsos pos-
sunt se transferre Canonici Regulares, secundùm D.
Thomam 2. 2. *quæst.* 189.
Quoniam respondetur primò; arctitudinem vitæ 91
non esse in consideratione quoad prælationem, in qua
attenditur sola prioritas institutionis Clericalis digni-
tatis per suprædicta; sed tamen quoad ingressum ut
declarat Archidiac. *in can.* 1. 18. *quæst.* 1. Nam Religio-
nes Monachorum, & Canonicorum Regularium con-
cordant secundùm Joan. Andr. *in d. cap. quod Dei ti-*
morem, vers. aliter; quia ambæ pariter prohibentur
audire Leges, & Physicam, & ambæ æquiparantur in
obedientia, *cap. cùm in Ecclesiis, de major. & obed.* in
abdicatione proprii, *cap. super quodam, de stat. Mo-*
nach. in castitate, *cap.* 1. *de voto, in* 6. & in commu-
ni vita cùm simul comedant, & dormiant, *cap. quo-*
niam, de vita, & honestate Clericorum, & utraque fa-
cit Provinciale Capitulum, *cap. cùm in singulis, de*
stat. Monach. aliàs sequeretur, quòd omnes Observan-
tes deberent præcedere Conventuales, & Fratres Mi-
nores deberent præcedere Prædicatores.
Secundò respondetur, quòd major ratio transeundi 92
ad aliam Religionem est Clericatus, quàm arctitudo,
quia secundùm D. Thom. *in d. quæst.* 189. & Doct. *in*
d. cap. quòd Dei timorem, antequàm Monachi essent
Clerici, poterant transire ad Canonicos Regulares, li-
cèt majorem arctitudinem haberent Monachi, quàm
Canonici; & tamen Canonici non poterant transfer-
ri ad Monachorum Ordinem; immo si Monachus ho-
die esset laicus, posset transferri ad Canonicos Regu-
lares, ut expressè dicit Archid. *in can. mandamus* 19.
q. 4. ex quo patet, quòd magis ponderatur ratio Cle-
ricatus, quàm arctitudinis, ad hoc ut transitus fiat de
una Religione ad aliam.
Tertiò Respondetur, quòd Monachorum vita ideò 93
dicitur arctior, quia tunc temporis Monachi, non ut
hodie in Civitatibus, sed habitabant in sylvis, & extra
urbes, *cap. quia in insulis, de Regul.* ubi ob id dura
appellatur Monachorum congregatio, & è conversò 94
Regula Sancti Augustini laxior, & benignior: verùm
hodie ipsi Canonici Regulares per eorum ordinatio-
nes ita se arctaverunt, ut temporibus nostris nemo ju-
dicaverit Canonicorum vivendi modum, minoris esse
austeritatis, quàm Monachorum, in tantùm, ut dixe-
rit Joan. Andr. *in c. sanè, in princ.* quem ibi sequitur
Card. *col.* 2. *vers. quæro*, quòd licèt Fratres Prædicato- 95
res habeant Regulam Sancti Augustini laxiorem; ta-
men propter constitutiones, quas fecerunt, in tantùm
se arctarunt, ut eorum vita videatur strictior vita Mo-
nachorum, ita ut dicti Prædicatores transferentes 96
se ad vitam Monachorum, non evitarent aposta-
siam; sequitur ibidem Abb. *in col.* 1. *num.* 5. *vers. se-*
cundùm.

Sicut

Sicut contrà ipsi Monachi non habent hodie illam arctitudinem; cùm è sylvis (ut suprà dictum est) egressi sint ad Urbes, ubi licèt ingentia, & pulchra ædificia ad Dei honorem, & populorum consolationem construxerint, Religionis tamen auctoritati non parùm derogarunt, cùm in illis maxima corporis, & animæ solatia capiant.

Et propterea dicitur *in d. cap. fanè*, quòd si Canonicus Regularis se transtulerit ad Monachos, quorum Monasterium sit laxioris Religionis, quòd tenetur redire ad primum, à quo discesserat; secùs autem si sit vitæ strictioris, & ibi post Innoc. Butr. Card. & alios
97 not. Abbas *num. 4. vers. sed contrà*, quòd ad validitatem ingressus non consideratur Regula antiquitùs instituta, sed modus vivendi de præsenti, quod dicit esse notandum; quia multi decipiuntur advertentes solùm ad Regulam utriusque Monasterii antiquitùs institutam, & non ad modum vivendi de præsenti, de quo etiam per Archidiac. *in d. cap. mandamus, circa*
98 *princ. 19. quæst. 3.* & ideò Monachus posset hodie transire ad Regulam Canonicorum Regularium, si strictiorem vitam tenerent, ut not. Joan. Andreas, & alii *in d. cap. fanè*, Lap. *alleg. 62.* Card. *cons. 28. col. 2.* S. Thomas 2. 2. *quæst. ult.* prout considerato præsenti statu eorum, est strictior.

99 Quartò respondetur, quòd cùm arctitudo vitæ sit inducta pro humilitate carnis per jejunia, & orationes, ut dixit textus *in cap. tres sunt, circà finem, de pænitent. distinct. 1.* & primus, ac præcipuus gradus humilitatis sit subdere se majori, & non præferri minori, secundùm gloss. *in Clement. 1. vers. humilitatis de Relig. dom.* deberent monachi posteriores postponere se Canonicis Regularibus, sive sint illis pares, sive inferiores.

Non obstat etiam, si diceretur, Ordinem Clericalem nulli dari propter meritum; & nulli competere esse Clericum, nisi Ordinem accipiat ab Episcopo, vel habente auctoritatem; & ideò cùm Monachi ordinentur sicut Clerici, habent id, quòd competit Clericis.

Quia respondetur, Canonicos Regulares non hoc temerè asserere, ut in utero matris, & ab ipsis cunabulis, se Clericos natos dicant, ita ut non indigeant Episcoporum ordinatione, sed hoc tantùm intendunt quòd ipsorum Religio ad hoc principaliter est institu-
100 ta, ut ejus professores in Clericatu, etiam in divinis ministeriis Deo inservirent, & non solùm sibi ipsis, sed toti populo Christiano utilitatem afferant. Monachorum verò Religio ad hoc principaliter fuerit insti-
101 tuta, ut Deo servirent in solitudine, & in insulis, & absque Ordinum susceptione, cùm silentio sibi ipsis solis incumberent: Licèt posteà ad urbes reductis, fuerint eis gratiosè concessi Ordines. Et ideò patet, quòd Clericalis Ordo priùs competierit ipsis, quàm Monachis, ut dicebat S. Thomas, & alii *suprà* adducti. Quare uti priores in Clericatus Ordine, debent
102 præferri posterioribus; quia privilegium Clericatus illis concessum intelligitur sine præjudicio Clericatus anterioris ipsorum Canonicorum Regularium, *cap. quamvis, de rescript. in 6. l. 2. §. meritò, ne quid in loco publ. cum similibus.*

Minimè etiam obstat, quòd Canonici Regulares non successerint in locum Clericorum primitivæ Ecclesiæ, nec sint illi essentialiter; sed quòd eorum loco sint deputati Clerici seculares, qui differunt ab ipsis Canonicis Regularibus; quia illi possunt condere testamentum de bonis paternis, *cap. Rainutius, cap. Rainaldus, de testam.* quod est interdictum Canonicos; non vivunt in communi, nulli præstant obedientiam, nisi Episcopo in quibusdam: & si Canonici Regulares invicem se percusserint, pro absolutione non tenentur mittere ad Sedem Apostolicam, prout tenentur facere, quando percutiunt Clericum secularem, *cap. cùm illorum, de sent. excomm.* Item Clericus secularis infirmus, & mortis conscius petit habitum Canonicorum Regularium, ut in *cap. sicut nobis de Regular.* & Clericus secularis factus Canonicus Regularis amittit ea, quæ erant Clericorum secularium, & efficitur Regularis, & transit in potestatem Prioris, *d. can. sicut nobis cap. non dicatis, 12. quæst. 2.* sicut contrà Monachus transiens ad Ecclesiam secularem non tractatur ut persona prioris collegii Monastici, *cap. ne pro cujuslibet, 16. quæst. 1.* gloss. *in Clem. ne in agro, §. ad hæc ver. ad claustrum, de stat. Monach.* & quia ipsi Clerici seculares præferuntur omnibus Regularibus, & ipsis etiam Canonicis S. Augustini. Ideò ponuntur diversi tractatus, ut *in rub. de vit. & honest. Cler. & in rub. de stat. Monach. & Canon. Regular.*

Quoniam pro responsione considerandum est, quòd in tempore Apostolorum unica tantùm esset Religio, scilicet Clericalis fraternitatis, nec nomina Clericorum secularium, sive Religiosorum, aut Canonicorum Regularium vel Religiosorum in usu esset, inceperunt illi Clerici, qui in communi vita remanserunt, & à laicis distincti fuerunt, (ut fuit suprà dictum, à primo fervore charitatis, & devotionis etiam ipsi refrigescere: ac nonnulli ex his propria pos-
sidere, quos videns D. Augustinus à propria perfectio- 103
ne deficere, post susceptos Ordines Sacerdotales à S. Valerio Hipponensi Episcopo, statim Monasterium Clericorum instituit, ac vivere cœpit secundùm Regulam Apostolorum, ut ipse testatur *lib. 9. confess. & in sermone*, qui incipit, *Charitas vestra*, ubi alloquens ad Januarium, qui simulabat vivere velle cum ipso, & ei describens vitam Apostolorum, inquit; *quomodo vivere velimus, quomodo Deo propitio vivamus, ipsa de actuum Apostolorum vobis lectio recitatur, ut videatis ubi sit descripta forma, quam desideramus implere*: & *in 2. sermone*, qui incipit, *Propter, quod volui*, inquit, *qui societatem communis vitæ jam susceptam, quæ laudatur in Actibus Apostolorum deserit, à professione sua cadit.*

Atque inde facta fuit distinctio Clericorum secula- 104
rium ab ipsis Clericis Regularibus, ut qui descivissent à norma & Regula Apostolorum, quam Augustinus quotidie docebat suos Clericos, mutato nomine Regularium, quod professi erant, vocarentur seculares, ut dicit gloss. *in cap. licèt in corrigendis, in vers. secularis, de offic. Ordin.* Ita ut dum vocantur Clerici
participent cum Religiosis, usurpato nomine ut dicit 105
Specul. *de rationali divinorum, cap. 89. num. 6.* dum verò vocantur seculares, participent cum laicis, ut declarat Abb. *in d. cap. licèt, col. fin. num. 5. vers. in gloss. 2.* & per Ostiens. *in Summ. de vit. & honest. Cleric. §. & quibus in princ.* qui verò Apostolorum Regulam retinuissent, & sub illa sanctissimè vivere perseverassent, ut Canonici S. Augustini digniori nomine, Regulares nuncuparentur, ut declarat Præpos. Alexand. *in d. can. 1. col. 4. vers. tertium tempus, dist. 44.* ubi omnia tempora distinguit.

Ex quibus infertur, non solùm Canonicos Regulares non differre ab antiquis Clericis, sed etiam magis commendandos propter observantiam, & perseveran-
tiam in eorum Regula, cùm perseverantes in bono di- 106
cantur esse melioris conditionis, *can. si ex bono, de pænit. dist. 4. c. eum qui, de præben. in 6.* cum aliis, de quibus latè per Roman. *in l. si verò, §. de viro sol. 34. sol. matr.* & magis laudantur obedientes, quàm con-
tumaces, *c. contingit. de dol. & contumac.* & præmium 107
non damnum consequi debent, *cap. 1. vers. nos igitur, de postul. Prælat. cap. pervenit, de fidejuss.*

Clerici verò seculares, cùm liberiùs vivant, & uti 108
laici, ex tolerantia Sedis Apostolicæ permittuntur in laxiori vita, ut per gloss. *in cap. quoniam, in vers. in*

ung

una domo, & ibi per Butr. *col. fin. vers. oppono cum gloss.* Abb. *in d. cap. Deus qui, col. fin. vers. item dic.*
109 *de aliis*; & ideò S. Augustinus *in can. certè 12. q. 1.* vocat Clericos seculares claudos, qui cùm non profiteantur more illorum antiquorum, stant in statu imperfecto ad perfectum, in quo erant instituti ab Apostolis. Quare cùm Canonici Regulares in vita, & institutione conveniant cum Clericis primitivæ Ecclesiæ, non curandum est de accidentali differentia Clericorum secularium, cum quibus nulla est hodie controversia cum Canonicis Regularibus.

110 Et licèt hodie ipsi Clerici seculares præcedant, id est ex eo, quia pro eorum superiori habent Episcopum, qui præfertur omnibus Monachis, & Religiosis, cùm Ecclesia Cathedralis sit præ cæteris honoranda, *cap. quamvis il 1. §. quamquam, de praben. in 6.* per quem text. concludit *ibi*, Gemin. *in princ. num. 3.*
111 quod Canonici seculares Cathedralis Ecclesiæ debent præferri etiam Abbatibus, quando processionaliter incedunt, ut etiam per Felin. & Bart. *in cap. Pastoralis, col. fin. de offic. deleg.* nam membra sequuntur suum caput, *cap. non liceat, in princ. de præscript.* ut etiam inferiùs dicetur.

Et ex his tollitur si diceretur, Clericos, quos dicimus repræsentari à Canonicis Regularibus, non fuisse vocatos Canonicos, sed Clericos simpliciter, quia
112 respondetur, quòd facta prædicta distinctione secularium, & Regularium, qui servarunt Regulam Apostolorum, quæ est illa eadem tradita ab Augustino dicti fuerunt Regulares, tum ratione secularium tum respectu novarum Confraternitatum, quæ successivis temporibus insurrexerunt, ut fuerunt ipsi Mona-
113 chi, post quorum Ordinationem nomen Canonicorum fuit repertum; nam in Decreto vix reperitur nomen Canonicorum, nisi post institutionem Monachorum in Civitatibus congregatorum; cùm tunc antea ipsi Monachi uti locustæ in solitudinibus errarent, atque inde nomen Canonicorum fuit in usu, quod significat Clericum collegiatum, ut fuit *suprà* latè dictum.

Non obstantibus etiam, quòd licèt Canonici Regulares fuerint instituti ad instar Clericorum antiquorum; tamen propter novas qualitates illis injunctas ab Augustino in sua regula, in qua mandavit specificè emitti debere tria vota, quorum aliqua non erant prohibita illis Clericis, videtur inducta mutatio illorum status, juxt. not. *in l. jus civile, de just. & jur.*

114 Quoniam respondetur primò, antiquos Clericos professos fuisse tria vota, ut fuit *suprà* probatum.

Secundò, etiamsi expressè non fuissent professi, negari non potest, quin saltem tacitè illa observaverint, & expressæ, & tacitæ professionis eadem est vis, *cap. 1. c. non solùm, c. constitutionem, vers. aliis, de Reg. in 6. innic. de voto eo.* Clem. *fin. de Regul. S. Thomas 4. sent. distinct. 38. q. 3. in resp. ad 3. argum.*

115 Tertiò respondetur, quòd S. Augustinus in speculo suo non præcepit suis Clericis, ut expressè, ac specificè profiterentur; sed inquit, quòd debeant vivere in communi, præstare obedientiam suis majoribus, & vivere in castitate, quæ omnia servabant etiam illi antiqui Clerici, ut fuit *suprà* dictum.

Quartò, etiam si antiqui Clerici, nec tacitè, nec expressè fuissent professi; cùm tamen hæc nova professio non possit dici fuisse inventa ab Augustino ad alium effectum, quàm ad augendam suorum Clericorum perfectionem, non debent inducta ad augmentum operari diminutionem, *l. mancipia, de fund. instruct. l. si quis legaverit, de aur. & argent. leg.* sicut inducta ad favorem, non debent retorqueri in odium, *l. quod favore, C. de legib.*

Prout etiam idem videmus in ipsis Clericis secularibus, qui cùm nec tacitè, nec expressè, profiteantur, nec etiam quid minimum Regulæ antiquorum Clericorum observent, cùm ab illis in substantialibus, in vivendi modo, & in ipso etiam nomine declinaverint, retinent eorum prærogativam Clericatus, licèt ex tolerantia Pontificum; quantò magis ipsi Clerici Regulares eorum prærogativam perdere non debent, qui non solùm ab illorum institutis in nihilo deviarunt; sed potiùs perfectionem auxerunt, arg. *cap. recolentes, de stat. Monach.* & honor auctus non mutat qualitatem personæ, ut de Monacho facto Episcopo, & de Tabellione facto Doctore, tradit Bal. *in l. falsa demonstratio, §. 1. col. 1. de cond. & demon.* 116

Sicut etiam hoc idem patet in Monachis, qui eorum antiquitatem quærunt deducere ab Antonio, Hilarione, & aliis, qui cùm fuerint Eremitæ non profitebantur, nec expressè, nec tacitè, ut fuit *suprà* dictum; & tamen ipsi expressè profitentur.

Quintò respondetur, etiam quod ab Augustino esset aliquid additum de novo: cùm tamen substantia Clericatus, quæ erat in illis Clericis, non sit variata non dicitur nova Religio inducta ab eo, ut not. Bald. *in d. l. jus civile, in princ.* quem ita declarat Abb. *in cap. 2. col. 3. num. 11. vers. nota, quòd illud, de translat. Episc.* Rip. *in l. edita, num. 36. vers. quartò non videtur, C. de edend.* præsertim quando id, quod additur, non provenit ex nova causa, non inclusa, nec in genere, nec in specie in 1. Abb. *in c. 2. col. 9. vers. pone, de libell. oblat. Castren. in l. sicut debemus num. 5. vers. ultimò quæro, de verb. oblig.* 117 118

Et ideò dici solet, quòd Ordo reformatus dicitur idem, & non diversus, *cap. relatum*, ibi, *in suo Ordine, ne Cler. vel. Mon.* & per Abb. *in c. inter quatuor, de Relig. dom.* Felin. *in cap. ad nostram, de appell.* 119

Et patet in Fratribus S. Francisco, qui non possunt ex substantiali sua professione, possidere proprium in communi, vel in privato, *Clem. exivi. de verb. sig.* & tamen hi, qui sunt non observantes, possunt ex permissione Apostolica, & tamen sunt, ac dicuntur de eod. Ordine; quod etiam licet intueri in Regula SS. Dominici, Benedicti, & Augustini.

Secundò principaliter probatur, RR. Dominos Canonicos Regulares præferri debere Monachis S. Benedicti ratione antiquioris institutionis utriusque Regulæ, scilicet ipsius Augustini & Benedicti. Cùm qui prior est tempore, debeat esse, non solùm prior in jure, juxta Regulam, *qui prior in 6. cap. antiqua, de privil. cap. renovantes 12. dist.* sed etiam in honoribus, & sessionibus, *l. honores. de decur. l. si,* & *ibi* not. Bart. *C. de tiron. lib. 12. §. Ordinationem, aut. de Monach.* Abb. & cæteri *in cap. 1. de major. & obed.* cùm aliis de quibus per Dec. *cons. 61. col. 1. vers. secundo Dominus*, & priùs institutus præcedere debet secundo loco institutorum, *c. Episcopos dist. 17.* & ibi post gloss. *not. Praposs. num. 2. vers. nota quòd qui prior*, & *in c. Episcoporum dist 93.* gloss. *in c. quorumdam, vers. Prædicatorum, de elect. in 6.* ubi inquit, ideò in illo text. præmitti Prædicatores, quia antiquior fuit ipsorum institutio, ut in *cap. fin. ver. Prædicatores, de pœn. in 6.* Joan. Andr. *in cap. nimis, l. 2. in princ. de excess. Prælat.* & *ibi*, Ostien. *in princ.* Petr. de Mont. *in Monarch. q. 4. n. 2.* 120 121

Et nulli dubium est Regulam Canonicorum Regularium fuisse institutam ab Augustino anno Domini 365. ut ipse attestatur *in lib. de Civit. Dei lib. 18. cap. ult.* qui postea decessit anno Domini 434. & habetur in Chronicis Eusebii in ea parte, quam Prosper adjunxit, & in Chronica Martiniana *in Imperio Theodosii junioris*, & per Platinam *in vita Celestini*. S. Benedictus vero floruit anno Domini 534. sub Bonifacio II. ut attestatur idem Eusebius *in postrema parte Chronica*, quam addidit Mathæus Palmerius, & in dicta Chronica Martiniana *in Imperio Justiniani*, & Platina *in vita Bonifacii II.* Et Chronicis, & Historiographis, 122

in

in factis antiquis standum est, ut per gloss. *in cap. Venerabilem, vers. transtulis, de elect. & in cap. causam, de probat.* Bart. *in l. 1. si cert. pet.* ubi per Rip. *n. 72.*

Ex quo patet, S. Benedictum fuisse per annos 100. circiter post S. Augustinum; & de hoc nulla est dubitatio; itaque præcedere debent Canonici Regulares, tanquam priores institutione.

Nec prædictis etiam obstat, si Monachorum antiquitas deduceretur ab Helia, & Helisæo, tempore Veteris Testamenti, qui primò elegerunt vitam solitariam cum filiis Prophetarum, & à Joan. Baptista, Paulo Eremita, Antonio, Hilarione, Machario, & aliis multis Testamenti Novi, qui servarunt vitam etiam Monasticam; seminatam, ut ajunt, à Prophetis Helia, & Helisæo, ut habetur per Isid. *lib. 2. c. 15.* & *in Historia tripartita lib. 2. cap. 11.*

124 Quoniam respondetur primò, quòd si volumus deducere antiquitatem à causa remotissima, cum Sacerdotium in lege veteri fuerit figuratum in Melchisedech juxta illud, *tu es Sacerdos secundùm Ordinem Melchisedech*; postea in Aaron, ac deinde in Levitas, ac tandem per legem novam translatum in Christum, & ejus Apostolos; & ab Apostolis in Clericos, quos repræsentant ipsi Canonici Regulares, ut fuit suprà deductum; dubium non est, quin antiquiores sint Canonici, quàm prædicti Helias, & Heliseus, &c. & alii.

125 Secundò respondetur, quòd cùm Canonici sint antiquiores Clerici, quàm Monachi, non attenditur antiquitas temporis, sed Ordinationis, ut not. Abb. per illum text. *in cap. statuimus col. 1. vers. nota ex prædictis, de major. & obed.* Præpos. *in cap. Episcopus col. 1. dist. 17.*

126 Tertiò respondetur, quòd illi non fuerunt Monachi, sed Eremitæ, ut de S. Joan. Baptista est text. *in can. fin. §. item Joan. Baptista 2. q. 7. & cap. cùm Joannes, de fid. instrum.* de Paulo habetur *in can. perlatam, §. contrà 19. q. 3.* de Machario *in can. scripsit 27. q. 2.* de omnibus prædictis tradis Boerius *in tract. de stat. Eremit.*

127 Et inter Eremitas, & Monachos est non modica differentia; dum quia illi non vivebant in communi prout Monachi: nam poterant testari, ut *in d. cap.*

128 *perlatum*, & ibi not. gloss. *vers. Eremita*, & *in cap. quia verè, in vers. vero, circa fin. 16. q. 1.* Boër. *in d. tract. num. 6.* quod non est permissum Monachis, qui se, & sua dedicant Deo *cap. cùm ad Monasterium de*

129 *stat. Regul. auth. ingressi C. de Sacrosanct. Eccl.* tum etiam, quia illi poterant ducere uxores gloss. *in cap. ex parte il secundo, in vers. constitutus de convers. conjug.* gloss. *in cap. script. 27. quæst. 2.* quod prohibitum est Monachis *cap. 2. d. cap. ad Monasterium, de stat.*

130 *Monach.* tum quia illi nulli præstabant obedientiam; & ideò vocabantur acephali, id est, sine capite, *cap. nulla 93. dist.* & dicit gloss. *in d. cap. qui vivere*, quòd

131 sint sicut locustæ, quæ non habent regem, & ibi notat Archidiac. *vers. non habebat*, Abb. *in cap. nullus, col. 3. num. 10. vers. ex hoc infertur, de Judic.* licèt subsint Episcopo, in cujus territorio reperiuntur, ut *ibidem*: & ideo ponuntur Eremitæ, tanquam separati à Monachis, & *in cap. super eodem de sentent. excomm.* ibi, *Monachis, & Eremitis*; quæ copula ponitur inter diversa, juxta gloss. *in rubr. de jur. & fact. ignor.* cum similibus, & tradit Archidiac. *in d. cap. qui verè*, Angel. *in l. post*, gloss. *ibid. de in jus voc.* immò dixit gloss. *in d. cap. qui verè*, se non reperisse in jure qua-

132 lis debeat esse vita Eremitarum. Cùm igitur sint diversi, non potest de his ad Monachos argui, *l. Papinianus, de minor. cum vulg.*

Et ex prædictis cessat etiam Monachorum antiquitas, deducta à Scharior (qui dicitur fuisse Abbas monasterii) cujus Monachi dicuntur, mortem Christi deplorasse, &c. ut legitur in lib. Scholasticæ historiæ, *in rubr. de signis in morte Domini.*

Quia respondetur primò; longè antiquiores esse Canonicos, ut *suprà* dictum est. Præterea, & secundò non est danda fides d. Historiæ, cùm non numeretur inter approbatas, de quibus *in c. Sancta Romana Ecclesia 15. dist.* Tertiò in dicta Historia solùm dicitur, quòd Schariot erat pater, & habuit discipulos: auctor verò dictæ Historiæ, ideò vocat Abbatem, quia nostris temporibus est nomen frequentissimum, volens denotare illius superioritatem, ad similitudinem Abbatis, quod nomen idem denotat, quòd Magister, seu pater, ut latè post alios declarat Alciat. *in l. 1. in gloss. 1. C. de in jus voc.* & est text. *in cap. fin. de Regul.* ubi Abbas vocatur pater.

Non obstat etiam, quò de ipsis Monachis fiat men- 133
tio in antiquissimis juribus, ut *in cap. interdicimus, 16. quæst. 1.* cujus auctor fuit Calixtus, qui floruit anno Domini 227. & *in can. de Monachis, 16. quæst. 1.* quod est Innoc. I. anno 411. & *in can. Monachos, ead. quæst.* quod est Siticii, anno 390. & *in can. eos quoque distinct. 45.* quod est Felicis, anno 268. & in Concilio Nicæno, de quo *in can. Subdiacono 93. dist. & in can. qui verè, & in can. placuit, il primo 16. q. 1.* anno 341. & *in can. si quis Episcopus, 16. q. 2.* quod est Eutychi, anno 277. & *in can. Presbyteris, 27. dist.* quod est Calixti, anno 227. & in Concilio Calcedonen. de quo *in can. juxta 16. quæst. 1.*

Quoniam respondetur primò, non valere consequentiam; in dd. juribus non fit mentio de Canonicis Regul. ergo non sunt antiquiores, per regulam *l. neque natales C. de probat.* Secundò dicitur, quòd Canonici in longè antiquioribus juribus sunt nominati, sub nomine tamen Clericorum, cum Clerici etiam appellentur, ut fuit *suprà* probatum. Tertiò dici potest, non fieri mentionem *ibi* de Monachis Benedictinis, cum quibus est controversia, cùm alii adsint Monachi, cum quibus isti non conveniunt, nec in auctore, nec vivendi modo.

Minus etiam facit, quòd S. Bernardus in sermone, 134
quem apologeticum appellat, *in cap. de intemperantia vestimentorum*, dicit Monachalem Ordinem primum in Ecclesia Dei extitisse.

Quoniam respondetur, non intelligi debere respectu Clericalis, & Apostolicæ institutionis, quæ fuit tempore & dignitate prima in Ecclesia, ut fuit *suprà* deductum; sed respectu aliorum Ordinum posteriùs institutorum, qui successerunt Ordini Monastico; alioquin contradiceret tot auctoritatibus, ex quibus constat contrarium, ut in primo fundamento pro parte Canonicorum Regularium.

Præterea, dixit primum Ordinem, non respectu dignitatis; cum Bernardus non esset ita elatæ mentis, sed respectu humilitatis, ac pœnitentiæ, & despectæ conversationis, ut ex verbis ejusdem alibi elicitur, dum inquit, *noster Ordo, humilitas, pœnitentia, labor, & sudor est.*

Sed posito, quòd esset primus, non attenditur prioritas institutionis, sed Ordinis Clericalis, ut fuit aliàs dictum.

Non obstat etiam, quòd Monachi habuerunt originem ab ipsis Apostolis, cùm illorum vitam sectantes, omnia bona ponerent in communi, & eorum dispensationem Apostolis relinquerent, ut legitur apud Cassian. *in lib. collationum col. 18. cap. 5.* & propterea dixit Nicolaus de Lyra *in Act. Apost. cap. 4.* quòd omnis Religio largo modo potest dici habuisse exordium ab Apostolis, & *in cap. 2. inquit, ex hoc cœtu omnis Religio habuit exordium in qua non licet habere proprium.*

Quoniam respondetur, quòd omnes Christiani habuerunt initium ab Apostolis; sed alia ratione Clerici, alia Monachi, sive mere laici, ut declarat

Præpos. *in cap. 1. distinct. 44. col. 4. vers. ita evenit in Ecclesia.* Nam in primordio nascentis Ecclesiæ qui
de sorte Domini erant, & Deo militabant, omnia sua
bona vendebant, & pretium ad pedes Apostolorum
ponebant, quod Christi fidelibus communicabatur,
136 & hi Clerici dicebantur, *cap. dilectissimi 12. quæst. 1.*
postea deficiente Fidei fervore, fuit facta distinctio
bonorum: cùm singuli per se cœpissent retinere sua,
137 *cap. sint manifesta, 12. quæst. 1.* Et Christianorum alii
remanserunt Clerici in communi viventes, & Apostolorum vitam sectantes; alii verò effecti fuerunt laici, qui separatim habitabant, & singuli per se, & propria habebant, & Deo conversi dicebantur, *cap. duo sunt genera Christianorum 12. quæst. 1.* & horum nu-
138 mero erant Monachi, qui in statu laicali fuerunt usque ad tempora Eusebii, Zozymi, & Siricii, & inde
cœperunt clericari, ut fuit *suprà* dictum. Clerici verò
semper retinuerunt illam communem vitam, & qualitatem Clericalem, à quibus ipsi Canonici continuatam originem traxerunt.

139 Hac igitur ratione dicitur Monasticum Ordinem
ab Apostolis originem habere, in quantùm scilicet,
140 repræsentat statum illum laicalem: postquam verò effecti fuerunt Sacerdotes, dicuntur retinere figuram
Apostolorum, id est Discipulorum ipsorum, ut dicit
text. *in can. ex auctoritate 16. q. 1.* & ibi per gloss. &
sic impropriè, & figuratè, non autem verè ut Canonici Regulares, qui cùm sint Clerici, dicuntur successores Apostolorum, *can. illi 12. q. 2.*

141 Ex quibus infertur, non obstare, si diceretur Monachos imitari Apostolos, cùm profiteantur tria illa
substantialia sicut Apost. & Clerici, sive Canonici Regul. illorum successores.

Quia respondetur, quòd dentitas votorum non facit diversas Religiones esse unam solùm, secundum
doctrinam S. Thom. 2. 2. *quæst.* 188. *art.* 1. ubi inquit,
quòd tria essentialia vota Religionis pertinent ad exercitiom Religionis, sicut quædam principalia, ad quæ
omnia alia reducuntur; ad observandum autem unumquodque eorum diversimodè aliquis se disponere potest; puta ad votum continentiæ servandum, potest
aliquis se disponere per loci solitudinem, per abstinentiam, per mutuam societatem, & per alia hujusmodi; subdens: & secundùm hoc patet, quòd communitas essentialium votorum compatitur diversitatem
Religionis, tum propter diversas dispositiones, tum
propter diversos fines, ut *ibidem* per eum.

Et ideò licèt S. Benedictus quantum ad tria vota
observaverit Regulam Apostolorum; sua tamen erat
valdè dissimilis, quantùm ad hoc, quòd diversimodè
disposuit suos professores ad prædicta vota servanda,
per supradicta, scilicet quantum ad habitum, & Clericatum; & ita etiam diversitates Religionum considerat Card. *in Clem. 1. q. 12. & 13. de elect.* licèt omnes possint dici habuisse unum inventorem, scilicet
Deum, ut *ibi* per eum.

Nec quidquam etiam facit, si diceretur, quòd quemadmodum D. Augustinus reformavit, ac decoravit Clericos primitivæ Ecclesiæ, ita fecit S. Benedictus de Regula S. Basilii: cùm se Benedictus *in ult. cap. sua Regula*, asserat, se Patris Basilii Regulam imitari; prout
etiam attestatur Cardin. S. Sixti *in opere*, quod composuit *super Regula S. Benedicti*, & Ordo S. Basilii præponitur Ordini S. Augustini.

Quoniam respondetur, quòd Regula S. Augustini
non solùm habuit ortum ab Apostolis, qui longè antè præcesserunt Benedictum, sed est illa eadem, & sic
tam respectu antiquitatis, quàm Clericatus præponenda est etiam Regulæ Basilii.

Præterea non agitur nunc de præcedentia in genere omnium Monachorum, sed eorum tantùm, qui
sunt sub Regula Benedicti, quam constat differre ab
illa Basilii in habitu, ac vivendi modo, & Ecclesiæ,
uti diversas nominat, & profitentes Regulam Benedicti non recognoscunt alium in patrem, quàm Benedictum, quem almificum appellant, ut *in can. sunt nonnulli 16. q. 1.*

Tertiò, principaliter deducitur præcedentia Canonicorum Regularium ex antiquiori approbatione
eorum Regulæ, quæ in hujusmodi prælationibus po- 142
tissimum attendi solet, ut notat Gemin. *in cap. quorumdam, §. volentes, num. 6. vers. nota ex ista*, gloss. &
ibi Franc. *in 4. not. de elect. in 6.* Abb. *in cap. nimis, il 2. col. 1. in 1. not. de excess. Prælat.* & dicitur *in Clem. 1. de Relig. dom.* quòd profiteri debet aliquam Regulam
approbatam.

Hæc autem prioritas approbationis consideratur pri- 143
mò; quia ante Concilium Lateranense, de quo *in cap. fin. de Relig. domib.* omnes Regulæ ipso jure erant approbatæ, ut notat gloss. *in cap. unic. § penult. vers. præcessit, eo tit. 6.* nam dum *in d. §.* dicitur, *cæterum Eremitarum S. Augustini. & Carmelitarum Ordines, quorum institutio d. Concilium Generale præcessit; in solita statu volumus permanere*, gloss. *ibi*, inquit, nota, quòd
Ordines non debent tangi, quia præcesserunt d. Concilium, de quo *in d. cap. fin.* cùm futura respiciat, &
probatur *in can. parcimoniam 41. distinct.* & ibi ad hoc
notat, Geminian. *vers. not. arg.* Turrecrem. *vers. Congregationem*, Præpos. *num. 3. vers. not. arg. expressum*,
ubi per illum text. not. quòd universitates factæ in Ecclesia pro communi utilitate, vel ad opus pium, vel
pro subventione pauperum, videntur approbatæ à jure;
ita ut alia approbatio specialis non sit necessaria, idem
notat Gemin. *in can. si quis extra vers. si autem fieret 30. distinct.* gloss. 2. *in fin. can. si quis Clericus 11. q. 1.*

Prout etiam de jure civili, collegia causa Religio- 144
nis, non erant prohibita, *l. 1. §. sed Religionis, de colleg. illic.* & *ibi* notat gloss. *in vers. illicita*, Bart. *in l. 3. §. in summa, eo.* Castr. *cons. 5. in princ. vol. 2.* quæ civilis
dispositio etiamsi non reperiretur expressè à Jure Canonico approbata, prout ex supradictis contratium
constat; tamen, ex quo illi non expressè contradicebat, censebatur expressè approbari, juxta communem
opinionem, Doct. *in cap. 1. de nov. oper. nun.* Prop-
tereà dixit S. Th. 4. *sent. dist. 39. art. 2. q. 3. ad 3. arg.* 145
quòd antequam essent Regulæ Religiosorum, quæ
modò sunt, erat aliquis modus vivendi approbatus,
sequitur Præpos. *in can. 2. dist. 44. col. 4.* præter perversam quorumdam Monialium consuetudinem, quæ reprobatur *in can. perniciosam 18. q. 2.*

Regula autem D. Augustini tanquam condita ante 146
d. Concilium Lateranense, priusquam Regula D. Benedicti, censebitur etiam priùs approbata.

Ex quo infertur, & secundò, quòd, cùm D. Augusti- 147
nus fuerit centum annis ante S. Benedictum, ex temporis antiquitate præsumitur titulus confirmationis,
etiam ipsius Papæ, Dec. *cons. 36. col 1. vers. non obst. si dicatur*, Mohed. *decis. 52.* & est communis opinio, ut
per Balb. *de præscript. 5. part. princ. part. 2. quæst. 4. n. 4. vers. communis*, per text. *in l. hoc jure § ductus aquæ, de aqu. plu. arc. cap. super quibusdam, §. præterea, de verbor. sign.* & Doct. contrarium tenentes, loquuntur
in decennio, ut per Mohed. *in d. decis. 52.*

Tertiò probatur; quia cùm Regula S. Augustini 148
fuerit priùs approbata; quia approbatio in dubio censetur facta juxta ordinem institutionis, ut notat Bart.
in l. si verò num. 4. vers. ult. de mil. testam. notat Doct.
in l. 1. C. de testament. mil. sicut dicitur de duobus emptoribus ad effectum prælationis in acquisitione dominii, quòd præsumitur res tradita priori emptori, ut ipse alteri præferatur, ut dixit Bald. *in cap. 1. §. si facta col. 2. vers. nec unum omitto, si de feud. fuerit controvers.* de quò latè per Jason. post alios *in l. quoties n. 37. vers. secundo quæro, C. de rei vend.*

Quartò

Quartò etiam probatur; quia cùm Canonici Regulares traxerint originem ab Apostolis, & sint de Clericis antiquis, statim fuerunt approbati quòd creati, juxta *can. Dominus noster 93. distinctione.*

149 Quintò: quia S. Augustinus fuit factus Episcopus ante dispositionem *d. cap. fin. de Relig. dom.* Ideò dicitur ipse approbasse suam Religionem cum consensu suorum Clericorum, cùm non reperiatur ante *dict. cap. fin.* hoc prohibitum Episcopis, qui in sua Diœcesi om-
150 nia possunt, quæ non reperiuntur reservata per Papam S. Innoc. *in cap. dilectus in princip. vers. dispend. de tempor. Ordin.* Abb. *in cap. per tuas, il 2. num. 6. vers. 1. de simon.* Dec. *in cap. cum diligentia colum. 2. vers. sed tamen indistinctè, de elect.* quod facere non potuit B. Benedictus, qui erat Monachus, præsertim cùm ipse Augustinus interfuerit Concilio Carthaginensi, *can. seculares in rescript. 33 quæst. 2.* quod fuit celebratum antequam S. Benedictus suam Regulam instituerit: adeò ut si aliqua approbatio fuisset necessaria, præsumi debet, quòd ipse fecerit illam approbari; cùm in maxima veneratione ipse, & alii Episcopi haberent Sedem Apostolicam, ut nihil ausus fuisset sine consensu Papæ definire.

Sextò probatur per *can. Sancta Romana Ecclesia, circa princ. vers. jam nunc subjiciendo 15. dist. act.* ubi Gelasius Papa, qui fuit ante S. Benedictum per multos annos, approbat opuscula B. Augustini Hipponensis Episcopi, inter quæ opuscula continetur etiam Regu-
151 la Canonicorum suorum: ut illam inter opuscula S. Augustini connumerat Vincentius *Historialis lib. 18. cap. 54. in fin.* prout etiam de illa sensisse ipsum Gelasium constat ex eo, quia ipse fuit filius Valerii Episcopi, *cap. Osius Papa, §. Gelasius dist. 56.* & Valerius dedit Ordines Augustino, ut fuit *suprà* dictum.

Nec dicatur, approbationem intelligi de operibus quæ non sunt contra Fidem, nec contra bonos mores, & de his, quæ non sunt legenda fidelibus. Quoniam respondetur approbationem esse indefinitam, & ideò omnia comprehendere, *l. si pluribus de leg. 2.* prout de omnibus intelligit Præpos. *in d. cap. Sancta Romana, num. 2. vers. nota, quod ac dum.*

152 Et nullum ex ipsius opusculis magis adducitur in auctoritatem in toto Decreto, quàm hoc continens Regulam Canonicorum, ut patet *in can. quamvis necessitas 86. distinct. in can. nolo eum duobus sequentibus, can. 12. q. 1. cap. si quis irascitur 13. q. 2. cap. quicumque 16. q. 4. cap. in oratorio 42. dist. cap. non vos 5. q. 5. cap. non solùm 32. q. 1. can. perniciosam 18. q. 3. c. cùm causam,* ubi Innocentius III. qui fuit auctor *d. cap. fin.* vocat Regulam Augustini approbatam, & in pluribus aliis juribus facilè constat. Ex quibus specialis hujus Regulæ approbatio colligi potest.

Immo hæc Regula legitur singulis hebdomadis in omnibus ferè Conventibus, & Monasteriis coram omnibus Religiosis; ut notissimum est.

Minùs etiam obstat, si diceretur, censeri factam approbationem Regulæ, tanquam boni modi vivendi, non autem ut per eam quis profiteretur. Quoniam respondetur, approbationem esse factam ad finem, ad quem fuit instituta Regula, juxta regulam, *l. diximus de excus. tut.*

Septimo probatur *in cap. perniciosam 18. q. 2.* juncto *dict. cap. fin. de Relig. dom.* Nam *in cap. perniciosam*, mandatur aboleri perniciosam, & detestabilem consuetudinem quarundam mulierum, quæ licèt non vivant secundùm Regulam B. Benedicti, neque Basilii, neque Augustini, desiderant sanctimoniales videri & hoc *can. fuit*, Innoc. II. *in dict. vero cap. fin.* dicitur quicunque voluerit ad Religionem converti, unam de approbatis assumat; & hujus *cap. fuit* auctor Innoc. III. ergo necessario intelligi debet hoc *cap. fin.* etiam de Regula S. Augustini, Basilii, & Benedicti, secundùm quas permittebatur vivere illas Sanctimoniales *in d. can. perniciosam*, sed Regula S. Augustini fuit priùs instituta, quàm illa Benedicti, ut fuit *suprà* dictum.

Et si diceretur, in hoc *cap.* priùs poni Regulam S. Benedicti, quàm Augustini, respondetur *ibi*, non considerari ordinem: quia sequeretur, quòd Regula Basilii fuisset approbata post illam Benedicti, cùm postponatur illi: de quo tamen Ordine inferiùs dicetur.

Nec prædictis obstat prioritas Regulæ S. Benedicti, considerata ratione ordinis scripturæ, quæ attendi debet, *l. quoties, de usufruct.* ubi not. Bald. *l. si servus communis, §. pen. de stipul. serv.* Bald. *in l. qui duas, de excus. tut.* cum similibus. Nam quando fit mentio de Canonicis Regularibus, & de Monachis; priùs nominantur Monachi, quàm Canonici, ut *in cap. licèt quibusdam, de Regular. cap. 2. cap. cùm illorum, cap. Canonica, de sentent. excommun. cap. Deus qui, de vit. & honest. Cleric. cap. 2. de suppl. negl. Prælat. Clem. ne in agro §. quia vero nonnulli, de stat. Monach.* & in pluribus aliis juribus; & patet in ipsis rubricis, in quibus solet ordo potissimum attendi, juxta not. per gloss. & Dec. *in rubrica, de eo, per quem fac. erit, & in l. 2. C. de confir. util.* cùm ex illis inferatur ad nigrum, gloss. Bald. & alii *in rubr. C. ne il 3. provocat.* & probat Cardinal. *in Clem. 1. col. 7. de suppl. neglig. Prælat.* ubi faciens memoriam de Regulis approbatis; primò nominat Regulam Sancti Benedicti, & posteà illam Sancti Augustini.

Quoniam respondetur scripturæ ordinem tunc attendi, quando sumus in dubiis, non ubi constare potest aliunde de veritate prioritatis, & concludit Bart. *in proœm. C. §. quibus, in fin. n. 19. vers. opponitur, & in l. 2. §. prius num. 7. vers. circa tertium. de vulg. & pub.* & ibi latè per Jas. *num. 28.* prout hic de prioritate constat ex *suprà* adductis. 153

Præterea ordo non attenditur, quando sumus certi dispositionem non date ordinem, ut post alios, quos adducit declarat Felin. *in cap. dilecta col. 10. num. 21. vers. quintò declara, de rescript.* prout loquuntur jura ex contrario adducta, in quibus præponuntur Mona- 154
chi; sicut etiam interdum præponuntur ipsi Canonici 155
Regulares in pluribus juribus, in quibus non constat de mente volentis dare ordinem, ut *in cap. ut clerici, de Regul. can. Salvator. post med. 1. q. 3. can. nullus Monachus 2. q. 7. can. dudum 18. q. 2. cap. non dubium, de sent. excomm. cap. de Regularibus, de simon. cap. avaritia in suprascriptione, de prabend. cap. ex parte, de postul. cap. 1. de jur. cal.* & in aliis infinitis.

Et propterea dicunt Doctores; quòd in his, quæ vario modo sunt observata, non debet fieri fundamentum, Dec. *cons. 11. n. 12. col. 7. ver. secundo non obst.* Aym. *cons. 96. num. 5.* cum aliis per eos adductis. 156

Quando verò de mente disponentis constat, quòd vult dare ordinem, tunc ordo attenditur: & hoc casu Canonici Regulares præponuntur Monachis, ut *in can. ut lex continentia 27. q. 1.* ubi ex ordine enumerantur personæ Ecclesiasticæ, & primo loco collocantur ipsi Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, Regulares Canonici, & postea Monachi, ac deinde Conversi, & cùm primò nominat Episcopum, & alios quos certum est præcedere debere, & ultimo loco nominat Conversos, quos etiam post omnes alios poni debere constat: sequitur, quòd dum præponit Canonicos Regulares ipsis Monachis, quòd in his etiam voluit servare ordinem, cùm in præcedentibus, & sequentibus servaverit, & sequentia declarent præcedentia, *l. si servum plurium §. fin. de leg. 1.* 157

Idem etiam patet *in cap. ubicumque 13. q. 2.* Ubi in Concilio Tiburiensi fuit datus ordo, in quibus Ecclesiis quis sepeliri deberet: & primò ponitur Ecclesia Episcopalis, secundò Monasteria Canonicorum Regularium, ultimo loco ipsorum Monachorum: & il-

lum text. not. ibi gloss. Archid. & Jo. de Turrecrem. ad hoc, quòd ibi ponitur ordo.

Et hunc etiam ordinem observavit Archiepiscop. Florent. *in 3. part. sum. tit.16. cap.1. col.10. vers. notandum*; ubi magistraliter per viam doctrinæ ponens Regulas à Sede Apostolica approbatas, inquit, Quatuor sunt Regulæ ab Ecclesia approbatæ, sub quarum aliqua militant omnes Religiones Ecclesiæ Catholicæ: prima fuit Basilii; secunda Augustini; tertia Benedicti, &c. Idem dixit Imol. *in Clem. 1. col. 1. n. 11. vers. pro evidentia, de elect.* Card. *in Clem. 1. n. 5. vers. quæro in opin. de decim.*

Et argumentum, quod sumebatur ab ordine rubricarum quidquam non facit, ex quo apparet per suprascripta, contrarium dispositum, ut not. Gemin. *in cap. circa fin. num. 12. de jur. cal. in 6.* Decan. *in rubr. de praben. & dignit.* ultra quod Canonici Regulares veniunt appellatione Clericorum, ut fuit *suprà* dictum.

Minùs etiam facit, quòd antiquiora jura faciunt mentionem de Regula S. Benedicti, ut *in cap. super eo, de Regul.* quod est Alex. III. *cap. ne Dei, de Simon.* Honorii III. *cap. suscepimus in inscriptione de homic.* Alex. III. *can juxta 16. quæst. 1.* Alexand. II. *canon. Gonsaldus 16. quæst. 2.* Alexand. II. *can. statutum 18. quæst. 1.* Concilii Altei, *can. sunt nonnulli 16. q. 1.* Bonifacii IV. posteriora verò faciunt mentionem de Regula S. Augustini, & ejus Canonicis, ut *in cap. cùm causam, de elect.* quòd est Innoc. III. *cap. de Regularib. de Simon. Clem. 3. cap. plerique, de pact. cap. avaritia, de præb. &c. & in aliis, &c.*

Quoniam respondetur primò, non valere consequentiam, in illis juribus non fit mentio de Canonicis Regularibus; ergo Monachi sunt priùs approbati: quia cùm possit esse, quòd de Canonicis non fuerit facta mentio, ex quo in facto non contigit de illis aliqua quæstio; non necessariò facienda est hæc illatio, juxta vulgatam Regulam *non probas hoc esse, l. non hoc. C. unde legitimi.* cum similibus.

Secundò respondetur, quòd illa jura arguerent potiùs institutionem, quàm approbationem; quia obstante *d. cap. fin. de Relig. dom.* non inducitur confirmatio per simplicem nominationem *Clem. si Summus, de sentent. excomm. cap. si aliquando eod.*

158 Tertiò, ut fuit pluries dictum, Canonici veniunt sub nomine Clericorum, quorum Regula vocabatur Canonica, ut *in can. quanquam 23. distinct. can. quoniam 12. q. 1. can. observandum §. hoc autem 15. q. 2. can. in omnibus de consecr. dist. 5.* cum aliis, quæ adduci possent.

159 Insuper non obstat, quòd Gemin. *in can. Episcopos col. 2. vers. ex quo sequitur 16. distinct.* quem sequitur Felin. *in rubr. de major. & obed. col....* attestatur, Regulam S. Benedicti fuisse priùs approbatam.

Quia respondetur, quòd Domin. ad hoc dicendum movetur per *cap. super eo, de Regul.* ubi dicitur, quòd Clerici, qui ante susceptum habitum recedere voluerint, non videntur prohiberi redire ad priorem statum secundùm Regulam B. Benedicti, & sic ex sola nominatione Regulæ Benedicti arguit prioritatem approbationis illius Regulæ.

Sed si hoc verum esset, sequeretur, quòd Regula Basilii non esset priùs approbata, quàm Regula Benedicti; ex quo *in d. cap.* non fit mentio de Regula Basilii: quod absurdum est dicere.

Secundò respondetur, quòd si Regula Benedicti dicitur priùs approbata per illum text. sequitur, quòd tunc cœpit habere effectum approbationis, quoniam illud *cap.* emanavit ab Alex. III. & non ante: sed Innoc. II. qui longè antè præcessit Alex. III. fuit auctor. *can. perniciosam 18. q. 2.* ubi nominat Regulas Augustini, & Basilii approbatas, & sic ex illo *cap.* non potest argui prior approbatio.

Tertiò respondetur, quod idem Alexand. III. qui approbavit Regulam Benedicti, ut prætendit Domin. *in cap. sanè eod.* quod est immediatè sequens post *cap. super eo*, dicitur approbasse etiam Regulam Sancti Augustini; ex quo ibi jubet Canonicum Regularem reverti debere ad Monasterium Canonicorum Regularium, si absque petita licentia Prælati se transtulerit.

160 Quartò respondetur, quòd Alex. III. auctor, *dict. cap. super eo*, ad exemplum Lucii II. & suorum prædecessorum, multa privilegia concessit Ecclesiæ sanctæ Crucis in Hierusalem de Urbe, in qua tunc residebant Canonici Regulares, ut extat Bulla authentica, & inter cætera decrevit, quòd non posset eligi Presbyter Cardinalis, nisi de gremio illius Capituli; ex quo infertur, fuisse ab eo approbatam Regulam Augustini, ex quo illam decoravit tam insigni privilegio.

Quintò respondetur, quòd, ut fuit *superiùs* dictum, ex simplici nominatione non oritur approbatio, & Regula Augustini nominatur etiam in antiquioribus juribus, ultrà quod etiam hæc Regula non requirebat approbationem, ut fuit *suprà* dictum.

Ultimò considerandum est præsupposito quòd Regula S. Benedicti fuisset priùs approbata, tamen cùm Ordo Canonicorum Regularium propter naturalem qualitatem Clericatus insitam ipsis, sit dignior Ordine Monachorum per supradicta in primo fundamento; non habetur in consideratione prior approbatio, sive receptio, per text. *in cap. statuimus*, ubi Abb. *col. 2. vers. nota ex prædictis, de majorit. & obed.* & *ibi* Felin. & alii Boet. *de auctor. mag. Concil. n. 80.*

Quartò principaliter præferendi sunt Canonici Regulares Monachis, ratione dignitatis ordinantis seu instituentis.

161 Nam Augustinus, qui Canonicos Regulares instituit, fuit non solùm magnus Episcopus, ut dicit text. *in cap. 1. de oblig. ad rat. ord.* sed solemnis Ecclesiæ Doctor, & multis honoribus, ac dignitatibus post Apostolos, & sacros Evangelistas, præ cæteris Sanctis, ab Ecclesia præmunitus; ut dicitur *in cap. unico, §. sic & alma mater, de reliq. & ven. Sanctor. n. 6.*

162 Is verò dicitur esse dignior, qui à digniore, & majore est ordinatus, licèt posteriùs receptus *c. per tuas*, & *ibi* Abb. *in 2. not.* Felin. *n. 2. de major. & obed. & in rubr. eo num. 4. vers. miles*, Boet. *in d. tract. num. 12. & 92.* Ideò ordinatus à Papa; licèt posterior, præfertur ordinato ab Episcopo, etiam anteriori, *cap. qui sæpè, cap. his qui, cap. si à Sede, de præben. n. 6.*

S. Benedictus verò fuit simplex Abbas, quod nomen est sollicitudinis, non dignitatis, ut *infrà* demonstrabitur.

163 Quintò principaliter deducitur Canonicorum Regularium præcedentia à nobiliori fine eorum Religionis; cùm illa disciplina, seu ars dignior judicetur, quæ ad nobiliorem finem dirigitur, secundùm Philosophum. Nam licèt omnes Religiones habeant charitatis professionem pro fine, secundùm D. Thom. *2. 2. q. 184. art. 1. & quæst. 186. per totam*; tamen habet diversos fines secundarios, secundùm chorum, vel exercitiorum diversitatem, diversæ etiam judicantur Religiones, ut dicit *idem quæst. 188. versic. 1.*

164 Illa verò Religio dicitur alteri præferri, quæ ordinatur ad finem absolutè potiorem, vel quia ad majus bonum, vel ad plura bona ordinatur; ut dicit idem D. Thom. *d. quæst. 188. art. 6.* Archiepiscopus Floren. *in 3. p. sum. tit. 16. cap. 1. col. 5. vers. de præeminentia*; sicut actus tantò censetur dignior, quantò tendit ad publicam utilitatem *cap. licèt, in fin. de Regular. can. scripsimus 8. quæst. 1.* not. Doct. *in l. 1. sol. matr.* & quod pluribus, & communiter prodest, præponi debet ei, quod quibusdam tantùm utile est, *authen. resque C. commun. de legat.*

Opus

165 Opus verò activæ vitæ conjunctæ cum contemplativa, dicitur dignius operæ contemplativæ vitæ tantùm, ut *ibidem* concludit S. Thom. *d. art.* 6. Archiep. Flor. *in d. tit.* 16. *cap.* 4. *verſ. de tranſitu.*

166 Sed Monachi dicuntur dediti vitæ contemplativæ tantùm: cùm ipſi non vacent ſtudio, nec prædicationibus, nec ex ſua origine poſſint miniſtrare ſacramenta, *can. alia cauſa* 16. *quæſt.* 1. & propter Ordinis Clericalis excellentiam; ex his autem, qui in Monaſterio manent, non poſſunt ad clericatum aſſumi; niſi probatiores, & meliores *can. ſic vive, can. legi* 16. *quæſt.* 1. & debent vivere triſtes, & ſolitarii, juxta etymologiam eorum nominis, ut pleniùs fuit *ſuprà* demonſtratum.

167 Canonici verò Regulares intendunt contemplativæ vitæ, & activæ. Nam dum obſervant Regulam & tria ſubſtantialia, dant operam vitæ contemplativæ, ſicut Monachi, *cap. quod Dei timorem, de ſtat. Monach. can. pernicioſam,* 18. *quæſt.* 2. Dum verò docent, & prædicant, intendunt activæ, cùm ſint Clerici, qui debent diſpenſare, & miniſtrare
168 ſacramenta laicis, atque ideò poſſunt ipſi canonici Regulares ſinguli per villas, & oppida, & quaſcunque Parochiales Eccleſias deputari, ut dicitur *in dict. cap. quod Dei timorem*, & *ibi*, Abb. *col.* 3. *verſic. ſecundo caſu num.* 7. & *can. placuit, il ſecundo* 19. *quæſtione* 1. Gemin. *in cap.* 2. *diſtinct.* 58. Rota *deciſ.* 5. *de jure patron. in Nov.*

Igitur uti digniores præferendi ſunt, cùm hi gradus cæteros antecedere debeant, quos labor prolixior & ſtipendia meliora fecerunt anteire, juxta *l. nemo C. de offic. magn.* & id in quo concurrunt duæ rationes, prævalere debet ei, in quo una tantùm viget *cap.* 1. *de tregu. & pace, l. re conjuncti de leg.* 3. *cum ſimil.*

Non obſtat, ſi diceretur, Monachis non eſſe prohibitum prædicare, & docere, *can. ex auctoritate* 2. *q.* 1. & etiam miniſtrare ſacramenta, ex quo hodie poſſunt effici Clerici.

Quoniam reſpondetur, ſecundùm D. Thomam *q.* 187. *art.* 1. quòd Monachi tunc poſſunt id facere quando Ordinem habent; nam aliàs ſtatus Religionis non dat eis poteſtatem id faciendi. Verùm cùm Ordo Eccleſiaſticus magis competat Canonicis Regul. quàm Monachis; cùm ipſi ſint Clerici eſſentialiter, ut fuit *ſuprà* dictum, ſequitur, quod eis magis competunt ea, quæ ſunt Ordinis: & id quod naturaliter provenit, præfertur illi, quod venit per accidens, juxt. *l. qui habet, de tutelis.*

169 Et propterea, quando Monachi poſſunt prædicare, id faciunt præter ſuam Regulam; & Ordinationes, quæ illos ad hoc non ordinant, immò expreſsè prohibent eos prædicare, cùm Sacerdotibus tantùm ſit id conceſſum, *can. adjicimus,* 16. *quæſt.* 1. nam ignoran-
170 tia grammatices non repellit à Monachatu. Dec. poſt Innoc. *in cap. cùm in cunctis, col.* 3. *verſ. Epiſcopus verò de elect.* not. Doct. *in Clem. ne in agro, de ſtat. Regul.* & dicit S. Thom. *ibidem circa fin.* quòd Monachi, & alii Religioſi non excluduntur; quin poſſint occupari circa talia, ex commiſſione tamen Prælatorum, *in q.* 188. *art.* 4. ſubdit, quòd ſicut Religiones aliquæ inſtituuntur ad militandum, non quidem, ut militent auctoritate propria, ſed Principum, vel Eccleſiæ: ita etiam Religiones inſtituuntur ad prædicandum, non quidem auctoritate propria; ſed Prælatorum, Superiorum, & inferiorum, ad quos officio pertinet; & ita ſubvenire Prælatis in tali miniſterio eſt hujuſmodi Religionis proprium; ut *ibi* latiùs per eum.

Non obſtat etiam, ſi dicatur, vitam contemplativam eſſe præferendam, juxta illud Evangel. Lucæ *in cap.* 10. *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea,* quod intelligitur de vita contemplativa.

Quoniam reſpondetur, quòd licèt contemplativa ſit magis ſecura, tamen activa dicitur magis frugifera, ut dicit text. *in cap. niſi cùm pridem,* §. *ne putes de renun.* not. Abb. *in cap. licet quibuſdam, de Regul.* & magis utilis; qui enim ſibi prodeſt, & Eccleſiæ, intelligitur utroque pede calceatus, *can. olim juſſus* 8. *quæſt.* 1. 171

Præterea ſecundùm D. Thom. *d. q.* 188. *art.* 6. Opus vitæ activæ duplex eſt, unum, quod totaliter conſiſtit in occupatione exteriori, ut dare eleemoſynas, recipere hoſpites, & ſimilia, & ſecundùm hoc intelligitur illud Lucæ; alterum verò eſt opus vitæ activæ, quod ex plenitudine, & perfectione contemplationis derivatur, ut eſt docere, & prædicare, hæc exercitatio, & vita activa ſimplici contemplationi præfertur. 172

Prædictis non obſtat id, in quo Monachi magnum nituntur facere fundamentum, videlicet quod Canonici Regulares pro ſuis Prælatis habent Priores; ipſi verò habent Abbates, ut aſſerunt dicere Innoc. *in cap. cùm illorum. verſ. Abbatis de ſentent. excommun.* & ibi ſequitur Joan. And. *col.* 4. *verſ. in gloſſ. multa,* Imol. *col.* 4. *verſ. quæro:* Abbates verò dicuntur digniores Prioribus; quia ſunt conſtituti in dignitate *cap. ut Apoſtolica, de privileg. in* 6. Dec. *in cap. decernimus col.* 2. *verſ. ſecundo nota, de jud.* & eſt communis opinio, ut ibi per Rip. *num.* 30. Ideo quemadmodum Canonici Eccleſiæ Cathedralis propter Epiſcopum, quem habent in Prælatum, qui dicitur habere culmen dignitatis, gloſſ. *in cap.* 2. *verſ. dignitatum, de præbend. in* 6. præcedunt alios inferiores Eccleſiæ; ita quoque præcedere debent ipſi Monachi habentes Abbates pro ſuis Prælatis.

Quoniam reſpondetur primò, verùm non eſſe, quòd Prælati Monachorum ſint Abbates, Canonicorum verò Regularium ſint Priores, nec Innoc. *d. cap. cùm illorum,* id voluiſſe, nam pro illius intelligentia præſupponendum eſt, quòd *d. cap. cùm illorum* referens ſe ad diſpoſitionem Alexandri III. de qua *in cap. Monachi ſuprà eo,* loquitur de Abbatibus Canonicorum Regularium, & Monachorum ut *ibidem in* §. *qui ſi clauſtrales, verſ. Abbates, & verſ. Abbatem,* in quo *verſ. Abbatem,* gloſſ. videns text. loqui de Canonicis habentibus Abbatem, quærit; quid ſi non habent Abbatem, ſed Priorem, aut Prælatum alio nomine deſignatum; & reſpondet, beneficium illius *cap.* ad omnes Monachos, & Regulares Canonicos extendi; adducendo *d. cap. Monachi.* 173

Modo Innoc. *in dict. cap. cùm illorum, verſ. Abbatis,* quærens idem, quod gloſſ. reſpondet, inquiens, *idem intelligo de quolibet Priore, vel Prælato Regulari, arg. d. c. Monachi.* ubi loquitur de Regularibus, qui habent Priores, & non Abbates: quaſi dicat, non eſt facienda differentia in nomine Prælati dummodò ſint Regulares; quia *c. Monachi* conſiderat tantum Regularitatem, & generaliter loquitur de Regularibus; & quia reperiuntur Regulares, qui habent Priores, & non Abbates, de his etiam intelligitur *d. cap. Monachi,* quod loquitur de Regularibus tantùm.

Et hoc modo etiam intelligit Butr. *in d. cap. cùm illorum col.* 5. *verſ. gloſſ. ſuper verbo, Abbatem,* dum quærens, an diſpoſitio *d. cap.* procedat in Regularibus habentibus alium Superiorem, quàm Abbatem; & reſpondet, quòd ſic, quia text. loquitur de omnibus Regularibus, poſtea ſubdit dum gloſſ. *dicit, Canonicos Regulares intellige, qui non habent Abbatem, ſed Priorem,* quaſi dicat, etiam de his, quos contingere poteſt, non habere Abbatem, ſed Priorem.

Hanc etiam declarationem ſentit Abb. *in eod. cap. cùm illorum col.* 3. *n.* 13. *verſ. in gloſſ. in ver. per Abbatem,* ubi inquit: *conclude, quod ſi Prior eſt in Monaſt. loco Abbatis, ut quia Monaſterium non habet Abbatem, ſed Priorem, ut in multis locis, tunc habet locum iſte text.*

Etsi Innoc. aliter intelligeretur, sequeretur, quòd
vel ipse ad probandum id, quod ex contrario præten-
ditur, allegaret text. *in cap. Monachi*, qui de directo
probat contrarium ejus, ad quod ipse adducit: cùm
expressè loquatur de Canonicis habentibus Abbatem
vel si absque ratione, vel lege hoc assereret, non esset
sibi credendum; cùm adsint multa jura, & hodie etiam
multa Monasteria, de quibus mox dicetur; in quibus
probatur, Canonicos Regulares habere Abbatem.

174 Sicut etiam ipsi Monachi non habent semper Ab-
bates, sed interdum priores, sicut ipsi Canonici Re-
gulares, ut *in cap. in singulis, de statu Monach. in princ.*
ibi *Abbatum, atque Priorum, Abbates proprios non ha-
bentium, & in cap. eaque in fin. eod.* ibi, *in Monasteriis,
quæ non habent Abbates proprios, sed Priores, & in cap.
fin. de Capel. Mon.* ibi, *nonnulli Monachi; in quibus-
dam Prioratibus habitant solitarii, & in can. hoc tan-
tùm 18. q. 2.* ibi, *Abbates, aliaque officia instituere*, &
dicit Archid. *in vers. officia*; hoc ideò esse, quia in qui-
busdam Monasteriis non sunt Abbates, sed loco Abba-
tum sunt Priores, Abb. *in d. cap. cùm illorum, n. 13.*
175 *vers. in gloss. in vers. Abbatem, & in cap. si de Regular.*
ex quibus infertur, non esse proprium Monachorum,
habere Abbates in Prælatos, nec ex natura eorum Or-
dinis, sed ex accidenti, & secundùm quod habent
Ecclesias Abbatiales.

176 Canonici etiam Regulares habent suos Abbates,
ut *in cap. intelleximus, de ætat. & qualit.* ubi quidam
Canonicus Regularis transivit ad Monachos, posteà
ad cor reversus: rediit ad suos Canonicos, à quibus
fuit creatus Abbas, & *in cap. cùm I. & A. de re judic.*
ubi Canonici Regulares accusaverunt suum Abbatem,
& not. *ibi* Abb. *in 2. not.* quòd quandoque Canonici
Regulares habent Abbatem, ut hic, quandoque gu-
bernantur Prioris regimine, & *in cap. Monachi, de
sent. excom.* ibi, *si contingat Monachos, vel Canonicos
Regulares sese invicem in claustro percutere, secundùm
providentiam sui Abbatis esse absolvendos*, & *in cap.
significasti, il secundo*, junct. inscriptione *de homicidio*,
ubi illud capitulum dirigitur Abbati, & in corpore lo-
quitur de Canonicis Regularibus ejusdem Abbatis,
& *in cap. 2. & in cap. cum illorum, de sent. excommu-
nic.* de quibus supra dictum est, & tradit Abb. *in dict.
cap. 2. in sig. casus, & in summario*, & ibi per Butr. &
in cap. Canonicato, ibi, *etiam per Abbates, & in can.
cùm Ecclesia*, cum inscriptione, *de majoritate, & obe-
dient.* ubi *dict. cap.* dirigitur Abbati S. Victoris, qui
adhuc hodie est Canonicorum Regular. & *in can. sta-
tuimus, 19. q. 3.* ubi Urbanus scribit ab Abbatem S.
Ruffini, qui est Canonicorum Regular. & probatur
etiam in Concilio Turonen. I. *in cap. 24.* ubi loquitur
de Abbatibus, in quibus Canonica vita antiquitus fuit
instituta.

177 Et adhuc hodie in toto Orbe innumera extant Mo-
nasteria Canonicorum Regularium, quæ habent Ab-
bates, ut Parisiis est Abbatia S. Victoris, Neapoli S. Pe-
tri ad Aram, Papiæ in Cælo aureo, Vercelli S. An-
dreæ, & S. Marci: in Castellia est Abbas, qui suis con-
fert Canonicis Regularibus viginti duo beneficia; Sa-
baudiæ S. Mauritii.

178 Immò non solùm habent Canonici Regulares Ab-
batias, sed etiam Patriarchales, Metropolitanas, & Ca-
179 thedrales Ecclesias tanquam veri Clerici, licet non-
nullæ earum hodie frigescente charitatis fervore in
Collegiatas seculares sint redactæ, ut Sancta, ac in to-
to terrarum Orbe primaria Lateranensis Ecclesia Pa-
palis, Alexandrina, Hierosolymitana, quæ sunt Patri-
archales, in Aragonia, Cæsaraugustana, & Terraco-
nen. in Gallia Arelaten. & Avinionen. in Germania
Zanzaronen. & Salsaburgen. Brandaburgen. in Scotia
Sancti Andreæ, in Gallia Nazaraten. in Vasconia Tolo-
sana, in Burgundia Tarrantasien. in Regno Navarræ,
Pampilonen. quæ omnes sunt Metropolitanæ. Habent
etiam Cathedrales veluti Magalonen. in Gallia Gra-
rianopolitanensis in Delphinatu, Eugubina in Ducatu
Spoletanensi, Perusin. in Tuscia, Gerundensis in Catha-
lonia, Civitatis Castelli in Tuscia Dignen. in Provin-
cia Provinciæ Severanensis, in eadem, Tarmensis in
Vasconia, Dertuensis in Cathalonia, Uraniensis in Co-
mitatu Venusino, Siracosanen. Cefalunensis in Sicilia.
Oxomensis in Regno Castellæ, Hipponensis, Barinen-
sis, Sebastianensis, Tagastensis, Adrumentinensis in
Africa.

Et his patet, Canonicos Regulares, ultra Abbates
etiam habere Episcopos, Archiepiscopos, & Patriar-
chas.

Et licet in aliquibus Monasteriis loco Abbatum ipsi 180
Canonici Regulares habeant etiam Priores, & Præ-
positos, tamen utrique dicuntur constituti in dignitate,
sicut ipsi Abbates, ut de Prioribus tradunt Doctor. *in
cap. nullus, num. 6. vers. in fin.* gloss. *de elect. in 6.* Fe-
lin. *in cap. insuper, num. 2. vers. & pondera, de testib.*
Abb. *in cap. cùm illorum, col. 3. num. 13. vers. in gloss.
in verb. Abbatem de sentent. excomm. & in cap. cùm
in Eccles. in 2. not. de major. & obed.* Rip. *in cap. 5. num.
30. de subdit.* Sylv. *de beneficiis, p. 1. q. 2. n. 39.* Cassan.
de glor. mund. p. 4. consider. 36. & de Priore S. Joan-
nis in monte, & S. Michaelis in Bosco, not. Archid.
in cap. 2. col. 2. in princip. verb. scias, de præbend. in 6.
& ibi Joan. Andr. *col. 2. vers. & secundum hoc*, Gemin.
col. 2. num. 10. vers. super secundo, Card. *in Clement.
1. q. 7. de rescript.*

De præpositis etiam, quòd eamdem habeant digni-
tatem, quando alius non est superior in Monasterio sic-
ut Abbates not. Abb. *in d. cap. cùm illorum*, Sylv. *in
eod. tract. de benefic. q. 2. num. 38.* Dec. *cons. 161. col. 1.
vers. quartò facis, & in cap. decernimus, col. 3. vers. &
quod dictum est, de judic.* Cassan. *d. consid. 36.*

Secundò respondetur, quòd licet Abbates, Priores, 181
& Præpositi dicantur habere dignitatem; tamen talis
dignitas magis competit Abbatibus, ac Prioribus, seu
Præpositis Canonic. Regularium, quam Monacho-
rum; quoniam nomen Abbatis primæva ejus origine 182
inspecta, est potiùs solicitudinis, quàm Ordinis, vel
honoris, ut dicit gloss. *in cap. tuam vers. non ascen-
dat*, & ibi per Abbatem *num. 3. vers. in eo, de ætat. &
qualit.* gloss. *in can. ascendens, verbo Abbatem 50. dist.*
& competit cuilibet Præposito Collegiorum seculari- 183
um, & vilium artium, ut declarat Alciat. *in l. collegas,
de verb. sig.*

Et antiquitùs Abbas præstabat obedientiam Ostia- 184
rio, & aliis in minoribus Sacris Ordinibus constitutis
can. à Subdiacono 93. distinct. quia ut dicit *ibi* gloss. *in
verb. Abbas*, tunc erant laici, & vocabantur Monachi,
cap. cùm ad nostram, cap. cùm causam, cap. cùm in ma- 185
gistrum, cap. officii de elect. cap. nullius eo in 6. & venit
appellatione Monachi *cap. fin. de Simoniacis*; & illi- 186
teratus poterat esse Abbas, sicut Monachus. Dec. *in* 187
cap. cùm in cunctis col. 3. vers. Episcopus verò. de elect.
licèt hodie propter Clericatum eis concessum, sit secùs,
ut *ibidem* per eum.

Si quod verò dignitatis privilegium habent, id est eis 188
concessum ratione Clericalis Ordinis, quo tenentur
hodie insigniri, *cap. 1. de ætat. & qualitat. in 6.* not.
gloss. *in d. cap. à Subdiacono, verb. Abbas, & in dict. cap.
tuam vers. non ascendat, in fin.* qui Ordo Clericalis cùm 189
magis, & antiquiùs competat Canonicis Regularibus,
quàm Monachis, ut fuit *suprà* dictum, dicitur etiam
ipsa Abbatia, sive Prioratus magis ipsis congruere; nam
in quantum quis est Canonicus Regularis, potest esse
Abbas; quia Canonico non repugnat aliqua dignitas
per se, cùm sit Clericus, qui est capax cujuscunque 190
dignitatis Ecclesiæ: quod non contingit in Monacho,
qui nisi efficiatur Clericus per accidens, non est capax 191
Abbatiæ,

Abbatiæ, nec alicujus dignitatis. Propterea præferri debent Abbates Canonicorum Regularium, tanquam Priores in adipiſcenda dignitate. Boer. *de auct. mag. Conſil. num.* 6. *& 11. circ. fin.*

192 Nec facultas gerendi Mitram, & Baculum, & hujusmodi Pontificalia competit dignitati Abbatiæ de jure communi, niſi ex privilegio Abbati concedantur, *cap. Apoſtolica, de privilegiis* in 6. & *ibi* notat Geminianus, & Franciſcus *num.* 1. quod privilegium poteſt

193 competere etiam Prioribus, & Præpoſitis, in quibus eſt eadem ratio, ut dicit gloſſ. 1. *in cap. Abbates. de privileg. in* 6.

194 Adeò quòd ſi Priores, & Abbates Canonicorum Regularium illud habeant, & in eodem loco reperiantur, in quo Abbates Monachorum eodem privilegio ſuffulti; certum eſt præferri debere Abbatibus Monachorum: tum quia par in parem non habet imperium; *l. illi à quo* §. *tempeſtivum, ad Trebell.* tum etiam Canonici uti antiquiores, & eorum Abbates, uti Abbatialis dignitatis magis capaces, præferuntur Monachis, & eorum Abbatibus, ut fuit *ſuprà* deductum.

195 Sin verò reperiretur Abbas Monachorum cum privilegio gerendi d. Mitrā, & Prior Canonicorum Regularium ſine privilegio, & eſſet in loco, in quo mitratus maneret; quia alias nemo poteſt allegare jus præcedendi, niſi ſit ornatus iiſdem gradui ſuo convenientibus, ut not. Præpoſ. *in can. Epiſcopos col.* 2. *numer.* 3. *verſ. gloſſ. tract. diſtinct.* 17. adhuc dici poſſet ipſum non eſſe præferendum Priori Canonicorum ſine Mitra. Nam ſequeretur abſurdum, quòd alii exiſtentes in dignitate, ut Prior Clauſtralis, Magiſtri Theologiæ, & Doctores juris Pontificū & reliqui Monachi, uti ſequentes caput ſuum deberent præcedere Clericos ſeculares; quia in proceſſionibus, & ſimilibus a-

196 ctibus publicis non fit comparatio meritorum perſonarum, ſed Ordinum, juxta ea, quæ not. Gemin. *in cap. quamvis il. t.* §. *quamquam, numer.* 3. *de preben. in* 6. Dec. *in cap.* 2. *col.* 3. *verſ. & hoc verum, de judic.* Felin. *in cap. poſtulaſti, col.* 7. *de reſcript.* Boer. *de auctor. mag. conſ. num.* 67. & tamen certum eſt, Clericos ſeculares præcedere debere, Abbas enim quando incedit mitratus in proceſſione, incedit uti membrum cujus caput eſt Epiſcopus etiam mitratus.

Præterea ſi diceremus, ipſum Abbatem mitratum præcedere debere, tamen ejus Monachi illum ſequi non debent; quia privilegium præcedendi conceſſum Abbati ratione Mitræ, non extenditur ad Monachos, nec è converſo, quando diſpoſitum non eſt proportionabile utrique, ut not. Butr. poſt Joan. Andr. *in cap. universitatis, col.* 2. *verſ. in novella. de sent. excom.* ſed diſpoſitum in Abbate, ut præcedat propter Pontificalia, non congruit Monachis; quia ſequeretur inconveniens, quòd Monachi, qui de jure poſtponi debent omnibus Clericis, illos præcederent, quod eſt contra diſpoſitionem juris, de qua eſt *ſuprà* dictum; maximè, quia in præcedentia attenditur Clericalis dignitas, non Abbatialis, ut etiam fuit *ſuperius* deductum.

197 Ultimò probatur præcedentia Canonicorum Regularium ex determinatione facta in Concilio Conſtantienſi, quæ fuit poſtmodum confirmata ab Innoc. VIII. ubi poſt longam diſputationem fuit reſolutum Abbatem, vel Priorem Canonicorum Regularium, cum ſuis Canonicis Regularibus præcedere debere Abbates, & Monachos, quæ ſententia cùm tranſiverit in rem judicatam; habetur pro veritate juxta regulam, *res judicata, de reg. juris l. ingenuum de ſtat. hom.* cum vulgaribus.

198 Et extat etiam Curiæ Romanæ eadem conſuetudo, ab immemorabili tempore, & hodie etiam in conſpectu Sanctiſſimi Domini Noſtri obſervata, quæ debet non ſolùm in ea pro lege obſervari *cap. ex literis de con-*

199 *ſtit. cap. paſtoralis, de fid. inſtrum.* Specul. *de teſt.* §. *publicatis. verſ. dein de,* cùm in præcedentiis attendi ipſa potiſſimum debeat, ut dicit Bald. *in cap. cum olim in princip. de conſuetud.* Dec. *in cap. Clerici col.* 15. *num.* 14. *verſ. & omnia, de judic.* Præpoſ. *in can. Epiſcopos, col.* 2. *verſ. ſed quis præfertur* 17. *diſtinct.* Boer. *de auctor. Mag. conſ. num.* 109. ſed etiam obſervari debet 200 in quibuſcunque aliis locis, & civitatibus; quia omnes eam, uti magiſtram ſequi debent, *can. omnes, inſtin.* 22. *diſtinct.* & ut pro ſpeculo omnibus imitanda proponitur, *can ſi Romanorum* 19. *diſtinct.* maximè in Eccleſiaſticis, & publicis actibus *can. Eccleſiaſticarum* 11. *diſtinct.*

Quare Illuſtriſſimæ, ac Reverendiſſimæ DD. VV. cùm in omnibus, tum præſentium in arduarum cauſarum deciſionibus, veras juris concluſiones conſiderare ſoleant; rogamus pro finali hujuſmodi cauſæ expeditione ſecundum juſtitiam.

Scipio Lancellotus Sacra aula Conſiſtorialis Advocatus.

201 Pro hac parte Canonicorum Regularium ſcripſit Jacobus Portius Torocor. Imola nuncupatus, nec non pro eiſdem reſponſa edidere Pyrrhus Tharrus, & Agabitus de Magiſtris Romani, ac Vincentius Parentius Lucenſis.

Pro Reverendis verò Monachis S. Benedicti Congregationis Caſinenſis in eadem cauſa præcedentia adverſùs Canonicos Regulares S. Auguſtini Congreg. Lateranenſis. Allegationes Antonii Maſſæ Galleſii I. C. clariſſimi.

Diebus præteritis cùm vidiſſem informationes datas pro parte venerabilium dominorum Canonicorum Regularium exiſtentium in eodem Concilio, volui evitare onus ſcribendi ſuper comparatione, & prudentia ipſarum Congregationum, & hoc duplici ratione; una videlicet; quia profectò talis diſputatio aliàs (ut inferius dicam) fuit deciſa, & non videbatur facere ad propoſitum quæſtionis, de qua nunc agitur, & quia videbam, quòd præter morem meum cogebar ſubſcribere aliqua quæ potuiſſent detrahere honori illius venerabilis Congregationis Regularium Lateranenſium in hac cauſa adverſariorum, cui valde ſum affectus, non ſolùm univerſæ, verùm etiam multis particularibus illius perſonis mihi amiciſſimis, & ſemper venerandis: & propterea tunc dixi, quòd punctum, ſuper quo pro eorum parte ſcribebatur, videbatur extra terminos præſentis litis; cùm in præſentia non agatur, niſi de præcedentia dictorum particularium, qui ſunt in Concilio: verùm ipſi in ſuis informationibus proponunt hoc thema, videlicet:

Utrùm Canonicorum Regularium Congregatio nobilior ſit Monachorum ipſorum CaſinenſiumCongregatione, & idcircò utra earum in proceſſionibus præſem debeat.

Et quotidie ſuper eodem puncto, inſtant, & DD. VV. Illuſtriſſimæ videntur etiam ſuper illo noſtras informationes deſiderare, ne videamur quodammodò ſuperati, & victi: ſuper dicto articulo manus dare non ſponte, ſed eo pacto, quaſi coactus ad hæc ſcribenda deveni.

Qua tamen in re, duplici volo me cautione, ac proteſtatione excuſare, ac tueri; una videlicet, quia in quibuſcunque contingit videri aliquo pacto lædi poſſe honorem illius venerandæ Congregationis Lateranenſis, non utar verbis meis, ſed aliorum qui antiquiùs ſuper eadem quæſtione ſcripſerunt, ne videar alicujus maledicentiæ, vel detractionis eſſe inventor. Altera verò eſt, quia etiam illa, quæ ex aliis deſumpta ponam, neque ego accipio, neque ab illis accipi volo, tanquam poſita in diminutionem honoris dictæ venerandæ

Cor-

Congregationis, in qua scio multò plures esse viros bonos, & laude dignos, sed propter paucos quosdam illius professores, inquietos homines, res novas moliendi, seu veriùs; antiqua dissidia, & seditiones suscitandi studiosos.

Itaque pro clariori dicendorum evidentia scire debent DD. VV. Illustrissimæ, quòd aliàs sub Pontificatu Sixti IV. & Innocentii VIII. extiterunt in dicta Congregationi Lateranensi quidam D. Dominicus de Tarvisio, Celsus Veronensis, & Eusebius Mediolanensis, & forsan quidam alii placui, qui res novas molientes, uno, & eodem tempore inflatis animis aggressi sunt, velle usurpare præeminentiam super omnes alios Religiosos; ideoque introduxerunt similes lites in di-
202 versis locis: contra hanc eandem Congregationem Casinensem, tunc sanctæ Justinæ appellatam, & contra Fratres Cartusienses, & contra Congregationem Montis Oliveti: & his non contenti, tentaverunt etiam pessundare totum Ordinem Eremitarum Sancti Augustini, intendentes, quòd illi tanquam Spurii, & non veri filii D. Augustini, privarentur nomine Augustiniano; ita ut ipsi Lateranenses soli, tanquam veri, & legitimi filii retinerent nomen Canonicorum Regularium S. Augustini, dejectis, ac deturbatis ex sua possessione di-
203 dis Eremitanis, contra quos in pulpitis, & plateis non cessabant invehere. Et tandem prædictus Dominicus Tarvisinus à nullo lacessitus super ea re invulgavit librum plenum maledictis, & detractionibus, cui pro-
204 pterea facta fuit responsio per quendam N. Bergomatem Fratrem Eremitanum, cujus verbis, mihi sæpè inferiùs, erit utendum, quæ dissensio in tantum processit, ut coactus sit idem Sixtus Papa, explosis dictorum Canonicorum diffamationibus, dimissisque in sua possessione Eremitanis, sub excommunicationis sententia, & aliis pœnis interdicere, ne ampliùs ea de re disputaretur: hæc autem fuerunt circa annos Domini 1477. & duobus sequentibus, sed non acquierunt, propterea Dominicus, & alii ejus asseclæ inquieti homines, inter quos Eusebius, & Celsus scripserunt hac de re, quorum etiam legere est libellos, anno 1487. impressos, & continuaverunt contendere, & litigare de præcedentia cum nostris Casinensibus, & aliis Congregationibus prædictis. Quamobrem in omnibus ferè Italiæ Civitatibus, magnæ fuerunt excitatæ contentiones, omniaque Academiarum Italiæ Collegia, & Doctores egregii, qui tunc erant super ea re scriben-
205 di, fuerunt defatigati, & fuit etiam Pistorii Judicatum, mediantibus responsis tunc à Doctoribus inferiùs nominandis in favorem Monachorum scriptis; & quorum Conciliorum etiam verbis mihi sæpè inferiùs u-
206 tendum esse proposui. Quibus accedunt etiam Felinus, qui tunc erat in Urbe Rotæ Auditor, & Joannes, Antonius Cardinalis Alexandrinus, qui *in locis inferiùs citandis* in favorem ipsorum Casinensium, quæstionem determinaverunt, & hanc pro ipsis Casinensibus, quòd præcedere debebant; communem esse opi-
207 nionem, testatur etiam novissimus ille Cassaneus, in suo *Gloriæ mundi Catalogo parte 4. consideratione* 54. quamobrem, & quia etiam Pistorii per Delegatum Papæ Innocentii fuit judicatum, dicti Domini Lateranenses quasi victi, & confusi ab anno 1488. destiterunt causam palam prosequi.

Et res modo prædicta continuavit usque in tempus præsens; quo nonnulli dictorum Dominici, Eusebii, & Celsi, forsan discipuli, aut æmuli, videntes quòd sanctæ memoriæ Paulus III. & Julius item III. jusserant, ut ipsi Casinenses nihil tale ambientes, mitterent tres ex suis Abbatibus ad Sacrum Tridentinum Concilium, illique sic missi in eodem Concilio loco eis per Reverendissimos Legatos assignato, sederant, & cum aliis more solito, suam sententiam in sessionibus dixerant, non quieverunt, donec à Sanctissimo Domino Nostro Pio IV. magnis intercessionibus obtinuerunt, ut ex eis quoque tres possent accedere, prout accesserunt, fuitque eis per Reverendissimos Legatos assignatus locus post ipsos Abbates Casinenses, ipsi verò statim (more solito) cœperunt velle ejicere Casinenses de loco & possessione sua, & velle illos præcedere, dederuntque occasionem huic liti, ut verùm esse appareat, quòd à multis historiarum auctoribus proditum est; adeò potentem esse, in animis hominum majorum suorum imitationem, ut sæpissimè successores in una, & eadem familia nedum bonos mores, verum etiam vitia suorum antecessorum imitanda, sibi proponant, in eaque imitatione sibi placeant, atque etiam exinde gloriam captent.

Ex præscripta enim historia apparet, Lateranenses ipsos semper fuisse, & esse dissensionis motores, quærentes modò Eremitanos, modò Casinenses, modò alios prænominatos de sua possessione dejicere, atque in illa existentes vexare; unde meritò compescenda esset eorum inquietudo; illorum inquam paucorum, de quibus protestatus sum me intelligere, salva omnium aliorum reverentia.

Quoniam verò Dominis Casinensibus existentibus in possessione, sufficeret repellere, atque illidere argumenta partis adversæ; ideò hoc ordine mihi procedendum esse statui, ut priùs argumenta informationibus partis adversæ posita refellam sigillatim, & destruam, ac simul Casinensium possessionem justam, inquietationem verò Lateranensium injustam esse ostendam, atque hoc totum verbis potissimùm dicti Eremitani Bergomatis, Collegiorumque, & Caccialupi prænominatorum verbis faciam; deinde nihilominùs ponam argumenta, ex quibus fundatur præcedentia Monachorum. Postremò, & ex abundanti, ea, quæ faciunt ad causam, quæ nunc tractatur pro Abbatibus existentibus in concilio.

Ergo cùm adversarii proposito sibi themate antedicto, videlicet utrùm Canonicorum Regularium Congregatio nobilior sit, quàm Monachorum ipsorum Casinensium Congregatio, seu Benedicti, & idcirco utra earum in possessionibus ipsis præferri debeat? hoc inquam themate proposito, subjungunt argumenta, ad quæ argumenta antequam deveniam, videtur esse conveniens, significare, quæ vitia sint in ipso themate proposito; tum in nominibus, tum in re ipsa; in nominibus, inquam, quia ponitur simpliciter Congregatio Regularium Canonicorum, cùm multæ sint species, 208
& multæ Congregationes Canonicorum Regularium, cùm quibus ipsi Domini adversarii nihil habent commune, & quorum nulli hactenus datus est aditus, neque locus dicendi sententiam in Concilio, quorumque aliqui etiam similes habitu, ac tempore & approbatione, ipsis Dominis Lateranensibus antiquioribus, ut sunt Canonici Regulares Congregationis S. Salvatoris aliàs de Scopeto, sine controversia cedunt Congregationi Casinensi: in re autem ipsa formant illativè quæstionem, utra earum debeat in processionibus præferri, cùm ea non sit principalis quæstio, de qua disputatur, sed veriùs, qui Congregationis Prælati in concilio existentes sedendo, & vota sua in consilio dando, præcedere debeant. Posset enim bene stare, quod aliqui Canonici Regulares præferendi essent in processionibus Monachis Casinensib. & tamen non haberent locum, nec vocem in Concilio, prout patere potest e. g. in Canonicis Metropolitanæ Ecclesiæ Cæsaraugustanæ, qui sint verè Canonici Regulares, secundum institutionem S. Augustini. Et licèt in dicta sua Civitate, prout alii aliarum Cathedralium Ecclesiarum Canonici in processionibus præcedant, nedum Monachis, sed omnes alios, tamen si venirent ad Tridentum, nedum præcederent Dominos Casinenses, sed neque essent in ulla consideratione respectu Concilii; dico eo tantùm respectu,

respectu, quod sint Canonici Regulares; ut sic pateat non videri esse bonam illationem illam, quæ posita est in themate, si præsupponitur, quòd ex præcedentia in processionibus, dari debeat præcedentia, de qua nunc
209 disputatur in concilio; & tamen illi Canonici Ecclesiæ Cæsaraugustanæ sunt ex veris Canonicis à D. Augustino institutis, (si tamen verum est, quod D. Augustinus unquam Canonicos Regulares instituerit, quòd à multis negatur, ut ex *infrà* dicendis apparebit:) & incedunt in vero habitu Clericorum secularium, cùm Domini Lateranenses adversarii sint recenter creati, connumeratique, ac secundum habitum, & vitam inter Regulares positi, minimeque in habitu Clericorum secularium publicè incedunt.

Sub dicto themate formant Domini adversarii aliquot argumenta, tanquam nova, tacitis auctoribus, & sic profectò parùm civiliter, parumque ingeniè, cum omnia dicta fuerint per antiquos, de quibus *suprà* mentionem feci, & quorum verba ipsa *inferius* ponam.

Argumentum primum.

Dicunt ergo, primò, præferendos esse Dominos adversarios; quia eorum nobilior est professio; quam nobilitatem arguunt ex eo, quòd ad substantiam Canonicorum Regularium Clericatus ipsius qualitatem necessariò requiri constet, ad quod allegant *can. duo sunt 12. quæst. 1.* quam qualitatem conantur probare, non esse necessariam in Monachis, ad quod allegant, *can. 1. 2. & 3. can. de Monachis 17. quæst. 1.* cum aliis in eorum informatione deductis: concludentes quòd, quia
210 Monachi possunt esse meri laici, etiam non Clerici, idcirco sumpto loco communi à qualitate Clericatus antecedente, quæ omnium laicorum, & temporalium est clarissima, existimari debet, Canonicos Regulares censeri, & idcirco prælationis prærogativam illis omninò competere.

Quod quidem argumentum (ut dixi) non est novum, sunt enim hæc verba in Consilio Paduano, nunc impresso *col. 1.* ubi dicitur, & videtur prima consideratione dicendum, quod ipsi Canonici Regulares dicantur Monachis digniores ratione ordinis Clericalis, eis per se competentis, etiam à principio suæ institutionis, ut probatur in *can. nolo, in can. non dicatis, 12. q. 1.*
211 & in *can. legis epistolam 16. quæst. 1.* ubi Augustinus dicit, se esse de numero Clericorum, iste ergo Clericatus ab initio fuit in eis, & eis specialiter, & per se competit, ut expressè tenuit B. Thom. *2. 2. q. 189. art. 8. in responsione ad 2. argum.* hic autem Ordo Clericalis ipsis Monachis non per se competit, nec ab initio Ordinis Monachalis fuit in eis, ut probatur in *can. à Subdiacon. 93. dist.* ubi Monachus, quinimmo & Abbas postponitur quibuscunque Clericis; quoniam ipsi non erant Clerici, ut probatur 16 *quæst. 2. can. generaliter & 55. dist. can. priscis*, cum multis aliis, ibi allegatis, & eo magis id dicendum est de ipsis Canonicis Regularibus, qui non tantùm sunt Clerici, sed etiam sunt Canonici, quæ Canonia eis adhuc addit novam præeminentiam ultra Clericatum, juxta not. in *cap. statutum* per illum text. *de rescript. lib. 6.*

Et idem argumentum etiam formatur in Consilio Ferrariensi, *in principio*, allegando fere eadem Jura, & subjungendo, non obstare, quòd etiam Monachi hodie pro Majori parte sint Clerici, neque prohibeantur ordinari, & Clerici fieri, ut patet 16. *quæst. 1.* & in *can. doctos*, cum capitulis sequentibus, & in *cap. ult. de stat. Monach.* quoniam cùm hoc eveniat ex accidenti, & non ex natura, & originali statu ipsius Religionis Mo-
212 nachalis, prout est in Canonicis Regularibus, hoc non videtur esse in consideratione *l. qui habet, in prin. ff. de tutel.* cum similibus, & iridem illud firmat Jo. Baptista Caccialupus *col. 2.*

Responsio.

Sed in eisdem Consiliis patet responsio; nam in Consilio Paduano *col. 18.* ita habetur: Non obstant in contrarium allegata, & primò, quod dicebatur in primo argumento ad alteram partem, quòd ratione Ordinis Clericalis, tum respondemus equidem ad hoc, neque negamus Clericalem Ordinem priùs fuisse apud Canonicos Regulares, quàm apud Monachos; non tamen dicimus ex hoc sequi, quòd ipsi debeant præferri Monachis, cùm etiam in eis vigeat Clericalis Ordo, qui licèt posteriùs fuerit concessus Monachis, tamen est ille idem, quoniam Ordo Clericalis non competit magis illi, quàm isti, nisi per manuum impositionem conferatur, neque datur alicui, ita ut sibi competat propter majorem bonitatem, vel sanctitatem vitæ, ut voluit B. Thom. *in 4. distinct. 24. artic. 3:* 213
& post multa sequuntur hæc verba: *Fatemur etiam quantum diximus, Ordinem clericalem eis per se competere, dixisse, & voluisse dicere, quod non possent habere jus Canoniæ, quod est quid spirituale, cap. cùm M. de constitut. nisi haberent Ordinem Clericalem, ut in cap. 1.* cum ibi notatis *de instit.* Dicimus tamen, re- 214
spondendo formaliter ad argumentum, quòd licèt istud sit, quòd Canonici fuerint prius Clerici, quàm Monachi, tamen non sequitur, ergo sunt præferendi; quia 215
cùm Clericatus supervenerit in ipsis Monachis, habent Monachi id quod habebant ipsi Canonici Regulares, scilicet ipsum Clericatum habent junctum cum majori arctitudine vitæ, ratione cujus, eorum Religio major est, *cap. quod Dei timorem, de stat. Monach. cap. sanè, cap. quia in insulis de Regul.* ideò eorum Religio tanquam arctior, & strictior, & sanctior est præferenda Religioni Canonicorum Regularium: & propterea de Religione Canonicorum Regularium, tanquam de minùs digna, & latiori potest fieri transitus ad Monachos; & non contra, *c. licèt de Regul.* & istud est, quod expressè voluit B. Thom. *in dist. quæst. 189. art. 8. in responsione ad 2. argumentum*, qui potiùs (si quis consideret) inclinat in partem Monachorum quàm Cano- 216
nicorum, ob quam rationem Cardinalis *in cap. avaritiæ; de præben. in 6.* dixit quòd hodie cùm Monachi sint Clerici, de Canonicis ad Monachos fit transitus, tanquam de minori ad majus, quod aliàs quando non erant Clerici, fortè non licebat, sed contra.

In Ferrariensi verò *col. 10.* ad idem argumentum, ponitur hoc responsum; videlicèt, ad primum dum dicebatur, quòd Canonici erant de Clericis primitivæ Ecclesiæ, resp. quòd hoc utique non procedit, ut patet ex auctoritatibus prædictorum Doctor. & Patrum, qui postponunt eos Monachis; nam anteà in eodem consilio; *columna sexta*, ponuntur dicta multorum Do- 217
ctorum, tenentium Monachos esse præferendos Canonicis Regularibus, qui sunt Abbates. Abb. antiquus Panor. Dominicus, Gemin. Benedictus Capra, Card. Imola, Joannes Andr. Barbatia, & Felin. in *locis* respectivè ibi *citatis*. Et subjungit Consilium Ferrariense, quòd etiamsi Canonici fuissent originaliter de Clericis primitivæ Ecclesiæ, tamen propter qualitates injunctas per B. Augustinum, videlicet, quia profitentur tria vota, & propter multa alia, quæ introducit dicta Regula, censetur esse facta nova species, & nova Regula, per jura *ibi* allegata; & subjungitur diversa appellatio; quoniam in jure illi, qui sunt, & remanent institutionis 218
primævæ Ecclesiæ, appellantur Clerici sæculares, & qui sunt institutionis D. Augustini appellantur Cano- 219
nici Regulares, ut probat in *cap. sicut nobis. de Regul.* & ponuntur diversi tractatus, & rubricæ inter ipsos Clericos seculares, & Canonicos Regulares, ut *in rubr. de vit. & honest. Clericorum*, juncta *rubr. de statu Monachorum, & Canonicorum Regularium*, & jura disponentia de uno, non verificantur de alio regu- 220
lariter ex propria natura, per gloss. *in Clem. 1. de decim*, & in

& in *Clement.* 1. *de suppl. negl. Prælat.* & in *Clement.* 1. *de reb. Ecclesiæ non alienan.* & per Doctores *in cap. licet in corrigendis, de Offic. Ordinar.* prædicta etiam evidenter comprobantur; quoniam si Canonici Regulares essent de Clericis primitivæ Ecclesiæ, & hoc attenderetur, deberent à pari judicari cum Clericis secularibus, quinimmo, & eis præferri, cùm retinerent id, quod esset Clericorum secularium, & ultra aliquid plus, videlicet Religionem, & professionem; ideò tanquam duplicem prærogativam habentes, deberent præferri Clericis secularibus, & tamen patet, hoc esse
221 falsum; quia ipsi Canonici Regulares postponuntur Clericis secularibus, quod resultat ex supradictis; quia
222 qualitates adjectæ per Augustinum in *dicta Regula*, inducunt novam speciem Religionis: & ideò Clericus secularis factus Canonicus Regularis amittit ea, quæ erant Clericorum secularium, & efficitur Regularis, & transit in potestatem Prioris, *dict. cap. sicut nobis de Regular.* Et prædicta confirmantur; quia quando aliquis est de uno collegio, & de illo se transfert ad aliud, non retinet prærogativas prioris collegii incompassibilis, in quo se non exercet, ut notat Bar. *in l. fin. de Colleg. illicit.* & notant gloss. & Doct. *in cap. præterea, de præben.* & facit *cap. recolentes. de stat. Monach.* Et post aliquot, ad prædictorum confirmationem posita, subjungitur, per prædicta, non obstare doctrinas D. Thomæ, videlicèt, quòd Canonicis Regularibus per se competat, quod sint Clerici; quia etiam ibi sita esset, tamen talis Clericatus non esset in consideratione; cùm considerando sive statum Ecclesiæ primitivæ, sive statum Clericorum secularium, ille sit incompatibilis cum Regula B. Augustini, quam ipsi Canonici profitentur, & quæ Regula prævalet, & attendi debet, ut patet *ex proximè dictis.* Et quia etiam Monachis Benedictinis ex institutione eorum Regulæ pariter datur, quòd possint esse Clerici. Et sic ab origi-
223 ne, non ex accidenti, ut patet *ex ipsa Regula*, & in aliis locis *ibi* scriptis; & subjungitur responsio ad jura pro parte adversa allegata, comprobando, quòd ap-
224 pellatione Clericorum veniunt etiam Monachi, & alii Religiosi, ac Deo servientes, & maxime in Ordinibus costituti, ut probatur in *can. Cleros, 21. distinct. & in can. seriatim, 32. distinct. & in can. Clericus, qui, 12. quæst. 1.* & in *can. Clericum, 22. distinct.* & in *can. duo sunt genera, 12. quæst. 1.* quem textum ad hoc allegat Abbas, *in cap. 1. de juram. calumn. in ult. not.* con-
225 cludens, quòd appellatione Clericorum, veniunt Monachi, potissimè in favorabilibus, cùm hodie Monachi sint Clerici: unde nimirum si etiam D. Augustinus in *d. cap. legi Epistolam*, appellat se Clericum, &
226 sic etiam Canonici Regulares possunt appellari Clerici, quod hoc sit verum, gloss. & Doct. *in prædictis juribus*, quæ loquuntur de Clericis, inferunt, & disponunt de Monachis.

Consilium quoque Collegii Bononiensis pro refutatione dicti argumenti *columm.* 13. habet, non obstare quantum dicebatur, quòd Canonici Regulares repræsentent Clericos primitivæ Ecclesiæ, & quòd essentialiter illa institutio Clericorum ordinata per Apostolos, est in ipsis. Quia negatur hoc esse verum: nam B. Thomas, & alii, qui tenent essentialiter in Canonicis Regularibus vigere Clericatum, nihil allegant. Ergo erubescimus, cùm sine lege loquimur, quinimmo non videtur verum, & sequeretur absurdum, quod nullus posset esse Canonicus Regularis, nisi priùs esset Clericus, quòd omninò est falsum; & ideò dicimus, quòd Clericatus in ipsis est per accidens, sicut in Monachis, cùm sit qualitas intrinseca, ut notat gloss. *in cap. si fortè, de electio lib. 6.* Præterea, aut volumus dicere, quòd verè essentialiter sunt ipsi Clerici primitivæ Ecclesiæ continuata serie successionis; *argumento l. proponebatur ff. de Judic.* Et tunc dicimus, quòd ipsi Canonici Regulares non sunt illi Clerici primitivæ Ecclesiæ; quia illorum loco prætextu continuati temporis sunt Clerici seculares secundùm omnes; & effectus demonstrat; quia Clerici seculares omnibus Re- 27
gularibus præferuntur, ergo non sunt ipsi Canonici Regulares: quia illa essentia Clericorum primitivæ Ecclesiæ prætextu continuati temporis dicitur esse individua, sicut est individua essentia populi Bononiensis, quam non potest participare alius populus, & illa essentia populi Bononiensis, quæ fuit jam ante multos annos, dicitur esse in hoc dumtaxat moderno populo Bononiensi per continuationem temporis, non autem in alio populo, qui non est de gremio hujus: & ita proprie intelligitur *dict. l. proponebatur.* Sed Canonici Regulares non sunt de gremio Clericorum secularium, ergo, &c.

Et quòd ipsi Canonici Regul. non sint de gremio 228
Cleric. secularium, probatur per multas differentias, quæ sunt inter ipsos: Primò circa facultatem testandi, & circa petendam absolutionem in Casu Canonis, *si quis suadente*, & Canonici Regulares discrepant à 229
Clericis secularibus in essentialibus Regulæ, ne dum in habitu *d. cap. sicut nobis, de Regularibus*, cum similibus, aut volumus dicere, quòd ipsi Canonici Regulares sint essentialiter Clerici instituti per Apostolos, eo quia eorum Ordini per se competit quòd sint Clerici, post B. Thomam firmant Archidiacon. *in can. mandamus 19 quæst. 3.* & Abb. *in cap. non est, not. 2. de Regul.* & tunc dicimus, non valere consequentiam, quòd ipsi sint tales, & quòd eo modo cæteris præferantur: sive consideremus essentiam Clericatus per continuationem temporis, juxta terminos *dictæ l. proponebatur*, (ut suprà ostensum est) sive consideremus essentiam præfatam Clericatus in abstracto; quia tunc non minùs dicitur inesse Monachis, quàm Canonicis Regularibus; sive consideretur esse essentia prædicta in concreto, ex parte ipsorum Canonicorum recipientium Clericatum; quia tunc non dicetur essentia illa primæva Clericorum primitivæ Ecclesiæ, sed dicitur essentia positiva S. Augustini, considerato ipso tanquam causa proxima, & immediatè influente, id est, instituente Regulam ipsorum Canonicorum Regularium, prout singulas hujus responsionis partes ibi latè probant.

In eadem sententia est Joannes Baptista Caccialupus Severinas *in suo consilio columm.* 2. Formato argumento pro Canonicis prætendentibus se ex prima institutione fuisse Clericos, quæ qualitas essentialiter ab initio institutionis non fuit in Monachis, addita auctoritate B. Thomæ, ut *superiùs* dictus est, dicentis, quòd Ordini Canonicorum Regularium per se competit, quòd sint Clerici Religiosi; Monachos verò ex prima institutione sua, non fuisse Clericos; tandem respondendo dicit ferè eadem, quæ Consilium Ferrariense, licet in diversis verbis; primo enim dicit suppositum adversariorum non subsistere in facto, neque in jure, quod probat multis argumentis, ' & auctoritatibus, & protinus subjungit, posito, quòd Domini Canonici Regulares, aliàs ante S. Patrem Augustinum fuissent computandi inter Clericos primitivæ Ecclesiæ, quòd tamen adhuc non liquet, tamen propter qualitates substantiales injunctas per B. Augustinum transierunt in aliam speciem; nec sunt ampliùs Clerici primitivæ Ecclesiæ, sed Regulares professi novam Regulam Augustini; unde dicit Bald. *in cap. cùm Magistrum, post princip. de election.* quòd in Clerico professio Monachorum, vel Canonicorum Regularium, est multum præjudicialis; quia mutat statum; ut notatur in *l. si ex causa §. Papinianus ff. de minoribus*, pulchrè idem Bald. in simili in *cap.* 1. *§. conventiculis, ad fin. de pace Juramento firman.* Si tandem Domini Canonici Lateranenses essent numerandi inter Clericos primitivæ Ecclesiæ, tales quales erant, utique essent

Clerici

Clerici seculares? non autem essent Clerici Regulares, vel veriùs Religiosi professi, & essent pares Clericis secularibus; immo deberent eis omninò præferri; nam essent Clerici ejusdem prærogativæ, cujus & illi, & haberent illud, plus quòd essent Religiosi; & tamen si ita sentiunt, falluntur, nam meritò postpositi sunt Clericis secularibus, quod transierint in aliam speciem, videlicet, professionis Augustinianæ per professionem trium votorum: non enim benè conveniunt, nec in una sede morari debent, majestas prælationis, competens Clericis secularibus multiplici respectu, & professio trium votorum Religiosa, & Regularis exaltanda secundùm quid, sed non in jure prælationis.

Et subjungit cum ipsis Canonicis Regularibus charitativè loquendo, dicens, cessare ergo videtur dicta D. Thomæ præallegata, in quibus facitis magnam vim, & singulare fundamentum, videlicet, quod vobis Canonicis Regularibus essentialiter, & per se competat, quod sitis Clerici, & sic prælationis Clericalis ab Apostolis justitiæ jus habentes: nam talis Clericatus, posito quòd Canonicis, aut clericis per se olim competierit, tamen posteaquam transivistis in novam speciem, nempe Augustinianam professionis Regularis trium votorum, ampliùs non competiit: unde talis Clericatus vobis cohærens, non est ampliùs in consideratione jure prælationis, velut substantialiter alteratus, & incompatibilis cum primo statu simplicis Clericatus, incompatibili cum statu Regulari, per professionem Regulæ D. Augustini. Prætereà, & ipsis Monachis, licet non fuerit, neque insit essentialiter Clericatus; quia possent esse Monachi non Clerici, tamen jamdiu etiam Monachis fuit concessum quod possent esse Clerici; ex institutione Regulæ ipsorum Patris Benedicti etiam ab initio, non ab accidenti; loquor de Benedictinis, ut patet ex Regula D. Benedicti, & *16. quæst. 1. can. hic. est, §. Superiori,* & habetur in *Auth. de Monachis* in pluribus locis maximè in *§. si quis autem.*

Quinimo idem Joannes Baptista Caccialupus *col. 9.* ad clarius diluendum suprascriptam auctoritatem D. Thomæ, ait, nunc ad verba S. Thomæ, & ponderemus ea ad pondus auri, idem enim Sanctus Doctor *in loco præalleg.* super illa quæstione, *Utrùm de una Religione liceat transire ad aliam,* dicit hæc verba: utra-
230 que Religio scilicet Monachorum, & Canonicorum Regularium ordinatur ad opera vitæ contemplativæ; inter quæ præcipua sunt ea quæ aguntur in mysteriis divinis, ad quæ ordinatur directè Ordo Canonicorum Regularium, quibus per se competit, ut sint Clerici Religiosi, ut habetur in *decretis 16. quæst. 1.* & ideo quamvis Ordo Monachorum sit arctioris vitæ, si Monachi essent laici, liceret transire de Ordine Monachorum ad Ordinem Canonicorum Regularium, non autem è converso *19. quæst. 3. can. mandamus,* sed si Clerici sint Monachi sacris mysteriis obsequentes, habent id, quod est Canonic. Regul. cum majori arctitudine, & ideò transire licitum erit de Ordine Canonicorum Regularium ad Ordinem Monachorum, petita licentia superioris *19. q. 1. can. statutum.* Hæc B. Thomas, ex cujus verbis habemus, quod Canonicos Regul. locat in specie Religionis, item quòd illam qualitatem clericatus, quam dicit per se olim competiisse Canon. Regul. non autem Monachis, tunc laicis, dicit hodie competere pariter Monachis, qui sunt Clerici, & id cum majori arctitudine: non ergo Sanctus Doctor præponit Canonicos Regulares Monachis Clericis, aut æquat: constat autem generaliter concessum Abbatibus Monachorum, ut Monachos suos ad Clericales valeant Ordines promovere, *69. dist. can. quoniam videmus,* & *de ætat. & qualit. cap. cùm contingat:* competit ergo clericatus non minùs Monachis, quàm Canonicis Regularibus, saltem modernis temporibus. Nec curandum quoad excellentiam Religionis, quòd clericatus competat per se, vel per accidens, ut etiam sentit idem S. Doctor in quantum tenet, licitum esse transire de Ordine Canonicorum Regularium ad Ordinem Monachorum, qui sunt Clerici. Nec fortasse absonum esset dicere, quòd immò non per se competit Canonicis Regularibus, quod sint Clerici; nam Joan. de Lignano Doctor supremus in *suo tractatu de censuris,* ponit reperiri Canonicos Regulares, qui non sunt Clerici, quos dicit gaudere beneficio, *can. Si quis suadente, &c.* Nec intumescatis dicentes prius fuisse vobis Canonicis Regularibus concessam qualitatem Clericatus, quàm Monachis, quia falsum est; quod falsum esse probatur argumento, quo etiam usus est D. Thomas *in opusculo contra impugnantes Religionem. part. 2. c. 2. col. penultima,* licèt Caccialupus eum non citet. Monachi enim, inquit, priùs fuerunt Clerici, quàm originem habueritis vos Canonici Augustiniani, ergò priùs competit Monachis Clericatus, quàm vobis, licèt fortaisè vobis frequentiùs: hodie verò omnibus ferè utriusque Religionis, ut in pluri competit Clericatus; probatur etiam præmissa, in *dict. §. superiori 16. quæst. 1.* testimonio Historiæ Ecclesiasticæ ubi dicitur usque ad tempora Eusebii,
Zozymi, & Sirici Pontificum, fuisse Monachos non 231
Clericos; Eusebii tempore Monachi in Clericos pro- 232
moveri cœperunt, Zozymusque, & Siricius approbaverunt, quos Pontifices constat, præcessisse ante D. Augustinum. Clericatus Monachis concessus reperitur *26. quæst. 1. can. doctos.*

Subjungitur autem in Concilio Paduano *colum. 19.* non obstare quòd dicebatur in Canonicis Regularibus esse Canonicam, quæ videtur eis tribuere aliquam præeminentiam, *dict. cap. statutum, de rescript. in 6.* quia ad hoc respondemus, quòd *dict. cap.* loquitur de præeminentia insurgente ex Canonia Ecclesiæ Cathedralis; non autem de Canonia Ecclesiæ Regularis; & ideò dicimus, quòd si Regulares Canonici haberent Ecclesiam Cathedralem, & essent ejusdem Ecclesiæ Canonici, procul dubio essent præferendi Monachis; quia deberent esse cum Episcopo capite suo, neque deberent ab eo separari per interpositionem Abbatis cum Monachis; cùm membra non debeant à capite separari, & Canonia per se non est dignitas, ut
colligitur ex eo *cap. statutum.* 233

Ultra præfatos Doctores, Bergomas ille Eremitanus de quo *superiùs* est facta mentio, aliquando asperiùs loquens, excludit eos etiam à Canonicis Regularibus S. Augustini, dirigens enim verba ad illum Dominicum Tarvisinum Canonicum Regularem, qui edita invectiva contra Eremitanos dissidio causam dederat, *libri sui fol. quinto,* enumeratis multis Regularium Canonicorum generibus, inter se origine, habitu, & vita diversis; tandem dicit, [Sunt alii Congregationis Frisonariæ, qui quamvis Lateranenses appellentur, cum scapulari nigro, & chamide nigra superiori tunica, vel camisia appellata, bireto tamen nigro incedunt: sic & de institutionis varietate, ut quidam à B. Marco, quidam à B. Patre Augustino, nonnulli à S. Ruffo, alii ab aliis, ita ut plures quodammodo videantur Canonicorum Regularium institutores, quam ipsi Canonici fuerunt.] Certum tamen est, hos, quos Lateranenses, vel de Frisonaria vocamus, inter quos hic Dominicus de Tarvisio, cæteris audacior, & in veritatis impugnatione molestior, qui ante annos viginti, ut asserit, inter eos receptus est, nec à S. Marco in Alexandrina Ecclesia, neque à S. Augustino in Hipponensi Episcopatu, neque à S. Ruffo in Galliarum partibus, neque à quocunque alio auctoritatis Patre institutionem habuisse, sed neque Regulam, nisi quàm à paucioribus annis citrà ab Ec-

clesia privilegiati habuerunt, ut Canonici Regulares Frisonarii nuncuparentur: à sexaginta enim annis, vel circa, eorum Frisonaria Congregatio initium habuit, priùs vaga, in loco quodam juxta Lucum inculto, ubi à multitudine Frisonum Avium, quæ in monticulis habitant, Frisonariæ locus dicebatur, consequenter Frisonaria Congregatio dicta est. Postea succedentibus Pontificum Romanorum privilegiis, inter Canonicos Regulares de misericordia sunt deputati, accedentibus deinde viris nonnullis Religiosæ conversationis; bonæque doctrinæ, Deo servientibus, Romæ Basilicam Lateranensem per Eugenium, Paulumque, loca item multa Venetiis, Ravennæ, Mortariæ, Mediolani, Januæ, Vercellis, Papiæ, & alibi sunt consecuti, & *fol.* 18. [Non enim ab Augustino institutionem habuistis, neque à quoquam alicujus auctoritatis Patre; sed à quodam Fratre Jacobo de Bergamo professo Ordinis Prædicatorum S. Dominici, qui cupiditate maxima vos concipiendi, immemor suæ Religionis, ab ea discessit, ut quia bigamus erat, fieret trigamus; vos in lucem educendo: itaque deserto Prædicatorum habitu vos sub multiplici habitus forma, sæpiùs variata, in loco Frisonariæ instituit, & adeò nova in Ecclesia est hæc vestra Congregatio, ut nec unum supervenientem agnoscam, qui ex primis vestris sit, & pluribus aliis ex vestris similem.] Hæc & multa de informi illo priori modo vivendi didici. Et paulò infrà; [Intelligat ergo Dominicus vester, se non ex eorum germine pullulasse, quibus Augustinus Regulam dedit, vel habitum, sed de Sedis Apostolicæ misericordia à Fratre Prædicatore, se suosque institutos Canonicos Regulares raptim evasisse. Hæc cùm notoria sint, probatione non indigent. Si igitur (Dominice mi) Regularium Canonicorum primitias quæris, originis tuæ natalitia ne deseras obsecro; neque te ad supremam Lateranensem Ecclesiam erigas, qua sæpiùs, ut tibi non debita, privatus es, sed ad Frisonariam redi, & *fol.* 73. Postremò, tantummodò tibi à B. Augustino Regulam datam arbitrans, dicit: Profectò qui dicunt fuisse datam à B. Augustino Regulam Canonicis Regularibus, videntur sapere hæresim, cùm aliter teneant, quàm Sancta Romana tenet Ecclesia; sed hoc non simpliciter verum, quia qui dicerent Regulam à S. Augustino omnibus Canonicis Regularibus non fuisse datam, non saperent hæresim, quoniam falsum non dicerent, nec aliter tenerent, quàm sancta mater tenet Ecclesia.

Nam etsi B. Augustinus nonnullis Canonicis Regularibus in Ecclesia Cathedrali sua, Regulam dederit, non tamen illis, qui à S. Ruffo in Gallia sunt instituti, neque vobis, qui à Fratre Jacobo de Bergamo Prædicatorum Ordine derelicto, collecti, & in loco Fisonariæ recollecti estis, neque infinitis aliis Canonicorum Regularium diversitatibus, qui omnes, etsi B. Augustini Regulam sequantur, non tamen ab Ipso eam recipere meruerunt, neque succedunt illis, qui à S. Augustino acceperunt; sed ipsi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ auctoritate, D. Augustini Regulæ se submiserunt.] Arguit insuper idem Auctor *fol.* 29. *à tit.* hoc modo; [Quia canones quotquot de Canonicis Regularibus loqvuntur, non tamen de Canonicis à B. Augustino institutis, & idcirco in eis de Augustino nulla mentio habetur, sicut de novis Eremitanis ubique cùm in jure fit mentio, semper B. Augustini titulus ponitur, ut intelligas (Dominice) variam admodum esse Canonicorum Regularium differentiam, qui etsi omnes sub Beati Augustini Regula vivant, paucissimi tamen ex eis ab illo institutionem habuerunt.]

Hæc hactenùs ab Antiquis Auctoribus prædictis sumpta, ex quibus (ni fallor) datis ad enunciatum D. Thomæ, quatuor responsionibus probatum est, Canonicis Regularibus non per se (ut ipsi jactant) inesse Clericatum illum, scilicet, qui erat in Ecclesia primitiva, & quod talis qualis est, non magis, neque meliùs inest eis, quàm Monachis; quod Monachi ipsi eandem Clericatus qualitatem habuerunt, antequam esset D. Augustinus, & ab eo instituta Regula, & cum Clericatu ipsi Monachi ampliùs habent vitæ arctitudinem; insuper quòd Monachi Benedictini ab ipso initio suæ Regulæ fuerunt, prout sunt Clerici, & quòd Domini Lateranenses non sunt veri Canonici Regulares, neque Cathedralis Ecclesiæ Canonici, sed nomine tantùmmodò vano Canonicorum sibi adscripto, in cæteris nihil differant ab aliis Regularibus.

Ex præmissis etiam apparere potest, parum considератam esse inscriptionem, quam Domini Lateranenses
adversarii sibi usurpant, inscribendo & nominando se
interdum Clericos Religiosos, interdum Clericos Canonicos; nam quoad Canonicos superflua est usur-
patio Clericalis; cùm certum sit, esse non posse Cano- 234
nicos alicujus Ecclesiæ, qui non sint Clerici, & Cleri- 235
corum appellatio sit generalis sub alterna Christiano-
rum appellatione, os enim habet usus communis, &
testatur Specul. *in rationali divinorum officiorum lib.*
2. cap. 1. ex Christianis personæ quædam sunt secula-
res, laici dicti; quædam verò Clericales, quæ in Eccle-
sia Dei serviunt, vel ipsam regunt; hæ autem subdivi-
duntur in Monachos, & alios Religiosos, & in Cleri- 236
cos seculares, & sic omnibus personis Ecclesiasticis
competit Clerici appellatio, prout etiam Abb. *de vit.* 237
& honest. Cleric. dicit, Clericorum appellatione conti-
neri omnes Ordinem habentes, in quacunque digni-
tate sint, aut ordine, etiam in prima Tonsura, *de elect.*
& qualit. cap. cùm contingat, ex quo ad servitium Dei 238
electi sunt; unde omnes, qui non sunt laici dicuntur
Clerici *can. duo sunt*, 12. *q.* 2. *can. Cleros*, 21. *distinct.*
cum prædictis concordant Gemin. & Præposit. *in d.*
cap. duo sunt, ponentes generalem distinctionem, quòd
omnes Christiani, aut sunt Clerici, aut laici, ut idem 239
Præp. *in can. cùm aut, col. 4. versic. quartum posteà* 44.
distinct. in Div. Thom. satis apertè conformiter ad di-
cta Specul. 2. 2. *q.* 184 *art.* 8. *in. corpore*, distinguens 240
status Ecclesiasticorum, dicit, ex una parte esse Cleri-
cos seculares, ex altera Religiosos, & pro Religiosis
ponit Monachos, & Canonicos Regulares. Itaque,
hoc posito, quòd omnes Ordinem Ecclesiasticum ha- 241
bentes, dicantur Clerici, non minùs ridiculum est, ap-
pellare se Clericos Canonicos Lateranenses, quàm si
aliqui alicujus Civitatis cives, inscriberent se homines
cives illius Civitatis, quasi volentes inferre, quòd alia-
rum Civitatum cives non sint homines, aut quod gene-
rica hominum appellatio non competat aliarum Civi-
tatum Civibus. Et hæc dicta sint, quoad primum D.
Lateranensium de suo prætenso Clericatu, argumentũ.

Argumentum secundum.

Proximum ipsorum argumentum est à laudabiliori
Canonicorum Regularium professione, quod argu-
mentum non indiget responso, quia fundatur in falso
præsupposito Clericatus, de quo anteà dictum est. A-
junt enim, constare Clericorum ipsorum genus divino
officio, & contemplationi dedicatum esse. *d. can. duo* 242
sunt, in princip. 12. *quæst.* 1. unde & Canon. Clerico-
rum ipsorum vitam maximè integram exoptat. *toto*
tit. de vita, & honest. Cleric. & toto tit. ne Clerici negot.
secul. se immisceant. Concludentes tandem, quòd cùm
Regularium Canonicorum professio ex contemplatio-
nis, & actionis mixtura constet, consequens est illam
ipsam longè potiorem esse.

Responsio.

Quod argumentum, ut dixi, indiget responsione, quia cùm Jura loqvuntur simpliciter de Clericis, vel per excellentiam intelliguntur duntaxat de secularibus, vel genericè intellecta referuntur ad omnes personas

Eccle-

Ecclesiasticas, tam seculares, quàm Regulares, juxta *superiùs* dicta. Quòd dicunt se exercere circa contemplationem, ea omnia non minùs, & cum arctiori vita exercentur, & exerceri possunt per Dominos Casinenses, ut latè, & clarè, more suo, probat D. Thomas in *superiùs citato opusculo contra impugnantes Religionem, part. 2. per totam*; quamquam tale exercitium non faciat ad negotium præcedentiæ, ut experientia docet, cùm multi sint Religiosorum Ordines exercentes omnia illa, quæ Domini Lateranenses dicunt se exercere, non minùs, quàm ipsi; & tamen non attollunt cristas in actu præcedentiæ, neque alios antecedentes vexant; sed mansueti, loco sibi assignato quiescunt.

Tertium Argumentum.

Tertio loco arguunt à dignitate loci, in quo ipsa Congregatio jactat se diutissimè floruisse, nempè Lateranensi Ecclesia, in qua, ut ipsi ajunt, Canonici Regulares primùm instituti, atque in ea octingentis annis, Clericis omnibus etiam S. Petri fuerunt prælati, ut ex historicis constare potest, adjiciendo multa eidem Congregationi ab Alexandro III. Lucio II. Alexandro IV. Gregorio IV. & Nicolao V. fuisse concessa privilegia, ubi dicunt poni ordinem processionum, & Clerici, seu Canonici tam seculares, quàm Regulares Monachis præferuntur.

Responsio ad tertium Argumentum.

In hoc quidem argumento multa sunt falsa, quorum falsitate detecta, non erit opus alia responsione. Nam quantùm attinet ad Ecclesiam Lateranensem, in qua dicunt fuisse ab initio institutos Canonicos Regulares, qui ibi octingentis annis perseverando, & Canonicis S. Petri fuerunt prælati, quòd dicunt constare ex historiis, continet duplex mendacium; quia in dicta Ecclesia La-
243 teranensi priùs fuerunt alii Religiosi, quàm Canonici Ordinis S. Augustini, ut patet ex testimonio Alberici à Rosate, qui in *rub. ff. de statu homin.* ponit hæc verba. [In Urbe Roma sunt quinque Ecclesiæ, quæ patriar-
244 chales vocantur, videlicet, Ecclesia Beati Joannis Lateranensis; quæ consuevit habere Priorem, sed ex Constitutione Bonifacii Papæ VIII. habet Decanum] erant Religiosi, & facti sunt Canonici Ordinis S. Augu-
245 stini. Unde patet, quod Canonici S. Augustini
246 non fuerunt ibi, nisi à tempore Bonifacii VIII. cùm an-
247 tea ibi essent alii Religiosi: nec dubitari potest de fide testimonii Alberici, cùm sit Auctor gravissimus, vixeritque in Urbe Advocatus Consistorialis, non multum post Pontificatum Bonifacii VIII. & insuper Domini Lateranenses Adversarii nihil habent commune cum illis Canonicis ibi à Bonifacio creatis: tum quia illi incedebant in habitu Clericorum secularium, quod fecit errare adversarios, cùm extorserunt ab Eugenio IV. dictam Ecclesiam, & falsò narraverunt, quòd Bonifacius amotis Regularibus Canonicis, secularium Clericorum, & Canonicorum curæ eamdem Ecclesiam commiserit; tum quia ipsi Domini Canonici Lateranenses adversarii adhuc non erant in rerum natura, sed circa annum Domini 1400. apud Monasterium Beatæ Mariæ de Frisonaria, sicut anteà dictum est, initium habuere. Nec sunt historici fide digni, qui aliter dicant, nisi fortè citent mihi Volaterranum, qui nostra memoria scripsit, & fidem de octingentis annis ex dicta Eugenii Bulla sumpsisse videtur: neque in hac re comparandus est cum Alberico illius temporis scriptore, viroque magnæ auctoritatis. Accedit quòd si quam laudem ipsi Domini Lateranenses potuissent mereri propter adeptionem dictæ Lateranensis Ecclesiæ, tantò majorem ignominiam ex illius privatione mererentur; quod significare voluit ille Eremitanus *loco superiùs citato.* Nec dicere possunt, privationem fuisse injustam; quia non est præsumendum à tot Summis Pontificibus, qui post privationem prædictam fuerunt, talem injustitiam fuisse in eorum conspectu toleratam: quamqvam etiam concessa eis Lateranensis Ecclesia ni-
hil refert ad causam præcedentiæ, nisi forsan in ipsa tan- 248
tùm Lateranensi Ecclesia, & in actibus dictam Lateranensem Ecclesiam concernentibus. Privilegia autem, quæ dicuntur concessa fuisse ab Alexandro III. Lucio II. & Alexandro IV. quomodo possunt esse vera, cùm illis temporibus adversariorum Congregatio non esset adhuc nata: de ordine autem (ut ajunt) in progressionibus posito per literas Eugenii, & Nicolai, cùm illæ non ostendantur, non oportet aliud dicere. Si ostendantur, videbimus quid contineant; certum est, quòd nunquam fuerunt, nec sunt in usu, prout proximè dicetur.

Quartum Argumentum.

Quarto loco dicunt adversarii, quòd Regularis Congregationis potiorem causam probat hujus amplissimæ Sedis usus, in viridi observantia existens, & in processionibus ipsis, prælationis locum Congregationi Canonicorum Regularium assignans.

Ex quibus quatuor argumentis concludunt, videri probatum esse, Canonicorum Regularium causam longè potiorem censeri. Addentes pro ea parte plures consuluisse, videlicet collegium Papiense, & Patavinum, licèt postmodum retractaverint, & Carolum Ruinum, & Christophorum Albarisium, & Antonium Corsettum, ex quibus dicunt, constare, tum auctoritatum, tum rationum pondere, hanc ipsam sententiam esse amplectendam.

Responsio ad quartum Argumentum.

Ad quod quidem argumentum prout est biceps fundamentum, videlicet prius in consuetudine, deinde in auctorum numero, ita distinctim respondendum mihi esse censeo; quoniam utraque pars est falsa in facto. Consuetudo enim semper aliter se habuit, & consulentes *inferiùs* nominandi pro Monachis, sunt (ut ita dicam) sine numero.

Quoad consuetudinem ergo Joannes Campegius, *in suo Consilio*, inferiùs citando, §. *quarta ratio*, dicit, consuetudo est in omnibus Civitatibus, quod in processionibus, & aliis actibus publicis Monachi sint in loco digniori, & honorabiliori: probatur primo ex Chronica Martiniana; sed ego invenio, quòd ante Martinum, qui hoc dicit in vita B. Gregorii Papæ, Paulus
Diaconus, qui scripsit non multùm post B. Gregorii 249
Pontificatum, eadem verba posuit, *de gestis Romano-*
rum Pontificum lib. 8. cap. 4. videlicet, [quòd ipse Div. 250
Gregorius in septem partes deprecaturus Dominum, divisit populum; quapropter dicta est septiformis Litania. In primo namque Choro fuit omnis Clerus: in secundo Abbates cum Monachis suis: in tertio Abbatissæ cum Congregationibus suis; in quarto omnes infantes; in quinto omnes laici; in sexto universæ viduæ; in septimo omnes Mulieres conjugatæ:] & sic patet, Abbates, & Monachos fuisse immediatè post clerum, & quòd nulla habita est mentio Canonicorum
Regularium. Subjungit Campegius: [Item in Regno 251
Ungariæ, Franciæ, Angliæ, in Alemania, Burgundia, in Civitate Lodii, Coloniæ, Tolosiæ, semper Monachi præponuntur Canonicis Regularibus. Idem observatur in Italia, videlicet Venetiis, & Florentiæ, ubi sunt annuales processiones, in quibus semper Monachi præponuntur Canonicis Regularibus, & ponuntur juxta Clericos. In Austria primò incedunt Mendicantes; postea Canonici Regulares; deinde Monachi S. Benedicti; postremò omnis Clerus. Idē servatur in Civitate Argentina, & in Civitate Ratisponensi, & in Regno Ungariæ, sic solebat fieri in aliis Civitatibus pacifice, & quietè, ut Mediolani, Papiæ, & Mantuæ, in qua Civitate erat

Conventus Monachorum S. Andreæ, qui semper præponebantur aliis Religiosis, & Canonicis Regularibus S. Marci, ibidem existentibus, quid plura? idem observatur Romæ. Constat autem, quòd stylus Curiæ Romanæ innititur juri communi, &c.] Ne autem videamur carere aliis dicto Campegio contestibus de consuetudine Romæ plures habemus, & Cardinales, & alios Curiales idem attestantes, tam de antiquiori tempore, quàm de tempore Innocentii VIII. quo agitata fuit hæc eadem controversia; & etiam de tempore posteriori antiquiores; ut omittam Joannem Andream, & utrumque Abbatem, & Benedictum Capram, qui hoc tenuerunt universaliter loquentes, quòd
252 Monachi essent præferendi *in cap. avaritia de præbend.* qui non fuerunt Curiales, certè Cardinalis Florentinus, & Cardinalis Turrecremata; & Cardinalis Alexandrinus, utpotè cùm fuerint Cardinales, & Gemin. qui fuit Auditor Cameræ, & Felin. qui fuit Auditor Rotæ, & Caccialup. qui fuit Advocatus Consistorialis, negare non poterit quin scirent consuetudinem Urbis: & tamen omnes hi intrepidè asseruerunt, Monachos præferri Canonicis Regularibus videlicet Card. Florent. *in dict. cap. avaritia.* Gemin. verò, & Cardin. de Turrecrem. *in can. Episcopos, 17. distinct.* & hi omnes longè antiquiores Pontificatum Innocentii VIII. Sub ipso verò Innocentio, & dum hæc controversia tractabatur, idem Alexandrinus, nondum Cardinalis, sed Referendarius in Curia existens in *Rubr. de major. & obedient.* & deinde in *Consil.* pro Monachis edito, de quo inferiùs est dicendum, & Caccialupus itidem suo *Consilio*, de quo superiùs est facta mentio: prædictis accedit, & Philippus Decius vir clarissimus, qui in *dict. cap. avaritia, col. 11.* dicit relatum sibi esse in Curia Romana ita observari, quòd in processionibus Monachi primò honorantur. Caccialupus verò in *dict. suo Consilio col. 7.* super hujusmodi consuetudine, dicit hæc verba, loquendo benignè cum cum dictis Canonicis. [Septimum fundamentum sumitis à consuetudine, quæ est optima interpres omnium actionum. Nam dicitis in multis insignibus locis consuevisse præferri Canonicos Regul. Monachis. Rogo, Patres Reverendi, ut deponatis affectum, & non fallamini æquivocando, nam de Canonicis Regularibus Ecclesiarum Cathedralium non est contentio; quia præhonorantur ratione Capitis; aliàs autem consuetudo est vetustissima contra vos Canonicos Regulares Ecclesiarum non Cathedralium. Nonne tempore Gregorii Primi, & magni in septiformi Litania celebrata per eum, primò locavit omnem Clerum; inseccunda Abbates cum Monachis suis? hoc attestatur Chronica Martiniana; item Joan. Bellet *in lib. de Eccles. offic. c. 78.* item Specul. *in suo rationali in rub. de rogationibus*, & Jacobus de Voragine *in suis Legendis Sanctorum sub rub. de Lætaniis.* Nonne id palpatis ex vetustissima tabula Ecclesiæ Ravennatis? Nonne videtis id observatum in Consilio Pisano tempore Alexandri? ubi semper Monachi, & ipsorum Abbates vocantur post Episcopos, & Monachi Sancti Benedicti ante Canonicos sancti Augustini? nonne id servatum fuit in Concilio Constantiensi? ubi fortiùs, non solùm Canonicis Regular. Monachi præpositi fuerunt, & Monachorum Abbates Prioribus Canonicorum Regularium; sed etiam ipsi Monachi ratione Abbatialis dignitatis Canonicis secularibus Ecclesiarum Collegiatarum prælati sunt? Hoc servatum est, & servatur in Civitate Venetiarum, Paduæ, Florentiæ, Senarum &, ut accepi, in omnibus ferè locis illustribus citrà, & ultrà Montes. Deponatis ergo stimulum præcedentiæ vestræ, quæ judicio meo, defendi non potest, ne pertinacia transeat in ambitionem, à qua hactenùs potuerunt excusare vos rationes inductæ pro vobis.] Hactenùs Caccialupus.

Ex quibus omnibus nemo, ut opinor, nisi verè pertinax, poterit in dubium revocare consuetudinem tum universalem, tum particularem Urbis Romæ, maximè usque ad tempus Innocentii VIII. sub quo hæc tyrannia sparsa fuit per illos paucos Canonicos Regulares, de quibus est facta mentio; videamus ergo quid inde successerit.

Fervente discordia itum fuit ad omnes ferè Italiæ Jurisperitos; & cum in favorem Monachorum Venerandæ Congregationis Casinensium, seu Sanctæ Justinæ scripsissent Collegia Doctorum Bononiæ, Paduæ, & Ferrariæ, & Jo. Baptista Caccialupus, necnon Lancellotus Decius, Cosmas Pasiferus Ferrariensis, Baptista de S. Blasio, & Jo. Antonius Papien. necnon Franciscus Curtius Senior, cujus consilio subscripserunt Franciscus Curtius Junior, necnon Dominicus Piselius, Franciscus Pusteria, & Bonifacius de Pichis Mantuani; ac etiam de per se consuluerunt Stephanus Costa secundò, & tertiò, necnon Alexander de Nevo, & Antonius Franciscus de Doctoribus, Paravini, idem Antonius Franciscus iterùm, & prædictus Baptista de S. Blasio, iterùm, & tertiò, ac prædict. Joan. Antonius de Papia iterùm, tertiò, ac quartò, necnon Stephanus de Desideriis, Bononien. & Frater Bartholomæus de Aquis, tunc Generalis Ordinis Eremitarum S. Augustini, & quidam alius innominatus Religiosus, & Urbanus Abbas Mediolanensis, & Bruno Monachus, quorum omnium numero, auctoritate, & bonis rationibus quasi confusi, & victi, pauci illi inquieti Canonici Regulares destiterunt à molestiis eisdem Monachis nigris inferendis: sed iidem ob magnum ambitionis pruritum, non valentes quiescere, converterunt se contra Olivetanos, quibus omninò dicebant se esse præferendos, allegando, quòd illi non erant verè Monachi S. Benedicti, cùm gestarent habitum album, & Ordo S. Benedicti nigrum, & primus inter eos conflictus excitatus fuit in civitate Pistorii, ad quem sedandum Innocent. Papa per suum Breve sub Dat. die 26. Octobris 1484. commisit causam cognoscendam, & terminandam Joanni Damiano de Beccis de S. Geminiano, Canonico Volaterrano decretorum Doctori, tunc Vicario Generali Nicolai Pandolfini Pistoriensis Episcopi, coram quo per utramque partem producta fuerunt jura, & consilia, quæ habuerunt.

Potissimùm verò pro parte Canonicorum Regularium productum fuit opusculum pro sua Congregatione compositum per prædictum Eusebium Mediolanensem, qui erat unus inter primariæ factionis capita: pro parte verò Olivetanorum producta fuerunt Consilia supràscripti Lancellotti, Decii, cui subscripserunt prænominatus Caccialupus, necnon Antonius de Cocchis Florentinus, Guido de Aretio, Bulgarinus de Bulgarinis, & Bartholomæus Soccinus, qui excedendo modum simplicis subscriptionis adjunxit latum consilium. Pro eorundem Monachorum parte productum fuit supradictum consilium Joannis Campegii, necnon alterum dicti Lancellotti Decii consilium, & opusculum Fratris Jacobi de Trajecto Olivetani; quibus omnibus visis, & consideratis, prædictus Vicarius Pistoriensis delegatus Apostolicus, die 17. Maji 1488. protulit sententiam diffinitivam in hæc verba. [Pronunciamus, & declaramus Religiosos S. Benedicti, debere 253
præcedere dictos Religiosos S. Bartholomæi Pistorien. Ordinis Canonicorum Regularium in publicis processionibus, ac ratione præcedentiæ, dictos Monachos, & Religiosos Montis Oliveti in dictis processionibus debere incedere, tanquam digniores in loco digniori, videlicet magis propinquo Episcopo, & Clero seculari. Ipsos verò Canonicos debere incedere in loco minùs digno videlicet magis remoto, & distanti à dicto Episcopo, & Clero seculari:] similiter etiam pro

Monachis

Monachis Contra Canonicos Parasiis judicatum fuisse dicit Caccialupus *col. 17*.

Et ne quis putet, me nugari, dico, esse penès me in authentica forma dictum processum Pistoriensem, cum omnibus Consiliis prædictis in illo, ut præfertur, productis, & etiam omnia alia consilia in favorem Monachorum nigrorum, per omnes Doct. prædictos composita; quem processum, & quæ consilia paratus sum omnibus videre volentibus ostendere: interim quosque consideret, an omnes prænominati Doctores antiqui, & recentiores sint plures numero, & majores auctoritate, quàm quinque illi, ex adverso allegati, qui etiam non sunt omnes veri. Nam quantùm attinet ad Collegium Papiense, quomodo potest fuisse Collegium pro illa parte, si ambo excellentissimi tunc illius Doctores Franciscus Curtii Senior, & Junior, & Stephanus Costa, & Rolandus etiam Curtius omnes Papienses Doct. pro hac parte, (ut anteà dixi) scripserunt. Paduanum verò Collegium ipsimet adversarii fatentur, quòd posteà retractavit, non tamen ea fuit retractatio, sed declaratio; in consilio enim edito pro Casinensibus ingenuè dicunt se anteà scripsisse pro Canonicis Regularibus, quia per fallacias decepti fuerunt in positione casus; & ideò fallaciis detectis per bonas rationes dicunt sentire, & scribunt contrarium. Remanet duntaxat Carolus Ruinus, qui tempore quo fuit agitata hæc controversia vix poterat esse natus, nec dum quod potuerit scrib.re in causa. Tamen utcumque scripserit neque ipsi, neque alii duo Christophorus videlicet Albarinus, & Antonius Corsettus tanti sunt faciendi, ut magis eis credendum sit, quam tot aliis superius nominatis, qui scripserunt pro Monachis: benè ex hoc confirmatur id quod antea dixi, Dominos Canonicos parum ingenuè facere, qui cùm habeant suorum antiquorum scripta, ex quibus omnia sumunt, illis tamen tacitis, quæ dicunt, tanquam nova invulgant; & per hæc sufficienter hunc articulum arbitror esse elucidatum, ut nemo probabili ratione dubitare possit, quin & generalitate consuetudinis, & numero, ac gravitate Doctorum, qui pro ea scripserunt, pars Monachorum S. Benedicti sit potior, eisque conservanda præcedentia.

It obviam Argumento, quod fieri possit per Canonicos.

Et si ipsi Domini Canonici dicant, quidquid antiquis temporibus fuerit non facere ad rem, sed satis eis esse, quod nunc modernis temporibus in Urbe in conspectu Summi Pontificis ipsi teneant locum magis propinquum ipsi Pontifici, & sic digniorem. Quamquam invitus hanc responsionem facio, tamen quia ipsi etiam productis articulis, & desuper examinatis testibus id in actis posuerunt, ne causæ, quam defendo prævaricator esse videar, respondere cogor; & dico, tantùm abesse, ut argumentum hoc sit alicujus momenti, immò faciat ipsorum Dominorum Canonicorum causam ridiculam.

Secundum est itaque ut videri poterit ex monumentis Cæremoniarum, quod usque ad tempus Leonis X. Abbates, & Monachi S. Pauli, qui sunt ex dicta Congregatione Casinensi præcedebant ipsos Canonicos Regulares, ut etiam patet supradictorum Florentin. de Turrecremata, & Alexandrini Cardinalium, necnon Gemin. Felini, & Caccialupi Curialium testimonio. Cùm autem dictus Leo X. solemnes quasdam processiones instituisset, aliqui ex dictis Regularibus obtinuerunt, ut abjecto Caputio, & Cappa nigra ponerentur cum suis rochetis, seu camisiis albis, & biretis post Clerum secularem, quasi pars illius Cleri, & ita ab inde citrà, non sine risu prudentium in singulis processionibus videre est illos, qui in suis Monasteriis, & Ecclesiis, ac per vias publicas assiduè deferunt caputium, scapulare vulgariter nuncupatum, & cappam nigram (ut dicunt aliqui ex prænominatis Doctoribus in suis consiliis) noluit abjicere ille Jacobus Bergomas Institutor Congregationis Frisonariæ, ut aliquid pristini Ordinis retineret, & ne in totum videretur apostatasse ab ipsis Dominicanis, his inquam abjectis dicti Canonici cum suis Rochetis, quasi mutati in totidem Episcopos, ponunt se post Clericos seculares, & potiùs volunt esse postremi secularium, quàm secundi inter Regulares, quod facilè obtinuerunt magnis tunc viris pro eis intercedentibus, & nemine contradicente; Monachi enim non se opposuerunt, quia nec natura, nec professione sunt contentiosi, & quia dicti Canonici non sunt in eo loco tanquam Regulares.

Nam si, etiam tempore Leonis, Monachi voluissent contendere, facilè poterant petere, & tanquam justum verisimilter obtinuissent, ut ipsi Domini Canonici Regulares in Ordinem suum redigerentur; cùm certi sit juris, quòd si quis vult in processionibus prærogativam, debet ire cum indumentis gradui suo convenientibus, ut dicit Butrius *in c. 1. de auth. & usu pallii*, & Card. Alex. *in d. can. Episcopos, 47. dist. vers. glossa tractat, &c.* itaque cùm ipsi Domini Canonici in illo actu non incedant in habitu suæ Regulæ, & consueto, dicere non possunt, quod tanquam tales præcesserint;
semper enim Regulares personæ deferre debent habi- 254
tum suæ professionis uniformem, 20. *q. 1. can. viduam, & dist. 23. can. sanctimonialis*, cum ibi not. & ideò
Abb. *cons. 104. lib. 1.* dixit, quòd Monachus debet 555
ferre vestes Monachales; & sic in terminis nostris, si Domini Canonici volunt arguere præcedentiam ex usu processionum, debent arguere de processionibus, in quibus ipsi detulerint eorum proprium habitum, quo induuntur, quando emittunt professionem, & quando incedunt per Urbem, & suámmet Ecclesiam.

Ex prædictis, ultrà confutationem argumentorum partis adversæ, quæ erat prima pars nostri propositi, sequitur etiam confirmatio partis Monachorum, quæ est altera propositi pars.

Confirmatio partis Monachorum.

Confirmatur ergo ex prædictis pars Monachorum tribus illis mediis. Primò videlicet universali consuetudine confirmata in Pisano, & Constantiensi Conciliis. Secundò ex communi Doctorum opinione. Tertiò ex re in individuo in hac eadem causa judicata. Quartò accedit antiquior approbatio per Sedem Apostolicam, tam de Regula, & Ordine S. Benedicti,
quàm de Regula, & Ordine S. Augustini. Regula enim 256
Benedicti apparet fuisse approbata per Gregorium, qui de ipso Benedicto in ejus vita loquens, ait: *Hic Sanctus vir Doctrina verbo non mediocriter fulsit; nam scripsit Monachorum Regulam descriptione præcipuam, & sermone luculentam, cujus si quis vult subtilius vitam, moresque cognoscere, potest in eadem institutione Regula omnes magisterii illius actus invenire.*

Per hæc verba, ut dicit Jo. Bellet. *in lib. de Ecclesiasticis officiis cap. 13.* & refert Campegius *in suo consilio fol. 3. ver. tertia principali*, approbatur Regula B. Benedicti, approbatur etiam per Alexandrum II. in *can. juxta Calcedonense*, & per Bonifacium Papam I. 16. *quæst. 1. can. sunt nonnulli*, & per ea, quæ habeutur in *can. hinc est, §. superiori, ead. quæst. & 17. quæst. 2. can. Consaluus, & 19. quæst. 1. can. statutum, & quæst. 2. can. perniciosam*, & per Concilium Aurelianum *cap. 3.* & per Concilium Magunt. *quòd Abbatissa cum Monialibus, &c.* item *cap. at. ejusdem Concilii*, & in Concil. Triburien. *cap. 13.* & in Concilio Toletano *cap. 5.* prout hæc omnia ponit Burcardus *in summa lib. 8.* & insuper habetur *ext. de stat. Mon. & de Regul. cap. super eo, & de appellat. cap. & nostram, & cap. reprehensibilis*, & Joan. de

257 Deo *in tractatu de dispens. Papæ*, sic ait: *ut Patres testantur, tres fuerunt Regulæ principales: prima Basilii, secunda Benedicti, tertia Augustini*, ut testatur Papa Innocentius, 18. *q.* 2. *can. perniciosam*; & multæ aliæ auctoritates super prioritate hujus approbationis habentur in *recollectu* prænominati Jo. Antonii de Papia *fol.* 57. per totum, & integrum Consilium, Lancelloti Decu *fol.* 93. & Rolandus de Curte *in suo cons. fol.* 120. Jo. Baptista de S. Blasio *in sua cons. fol.* 338.

Neque est verum, quòd Regula Augustini fuerit priùs approbata per Gelasium in *can. Ecclesia Sancta Rom.* 5. *dist.* ubi generaliter approbantur opera Augustini, quæ non sunt contra fidem, nec contra bonos mores; in eo autem textu nulla fit mentio Regulæ, & consequenter Regula non est approbata cùm similiter videamus *ibi*, idem dici de opusculis Hieronymi, &
258 tamen nullibi in jure cautum reperitur, quod Regula Hieronymi sit approbata, subditur *ibi*, quòd cùm non constet, quando Regula Augustini expresse fuerit approbata, & in hoc dubio habeamus auctoritatem Dominici Cardinalis, & aliorum superiùs citatorum, asserentium Regulam Benedicti esse priùs approbatam; est dicendum, priorem approbationem in ea intervenisse, quàm in Regula Augustini, & maximè cùm ubique locorum videamus in jure priùs nominari Monachos Benedicti, & Regulam Benedicti, quàm Canonicos Augustini, & Regulam Augustini: immo de Canonicis, & Regula Augustini, vel nulla, vel rarissima est mentio. Eædem, & aliæ responsiones ad dictum argumentum Canonicorum dantur etiam in Consilio Ferrariensi, *colum.* 13. & in Consilio Bononiensi, *columm.* 7. *& columm.* 13. & in Concilio Caccialupi, *vers. Reverendi Patres*, & in secundo Consilio prædicti Raymundi de Lupis, *vers. ad tertium*, *fol.* 122. & in altero dicti Jo. Antonii de Papia *fol.* 300. & in multis aliis ex prædictis Consiliis, in quibus locis etiam omnes prædicti Doctores præsupponunt pro indubitato, quòd tempus approbationis Regulæ per Sedem Apostolicam factæ, & sic quod Regula primò approbata habet jus prælationis, & præeminentiæ ante alias, non autem tempus institutionis, & ordinationis factæ per Instituentem, & Ordinantem ipsam Regulam, quòd dicunt probari inter alia in *Clem.* 1. *de relig. dom. in Clem. cùm ex eo; de sentent. excomm. & in can. consuluit, qui Clerici. vel volentes, & in can. perniciosam*, 18. *quæst.* 2. *& in specul. de stat. Regul. vers.* 37. ante enim quàm confirmentur hujusmodi Regulæ, non sunt in consideratione quoad effectum Juris, sed sunt in rerum natura tantum de facto, ut affirmat Gemin. *in cap. quorundam, de elect. in* 6. idem tenet Abb. *in cap. nimis, il* 2. *de excess. Prælat.* & Petr. de Monte *in sua Monarchia, quæst.* 5. & dicit idem Consil. Bononiens. bene facere gloss. juncto tex. *can. Episcopo*, 17. *dist.* Joan. Andreas *in c. quia ex eo, de pact. in* 6. *& in c.* 1. *de Relig. dom. & in cap. unico, de excess. Præl. cod. lib.* cum multis aliis *ibi* allegat. quæ tanquam non necessaria, & brevitatis causâ pertranseo.

Quinto hanc præstantium tribuit Congregationi Casinensi dignitas Abbatialis, quæ consistit in capite
259 ipsorum, & non competit ea dignitas Canonicis Regularibus Lateranen. cùm Abbatialis dignitas inter alias Ecclesiæ dignitates post Episcopalem immediatè præ-
260 fulgeat, & dicitur habere dignitatem, *c. ut Apostolica, de privil. in* 6. & sic ipsi Abbates cum suis Monachis debent poni in loco digniori; cùm ipse sit caput, & Monachi membra, *cap. novit, extrà, quæ fiunt à Prælatis sine cons. capit.* & membra à capite discedere non
261 debent *d. c. novit. & l. cùm in diversis, ff. de Relig. & sump. fun.*

Nec refert, quòd adversarii dicant, quòd etiam ipsi habent Abbates, & quod probandum adducunt *can. statuimus*, 19. *q.* 3. ubi Urbanus scribit Abbati S. Ruffi, Canonicorum Regularium S. Ruffi, qui decessit Archiepiscopus Avinionensis, & in *cap. intelleximus, de ætat. & qualit.* colligit, Abbatem Canonicis Regularibus præfuisse, ut in *cap. ex parte, & cap.* 1. *&* 4. *de sent. & re judic.* fit mentio Abbatis Canonicorum Regularium in Remensi Diœcesi, & in *c. significasti secundo, de homic.* in Italia autem est Abbatia S. Andreæ Vercellen. quæ semper fuit Canonicorum Regularium, & Abbatia S. Petri ad Aram Neap. cui semper Canonici Regulares præfuerunt, & Abbatia in Cælo aureo Papiæ.

Quia respondetur primò, ut dicit Campegius *in suo consilio fol.* 3. *vers. quintarario*, quòd si habent Abbates, illos non habent propriè, sed impropriè; quia Regula eorum nullibi dat eis Abbatem, sed Præpositum, sive Priorem, Benedicti autem Regula dat propriè Abbates, *arg. l.* 1. *ff. si ager vect.*

Secundo modo respondeo, quòd isti Reverendi Canonici sæpè faciunt prout Monedula, induentes se plumis alienis: illi enim Canonici de quibus in *can. statuimus* 19. *q.* 3. & alii per totam Galliam, & Germaniam existentes, non erant, neque sunt sub institutione S. Augustini, sed de institutione S. Ruffi, prout superiùs ex Eremitano Bergomate retuli, & ideò nihil habent commune cum ipsis Augustinianis, si ipsi Domini Lateranen. sunt Augustiniani, quod valdè dubium esse superiùs est probatum: dicit enim idem Eremitanus *fol.* 29 hæc verba: [Quià B. Augustino in Cathedrali Ecclesia Hipponensi instituti sunt, ut ex Clericis secularibus Regulares fierent, hi titulos suos, ut in Regula cautum est, habere debent, sed qui à S. Ruffo in Galliarum partibus, hi secundum Hugonis expositionem Abbatis nomine nuncupantur, ut text. *in can. statuimus, juxtà suprascriptionem*, 19. *q.* 3. expressè hoc probat, sub tit. S. Ruffi Canonicos regulares esse & hos regi per Abbatem.]

Quod si omnium Canonicorum Regularium prærogativas, Domini Lateranen. adscribere sibi velint, poterunt etiam dicere, quod habent Episcopos, & Archiepiscopos, quia sunt Metropolitanarum, & Cathedralium Ecclesiarum Canonici Regulares.

Itaque cùm ex proprietate suæ Regulæ non habeant Abbates, remanet quòd quatenùs illos habeant, non possunt habere, nisi ex privilegio Apostolico, quòd si non exhibeatur, non præsumitur, & omninò, etiamsi exhiberent privilegium, essent postponendi Abbatibus
Casinen. quoniam essentia, & proprietas præfertur ac- 262
cidenti, & privilegio, ut habetur in *l. qui habet, ff. de tutel.* & quòd nomen Abbatis non conveniat Canonicis Regularibus ex proprietate Regulæ, probatur non solùm auctoritate Innocentii *in c. cum illorum, de sent. excom.* ubi dicit, Canonicos Regulares habere Priorem, non Abbates, & cum eo concordat Joan. Andr. ubi in gloss. *in vers. Abbatum*, sed etiam ex *can.* 1. 19. *q.* 3. ubi Alexander Papa dicit, nullus Abbas, vel Monachus, Canonicos Regulares à proposito suæ Religionis abducere, &c. & in multis aliis locis, in quibus probatur Abbatem esse nomen correptivum Monachorum, & è contra, non autem Canonicorum Regularium, qui, ut præfertur, non habent Abbates, nisi fortè ex privilegio.

Quod etiam permaximè probatur ex Bulla pro parte Dominorum Canonicorum adversariorum producta, quam ipsi falsò appellant sententiam Concilii Constantiensis, cùm sit Bulla expedita nomine Concilii in forma, *Rationi Congruit*, super supplicatione ad preces Abbatis, & Conventus Monasterii Crutzreligen. extra muros Constantiæ, Ordinis S. Augustini, signata per Joannem Papam XXII. antequam ex dicto Concilio privaretur, cujus summa est, quod idem Joannes Papa exposito sibi pro parte dicti Abbatis, & Conventus Ordinis S. Augustini; quod licèt institutio Regularis ipsius Ordinis, ac ejus per Apostolicam Sedem appro-

approbatio, longè præcederet institutionem, & approbationem Ordinis S. Benedicti, & Abbas pro tempore existens dicti Monasterii in Crutzreligen. Mitra, & Annulo cæterisque Pontificalibus insigniis ex speciali privilegio Sedis Apostolicæ uti consuevisset, ac eidem Abbati Monasterii in Crutzreligen. ut Patri Abbati plura alia Monasteria dicti Ordinis S. Augustini subessent; & propterea Abbas, & Conventus, nec non Canonici ejusdem Monasterii in quibuscunque actibus Abbati, & Monachis Monasterii S. Petri domus ejusdem Civitatis Constantiæ deberent præferri: nihilominùs se opponebant, &c. supponitur quòd propterea, ut idem Joannes Papa ad tollendum occasionem scandalorum dignaretur salubriter providere, idem Papa hujusmodi supplicationibus inclinatus, voluit, & concessit, quò l dictus Abbas, & Conventus in Crutzreligen. Ordinis S. Augustini deberent præferri Abbati, & Monachis prædicti Monasterii Petri domus, Ordinis S. Benedicti. Cujus Bullæ tenore tali existente, apparet, quòd non est dispositio conciliaris sed solius Joannis Papæ posteà privati: & quòd non est sententia, sed mera gratia, facta sine cognitione causæ, ad preces, & expositionem unius ex partibus, sub illa erronea narrativa, & expositione, quòd institutio, & approbatio Regulæ S. Augustini esset antiquior Ordine, & Regula S. Benedicti; & simul despicitur, quòd ille Abbas Canonicorum fundabat suam intentionem in privilegio Apostolico, non in proprietate Regulæ, & consequenter facit contra ipsos Dominos adversarios, nisi etiam ipsi ostendant simile privilegium, & hoc idem videlicet, quòd ipsi ex proprietate Regulæ non habeant Abbates, sed dumtaxat Priores, planè fatetur Celsus ille eorum antesignanus in *2. part. sui libelli, vers. secundo, in cap. innotuit, & vers. quinto habetur, & vers. decimosecundo*, etiam patet, sed hæc dicta sint ex abundanti, sufficit enim illud solum, quòd non habeant Abbates ex proprietate Regulæ.

Illud autem, quòd dicunt habere Abbates Neapoli, Papiæ, & Vercellis, est fallacia, quia benè habent dicta Monasteria, in quibus antequam ad eorum manus pervenirent, erat dignitas Abbatialis, quia erant aliorum Ordinum, qui alii Ordines fuerunt suppressi; cùm Monasteria fuerunt applicata ipsis Dominis Canonicis, & suæ Congregationi, & consequenter fuit etiam suppressa, & extincta dignitas Abbatialis, unde aliorum Monasteriorum Prælati minùs sunt Abbates, nisi nomine, quod sibi ipsi præsumunt, & ad modicum tempus; quia cùm ex illis Monasteriis mutantur ad alia loca non sine dedecore descendunt, & de Abbatibus efficiuntur inferiores Prælati; videlicet Præpositi, aut Priores; cùm nostri Casinenses postquam semel effecti sunt Abbates alicujus Monasterii, quamvis mutent loca, semper tamen remanent Abbates, quia in omnibus eorum Monasteriis ex propria tum regulæ, tum eorumdem Monasteriorum natura, dignitatem habent Abbatialem, atque illam plenam; ita ut electus Abbas illicò possit omnia veris Abbatibus competentia exercere, tam in gubernatione Monasteriorum, quàm in Pontificalibus, ut patet ex literis Eugenii IV. Dat. Florentiæ prid. Kal. Julii 1436. quæ sunt in *libro privilegiorum fol. 32. col. pen. & fol. 26.* habent hoc capitulum, videlicet:

Volentes insuper quod Prælati Congregationis prædictæ, licèt munus benedictionis non acceperint, perindè tamen Monasteria ejusdem Congregationis regere, & administrare, atque omnes actus in ipsis valeant exercere, & insignia deferre, ac si munus hujusmodi fuissent consecuti.

Unde patet nostros Casinenses ex proprietate Regulæ esse veros Abbates, & perpetuos, quia semel electi nunquam ab administratione deponuntur, licèt non semper in eodem loco perseverent, cùm inter D. Lateranenses nesciant designare, nisi tres, quos ipsi (licèt verè non sint) nominant Abbates, qui propterea cùm, aut ullo modo, aut non nisi per privilegium sint Abbates, non possunt concurrere cum Dominis Monachis Congregationis Casinen.

Ex prædictis resolvitur simul tertia pars nostri propositi faciens ad causam, de qua agitur: videlicet quod Casinenses non sint veri Abbates, meritò locum habent in Concilio, & proculdubio præferendi sunt Dominis Canonicis adversariis; maximè cùm ipsi Abbates, qui sunt in Concilio sint ibi, ut singuli Abbates, & pro talibus fuerint jam dudum admissi, etiam ad dandum votum: cùm illi, qui sunt ex Dominis Lateranensibus dicantur esse ibi dumtaxat, non ut singuli sed ut nuncii suæ Congregationis.

Non omitto, quòd cùm alias dixerimus, Abbates habere locum in Concilio, non autem Canonicos, etiam si essent Canonici Cathedralis Ecclesiæ, & quòd si ipsi Canonici Lateranen. antehac non fuerint admissi ad Concilium, ipsi dixerunt mirari, & nescire quo auctore talia diceremus; sed ut desinant de cætero mirari, respondemus, primam partem tam pro petitorio, videlicet, quòd Abbates de jure habeant locum in Concilio post Episcopos, probari per Petrum de Monte *in Monarchia, q. 3. in princ. ver. quo verò ad Ecclesias, & q. 5. vers. post. Archiepiscopos*, in quibus locis allegat multa jura, & cum eo concordant omnes alii, qui postea de Concilio celebrando scripserunt, & legere est in monumentis omnium Conciliorum, in quibus semper intervenerunt Abbates; quam etiam pro possessorio, ex quo fuerunt in eodem Concilio Tridentino tempore Pauli III. & Julii III. & in aliis anteà. Secunda verò pars, quòd ipsi Canonici non habuerunt in Conciliis locum, non requirit auctorem; si ipsi non ostendant ubi, & quando, & quomodo interfuerint: cùm superius de jure probatum sit, quòd non existentes veri Abbates, non possint modo aliquo inibi habere locum, etiamsi essent Canonici Ecclesiæ Cathedralis. 263

Ad quædam alia minuta, ut puta de narratis in Bulla Eugenii IV. quando concessit eis Ecclesiam Lateranen. & cottam, seu camisiam lineam quam gestant, & aliis similibus amplissimæ sunt confutationes; prout etiam pro confutatione partis Monachorum, multa alia argumenta superiùs non deducta, sunt in anteà citatis dictorum antiquorum consiliis, quæ brevitatis causâ non refero, sed si Dominationes vestræ Illustrissimæ super illis dubitabunt, illicò ad singula dabuntur responsa. Etsi deducta nedum sufficiant, sed (meo judicio) superabundent ad disponendum oculatam justitiam DD. VV. II. pro parte meorum Casinensium.

Antonius Massa Gallesius.

Pro eisdem Reverendis Monachis S. Benedicti in supradicta præcedentiæ causa adversus Canonicos Regulares S. Augustini. Allegationes Marci Antonii Burgesii Senensis Sacræ Aulæ Consistorialis, & Pauperum Advocati, qui fuit Summi Pont. Pauli V. fel. record. genitor.

Videbatur prima consideratione dicendum, Canonicos Regulares, qui sunt in causa, descendere ab illis, quos instituit B. Augustin. Et primò; quia ubi concurrunt eadem persona, res, & causa, probatur identitas, *l. cum quæritur, ff. de except. rei jud.* & Rom. *cons. 198.* 264

Et quòd sint eædem personæ demonstratur ex eo, quòd Canonici Regulares, qui sunt in causa, sunt Christiani inservientes Deo, & viventes sub eadem Regula. Et licèt illi, qui fuerunt tempore Augustini, non sint in rerum natura; tamen illi qui hodie sunt, constituere videntur eamdem Congregationem, etiam- 265

si aliqua qualitas esset mutata, sicut dicimus in populo, Universitate, sive Collegio, *l. proponebatur, ff. de judic.*

Et appellantur eo nomine, & eadem res, & causa concurrit, quia vivunt in communi, & non habent proprium, ut vivebant Apostoli, *can. dilectissimus, can. scimus*, 12. q. 1. quam vitam amplexus fuit Augustinus, & Canonici Regulares ab eo instituti, *can. nolo, can. non dicatis, eadem* 12. *quaest.* 2. & habetur per eundem Aug. *in* 2. *serm. de vit. Cler.*

266 Secundò comprobatur, quia identitas ostenditur quotiescunque nomen, & duae qualitates, seu demonstrationes concurrunt, Bart. *in l. demonstratio, q.* 7. *ff. de condit. & dem.* quod procedit etiam si sit in aliquibus aliis diversitas, Paul. *in l. si in homine, C. de test.* Alex. *cons.* 233. *col.* 3. *lib.* 1. Ruin. *cons.* 155. *num.* 10. *lib.* 5. concurrit enim in casu nostro nomen; quia hi Cano-

267 nici Regulares appellantur sicut illi à Beato Augustino instituti; convenit idem modus vivendi, & etiam convenit habitus, ut notat. in *Clement.* 1. *de elect.*

268 Tertiò hoc idem dici potest, solùm arguendo ab habitu; quia praesumitur quis talis esse, qualem demonstrat habitus, *l. item apud.* §. *si quis Virgini, ff. de jurejur. c. si Judex laicus* §. *idem esse*, & Dom. & Franc. *sent. excom. lib.* 6.

Quartò videtur hoc probari ex consuetudine in Urbe, secundùm quam Regulares Canonici, tanquam descendentes à Canonicis Regularibus S. Augustini, praecedunt Monachos, sed consuetudo est lex, & transfert onus probandi in dicentem contrarium, *l. de quibus, ff. de legib.*

Quintò identitas videtur probari ex attestatione Eugenii IV. qui profitetur ad exemplum illorum credentium in primitiva Ecclesia à Marco Petri Discipulo in Alexandria institutos fuisse, & quos D. Augustinus divinis Regulis, & Doctrina decoravit, quae quidem Eugenii verba etiamsi narrativa, & non dispositiva essent, probationem afferre deberent, cùm praesertim Papa se in illis fundet, *Clem. unic. de prob.* Alex. *in cons.* 111. *lib.* 7. Socc. *cons.* 87. *n.* 7. & post alios Dec. *cons.* 341. *num.* 5.

Et hoc maximè, cùm Eugenius processerit ex certa scientia, quo casu excluditur omnis error; & ideò in dubium revocari non debet, trad. Dec. *cons.* 271. latè Paris. *cons.* 3. *num.* 72. *lib.* 4. & eò magis procedunt praedicta, cùm simus in antiquis, quo casu ex similibus verbis absolutè oritur probatio, trad. Jas. *in cons.* 65. *lib.* 3. Paris. *cons.* 104. *n.* 47. & *l.* cum aliis trad. per Aym. *in suo tractat. de antiq. tem. in* 1. *par. num.* 8. & est regulare, quòd verba in antiquis probant Bar. Bald. Salicet. & alii in *l. cùm aliquis C. de jur. delib.* Ant. *in c. si. de success. ab intest.*

Sed praemissis non obstantibus, contrarium de jure respondendum est. Et quamvis nos tenentes partes Venerabilis Congregationis Casinensium, non debeamus elaborare in ostendendo, quòd Canonici Regulares, qui sunt in causa, non descendunt ab illis institutis à D. Augustino; sed duntaxat sufficere videatur ut ostendamus, quòd ea, quae deducuntur ex adverso, non probant descendentiam, quam ipsi probare debent; postquam in ea se fundant, *l. ea qui ff. de prob.* trad. in terminis descendentiae post alios Paris. *cons.* 23. *n.* 233. *lib.* 1. Tamen, quod Canonici Regul. non sint de institutis à B. Aug. credimus ex infrascriptis satis concludenter demonstrari posse.

269 Et primò, quia instituti à B. Augustino, fuerunt in Ecclesia Cathedrali Civitatis Hipponen. ipso Capite in Episcopali dignitate existente; sed cùm Canonici Regulares non sint in Cathedrali Ecclesia sub Episcopo, sed in aliis inferioribus sub suis Prioribus, non possunt dici de illis esse; inter Canonicos enim Cathedralis

270 Ecclesiae, & alios Ecclesiae inferioris, magna est differentia; & ideò ratione capitis, quod est Episcopus, à quo membra separari non possunt, Canonici in Cathedralibus sunt in dignitate, Dom. *in c. quamvis*, §. *quamquam, ver. nota tertio, de preb. lib.* 6. Doct. & ibi post alios Fel. *in cap. pastoralis, de off. deleg.* trad. Sarn. *in c. statutum n.* 18. *de rescript. lib.* 6. quomodo igitur possunt esse de illis institutis à B. Augustino, cùm non existant sub Episcopo, etiam in Cathedrali Ecclesia: illi enim, qui sunt sub Episcopo in Cathedrali; ut contingit in Ecclesia Caesaraugustana, & aliis similibus, haec forsan allegare possent,

Secundò non potest dici, quòd sint de illis; quia 271
Canonici Regul. qui sunt in causa sub suis Prioribus viventes, ex professo emittunt tria vota, ut cavetur 272
lib. 1. *suarum const. c.* 1. & *ult.* tamen illi sub Augustino non emittebant ex professo illa tria vota; licèt voluntariè secundùm illa viverent: hoc demonstratur; quia illis permissum erat proprium habere, *can.* 273
certè, 12. *q.* 1. sed professio adimit hanc libertatem; & 274
quòd propterea, professio statum mutaret personae, dixit Bal. *in c. cùm magistrum, vers. in gloss. de elect.* qui allegando text. *in l. in causa, ff. de minor.* intellexit per professionem mutari statum de libertate in servitutem; in quibus terminis loquitur text. alleg. trad. per Doct. *in auth. ingressi, C. de Sacros. Eccles.* quo datur intelligi, quòd ubi sub Regula Augustini ex professione non obligabantur, sed Deo eo modo voluntariè inserviebant, Canonici, qui sunt in causa libertatem hanc amiserunt, & statum mutarunt. Et ideò cùm sit differentia in ipso statu, & sic in substantia, sequitur, quòd non potest considerari inter istos, & illos vera essentia, sed diversa, & ex diversitate circa substantialia, *l. pacta conventa*, & ibi gloss. & Doct. not. *ff. de contrah. empt.* Doct. per illum text. *in l. jus civile, ff. de instit.* & jure cum aliis trad. *in l. edita, C. de eden.*

Tertiò descendentia probatur deducen. à stipite per 275
continuam successionem, sicut à fonte apparent derivari rivuli, & sicut à radice palmites, *l. pronunciatio in fin. ff. de verb. signif.* trad. Bal. *in c.* 1. §. *si vero, de grad. success. in feud.* & *in c.* 1. *qui sibi*, & *succ.* Bal. *cons.* 137. *lib.* 2. Ang. *cons.* 110. *col.* 2. *n.* 4. Paris. *cons.* 65. *n.* 20. *cum seq lib.* 3. quae quidem continuata descendentia deduci ullo modo non potest in term. nostris; igitur non possunt Canonici, qui sunt in causa, dici de illis.

Quartò excluditur continuatio, & descendentia; quia sumus in claro, quando Congregatio initium 276
habuerit; & ideò in literis Eugenii, & in *c.* 1. *lib.* 2. ejusdem Congregationis, nova plantario appellatur; 277
novellum enim idem est, quod *novum. l. jubemus*, & ibi not. per Doct. *C. de erogat. milit. lib.* 12. & *novum* propriè dicitur, quod de novo ortum habet, ut de se patet. Et ita exponit Archid. *in cap.* 1. §. *suscepto, de cleric. lib.* 6.

Et maximè verbum illud, *novella*, in terminis nostris, debet importare, *novum*, quod tunc ortum habeat, cum illi adjunctum fuerit verbum, *plantatio*, 278
quod significat novam erectionem, *c. cùm, & plantare, de privil. not. in c. feliciter, de major. & obed.*

Et propterea non obstat, quòd verbum, *novum*, quandoque accipiatur pro *ultimo*; quia cùm in casu 279
nostro dicatur novella plantatio, ostenditur, quòd non, quia ultimo loco instituta sit, sed quòd noviter sit plantata ad ipsius ortum, & verbo important, à quorum proprietate, & potiori significatu recedendum non est, *l.* 1. §. *qui in perpetuum*, & ibi notat gloss. & Doct. *ff. si agri vectig. l. non aliter. ff. de leg.* 3.

Sed etiam advertendum est, quòd si verba praefata intelligerentur pro ultima, ad ea, quae per Alex. & alios *in rub. ff. solut. matr.* adhuc minùs inferri posset ad descendentiam de qua in proposita difficultate, cùm descen-

descendentia, ut dictum est, detur per continuationem à suo principio, de quo agitur, vel alia similis ultima fuerit; & tamen quod non descenderit à Congregatione S. Augustini; aliud enim est militare sub Regula S. Augustini, & ad illum ultimo loco venire; aliud est esse de illis Clericis, seu Canonicis, seo ab illis descendere, præsertim ad effectum, de quo agitur; quia primum absque descendentia inducitur per assumptionem ejusdem Regulæ, & ejusdem professionis, in illis, qui de novo veniunt, & qui ad illam Religionem se transferunt. Quo casu ex tunc illius Regulæ, & religionis esse incipiunt, *cap. recolentes §. cæterum* & ibi Petr. de Anchar. *de statu Monachor.* sicut, & alii quamplures sunt, qui vitam, & institutionem B. Augustini susceperunt, ut tradit idem Petr. de Anch. *consil. 321.* qui non propterea descendentes dici possent ab illis; aliud verò, quod ad descendentiam pertinet consequimur à primo principio per continuationem, ut suprà dictum est, quæ nullo modo considerari potest in hac novella plantatione.

280 Quintò, & ultimo excluditur continuatio ex eo, quòd Civitas Hipponen. funditus à Vandalis fuit destructa, & ab Ecclesia ibi existens adversa cum suo Clero, ut testantur historici, quibus in similibus, credendum est præsertim in antiq. gloss. *in can. placuit 16. dist.* Bart. & ibi post alios Jas. *n 25.* Dec. *n. 21. in leg. 1. ff. si cert. pet.* quæ cùm numquam fuerit ædificata, frustrà quæritur de ipsius jure, aut præeminentia, Bald. *in cap. 1. vol. 3. de pact. consti.* Alex. *consil. 193. lib. 2.* & spatio 30. annorum Monasteria, & illius jura extincta esse præsumi dixit Bar. *in l. hæreditas ex die, ff. de hær. inst.* & per consequens non potest considerari descendentia per continuationem.

Nec obst. si dicatur, potuisse aliquos ex illis sub B. Augustini Regula venientes extare, penès quos conservari potuit eorum collegium, quod etiam in uno superexistente consistit, *l. sicut*, cùm ibi not. *ff. quod cujusque univ.* Alex. & alii in *l. si grege, ff. de leg. 1.*

Quia procederet, si constaret, aliquos evasisse, & Ecclesiam in continenti reædificatam fuisse sub suo capite, hoc est Episcopo, & hoc modo data fuisset continuatio, & fuisset eadem Ecclesia, & iidem Canonici, & in his terminis loquuntur, & leges, & Doct. allegati: cùm igitur defecerit Episcopus, & non probetur reædificatio cum eisdem qualitatibus, & quidem substantialibus, prout est habere pro capite Episcopum in Ecclesia Cathedrali, impossibile est considerare descendentiam, & quòd isti Domini adversarii sunt de illis.

Nec obst. allegata in contrarium, & primò dum dicebatur concurrere eamdem personam, rem, & causam; quia non possunt dici eædem personæ, ex eo quòd Canonici isti Regulares sunt Christiani inservien. Deo in communi; quia si hoc esset verum, omnes alii viventes sub Regula S. Augustini possent dici esse de illis, qui instituti fuerunt ab Augustino, & tamen hoc nemo dixerit, cùm eorum habeantur principia absque aliqua descendentia ab institutis à B. Augustino.

Præterea tunc ex identitate personæ infertur ad identitatem ejus, de quo agitur, quando est eadem persona in specie, ut contingit in *d. l. cùm quæritur, ff. de except. rei jud.* ubi requiritur, quòd sit eadem persona, cum qua actum fuerit, aliàs dicitur res inter alios acta, & non præjudicant, *c. quamvis, de rei jud. toto titulo, C. res inter alios acta*; & in terminis, consuluit Roman. *consil. 196.* ibi erant iidem homines universitatis, qui priùs solvebant illa onera, quæ hodie ipsimet solvere dicebantur.

Sed in casu nostro non sunt illimet in specie, qui instituti fuerunt ab Augustino, nec possunt dici iidem esse juxta terminos, *l. proponebatur:* quia ille text. procedit durante eodem corpore Collegii, vel Universitatis. Quo casu subintrantes conservant illud corpus, & propterea idem dicitur; hoc idem contingit in grege, ut trad. Bal. *in d. l. si grege, ff. de legat. 1.*

Sed si extinguatur in totum illud corpus, ut puta, Populi Universitatis, seu gregis, tunc non intrat subrogatio, quæ locum habet per continuationem temporis, & non dicitur idem, etiam si de novo constituatur, sicut dicimus de domo in totum destructa, & de novo ædificata, quòd non dicitur eadem domus; secùs si non in totum, ut dicit text. *in l. si ita §. fin. ff. de leg.* tradunt Doct. per illum text. *in l. inter stipulantem, §. Sacram. ff. de verbor. oblig.* Cùm igitur non constet de hujusmodi continuatione, sed potiùs constet de contrario; igitur dicendum est, non concurrere identitatem personarum.

Sed nec concurrit eadem res: quia Canonici, seu Clerici recepti à B. Augustino erant in Ecclesia Cathedrali sub Episcopo; & isti sunt in Ecclesiis inferioribus sub suis Prioribus, seu Præpositis, ex qua diversitate rei oritur etiam diversa conditio personarum, sicut etiam est diversa res, & causa, postquam sub Regula Augustini voluntariè Deo famulabantur, & isti ex professo, qui inducunt diversam juris determinationem, cùm professio mutet statum, voluntaria verò observantia trium votorum non immutet, Bald. *in in d. c. tum magistrum*, probatur in *cap. sicut, c. consulta, c. postulasti, de Regul.* & per consequens causa est diversa, ut notat in *l. & in ead. de except. rei jud.* trad. in *l. sæpè, ff. de re jud.*

Prout non obstat, quòd secundo loco dicebatur, identitatem probari ex nomine, & duabus concurrentibus demonstrationibus.

Quia respondetur, quòd quantùm ad nomen, non video, quòd sit idem, quia non invenio per ea, quæ hactenus legerim, quòd illi instituti ab Augustino appellarentur Canonici Regulares, sed Clerici ut *in can. nolo, & in can. non dicatis, & in can. certè, 12. q. 1.* tunc enim Clerici non Canonici Regulares appellabantur.

Nec concurrunt demonstrationes, nec respectu professionis, nec respectu habitus: & de professione suprà est dictum, de habitu statim dicetur, respondendo ad tertium fundamentum.

Sed etiam, quòd illæ demonstrationes cum nomine concurrerent, adhuc non intraret consequentia, quòd isti Domini Canonici Regulares essent de illis institutis à B. Augustino, & quòd ab illis descenderent.

Quia licèt B. Augustinus Clericos sub eadem vita ab Apostolis tradita, in Ecclesia Cathedrali Hipponen. receperit, non tamen sequitur, quòd alii, qui successivis temporibus auctoritate Sedis Apostolicæ eandem Regulam S. Augustini sunt amplexi, dicantur esse de institutis à S. Augustino, & quòd ab illis descendant, cùm aliud sit succedere, & aliud se submittere: &
propterea Canones, qui loquuntur de Canonicis Re- 281
gularibus, appellant eos Canonicos Regulares simpliciter, non autem dicunt Canonicos Regulares institutos à B. Augustino.

Non obstat tertium argumentum sumptum ab habitu: quia hujusmodi fundamentum est fallax, &
hinc solet dici, habitus non facit Monachum *in Auth.* 282
de Monach. §. 1. cum aliis trad. *in Clem. 1. de stat. Monach.*

Sed præsupposito, quòd ex habitu inferatur, non ob hoc infertur ad descendentiam; quia convenit, quòd assumentes Regulam, vel ad illam se transferentes, & in habitu, & in modo vivendi illam assumant, *c. recolentes, §. cæterum, de stat. Monach.* & ideò dicendum est, habitum Canonicos Regulares assumpsisse; quia se submiserunt Regulæ S. Augustini, non autem quia ab eo fuerint instituti. Et ideò dixit gl. *in Clem. 1. in vers. habitum, de elect.* quòd omnes

Canonici Regulares, qui profitentur Regulam S. Augustini; non autem dicit qui sunt instituti a B. Augustino; sed etiam respondetur, quòd non constat,
283 quòd instituti à B. Augustino gestarent istum habitum, & propterea Bergomen. *in suo supplem. Chronicarum lib. 9. fol. 210.* asserit non potuisse invenire, quo habitu instituti illi Clerici uterentur. Quapropter adversarii Canonici, qui sunt in causa, deberent concludenter probare illum antiquum habitum, ad hoc, ut inferre possent ad habitum, quem illi gestant, cum illo identitatem; & ideò videmus quòd multi profitentur Regulam S. Augustini, & non deferunt tunicam lineam, ut sunt fratres S. Mariæ Servorum, & alii, de quibus loquitur Petr. de Anch. *cons. 321.* & hoc non alia ratione, nisi quia non habetur certitudo habitus gestari soliti ab illis receptis & institutis à B. Augustino: adeò quòd minùs potest dici, quòd conveniant in habitu interiori, quòd dixit sufficere gloss. *in d. Clem. 1.* & per Doct. *in cap. Deus, de stat. Monach.*

Nec obstat quod dicitur de consuetudine in Urbe recepta; quia potest constare, quòd in processione fuerint positi in loco digniori, sed id factum fuisse ob aliam causam; quia quòd sint de institutis à B. Augustino, & quòd ab illo descendant, nullibi apparet; itaque potuit esse receptum alia ratione, & ideò non resultat, quantùm ad propositam difficultatem, concludens probatio: & per consequens non revelat, *cap. in præsentia, de prob.* cum simil.

284 Et eo minùs in tali consuetudine potest fieri fundamentum; quia consuetudo debet considerari in terminis suis. Jas. post alios *in l. de quibus secundo not. ff. de leg.* sed tempore Leonis fuerunt ita cœpti tolerari; quia dimissis scapularibus, & cappis magnis, cum ipsis rochettis, & bireto incedere voluerunt tanquam Clerici seculares, omisso habitu superiori suæ Regularitatis, quem habitum demittere non convenit.
285 Semper verò Regulares deferre debent habitum suæ Regulæ, & professioni conformem, *20. q. 1. can. vidua*, tradit Abb. *cons. 104. lib. 1.* si igitur illum non detulerunt, non possunt prætendere habere præeminen-
286 tiam, ut Regulares, & ut professi suæ Religionis: qui enim vult habere locum in processione, debet deferre habitum illi convenientem, ita dixit post Ant. de Butr. & alios quos alleg. Card. Alex. *c. Episc. 17. dist.*

Et propterea in omnibus Mundi partibus præferuntur Monachi Canonicis Regularibus, præterquam Cathedralis Ecclesiæ, & etiam fundando ex antiquis traditionibus Gregorii Papæ, & aliorum plenè trad. Jo. Baptista Caccialup. *in suo Cons. col. 7.* sumant igitur adversarii à consuetudine fundamentum, quando in process. detulerunt habitum, & hæc consuetudo erit contra eos, & sic retorquebitur arg.

287 Nec obstant literæ Eugenii IV. in quibus fieri video fundamentum magnum: quia verba narrativa in eisdem literis non probant, nisi ad effectum illius reductionis, & pro illius causa; sed ubi seorsum, & ad alium effectum contingat super narratis dubitari; tamen verba nullam faciunt probationem. Felin. post alios, quos refert, *in can. illud, col. fin. & cons. 539. col. 1.* Ruin. *cons. 157. n. 25. lib. 1.* Aym. *cons. 29.*

Nec dicatur, quòd simus in antiquis, & propterea verba narrativa probare debeant; quia nos non sumus in antiquis considerando tempus motæ litis, quod fuit tempore Sixti IV. ut mihi in facto præsupponitur, quo tempore non erant elapsi tot anni quot requiruntur ad inducendum antiquitatem ad ea, quæ Innoc. & alii trad. *in c. veniens, de verb. signific.* & tunc in non antiquis non statur assertioni Principis super facto alieno: etiam quòd super tali facto fundetur sua intentio in præjudicium tertii, Anch. *in Clem. 1. de probat.* quod dictum refert & sequitur Alex. *cons. 112. col. 1. vers. accedit, lib. 6.* Aret. *in cap. cum à nobis, de test. & in consil. 163. col. 3.* Dec. *consil. 198. col. fin.* Corn. *consil. 22. col. 3. lib. 3.*

Nec obstat Clausula, *Ex certa scientia*, ob quam 288
videtur, quòd opponi non possit; quia illud procedit in iis, quæ in jure consistunt, non autem de his, quæ consistunt in facto, & præsertim in antiquo:
quia tunc talis clausula non operatur Bald. *in l. fin Cod.* 289
sententiam rescin. non posse, Alex. *cons. 135. in fin. lib. 2.* tradit post alios, quos allegat Dec. *in cap. ad hæc, col. pen. n. 5. vers. præfata conclusio, de rescript.*

Quæ eo magis procedunt, quò ea præsupponuntur in dictis literis, sive enunciativè, sivè dispositivè dicta esse velimus, minùs vera esse ostendantur, quia dum Eugenius loquens de Canonicis Regularibus dicit: [Hi sunt qui primò Christianæ Religionis Clericorum normam, & instituta sectantur, & hujus profectò sancti Ordinis, & sancti propositi post Sanctos Apostolos Marcus Petri Discipulus fuit institutor & conditor:] videtur, quòd immo Ordo Monachalis temporibus illis designatis ab Eugenio initium habuerit, ut latè insistens ex multis trad. Cassan. *de gloria mundi in 4. part. consid. 12.* quinimo, & S. Augustinus vitam Monasticam insecutam fuisse, antequam so cum illis Clericis in Eccl. Hipponen. Episcopus, & Presbyter factus recepisset, ut ipsemet testatur *in suo serm. de commun. vit. Clericor.* & trad. Bergom. *in suo supplemento, suprà allegato*, & sic apparet longè post fuisse Canonicos Regulares, & de antiquitate Monachorum, & tempore Apostolorum, & subsequenter in Alexandria sub Marco, habetur apud Cassian. *lib. collation. suarum, collation. 53. c. 1.* quibus temporibus nullibi legitur, quòd Canonici Regulares habuerint initium, sed benè legitur, quòd post multa tempora suum traxerunt principium, ut puta de anno 118. à S. Ruffo, ut trad. Abb. Joachin. *in exposit. Apocalyps.* & Bergom. *in eod. supplem. lib. 12. fol. 270.* sed his, & similibus, prætermissis, quæ adduci ad idem possent per veros juris terminos, videtur tolli omnis difficultas, quia dato, quòd ex verbis Eugenii colligatur, quòd Canonici Regulares, qui sunt in causa, instituta illius sancti Ordinis sectentur; non sequitur, quòd succedant ex illis, qui ab initio nascentis Ecclesiæ fuerunt: sed quòd ipsi sint hodie ad illorum exemplum, seu imitationem, ut consideravit Colleg. Bonon. in suo *cons. fol. 20. vers. & post hoc satisfactum est.*

Præterea ex alio non videtur, quòd à verbis illis possit argui ad effectum, de quo agitur; quia sanctus iste Ordo vivendi in communi, qui & tempore Apostolorum, & tempore Marci, quando erant illorum credentium unum cor, & una anima, vigebat, ut legitur in Act. Apostolor. *c. 4. d. c. scimus, 12. q. 1.* convenit etiam Monachis; & ex vi prædictorum verborum non excluditur, quin & ipse Ordo caperet etiam Monachos, cùm sub illo modo vivendi, tunc etiam status Monachorum existeret: unde non est dicendum, quòd Eugenius narraverit, & exclusivè ad Monachos, qui & tunc recepti probantur, & quibus ille sanctus Ordo primis illis temporibus conveniebat: Et propterea non potest inferri ex verbis Eugenii, quòd Canonici Regulares magis descendant ab illo Ordine, quàm Monachi, & quòd ideo sint præferendi, & hæc interpretatio recipi debet quia per eam præservatur jus tertii, cui non est credendum Eugenium voluisse præjudicare, *c. super eodem, de offic. deleg. l. 2. §. si quis à Principe, §. meritò, ff. ne quid in flu. publ.* cùm præsertim super eo non ageretur, ut meritò verba in literis prædictis non debent præjudicare veritati, quæ ex aliis quamplurimis fundamentis deducitur.

Ex quibus omnes DD. tenuerunt venerab. Mona- 290
chos S. Benedicti præcedere debere, & ex communi Doctorum sententia controversiam hanc decisam esse constat; & Auctores istius communis sententiæ referuntur

runtur in Conc. Colleg. Paduan. *col. 2. verf. in hanc sententiam*. Et ultrà adductos, eam attestantes communem sequiturDec. *in cap. avaritiæ, de preben.* quam sententiam sequitur Card. ibi, *cùm præsertim sint Monachi Clerici; quinimmo, quòd plus est, ad Clericatum fuerunt admissi longè ante B. Augustinum, c. doctos, 16. quæst. 1.* cùm tempore Nicæni Concilii, qui fuit anno 310. & sic ante Augustinum, qui fuit de anno 347. idem tenet Præp. Alex. qui postea Card. fuit Archid. Dom. & Card. S. Sixti *in cap. Episcopos, 17. dist.* Bonif. Vital. qui fuit Rotæ Auditor *in rub. de reg.* in Clem. Boër. *in suo tract. de auct. mag. Concil. n. 85.* qui alios adducit, Cassian. *attest. commun. in suo catalogo 4. parte, considerat. 13.*

Et quamvis hujusmodi opinio firmetur pluribus fundamentis, & non in eo tantùm consistat, quòd dicatur Monachorum institutio priùs auctoritate Apost. comprobata; tamen quando & in hoc constaret, Doctores, & communiter tenent; de priori comprobatione trad. post alios And. Sic. *in rub. de major. & obed.*

Cùm igitur communis opinio legi expressè non contradicens, habeat vim legis, *l. si idem eum eod. ff. de jur. jud.* & ibi Ang. & alii not. & per omnes *in l. ff. si cert. pet.* trad. Ost. *in c. inquit, de pecu. Cleric.* non est ab ea recedendum, *c. innotuis, de constit.* & trad. Bat. *in l. fin. C. de pæn. Jud. qui mal. jud.* & hoc videmus à Jurisconsultis servatum esse *l. 1. ff. de off. quæst.* ibi, *crebrior sententia.*

Quæ quidem communis sententia non solùm ex numero Doct. attendenda est, & servanda; verùm etiam ex eorum auctoritate, & gravitate, quòd maximè attendendum est, ut dixit Alex. *conf. 212. col. fin. lib. 7.* & tradit Sam. *in proœmio regul. q. 1. n. 10.* & eò magis inhærendum est huic communi sententiæ, cùm paucos, vel nullum habeat contradictorem; & cùm eam tres Cardinales doctrina, & integritate insignes, secuti fuerint, speramus, quòd Illustrissimæ, & Reverendissimæ D. V. in pari num. existentes tanta doctrina præditæ, animo integro, & approbatissi. judicio omnia gravia istius S. Sedis negotia submittuntur, à tam probata, & recepta opinione non recedant.

M. Antonius Burghesius Sacr. Aul. Consist. & pauperum Advocatus.

Pro eisdem Monachis scripserunt etiam Onufrius Camajanus Aternus Sacræ Aulæ Consistorialis, & Fisci Advocatus, & alii. Quibus scriptis visis, & pluribus aliis pro utraque parte adductis, Illustrissimi Cardinales deputati relationes suas Pio Papæ IV. præsentarunt in hunc qui sequitur modum.

Relatio Illustrissimi, ac Reverendissimi S. R. E. Cardinalis Joannis Baptistæ Cicadæ tit. Sancti Clementis, coram Sanctissim. D. N. Pio Papa IV.

Sanctissime Pater.

291 IN causa præcedentiæ inter Canonicos Regulares & Monachos S. Benedicti, in primis fuit dubitatum, an dicti Canonici censeantur esse de illis, quos B. Augustinus instituit, & conclusum fuit pro parte affirmativa, præsupponendo in primis, quòd tempore primitivæ Ecclesiæ, Apostoli instituerunt Clericos, & Presbyteros, ut habetur *in can. 1. in fin. 12. dist.* & tradit latè Aug. de Ancona *in tract. de pot. Eccles. q. 104. arg. 1. vers. respondeo*; & post Apostolos B. Marcus illos primus instituit in Civitate Alexandria, ut refert Cassian. *in lib. de inst. Monachorum.* Postea succedente tempore, cùm B. Augustinus videret disciplinam Clericalem jam relaxari, ut retineretur symbolum vitæ Apostolicæ, & Clericorum, antiquorum, instituit Collegium Clericorum Regularium; prout de hoc sunt multa jura *in Decreto, 12. q. 1.* & refert B. Th. *2. 2. q. 189. art. 8. ex istis Clericis q. 189. artic. 8.* Ex istis Clericis Regularibus propagatus est Ordo Canonicorum Regularium, prout tenet S. Th. *in loco supra allegato.* Vinc. *in speculo doctrinali, lib. 18. cap. 16.* ubi inquit: *Ordo Canonicorum Regularium primò ab Apostolis, postea à B. Augustino Regulariter fuit institutus; & in speculo historiali, lib. 16. cap. fin.* inquit: *Augustinus factus Sacerdos Monasterium Clericorum instituit, & cœpit vivere secundùm Regulam sub Sanctis Apostolis constitutam.* B. Antoninus *in 2. part. sua Chronica, tit. 15. cap. 16. §. 7.* Volat. *lib. 21. eum.* ibi, *Ordo Canonicus non tam ab Augustino institutus, quàm renovatus; ab Apostolis enim sumpsit exordium.* Fasciculus temporum *in 6. ætate*; ubi inquit: *Ordo Canonicus cœpit reflorere in Ecclesia Belvacensi, tempore Ivonis, & Ruffi.*

Item fatentur Pontifices Benedictus XII. in sua *extravaganti*, quæ refertur inter *Constitutiones Canonicorum Regularium.* Idem Eugenius IV. in Bulla producta, quæ judicio meo fidem optimam facit. Nam cùm materia posset dici dubia, standum est in dubiis determinationi Papæ, *c. in literis, de rest. spol.* Joan. Andr. *in c. dilecto, de preb.* & dicit S. Thom. *2. 2. art. 12. q. 21.* quòd in decisionibus causarum magis standum est auctoritati Papæ, quàm cujusvis alterius, etiam S. Doctoris.

Nec obstat, quòd verba Bullæ videantur enunciativa; quia, judicio meo, sunt dispositiva, & in modum causæ. Nam Papa asserit velle restituere templum Lateranen. istis Canonicis, à quibus olim regebatur, & quòd fuerunt amoti à Bonifacio; & ideò restituit iis, ut in eo retineatur symbolum vitæ Clericorum, quæ vigebat tempore Apostolorum, & quam Augustinus divinis Regulis decoravit; affirmando, quòd ab illis Canonici in Ecclesia Lateranensi, per eum introducti, processerunt: & sic propter istam causam disponit. Quo casu assertio hujusmodi probat, & fidem facit, Bart. *in l. emptor. §. ancilla, de rei vendic.* Alexand. *conf. 46. col. 2. vol. 1.* Jason. *in l. ex his, n. 1. C. de mil. test.* Dec. *in l. si quis in conscribendo n. 4. C. de pactis.*

Secundò facit, quia Bulla emanavit motu proprio, & ex certa scientia, quo casu fidem facit, Alex. *conf. 112. vol. 7.* Soccin. *conf. 87. vol. 3.*

Tertiò, quia in omnem eventum transfert onus probandi in adversarios, etiam quando agitur de facto tertii, ut est gloss. *in Clem. literis, de probat.* sed per adversarios nihil est probatum, saltem concludenter: ergo, & præsertim, quia declarationem Eugenii sequuntur Nicolaus V. & Sixtus IV. Item quia summa in antiquis annorum centum, & ultrà: quo casu narrativa Papæ fidem facit, latè per Rimin. *de antiquit. temp. part. 1.*

Ulteriùs; quòd isti Canonici descendant ab illis, probatur sufficienti partium enumeratione. Et primò quia conveniunt in nomine: nam sicut illi vocantur Clerici, ita, & isti; & licèt quandoque vocentur Canonici, tamen idem sunt, & promiscuè jura utrumque nomen illis attribuunt, ut habetur *in can. nolo, 12. q. 1. & in can. certè, & in can. observandum, 15. quæst. 2.* ubi prohibetur, Clericos munera suscipere, & Grat. declarat intelligi de Canonicis Regularibus, & *in can. in omnibus*, junct. gl. *in ver. ut Canonici, de consf. dist. 5.* ubi text. loquitur de Canonicis, & Clericis in communi viventibus, & gl. intelligit de Canonicis Regularibus, facit text. *in c. cùm causam, de elect.* ubi simpliciter nominat Clericos, & tamen loquitur de viventibus sub Regula S. August. & *in c. dilecto, de judic.* ubi semel dicit *Prior, & Clerici*, & postea dicit, *Prior, & Canonici*; ad idem *c. quoniam, de vit. & honest. Cler.* junct. gl. *in ver. Clericos*, & patet, quia

Regula

Regula ipsa Canonicorum Regularium inscribitur, *de communi vita Clericorum*, & quòd illi antiqui Clerici vocarentur etiam Canonici, est text. cum gl. *in can. in omnibus; de consec. dist.5.* cum simil.

Secundò probatur identitas ex habitu lineo ab ipso Deo instituto, ut habetur Exod. *cap.28. & 39.* Et quod Apostoli usi fuerint habitu lineo, habetur in Hist. S. Sylvest. *de S. Euphrosyno*, qui Romam venit indutus collobio candido, quod fertur fuisse S. Jacobi Apostoli, & in Apoc. legitur de Sanctis, qui ambulabant in albis lineis, & *ibi* not. Nicol. de Lyra, & ita instituit August. Clericos suos deferre debere, & patet *in sermone suo*, qui incip. *Charitas vestra*, ubi dicit, *birrum, & tunicam lineam nemo accipiat, nisi in communi*; prout etiam hodie Clerici, ac Presbyteri, & Prælati utuntur vestibus lineis, & hic est habitus proprius Canonicorum Regularium, ut gl *in Clem.1. in verb. habitus. de elect.*

Nec obstat, quòd super habitu lineo deferant cappam; quia intenditur habitus interior, & non exterior, ut per gloss. *ibi*, & per Imol. *n.29.* & per gloss. *in Clement. ne in agro, §. statuimus*, ibi, *proxime*.

Tertiò probatur identitas, etiam ex professione. Et primo, quia vivunt in communi, prout vivebant tempore Apostolorum, & tempore ipsius Augustini, ut habetur *in can. nolo, & in can. non dicatis, 12.q.1.* & tradit Urbanus Papa *in can. videntes, eadem caus. & q.* & habetur *in can. præter hæc, 32. dist.* Abb. *in c. Deus qui, de vit. & honest. Cler. & in cap. Episc. de præb.* Præpos. *in can. 1.44. dist.* Barbat. *de præstantia Cardinalium, q.6.* Nec obstat text. *in c. certè n.1.* ubi Augustinus videtur Clericos volentes tenere proprium; quia verum est, quod tolerat Clericos viventes extra Collegium, non autem in societate sua, ut dicit expressè *in d. c. nolo*, & clariùs *in can. seq.* ubi dicit, quòd viventes in sua societate omnibus renunciabant, & voluntatem abnegabant: ex qua abnegatione probatur etiam votum obedientiæ, quod nihil aliud est, quàm negare propriam voluntatem, & voluntati alterius parere, ut tradit August. de Ancona *in d. tract. de pot. Eccl. q.91.* de voto etiam castitatis non est dubitandum, ut per August. *in 2. serm. de communi vita Clericorum.* ubi inquit, quòd Clericus professus est sanctitatem, & Clericatum, per quod verbum, *sanctitatem*, intelligitur de castitate, ut per Aug. de Ancona *in d. q. art.3.* Et licèt tempore Augustini non fieret fortè professio formalis, prout hodie fit; tamen satis est, quòd in substantia, & quoad effectum idem faciebant, ut dicit S.Th. *in 4. sententiarum, dist.98. art.2. q.3.* ubi inquit, quòd antequam essent istæ Regulæ, quæ modò sunt, erat similis modus vivendi, qui hodie reductus est ad Regulam, & tradunt Joannes de Turrecrem. *17. q.1. in summa*, & Præd. *in can.1. 43. dist.*

Quartò, probatur identitas ex nomine, & qualitate Prælatorum dicti Ordinis, qui propriè sunt Presbyteri, & Præpositi, ut dicit Aug. *in speculo, & in d. can. non dicatis, 12. quæst.1.* nam licèt hic Ordo Canonicorum Regularium habeat aliquos Abbates, hoc fuit per accidens; nam regulariter non habent Abbates, sed Præpositos, & Priores, ut declarat Innoc. *in c. cum titulorum*, per illum text. *junct. cap. Monachi, de sent. excomm.*

Et licèt multæ fuerint factæ reformationes istius Ordinis per diversa tempora; per hoc non tollitur substantia, & identitas ipsius, juxta *l. apponebatur, de jud. consf. Rom.198.*

Nec obstat etiam, quòd in Bulla Eugenii dicitur, de novella plantatione apud Frisonariam; quia intelligitur de ultima planta, propter reformationem ibidem factam dicti Ordinis, ab iisdem; non autem, quòd novus Ordo fuerit institutus in d. loco; quia apparet ex Bull. Alex. IV, & Greg. X. quòd ante trecentos annos erat Ordo Canonicorum Regularium in dicto loco de Frisonaria.

Ex quibus, & multis aliis conclusum fuit, moderhos Canonicos descendere ab illis, quos B. Augustinus instituit.

Secundò principaliter dubitatum fuit; Posito, quòd Canonici moderni censeantur esse de illis, quos instituit B. Augustinus: An debeant præcedere Monachos S. Benedicti; & conclusum fuit similiter pro parte affirmativa.

Primò propter antiquiorem institutionem ipsorum factam à D. Augustino, qui fuit longè ante Benedictum, quæ institutio in materia præcedentiæ attendi debet, juxta gloss. *in cap. quorumdam, in verb. Prædicatorum, de elect. lib.6.* & clariùs apparebit ex infrà dicendis.

Secundò facit approbatio dicti Ordinis Canonicorum Regularium, quæ deducitur tacitè, & expressè. Tacitè, quia omnes Regulæ ante Concilium Lateranen. censebantur ipso jure approbatæ, *cap. fin. de Relig. dom.* & notat gl. *in verb. præcessit, in c. unico, §. pen. eod. tit. lib.6.* pro quo etiam est text. *in can. parcimoniam*, ubi notat *omnes 41. dist. & in l.1. de Collegus illicitis*, quæ licèt sit lex civilis, tamen debet servari in foro canonico, nisi contrarium reperiatur de Jure Canonico decisum, juxta tradita *in c.1. de novo oper. nunc.* Item censetur approbata Regula ante Regulam Benedicti, cùm fuerit instituta ante illam per centum annos, & ultrà. Per quod tempus præsumitur titulus, juxt. *l. hoc jure, §. ductus aqua, de aqua quot. & est cap. super quibusdam, §. Præterea. de verb. sign.* Item, quia Ordo hujusmodi fuit institutus per Episcopum, & sic per Ordinarium, aut non reperiebatur prohibitus ante d. Concilium *d. cap. fin.* ergo, &c.

Præterea dicitur, Ordinem hujusmodi fuisse expressè approbatum ante Ordinem Benedicti per Gelasium *in can. sacrosancta 15. dist.* ubi approbantur in genere omnia opuscula Augustini, inter quæ est ipsa Regula Canonicorum: ergo censetur approbata ab ipso Gelasio, qui Gelasius fuit filius Valerii Episc. Hipponen. qui ordinavit D. Augustinum, & in successorem elegit. Ulteriùs, cùm negari non possit Ordinem hujusmodi fuisse approbatum, saltem per Innocentium II. *in can. perniciosa, 18. q.2.* hujusmodi actus, qui à principio validus erat, (ut suprà probatum fuit) trahitur ad tempus ipsius institutionis, ac si tunc confirmatus fuisset, ut est doctrin. Bald. *in l.1. C. de testam.* latè Parif. *consf.19. n.37. lib.1.*

Tertiò principaliter deducitur dignitas, & præcedentia Canonicorum ex Clericatu, quem habent annexum originaliter, *can. nolo, can. non dicatis, & can. certè*, cum simílib. *12. q.1.* quia non potest esse Canonicus, qui non sit Clericus, not. Abb. *in cap 2. de inst.* Et quòd isti Canonici fiant Clerici ab initio, tradit Archid. *in can. mandamus, 19. quæst....* & B. Thom. *2. 2. q.189. art.8.*

Monachi verò ex sua institutione erant laici, *C. de Episc. & Cler. l. generaliter*, canonizata *in can. generaliter, 16. q.1.* quinimo de jure non poterant clericari, ut notat Præpos. *in can. priscis 55. dist. & in can. requisitum, q.7.* nisi ex causa necessitatis, ut *in d. can. priscis, & in can. moderamine, & in can. ex auth. 16. q.1.* quia alia causa est Monachi, alia Clerici: Monachi enim officium est plangentis, Clerici vero docentis, *can. hinc est, & can. Monachus, can. alia causa, 16. q.1.* & indè dicitur, quòd vix optimus Monachus facit Clericum bonum, *can. legitur, ead. caus. & quæst.* & ideo scribit Hieronymus ad Ruffum: *sic vive in Monasterio, ut Clericus esse merearis, can. sic vive, 16. q.1.* & quòd Monachi essent laici, & non Clerici, patet quia solvebant decimas prout cæteri laici; gloss. *in c. ex parte il 1. in verbo, laborum, de decimis.* Et licèt hodie Monachi fiant Clerici, Clericatus hujusmodi competit eis per accidens, & non originaliter ex institutione, prout competit

petit Canonicis, ut dicunt D. Th. & Abb. *in locis præalleg.* Ex quo sequitur, quòd causa naturalis attendi debet, & prævalet causæ accidentali, ut not. Bart. *in l. 3. ff. de tut. & in l. fin. de offic. Proconf. & leg.* & ista antiquior ordinatio circa præcedentiam attendi debet, ut not. Abb. in term. *in c. statuimus, col. 2. vers. nota ex prædictis, de major. & obed.* ubi dicitur, quòd tanta debetur reverentia Ordini; quòd olim, quando Monachi non erant Clerici, simplex Clericus præferebatur Abbati, juxt. *can. à Subdiacono 93. dist.* & propterea non obstat, quòd hodie Monachi sint arctioris vitæ, & ideò fiat transitus ex Canonicis ad Monachos, quia circa præcedentiam non attenditur comparatio meritorum, sed Ordinum, ut not. Gemin. *in cap. quamvis, §. quamquam, n. 3. de præb. in 6.* Decan. *in cap. 2. col. 3 de re jud.* Felin. *in cap. postulasti, col. 2. de rescript.* prout patet in Mendicantibus, qui licèt sint Clerici, & arctioris vitæ, tamen postponuntur aliis. Et quia privilegium Clericatus concessum Monachis ex post facto, debet intelligi sine præjudicio alterius, vulg. *l. 2. §. meritò, ne quid in loco publico, cap. quamvis, de rescript. in 6.*

Nec obstat huic fundamento Clericatus, quòd dicitur ab aliquibus, Canonicos Regulares non debere gaudere privilegio Clericorum; quia non sunt simplices Clerici: quia privilegium videtur remansisse penes Clericos seculares, qui ipsos Regulares præcedunt. Nam ut dicit Augustinus *lib. 9. Confessionum, & in sermone*, qui incipit *Charitatis vestra*, Clerici omnes originaliter vivebant secundùm vitam Regularem; & cùm inciperent vitam hujusmodi relaxare, instituti sunt Canonici Regulares per August. juxta priorem vitam; ad retinendum illius symbolum, Clerici verò, qui non servabant Regulam, vocati sunt seculares, quasi participantes de Regulari quoad Ordinem, & de seculari, quoad vitam, ut dicit gl. *in cap. licèt in corrigendis, in vers. seculares, de offic. Ord.* & ibi declarat Abb. *col. fin. n. 5.* Præpos. *in can. 1. col. 34. in fine ver. tertium tempus 44. dist.* post Ostien. *in summa, de vit. & honest. Cler. §. à quibus in princ.* Et ideò B. Augustinus vocat Clericos seculares claudos, tanquam claudicantes, & vitam tectam Clericalem non tenentes, *in can. certè, 12. q. 1.* Ex quo infertur, quòd Canonici Regulares, qui servant antiquam Regulam Clericorum, verè illis succedunt, & digni sunt majori laude, cùm perseverantes in bono dicantur esse melioris conditionis, quàm ab eo deviantes, *can. si ex bono de pœn. dist. 4. c. cum qui, de præb. in 6.* & licèt Clerici seculares hodie eos præcedant, hoc procedit, quia sunt sub Episcopo, & sic ratione capitis *arg. cap. quamvis il 2. de præb. lib. 6.* Nam membra sequuntur caput, *c. non liceat, in princ. de præscript.* Et ideò si Ecclesia Cathedralis esset Regularis, prout multæ sunt, Canonici Regulares illius Ecclesiæ præcederent quoscunque Clericos, ratione capitis, prout servatur in practica.

Quartò principaliter deducitur præcedentia Canonicorum ex dignitate instituentis, id est Augustini, qui fuit non solùm magnus Episcopus, ut dicit text. *in c. 1. de obl. ad ratio.* sed etiam solemnis Ecclesiæ Doctor, & secundus post Apostolos, ut habetur *in cap. unico, §. sic alma mater, de reliquiis, & veneratione Sanct. lib. 6.* Et non est dubium, quòd ordinatus à majore præfertur, etiam si sit posteà ordinatus *c. per tuas* ubi Abbas, & alii notati, *de major. & obed.* Ideò dicunt, quòd ordinatus à Papa, licèt posteriùs, præfertur ordinato priùs ab Episcopo, facit *c. quia sæpè, §. 2. de præb. in 6.* Benedictus verò fuit simplex Abbas, quod est nomen sollicitudinis, & non dignitatis, ut est gloss. *in c. tuam. in verb. non ascendant, de ætat. & qualit. & in can. accedens in ver. Abbatem 50. dist.* & competit etiam cuilibet Præposito Collegiorum secularium, & artium vilium, ut tradunt Alciat. *in l. Collegiorum, de verb. signific.* & ideò in Ecclesia postponitur Ostiario, & aliis in minoribus Ordinibus constitutis *can. à Subdiacono 93. distinct.*

Nam dignitas, & privilegium Abbatum nostri temporis, eis competit ex speciali privilegio Sedis Apostolicæ *de privil. lib. 8.* potest concedi hujusmodi privilegium, prout sæpissimè concessum fuit, & conceditur etiam Prioribus, non habentibus superiorem ut notat. gl. *in c. Abbatem eod. tit. & lib.* quia istæ Prælaturæ, quando sunt in capite, æquiparantur *c. 2. & c. cùm illorum. de sent. excom.* cum gloss. *in verb. Abbatem*, ubi notant omnes, & propterea non obstat, quod dicitur, Monachos videri digniores, quia habent Abbates naturaliter, Canonici verò per accidens, ut videtur dicere Innoc. *in d. cap. cùm illorum, in verb. Abbatem*, quia Abbatia per se nihil est, sed dignitas provenit ex post facto, eo tempore, quo etiam Canonici habuerunt, prout habent multos Abbates, & majores Prælatos; licèt habeant etiam Archipresbyteros, Priores, & prout etiam novissimè multi Priores erant apud ipsos Monachos, ut *in c. in singulis & c. ea, quæ de stat. Monach. c. fin. de Capellis. Monach.* Et quòd Canonici habeant multos Abbates habetur *in d. cap. Monachi, & c. cùm illorum, & in c. intelleximus, de ætat. & qualit. & c. cùm I. & A. de re judic. cap. significasti, il 2. de homic.* cum infinitis similibus.

Unde cùm supervenerit dignitas à Sede Apostolica Abbatibus omnibus æqualiter censetur concessa; quia una determinatio respiciens plura determinabilia, ea parifomiter determinat, vulg. *l. jam hoc jure, de vulg. & pupill.* Ideò cùm ad hoc sint pares in dignitate, videretur servanda antiquitas in promotione, prout fit in Episcopis, *arg. l. 1. C. de consul. lib. 12.* Doctor. *in l. 2. priùs, de vulg.* Boër. *ord. grad. n. 5.* vel ratione Ord. Canon. essent præferendi.

Quintò principaliter pro Canonicis facit consuetudo Urbis, in qua Canonici præcedunt, & quæ consuetudo Urbis potissimum debet attendi in istis præcedentiis, ut dicit Bald. *in c. cùm olim, in princ. de consuet.* Præpos. *in can. Episcopus 17. dist.* Decan. *in c. Clericis, de judiciis, & in c. avaritia de præbendis*, ubi arguit per hoc, quòd Monachi debent præferri Canonicis, quia in Urbe præcedunt, quod est falsum: & ideò facit in contrarium.

Unde non videtur attendenda communis opinio Doctorum esse in favorem Monachorum, cùm non sit fulcita Juribus, & rationibus, ut dicit August. *in can. ego solus 9. dist.* & Doct. *in cap. 1. de constit.* cum similibus.

Postremò fuit dubitatum; cùm in Concilio Tridentino reperiantur Abbates Congregationis Lateranen. Canonicorum Regularium, & Congregationis S. Benedicti, qui debeant præcedere: Et videbatur, quòd Lateranen. præcedere deberent; nam stante conclusione superiùs firmata in favorem Canonicorum Regularium; cùm Abbates ipsi admittantur in Concilio tanquam repræsentantes suam Congregationem, & non ex propria persona; quod ex eo patet, quia tres ipsorum tantùm, non autem omnes admittuntur; quia sunt Abbates temporales, & non perpetui; & quia tres insimul constituunt unum votum tantùm. Videbatur inquam ex hoc inferri, quòd deberet attendi dignitas ipsius repræsentati, sicut videmus in legatis Principum in quibus non attenditur dignitas legatorum, sed ipsorum Principum: ut per Mar. Laur. *in tract. de legatis Principum quæst. 27.* cùm similibus.

Ex adverso tamen consideratum fuit, quòd isti Abbates non admittuntur in Concilio simpliciter tanquam legati; quia si non essent Abbates non admitterentur: ideò cùm in eis consideretur propria qualitas Abbatialis, resolutum fuit, quòd circa præcedentiam habeat in eis servari ordo, qui servatur in Abbatibus

perpetuis, & in Episcopis; ut scilicet attendatur antiquior promotio ad Abbatiam, juxt. trad. *in can. Episcopos 16. dist. in can. fin. 75. dist.* cum similibus, prout alias, licèt per modum provisionis, per Sanctitatem V. providè scriptum fuit.

Relatio Illustrissimorum, ac Reverendissimorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Jo. Michaelis Sarraceni, tit. Sanctæ Anastasiæ, ac Bernardi Scotti Tit. S. Matthæi.

Sanctissime Pater, pedum post oscula beatorum.

292 CAusa præcedentiæ inter Canonicos Regulares Lateranen. Ordinis S. Augustini, & Monachos Congregationis Casinen. Ordinis S. Benedicti, jam inde à tempore Innocentii VIII. anno 1489. controversa, ac ventilata fuit, multaque hinc inde emanant consilia, & responsa celeberrimorum Doctorum, & Collegiorum Italiæ, ex quibus difficilis, & ardua facta est hujusmodi quæstio. Utra scilicet ex dictis Congregationibus alteram præcedere debeat. Cumque eadem causa jampridem à Sanctitate Vestra nobis delegata fuerit, primò audienda, secundò verò referenda. Nos ut par est Sanctitati vestræ obtemperantes, relationem in his scriptis prout ore tenus eadem Sanctitas Vestra injunxit, facimus.

Auditis siquidem multoties partibus, & his, quæ hinc inde allegata sunt diligenter examinatis: primò dubitatum inter nos fuit, an ex deductis constaret Canonicos Regulares, qui sunt in causa, descendere à Clericis sive à Canonicis Regularibus, quos instituit B. Augustinus, vel de illis esse censeri. In quo articulo conclusum per nos fuit pro parte affirmativa.

Rationes ita decidendi, præter alias, fuerunt: Primò text. *in can. nolo, & can. non dicatis, & in can. certè 13. quæst. 1.* in quibus juribus B. Augustinus præcepit Clericis, qui cum eo vivere velint, ne quid proprium habeant, sed omnia in communi, cum ipsa Ordinis susceptione, non solùm facultatibus, sed voluntatibus propriis se subdiderint: quæ qualitates omnes maximè conveniunt his Canonicis Regularibus, qui, & ipsi sunt Clerici, & Ordinis S. Augustini, ac in communi omnia possident, obedientiam quoque sub Regula B. Augustini profitentur. Meritò igitur de illis sunt censendi, talia enim sunt subjecta, qualia prædicata demonstrant *l. fundum instructum, ff. de fundo instructo*; & ad probationem identitatis sufficit concursus duarum qualitatem, *l. forma. ff. de censi.* per Bart. *in 1. demonstratio, col. penult. de cond. & demonstr.* Secundò hanc conclusionem nostram confirmat Bulla quædam Eugenii IV. in actis producta, pro parte Canonicorum Regularium, quæ dirigitur Canonicis ipsis Regularibus, qui tunc temporis erant in Monasterio S. Mariæ de Frisonaria, illosque Eugenius appellat sub his verbis: *Divinam in terris familiam Clericorum, qui vitam religiosam ducerent, & ad exemplum nascentis Ecclesiæ, Sanctam servarent institutionem Clericorum, quos Canonicos appellamus.* Et paulò post: *Hujus profectò Sacri Ordinis, & sancti propositi post Sanctos Apostolos Primus in Alexandrina Ecclesia Marcus Petri discipulus fuit institutor, & conditor, & gloriosus Doctor Augustinus eos divinis Regulis decoravit.* Ex quibus verbis Eugenii arguitur manifestè istius Ordinis antiquitas, & institutio: & licèt ea verba prolata sint à Papa enunciativè, & quæ concernant factum alienum, tamen negari non potest, quin præsumptionem in antiquis inducant, quæ saltem transferat onus probandi contrarium in adversarium, juxta not. per gloss. pen. *in cap. nonnulli, §. fin. de rescript.* ubi Abbas dicit, illud esse quasi commune dictum, & in practica solere servari, & est gloss. *in Clem. literis, in verbo, fecisse narramus*, ubi Paulus de Leaz. & Jo. Imol. & traditur per Federic. de Senis *consil. 27.* Tertiò non parvi momenti sunt auctoritates Historicorum, quibus in parte, cùm de antiquis factis dubitatur, credendum, *l. septimo mense. ff. de stat. hom.* qui testantur, istos Canonicos Regulares à B. Augustino institutos fuisse cùm in Ecclesia Hipponensi esset Episcopus. Ex his itaque juribus, ac rationibus firmata fuit inter nos conclusio, quòd Canonici Regulares prædicti censeantur esse de illis, quos B. Augustinus instituit.

Secundo loco dubitatum est; præsupposito, quòd Canonici Regulares, qui sunt in causa, censeantur de illis, quos B. Augustinus instituit; An ex hoc inducatur, quòd debeant præcedere Monachos S. Benedicti, qui similiter sunt in causa; & in hoc quidem dubio, in quo clavus totius causæ vertitur, post multa facta fuit per nos resolutio, quòd in processionibus, cæterisque actibus publicis, Canonici Regulares, ac eorum Abbates, & Prælati dimissa superiori veste, seu cappa, retenta linea, & in Clericali habitu incedentes more Clericorum secularium præcedere, præferrique debeant Casinen. Monachis. Rationes ex multis potissimæ hæ fuerunt, quæ nos, ut ita attestaremur, induxerunt. Prima ratio fuit, quia Canonicis Regularibus competit essentialiter Ordo Clericatus, & per se sunt Clerici, ut probatur *in prææallegat. can. nolo, can. non dicatis, & can. certè 13. quæst. 1.* in quibus juribus hoc est expressum. Non idem autem est in Monachis, qui non essentialiter, nec per se, sed per accidens sunt Clerici, probatur *in can. à Subdiacono 93. distinct.* ubi Monachus, quinimmo & Abbas postponitur quibuscumque Clericis, etiam Ostiariis. Et Hieronymus ad Rusticum Monachum scribens *in can. sic vive 15. quæst. 1.* inquit: *Sic vive in Monasterio, ut Clericus esse merearis; & disce longo tempore, quæ postmodùm alios doceas.* Et per hanc rationem in casu nostro B. Thom. 2. 2. *quæst. 1. artic. 88. in responsione ad secundum argumentum* expressè tenuit, Canonicos Regulares, ut digniores propter Ordinem Clericatus annexum, præferendos Monachis S. Benedicti. Quod etiam comprobatur, quia contemplativa simul, & activa vita Clericorum, in administratione Sacramentorum, aliorumque spiritualium, dignior, ac nobilior est sola contemplativa Monachorum, *cap. nisi cùm pridem*, ubi Joan. Andr. *de renunciat.* Nam B. Augustinus præcessit Benedictum Auctorem Congregationis Casinen. per annos centum, & plùs. Quæ antiquior institutio in prælationibus præcipuè attenditur, ut not. *in l. cùm quid, si cert. pet. & in cap. qui prior, de reg. jur. in 6.* & hanc rationem antiquioris institutionis, maximè adjuvat major dignitas in ipso institutore; cùm B. August. tempore hujus institutionis esset Episcopus Hipponen. & sic dignior S. Benedicto, qui erat simplex Monachus.

Supradictis tamen atque aliis juribus, & rationibus, quæ brevitatis causa consultò omittuntur, adversabantur auctoritates Doct. in hoc articulo scribentium, qui & numero, & gravitate communem constituunt opinionem, inter quos etiam consulta extant Collegiorum Patavini, Ferrariensis, & Bononiensis, quorum scribentium ea est sententia, ut Monachi Ordinis S. Benedicti Congregationis Casinen. præcedere debeant Canonicos Regulares Lateranen. Ratio eorum potissima videbatur esse, quòd in institutionibus Regularium, non tam ipsa institutio, ejusque prioritas in tempore, quàm approbatio Sedis Apostolicæ sit attendenda, sine qua nulla nova Regula, nulla nova Religionis erectio fieri debet; stante in id expressa prohibitione Concilii Generalis, de qua *in cap. fin. de*

Relig. domib. Approbatio etiam Regulæ D. Augustini, ac institutionis Canonicorum Regularium nullibi apparere videbatur facta à Sede Apostolica. Contrà verò Regula S. Benedicti specialiter, & expresse videbatur approbata per Beatum Gregorium Papam, qui *in lib. 2. Dialog.* de Regula S. Benedicti specialem mentionem facit.

Hoc tamen fundamentum Casinen. elidi videbatur propter longævam tolerantiam totius Ecclesiæ, ac Sedis Apostolicæ, quæ non tamdiù tolerasset hanc B. Augustini Regulam, ac institutionem, nisi vel expresse approbando, vel illam saltem tacitè confirmando, ad not. per Doct. *in cap. cùm Ecclesia Sutrina, de causa possessionis, & propriet.* propterea colligebatur etiam approbatio Regulæ S. Augustini, ex text. *in can. S. Romana 15. dist.* Ubi Gelasius Papa inter ea, quæ narrat recepta fuisse à Romana Ecclesia enumerat opuscula B. Augustini, inter quæ præcipuum locum videtur tenere sermo de communi vita Clericorum, quæ est Regula ipsius Augustini; ex quo videtur saltem generaliter facta à Gelasio illius Regulæ approbatio. Atque is Gelasius præcessit per centum annos B. Gregorium, qui dicitur approbator Regulæ Benedicti. Quin etiam in primitiva Ecclesia licitum erat passim cœtus, & Congregationes instituere in honorem Dei, ac Fidei exaltationem. Nec verisimile est B. Augustinum novam illam institutionem fecisse sine interventu eorum, quæ ad illius robur, & firmitatem necessaria essent.

Verumtamen in hoc jurium, & rationum conflictu tutior via visa est, quam Rom. Ecclesia, uti Magistra, & Mater omnium, nos docuit; quippe ex longissima consuetudine, in conspectu tot Roman. Pontificum in Urbe observata, utraque etiam parte acquiescente, inductum est, ut in processionibus, aliisque actibus publicis, Canonici Regulares dimissa superiori veste lanea, ac retenta linea (Clericos se esse significantes) præcedant Monachos S. Benedicti Congregationis Casinen. Hujus itaque consuetudinis normam ab Ecclesia Romana observatam, nobis amplectendam duximus, quæ in processionibus, & similibus actibus attendi debet, quoad istos Religiosos, ut tradit expresse Bald. *in l. observare, §. antequam, de offic. Proconsul. & legat.* Quæ consuetudo maximè opportuna visa est, ut huic liti finem imponere, omnesque eorum Religiosorum contentiones sopire, atque extinguere possit.

Ultimo verò loco propositum fuit per nos dubium an in Concilio Generali Abbates Canonicorum Regularium præcedere debeant Abbates Ordinis S. Benedicti. Atque in hoc articulo verissima, ac juridica visa est resolutio, olim facta coram Sanctitate Vestra, quòd nulla habita ratione Ordinum, & Congregationum, illi Abbates præferri debeant, qui primò fuerint ad Abbatialem dignitatem promoti; sic enim in Episcopis, aliisque similibus dignitatibus videmus statutum fuisse à jure, *can. placuit 18. dist.* gloss. & Doctores *in can. fin. 75. dist. & in cap. Episcopos 17. dist.*

Hæc igitur sunt Beatissime Pater, quæ præcipua ex multis colligenda, ac Sanctitati vestræ referenda duximus in præsenti causa præcedentiæ, in qua etiam sententiam ex mandato vestro subscripsimus conformem resolutionibus per nos factis, arbitrantes ita, & Sanctitatem Vestram ex jure, & æquo diffinire posse, salvo semper sapientissimo, ac prudentissimo illius judicio, cui nos in omnibus subjicimus, finemque dicendi facientes Sanctitati Vestræ pedes humiliter, atque devotè deosculamur, &c.

Sententia lata à Sanctissimo D. N. Pio IV. Pontifice Maximo in dicta causa præcedentiæ, ad relationem supradictorum S. R. E. Cardinalium, in favorem Reverendorum Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini Congregationis Lateranensis.

Christi nomine invocato: Pro tribunali sedentes, & solùm Deum præ oculis habentes, per hanc nostram diffinitivam sententiam, quam ferimus in his scriptis, in causa, & causis, quæ coram nobis, & quas dilectis filiis nostris Joanni Michaeli Sarraceno Tituli Sanctæ Anastasiæ; Joanni Baptistæ Cicadæ, Tit. S. Clementis, & Bernardino Scoto Tit. S. Matthæi S. R. E. Cardinalibus primò audiendas, & per eos decidendas, & terminandas, & deinde per præfatos Cardinales, per Apostolica nostra rescripta Nobis referendas commisimus, inter dilectos filios Abbates, Prælatos, & Canonicos Regulares Ordinis Sancti Augustini, Congregationis Lateranensis, & universam eorum Congregationem, ex una, & Prælatos Abbates, & Monachos Ordinis Sancti Benedicti Congregationis Casinen. aliàs Sanctæ Justinæ de Padua nuncupatos, & dictam eorum Congregationem, de, & super præcedentia, & jure inter eos præcedendi, tam in processionibus, quàm in Generalibus, & Synodalibus, seu Provincialibus Conciliis, omnibusque actibus publicis, & privatis, rebusque aliis in actis causæ, & causarum hujusmodi latiùs deductis, & illorum occasione in prima, seu alia versæ fuerunt, & vertebantur instantiis, partibus ex altera. Causa hujusmodi coram dictis Cardinalibus ad plenum ventilata, & sæpiùs auditis partibus, & dubiis in ea plenè discussis, & resoluris, ac visis de jure videndis, & demùm per dictos Cardinales Nobis matura desuper facta relatione, pronunciamus, sententiamus, decernimus, & declaramus, Abbates, Prælatos, & Canonicos Regulares Congregationis Lateranensis uti Clericos, dimissa superiori veste, pallio, seu cappa in linea veste, Clericalique habitu incedentes (quod etiam in alma nostra Urbe Romæ fuit, & nunc observatur) in processionibus, & omnibus aliis actibus publicis, & privatis, tam in dicta Alma Urbe nostra, nostroque, & Successorum Nostrorum conspectu, quàm aliis universis, ac quibuscumque aliis Civitatibus, Terris, Oppidis, & locis, dictis Abbatibus, Prælatis, & Monachis Ordinis S. Benedicti Casinen. præcedere debuisse, & debere; eosdemque Abbates, Prælatos, & Canonicos Regulares, dictamque eorum Congregationem, ut suprà incedentes, dictis Abbatibus, Prælatis, & Monachis S. Benedicti, & eorum Congregationi in omnibus, & singulis præmissis præferendos, anteponendos, & in digniori loco collocandos fore, & esse. Abbates verò dictarum Congregationum Lateranen. & S. Benedicti singulariter, & de per se, absque eorum Conventibus, in Conciliis Generalibus, Provincialibus, & Synodalibus, & aliis actibus publicis, & privatis, in quibus Abbates de jure, vel de consuetudine locum & votum habent, vel pro tempore quomodolibet habebunt; inter sese juxta singulorum ipsorum Abbatum ibidem intervenientium priorem, & antiquiorem promotionem ad Abbatiam; ac illa promotione dumtaxat, non autem Congregatione, & Ordine, cujus fuerint, attentis, præcedere, & præferri, & in digniori loco collocari debuisse, & debere, prout præferimus, anteponimus, collocamus, præferrique, autponi, & collocari respectivè mandamus. Jactationes quoque, molestationes, oppositiones, perturbationes, vexationes, & impedimenta quæcumque per præfatos Abbates, Prælatos, & Monachos dicti Ordinis S. Benedicti, & dictam eorum Congregationem eisdem Abbatibus, & Prælatis, Canonicis Regularibus dicti Ordinis, & eorum Congregationi de, & super præfatis omnibus, & singulis, & illo-

& illorum occaſione quomodolibet factas, præſtitas, & illatas, factaque præſtita, & illata, fuiſſe, & eſſe temerarias, illicitas, indebitas, & injuſtas, temerariaque, illicita, indebita, & injuſta, ac de facto præſumptas, & præſumpta, illasque, & illa præfatis Abbatibus, Prælatis & Monachis feciſſe, & facere minimè licuiſſe, nec licere de jure. Et propterea de, & ſuper illis, ac dicto jure præcedendi, ut ſuprà, omnibusque aliis, & ſingulis præmiſſis perpetuum ſilentium imponendum fore, & eſſe, ac imponimus, utramque partem in expenſis, juſtis ex cauſis, abſolventes.

Ita eſt I.

Ita refero, & cenſeo pronunciandum eſſe Joannes Michael Cardinalis Sarracenus.

Ita refero, & cenſeo pronunciandum Joannes Baptiſta Cardinalis S. Clementis.

Ita refero, & cenſeo pronunciandum eſſe Bernardinus Cardinalis Tranen.

Breve ejuſdem S.D.N. in quo ſupplentur omnes, & ſinguli proceſſus, & ſententia prædicta, defectus etiam ſubſtantiales, ſi qui forſan intervenerint; ac mandatur ab omnibus inviolabiliter obſervari debere prædictam ſententiam, ſub pœnis, & cenſuris.

PIUS PAPA IV.

Ad futuram rei memoriam.

SEdis Apoſtolicæ providentia circumſpecta, ne rurſus ea, quæ in controverſiis inter perſonas Eccleſiaſticas, præſertim Altiſſimo ſub Regulari profeſſione famulantes, exortis, pro tranquillo Religionis ſtatu prudenter ordinavit, in moleſtos contentionis anfractus relabantur, majorem ſolet, dum id res ipſa requirit, adhibere cautionem. Sanè nuper, poſtquam, ſicut nobis innotaverat, ab antiquis usque temporibus, etiam ſupra centum annos retroactos, lis, & cauſa, ſeu controverſia inter dilectos filios Rectorem Generalem, & Canonicos Regulares S. Auguſtini Congregationis Lateranenſis ex una, ac Monachos S. Benedicti, Ordinis Caſinenſis, aliàs S. Juſtinæ de Padua Congregationum partibus ex altera, ſuper illorum præcedentia, ſeu jure præcedendi ſuborta, & coram diverſis Judicibus, etiam in noſtro Palatii Apoſtolici auditorio ventilata, ac demum non ſine animi noſtri moleſtia in Oecumenico Concilio Tridentino inter earumdem Congregationum Abbates renovata fuerat. Nos conſiderantes lites, & controverſias hujusmodi in Eccleſia, præſertim inter Religioſas, & reformatas perſonas, quæ relictis mundi vanitatibus, votum ſuum in humilitatis ſpiritu, Domino, & Deo noſtro, qui ſe pro nobis usque adeò humiliavit, ut formam ſervi acciperet, perſolvere profitentur, non modicum illi præclaræ, Deoque præcipuè dilectæ virtuti, quæ eſt humilitas, labem infundere, populoque ſcandalum generare, ac propterea illas omni ratione ſubmovendas, publicæque Religionis tranquillitati, ac miniſtrorum Dei reconciliationi, & mutuæ dilectioni quamprimum conſulendum eſſe rati. Motu proprio dictas cauſas, controverſias ubilibet, & coram quibusvis Judicibus motas, & in quibusvis inſtantiis indeciſas pendentes, ab eisdem Judicibus ad nos avocamus, illasque dilectis filiis Noſtris Joanni Michaeli ſanctæ Anaſtaſiæ Sarraceno, Joanni Baptiſtæ ſancti Clementis Cicadæ, ac Bernardino Scotto, nuncupatis S.R.E. Presbyt. Cardinalibus audiendas, cognoſcendas, & decidendas per quandam motus proprii ſchedulam; & deinde illas per aliud noſtrum reſcriptum eisdem Cardinalibus, per eos audiendas tantùm, Nobisque referendas commiſimus. Qui quidem Cardinales dictis partibus, earumve procuratoribus, & advocatis pluries auditis, dubiisque emergentibus ad plenum discuſſis, & reſolutis, comperto ſatis per eos ex compluribus literis Apoſtolicis, diverſisque aliis aliisque documentis, rationibus, & probationibus, quòd ipſi Canonici fuerunt, & ſunt de illis Clericis à ſancto Auguſtino, quinimo à Sanctis Apoſtolis inſtitutis, eosdem Canonicos tam ſuæ antiquæ inſtitutionis hujusmodi, quàm etiam dignitatis Clericalis; qua eo ſtatim, quòd profeſſionem Regularem emittunt, inſignitos eſſe oportet, aliarumque qualitatum in eis exiſtentium ratione, dictamque illam Congregationem Lateranenſ. præfatos Monachos, & eorum Congregationem Caſinenſem præcedere debere conſueverunt, & concluſerunt, ſuamque concluſionem hujusmodi ad audientiam noſtram, juxta ultimi noſtri reſcripti præfati tenorem retulerunt. Unde Nos illorum relatione intellecta, eaque per nos diligenter examinata, quoniam eam in omnibus ſuis partibus veritati, & juri conſonam comperimus, per noſtram diffinitivam ſententiam pronunciavimus, ſententiavimus, decrevimus, & declaravimus, Abbates, Prælatos, & Canonicos Regulares Congregationis Lateranenſ. uti Clericos, dimiſſa ſuperiori veſte, pallio, ſeu cappa in linea veſte, Clericalique habitu incedentes (quod etiam in alma Urbe conſuetum fuerat, & nunc obſervabatur) in proceſſionibus, & omnibus aliis actibus publicis, & privatis, tam in dicta Urbe, noſtroque, & aliorum Romanorum Pontificum ſucceſſorum noſtrorum conſpectu, quàm aliàs in univerſis, & quibuscumque aliis Civitatibus, Terris, Oppidis, & locis, Abbates, Prælatos, & Monachos Ordinis S. Benedicti Congregationis Caſinen. prædictos præcedere debuiſſe, & debere, ac eosdem Abbates, Prælatos, & Canonicos Regulares, dictamque eorum Congregationem, ut præfertur, incedentes, dictis Abbatibus, Prælatis, & Monachis S. Benedicti, & eorum Congregationi in omnibus, & ſingulis præmiſſis præferendos, anteponendos, & in digniori loco collocandos fore, & eſſe. Abbates verò dictarum Congregationum ſingulariter, & de per ſe absque eorum Conventibus in Conciliis Generalibus, Provincialibus, & Synodalibus, ac aliis actibus publicis, & privatis, in quibus Abbates de jure, vel conſuetudine locum, & votum habent, vel pro tempore quomodolibet habebunt, inter ſe, juxta ſingulorum ipſorum Abbatum, ibidem intervenientium, priorem, & antiquiorem promotionem ad Abbatiam; ac illorum promotione dumtaxat, non autem Congregatione, & Ordine cujus ſunt, attentis, præcedere, & præferri, & in digniori loco collocari debuiſſe, & debere, prout ex tunc prætulimus, anteponimus, & collocamus, præferrique, anteponi, & collocari mandavimus. Jactationes quoque moleſtationes, oppreſſiones, perturbationes, vexationes, & impedimenta quæcunque per Abbates, Prælatos, & Monachos prædictos, & eorum Congregationem Caſinen. eisdemque Abbatibus, Prælatis, & Canonicis Regularibus Lateranenſ. ſuper præfatis omnibus, & ſingulis, & illorum occaſione quomodolibet factas, præſtitas, & illatas, facta, præſtita, & illata, fuiſſe, & eſſe temerarias, illicitas, indebitas, & injuſtas, temerariaque, illicita, indebita, & injuſta, ac de facto præſumptas, & præſumpta, illasque, & illa Abbatibus, Prælatis, & Monachis Congregationis Caſinenſ. hujusmodi feciſſe, & facere minimè licuiſſe, neque licere de jure. Et propterea de, & ſuper illis, ac dicto jure præcedendi, omnibusque, & ſingulis aliis præmiſſis perpetuum ſilentium imponendum fore, & eſſe, & tunc impoſuimus, prout in reſcripto, relatione, & ſen-

& sententia prædictis pleniùs continetur. Ne autem de sententiæ, aliorumque præmissorum validitate ullo unquam tempore dubitari, ac propterea, vel alio quovis prætextu rem maturè discussam, & judicatam, rursus in controversiam trahi, néve denuò in Ecclesia Dei inter tales personas Religiosas contentiones exoriri, ac populo scandala generari contingat, tempestivè providere, ac supremam huic negotio manum apponere cupientes, nec non veriores literarum singulorum prædecessorum, ac rescripti processus relationis, sententiæque præfatorum, & inde secutorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes. Motu simili non ad ipsorum Abbatum, Prælatorum, & Canonicorum Regularium Congregationis Lateranensis, vel alterius pro eis, Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex mera deliberatione, & certa scientia nostra, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, ad effectum executionis dictæ sententiæ tantum omnes, & singulos processus, & sententiæ præfatorum defectus, etiam substantiales, si qui forsan in eisdem intervenerint, harum serie supplemus; ac eandem sententiam, una cum ejus processu validos, & efficaces esse, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & inviolabiliter ab omnibus observari debere, nec partes ipsas ab eis ullo unquam tempore, quovis prætextu, quæsito colore resilire posse, sed ad illorum observationem teneri, censurisque & pœnis, tam Ecclesiasticis, quàm pecuniariis, ad id cogi, & compelli; neque Monachos, eorumque Congregationem adversus sententiam, aliave præmissa in pristinum statum, quovis quæsito colore, vel ingenio restitui; nec ulla oppugnantes audiri, præsentesque literas de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ, aut alio quovis defectu notari seu impugnari posse. Sicque, & non aliter quoscunque Judices, & commissarios, etiam S.R.E. Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac quidquid secus à quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter attentari contigerit, irritum, & inane decernimus, præmissaque omnia perpetuò statuimus, & quòd ita fiant, & observentur, volumus, atque mandamus; similiter venerabili fratri Episcopo Amerin. & dilectis filiis, nostro in Alma Urbe, & ejus districtu Vicario in spiritualibus, ac Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ Auditori generalibus per præsentes motu pari mandantes: Quatenùs ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios, præsentes literas, & in eis contenta quæcunque, ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Rectoris Generalis, & Abbatum, Prælatorum, & Regularium Canonicorum S. Augustini Congregationis Lateranensis præfatorum, vel alicujus eorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, ac illis in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra illos, suppletione, decreto, statuto, voluntate, & mandato, aliisque præmissis pacificè frui, & gaudere. Non permittentes eos, vel eorum quempiam desuper per quoscunque, quomodolibet indebitè molestari, perturbari, vel inquietari. Contradictores quoslibet, & rebelles, per sententias, tam Ecclesiasticas, & pecuniarias, etiam arbitrio suo moderandas, & applicandas, quàm etiam privationis beneficiorum Ecclesiasticorum, per ipsos contradictores obtentorum pœnas, aliaque juris remedia, appellatione postposita, compescenda; ac legitimè super his habendis servatis processibus, illos sententias, censuras, & pœnas hujusmodi incurrisse declarando, illosque etiam iteratis vicibus aggravando, & interdictum Ecclesiasticum imponendo, invocato etiam ad hoc, si opus fit, auxilio brachii sæcularis. Non obstan. præmissis ac fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris nostri de una, & Concilii Generalis de duabus dietis; dummodo quispiam præsentium vigore ultrà tres dietas, ad Judicium non trahatur: ac aliis quibusvis, Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non Monasteriorum, & Ordinum, ac Congregationum præfatorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, vel consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis, illis, eorumque Superioribus, ac personis sub quibuscunque tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis capitulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu, & scientia similibus quomodolibet concessis, ac etiam iteratis vicibus approbatis, & innovatis. Quibus omnibus illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus; contrariis quibuscunque, aut si aliquibus communiter, vel divisim ab Apostolica sit Sede indultum quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Volumus autem, quòd præsentium transumptis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, in Judicio, & extrà ubilibet locorum, plena, & indubia, eademque prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die 18. Januarii 1564. Pontificatus nostri anno 5.

Hier. Gadicen.

Anno verò Pontificatus sui 6. idem Summus Pontifex controversiam inter prædictos Canonicos Lateranens. cum Canonicis Congregationis S. Georgii in Alga Venetiarum per hanc Constitutionem firmavit.

PIUS PAPA V.

Motu proprio, &c.

Cum aliàs Nos postquam dilecti filii Rector Generalis, & Canonici Congregationis S. Georgii in Alga Venetiarum mandatis obtemperando regularem professionem emiserant, Nosque propterea ipsos sub nostra & Sedis Apostolicæ protectione receperamus, ac inter alia per quasdam volueramus, quòd Rector, & Canonici prædicti in processionibus, & actionibus publicis, prout anteà soliti erant, præcederent ex certis causis tunc expressis, omnes, ac singulos Canonicos Regulares Ordinis S. Augustini Congregationis Lateranens. ubique locorum existentes, quòd deinceps processionibus, & aliis actibus publicis, vel privatis interesse contigisset, statim ipsum Clericum secularem non exemptum subsequi, dum ipsi subsequendo præcedunt, dum verò præcedendo præcedunt, illum immediatè sequi debere per alias nostras litteras declaravimus, prout in singulis litteris prædictis pleniùs continetur; à nonnullis non immeritò dubitari posset, an per posteriores litteras prædictas prioribus ita derogatum sit, ut Canonici Regulares prædicti Canonicos Congregationis S. Georgii prædicti præcedere debeant, quod profectò si ita declaretur non sine maximo ipsius Rectoris, & Canonicorum S. Georg. præjudicio, & gravamine esse posset. Nos præmissa declaratione debita dilucidare satagentes, volentesque litteras nostras, quæ non sine causæ cognitione prodierunt, in aliorum sensum, & aliorum præjudicium distrahi, litterarum nostrarum ultimò datarum id, ac si de verbo ad verbum inserti forent, præsentibus pro ex- 295

pressis haben. seu exprimi, & inseri posse decernen. motu simili declaramue, & in verbo Rom. Pontif. attestamur, intentionis nostræ nunquam fuisse, nec esse, secundò datas litteras prioribus ita præjudicare, ut ipsi Canonici Congregationis sancti Georgii locum mutare debere censeantur, eut censeri possint, sed locum ipsis Canonicis Reguleribus assignatum, citra ipsorum Canonicorum Congregationis S. Georgii præjudicium concessum fuisse, ac esse intelligatur, ipsique Canonici Congregationis S. Georgii deinceps, & perpetuis temporibus sub nomine Cleri secularis venire, & ita ab omnibus censeri, nec super eo à quoquam molestari posse, vel debere. Districtiùs inhibentes omnibus, & singulis, tam Ecclesiesticis, quàm secularibus Judicibus cujuscunque dignitatis, status, gradus, ordinis, & conditionis existentibus, & quacunque euctoritate etiam Apostolica fungen. & præsertim secundò dictis litteris deputatis in vittute S. obedientiæ, & sub excommunicationis mejoris, aliisque arbitrio nostro, moderen. & infligen. pœnis, ne contra prædicta quovis quæsito colure venire aut quominus ille suum plenerium, ac integrum sortiantur effectum impedire eudeent, vel præsument, quinimo eos, & elios quoscunque pœnas in eis appositas incurrere minimè posse volumus. Decernentes quoque præsentes, & desuper conficiendas litteras nullo unquam tempote, de subreptionis, vel obreptionis vitio, eut intentionis nostræ, vel quopiam alio defectu, etiam ex eo, quòd dd. Canonici Reguleres, eut elii forsan interesse habentes, vocati non fuerint, notari, impugnari, invalidari, eut contra illas de nullitete opponi, ed terminos juris reduci, in jus, vel controversiam vocari, causamque, vel causas, propter quas à nobis præsentes emanaverint verificare nullatenus teneri, nec ob id juribus carere, minusque sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum, revocationum, suspensionum, limitationum, aut aliis contrariis dispositionibus comprehendi, sed semper eb illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum statum restrictæ, repositæ, & plenariè reintegratæ esse, etiam sub quacumque data per ipsos Canonicos dictæ Congregationis S. Geotgii eligenda, vimque validi, & efficacis contractus, inter nos, & Sedem Apostolicam, ac eosdem Canonicos, etiam cum juramento initi, ac stipulati, sortiri, sicque eb omnibus censeri. Et ita per quoscumque judices, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, & S. R. E. Cardinales, sublata eis, &c. judicari debere, irritum quoque, &c. Non obstantib. litteris nostris præfatis, quas quoad hujusmodi effectum, & in ea parte, quæ præsentibus contrariantur, revocamus, & annullamus, ac quibuscunque litium pendentiis, quas ad nos harum serie evocamus, & extinguimus, perpetuum super illis silentium imponimus, illerùmque status, & materie, nominaque, & cognomine Judicum præsentibus pro expressis habentes, à quibusvis Apostolicis, nec non in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis specialibus, vel generalibus constitutionibus, & ordinationibus, ec quibusvis etiam juramento, & confirmetione Apost. vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apost. dictis Canonicis Regularibus, & quibusvis aliis, sub quibuscunque etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis irritum, &c. hac vice latissimè derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque, cum clausulis oppottunis, & consuetis.

Fiat Motu proprio. M.

15 Et cum absolutione à Censuris, &c. Et quòd singularum litterarum præfatarum tenores habeantur pro expressis; seu in toto, vel in parte exprimi, ac de verbo ad verbum inseri possint. Et declaratione, attestatione, voluntate, deliberatione, decreto, & aliis prædictis pro repetitis habeantur, & ad partem perpetuò in forma gratiosa, &c. Et cum deputatione judicum, & executorum, qui assistant, & præmissa observari faciant, etiam sub censuris, &c. cum potestate citandi, inhibendi, &c. eggravendi, & reaggravendi, ec interdicendi, &c. cum derogatione, &c. de una, & Concilii Generalis de duabus dietis, dummodo non ultra tres, ac prædictorum, & singulorum præsentibus quomodolibet contrariorum. Quorum, &c. latissimè extendens, &c. & quod præmissorum omnium, &c. & per breve litteræ expediri possint. Datum Romæ apud sanctum Petrum xi. Kalend. Junii Pontificatus nostri anno 6.

QUÆSITUM II.

Vtrùm Abbates præcedant Canonicis Cathedralis, vel Collegiatæ Ecclesiæ.

SUMMARIUM.

1 *Ecclesia militans ad instar triumphantis cælestisque Jerusalem exemplata est.*

2 *Digniores in dubio reputantur, qui priùs in ordine litteræ nominati sunt*, & n. 23.

3 *Abbates habent jurisdictionem ordinariam in suis Cœnobiis.*

4 *Capitulum Cathedralis Ecclesiæ non habet jurisdictionem, neque dignitatem.*

5 *Dignitatem habentes præferuntur cæteris dignitate non fulgentibus.*

6 *Abbas debet esse Sacerdos.*

7 *Canonicatus non habet annexum ordinem Presbyteratus, sed tantùm Subdiaconatus.*

8 *Abbas præfertur Clericis secularibus.*

9 *Abbas præfertur Canonicis Ecclesiæ Cathedralis*, & num. 10.

11 *Abbas præfertur Canonicis Collegiatæ.*

12 *Vinco te multo magis, si vinco vincentem te.*

13 *Abbas præcedit Canonicis, quando singuli incedunt, secus ubi Collegialiter, & in actibus, in quibus Cathedralem Ecclesiam repræsentant*, & n. seq. *Præcipuè* n. 17.

14 *Abbatia est major dignitas post Episcopatum.*

15 *Cathedralis Ecclesia plus aliis honorari debet.*

16 *Episcopatus est culmen dignitatum.*

17 *Canonici Cathedralis Ecclesiæ præcedunt Abbates.*

18 *Clerici Cathedralis Ecclesiæ processionaliter incedentes, præferendi sunt Monachis, & eorum Abbati.*

19 *Membra à capite separari non debent.*

20 *Clericorum cœtus dignior est, quàm Monachorum.*

21 *Abbatis nomen solum habens, absque dignitate, non præfertur Canonicis, seu illis cedit.*

2c *Dignitas major arguitur ex priori nominatione*, & num. seq.

24 *Rectores in propriis Ecclesiis præferuntur Canonicis.*

25 *Rectores Parochialium in actibus curæ animarum repræsentant Episcopum, qui est primus Rector, & Parochus.*

26 *Parochi dicuntur Pastores.*

27 *Canonici etiam Collegiatarum præferuntur Rectoribus, & Beneficiatis Parochialium.*

28 *Inferiores habent juris assistentiam præcedendi aliis etiam in dignitate majore constitutis, in propriis Ecclesiis. Contrarium*, num. 30.

29 *Præcedentia in propria Ecclesia Rectoris potest ex consuetudine competere alteri etiam privato, & qua consuetudo sit necessaria.*

30 *Capitulum Ecclesiæ majoris, si invitatur ad aliquas functiones, præcedere debet aliis Canonicis, & Prælatis inferioribus etiam in propriis Ecclesiis.*

31 *Præce-*

31 *Præcedentia in materia consuetudo inspicienda est, cui plurimum defertur à jure; etiamsi sit contra jus.*

32 *Canonici sacrosanctæ Lateranens. Ecclesiæ præcedunt Canonicis Basilicæ Principis Apostolorum & aliis ubique terrarum.*

1 QUoniam militantem Ecclesiam ad instar triumphantis, cælestisque Jerusalem ordinatam, atque ab ea exemplatam esse constat, ut notat Panormitan. *in cap. novit, de Judic.* & pulchrè scribunt Gregorius & Bonifacius Summi Pontifices *in can. ad hoc 89. dist.* sic dicentes: *Ad hoc dispositionis provisio gradus diversos, & Ordines esse constituit distinctos, ut dum reverentiam minores potioribus exhiberent, & potiores minoribus dilectionem impenderent, vera concordia fieret, & ex diversitate contexto, & rectè officiorum gereretur administratio singulorum. Neque enim universitas alia poterat ratione subsistere, nisi hujusmodi magnus eam differentiæ ordo servaret. Quia verò quæque Creatura in una eademque qualitate gubernari, vel vivere non potest; Cælestium militiarum exemplar nos instruit; quia dum sunt Archangeli, liquet, quia non sunt æquales, sed in potestate, & ordine (sicut nostis) differre alterum ab altero*, facit gloss. *in Clemen ad nostrum, in verbo Ecclesiæ, de hæretic.* Non est superbiæ, vel elationis vitio adscribendum, si in hac Militanti Ecclesia datur etiam Ordo, & inæqualitas graduum; ita enim divinæ Sapientiæ radius magis elucescit, qui sicut in multorum effectuum diversitate micat (ut patet in dispositione Orbium Cælestium, & elementorum, & fructuum, & animalium varietate) ita, & in diversitate Ministrorum ipsius Majestas, & Sapientia commendantur. Unde hunc Ordinem in domo Salomonis præcipuè laudavit Regina Saba, quæ videns eximium ordinem Ministrorum ejus, præ stupore obstupuit, ut habetur 3. Reg. *cap.* 10 Insuper ex præcedentiis, & sedibus unicuique debitis, singulorum dignitas, & honor cuilibet tribuendus ostenditur: ut colligitur ex *cap. olim, de consuetud.* & tradunt gloss. & Bald. *in l. decernimus 2. not. C. de Sacrosanct. Eccles.* Tiraq. *de primogenitis, in præfat. num.* 13. & alii. Ad propositi igitur quæsiti solutionem deveniendo, videtur, quòd Canonici præcedant Abbatem: primò quia Canonici dicuntur fratres Episcopi, *cap. quanto, de his, quæ fiunt à Prælat.* Sed Episcopus præcedit Abbatem, ergo & fratres ejus; quia honor in filios æqualiter transit. Secundò Capitulum, Sede vacante, succedit Episcopo in Jurisdictione Episcopali, sive exercitio ejusdem in libera spiritualium, & temporalium administratione, *cap. his, quæ, & cap. cùm olim in fin. de majorit. & obedien. cap. unic. eod. tit. lib.* 6. ibi tantùm sunt Canonici Capitulum componentes, & repræsentantes; ergo Canonici habent jurisdictionem Episcopalem; ergo præcedunt Abbatem.

Ad primum argumentum respondeo, Canonicos esse fratres Episcopi fraternitate spirituali, penès quam nulla est prioritas ordinis, & honoris, aut præcedentiæ.

Ad secundum respondeo, privilegium illud esse temporale durante scilicet Sede Episcopali vacante, & dato quòd privilegium esset perpetuum, dico non spectare ad Canonicos seorsim consideratos.

2 Dicendum est ergo, Abbates præcedere Canonicis Cathedralis Ecclesiæ: Probatur primò, quia in dubio majores, & digniores reputantur, qui priùs in ordine literæ nominati sunt: digniores enim antè scribi debent, ut docet text. *in l. 1. ff. de albo scribend.* per quem text. Bald. *in l. cùm quidam C. de verbor. signific. in 3. opposit. ad fin.* inquit, quòd prior nominatus major cæteris præsumitur: idem tradit Angel. *in l. generaliter §. si quidem, ff. de fidei commissar. libert.* Dominic. *in c. fin. in princ. col. 1. de offic. deleg. in 6.* latè Dec. *in c. avaritia, n. 5. de prebend. & in c. decernimus n. 4.* ubi etiam Panorm. *de Judic.* Sed *in cap. fin. de majorit. & obedien.* Prælati nominantur priùs, quàm Capitulum Cathedralis Ecclesiæ: & Abbates sunt verè, & propriè Prælati (ut alibi latiùs ostendimus, & à nemine inficiari potest) ergo Abbates præponuntur Canonicis Cathedralis Ecclesiæ.

Secundò Abbates habent Jurisdictionem Ordina- 3
riam in suis Cœnobiis; possunt enim subditos suspendere, interdicere, & excommunicare *c. quanto,* & ibi gloss. *de offic. Ord. c. ad nostram, & cap. reprehensibil. de appell. cap. sicut tuis,* ubi gloss. *in verb. anathematis de Sim.* & dicemus latè *in disputat. de potest. Abb.*
quoad ferendas censuras: Sed hoc non habet Capitu- 4
lum Eccles. Cathed. nam de jure communi non habet jurisdictionem in singulos Canonicos: immò ad Episcopum spectat, illorum excessus corrigere, & eorum causas cognoscere *cap. irrefragab. §. excessus, de offic. ord.* Nec etiam habet dignitatem, ut notatur *in cap. statutum de rescript. in 6.*

Confirmantur prædicta ex iis, quæ habentur *in l. 1.* 5
de dignit. lib. 12. ubi illi, qui sunt in dignitate, præferuntur cæteris, qui dignitate non præfulgent; ergo cùm Abbates sint in dignitate constituti, (Abbatia enim est dignitas, ut clarum est, & alibi latiùs probavimus) præferentur Canonicis, dignitatem non habentibus.

Tertiò Abbates debent esse Sacerdotes *cap. 1. de* 6
ætat. & qualit. & à nobis latiùs probatum est *disp. de elect. Abb.* itaquòd Ordo Sacerdotalis necessariò annexus est dignitati Abbatiali; Sed Canonicatus, & præ-
bendæ Cathedralium Ecclesiarum non habent neces- 7
sariò annexum Ordinem Presbyteratus, sed tantùm Subdiaconatus *Clem. 2. de ætat. & qualit.* Concil. Trid. *sess. 24. de refor. c.* 12. & tamen *in d. Clem.* 2. Canonici, sacris non initiati, in eo puniuntur, quòd privantur voce Capitulari, & dimidiam partem distributionum quotidianarum non lucrantur; super quo d. Conc. Trid. nihil novi statuit, ergo videtur, id reliquisse dispositioni anterioris Conc. Vien. *d. Clem.* 2. ergo potest quis esse Canonicus Cathedralis absque eo, quòd sit in sacris constitutus: ergo respectu majoritatis Ordinis Abbates præcedere debent Canonicos Cathedralis Ecclesiæ, per ea, quæ disponuntur per text. *in cap. statuimus*, ubi Panorm. & alii, *de major. & obed. cap.*
fin. de const. cap. cùm olim, de consuetud. Denique, 8
quòd Abbas præferendus sit Clericis secularibus tenent Panormit. *in cap. decernimus, n.* 2. & ibi pulchrè
etiam Dec. *n. 4. de Judic.* & quòd præferendus sit etiam 9
Canonicis Cathedralis Ecclesiæ, scribit Dominicus de S. Gemin. *in c. fin. in princ.* per illum text. *de offic. deleg. in 6.* & idem etiam decidit Bald. *in cap. pastoral. in verb. extrà quæro, de offic. delegat.* quos refert Dec. *loc. cit. vers. ex prædictis*; idem Dec. *cons. 61. n. 2.* & admisit Rota *in Hispal. præeminentiarum prima Julii 1611. coram Penia, quæ in fine operis est decision. 5. n. 8.*
Quòd si Abbas præfertur Canonicis Cathedralis Eccle- 10
siæ, qui dicuntur Clerici primi gradus, & est quid majus, esse Canonicum Ecclesiæ Cathedralis, quàm alterius, ut ait Innoc. *in cap. fraternitatem, de sepultur. &*
in cap. Sedem 1. gloss. de rescript. à fortiori, absque du- 11
bio præcedet Canonicos Collegiatarum, qui dicuntur Clerici secundi Ordinis, & sunt inferiores Canonicis Cathedralis juxt. regulam *in l. de accessionib. ff. de di-*
vers. & temporan. præscript. scilicet si vinco vincen- 12
tem te, multò magis vinco te. Verùm prædicta o-
mnia intelligenda sunt, ut Abbas præcedat omnes Ca- 13
nonicos, & illis dignior habeatur, quando singuli incedunt, quia tunc absque dubio præferendus est omnibus, non solùm Canonicis, verùm etiam aliis digni-
tatibus Episcopo inferioribus, cùm dicatur major digni- 14
tas post Episcopum: text. *in can. si quis deinceps 16. q. 7.*

esin. *in cap. meminimus in 3. col. sub n. 6. de accusat.*
Dec. *cons.* 162. *col.* 1. quando autem Canonici collegia-
liter procedunt, atque in omnibus aliis actibus, in qui-
15 bus Cathedralem Ecclesiam repræsentant, quæ plus ali-
is honorari debet *cap. quamvis il 2. de praben. in 6.* &
16 quæ dicitur dignior aliis Ecclesiis, propter caput suum,
quod est Episcopus, quæ dignitas est culmen dignita-
tum, *cap. penul. de prabend.* gloss. *in c. 2. eod. tit. in 6.*
17 tunc Canonici Cathedralis Ecclesiæ præcedent Abba-
tes; quod affirmaut Dom. de S. Gemin. *in cap. quam-
vis §. quamquam in 3. notab. de prabend. lib. 6.* Felin.
in d. cap. meminimus d. n. 6. in fin. ita limitans dictum
Bald. *in cit. cap. pastoralis.* Philipp. Dec. *loco suprà ci-
tat.* Collegium Bononien. *in cons. 1. post consil. Zaba-
rell. n. 71.* Cassan. *in 4. part. catalog. glor. mund. consid.*
32. Rip. *lib. 1. resp. 23. n. 3.* Selv. *de benefic. p. 1. q. 2. à n.*
81. *usque ad* 89. facit id, quod notat Panorm. *in cap.
cùm non liceat,* sub *n. 2. de prescript.* ubi inquit, quòd
Ecclesiæ inferiores, & de Diœcesi debent obedien-
tiam, & reverentiam Capitulo, sicut debent Episco-
po, non sic autem singulis Canonicis; immò non so-
18 lùm Canonici, verùm etiam Clerici Cathedralis Ec-
clesiæ, qui debent gubernari secundùm caput suum,
scilicet Episcopum, quando processionaliter incedunt,
præferendi sunt Monachis, ac etiam Abbati, qui tan-
quam eorum caput non potest à membris separari, ne-
19 que licet membra à capite discedere, ut *in c. novit de
his, quæ fiunt à Prælatis sine cons. Cap. & in l. cùm diver-
sis ff. de Religios. & sumptib. funer. & cap. cùm non li-
ceat. de præscript.* quæ sententia est verior; & ita in fa-
cto practicatur, & observatur, & eam dixit magis com-
munem Collegium Paduanum *in cons. 2. post Zabarell.
sub n 59.* subdens, quòd cæteris Canonicis, qui non
sunt Ecclesiæ Cathedralis, proculdubio Abbas est præ-
ferendus, quod intelligo verum quando Abbas solus
sine Conventu Monachorum incederet, semper enim
Clerici seculares præcedunt Regulares, ut notatur *in
can. Legi Epistolam, §. alia 16. quæst. 1.* Joannes An-
dreas *in reg. delictum, de reg. jur.* in gloss. fin. *in cap.*
20 *qualiter il 2. de accusat.* quæ dicit, quòd dignior est cœ-
tus Clericorum, quàm Monachorum, per *d. can. lege,*
Cassand. *d. part. 4 considerat.* 57. quia Abbas non de-
bet à suis Monachis separari per antedicta. In aliis
igitur sessionibus, & actibus, in quibus Conventus cum
Abbate intervenire non debet, ut in celebratione Sy-
nodi Diœcesanæ, vel aliis hujusmodi, utique Abbas
non solùm Clericos seculares, & Canonicos, verum et-
iam quascumque dignitates Episcopo inferiores præce-
det: quod ex dicendis clariùs patebit.
21 Verùm prædicta declarantur habere locum in vero,
& reali Abbate qui non habet solum nomen dignitatis,
sed etiam alia requisita ad dignitatem constituendam,
de quibus dixi suprà *disput. 1. hujus primi Tomi quæst. 2.
à num.* 8. Nam Abbates ventosi, solum nomen Ab-
batis impositum habentes, absque dignitate, concur-
rentes cum Canonicis in quibusvis actibus, cæteris pa-
ribus, eis cedunt, nedum si sint Cathedralis Ecclesiæ,
verum etiam Collegiatæ, ut fuit resolutum *in Hispa-
len. praeminentiarum 24. Octobris 1611. & 4. Junii 1612.
coram Penia, quæ in fine Operis sunt decis. 6. & 7.*
Similiter ut indistinctè Abbates, cæterique Prælati
inferiores Jurisdictionem tamen coactivam habentes,
ut superiùs declaravimus, præcedant Canonicos eos-
dem non capitulariter incedentes, aut sedentes, sic alii
Prælati prærogativam, seu præeminentiam dumtaxat
habentes in Collegiatis Ecclesiis præcedere debent,
quia sunt verè constituti in dignitate: Illis Papa re-
scribit, & quando literæ Apostolicæ diriguntur Archi-
presbyteris, Præpositis, & similibus Collegiatarum se-
cularium Ecclesiarum dignitatibus, & Canonicis jun-
ctim, priùs Papa nominat Archipresbyterum, & posteà
Canonicum explicato ipsius nomine, prior autem no-
minatio majorem dignitatem arguit, Tiraq. *de jure* 22
primog. quæst. 19. num. 2. Et in terminis probatur de-
nominari priùs à Papa Abbatem *in cap. decernimus de* 23
Judæis, sicut priùs descriptus dicitur dignior, & pro-
cedere debet; *l. 1. ff. de albo scrib.* Peregr. *cons. 3. num.*
60. Paris. *cons. 38. num. 1. vol. 4.* quos cum aliis citat
Marc. Anton. *variarum l. 1. resolut.* 81. *n. 1.* Immò
non tantùm hi, qui sunt verè Prælati, Cucch. *in instit. de
major. tit. de prapos.* ratione dictæ prærogativæ, seu
præeminentiæ, & quibus de jure competit Jurisdictio
super Clericis Collegii, & punitio delinquentium, Ab-
bas *in c. cùm contingat, & in cap. si quis contrà,* ubi, &
alii, *de foro comp.* (quam quidem Jurisdictionem per
non usum, & negligentiam amiserunt) sed etiam sim- 24
plices Rectores Parochialium; quia majorem dignita-
tem habent in propriis Ecclesiis, & alibi, ut singulis an-
teferri debeant Canonicis; in propriis enim Ecclesiis,
& Parochiis dicuntur etiam ipsi Prælati, Azor. *instit.
Moral. p. 2. lib. 3. cap. 25.* Maudos. *regul. 26. quæst. 6.
num. 6. & 7.* cum aliis quos allegat; & in actibus cu-
ræ animarum repræsentabant Episcopum; quia Epi- 25
scopus & primus Rector, & Parochus *cap. Apostolica,*
& ibi Ostiensis, *de donation.* necnon Vital. *in Clem.
dudum, de sepul.* Fusc. *de visitat. cap. 3. sub. num. 1. lib.*
2. qui dicit Episcopum in cura animarum esse tanquam
causam primam, & curatum inferiorem tanquam cau-
sam secundam ex S. Thom. & aliorum doctrina, quos
vide apud ipsum, & subdit *num.* 2. Curatos inferiores
destinatos Episcopis sicut illos 72. Senes datos fuisse
dicitur Moysi *Numer.* 12. & dicuntur etiam iidem Pa-
rochi, Pastores *can. si in plebibus distinct.* 63. Vide Gon- 26
zales cum decis. Rotæ, juribus, & Doctoribus, quos af-
fert ad comprobationem dictorum gloss. 6 *à n.* 100.
cum pluribus sequentibus, facit Rituale Romanum *no-
viter editum,* & ita declaravit Sacra rituum Congre-
gatio apud Steph. Grat. & secum junctum *ibi* Theo-
dosium de Rubeis *t. 2. discept. Forens. c. 298. n. 84.* &
per totum, qui omninò quoque sunt videndi præsertim
in materia, quæ refertur à Jo. Molan. *in lib. de Canoni-
cis locis ibi citatis,* videndus etiam Lælius Zecchius in
sua Repub. Ecclesiæ tit. de Parochis cap. 28. numer. 21.
cum Januensi *in manuali Past. cap. 61. num. 13.* Licèt
in aliis locis Canonici etiam Collegiatarum Ecclesia- 27.
rum præferantur Rectoribus, & beneficiatis Parochia-
lium, Panormit. *in rubr. de vit. & honest. cleric. num.*
12. Boër. *de auctorit. Magn. Concil. n.* 83. Cassan. *in ca-
tal. glor. mund. p. 4. considerat. 32. prope finem, vers.
octavò. facit & considerat.* 38. & fuit resolutum *in Hi-
spalens. praeminentiarum 13. Martii 1609. coram Pe-
nia, quæ in fine operis est decis. 1. num. 5.* & in eadem
causa *coram eodem 15. Februarii 1610. quæst. & decis. 2.
num. 1.*
Et quòd inferiores habeant juris assistentiam præce- 28
dendi aliis etiam in dignitate majore constitutis, in
propriis Ecclesiis, ad text. *in l. nihil,* ubi Luc. de Penn,
& Joann. de Plat. *Cod. de Palat. sacr. largit. lib. 11.* &
ibi etiam gloss. final. Decian. *consil. 67. numer. 12. &
seq. vol. 2.* Abb. *in cap. postulatis num. 8. de concess. pra-
bend.* Gemin. *in cap. à collatione num. 7. de appellat.*
Rota apud Luc. *decis. 104. numer. 4. & duob. sequent.
lib. 3. in correct.* ubi quòd inferior in propria Ecclesia
ratione officii, quo fungitur, debet habere præceden-
tiam: & fuit etiam dictum *in Calagurritana praemi-
nentiarum de victoria 16. Novembris 1591. coram
Penia.*
Potest tamen ex consuetudine competere præceden- 29
tia alteri quàm Rectori in ejus Ecclesia, & etiam per-
sonæ privatæ, ut admisit Rota *in Pampelonen. praemi-
nentiarum 1. Junii 1690. coram Eminentiss. D. Cardi-
nale Joanne Baptista Pamphilio tunc Rotæ Auditore,
quæ in fine Operis est decis.* 108. in qua fuit resolutum,
consuetudinem hoc casu debere esse quadragenariam,
cùm

cùm sit contra juris dispositionem, & ideo potiùs dici præscriptionem, ut per Doct. *in cap. final. & ibi* Abb. *num. 20. de consuetud.* Ruin. *consil 155. lib. 3.* Seraphin. *decis. 214.*

30 Verùm, quòd inferioribus in propriis Ecclesiis non præcedant indistinctè aliis in majori dignitate constitutis, tenent Felin. *in cap. cùm non liceat, num. 2. de præscript.* firmans, quòd ubi Capitulum Ecclesiæ majoris invitatur ad aliquas functiones, præcedere debeat aliis Canonicis, & Prælatis inferioribus etiam in propriis Ecclesiis, & idem tenuerunt Henric. Bott. *de Synod. p. 3. num 27.* Boër. *in tract. Magn. Conc. n. 79.* cum aliis per Gratian. *discept. Forens. cap. 111. num. 11.* D. Ferentill. *in Annot, ad decis. 903.* Buratt. *lit. C. n. 16.* & hanc opinionem amplexa est Rota *in Cæsaraugustana praeminentiarum 29. Novembris 1627. coram Reverendiss. D. Coccino, quæ in fine Operis est decis. 113. numer. 8.*

31 Inspicienda est tamen potissimum consuetudo, an in hac materia præcedentiæ jus plurimū deferat; Bald. *in cap. cùm olim num. 1. & seq. de consuetud.* & *in l. observare §. antequam verò n. 13. ff. de offic. Proconf.* Felin. *in cap. statuimus in princ. de majorit. & obed.* Card. *consf. 62. num. 1.* Dec. *in l. cum quidam. num. 39.* & *ibi* Cagnol. *num. 42. ff. si cert. pet.* Rimmald. Jun. *consil. 95. num. 22.* Corn. *consil. 193. num. 14. vers. & ideò qui est consuetus lib. 2.* & fuit resolutum *in d. Hispalen. praeminentiarum 13. Martii 1609. coram Penia, quæ in fine operis est decis. 1. n. 3. & in Colon. præcedentiæ 9. Junii 1627. coram Emmentiss. D. Cardinale Ubaldo, quæ in fine Operis est decis. 115. n. 4.* Quod procedit, etiamsi consuetudo jure repugnet. Menoch. *consil. 9. numer. 51.* Seraphin. *decis. 964. num. 1.* Greg. XV. *decis. 124. num. 2. & 4.* Rot. *in d. Colonien. præcedentiæ*, ubi *num. seq.* quòd ideo possessio quæ juvatur hujusmodi consuetudine, licèt contra jus, est manutenibilis.

32 Pro controversia, quæ inter Canonicos Sacrosanctæ Lateranens. Ecclesiæ, & Canonicos Principis Apostolorum oriri posset, & etiam inter alios Canonicos respectivè ad prædictos, extat Constitutio Gregorii IX. qui declaravit Ecclesiam Lateranens. esse præcipuam Sedem suam, ac cæterarum omnium Urbis, & orbis Ecclesiarum primum locum tenere, ut in Bulla ejus (cujus tenor apponitur) recensetur.

GREGORIUS EPISCOPUS,
Servus Servorum Dei,
Ad futuram rei memoriam.

SUper universas orbis Ecclesias Rom. Pontifex à Domino constitutus, circa ea de quibus dubitari dicitur, ut evitari possint quæcunque dispendia, declarationis ubi expedit suæ provisionem adjicit, prout fore conspicit opportunum. Sanè dudum, dum minori fungebamur officio, percepimus, quod de Ecclesia Lateranensi (quam clar. mem. Constantinus fidelissimus Imperator in Lateranensi Palatio suo miraculose mundatus à Lepra, & sacri Baptismatis fonte renatus construxit, sub vocabulo Salvatoris, statuens, quod ex tunc libera esset unicuique potestas per Urbem, & Orbem Ecclesias construendi, quod antea Imperialis prohibitio inhibuerat, à quibusdam curiosis dubitabatur, ac etiam in præsenti in dubium revocatur, si ipsa in Urbe, & Orbe terrarum præeminentiam, ac honoris prærogativam à Romana Ecclesia, & a cunctis Christocolis obtinere debeat potiorem. Nos igitur volentes huic dubio finem imponere, & super hoc amputare materiam hæsitandi: auctoritate Apostolica tenore præsentium declaramus, decernimus, ac etiam diffinimus, Sacrosanctam Lateranensem Ecclesiam præcipuam Sedem nostram inter omnes alias Urbis, & Orbis Ecclesias, ac Basilicas, etiam super Ecclesiam, seu Basilicam Principis Apostolorum de Urbe supremum locum tenere, eamque de jure majorem omnibus aliis Ecclesiis, ac Basilicis supradictis, ac super omnes, & singulas præfatas Ecclesias, seu Basilicas prioritatis, dignitatis, & præeminentiæ honore lætari. Et si quid contra hujusmodi nostram deliberationem, determinationem, ac diffinitionem à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter attentatum fuerit, id irritum decernimus, & inane. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ declarationis, constitutionis, & diffinitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Avinione 10. Kalend. Februarii Pontificatus nostri anno 2.

Hanc Constitutionem Pius Papa V. confirmavit, aliisque clausulis roboratam munivit, ac omni controversiæ, quæ inposterum oriri posset, finem, & silentium posuit per hanc suam Bullam, cujus verba sunt.

PIUS EPISCOPUS,
Servus Servorum Dei.
Ad perpetuam rei memoriam.

INfirma ævi conditio sæpè efficit, ut res vel maximè perspicuæ, & immemorabiles perplexi erroris caligine sensim obductæ in gravia discrimina prolabantur. Quo genere affecta Sacrosancta Ecclesia nostra Lateranensis post tot insignes ruinas, quæ ei tenebrosis illis seculis acciderant, quibus plerique omnes Romani Pontifices aut Religionis studio, aut componendæ pacis gratia, aut bellorum periculo longè ab Urbe, sæpè enim in Galliis agebant, de summa quoque juris sui, & honoris prærogativa perperam laboravit. Etenim longo post intervallo, quàm fel. rec. Leo Papa IV. parta de Saracenis spectabili victoria, Urbem sui nominis, præsidiumque ad Vaticanum statuerat, cùm reduces deinceps Pontifices in aliis, atque aliis Urbis Ecclesiis, uti cuique tutum, aut commodum erat, considerent, prædicta Ecclesia ex tantis & tam multis direptionibus quasi solitudine facta, Sacerdotes Basilicæ Principis Apostolorum cum patriis vetustatis gloria, tum nomine, & dignitate illustres, & insignes ab ea rerum commutatione prædictum sibi jus nixi sunt vindicare. Quam rem non ferens Gregorius Papa XI. qui etiam tunc Avinioni sedebat, ut omnem dubitationem eximeret, declaravit, & diffinivit, prædictam Ecclesiam Lateranensem præcipuam Sedem suam dictæ Basilicæ, ac cæterarum omnium Urbis, & Orbis Ecclesiarum maximum supra illas omnes locum tenere. Sed dicti Sacerdotes translato inde prorsus Pontificium domicilio elatiores, quandocunque res tulit, audentius institerunt, donec Pius Papa IV. Antecessor noster meritò commotus, quòd in Cleri Conventu, & supplicationibus res turbæ intercederent, molestæque dissensiones fierent. Huic tamen controversiæ finem constituere volens, causam universam dilecto filio Magistro Francisco Sermeno, causarum Palatii Apostolici Auditori commisit audiendam, & omni appellatione præcisa, penitùs terminandam. Qui vocatis utrinque Capitulis in ipsa causa ritè procedens, diffinitiva sententia ex communi aliorum dicti Palatii Auditorum consilio nuper prolata, declaravit, jus præcedendi, & prærogativam honoris, locique nobilioris, ac supremi, etiam supra Canonicos, Beneficiatos, Clerum, & personas prædictæ Basilicæ in processionibus solemnibus, & decretis, cæterisque omnibus actibus publicis, & privatis ad Canonicos, Beneficiatos, & Clerum dictæ Ecclesiæ Latera-

Lateranensis omninò pertinere. Quin etiam perpetuo silentio his rebus imposito, res judicata ita executioni mandata est, ut habitis postea Cleri Conventibus, ac supplicationibus Sacerdotes omnes prædictæ Ecclesiæ Lateran. supremum ibi locum, etiam supra omnem Clerum dictæ Basilicæ reipsa obtinuerint. Quocirca Nos tuendi juris studio, hanc sententiam, atque declarationem, & diffinitionem, & litteras prædicti Gregorii Papæ, & quæcunque in litteris ipsis continentur, motu proprio certaque quam habemus prædictorum omnium, scientia, auctoritate Apostolica approbamus, & confirmamus, deque Apostolicæ potestatis plenitudine supplemus omnes, & quoscunque juris, & facti defectus, si qui in processu, & actibus reperiantur inesse, & uti ipse Gregorius Papa oprimo jure fecit, itidem diffinimus, jubemusque, Capitulum, & Sacerdotes, personasque omnes dictæ Basilicæ ubique semper sententiæ, & diffinitioni parere: Statuentes, ut nulla omninò ipsorum provocatio, & testificatio, vel reclamatio, sive in judicio producta, sive clam interjecta prætenta, & futura noceat, nec prorsus vim habeat, materiamve denuò tribuat litigandi. Præcipimus igitur, atque interdicimus eisdem, ne posthac quicquam audeant suscitare, quicunque, sive universi, sive singuli contrà fecerint, vel nitentur, eos canonicatu, præbenda, dignitate, beneficio, & officio privamus, privatosque ad futura inhabiles declaramus eo ipso. Decementes sic in his, & aliis omnibus supradictis per eosdem judices, & quosvis alios omni, & quacunque aliter judicandi, & interpretandi facultate penitùs adempta, ubique judicari debere, ac irritum, & inane, quidquid secus per quoscunque scienter, vel ignoranter contigerit attentari, non obstantibus in contrarium quibuscunque. Volumus autem ut præsentes in Cancellariæ Apostolicæ libro, appellato Quinterno, describantur, ipsorumque exempla Notarii publici manu, & Prælati Ecclesiastici, ejusque Curiæ sigillo obsignata, eandem illam omninò fidem in judicio, & extra illud ubique locorum faciant, quod ipsæmet præsentes facerent, si essent adhibitæ vel ostensæ. Nulli ergo, &c. Datum Romæ apud S. Petrum 12. Calend. Januarii, anno Domini 1569. Pontificatus nostri anno 4.

Hæ Constitutiones habentur originaliter, & authenticè in Archivio ejusdem Sacrosanctæ Lateranens. Basilicæ.

QUÆSITUM III.

Vtrùm Abbas Vicarium Episcopi præcedere debeat.

SUMMARIUM.

1 *Abbas est de majoribus Ecclesiæ dignitatibus, & Abbatia est prima dignitas, & priorem obtinet locum post Episcopatum.*

2 *Ex priori nominatione major dignitas arguitur.*

3 *Ex majoritate ornatus, quo quis uti potest, colligitur etiam majoritas dignitatis.*

4 *Abbas potest Minores Ordines Regularibus sibi subditis conferre, & nonnulla alia ad Episcopalis Ordinis potestatem spectantia exercere.*

5 *Magis privilegiatus minùs privilegiato est præferendus.*

6 *Vicario Episcopi absque speciali mandato quæ non liceant, vide remissivè.*

7 *Abbates præferuntur Ducibus, tanquam habentes majorem dignitatem.*

8 *Abbas exemptus præcedit Vicarium Episcopi, secùs autem non exemptus.*

9 *Vicarius habet ordinariam, & amplissimam Jurisdictionem.*

10 *Vicarius debet honorari ut Episcopus.*

MUltis rationibus, & auctoritatibus ostendi potest, Abbatem Episcopi Vicario etiam Generali præferri, ac illum in publicis sessionibus præcedere.

Primò, quia Abbas est de majoribus Ecclesiæ digni- 1
tatibus, & Abbatia est prima dignitas, & priorem obtinet locum post Episcopatum, ut patet ex *can. si quis deinceps 16. quæst. 7.* Episcopatus, & Abbatia æquiparantur: facit text. *in cap. 2. de Judic. cap. dilectus, & cap. fin. de offic. delegati in 6. c. fin. de Offic. Ordin. eodem lib.* cum aliis pluribus allegatis per Decium *d. cap. 2. sub num. 4. de Judic.* in quibus juribus Abbas nominatur primo loco post Episcopum ante omnes
alios Prælatos inferiores: at ex priori nominatione 2
major dignitas arguitur juxt. gloss. *in can. benè quidem verb. Mediolanen. 96. distinct.* & in *cap. quorundam de elect. in 6.* cum similibus. Unde ita concludunt gloss. *in can. à Subdiacono, in verbo, Abbas 97. distinct.* Bald. *in cap. pastoralis, in verbo, extrà quæro, de offic. deleg.* Lap. *alleg. 84. incip. Dominus Papa*, Gemin. *in c. fin. in princ. de offic. deleg. in 6.* Felin. *in cap. meminimus col. 3. sub num. 7. vers. ulteriùs quæro de accusat.* Archidiac. *in cap. 2. in verbo, dignitas, de præbend. in 6.* referens Joan. Monach. *in cap. inquisitoris, de hæretic. eodem lib.* Mandos. super *26. regul. Cancellar. quæst. 3. num. 8.* Aretin. *consil. 63. num. 4.* Ideò licèt Vicarius dicatur in dignitate constitutus; tamen absque dubio est de dignitatibus Episcopo inferioribus, quòd patet, cùm ab ipso constituatur, & sit ejus minister: inferior est autem, qui ministrat, quàm cui ministratur, ergo ut dignitari Episcopo inferiori, utique ab Abbate ei præcedetur.

Secundò Abbas est insigniis Pontificalibus decoratus; habet quippè privilegium deferendi Mitram, Baculum, Sandalia, Rochettum, Mantelletum, &c. habetur in *cap. Abbates*, & in *cap. ut Apostolica de privileg.*
Sed ex majoritate ornatus, qua quis uti potest, colligi- 3
tur etiam majoritas dignitatis, ut dixit Dominic. de S. Gemin. *in d. cap. ut Apostol.* dicens, quòd plus honorandus est Prælatus, qui potest uti talibus Insigniis Pontificalibus, quàm qui non potest uti: ergo cùm Vicarius Generalis Episcopi nequeat hujusmodi ornamentis, & Insigniis uti, procul dubio erit Abbati postponendus.

Tertiò, præterea Abbas potest primam tonsuram, & minores Ordines Religiosis sibi subditis conferre, & quamplurima alia exercere, quæ ad Ordinis Episcopalis potestatem spectant, ut ornamenta Ecclesiastica, sacras imagines, Pixides, Cruces, Abbates, & Abbatissas benedicere; Calices, & Patenas, Altaria, Campanas, & sacras Virgines consecrare, Ecclesias pollutas, & Cœmeteria reconciliare, & alia facere, de quibus omnibus, Deo dante suo loco luculenter tractabimus. At magis privilegiatus minùs privilegiato est
præferendus gloss. *in cap. accusatus, §. sanè, verb. privilegiatum, de hæret. in 6.* facit *cap. volentes de offic. legat.* cum similibus allegatis per Cassan. *in 4. parte Catalog. glor. mundi, consid. 32. vers. modo magis privilegiatus.* Igitur cùm Vicarius Generalis nihil de prædictis agere possit, cùm in eo non reperiatur potestas Ordinis, sed tantùm Jurisdictionis; tanquam minùs privilegiatus cedet, & postponetur Abbati magis privilegiato, præcipuè quando Abbas est plenissimè ab Episcopi Jurisdictione exemptus. 5

Facit ad prædicta omnia, quòd Henricus Bottæus *in tract. de Synod. part. 3. num. 10. & seqq.* recensendo Ordinem, qui tenendus est in sedendo in Synodo Diœcesana, primum locum assignat Episcopo, tanquam Capiti ipsius Synodi, ac etiam totius Diœcesis: secundum locum assignat Abbatibus per *dictum cap. fin. de offic. deleg. in 6.* tertium denique locum, & sic post Abbates assignat Vicario Episcopi, & hoc jure merito; ex prædictis

prædictis enim satis parere debet, Abbates, præcipuè exemptos, generali Episcopi Vicario præferri. Non videtur obstare, quòd Vicarius habeat Jurisdictionem Ordinariam, item quod associatur Episcopo in Jurisdictione, ut dicit text. *in can. in novatione* 16. *q.* 7. ex quo ait, Panorm. *consil.* 20. *&* 21. *p.* 1. illum præferendum esse omnibus Diœcesanis; sed de Abbate exempto non potest dici, quòd Ordinariam Jurisdictionem non habeat, eo ipso enim, quòd Religio ab Episcoporum Jurisdictione eximitur, transit in ejus Prælatos omnis potestas, & Jurisdictio, quam Episcopi in suos subditos habent, & sic dicuntur Jurisdictione Episcopali, seu quasi, potiri, quæ in eis est ex vi eorum muneris, & sic Ordinaria, quod suo loco clarè ostendimus. Item
6 neque Vicarius in jurisdictione assimilatur omninò Episcopo; non potest enim exercere causas criminales, nec conferre beneficia, sine speciali mandato, licèt sint de Ordinaria Jurisdictione *cap. ult. de offic. Vicar. lib.* 6. Nicol. Garc. *de benefic. p.* 5. *cap.* 8. *num.* 81. D. August. Barbos. *de offic. & potest Episc. part.* 3. *alleg.* 54. *num.* 60. & alii plures apud ipsum, & apud Garc. *loc. cit.* Item nec beneficia unire; nec uniones revocare potest. D. Barbos. *loc. cit. num.* 72. Item sine prædicto speciali mandato quamplura alia, etiam ad Ordinariam Jurisdictionis Episcopalis potestatem spectantia, ei non licent, quæ magno numero recenset D. Barbos. *d. alleg.* 54. *à n.* 60. usque ad *num.* 122. inclusivè, ubi 49. casus enumerat, in quibus Vicarius Episcopi ex generali Vicariatus commissione: absque speciali mandato, se intromittendi facultatem non habet; quæ tamen omnia ferè Abbati exempto ex vi sui muneris, & Jurisdictionis licita sunt, ut passim in his libris Deo dante patebit; Sed ex majoritate, & amplitudine Jurisdictionis major dignitas arguitur; ergo Abbas Vicarium præcedere debet.

Prætereà facit, quia Episcopo in Ecclesia præsenti secularis Magistratus Vicario Episcopi præfertur, ut di-
7 cit Menoch. *consil.* 275. *num.* 94. & declarat Sbroz. *de Vicar. Episc. lib.* 2. *quæst.* 26. *in fin.* Sed Abbates præferuntur omnibus Ducibus, tanquam ipsi habeant majorem dignitatem, per text. *in Authent. habita Cod. ne filius pro patre, &c.* Ubi primò nominatur Episcopus, deinde Abbas, & deinde Duces; sed ut dictum est ex priori nominatione major dignitas arguitur, atque ita tradit Lael. Zecch. *de repet. Eccles. cap.* 29. *de ordine, vel præcedent. Prælat vers. si verò,* ubi inquit, Abbatem exemptum præcedere Archidiaconum, & etiam Vica-
8 rium Episcopi, non exemptum verò Archidiaconum tantùm: idem dicit in *cap.* 25. *de Abbatibus, ad fin. numer.* 1. & tandem, quòd Abbates præcedunt Vicarios expressè habetur ex Cæremoniali Episcoporum *cap.* 23. ubi agitur de ordine observando, dum thurificantur personæ Ecclesiasticæ, his verbis: *Post Abbates, & Protonotarios supernumerarios Vicarius Episc. pro consuetudine Ecclesiar. &c.*

9 Non obstat, quòd Vicarius habet Ordinariam, & ampliorem Jurisdictionem, quia etiam Abbas jure proprio habet Ordinariam Jurisdictionem; nam contumaces tam in Ecclesia, quam extra eam corrigit, & punit, ordinandos examinat, beneficiatos in possessionem immittit, seu (ut ajunt) installat, beneficia confert, atque in eis instituit, & destituit, quod minimè Vicario licet, & licèt ex aliquo respectu Vicarii Jurisdictio pinguior esset, tamen hoc non obstat; quia plus, & minus non faciunt differre; nam hoc concesso, sequeretur Episcopum habentem Episcopatum amplum facultatibus, & populo, digniorem, & majorem esse alio Episcopo habente Ecclesiam tenuem, quod est absurdum dictu, ut experientia docet, cùm titularis antiquior solo tempore, licèt nec etiam Ecclesiam, vel Diœcesim habeat, præcedat posteriorem ditissimum.

10 Nec obstat, quòd Vicarius debeat honorari uti Episcopus, quemadmodum honoratur Vicerector, uti Rector, eo quòd unicum caput est cum Episcopo, inter quos non datur locus medius; quia respondetur Vicerectorem honorari uti Rectorem, quando ab eisdem, & eodem modo, quo Rector eligitur, puta ab Universitate; quia tunc verè est subrogatus, & quando habet easdem qualitates jure suo, quas habet principalis, aliàs non; ut tradit Barthol. *in l. filius, ff. de leg.* & pulchrè declarat Alciat. *in rubr. de offic. Ordin.* sed si Episcopi qualitates inspiciantur, certè incomparabiles sunt cum Vicario, quia ille est culmen dignitatis, ut per Archid. *cap. licet, de præbend. in* 6. & dicitur Pater omnium Clericorum, & superintendens, *canon. esto* 95. *dist.* at Vicarius nullam habet auctoritatem jure proprio.

QUÆSITUM IV.

Utrum, & quando Abbas præcedere debeat alios Prælatos Episcopo inferiores, cæterosque in dignitate constitutos, tam in Ecclesia Cathedrali, quam in aliis inferioribus.

SUMMARIUM.

1 *Archidiaconus quis sit, & quæ ejus dignitas, & præeminentia.*
2 *Decanus quis sit, & ejus dignitas.*
3 *Archipresbyter quis sit, & ejus munus.*
4 *Plebanus quis sit, & ejus officium.*
5 *Præpositus Ecclesiæ Cathedralis quis sit, & ejus præeminentia.*
6 *Præpositus Ecclesiæ Collegiatæ, & illius dignitas.*
7 *Abbas præcedit aliis dignitatibus inferioribus.*
8 *Protonotarii Apostolici quotuplices sint, & eorum præcedentia cum Abbatibus.*
9 *Abbas præferendi sunt etiam Generalibus Mendicantium.*
10 *Reverendissimi DD. D. Horatius Morandus, & D. Celsus Americus interfuerunt sæpè Capellæ Papali.*
11 *Generales Mendicantium tanquam Abbates, præcesserunt, & alii antiquiores Abbates.*

PRo intelligentia hujus quæsiti explicandæ sunt, quæ
& quales dignitates sint in Ecclesia tam Cathedrali, quàm Collegiata, ideò primò, & principaliter perscrutandum est, quis sit Archidiaconus, deinde Decanus, Archipresbyter, Plebanus, Præpositus, tam Ecclesiæ Cathedralis, quàm Collegiatæ. 1

Archidiaconus est, qui oculus, & præordinator Episcopi dici solet, *cap.* 1. *c. ad hæc de offic. Ord.* etiam dicitur Princeps Diaconorum, & debet esse Diaconus *cap.* 1. *de ætat. & qualit.* Abb. *in c. cùm in cunctis,* §. *inferiora, de elect.* Et absente Episcopo, ipso facto, est ejus Vicarius in quibusdam *c.* 1. ubi gloss. & Butr. *c. ad hæc* §. *secundum, de offic. Archid.* Unde dicitur: Vicarius natus, ut habetur ex Ost. *in sum. de offic. Archid. n.* 1. & Abb. *in c. dilecto de offic. Archid.* & Specul. *tit. de jurisdict. omn. jud. col.* 3. dicit illum esse Clarissimum; quod intelligitur, si assumatur à Collegio, non autem si ab Episcopo creatur; gloss. *in c. nullus dist.* 60. habet principalem dignitatem post pontificalem, Butr. *in c.* 1. *de offic. Archid.* ad ipsum quoque spectat, in beneficiis institutos in possessionem mittere, & ponere Abbates, & Abbatissas in sede *c. ad hæc* §. *in quadam, de offic. Archid.* sed hoc est intelligendum de Abbatibus, & Abbatissis non exemptis.

Decanus est major dignitas in Ecclesia post Pontificalem dignitatem, ut inquit Roder. Zamoren. *in suo spec. humanæ vitæ lib.* 2. *cap.* 13. ubi dicit, quòd Decano Ecclesiæ Cathedralis post Episcopum major, & principalior cura, & Collegii administratio competit: est proximior Episcopo dignitate, & honore, & habet in Collegio, & Capitulo primam vocem, ut refert Cassan. 4. *part. Catalog. glor. mund. consid.* 37. 2

Archi-

3 Archibresbyter est, qui primum post Archidiaconum locum tenet in Ecclesia Cathedrali, ut dicit gloss. *in c. 1. de offic. Archipresb.* & dicitur Vicarius natus Episcopi, quoad quædam spiritualia, ut in providendo ad vitam Presbyterorum, & Sacerdotum in celebrando Missam majorem, absente Episcopo, & absolvendo à casibus Episcopo reservatis, eo concedente, ut habetur in *sum.* Ostiens. *de offic. Archipresb.* Abb. *in cap. conquerente de offic. Ord.*

4 Plebanus, qui & Archipresbyter Ruralis, sive Decanus dicitur, in *c. fin. de offic. Archid.* & in Concil. Trident. *sess. 5. de reform. cap. 2.* ille est qui habet sub se capellas, in quibus perpetui Clerici institui solent, & eis subdii; dicitur Prælatus si per electionem assumatur, & Prælatorum Episcopo inferiorum privilegiis gaudet, secundùm Panormit. *in cap. cum contingat. num. 29. de foro compet.*

5 Præpositus in Ecclesia Cathedrali sequitur immediatè post Archipresbyterum, & ubi non est Archidiaconus, succedit in ejus locum, & ejus munera præstat *cap. translato de constit.* ex qua causa sonat in nomen dignitatis, & pro dignitate reputatur, licèt de jure officium tantùm sit; ut dicit Innocent. *in cap. de multa, de prabend. Archidiacon. in cap. 1. de consuet in 6.* Ejus munus est, fungi officio Archidiaconi, ubi is deest, & curare, ut jura Capituli custodiantur, ubi talis consuetudo viget, Læl. Zech. *de rep. Ecclesiast. cap. 24. numer. 15.*

6 Præpositus Ecclesiæ Collegiatæ est in dignitate constitutus, & Prælatus, ut affirmat Cucch. *in instit. major. tit. de Praposito*; Et etiam habet Jurisdictionem in Clericos Collegii, quos potest punire, si deliquerint in levibus; quia in gravibus sunt ab Episcopo puniendi, Abb. *in cap. cùm contingat,* & in *cap. si quis contrà, de foro compet.*

Quibus præmissis dicendum est, Abbatem præce-
7 dere omnes alios Prælatos Episcopo inferiores, & dignitates; quod satis probatum est in *duobus Quæsitis anteced.* certum est enim, quòd Abbas omnibus Prælatis, & dignitatibus post Episcopum præfertur; ideò observandum est, ut Abbates exempti non solùm Archidiaconum, verùm etiam Vicarium Episcopi præcedunt; quod est intelligendum extra Cathedralem, & ubi Collegialiter non incedirur; quia tunc etiam Canonici Abbatibus præferuntur ob reverentiam, quæ debetur majori Ecclesiæ, quam repræsentant, & ob alias rationes antedictas: quando autem non Collegialiter, sed singuli incedunt, vel simul in aliquo actu publico interveniunt, Abbates omnibus illis, præferen-
8 di sunt. Dubium solùm restat de Protonotariis Apostolicis, an Abbatibus præferantur?

Pro cujus solutione sciendum, Protonotarios Apostolicos esse in duplici differentia, & alii dicuntur Participantes, sive, quod idem est, de numero participantium; alii verò Supranumerarii. Primi Abbatibus præferendi sunt propter multas prærogativas, & privilegia, illis à Summis Pontificibus concessa: sunt enim illi, qui à S. Clemente PP. in numero septenario instituti fuerunt ad illud nobilissimum exercitium inquirendi Sanctorum gesta; quibus postmodum cùm fuissent septem Urbis regiones distributæ, Regionarii aliquando dicti fuerunt, ut habetur ex quadam Bulla Leonis X. quæ incipit: *Sacro approbante*; & aliis multis sunt insigniti honoribus.

Supernumerarii quibusdam privilegiis fruuntur, & isti Abbatibus primum locum præstant, quod probatur ex *d. lib. 1. Cære. Episc. c. 23.* ubi habetur Protonot. participantes (sicut retulimus) Abbatibus præcedere. Supranumerarios autem istos secùs.

Aliis Prælatis, tam secularibus, quàm Regularibus, Episcopo inferioribus quocunque nomine nuncupentur, sive nomine Prioris, aut Præpositi, vel Præsidis, sive Generalis, aut majoris, seu Magistri, certum est Abbates præferri. De Generalibus Ordinum Mendi- 9
cantium, de quibus fortassis potest aliquis dubitare, probatur, præter ea, quæ in *superioribus Quæsitis* allata sunt, ex Cæremoniali *loco citato*, & ex praxi communi, & stylo Curiæ Romanæ, ubi in Consistorio, & publicis sessionibus, & processionibus Abbates post Episcopos, & ante Generales Ordinum Mendicantium locum habent; tempore enim fel. record. Pauli V. anno 1618.
Reverendissimus D. Horatius Morandus Romanus, 10
tunc nostræ Congregationis Vallis-Umbrosæ Præsidens Generalis, & Abbas S. Salvi extra, & prope mœnia Florentiæ, nunc Abbas Sanctæ Praxedis de Urbe, simul cum Reverendissimo D. Celso Americo Romano Abbate Generali Cœlestinorum, & tempore felic. record. Gregorii XV. an. 1621. cùm sæpè Capellæ Papali interfuissent post Episcopos, & ante Generales Ordin. Mend. eis locus à Magistro Cæremoniarum assignatus
est. Nec dicas, illos habuisse locum ante Generales 11
Ordinum, ut Generales Monachorum, non, ut Abbates; quia Abbas Ripolensis Hispanus Ord. S. Benedicti Congregationis Montis Serrati, anno 1628. in solemni processione Corporis Christi immediatè post Episcopos incedebat; quod sæpe in hac Curia observatum fuisse restantur omnes. Et anno Domini 1516. die 14. Decembris Pontificatus Leonis X. Anno 4. in Conc. Later. *sess. 11.* Post Cardinales, Archiepiscopos, & Episcopos sequitur mediatè: *ac Vallis-Umbrosæ, & S. Dominici, S. Francisci, S. August. & S. Mariæ Servorum, Ordinum Generales.* Et paulò infra. *Generales Vallis-Umbrosæ S. Francisci, S. Dominici, & Sanctæ Mariæ Servorum.* Et *sess. 12.* Anno Domini 1517. die 16. Martii. In qua fuit præsens Sum. Pont. Leo X. post Cardinales Archiepiscopos, & Episcopos, immediatè sequitur, *Abbates, & Generales Ordinum.* Generales Ordinum Vallis-Umbrosæ habuit præcedentiam super Generales omnium Mendicantium.

Et multò antiquiùs in Concilio Viennensi, sub Clemente V. Pont. anno 6. post Episcopos, & Reges, post Abbatem Monasterii Cisterciens. Cabilonens. Diœces. ante reliquos Mendicantes, & ante omnes Mendicantes. Sequitur.

In eundem modum scribitur Dilecto Filio Abbati Monasterii Vallis-Umbrosæ Fesulanæ Diœcesis, &c.

Et die 12. Martii 1628. quæ fuit prima Dominica Quadragesimæ, Reverendissimus Pater Dominus Averardus de Niccolinis, Præses Generalis Congregationis Vallis Umbrosæ, ingressus Capellam Pontificiam in Missa solemni, locum tenuit pacificè immediatè post Episcopos, & suprà Generalem Ordinis Fratrum Prædicatorum, & cæterorum Generalium Mendicantium, qui aderant; nempè, S. Francisci, & S. Augustini.

Eodem die ingressus fuit Capellam Pontificiam Serenissimus Ferdinandus II. Magnus Dux Etruriæ, qui stetit immediatè super Illustrissimum Cardinalem Cavalerium, qui eo mane erat ultimus Presbyter Cardinalis; & post Missam solemnem idem Serenissimus Caudatarium egit Sanctissimo Domino Nostro D. Urbano Papæ VIII.

Dixi de Generalibus Ordinum Mendicantium; quia de præcedentia, quæ inter Generales Monachorum est observanda, satis constabit in *quæsito subsequenti.*

QUÆSITUM V.

Utrum Abbates Regulares inter alias seculares, & laicas dignitates, habeant aliquam præcedentiam.

SUMMARIUM.

1 *Abbates præferuntur Ducibus, & Proceribus Sacri Palatii.*

2 *Abbates*

2 *Abbates comparantur Præsidibus Provinciarum, & sic sunt Clarissimi.*

3 *Abbates, qui præcedunt Archiduces, & magnos Principes ostenditur.*

4 *Abbates regulariter præcedunt Comites, Barones, & Senechallos,* & num. 5.

6 *Argumentum ab ordine literæ, & subscriptionis validum est.*

1 Abbates non solùm Ecclesiastici dignitatibus, & Prælatis Episcopo inferioribus præferuntur, verùm etiam laicis Dominis Titulatis, ut sunt Duces, *auth. habita C. ne filius pro patre*, ubi Abbates præponuntur Ducibus, & Proceribus Sacri Palatii. Item Abbates habentes Castra, & Oppida, in quibus temporalem Jurisdictionem exercent, dicuntur habere ma-
2 gnam dignitatem, cùm comparentur Præsidibus Provinciarum, & sic sunt Clarissimi, secundùm Baldum *in l. 1. §. his cunabulis, circa medium ff. de off. Præfect. Prætor.* Cassan. *in 4. p. catalog. glor. mundi, consid.* 31.
3 *ad fin.* immò existimarem Abbatem Fuldensem, Abbatem Hirschfeldensem, Abbatem Murpacensem, Abbatem Campidonensem, Abbatem Corbejensem, Abbatem Prumensem, Abbatem Stabulensem præcedere Archiduces Austriæ, Duces Bavariæ, Duces Saxoniæ. Marchiones Misniæ, Marchiones Brandeburgenses, Duces Brunsvicenses, & Luntbargenses, Duces Fuliacenses, Duces Meghabolitanos, Duces Vvirtembergenses, Marchiones Badenses, Duces inferiores Saxoniæ, Duces Olsatiæ; Landgravios Lauembergenses, Principes Analtinos, Duces Sabaudiæ, Duces Lotharingiæ, Comites Ambergios, Landgravios Hassiæ, Ratio hujus præcedentiæ desumitur ex præcipua Abbatum præd. dignitate, nobilitate, & antiquitate; Argumen. autem, quòd hujusmodi Principes, Archiduces, Duces, Marchiones, & Comites, & Landgravii, & omnes alii Titulati his inferiores, præferant sibi ipsis prædictos Abates, desumitur à M. Daniële Ottone Origense *in sua disceptatione de jure publico Imperat. Romani cap.* 18. ubi enumerans classes status Imperii, Abbates suprà positos collocat in tertia classe, & supra dictos Principes Politicos, Archiduces, Duces, Comites, Marchiones, & Landgravios in quarta classe.

4 Secùs autem dicendum puto de aliis Abbatibus respectivè ad istos magnos Principes; non verò ad Comites, Vicecomites, Barones, Vicebarones, & alios Dominos temporales inferiores, quod probatur ex eod. M. Daniel, *loc. cit.* ubi post quintam Classem Abbatum ponit Comites, & Barones, & Vicecomites, & alios Titulatos in 6. classe, & confirmatur ea ratione *in primo quæsito postea*, scilicet, qui in literis sunt primò nominati præferendi sunt aliis, sed Abbates in literis, & Diplomatibus priùs nominantur Comitibus, Vicecomitibus, & Baronibus, & cæteris; ergo Abbates præcedunt Comites, Vicecomites, & Barones. Minor est manifesta, & pluribus Literis probari potest, præcipuè ex una Regis Angliæ hujus tenoris. *Riccardus Dei gratia Rex Anglorum, Dux Normaniæ, Aquitaniæ, Comes Andegaven. Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Comitibus, Vicecomitibus, Baronibus, Seneschallis, Præpositis, Justitiariis, & Ballivis, & Ministris, Fidelibus nostris salutem.* Habetur apud Renat. Choppin. *de Sacra Polit. lib. 3. tit. 1. num. 8.*

5 Hoc idem colligitur ex quamplurimis privilegiorum subscriptionibus, in quibus ipsi Abbates primi post Episcopos reperiuntur subscripti, & post eos reperiuntur subscripti Duces, Comites. &c. ut videre est in privilegio confirmationis fundationis Monasterii de Ramsey in Comitatu Huntington facta per Regem Eduvardum, quod incipit: *In Onomate Summi Kyrii*, secundo Kalend. Decembris, quod privilegium ante omnes firmat ipse Rex his formalibus verbis: *Ego Eduvardus Rex, Deo largiente, Anglorum, signum venerande Crucis impressi:* deinde post subscriptionem Regis sequuntur subscriptiones Archiepiscoporum, & primò: *Ego Stignandus Archiepisc. concessi, & confirmando signo S. Crucis consignavi; deinde Ego Æthelredus Archiepiscopus gratanter corroboravi.* Postea subsequuntur Episcoporum subscriptiones; deinde Abbatum: post Abbates, subscriptiones Ducum, Cubicularii, & aliorum: videre est apud Clementem Raynerum, *de Antiquit. Ord. Monach. nigr. scriptura 92.* Necnon idem conspici potest ex alia confirmatione Regali privilegiorum, & prærogativarum, facta per eundem Regem Eduvardum Monasterio S. Petri in Anglia, quam privilegiorum confirmationem ante omnes firmat ipse Rex his formalibus verbis: *Ego Eduvardus Dei gratia Anglorum Rex jussi componere, & compositum cum signo Dominicæ Crucis confirmando impressi.* Postea loquitur subscriptio Reginæ his verbis: *Ego Edgitha Regina omni alacritate mentis hoc corroboravi:* deinde sequuntur subscriptiones Episcoporum; Et primò, *Ego Stigandus Sanctæ Metropolis Ecclesiæ Cantuariæ Episcopus confirmavi. Ego Eldredus Archiepiscopus Eboracensis Ecclesiæ consignavi*, deinde sequuntur subscriptiones Episcoporum, & postea Abbatum subscriptiones, & primò: *Ego Eduinus Abbas consensi, & subscripsi. Ego Agelinus Abbas consensi, & subscripsi. Ego Leofricus Abbas consensi, & subscripsi*, & multæ aliæ subscriptiones Abbatum, quas brevitatis causa omitto (sat enim est supradictas in testimonium veritatis adducere:) deinde post Abbatum subscriptiones sequuntur subscriptiones Capellanorum Regis, deinde Ducum, deinde Comitum, postea Ministrorum, deinde sequuntur subscriptiones Militum. Quæ privilegii confirmatio facta fuit apud Monasterium prædictum quinto Kalendas Januarii die Sanctorum Innocentium, anno Dominicæ Incarnationis millesimo sexagesimosexto, indictione tertia, anno Regni Eduvardi vigesimoquinto, ut per eundem Rayn. *Discept. histor.* §. 16.

His igitur positis, benè ex ordine desumi potest ar- 6
gumentum pro Abbatibus, quòd cæteris in temporali dignitate constitutis sunt præferendi, nam ex ordine arguitur prærogativa, ita arguit gloss. *ordinaria in c. quorundam, super verbo, Prædicatorum, de elect. lib. 6.* & ibi Dominic. & Philip. Franc. dicentes, quòd illi Religiosi sunt præferendi in processionibus; & aliis, qui primò fuerunt approbati, & confirmati per Ecclesiam, arguendo ab ordine literæ, *alleg. cap. quorumdam*, & ibi arguit gloss. & illam glossam ad hoc notat Panor. *inc. Nicolao, in princ. de appell.* & idem Panor. *in c. sedes, de rescriptis*, & idem Panor. *in cap. avaritiæ, de præben.* In quibus locis multùm commendat dictam glossam, & facit text. cum ibi notatis per Panor. *in cap. nimis prava, de excess. Prælat.* & isto modo arguendi utitur etiam Bald. & Salycet. *in constitutione, C. ne filius pro patre*, ubi ex ordine dictæ literæ dicunt, quòd priùs obediendum est Deo, quàm Cæsari; ergo si Cæsar mandat id, quod est contra conscientiã, non est obtemperandum ei, neque in pace, neque in bello, secundùm eos ibidem: & sic in tali Ordine benè concludi potest, debere argui ad prærogativam Abbatum supra temporalium Dominorum dignitates eo modo quo suprà; nam dignius censetur præponi juribus supra allegatis.

QUÆSITUM VI.

De præcedentiis Abbatum inter seipsos.

SUMMARIUM.

1 *Abbas ille censendus est aliis major, & dignior, qui Episcopalibus Insigniis decoratus est.*

2 *Vestis excellentia arguit majorem excellentiam, & dignitatem.*

3 *Abbas exemptus Abbati non exempto ejusdem Ordinis praeferendus est.*
4 *Prior ad titulum Abbatiae assumptus posterius promotum in eodem Ordine praecedit.*
5 *Abbates antiquioris Religionis praeferuntur aliis.*
6 *Abbates, habentes usum Mitrae, praecedunt Commendatarios.*
7 *Sententia à Pio IV. lata ad favorem Canonicorum Regularium Lateranens. non extenditur ad alios Abbates, & Canonicos Regulares caeterarum Congregationum.*
8 *Abbates quando plures sunt in eodem loco, si habent Clerum distinctum, debent in processionibus unusquisque cum suo Clero, & suo loco incedere.*
9 *Lites, & controversias omnes de praecedentia inter Ecclesiasticas personas, tam seculares, quàm Regulares, componit Episcopus, omni appellatione remota.*

1 QUaestio haec incidere potest inter Abbates ejusdem Ordinis, vel respectu aliorum, qui ejusdem Ordinis non sunt. Inter Abbates autem ejusdem Ordinis, certum est, illum censendum esse aliis majorem, & digniorem, qui Episcopalibus Insignus decoratus est, ut probat text. *in cap. ut Apostolica, de privil. lib. 6.* ubi ex majoritate ornatus, quo quis uti potest, cognoscitur majoritas dignitatis, ut notavit Dominic. de Gemin. ibi, tum quia excellentia vestis arguit majorem excellentiam, & dignitatem, argum.
2 *l. nemo vir, & l. temperent, 4. C. de vestib. celebr. & deaurat. lib. 11.* Speculat. *de advocat. part. 1. §. sequitur secundo, num. 3.* Cassan. *in Catalog. glor. mund. part. 7. consider. 44.* Boër. *de auctor. magni Consil. numer. 29.* & alii plures, quos refert Contelor. *de quaest. de preceden. num. 4.*

3 Item Abbas exemptus Abbati non exempto ejusdem Ordinis praeferendus est, Franc. *in d. cap. ut Apostolica*, Navarr. *cons. 1. n. 2. & 10. de majorit. & obed.* Graff. *in aur. decis. part. 1. lib. 3. cap. 5. num. 239.*

4 Caeterìs verò paribus prior ad titulum Abbatis assumptus posteriùs promotum in eodem Ordine praecedit, per text. *in l. 1. C. de Consul. lib. 12. l. 1 ff. de alb. scrib. cap. 1.* ubi Panormit. *num. 4 de majorit. & obedient.* Graff. *dict. num. 138. in princip.* Laelius Zecchius, *de Republ. Ecclesiastic. cap. 29. ver. tertia Regula.*

5 Si autem inter Abbates diversae Religionis quaestio circa praecedentiam oriatur, tunc qui sunt antiquioris Religionis in institutione, praeferuntur aliis, sicuti docent Gundisalu. Villadieg. *de legat. part. 1. quaest. 17. num. 9 & 19. cum seqq.* Roder. *quaest. Regul. tom. 3. quaest. 38 art. 1. in fin.* cum aliis novissimè adductis per Conterol. *in quaest. de praecedent. num. 2. & 10.* & censuit Rot. *in Ortol. Praecedentia 10. Martii 1600. coram Litta, & in Roman. Praecedentia 24. Maji 1600. coram Card. Lancellotto*, ubi fuit dictum, Monachos Trium fontium, & Sanctae Crucis in Jerusalem de Urbe praecedere debere Monachos S. Eusebii, etiam de Urbe; quia illorum Ordo (qui est Cisterciensium) priùs institutus, & approbatus fuit, quàm Ordo istorum, qui est Caelestinorum.

Eadem de causa praecedere debebant Casinenses Monachi Olivetanis, ut statuit hoc Decretum.

DECRETUM.

Sacrae Congregationis Rituum, pro eisdem Monachis Congregationis Casinensis in una Veronen.

IN causa praecedentiae in Processionibus inter Abbatem, & Monachos Monasterii SS. Nazarii, & Celsi Congregationis Casin. ex una, & Abbatem, ac Monachos Monasterii S. Mariae in Organo Congregationis Olivetanae ex altera partibus, in Civitate Veronae commorantibus, in Sacra Rituum Congregatione proposita, diu ventilata, & agitata coram Illustrissimo, & Reverendissimo D. Cardin. Capponio, cui ab eadem Sacra Congregatione fuerat commissa, visis juribus ambarum partium, eorumque procuratoribus, & Advocatis tam in voce, quàm in scriptis pluries auditis, visoque processu ex Verona ab Episcopo Veronensi ejusdem Sacrae Congregationis in hac causa Delegato transmisso, & tandem audita relatione de praemissis omnibus facta in plena Congregatione à praedicto Illustrissimo, & Reverendiss. D. Cardinali Capponio, de voto, ac sententia omnium & singulorum Illustrissimorum, & Reverendissimor. DD. Cardinalium in eadem Congregatione praesentium, EADEM SACRA RITUUM CONGREGATIO censuit & declaravit in omnibus Processionibus, quae Veronae fiunt, in quibus praedicti Abbates, & Monachi Casinenses, & Olivetani simul interveniunt, praecedentiam dandam esse Abbati, & Monachis Casinens. & sic in futurum servari mandavit, quibuscunque non obstan. perpetuumque silentium super praemissis ambabus partibus imponendum esse censuit, & imposuit die 23. Januarii 1610.

Dominicus Episcopus Ostien. Card. Pinellus.

Locus † Sigilli.

I. P. Mucantius Secret. Congregationis.

Abbates, habentes usum Mitrae, praecedunt Commendatarios, ut habetur ex quadam declaratione Gregorii XIII. facta ad instantiam Concilii Provincialis Rothomagen. quae refertur à Marc. Ant. Genuen. *in sua prax. Archiepisc. c. 49.* ubi insuper habetur, Commendatarios inter Abbates esse recipiendos. 6

De Abbatibus, & Canonicis Regularib. Congregationis Lateranen. respectu Abbatum Cassinen. in praesentiarum sermo non habetur; cùm de illis, & orta inter eos lite, latè egerimus suprà hac *Disput. Quaest.* 1. 7

Abbates, quando sunt plures in eodem loco, & habent Clerum distinctum, debent in processionibus incedere, quisque cum suo Clero, & in suo loco, Sacra Rit. Congreg. *in Nocerina Galdi 19. Januar. 1613.* quam refert, & sequitur D. August. Barbos. *de Jur. Eccles. lib. 1. cap. 17. num. 111.* 8

Illud tamen advertere oportet, quòd circa litem illam stabilita, & decisa ad favorem Canicot. Regular. Lateranen. non extenduntur ad alios Abbates, & Canonicos Regular. caeterarum Congregationum, etiam sub S. Augustino militantium: & ideò minùs benè Joseph. Mozzagrug. *lib. 2. & 8. fol. 9. pag. 2.* probare contendit, sententiam à Pio IV. ad favorem Canonicorum Regularium Lateranens. latam, aequè pro Canonicis suae Congregationis S. Salvatoris Bononiens. facere: cùm ex ejusdem sententiae verbis id non satis appareat; immò contrarium eliciatur; cùm in ea Lateranens. tantùm Congregationis Canonici nominentur; ideò meritò illius dicta circa hoc confutantur à Gabriele Pennot. *Histor. tripart. Canon. Regul. lib. 2. c. 53. n. 12.* ubi testatur d. Congregationis S. Salvatoris Bononien. Canonicos, in ea causa, ne per somnium quidem. nominatos, sed neque laborum, vel expensarum participes fuisse.

Verùm pro complimento advertendum duxi, quòd lites, ac controversias omnes, quae de praecedentia inter Ecclesiasticas personas, tam Seculares, quàm Regulares in processionibus publicis, aut iis, quae fiunt in tumulandis Defunctorum corporibus accidere solent, Episcopus, omni appellatione remota, componit ex dispositione Sacri Concilii Trident. *sess. 25. de Regular. c. 13.* Quòd autem eas differentias componat omni appellatione remota, intelligendum est quoad effectum suspensivum dumtaxat: & haec compositio fieri debet brevi manu, summariè, simpliciter, & de 9

plano,

plano, sine strepitu, & figura judicii, prout decisum refertur Campanil. *in divers. jur. canon. rub. 12. c. 13. numer.* 120. Francisc. Leo *in Thes. fori Ecclesiast. part. 1. cap. 8 num.* 18. D. August. Barbos. *de offic. & potest. Episc. part. 3. allegat. 78. num. 26. secundum Lugdun. impress.* ubi cum Rota *in Colonien. Præcedentiæ 9. Junii* 1627. *coram R. P. D. Vbaldo Juniore*, subdit. Concil. Trident. *loco citat.* non substulisse adpellationem devolutivam, in cujus gradu benè datur manutentio possessori, quæ decisio *infrà* est 115.

QUÆSITUM VII.

De præcedentiis Prælatorum Regularium, qui Abbates non sunt, inter seipsos.

SUMMARIUM.

1 *Quam præcedentiam habeant inter se Prælati quatuor Ordinum Mendicantium.*

2 *Ordo scripturæ, & prior nominatio attendenda est.*

3 *Prælati Monachorum Reformatorum Cisterciens. S. Mariæ Fulien. præcedunt omnibus Mendicantibus.*

4 *Carmelitani praecedunt Fratres B. Mariæ de Mercede Captivor. & Fratres Minores de Observantia, & Fratres Conventuales.*

5 *Præcedentia inter reliquos Mendicantes, quomodo sit attendenda.*

6 *Prælati Regulares sunt præferendi Prælatis secularibus, Abbatibus inferioribus.*

1 ATtendenda est etiam differentia inter alios Prælatos Abbatibus inferiores inter se. Unde observandum est, ut Prælati Ordinis Prædicatorum præcedant Prælatos Ordinis Minorum, & reliquarum Religionum Mendicantium, etiam ubi Ecclesias non habent, aut alii Mendicantes antiquiores Ecclesias possident: ita declaravit Pius V. in Bulla, quæ incipit: *Divina disponente clementia*, edita anno Domini 1568. quæ est 71. in ordine in *Bullar. novo* Laërt. Cherub. *tom. 2.* de qua in *seq. Quæst.*

Post Prælatos autem Fratrum Prædicatorum ordine præcedentiæ subsequuntur Prælati Fratrum Minorum: postea Prælati Eremitarum S. Augustini, & deinde Carmelitarũ; juxta quem ordinem prædictæ Religiones in jure recensentur, ut *cap. unico §. sanè, de Religios. domib. in 6.* & in *Const.* Pii V. edita anno 1567. quæ incipit: *Romanus Pontifex tam universalis*, & in alia ejusdem Pontificis, quæ incipit: *Apostolicæ Sedis benignitas*, quæ habentur apud Laert. Cherubin. *loc. cit.*
2 inter constitutiones ejusdem Pontificis. Ordo autem scripturæ attendendus est, ut notavit gloss. *in c. cùm dilecta, verb. transponentes, de rescr.* Felin. *in rubr. de major. & obed. n. 5.* præterquam quòd cùm ex priori nominatione major dignitas arguatur, ut superiùs probatum est, Prælati, & eorum subditi, qui primò in jure nominantur, præcedere debent.

3 Hic autem advertendum est, hos Prælatos quatuor Religionum Mendicantium non præcedere Prælatos, & Monachos Congregationis S. Mariæ Fulien. Reformatos Ordinis Cistercien. licèt eorum Religiones ante d. Congregationem approbatæ sint, quia Clemens VIII. Motu proprio anno 1599. Pontificatus sui anno 8. decrevit; ut prædicti Monachi in processionibus, & functionibus publicis præcederent Ordines Mendicantes;
4 ita habetur in *Const. 61. d. Clem. VIII. in Bull.* Laert. Cherub. *tom. 3.* Item idem Pontifex decrevit, quòd Fratres Ordinis Sanctæ Mariæ de Monte Carmelo, ubique præcedant Fratribus B. Mariæ de Mercede redemptionis Captivorum, non obst. Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscunque. Ita habetur in *Const. 95.* ejusdem Pontif. *loc. cit.* De quibus Constitutionibus vide in *seq. Quæst.*

Controversia etiam olim viguit inter Fratres Minores de Observantia cum Fratribus Minoribus Conventualibus super præcedentia, quæ posteà ablata fuit per Leonem X. in *Constitutione 26.* apud Laert. Cherub. *tom. 1. Bullar.* ubi decrevit, Fratres Minores Conventuales Fratribus Minoribus de Observentia digniorem locum relinquere debere. De hac re iterum redibit sermo in *seq. Quæst.*

Quò verò ad alios Regulares, & eorum Prælatos hic sigillatim eorum præcedentia nequaquam ponitur; 5
cùm dicere sufficiat, quòd in præcedentia observanda est prioritas originis, vel consuetudo loci ex Bald. *in cap. cùm olim, de consuetud. num. 1.* & Zabar. *cons. 62. num. 1.* Renat. Choppin. *Monastic. lib. 2. tit. ult. num. 23.* & habetur ex Rot. Romana apud Seraph. *decis. 335. & decis. 663. & decis. 964. num. 1.* ubi ampliat rem hanc, dicendo, id etiam procedere, si consuetudo hujusmodi repugnaret dispositioni juris communis.

Inprimis autem attendenda est consuetudo, quæ inter Regulares, & Prælatos prædictos observabatur Romæ, quæ omnium magistra est: ita censuit *Sacra Illustrissimorum Cardinalium Congregatio, negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præfectorum, anno 1593. die 30. August.* habetur in *collect. privileg. Mendicantium* Joannis Baptistæ Confect. *fol. 188. impress. Florentiæ*, & in *lib. privilegiorum Camaldulen. fol.* 281. & apud Quarant. *in summ. Bullar. verb. præcedentia*, Piasec. *part. 2. c. 3. num. 48.* Campanil. *in diversor. jur. canon. rub. 12. cap. 12. num. 121. vers. & quoniam*, D. August. Barbos. *de offic. & potest. Episc. part. 3. alleg. 78. num. 24.*

Quo verò ad præcedentiam inter prædictos Prælatos Regulares cum Prælatis secularibus, Episcopo inferioribus, servandum dico, Prælatos Regulares præcedere debere omnes Clericos cujuscunque dignitatis, inferiores Episcopo, quod probatur multis rationibus, adductis in *Quæsito de præcedentia Abbates inter alios Prælatos, & alios graduatos, Episcopo inferiores*, ut benè ostendit Cassan. *in Catal. glor. mund. part. 4. consid. 36.* ubi vult, ea quæ dicta sunt de Abbate, etiam locum habere in Priore, & in quolibet alio Regulari principalem Prælaturam habenti in Ecclesia Collegiata Regularium. 6

QUÆSITUM VIII.

De præcedentiis Ordinum Regularium inter se in processionibus, & aliis actibus publicis.

SUMMARIUM.

1 *Bulla Gregorii XIII. de præcedentiis, & præcipuè inter Ordines Mendicantes in processionibus, refertur.*

2 *Monachi Cistercien. Reformati Congregationibus S. Mariæ Fulien. omnibus Fratribus Mendicantibus præferuntur.*

3 *Carmelitæ præcedunt Fratres B. Mariæ de Mercede.*

4 *Minores de Observantia in omnibus actibus habent locum magis dignum, quàm Fratres Conventuales.*

5 *Prædicatores obtinent honorabiliorem locum inter cæteros Mendicantes.*

6 *Minores Observantes Reformati habent præcedentiam.*

7 *Cælestini præcedunt Monachos Olivetanos.*

8 *Sylvestrini quomodo præcedant Mendicantes.*

9 *Capuccini debent præbere præcedentiam in processionibus iis Regularibus, qui sub propria Cruce incedunt.*

10 *Mendicantes Fratres semper debent & ubique Monachis præcedentiam concedere.*

11 *Monasterium priùs constructum priorem sibi vendicat præcedentiam*, & n. 12.

13 *Præcedentia inter Procuratorem Generalem Fratrum Minorum de observantia, & Procuratorem Generalem Conventualium Ordinis S. Francisci decretum describitur.*

14 *Sigillum Ministri Generalis de Observantia decreto sacræ Rituum Congregationis confirmatur.*

15 *Præcedentiæ controversias inter Regulares exortas debet Episcopus componere.*

16 *Monachi Religionis origine, & confirmatione posterioris, Collegialiter viventes, præcedunt Monachis Religionis priùs approbatæ, viventibus ut privatis, & nullum Collegium constituentibus.*

1 QUia sæpè inter Religiosas personas in multis Civitatibus, & Diœcesibus diversarum mundi partium, nonnullæ lites, & controversiæ super præcedentia ortæ fuerunt, & præcipuæ inter Ordines Mendicantium in processionibus: Gregorius XIII. ad hujusmodi controversias, & lites dirimendas, per Bullam, quæ incipit: *Exposcit pastoralis officii munus*, sub Datum Romæ apud S. Marcum, sub Anulo Piscatoris, die 15. Julii 1583. Pontificatus sui anno 10. apud Laërt. Cherub. *Bullar. nov. tom. 2. Bull. ejusd. Pont. 86.* statuit, ut (appellationibus quibuscunque remotis) ille Ordo Mendicantium præcedere deberet, in processionibus, qui esset in possessione præcedentiæ, ac juris præcedendi; quando verò non posset probari, aut constare de quasi possessione præcedentiæ hujusmodi; statuit ipse Summus Pontifex, ut ii Fratres Mendicantes in processionibus, tam publicis, quàm privatis, præcedere deberent, qui essent antiquiores in loco controversiæ: ita ut si contigerit nova Monasteria, aut domus alicujus Ordinis Mendicantium, in loco, in quo alterius Ordinis ex dictis Mendicantibus Monasteria, aut domus priùs erecta, & instituta essent; ille Ordo, qui priùs Monasterium, seu domum in loco habuerit, præcedat. Hujus Constitutionis tenor talis est.

GREGORIUS XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

EXposcit pastoralis officii munus, cui, disponente Domino, præsidemus, ut ad ea sollicitè intendamus, per quæ discordiarum, & litium, & controversiarum quarumlibet, præsertim inter personas Ecclesiasticas materia tollatur. Sanè nobis nuper innotuit, quòd in multis Civitatibus, & Diœcesibus diversarum mundi partium nonnullæ lites, causæ, & controversiæ inter Confratres Confraternitatum Christi fidelium, super præcedentia, vel jure præcedendi, ortæ jam sint, & oriri facilè possint. Nos considerantes lites, causas, & controversias hujusmodi in Ecclesia, præsertim inter religiosas personas, quæ relictis mundi vanitatibus, famulatum, & votum suum in humilitatis spiritu Domino, & Deo nostro, qui se pro nobis usque adeò humiliavit, ut formam servi acciperet, exhibere, & persolvere profitentur, non modicam illi præclaræ, Deoque præcipuè dilectæ virtuti, quæ est humilitas, labem infundere, populoque scandalum generare, ac propterea illas omni ratione submovendas, publicæque religionis tranquillitati, ac ministrorum Ecclesiasticorum reconciliationi, & mutuæ dilectioni quamprimum consulendum esse rati, ac supremam huic negotio manum apponere volentes, necnon causas, lites, seu controversias hujusmodi ubilibet, & coram quibusvis Judicibus motas, & in quibusvis instantiis indecisas pendentes ab eisdem Judicibus harum serie ad nos advocantes, illasque penitùs extinguentes, eisdemque Fratribus Mendicantibus, ac Confratribus super præmissis perpetuum silentium imponentes. De nobis attributæ potestatis plenitudine volumus, & Apostolica auctoritate decernimus, quod quicumque ex dictis Fratribus Mendicantibus inter se de præcedentia hujusmodi contendentibus; aut Confratribus Confraternitatum prædictarum, inter quos lites, & causæ præmissorum occasione ortæ jam sint, seu oriri contigerit in futurum, qui in quasi possessione præcedentiæ, ac juris præcedendi sunt, ii, (quibuscunque reclamationibus, protestationibus, appellationibus, & aliis subterfugiis prorsus remotis, & cessantibus, & postpositis) in processionibus tam publicis, quàm privatis præcedere debeant. Quando verò non probetur, aut non constet de quasi possessione præcedentiæ hujusmodi inter Fratres qui sunt Mendicantes, ii qui antiquiores in loco controversiæ; inter Confratres verò inter se litigantes, ii, qui priùs faccis usi sunt, in processionibus tam publicis, quam privatis, præcedere debeant: ita si contigerit nova Monasteria, aut domus alicujus Ordinis Mendicantium, in loco, in quo alterius Ordinis ex dictis Mendicantibus Monasteria, aut domus priùs erecta, & instituta sint, ille Ordo, qui priùs Monasterium, seu domum in loco habuerit, præcedat. Prætereà quia inter prædictos Ordines plerumque alia, in processionibus, & alia in Conciliis generalibus, & aliis actibus publicis, sive privatis, ratio circa modum præcedendi servatur, nolumus per præsentes prærogativæ dictorum Ordinum, quoad præcedentias hujusmodi, quæ propriis Ordinibus, præterquam in processionibus prædictis debentur, aut Fratribus Capucinis nuncupatis, qui in processionibus publicis sub Conventualium S. Francisci, aut Minorum de Observantia Fratrum nuncupatorum, Cruce, ut solent, incedere possint, aliquod præjudicium generari. Sicque per quoscunque Judices, & Commissarios, etiam S. R. E. Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & diffinire debere, ac quicquid secus super his à quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus. Non obstantibus constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Ecclesiarum, Monasteriorum, Ordinum, Congregationum, domorum, ac Confraternitatum quorumcunque, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis, illis, eorumque superioribus, & personis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, in genere, vel in specie, etiam motu proprio, aut aliàs quomodolibet concessis, aut etiam iteratis vicibus approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut præsentium transsumptis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quàm extra adhibeatur, quæ præsentibus litteris adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub Anulo Piscatoris, die 15. Julii, 1585 Pontificatus nostri, anno 12.

Anno à Nativitate Domini 1583. indict. 11. die verò Dominica 17. mensis Julii, Pont. verò Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Gregorii divina providentia Papa XIII. anno duodecimo retroscripta litera Apostolica in forma brevis expedita, affixa, & publicata fuerunt in acie Campi Floræ, ut moris est, per nos Petrum Guerram, & Melchiorem Riccium, ejusdem Sanctissimi Domini nostri Papæ Cursores.

Joannes Baptista Bagni Magister Curs.

Monachi

Monachi Congregationis B. Mariæ Fulien. Cistercien. Ordinis S. Benedicti, in processionibus, aliisque actibus publicis omnibus Fratribus Mendicantibus præferuntur, de qua præcedentia extat Bulla Clementis VIII. quæ incipit: *Regis pacifici*, sub Datum Romæ apud S. Petrum, sub Anulo Piscatoris die 9. Febr. 1599. Pontificatus sui anno 8. apud Laer. Cherub. *Bullar. nov. Bulla ejusd. Pont. 56.* in qua Bulla dictus Summus Pontifex approbando confirmat Decretum Sacræ Congregationis super controversia præcedentiæ inter Monachos dictæ Congregationis, ac Fratres Mendicantes, in processionibus, & aliis actibus publicis, quæ Sacra Congregatio diffinitivè determinavit, Fratres dictæ Congregationis, uti Monachos præferendos esse, ac præferri debere Fratribus Mendicantibus, primumque & digniorem locum in functionibus, & actibus publicis jure obtinere, nec Monachos, dictæ Congregationis à Fratribus Ordinum Mendicantium hujusmodi, in hoc molestari posse, neque debere, censuit, & ordinavit. Quod Decretum ipse Summus Pontifex extendit non solùm pro Monachis Civitatis Burdegalensis, qui erant in causa, sed etiam ubique; præcipitque in virtute sanctæ obedientiæ, & sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, ipso jure incurrendæ, omnibus, & singulis Superioribus, & Fratribus quorumcumque Ordinum Mendicantium, præsentibus, & futuris, à qua non possint, nisi per Romanum Pontificem tantùm pro tempore existentem, præterquam in mortis articulo constituti, absolvi, ne dictam Congregationem Fulien. ac illius Monachos, tunc, & pro tempore existentes, super præmissis, aut eorum aliquo molestare, inquietare, aut quoquo modo impedire præsumant, seu audeant; vide D. August. Barbos. *de offic. & potestat. Episcop. part. 3. allegat. 78. sub num 37 secundùm Lugd. impress.* Bulla prædicta in propriis verbis talis est.

CLEMENS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Regis pacifici, qui regnat in cælis, vices, quanquam immeriti, gerentes in terris ad ea per quæ personarum quarumlibet, præsertim vitam Monasticam ducentium, & mundanis spretis illecebris, in solitudine, piæ vitæ, & assiduis orationibus vacantium quieti, & tranquillitati consulitur, ac litibus, & controversiis, quæ inter personas præfatas, & alios Regulares vitæ professores, ortæ sunt, & oriri possunt, occurritur, libenter intendimus; & his quæ propterea proinde decreta fuisse dicuntur, ut firma perpetuò, & illibata persistant, libenter, cùm à Nobis petitur, Apostolici muniminis adjicimus firmitatem. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilecti filii Joannis à S. Nicolao Procuratoris Generalis, Congregationis B. Mariæ Fuliensis, Cisterciensis Ordinis, petitio continebat quòd aliàs Congregatio venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium super negotiis Episcoporum, & Regularium deputatorum, ad litibus & controversiis, quæ tunc ortæ erant & oriri poterant in futurum inter Monachos, & Fratres dictæ Congregationis Fuliensis hujusmodi ex una, ac fratres Ordinum Mendicantium partibus ex altera, ratione præcedentiæ in processionibus, & aliis actibus publicis salubriter obviandum, & occurrendum; re diligenter, & maturè discussa, Fratres dictæ Congregationis, uti Monachos præferendos esse, ac præferri debere Fratribus Mendicantibus, primumque, & digniorem locum in functionibus, & actibus publicis jure obtinere: nec Monachos dictæ Congregationis à fratribus Ordinum Mendicantium hujusmodi, in hoc molestari posse, neque debere censuit, & ordinavit, prout in ipso decreto, & scripturis, desuper confectis pleniùs continetur.

Et licet decretum hujusmodi ubique inviolabiliter ab omnibus observari, nec illi in aliquo contraveniri deberet, nihilominus dilecti filii Fratres dicti Ordinis Mendicantium Civitatis Burdegalensis, illud non aliter observantes, dilectos filios Monachos Monasterii dictæ Congregationis in dicta Civitate existentis, litibus, & controversiis, causa, & occasione præcedentiæ hujusmodi involvere, ipsamque præcedentiam sibi attribuere & arrogare non desistunt, in non leve præjudicium Monachorum Congregationis hujusmodi. Quare pro parte Joannis Procuratoris generalis hujusmodi, ne amplius Monachos dictæ Congregationis super eadem præcedentia ab ipsis Fratribus Mendicantibus, vano prætextu contingat impediri, & ad litibus, & controversiis hujusmodi, jam de præsenti ortis, & in futurum verisimiliter orituris maturè obviandum, Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus tranquillitati Monachorum dictæ Congregationis Fuliensis consulere, ac aliàs in præmissis opportunè providere, de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur, qui fideles quoslibet pacis, & quietis amœnitate perfrui summopere peroptamus, eundem Joannem Procuratorem generalem, simulque dictam Congregationem Fuliensem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, ipsum pie Joannem à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium duntaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes: nec non litis, & causæ, si quæ desuper inter Monachos Congregationis, & Fratres Mendicantes hujusmodi, ubilibet pendeat, statum, & merita, aliorumque hic etiam forsan de necessitate exprimendorum; ac etiam decreti, scripturarum prædictorum, & inde sequutorum quorumcumque tenores etiam veriores præsentibus pro sufficienter expressis habentes; nec non causas ad Nos avocantes, litemque hujusmodi penitus extinguentes perpetuumque silentium desuper eisdem Fratribus Mendicantibus imponentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, decretum, & ordinationem prædicta, ac prout illa concernunt, omnia, & singula in dictis scripturis contenta quæcumque, cum omnibus, & singulis inde sequutis, auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuò approbamus, & confirmamus; ac illis perpetuæ, & inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus: omnesque, & singulos tam juris, quàm aliàs quomodolibet requisitarum, vel necessariarum, ac quosvis alios, etiam quantumvis substantiales defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, aut intervenisse, dici vel censeri possint, supplemus; ac decretum, & ordinationem prædicta perpetuò valida, & efficacia fore, & esse, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere. Nec non à dictis filiis Ordinis Mendicantium hujusmodi Superioribus, & Fratribus nunc, & pro tempore existentibus, ac quibusvis aliis, ad quos nunc quomodolibet spectat, & spectare poterit in futurum, perpetuò, firmiter & inviolabiliter, ac ubique, præsertim in dicta Civitate Burdegalensi, observari, & adimpleri decernimus.

Et nihilominus pro potiori cautela, omnibus, & singulis Superioribus, & Fratribus, quorumcumque Ordinum Mendicantium, præsentibus, & futuris, præsertim verò, dictæ Civitatis Burdegalensis, in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, per contravenientes eo ipso, absque alia declaratione incurrenda, à qua non nisi per Romanum Pontificem tantum pro tempore existentem, præter quàm in mortis articulo constituti, absolvi possint, ne dictam Congregationem Fuliensem, ac illius Mona-

Monachos, nunc, & pro tempore existentes, super præmissis, aut eorum aliquo molestare, inquietare, aut quoquomodo impedire præsumant, seu audeant districtiùs inhibemus. Decernentes præsentes litteras, sub quibusvis suspensionibus, vel derogationibus, etiam à Sede Apostolica, vel ejus legatis, & aliàs quomodolibet emanatis, & emanandis, comprehendi non posse, & quoties eas revocari, suspendi, aut eis in aliquo derogari, seu contra illas aliquid concedi contigerit toties in pristinum, & validissimum statum restitutas esse, & censeri. Et sic per quoscunque Judices, & locorum Ordinarios, aliosque commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam ejusdem sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, ac causarum Palatii Apostolici Auditores, sublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & diffiniri debere, ac ex nunc irritum & inane quicquid secus super his, à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari, eisdem auctoritate, & tenore decernimus. Quocirca Venerabilibus fratribus Archiepiscopo Burdegalensi, & Episcopo Vasanensi, seu eorum Officialibus, & dilecto filio Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ generali Auditori, per præsentes committimus, & mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios, præsentes litteras & in eis contenta quæcunque, ubi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Joannis Procuratoris generalis, ac Monachorum Congregationis Fuliensis hujusmodi fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra Joannem Procuratorem, ac Monachos prædictos, & eorum singulos, confirmatione, approbatione, abjectione, suppletione, inhibitione, decreto, ac omnibus præmissis, nostrisque præsentibus litteris hujusmodi pacificè frui, & gaudere. Non permittentes eos, vel eorum aliquem desuper, per quoscunque, quavis auctoritate fungentes quomodolibet indebitè molestari. Contradictores, molestatores quoslibet, ac inobedientes, & rebelles, per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, ac facti remedia, appellatione postposita, compescendo; nec non legitimis super his habendis servatis processibus, censuras & pœnas, prædictas etiam iteratis vicibus aggravando, interdictum Ecclesiasticum imponendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris nostri de una, & in Concilio Generali de duabus dietis edita, dummodo aliquis auctoritate præsentium, ultra tres dietas ad judicium non trahatur ac quibusvis aliis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon dictorum Congregationis, & Ordinis Fratrum Mendicantium, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis Ordini Mendicantium hujusmodi, ac illius Superioribus, Fratribus, & Personis, sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis quomodolibet, etiam motu proprio, etiam consistorialiter concessis, ac probatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus: cæterisque contrariis quibuscumque. At si eisdem Superioribus, & Fratribus Mendicantibus hujusmodi, vel quibusvis aliis communiter, vel divisim, ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub Anulo Piscatoris, die 9. Februarii 1599. Pontificatus nostri Anno octavo.

Fratres Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo, tam in publicis processionibus, quàm in funeralibus præcedunt Fratres B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum; & de tali præcedentia extat bulla Clementis VIII. quæ incipit: *Decet Romanum Pontificem*, apud Laërt. Cherubin. *Bullar. nov. tom.* 3. *Bulla ejusd. Pont.* 95. per quam Bullam dictus Summus Pontifex committit Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis locorum Ordinariis, ut quandocumque, & ubicumque opus fuerit, & quoties pro parte dictorum Fratrum Carmelitarum requisiti, virtute Bullæ prædictæ possint, & valeant cogere per censuras, & alias pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, ipsos Fratres B. Mariæ de Mercede, ut præcedentiam relinquant ipsis Fratribus Carmelitis, appellatione postposita, immo, si opus fuerit, possint ad hoc invocare auxilium brachii secularis; vide D. August. Barbos. *ubi proximè*.

Demùm, quod Ordo Carmelitarum præcedat Fratres S. Mariæ de Mercede, censuit Rot. *in Orsolen. Præcedentia* 30. *Maji* 1600. *coram Litta*, est *decis.* 26. *part.* 2. *Recent.* ea scilicet ratione: quia Ordo Carmelitarum institutus fuit ante Concilium Generale, de quo in *cap. ne nimia, de Relig. domib.* ut probatur in *cap. fin.* §. *sanè ad Prædicatorum, eod. tit. in* 6. & approbatus per Honorium III. anno salutis 1225. Ordo autem B. Mariæ de Mercede institutus fuit post dictum Concilium Generale, & approbatus à Gregorio IX. Pontif. sui anno 8. qui Pontifex creatus fuit post dictum Honorium; & ideò Rot. *ubi suprà*, decrevit, præcedentiam deberi dicto Ordini Carmelitarum, uti priori in tempore, adnotata per Doctor. *in l. honores, ff. de Decur. & in l. fin.* ubi Bar. *C. de tyronib. lib.* 12. cum aliis per Cassan. *in Catalog. glor. mund. par.* 4. *consid.* 52. *vers. quinto ergò*, & per Tobiam Nonium *cons.* 71. *num.* 35. Navar. *cons.* 5. *de stat. Monach.* & juxta hanc doctrinam sæpiùs, tam à Sacra Rituum Congregatione, quàm à Rota in hac materia decisum fuisse testatur eadem Rot. *in una Salernitana Præcedentia* 2. *Junii* 1625. *coram bon. mem. Buratto*, ubi plures concordantes in *additionibus*, refert D. Jo. Francisc. Florentill. Nobilis Interamnen. & in Romana Curia Advocatus, qui de se multa, & gravia in dies pollicetur. Sed pro tali controversia extat Bulla Clementis VIII. hujus tenoris.

CLEMENS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

DEcet Romanum Pontificem dissensionum, & controversiarum materias inter Ecclesiasticas, Regulares præsertim, personas è medio tollere, ac præcidere, prout in Domino salubriter conspicitur expedire.

Cum itaque, sicut pro parte dilecti Filii Procuratoris Generalis Ordinis Fratrum Carmelitarum Nobis nuper expositum fuit, aliàs in Civitate Calaguritana in Regno Sardiniæ orta fuerit controversia de præcedentia inter Fratres Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum. Et licet de anno 1600. sub die 27. Aprilis per Visitatores Apostolicos decretum fuisset, ut Fratres Carmelitarum in eorum possessione præcedendi, dictis Fratribus B. Mariæ de Mercede manutenerentur, & pridem in sacro Rotæ Auditorio, die 10. Martii 1600. etiam in petitoria, præcedentiam dictis

Fratr-

Fratribus Carmelitanis deberi contra ipsos Fratres de Mercede declaratum fuerit, nihilominus dicti Fratres de Mercede recusaverint, & recusent præcedentiam dare dictis Fratribus Carmelitanis, & propterea non sine scandalo populi ad publicas processiones, & funera defunctorum, cum ipsis Fratribus Carmelitanis accedere noluerint. Nos super præmissis opportunè providere, ac omnem scandali, & controversiæ occasionem, quantum cum Domino possumus è medio tollere volentes, supplicationibus ejusdem Procuratoris generalis nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ex voto Venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium super sacris ritibus, & cæremoniis deputatorum; declaramus, & decernimus, prædictos Fratres B. Mariæ de Mercede cogendos esse, ut ad processiones publicas, & funeralia accedant, & præcedentiam dictis Carmelitanis Fratribus relinquant, juxta formam supradictorum decreti, & decisionis Rotæ. Sicque, & non aliter per quoscunque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane, quidquid secus super his à quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis locorum Ordinariis, per præsentes committimus, & mandamus, ut quandocumque, & ubicumque opus fuerit, & quoties pro parte dictorum Fratrum Carmelitarum fuerint requisiti, præsentes litteras, & in eis contenta quæcumque solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra prædictos Fratres B. Mariæ de Mercede in Civitatibus, & locis, in quibus utraque Religio, Carmelitarum scilicet, & B. Mariæ de Mercede est instituta, ad processiones publicas, & funeralia, ad quæ accedere tenentur, omnino accedere, ac præcedentiam ipsis Fratribus Carmelitanis, ut præmissum est, in illis, & in aliis etiam privatis processionibus, & actibus in quibus utramque Religionem simul convenire contigerit, relinquere, ac ipsos fratres B. M. de Mercede id facere recusantes, per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna, juris & facti remedia, appellatione postposita cogant, & compellant: invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut præsentium transsumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem fides habeatur, quæ eisdem præsentibus haberetur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Anulo Piscatoris, die 15. Novembris, 1602. Pontificatus nostri anno 11.

Fratres Minores de Observantia in omnibus actibus habent locum magis dignum, quàm Fratres Conventuales; unde ipsi Fratres de Observantia Crucem suam in loco digniori deferre possunt, prout motu proprio declaravit Leo X. in Bulla, quæ incipit: *Licèt aliàs*, in qua disponitur, quòd tam Conventuales, quàm de Observantia, & Reformati Fratres prædicti in quibuscumque processionibus, & aliis actibus, in quibus Crux deferenda foret, suam deferre possint, ita tamen, quòd Crux ipsorum Fratrum de Observantia, & Reformatorum, loco digniori deferatur, Tenor hujus Constit. est.

LEO PAPA X.

Universis, & singulis præsentes litteras inspecturis, Salutem, & Apostolicam benedictionem.

Licet aliis, postquam statueramus, & ordinaveramus, quòd de cætero perpetuis temporibus Fatres B. Francisci sub puritate ejus Regulæ, & sub regulari Observantia viventes, ac Reformati, Ministrum, Fratres dicti Ordinis Conventuales nuncupati, Magistrum generalem habere deberent, ne inter Reformatos, & Conventuales Fratres hujusmodi super præcedentia dissensio, & contentio oriri posset, voluerimus, & statuerimus, quòd in processionibus, & aliis actibus publicis Fratres Conventuales Fratribus regularis Observantiæ Ministrum habentibus locum digniorem relinquere tenerentur. Quodque fratres ipsi Conventuales semper eorum Crucem, & vexillum per eos deferri solitum, deferre liberè, & licitè valerent. Quia tamen, ut ex nonnullorum relatione accepimus, Fratres ipsi Conventuales prætendunt, Crucem ipsorum Conventualium deferre in loco digniori. Nos autem, qui præmissa omnia statuimus, ut omnis dissensio, & contentio inter eosdem Fratres de Observantia, & Conventuales tolleretur, mentisque nostræ fuerit, prout etiam id expressimus, quòd in omnibus actibus Fratres de Observantia haberent locum magis, quàm ipsi Conventuales, & propterea mentis nostræ incommutabilis fuerit, prout existit, quod ipsi Fratres de Observantia Crucem suam in loco digniori deferant. Ad hujusmodi tamen ambiguitatis dubium de mentibus omnium tollendum, Motu proprio, & certa Nostra scientia, & de Apostolicæ potestatis plenitudine declaramus, mentis Nostræ fuisse, quod tam Conventuales, quàm de Observantia, & Reformati Fratres prædicti in quibuscumque processionibus, & aliis actibus, in quibus Crux deferenda foret Crucem suam deferre possint; ita tamen, quòd Crux ipsorum Fratrum de Observantia, & Reformatorum loco digniori præferatur. Quodque ipsi Fratres de Observantia Reformati veri, & indubitati Fratres Ordinis B. Francisci, & ejus Regulæ observatores semper fuerint, ac divina favente gratia sint futuri, sine aliqua interruptione, seu divisione à tempore editæ Regulæ per B. Franciscum usque ad præsens, ac sub ipsius B. Francisci Regula militaverint, & etiam ad præsens militent, sicque in omnibus teneri, & observari, ac dici debere, decernimus, ac mandamus. Mandantes nihilominus omnibus, & singulis Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, ac Ecclesiarum Capitulis sub interdicti ingressus Ecclesiæ, ac suspensionis à divinis, inferioribus verò Prælatis, ac Parochialium Rectoribus, necnon Mendicantium, & aliorum Ordinum professoribus sub excommunicationis latæ sententiæ pœnis ipso facto incurrendis, à quibus, nisi per Romanum Pontificem pro tempore existentem præterquam in mortis articulo absolvi nequeant, quatenus declarationem, & decretum hujusmodi inter Conventuales, ac de observantia, & Reformatos Fratres hujusmodi inviolabiliter observent, observarique faciant; necnon ne eosdem Fratres Conventuales, & de Observantia, & Reformatos hujusmodi super his molestent, aut perturbent, seu per quoscumque cujuscumque status, gradus, ordinis, vel conditionis existentes, seu etiam inter se quomodolibet molestari, perturbari, vel inquietari permittant. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac statutis, & consuetudinibus dictorum Ordinum, juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, necnon privilegiis, indultis, ac litteris Apostolicis, illis forsan concessis, confirmatis, & innovatis, quibus illorum omnium tenores, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter exprese derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quòd præsentium transumptis manu publici Notarii subscriptis, & sigillo Ministri Generalis pro tempore existentis dicti Ordinis Minorum, aut alterius Prælati in dignitate Ecclesiastica constituti munitis in judicio,

& alibi, ubi opus fuerit, eadem fides adhibeatur, quæ adhiberetur eisdem præsentibus litteris, si illæ forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Petrum sub Anulo Piscatoris die 6. Decembris 1517. Pontificatus nostri anno 5.

Habetur apud Laert. Cherub. *tom. 1. Constit. 26. ejusdem Pontif.*

Fratres Ordinis Prædicatorum obtinent primum digniorem, & honorabiliorem locum inter cæterorum quorumcumque aliorum Ordinum Mendicantium Religiosos, & etiam non Mendicantes, post Clerum secularem, & antiquos Ordines Monachales, ut declaravit Pius V. in Bulla, quæ incipit: *Divina disponente clementia.* Datum Romæ apud S. Petrum, sub Anulo Piscatoris, die 27. Augusti 1568. Pontif. sui anno 3. Idemque statuit Clemens VIII. in Bulla, quæ incipit: *Inter cætera.* sub datum Romæ apud S. Marcum, sub Anulo Piscatoris, die 25. Septembris 1592. Pontificatus sui anno 1. apud Laert. Cherub. *tom. 3. Bullar. nov. Bulla ejusd. Pont. 13.* D. August. Barbos. *de offic. & potest. Episc. p. 4. alleg. 78. n. 30.* Contelor. *in quæst. de præcedentia n. 76.* quas Constitutiones in re tanti momenti, quæ sæpè à Regularibus disputari solet, hic apponere mihi visum est.

PIUS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

Divina disponente clementia omnium mortalium Judices in terris constituti, Nos id potissimum curare decet, ut unicuique quod suum est, sublatis quibusvis jurgiis, & litium dispendiis, tribuatur; veritas, justitia, & pax invicem se amplexentur, honorque, & ordo debitus inter omnes, præsertim Religiosos, nobiscum sub uno, & eodem vexillo Deo militantes servetur. Cùm itaque nuper acceperimus, quòd sacer Ordo Fratrum Prædicatorum præ cæteris aliis fratrum Mendicantium Ordinibus à Sede Apostolica primò etsi approbatus, & confirmatus fuerit, illiusque professores in processionibus, & aliis actibus, ac ministeriis publicis, & privatis, tam coram Romano Pontifice in ejus Capella, Generaliumque Conciliorum sessionibus, & Congregationibus, quam plerisque aliis Christi fidelium partibus, primum locum inter alios Fratres Mendicantes obtineant, tamen si ad Religionis propagationem in Civitatibus, & aliis locis, in quibus aliorum Ordinum Mendicantium Religiosi Conventus, & domos priùs habebant, domos, aliave Religiosa loca pro eorum habitatione ædificarunt, seu construi fecerunt, aut jam ædificata receperunt, sæpe contingit, quòd aliorum Ordinum Fratres Mendicantes, antiquitatis Ecclesiarum, vel suorum Conventuum, & domorum, quas in eisdem locis priùs habuerunt, seu aliis prætextibus, dictos Ordinis Prædicatorum Fratres in processionibus, & aliis actibus, ac ministeriis prædictis contingentibus, præcedere satagunt, præeminentiamque, & locum debitum eisdem denegant, & impediunt, quo fit ut non solum inter eos intestina odia, & dissensiones, in eorum animarum, ac cæterorum Christi fidelium scandalum non modicum, sed etiam forsan lites, & controversiæ judicatæ quandoque suborta sint, & indecisæ pendeant. Nos qui de antiquitate, & præeminentia cujuslibet Ordinis Fratrum Mendicantium, plenam, & indubitatam notitiam habuimus, & habemus, eorum honoris, & jurium conservationem, ac pacem, & quietem inter eos confovere, nec non scandala inde quomodolibet orta, quæ ut oriri possent, removere paterno affectu zelantes, Motu proprio, non ad alicujus super hoc Nobis oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, ac mera deliberatione nostris, Apostolica auctoritate, tenore præsentium, litem, & causam quamcumque, seu quæstionis controversiæ materiam, si quæ desuper ubilibet in Romana Curia, vel extra eam etiam in nostro causarum Palatii Apostolici Auditorio, in quacunque instantia, inter quoscumque, quomodolibet pendeant, illarum statum, & merita, & non aliqua sententia, etiam in contradictorio judicio à quovis Judice, ordinario, vel delegato, quæ in rem transiverit judicatam, contra ipsos Fratres Prædicatores super hoc prolata fuerit, ac alia etiam necessariò magis exprimenda præsentibus pro expressis habentes, ad nos advocamus, & penitus extinguimus, ac fratribus aliorum quorumcunque Ordinum Mendicantium super his perpetuum silentium imponimus.

Et nihilominus fratres ipsos Ordinis Prædicatorum primum digniorem, & honorabiliorem locum inter cæterorum quorumcumque aliorum Ordinum Mendicantium Religiosos, etiam si tales essent, qui non generali sermone comprehenderentur, sed nota, & expressione speciali indigerent, tam in sessionibus, & Congregationibus quorumcunque Generalium, Provincialium, & Synodalium Conciliorum, quàm processionibus, ministerii, & aliis actibus publicis, vel privatis in quibuscumque, re, & speciali præeminentia omnino gaudere perpetuò debere, etiamsi illic Ecclesias, domos, vel Conventus non habuerint, seu habeant, aut aliorum Ordinum Mendicantium Fratres, & Religiosi, in eisdem Civitatibus, & locis anti quiores pro tempore, eorumque Ecclesiæ, Capellæ, domus & loca Regularia, ibi primò instituta, & fundata fuerint, eosdemve Fratres Prædicatores adhuc, etiam per centum annorum, aut diuturniùs, vel alias quantumvis longè magis immemorabile tempus præcedere consueverint, declaramus, statuimus, & etiam diffinimus. Districtè in virtute sanctæ obedientiæ, & sub excommunicationis majoris eo ipso incurrendæ pœna, omnibus, & singulis quorumcunque aliorum Mendicantium Ordinum pro tempore Religiosis inhibentes; ne de cætero præmissorum occasione Ordinem Fratrum Prædicatorum hujusmodi, illorumque pro tempore Religiosos quoscumque molestare, inquietare, perturbare, aut quoquomodo impedire audeant, vel præsumant, supplentes in hoc citationum, omnesque alios tam juris, quàm facti, & quarumcunque aliarum solemnitatum, etiam substantialium, & processuum defectus. Ac decernentes, præsentes Nostras litteras de subreptionis, vel obreptionis, intentionisve Nostræ, aut alio quovis vitio seu defectu, nullo unquam tempore impugnari posse, ac constitutionem Nostram de non tollendo cuiquam per quamcumque gratiam, seu concessionem, ac declarationem jus quæsitum, adversus eas locum sibi vendicare non posse, nec debere. Sicque in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Judices, & Commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam S. R. E. Cardinales, & causarum dicti Palatii Apostolici Auditores, in quavis causa, & instantia, etiam per appellationem pendente judicari, & diffiniri debere, sublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter interpretandi, & judicandi facultate, ac irritum & inane quidquid secus super his à quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Cæterùm ut declaratio, statutum, diffinitio, inhibitio, aliaque omnia, & singula præmissa inviolabiliter observentur, universis, & singulis Venerabilibus Fratribus nostris Patriarchis, Episcopis, & dilectis filiis Abbatibus, ac aliis Ecclesiarum Prælatis, & personis in dignitate Ecclesiastica constitutis, nec non Metropolitan. & aliarum Cathedralium Ecclesiarum Canonicis, eorumdem Archiepiscoporum, & Episcoporum Officialibus; seu Vicariis in Spiritualibus generalibus ubilibet constitutis, per Apostolica scripta in virtute sanctæ obedientiæ committimus, & mandamus, ut has litteras nostras, & in eis contenta quæcumque

cumque inviolabiliter observent, ipsique duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, ubi, quando, & quoties opus fuerit, & pro parte dictorum Fratrum Prædicatorum, vel aliquorum ex eis fuerint requisiti, eis efficaci præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra eos hujusmodi litteris nostris, & in eis contentis, quibuscumque pacificè frui, & gaudere, non permittentes à Religiosis quorumcunque aliorum Ordinum Mendicantium, vel quibuslibet aliis quacunque auctoritate fungentibus, super præeminentia, & aliis antedictis contra earundem Nostrarum tenorem, quomodolibet molestari, inquietari, perturbari, aut impediri, contradictores, & rebelles quoscunque, status, gradus, ordinis, conditionis, & dignitatis cujusvis existentes per censuras Ecclesiasticas, & pœnas etiam pecuniarias arbitrio eorum moderandas, quacumque appellatione postposita compescendo. Et nihilominus eos, qui sententiam excommunicationis antedictam, censuras, & alias pœnas per eos, aut aliquem eorum pro tempore latas incurrerint, legitimis super his habendis servatis processibus, illas incidisse declarent, nec non aggravare; etiam iteratis vicibus curent, invocato ad id, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Non obstantibus præmissis, & tam hujusmodi Nostra de non tollendo cuique jus quæsitum, & aliis Apostolicis, quàm in quibusvis Generalibus, Provincialibus, vel Synodalibus Conciliis editis, specialibus vel generalibus constitutionibus, & ordinationibus, domorumque, Ordinum, & locorum prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, fundationibus, statutis, usibus, naturis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis, Fratribus Mendicantib. aliorum Ordinum, quorumvis eorumque Ecclesiis, Capellis, domibus, & locis, & Superioribus in specie, vel in genere tam per fel. rec. Sixtum Papam IV. quàm alios quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, etiam Bulla Aurea, Mare magnum nuncupata, contentis, ac per Nos motu proprio, consistorialiter etiam per modum legis, & statuti perpetui, iteratis vicibus cum quibusvis etiam derogatoriis, aliisque efficacioribus clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis concessa pro tempore in contrarium forsan revocantibus, etiam si eis expressè caveretur, quod nisi per certas distinctas litteras cum temporis intervallo competenti, ternis distinctis vicibus, illis quos concernunt intimandas, derogatum esse non censeatur, aut alia forma in id servanda sit, concessis, approbatis, & innov. tis; quibus omnibus & singulis, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, expressa, & individua mentio habenda esset, illorum omnium, & singulorum tenores vim, & effectum, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, formaque in eis tradita, observata insererentur, pro sufficienter expressis habentes, illas aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè latissimè derogamus, & cæteris contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter, vel divisim ab Apostolica sit Sede indultum, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas, non facientes plenam & expressam, & de verbo ad verbum de indulto hujusmodi, ac eorum personis, locis, ordinibus, & nominibus mentionem. Et quoniam difficile esset præsentes litteras ad singula quæcumque loca deferri. Volumus & eadem Apostolica auctoritate etiam decernimus, quòd illarum exemplis, etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, sigilloque alicujus Prælati, vel personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, seu Curiæ Ecclesiasticæ munitis, in judicio, & extra, ubi opus fuerit, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur eisdem præsentibus originalibus si exhiberentur, vel ostenderentur.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Anulo Piscatoris die 27. Augusti 1568. Pontificatus nostri anno 3.

CLEMENS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Inter cætera cordis nostri desiderabilia, id intensis exoptamus affectibus, ut controversiarum, ac litium materia inter personas Ecclesiasticas è medio tollatur. Sanè Nobis nuper innotuit quòd in Regnis Aragonum, Valentiæ, & Cataloniæ, ac tota demum Provincia Aragoniæ Ordinis Fratrum Prædicatorum, & præsertim in Civitate Oriolen. & Oppido, civitate nuncupata Alicante, ac loco de Castello della-Plana prædicti Regni Valentiæ, nonnullæ lites, causæ, quæstiones, & controversiæ inter prædictos Fratres ex una, & alios Mendicantes, sive Regulares quoscumque super præcedentia, ac ritu incedendi in Actibus, & processionibus tam publicis, quàm privatis, occasione seu intuitu quarumdam litterarum fel. rec. Gregorii XIII. prædecessoris nostri in forma Brevis, sub die 15. Julii 1583. quæ incipiunt *Exposcit.* confectarum, partibus ex altera, motæ sunt, & moveri, seu oriri facilè possunt. Nos considerantes, lites, causas, & controversias hujusmodi, præsertim inter Religiosas personas, quæ relictis mundi vanitatibus, votum suum in humilitatis spiritu Domino Deo nostro persolvere profitentur, non modicam infundere labem, populoque scandalum generare, ac in hac Urbe nostra omnium capite, & unde in omnia regimen servari consuevit, eum ritum, & Ordinem servari, quòd in actibus, & processionibus, tam publicis, quàm privatis, post Canonicos, & Clericos seculares, & antiquos Ordines Monachales, Fratres Ordinis Prædicatorum hujusmodi primum, digniorem, & honorabiliorem locum obtinent, & cæteros alios Fratres Mendicantes, sive alios quoscumque Regulares præcedunt, atque de antiquitate, & præeminentia cujuslibet Ordinis Fratrum Mendicantium, & aliorum Regularium, quorumcumque plenam, & indubitatam notitiam habentes, ac eorum honoris, & jurium conservationem, ac pacem, & quietem inter eos confovere, & scandala hujusmodi removere paterno affectu cupientes, ac statum litium, & merita causarum hujusmodi, nominaque, & cognomina Judicum, & colligantium, & eorum jura, & prætentiones, nec non tenorem litterarum dicti Gregorii prædecessoris, perinde, ac si de verbo ad verbum insererentur præsentibus pro expressis habentes, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, super statu Regularium deputatorum consilio, & Nobis attributæ potestatis plenitudine, Motu proprio, & ex certa nostra scientia, lites, & causas quascumque tam motas, quàm movendas, seu quæstionum, & controversiarum materias omnes in quibuscumque instantiis, coram quibuscumque Judicibus indecisas pendentes, ad Nos harum serie advocamus, & penitus extinguimus, & aliis Mendicantibus sive quibuscumque aliis Regularibus, super his perpetuum silentium imponimus. Volumus, & decernimus, in prædictis Regnis Aragonum, Valentiæ, & Cataloniæ, & tota demum Provincia Aragoniæ, Ordinis Fratrum Prædicatorum, & præsertim in Civitate Oriolen. & Oppido civitate nuncupata Alicante, & loco de Castello della-Plana, hujusmodi, eum ritum & ordinem inter Fratres S. Dominici prædictos, ac alios Mendicantes, sive alios Regulares quoscumque cujusvis Ordinis, vel Religionis existentes servari debere, qui in hac Urbe nostra omnium capite servatur. Videlicet, quòd in omnibus actibus, & processionibus, tam publicis, quàm privatis, post Canonicos, & Clericos seculares, & antiquos

liquos Ordines Monachales, si qui incesserint, dicti Fratres Ordinis Prædicatorum primum, digniorem, & honorabiliorem locum obtineant, ita ut dicti Fratres S. Dominici, immediatè post modò dictos subsequantur; post quos omnes alii Regulares, tam Mendicantes, quàm non Mendicantes, cujuscumque Ordinis, vel Religionis existant, incedent, & subsequentur, etiam si Ecclesiæ, Capellæ, Conventus, domus, & loca Regularia dictorum Fratrum Prædicatorum in locis prædictis, primò instituta, & fundata non fuerint, prout nos id de facto observari volumus, & præcipimus.

Districtè in virtute sanctæ obedientiæ, & sub excommunicationis majoris latæ sententiæ eo ipso per contrafacientes incurrendæ pœna, omnibus, & singulis quorumcumque aliorum Ordinum pro tempore Religiosis, sive Regularibus, inhibentes, ne de cætero præmissorum occasione Ordinem Fratrum Prædicatorum hujusmodi, illiusque Fratres pro tempore existentes, molestare, inquietare, perturbare, aut quoquomodo impedire audeant, vel præsumant. Sicque per quoscumque Judices, & Commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ubique judicari, ac definiri debere, nec non irritum & inane, si secus super his à quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca universis & singulis Venerab. Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, & aliis personis, quibuscumque in dignitate Ecclesiastica constitutis, per præsentes Motu simili mandamus, quatenus ipsi, vel eorum quilibet, per se, vel alium, seu alios, ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte dictorum Fratrum Prædicatorum fuerint requisiti, eis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra præmissa omnia observari, juxta præsentium continentiam, & tenorem: contradictores quoslibet, ac rebelles, & præmissis non parentes, per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Non obstantibus litteris dicti Gregorii, prædecessoris, aliisque præmissis, nec non quibusvis constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Conventuum, Domorum, locorum, & Ordinum Mendicantium, sive aliorum quorumcumque Regularium hujusmodi, juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis, Mendicantibus Fratribus, sive aliis Regularibus quibuscumque & illorum Superioribus, per quoscumque Romanos Pontifices prænuncupata contentis, ac Motu simili consistorialiter etiam, per modum legis, & statuti perpetui, etiam iteratis vicibus, cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis, pro tempore in contrarium forsan revocantibus, etiam si in eis caveatur expresè, quòd nisi per trinas distinctas litteras, cum temporis intervallo competenti, ternis distinctis vicibus, illis quos concurrunt, intimandas derogatum esset, aut censeatur, concessis, approbatis, & invocatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si de eis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda foret, illorum tenores præsentibus, pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè latissimè derogamus. Contrariis quibuscumque aut si aliquibus communiter, vel divisim ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas, non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Volumus autem, ac dicta auctoritate decernimus, quòd præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Marcum, sub Anolo Piscatoris, die 25. Septembr. 1592. Pontificatus nostri anno 5.

Minores Observantes Reformati cum controversiam paterentur circa præcedentiam, quasi nuper asciti in Civitate, còm tamen ingressi sint, & habitent in Monasteriis Familiæ, Sacra Rituum Congr. referente Illustrissimo Cardinale Millino, mandavit illis dari omnino præcedentiam, sub die decima septima Julii 1627. Tenor hujus Decreti hic inseritur.

DECRETUM.

S. Congregationis Rituum, de Præcedentia Fratrum Strictioris Observantiæ Reformatorum nuncupatorum, qui nuper ingressi sunt Conventus Fratrum Obser. de Familia.

In nomine sanctiss. & individuæ Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen.

Noverint universi, & singuli hoc præsens publicum transumpti Instrumentum visuri, lecturi pariter, & audituri, quòd nos Gregorius Natus Protonotarius Apostolicus, utriusque signaturæ Sanctiss. D.N. Papæ Referendarius, nec non Curiæ Causarum Cameræ Apostolicæ Generalis Auditor, Romanæque Curiæ Judex ordinarius, Sententiarum quoque, & Censurarum tam in eadem Romana Curia, quàm extra eam Causarum, ac litterarum Apostolicarum quarumcumque universalis, & merus executor, ab eodem Sanctiss. specialiter deputatus, Vidimus, legimus, habuimus, & diligenter inspeximus Decretum Sacræ Rituum Congregationis sub die 17. Julii 1627. emanatum per Illustr. & Reverendiss. D. Cardinalem Detum dictæ Sacræ Congregationis Præfectum, ejusque sigillo munitum, & pariter per Illustriss. & Reverendiss. D. Julium Benignum Archiepiscopum Thessalonicen. ejusdem Sacræ Congregationis Secretarium, tenoris sequentis, videlicet. [Procurator Generalis Minorum Observantium Reformatorum narrans Fratres Observantes Reformatos pati controversiam circa præcedentiam, quasi nuper ascitos in Civitate, cùm tamen ingressi sint, & habitent in Monasteriis familiæ, ideò supplicavit provideri, & Sacra Rituum Congregatio, referente Illustr. Card. Millino, mandavit dari omnino præcedentiam dictis Reformatis. Die 17. Julii 1627. Joannes Baptista Cardinalis Detus. I. *Thessalonicensis Secretarius*, Loco † sigilli.] Quod quidem Decretum, quia verum, non falsum, non vitiatum, non abolitum, non suspectum, sed omni prorsus vitio, & suspicione carere reperimus, ideò ad instantiam, & requisitionem admodum R. P. Fratris Massei à Taurino Procuratoris generalis Ordinis S. Francisco strictioris Observantiæ Reformatorum nuncupatorum, per Notarium nostrum publicum infrascriptum transumi, & exemplificari, ac in hanc publicam,

eam, & authenticam transumpti formam redigi mandavimus, & fecimus. Volentes, & auctoritate Curiæ nostræ decernentes, quòd huic nostro publico, & authentico transumpto, cum decreto originali auscultato, & collationato, de cætero in antea talis, & tanta in judicio, & extra ubique locorum fides adhibeatur, qualis, & quanta adhiberetur, si decretum ipsum originale in medium exhibitum, & ostensum foret. Super quibus omnibus, & singulis præmissis, tanquam ritè, rectè, legitimè gestis, & factis, nostram, nostrique officii auctoritatem pariter, & decretum interponendum fore, & esse duximus, prout interposuimus, & interponimus per præsentes. In quorum omnium, singulorum fidem has præsentes fieri, ac per Nos, & infrascriptum Curiæ nostræ Notarium subscribi sigillique nostri soliti, quo in talibus utimur, jussimus, & fecimus appensione muniri. Datum Romæ ex ædibus nostris, anno ab ejusdem Domini Nativitate 1627. indictione 10. die verò 2. præsentis mensis Septembr. Pontific. autem Sanctissim. in Christo Patris, & Domini nostri D. Urbani Divina providentia Papæ VIII. anno quinto.

Cam. Meltius Locumtenens.

Loco † sigilli appensi.

Dominicus Fonthia Curiæ Causarum Cameræ Apostolicæ Not.

Aliud pro eisdem.

DECRETUM

Sacræ Congregationis Rituum, de præcedentia semper danda Fratribus strictioris Observantiæ Reformatis nuncupatis, tam præsentibus, quàm absentibus Fratribus Observantibus ejusdem Ordinis ubique servandum.

Ab adm. R. P. Zacharia à Leuco Procuratore Generali prædictorum Reformatorum procuratum, & obtentum.

CUstos Minorum Observantium Reformatorum Salernitanæ Civitatis conquestus est de Regularib. aliorum Ordinum in dicta Civitate existentibus, quòd recusent dare præcedentiam in publicis processionibus & funeralibus Fratribus Reformatis sui Ordinis, quotiescumque dicti Reformati non incedunt cum familia Minorum Observantium; Quod cùm sit contra Bullam Clement. VIII. incip. *Ex injuncto nobis*, sub die 7. Septemb. 1602. supplicavit provideri: Et S. Rituum Congregatio respondit, Præcedentiam semper dandam esse Fratribus supradictis Reformatis, sive soli, de per se, & sub propria Cruce, sive cum Familia, & sub Cruce Minorum Observantium processionaliter, sive in funeribus incedant, & ita ubique servari mandavit. Die 10. Decemb. 1629.

Jo. Baptista Card. Detus.

Locus † sigilli.

Tegr. Tegrimius Congr. Secr.

Monachi Congregationi Cælestinorum præcedunt Monachos Olivetanos; quia Cælestini sunt antiquiores origine, & confirmatione Olivetanis, & fuit resolutum *in Salernitana Præcedentia* 14. *Martii* 1622. *coram Cardin. Cavaler. quæ in fin. operis est decis.* 109.

Orta fuit controversia inter Regulares Congr. Syl- 8
vestrinorum ex una, & omnes Regulares Mendicantes ex altera, in Diœcesi Nucetina super præcedentia in processionibus, pro qua sacra Congregatio Episcoporum sub die 24. Januar. 1617. decrevit Sylvestrinos tanquam postremos in dicta Diœcesi commorantes, aut à quæstuatione imposterum abstinere, aut in processionibus ultimum locum juxta dispositionem supradictæ Bullæ Gregorii XIII. obtinere debere; & die 19. Maji ejusdem anni, eo quia se à quæstuando abstinuisse, prædictæ S. Congregationi exposuerunt, eadem S. Congregatio ad omnem controversiam tollendam, censuit, Sylvestrinis Monachis dandam esse præcedentiam.

S. Congregatio Rituum ad auferendam similiter aliam altercationem, quæ inter Fratres Capuccinos exorta erat, censuit, quod Fratres Capuccini debeant tribuere præcedentiam in processionibus iis Regularibus, qui sub propria Cruce, & in proprio loco incedunt, antequam ipsi propriam Crucem deferant sub die 23. Martii 1619. Quæ declarationes afferuntur à Barbo. *lib.* 1. *de jure Eccles. cap.* 43. *num.* 185. & 188. ubi similiter *num* 189 asserit, eandem S. Rituum Congregat. eod. anno, & ead. die censuisse, Fratres Mendicantes semper, & ubique tribuere debere præcedentiam Monachis.

Eadem S. Congregat. teste eod. Barbos. *loc. cit. num.* 190. sub die 14. Februarii 1615. decrevit, quod Fratres S. Francisci de Observantia non præcedant Fratribus tertii Ordinis, si isti in loco controversiæ priùs Monasterium, & locum obtinuerunt. Qua ratione eadem S. Rituum Congregatio sub die 15. Julii 1616. decrevit, quod Fratres Jesuati præcedant Fratribus Ordinis Minorum de Observantia S. Francisci, cùm Monasterium ubi controversia orta erat, esset Fratrum Jesuatorum in Monte Nigro Liburni Diœcesis Pisanæ.

Unde quando in una Civitate, vel loco sunt plura Monasteria ejusdem Ordinis diversis temporibus fundata; eadem S. Rituum Congregatio declaravit, quod Fratres Minores Observantiæ juxta supradictam Bullam Gregorii XIII. præcedentiam dare debere illi Ordini qui prius in loco tali Monasterium habuit, & non tantum illi Monasterio ita ut per fundationem primi Monasterii in illo loco acquiratur anterioritas ejusdem cuilibet alii posteriùs fundato ejusdem Ordinis, idem quoque servandum esse, quando præcedentia competit ex quasi possessione, & jure præcedendi in terminis dictæ constitutionis, & quando concurrunt ad processiones tam publicas, quàm privatas, omnes ejusdem Ordinis Fratres, non divisim, sed unitè debere præcedere, ita ut post Crucem Fratres strictioris Observantiæ, immediatè incedant Discalceati, & Recollecti, vel Reformati, & post illos Fratres de Observantia, si juxta Regularia statuta Ordinis vel ex quasi possessione, & jure præcedendi habeant præcedentiam, alioquin in præcedentia servetur etiam inter ejusdem Ordinis Fratres anterioritas fundationis Monasterii, & ita eadem S. Congregatio servari mandavit die 3. Junii 1617. ex eodem Barbosa *loc. cit, num.* 192.

Et *num.* 194. idem Barbosa affirmat, quod die 26. Novembr. 1593. habita fuit Congregatio sacrorum Rituum in qua proposita causa præcedentiæ inter Patres Procuratores Generales Fratrum Minorum de Observantia, & Fratrum Conventualium Ordinis S. Francisci, auditis partibus, visisque, & examinatis juribus per utrasque exhibitis, Congregatio censuit, Fratres Minores Observantes suum Procuratorem Generalem legitimè hactenus habuisse, haberoque potuisse, & ex fidibus, quas ipsi exhibuerunt, constare, dictum eorum

rum

rum Procuratorem Generalem in Capella Pontificia ante Procuratorem Generalem Minorum Observantiæ in hac quasi-possessione sedendi manutenendum esse, si ita Sanctiss. placuerit. A. Card. Gesualdus. Viso memoriali pro Procuratore Generali Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia S. D. N. porrecto, & à Sanctitate sua Congregationi sacrorum Rituum transmisso super præcedentia eidem Procuratori in Capella Sanctiss. ante Procuratorem generalem ejusdem Ordinis Conventualium competenti, ac decreto aliàs sub die 25. Nov. 1593. ad ejusdem Procuratoris de Observantia favorem facto, Congregatio die 21. Januar. 1602. stetit in decisis, factaque eidem Sanctiss. D. N. juxta ejusdem Sanctiss. rescriptum de præmissis relatione, Sanctitas sua dicta decreta approbavit, & ab iis, ad quos spectat observari mandavit. Quo autem ad sigillum Ministri Generalis de Observantia cum inscriptione Ministri Generalis totius Ordinis Fratrum Minorum, emanavit ab eadem S. Congregatione quoddam Decretum, in his verbis:

14 Cùm Procurator Generalis Fratrum Minorum Conventualium S. Francisci sex abhinc annis ægrè ferret, Ministrum Generalem de Observantia in præteritum usum fuisse, & in præsentiarum uti titulo, & sigillo cum inscriptione Ministri Generalis, totius Ordinis Fratrum Minorum, recursum habuit ad Sanctiss. supplicans, mandari reformari hujusmodi titulum, tanquam non legitimè dicto Ministro Generali de Observantia competentem, & supplicatione per Sanctiss. ad hanc S. Congregationem Rituum remissa, eadem S. Congregatio discussionem hujus negotii ad referendum, usque de anno 1625. commisit Eminentiss. & Reverendiss. D. Card. Muto, coram quo firmato dubio de consensu ambarum partium; An titulus Ministri Generalis totius Ordinis Fratrum Minorum, quo insignitur Minister Generalis Observantium, sit reformandus, utraque parte sæpè sæpiùs in facto, & in jure desuper informante, & audita ad relationem ejusdem Eminentiss. Card. Muti causa acerrimè in plena Congregatione discussa, sacra Rituum Congregatio respondit, nihil innovandum, & Ministrum Generalem de Observantia legitimè usum fuisse, & uti posse titulo, & sigillo cum inscriptione Ministri General. totius Ord. Fratrum Minorum, & ita servari mandavit: die 22. Martii 1631. C. Episc. Portuen. Card. Pius.

15 Quibus positis sciendum est, controversias omnes de præcedentia inter Regulares etiam exemptos in processionibus & aliis similibus locis, & causis exortas, Episcopum amota appellatione componere debere, ex Concil. Trid. *sess.... cap. 13.* Piasc. *in prax. Episc. part. 2. cap. 3. num. 47.* Zerol. *in praxi Episc. verb. Processiones.* Campanil. *in divers. jur. cap. 12. & cap. 13. num. 120.* ubi addit, brevi manu, summariè, & de plano, ac sine strepitu, & figura judicii, Episcopum præcedere debere, prout decisum referunt ipse Campanil. *loc. cit.* Armend. §. 31. *num.* 10. Seraph. *decis.* 335. 663. Aloysius Ricc. *in collect. decis. part. 4. collect.* 1069. in materia enim præcedentiarum, jus defert consuetudini, ex Bald. *in c. cum olim de consuet.* Felin. *in c. statuimus de major. & obed.* Dec. *in l. cùm quid n.* 39. Menoch. *cons. cap. 51. num.* 49. Molfes. *ad consuet. Neapol. p. 1. c. 5.* Cavaler. *decis.* 649. *num.* 1. & alii.

Verum Monachi Religionis origine, & confirmatione posterioris, si collegialiter vivant, præcedunt Monachis Religionis priùs approbatæ, viventibus uti privatis, & nullum Collegium constituentibus, etiam quòd antea in locum fuerint ingressi; Gloss. *in cap. statutum in verb. collect. de elect. in 6.* Innoc. *in cap. cùm dilectus, num. 5. de elect.* Abb. *in cap. cùm non liceat, num. 2. de præscript.* Cassan. *in Catal. glor. mund. p 4. cons. 32.* Dec. *cons. 160. in fin. vers. quia ad hoc respondetur*, & fuit resolutum *in S. Agathæ Gethorum præcedentiæ 13. Maji 1622. coram Card. Cavalerio & in eadem causa coram Buratto 29. Maji 1624.* & latiùs *coram R. P. D. Merlinanno 29. Jan. 1629. quæ in fin. operis, sunt decis.* 110. 111. & 112. 16

QUÆSITUM IX.

Abbas secularis exemptus, obtinens usum Mitræ, & Baculi, quam assistentiam habeat, si Episcopus loci Ordinarius ad suam Ecclesiam exemptam veniat.

SUMMARIUM.

1 *Abbas sæcularis exemptus potest habere assistentiam cum Episcopo, quando Missis, & Vesperis in una Ecclesia interest.*

2 *Episcopus in Sede Pontificia sedere debet in cornu Evangelii.*

HAnc quæstionem jam pridem decidit Sacra Rituum Congregatio, *in una Alexandrina S. Petri de Broglio, sub die 7. Febr. 1604.* Nam cùm interrogaretur primò, an Abbas secularis Collegiatæ Ecclesiæ S. Petri in Broglio Alexandrin. exemptus, & Sedi Apostolicæ immediatè subjectus, habens usum Mitræ, & Baculi, & solitus statutis diebus sedere more Episcopi cum suis Canonicis assistentibus, in quos habeat Jurisdictionem Episcopalem, possit habere dictam assistentiam, quando Episcopus loci Ordinarius in dicta Ecclesia exempta, Missis, aut Vesperis solemnibus interest. 1

Secundò, an cum eo Episcopus assumere debeat Canonicos suæ Cathedralis assistentes, & eorumdem circulos habere ad *Gloria in excelsis*, & ad *Credo.*

Tertiò, quid sit agendum juxta Sedem Episcopi, & Abbatis exempti, & Canonicorum utriusque Capituli, quando contingit Episcopum cum suo Capitulo processionaliter accedere ad d. Ecclesiam exemptam, & quo ordine sint thurificandi; quid de confessione facienda ab Episcopo cum Sacerdote, de incenso imponendo, & benedicendo, & de benedictione solemni in fine Missæ, seu Vesperarum ab altero ipsorum danda.

Respondit ad primum negativè; ad secundùm affirmativè. Quo verò ad tertium, Episcopum in Sede Pontificia ornata in cornu Evangelii sedere debere, & Canonicos Cathedralis unus post alium ab illa parte, usque in finem. In opposita parte quatuor, vel quinque brachiis inferiori sedere Abbatem in simplici sede, absque ornamentis, & deinde Canonicos Collegiatæ, usque in finem ab illa parte, in reliquis Episcopum debere facere suas functiones, & Abbatem cessare. Deinde tres thurificationes dare Episcopo, duas Canonicis Cathedralis, usque in finem, deinde duas Abbati, & unam suis Canonicis. 2

DISPU-

DISPUTATIO XXVI.

De qualitatibus, quibus Abbates, & Prælati in suo munere constituti, ad illud rectè obeundum, præditi esse debent.

De qualitatibus, quibus Abbates, & Prælati in suo munere constituti, ad illud rectè obeundum præditi esse debent.

Verba Sanctissimi Patriarchæ Benedicti; Abbatibus cæterisque Prælatis scitu necessaria.

Qualem deceat esse Abbatem, & Prælatum in suo munere constitutum, & quibus qualitatibus, ut Abbatiali regimini rectè satisfacere possit, docet D. Benedictus pluribus *suæ Regulæ* locis, præcipuè *c. 64.* ubi postquam constituit modum, quo novus Abbas in Monasterio ordinandus esset, sic ait:

Ordinatus autem Abbas cogitet semper, quale onus susceperit, & cui redditurus est rationem villicationis suæ, sciatque, sibi oportere prodesse magis, quàm præesse. Oportet ergo, eum esse doctum lege divina, ut sciat unde proferat nova, & vetera: Castum, Sobrium, Misericordem, & superexaltantem misericordiam judicio, ut idem ipse consequatur: oderit vitia, diligat fratres: in ipsa autem correptione prudenter agat, & ne quid nimis; ne dum nimis cupit eradere æruginem, frangatur vas: suaque fragilitate semper suspectus sit, meminerit que calamum quassatum non conterendum: in quibus non dicimus, ut permittat nutriri vitia; sed prudenter, & cum charitate ea amputet, prout viderit cuique expedire, sicut jam diximus: & studeat plùs amari, quàm timeri; non sit turbulentus, & anxius; non sit nimius, & obstinatus; non sit zelotypus, & nimis suspiciosus; quia nunquam requiescet; in ipsis imperiis suis sit providus, & consideratus, sivè secundùm Deum, sive secundum seculum sint opera quæ injungit, discernat, & temperet, cogitans discretionem S. Jacobi dicentis: si greges meos plus in ambulando fecero laborare, morientur cuncti una die. Hæc ergo, aliaque testimonia discretionis matris virtutum, sumens; sic omnia temperet, & ut fortes sint, qui cupiant, & infirmi non refugiant. Et præcipuè ut præsentem Regulam in omnibus conservet: ut dum benè ministraverit, audiat à Domino, quod servus bonus, qui erogavit triticum conservis suis tempore suo; Amen dico vobis, super omnia bona sua constituet eum. Hæc Sanctus Pater Benedictus.

Antequam autem singula percurramus; inprimis sciat Abbas, se Christi vices in Monasterio agere, id quod idem S. Pater *Reg. c. 2. part. 1.* ait, scilicet: *Abbas Christi vices agere in Monasterio creditur, quando ipsius utatur prænomine; dicente Apostolo: Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater.* Ex eo igitur, quòd Abbas Christi vices agere dicitur, ab eo divina potiùs, quàm humana in sua administratione expectantur: unde advertat cujus Vicariam gerit, atque ejus ovibus verbo, & exemplo proficere discat; & ne tanto munere indignus censeatur, nihil extra præceptum Domini docere, constituere, aut præcipere debet; sed jussio ejus vel doctrina, fermentum divinæ justitiæ in discipulorum mentibus conspergatur, sic docente D. P. Benedicto *d. cap. 2. part. 1.* ne ea, quæ contra Domini legem sunt præcipienti, Religiosæ professionis fundamentum, nimirum obedientia, denegetur, & sic totum spirituale sui Monasterii ruat ædificium: Ad explicandas optimi Abbatis qualitates à S. Patriarcha Benedicto propositas deveniamus.

GLOSSA I.

Oportet Abbatem esse doctum in lege divina.

SUMMARIUM.

1 *Superiores, ad quos pertinet, alios docere, & erudire, pleniorem tenentur habere de rebus credendis notitiam.*
2 *Magna est temeritas pastores imperitos assumere.*
3 *Literis carens sacris non potest esse aptus officiis.*

Ipsemet S. Benedictus pluribus locis suæ Regulæ hanc præcipit qualitatem in Abbate, & primò *in d. c. 2.* dicens: *Sed jussio ejus vel doctrina, fermentum divinæ justitiæ in discipulorum mentibus conspergatur: memor sit semper Abbas, quia doctrina suæ, vel discipulorum obedientiæ utrarumque rerum in tremendo Judicio Dei facienda erit discussio:* & paulò infrà subdit; *ergo cùm aliquis suscipit nomen Abbatis, duplici debet doctrina suis præesse discipulis.*

Hæc eadem qualitas insinuatur à Concilio Tridentino *sess. 24. de reformat. cap. 12.* his verbis: *doctrina ad suum munus necessaria, ac morum integritate commendetur.* Quæ verba cùm ad animarum curam exercentes directa sint, utique Abbatibus, & Prælatis, de quibus loquimur optimè conveniunt.

Idem habetur in Concil. Lateranen. *cap. 9.* & ex Navar. *in manual. cap. 25.* & ex S. Thom. *2. 2. q. 2. art. 6.* dum ait: *Superiores, ad quos pertinet, alios docere, & erudire, pleniorem tenentur habere de rebus credendis notitiam:* & ex Innocentio III. in Concilio Generali:

Grave nimis est, & absurdum, quòd quidam Ecclesiarum Prælati, cùm possint viros idoneos ad Ecclesiastica beneficia promovere, assumere non verentur indignos, quibus nec morum honestas, nec literarum scientia suffragantur, non judicium rationis, sed carnalitatis effectum sequentes: habetur *in cap. grave nimis ext. de præbend.* Unde D. Gregorius *in Pastorali part.* 1. inquit:
2 *magnam esse temeritatem pastores imperitos assumere, eo, quod est ars artium regimen animarum, & in cap. illiterates* 36. *distinct.* ex Epistola Gelasii Papæ, constitutum legitur, quòd literis carens sacris non potest
3 esse aptus officiis, nimirum Ecclesiasticis præfecturis: quod idem constitutum legitur à Zozimo Papa *in cap. seq. ead. dist.* videantur nonnulla, quæ Gratianus *ibi* ad hoc propositum cumulat, eademque valde notatu digna.

GLOSSA II.
Castum.

SUMMARIUM.

1 *Castitatis dignitas tanta est, ut, ea ablata, omne virtutum ædificium dissolvatur.*
2 *Impudicitia quæ mala pariat.*
3 *Castitas, & scientia sorores sunt.*

CUm Christi Minister sit Abbas, & S. Augustin. *serm.* 249. *de tempore*, dicat; *omnibus castitas per necessaria est, sed maximè Ministris Christi Altaris, quorum vita aliorum debet esse eruditio, & assidua salutis prædicatio; tales enim decet Dominum habere Ministros, qui nulla contagione carnis corrumpantur, sed potiùs continentia castitatis splendeant, & totius ho-*
1 *nestis fulgeant in populo exemplis.* Illi quidem castitas necessaria erit, cujus dignitas tanta est, ut ea ablata, omne virtutum ædificium dissolvatur, quod significavit S. Hieronym. *lib.* 1. *cont. Jovin. cap.* 30. dicens: *Pudicitiam in primis*, vox est, *non esse remittendam, qua amissa virtus ruit:* & S. Ambrof. *de Cain, & Abel. cap.* 5. sub aliis verbis eamdem ferè proferens sententiam, ait: *Sævus criminum stimulatus libido est, quæ nunquam quietum manere patitur, ac securum, nocte fervet, die anhelat, de somno excitat, à negotio abducit, à ratione revocat, aufert consilium, amentes inquietat, lapsos inclinat, nullus peccandi modus, & inexplebilis scelerum sitis, nisi morte amantis extingui non potest.* Et S. Gregor. *lib.* 31. *moral. cap.* 31. loquens de impudicitia casti-
2 tati contraria, ait: *De impudicitia cæcitas mentis, inconsideratio, inconstantia, præcipitatio, amor sui, odium Dei, affectus præsentis seculi, timor autem, vel desperatio futuri generantur.* Meritò autem à B. Patre nostro post scientiam, castitatis virtus Abbati proponitur colenda; quia castitas, & scientia sorores sunt,
3 ut ex Gregorio Nazianzeno annotavit Ruffinus *in Apologia.* Id quod sacri & prophani scriptores dixerunt: Nam D. Hieron. *d. lib.* 1. *cont. Jovin.* ait, quòd Deus Sibyllas Gentilium prophetiæ dono decoravit, eo quia virginitate claruerunt; & Theophylact. *proleg. in Joan.* ait: *Joannes mundo corde, utique virgo erat, unde amplius notitia Dei donum et concreditum est, ac mysteria, plerisque incognitis ipsi dedicatus est.* Et antiqui Poëtæ finxerunt, Dianam, quæ castitatis Dea ab iis dicebatur, fuisse sororem Apollinis, cui sapientia ab ipsis tribuitur. Castitatem igitur præcipuè colat Abbas, ut Christi vices corpore castus, & mente, rectè gerere valeat.

GLOSSA III.
Sobrium.

SUMMARIUM.

1 *Dei Ministris nefas est, comessationibus, & vinolentiis deditos esse.*
2 *Jejunium, & sobrietas quos effectus pariat.*

ABbas sobrius sit, neque multùm exquisitis dele- 1
ctetur epulis: nefas enim est Ministris Dei, comessationibus, & vinolentiis deditos esse; imò sæpiùs sibi contemplandam proponant sententiam Salvatoris dicentis; *Attendite, ne graventur corda vestra crapula, & ebrietate;* moderatè omnem cibum & necessario sumpta sumant, ut juxta Apost. sobrii sint, & parati ad Domini servitium; aliàs si esca ventri, & venter escæ deserviat, Deus profectò utrumque destruet. Convivia etiam à Sanctis Patribus prohibentur Ecclesiæ Prælatis, ac Ministris à S. Hieron. *Epist.* 2. *ad Nepotian. de vita Clericor. cap.* 23. *Convivia tibi vitanda sunt:* à S. Ambrof. *lib.* 1. *offic. cap.* 20. *Convenire Ecclesiasticis, & maximè officiorum Ministris, arbitror, declinare extraneorum convivia, vel ut ipsi hospitales sint peregrinantibus, vel ut ea cautione nullus sit opprobrius locus; convivia quippe extraneorum occupationes habent, tum etiam epulandi produnt cupiditatem, subrepunt etiam fabulæ frequenter de seculo, ac voluptatibus claudere aures non potes, prohibere putatur superbia: subrepunt etiam præter voluntatem pocula.* Hinc S. Possidonius *in vita S. Augustin.* refert eum in patria sua petitum ad convivia nunquam ire voluisse, ne per frequentiam in patriæ conviviis constitutus, temperantiæ amitteretur modus. Sancti quoque Patres uno ferè ore (ut ita dicam) ob temperantiam, & sobrietatem jejunium corpori, animæque pariter salutare esse, pronunciarunt. Qui velit id videas apud San- 2
ctum Athanasium *lib. de virginitate*, testantem: *Vide, quid faciat jejunium? morbos sanat, distillationes exsiccat, dæmones fugat, malasque cogitationes expellit, & mentem nitidiorem reddit, & cor purgatum, & corpus salubrius, & ad thronum Dei hominem sistit.* Sit igitur moderatis epulis contentus Abbas, ut Eutychius Papa, Concil. Carthag. *cap.* 15. admonet, ut aliorum incontinentiam valeat augere, & Sanctus Clemens Papa *in Apostol. Constitution. lib.* 8. *cap.* 50. ait: *Cùm sitis Presbyteri, & Diaconi Christi, sobrii esse debetis, & privatim, & cum aliis, ut possitis intemperantes coercere. Liberator enim noster Sacerdos secundùm Ordinem Melchisedech, idcircò convivia adiit, ut verbo, & exemplo alios temperantiam doceret, non ut seipsum pasceret, qui, ut modestiam victus præscriberet, & ipse continuit quadraginta diebus nihil gustavit;* legant Abbates Concilium Carthaginen. IV. & Concilium Tridentinum *cap.* 1. *sess.* 25. *de reformat.* videbuntque qualem Episcopus, & Prælatus mensam habere, ac quali victu contentus esse debeat.

GLOSSA IV.
Misericordiam, & superexaltantem misericordiam judicio.

SUMMARIUM.

1 *Misericordiam præ oculis Abbas habere debet.*
2 *Misericordia tunc est verè misericordia, si sic facta sit, ut justitia per eam non contemnatur, & è converso.*
3 *Lenitas cum severitate simul amplectenda Abbati à D. Gregorio suadetur.*
4 *Arca veteris Testamenti quid significet.*

SAnctus Patriarcha Benedictus hujus qualitatis in 1
Abbate desideratæ hic apertè meminit. At cùm de duris corde, & simplicioribus loqueretur, quænam fuit ejusdem intentio, nisi misericordiam ante Abbatis oculos statuendi? id quod etiam apertè docetur à D. Greg. *lib.* 20. *moral. c.* 6. *Misericordia multum destituitur, si una, scilicet justitia, sine alia teneatur; quia circa subditos debet reperiri in Rectoribus misericordia justè consulens, & piè sæviens disciplina.* Et Sanctus Joannes

nes Chrysost. *in homil. 5. Matth.* idem ferè insinuare videtur Superioribus, & Prælatis: *Misericordia tunc est verè misericordia, si sic facta sit, ut justitia per eam non contemnatur; si autem contempta justitia, misericerdia observetur, ipsa misericerdia non est misericordia, sed fatuitas. Justitia enim, sine misericordia, non est justitia, sed crudelitas; sicut misericordia sine justitia non est misericordia, sed fatuitas.* Has duas
3 sorores adinvicem connexas amplectenti Abbati dicit S.Gregorius 3. *moral. Miscendam enim lenitatem cum severitate, ut quoddam componas temperamentum ex utraque, ut neque multa asperitate exulcerentur subditi, neque nimia benignitate solvantur, & hoc illa
4 Tabernaculi Area significat, in qua cum Tabulis Virga simul, & Manna erat.*

GLOSSA V.

Diligat fratres.

SUMMARIUM.

1 *Charitas virtutum maxima in Abbate requiritur.*
2 *Charitas alia erga Deum, alia erga proximum.*
3 *Charitas, non dominii potestas, Prælatum felicem reddit.*
4 *Murmurationes patienter Abbas sufferre debet.*
5 *Famam, & existimationem propriam tenentur Abbates defendere, & quomodo detractores punire debeant*, num.6. *& quomodo peccent mortaliter nisi detractores corrigant*, num.7. & 8.

1 PRæstantissima quoque charitatis virtus exquiritur in Abbate, cùm sit omnium virtutum major, *harum autem major est charitas*, ex Paulo Apostolo Sanctus Benedictus, dum *capite 2. suæ Regulæ*, ait: *Ergò æqualis sit omnibus ab eo charitas, una præbeatur omnibus secundùm merita, disciplina.* Hanc qualitatem,
2 Cardinalis Turrecremata, bifariam sumit super *dict. cap. 2.* prout, scilicet, Deum respicit, & proximum, juxta definitionem Divi Thomæ 2. 2. *quæst.13.* in qua continentur hæc verba: *Per quam homo inclinatur ad diligendum Deum super omnia, & proximum propter Deum, sicut seipsum.* Erga Deum exerceat Abbas charitatem, & amorem, ut ex ingenti affectu, amore languens, dicat cum Sancto Augustino *lib. de Catechum. O anima mea insignita Dei imagine, redempta Dei sanguine, desponsata Fide, dotata spiritu, ornata virtutibus, deputata cum Angelis, diligo illum, à quo dilecta es, tantum intende illi, qui intendit tibi, quære quærentem te, ama amatorem tuum, à quo amaris, cujus amore præventa es, & qui est causa amoris tui.* Exerceat insuper charitatis virtutem erga proximum, fratres, filios, subditos & Monachos, ne illa sibi comminentur verba Ezech. Prophetæ *cap. 34. Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos; nonne greges pascuntur à pastoribus? ipsi verò contrarium faciebant; comedebant lac ovium, & eorum lanis operiebantur; quod crassum erat mactabant, & occidebant.* Hanc qualitatem ita necessariam existimat Sanctus Augustinus, qui agens de Prælatorum regimine
3 *cap.25. Regulæ*, ait, *Ipse verò qui vobis præest, non se existimet potestate dominante, sed charitate serviente, felicem.*

4 Ex hac dilectione, & charitate hoc maximum præcipuè sequitur bonum, ut Abbas patienter ferat Monachorum suorum murmurationes, & detractiones, easque studiosè se ostendat ignorare, admonente Eccles.28. *sepi aures tuas spinis, & linguam nequam noli audire, & ori tuo facito ostia, & seras auribus tuis*, & sic adimpletur Pauli præceptum 2. *Cor.6. In omnibus exhibeamus nosmetipsos, sicut Dei Ministros in multa patientia, per gloriam, & ignobilitatem, per infamiam, & bonam famam.* Hinc Nicolaus Papa I. *Epist. ad Mich. Imper.* ut refert Cresp. *in summa verbo Injuria*, dicere solebat: *Et quidem nos injurias nobis specialiter irrogatas, maximè pro justitia laborantibus, & à justitia impugnatoribus ingestas libenter ferimus: Discipuli enim sumus illius, de quo Apostolorum Princeps ait, qui cum malediceret, non maledicebat, cùm pateretur, non comminabatur.* Imò recordetur Abbas aliquando dum esset in minoribus, etiam alios convitiis similibus se affecisse, & animam propriam, & conscientiam his Eccles. 7. verbis corroboret: *Sed & cunctis sermonibus qui dicuntur, ne accommodes cor tuum, ne fortè audias servum tuum maledicentem tibi: scit enim conscientia tua quia & tu crebro maledixisti aliis.* Cogitet Abbas in semetipso forsitan aliqoando reperiri majora crimina, quam illa, quæ per calumniam ei imputantur, & cum Stoico Epictet. *in Enchirid. cap.44.* hanc auream meditetur sententiam nimirum; *Si quis ad te deferat; ille de te maledicit, ne excusa, quæ dicuntur, sed responde, ignorat ille, & quæ mihi adsunt mala alia, alioquin non sola hæc diceret*, & tandem cum Seneca *lib.3. de Ira cap.24.* dicamus: *Ignoverunt multi Hostibus: ego non ignoscam pigris, negligentibus, garrulis? Puerum ætas excuset, fœminam sexus; extraneum libertas, domesticum familiaritas, Hunc primum offendit? cogitemus, quamdiu placuerit; Sæpe & aliàs offendit? feramus, quod diu tulimus. Amicus est? fecit quod noluit; Inimicus est? fecit quod debuit. Prudentiori cedamus; stultiori remittamus.*

Ex his non inferant Abbates, & alii Prælati, ne 5
subditos excusare in re gravi eisdem detrahentes, ex qua detractione cùm malum oriatur exemplum, & Prælatorum fama erga subditos deperdatur, tenentur tunc Abbates debitis pœnis suam defendere existimationem, ne grave introducatur scandalum, & sub mortali propriam famam redimere obligentur. Ita S. Thom. 2. 2. *quæst.73. art.4.* Valent. *tom.3. disp.5. quæst.16.* Navar. *lib.2. de restit. cap.4. n.125.* Sotus *lib.5. de just. quæst.10. art.2. sub assert.1.* Ratio redimendi famam habetur ex S. Gregor. Papa *Hom. 9. in Ezech.* sub his verbis: *Hi quorum vita in exemplo imitationis est posita, debent si possunt, detrahentium sibi verba compescere, ut eorum prædicationem non audiant, qui audire poterant, & ita in pravis moribus remanentes bene vivere contemnant.* Idem elicitur *ex cap. non sunt audiendi* 11. *q.3.* Studeant igitur Abbates bonam sibi famam retinere, & super omne hujus vitæ bonum eandem redimere conentur, quia ut ait Bald. *in l.1. Cod. de confessis num.9. Bona fama est Thesaurus hominis inæstimabilis, & jucundus, & sicut lilium dat suavitatem odoris.* Unde meritò Philelph. in Satyr. dicebat.

Omnia si perdat, famam servare memento,
Qua semel amissa, postea nullus eris.

Sed potiùs ex his quæ dicta sunt inferant Abbates 6
injuriam sibi ipsis illatam per detractionem, sub hac formalitate; quatenus Prælati sunt; punire astrictos esse dummodo detractio publica sit & Prælati existimentur viri prudentes, & probi, non zelo vindictæ, sed propter emendationem detrahentis, ad Dei majorem gloriam, & honorem, & ad proximi ædificationem, Gloss. *in c. si quis ab Episcopo 2. q.7.* Aldred. *de discipl. Relig. l.2. c.17. §.2. n.15.* Abb. *in c. dilectus n.3. de pœnis.* Graff. *2. p. decis. lib 3. c.4. n.6.* de qua re fusiùs Tiraquell. *de pœn. temp. causa 51. n.6.*

Inferant similiter Abbates, si aliquem detrahentes 7
suis Monachis subditis audiant, & non resistant, peccare mortaliter ex S. Thom. 2. 2. *q.73. art.4.* Sot. *loc. cit. lib.5. q.10. art.4.* Valent. *tom.3. disp.5. q.17. part.4.* Navar. *lib.2. de restit. c.4 n.337.* Malder. 2. 2. *tract.7. de just. c.1. dub.15.* Naldus *verb. superior n.18.* qui Doctores forsitan hac D.Pauli monentur sententia ex *cap. 1. Epist. ad Rom. Susurrones & detractores digni sunt morte,*

morie, & non solùm, qui ea faciunt, sed etiam, qui consentiunt facientibus: & ex illa S. Bernard. *lib. 1. de consid. c. 33. Porrò detrahere aut detrahentem audire quid horum damnabilius sit non facilè dixerim:* & ex S. Chrysost. *Hom. 3. ad Populum de detract. col. 7. tom. 5. Non solos autem maledicentes, sed & aliis detrahi audientes admoneo aures obstruere.*

Ratio hujus sententiæ in hoc sita est; non obstans damno sui proximi ad quem tenetur ex officio suo, peccat contra charitatem, & justitiam; At Abbas ex officio suo tenetur bona temporalia, & spiritualia suorum Monachorum curare, & servare: ergo tenetur famam, quæ est maximum bonum suo subdito conservare, & à detractotibus eam redimere, ita docent omnes Doctores citati præter Sotum. Imò Molina *loc. cit.* affirmat Prælatum sub mortali teneri compellere detrahentem instante offenso subdito, ut ei famam restituat, cùm Abbas justitiam ex officio suis subditis ministrare compellatur, ex Penn. *in l. Nemine. de suscept.*

8 Unde sequitur quod Prælatus audiens Monachum suum detrahentem extraneo, peccat mortaliter contra charitatem, & justitiam, nisi compellat Monachum detractorem restituere famam dicto extraneo, quòd si Monachus detractor id recuset, vel alio quovis detentus impedimento non restituat, tenetur Prælatus id præstare. Ita Nald. *in sum. verb. superior, n. 18.* Molin. *loc. cit. tom. 4. disp. 34. n. 5.* quod probatur ratione, quia Prælati tenentur ex officio, & justitia obstare, ne proprii subditi aliis noceant, cùm illorum Dux, & Magister ac ut moderator sit constitutus.

Si dicas, excusationes, quæ subditos à mortali excusant, quando detractori non restituunt, an Prælatum excusent. Respondeo negativè ex S. Thom. 2. 2. *q. 73. art. 4.* quia majorem habet obligationem ratione sui officii, quàm habeat subditus qui ex timore vel verecundia, vel spe fructum operandi destitutus, detractoribus aliquando non resistit, quæ in Prælato locum non habent. Molin. *loc. cit.*

GLOSSA VI.

In ipsa autem correptione prudenter agat, & ne quid nimis, &c.

SUMMARIUM.

1 *Correptionem Abbates, & alii Prælati cum prudentia facere debent.*
2 *Correptiones de moderatione.*
3 *Correptio facienda est, ne approbetur error, & opprimatur veritas.*
4 *Correptio fieri debet cum Charitate.*

1 IN correptione summoperè debent Abbates, & alii Prælati prudenter agere, ne ex immoderata sequatur id, quod esse præcavendum admonet S. Pater *loco citato*, dicens, *In ipsa autem correptione prudenter agat, & ne quid nimis, ne dum nimis cupit eradere aruginem, frangatur vas: suaque fragilitate semper suspectus sit; memineritque calamum quassatum non conterendum:* vel ex nimia indulgentia permittat, ut oriantur vitia, & delinquentibus potiùs incentivum, quàm supplicium pethibeatur: sed ut ejusdem Sanctissimi Legislatoris *loc. cit.* verbis utar, *cum charitate ea vitia amputet, prout viderit expedire.*

2 Hac in re tam difficili illud Bernard. *serm. 8. de mov. vivend.* ante oculos teneant Abbates, & cæteri Prælati, *Castigatio debet esse moderata*; quia secundùm Ambrosium, *leviter castigatus exhibet reverentiam castiganti; qui verò crudeliter castigatur, vel increpatur, nec increpationem suscipit, nec salutem. Blanda pietate sunt portandi, qui pro sua infirmitate non possunt increpari.*

Hinc intelligi facillimè potest: cur sapientissimus Salomon in vasis Templi leonis, bovis, & Cherubim imagines depictas voluerit. Nisi ut Prælati Ecclesiæ (quorum imagines depictæ sunt in vase ornato omni lapide pretioso, qui est Christus Pontifex futurorum bonorum) corrigere debeant, aliquando rigidè, ut leones; aliquando patienter, ut boves; aliquando sapienter (immo semper) ut Cherubin, corrigant Abbates, & Prælati subditos, ne error, qui non corrigitur videatur approbari, & veritas, quæ per surreptionem defensari solet, opprimi: *dist. 63. can. 3* sed hoc ab illis magna prudentia simul cum charitate præstandum est; dicente August. *de correp. & grat. cap. 15. Corripiantur à Præpositis subditi correptionibus de charitate venientibus pro culparum diversitate diversis, vel minoribus, vel amplioribus.* 3 4

GLOSSA VII.

Non sit turbulentus.

SUMMARIUM.

1 *Turbulentus quis dicatur.*
2 *Turbulentia est Abbati fugienda.*
3 *Subditorum animos æquè timentium, & amantium sibi conciliet Abbas, & quomodo.*
4 *Vultus hilaritas in Prælato requiritur, ut subditi hilares fiant.*

CUm communi descriptione dicatur ille turbulentus, qui præ ira, atque assidua animi perturbatione, nunquam acquiescit: Abbas suam ab hoc vitio mentem avertat, si dignitas ei curæ sit, qua cæteris præest: si quis subditos ita regere cupiat, ut ipsorum æquè timentium, atque amantium sibi conciliet animos. Ex Div. Gregor. apud Turrecrem. *in cap. 64.* Regul. S. Benedicti. Modum verò servare studeat, ut eum nec nimia lætitia vilem reddat, nec immoderata severitas odiosum. Recordetur interdum Abbas, quo turbulentiam suo ex animo repellat omninò, se Christi vices gerere; de quo Scriptura testatur Isaiæ 16. *Non vociferabitur, neque turbulentus erit*; primò igitur eo, quia Christi vices gerere dicitur; secundò respectu dignitatis, in qua constitutus est; tertiò subditorum causa non debet Abbas turbulentus esse, ne in eos ejusdem erroris malum semen effundat, dicente Hier. *in Ezechiel. cap. 41. Nullum vultus sui tristitia deterrebit; utique qui nunquam tristis, demissoque vultu, sed erectus potiùs hilari, ac sereno incedat.* Vultus hilaritas in Prælato requiritur, ut subditi hilares fiant; sicut erat eorum Pater Benedictus de quo scriptum est à D. Gregorio *lib. 2. dialog. cap. 1.* Erat vultu placido. 1 2 3 4

GLOSSA VIII.

Non sit anxius.

SUMMARIUM.

1 *Pastorum more, ut gregi suo invigilet cæteris præficitur Abbas.*
2 *Mortem si opus fuerit, subire debet Abbas, ut Dei honorem, subditorumque salutem conservet.*
3 *Prælationis ardor ambitionis est signum.*
4 *Ut ignis nivem non gignit; sic qui in mundo indebita quærit, nunquam cælesti, ac perenni honore potietur.*
5 *Abbas suos Monachos alere, eorum onera subire, ac languoribus eorum languere debet.*

IDeò Abbas cæteris præficitur, ut Pastorum more gregi suo invigilet, quæque illi à Christo tradita sunt minimis servet, ac subditis, illorum utilitati studeat, & negligat proprium, omnique remota anxietate, omnia contemnat; præter ea quæ sunt JESU CHRISTI, & quæ suorum Monachorum utilitatem respiciant; 1 2

ciant; imò, si opus fuerit, pro his non recuset mor-
tem subire, ut Dei honorem, subditorumque salutem
conservet. Hæc legendo times, quid si experienda?
mox fatereris, primatum Ecclesiasticum, nulla ratio-
ne, nullaque causa à sapiente viro optandum esse, qui
se labori, servituti, periculis, atque angustiis subjicere
non festinat, S. Chrysostomus *homil. 35. in cap. 20.*
3 *Matth.* cujus verba sunt hæc: *Prælationis ardor am-
bitionis est signum, & ex alto gravior est casus.* Et D.
4 Bernardus *in serm. de verb. Domini, Ecce nos rel. omn.*
ait: *Ut ignis ex se nivem non gignit: sic qui in mun-
do indebita quærit, nunquam cælesti, ac perenni hono-
re potietur.* Quibus rationibus satis manifestè colli-
gitur, non licere tanta animi anxietate Prælaturas, &
Abbatias appetere; imò magno cum timore eas vi-
tare: cùm perennibus Abbatias, aliasque Prælaturas
dicat Christus: Matth. 20. *Nescitis quid petatis, po-
testis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* Si enim
scirent Monachi, quid debeat Abbas pro ovibus suis,
nemo Abbas esse procuraret. Quis enim extrema pau-
pertate laborans filiorum turbam, ut eos alat, habe-
re cuperet? Quis ascendens gravi onere onustus, mil-
le graviora pondera suis humeris imponi desideraret?
Quis languidus multorum sibi labores asciscat? At
5 Abbas alere suos Monachos, onera eorum, etiam gra-
vissima subire, & languoribus eorum languere debet.
Nescit igitur quid petat Monachus, qui nimia anxie-
tate Abbatialem dignitatem expetit: putat enim ille
miser, honorem petere, & petit summum onus: exi-
stimat, calicem exultationis acquirere, sed calicem
continuæ passionis amplectitur. Hinc sæpè contingit,
quòd si in petitione illius honoris placuit aureus calix,
displiceat postmodum ejus amara potio: Agnosce igi-
tur te ipsum; reminiscere te pompis seculi renunciasse,
ac Religiosæ, & Monasticæ quieti animum, men-
temque tuam accomoda, omni anxietate rejecta; ad
Abbatialem gradum non aspires, nisi tanquam Aaron
ad illum te exhibeas.

GLOSSA IX.

Non sit nimius, & obstinatus.

SUMMARIUM.

1 *Consilium à Monachis senioribus petat, & propriis viribus non nitatur Abbas in rebus agendis, ut obstinationis maculam effugiat.*
2 *Qui in propria sui intellectus acie non confidit, imò auxilium ab aliis expetit, faciliùs invenit, quod petit.*
3 *Obstinationem ab Abbate fugiendam ait Sanctus Benedictus.*

1 SI in rebus agendis Abbas fuerit propriis viribus in-
nixus, hanc maculam nimietatis, & obstinationis
profectò non effugiet; petat igitur consilium suorum
Monachorum, & præcipuè seniorum, quod licèt non
teneatur sequi, illo tamen agnito, quandoque discet,
rem faciliùs ad optatum exitum perducere: qui enim
in propria sui intellectus acie non confidit, imò auxi-
2 lium ab aliis expetit, faciliùs invenit, quod petit, *can.
de quibus 20. dist.* & sicut ait Franc. *cap. 9. de constit.
lib. 6.* ad hoc, ut statutum Prælati dicatur rationale;
requiritur consilium Capituli; ita rationale reddetur
Abbatis regimen, si suorum Monachorum, nimia re-
3 pulsa obstinatione, consilium sequetur; fugiat ergò
obstinationem nimiam, quam ab ordinato in Abba-
tem expellendam dicit S. Benedict. *in hoc capite.*

GLOSSA X.

Non sit Zelotypus.

SUMMARIUM.

1 *Zelotypia quid sit.*
2 *Zelo Abbas horis singulis ardere debet.*
3 *Zelotypia in Abbate, qui Christi personam gerit, vituperanda est.*
4 *Judicis licèt officio fungatur Abbas; Patris tamen locum, & nomen retinet.*

ZElotypia hic accipitur pro indiscreta, nimiumque 1
fervente ira, seu furore, non pro zelo, quo Ab-
bas potissimum singulis horis ardere debet: adeò ut 2
tanquam Dei minister jure dicere valeat, *zelo zelatus
sum pro Domino exercituum*, 3. Reg. 19. quomodo,
& voce ipse Dominus appellari voluit in sacris litteris,
Exod. 20. Quare etiam sectatores, atque imitatores
illius eodem nomine possunt appellari, nulla ingenii,
nulla vi eloquentiæ tanta polleo, qua hunc bonum
Abbatis zelum summis laudibus extollerem. Versa
verò vice, illa primi modi zelotypia à P. Anton. Pe-
rez *in com. Reg. S. Ben. c. 64.* descripta, id est, indis- 3
creta, nimia, fervensque ira, ac furor, asperiùs aspe-
ritate sua reprehendenda, atque in Abbate vituperanda
est, qui Christi personam gerens, nunquam mansue-
tudinem, atque humilitatem illius præseferret; & li-
cèt in Monasterio suo fungatur Judicis officio: tamen 4
reminisci debet, se etiam loco Patris extare; quippe
qui Patris nomen retinet; quid enim Abbas nisi Pa-
trem significat? suos itaque Monachos paterna dile-
ctione complectatur, non iratus ad iracundiam illos
concitans, sed etiam aliquando eorum vitia dissimu-
lans, expectansque opportunitatem, ea corrigendi D.
Greg. *in Pastorali c. 22.*

GLOSSA XI.

Non sit nimis suspiciosus.

SUMMARIUM.

1 *Suspiciosus idem est, ac zelotypus.*
2 *Suspiciosus semper inquietus.*
3 *Suspicio, & unio unà esse nequeunt.*
4 *Unioni Prælatus studeat, & negligat suspicionem, societatis expultricem, &c.*

ANtonius Perez *in comm. Reg. S. Bened. capite 64.* 1
dicit, ly, *suspiciosum*, idem importare, ac zelo-
typum: inspecta autem ab eodem Doctore vera zelo- 2
typi significatione, sic interpretari posset: semper in-
quietus, perpetuisque suspicionibus turbatus. Cùm
verò S. Bernard. *serm. de assumpt.* dicat, *suspicio im-
pedit cum proximis unitatem*, quomodo Abbas suspi-
ciosus esse poterit, ac simul Monasterii, & Congrega-
tionis sibi subjectæ caput unitivum? nullo pacto qui-
dem; nam suspicio, & unio unà esse non possunt; 3
huic ergò Prælatus studeat, negligat illam humanæ 4
societatis expultricem, quæ nunquam vera dijudicat,
& de malis bona, de bonis affirmat mala, gloss. *super
Psalm. 118.* Quæ denique ne tantillo temporis inter-
vallo amantem se quiescere patitur, unde suspicio ap-
tissima mors est.

GLOSSA XII.

In ipsis imperiis suis sit providus, & consideratus.

SUMMARIUM.

1 *Prælatus nunquam benè imperare potest, nisi, quæ aliis injungit facienda, ipse exequatur.*
2 *Si Monachus ex incuria sui Abbatis delinquit, non minùs delinquenti Monacho, quàm suo Superiori error adscribitur.*
3 *Acceptor personarum Abbas non sit.*
4 *Prælatus quando dicatur subditorum peccata dissimulare.*
5 *Delictum quando non corrigitur, faciliùs multiplicatur.*
6 *Qualitates aliæ, & animi dotes in Prælatis exigendæ.*

Optimè hæc Abbatis qualitas à S. Benedicto *sua Regula c. 64.* expresſè ac tali pacto deſcribitur: *In ipſis imperiis ſuis ſit providus, & conſideratus ſive ſecundum Deum, ſive ſecundùm ſeculum ſint opera, quæ injungit, diſcernat, & temperet cogitans diſcuſſionem S. Jacobi, dicentis* Gen. 33. *ſi greges meos plus in ambulando fecero laborare, morientur cuncti una die.* Circa quæ verba Cardin. Turrecrem. *in comm. Reg. S. Bened.*
1 *cap. 64.* notat, Abbatem bene imperare non poſſe, niſi ipſe ea, quæ aliis injungit facienda, experiatur. Unde addit idem Turrecrem. Abbates in menſa communi nunquam comedentes, neque cum aliis Monachis Divinum Officium in Choro perſolventes, neque in Dormitorio cohabitantes, neſcire imperare, nec verè Prælatos, & Patres ſe præſtare, ſed potiùs Pharaonis exactores evadere, à Populo Dei conſuetum laterum numerum expetentes, paleasque eis, ut moris erat, ſubminiſtrare nolentes. Eo magis Abbas providus ſit, cùm quaſi ſpeculator, ponatur in alto, ut neceſſaria gregis ſibi commiſſi paſcua proſpiciens, illum ab omni vitiorum inſenſione, oculis providentiæ ſuæ eripiat; ne
2 ſubditorum error ſibi meritò imputetur. Quia, *ſi Monachus ex incuria ſui Abbatis delinquit, non minus delinquenti ſubdito, quàm ſuo Superiori error attribuetur.* Ex S. Greg. *homil. 11. ſuper Ezech.* ſit etiam providus, & conſideratus ſe nonnunquam ſeverum oſtendens, ut modo velut dirus Magiſter diſcipulos increpet, inferatque diſciplinam: nunc piiſſimi Patris inſtar, dilectionis affectum Monachis ſuis filiis dulciter demonſtret, cùm illis humaniter colloquens, remittens pœnam, diſciplinam temperans, ac denique illos ad patientiam cohortans.

Alias virtutes, quas Abbas amplecti, & vitia, quæ virare debet, ut rectè ſuum munus obire valeat, docet D. Pater in aliis *ſua Regula* locis, præcipuè *cap. 2.*
3 ubi *p. 2.* ait: *Non ab eo* (ſcilices Abbate) *perſona in Monaſterio diſcernatur, non unus plùs ametur quàm alius, niſi quem in bonis actibus, aut obedientia invenerit meliorem, &c. quia non eſt apud Deum perſonarum acceptio.* Abbas igitur expanſis ſuæ Charitatis alis, ſubditos ſuos æqualiter foveat, protegat, & tueatur; unaque ab eo omnibus ſecundum merita tribuatur diſciplina, *Regul. cap. 2.* Nullamque diſcernat perſonam, ſive in bonorum diſtributione, ſive in juſtitiæ executione, pari benevolentiæ vinculo adſtringat ſibi omnes, ac complectatur humaniſſimè; niſi quem fortè virtutum præſtantia, ac ſancto obedientiæ obſervantia invenerit magis ac magis probum, necnon digniorem, qui cæteris arctiùs ametur; ſuæ necnon etiam memoriæ mandat Abbas ea S. Patris Benedicti verba, *Reg. cap. 2. Sive ſervus, ſive liber, omnes in Chriſto unum ſumus, & æqualem ſervitutis militiam bajulamus; quia non eſt apud Deum perſonarum acceptio. Solummodo in hac parte apud ipſum diſcernimur, ſive meliores in operibus bonis, & humiles inveniamur.* Et 3. *part. d. cap.* dicitur: *Ergo æqualis ſit &c. Neque diſſimulet peccata delinquentium, ſed mox, ut cœperint oriri, radicitùs ea, ut prævalet, amputet.*

4 Tunc dicitur peccata delinquentium ab Abbate diſſimulari, quando ipſe ſcire ea non curat, vel jam apertè patrata corrigere negligit: parvi ſuì intereſſe putans Dei offenſam, & animarum detrimenta; vel nimio ſui ipſius amore ardens, fruſtra timet, ne in ſubditorum criminibus coërcendis aliquod detrimentum patiatur; putans ſibi à Spiritu ſancto ita dictum fuiſſe; *Requieſcat à laboribus ſuis, quando in vineam Domini vocatur.* Vel ea corrigere non curat: quia eadem reprehenſione ipſe dignus eſſet; & ſic illud verificatur tritum axioma: Nemo fideliter reprehendit, in quo ſe eſſe irreprehenſibilem non confidit. Hinc S. Benedictus *in c. 2. ſua Reg.* ad excitandum Abbatem ad criminum reprehenſionem refert Heli Sacerdotis de Silo, 1. Reg. 3. qui non corripuit filios ſuos, quod S. Bern. *ſerm. ſuper Cant.* proſequens ait: *Delictum quando non corrigitur,* 5
facilius multiplicatur; quia impunitas eſt inſolentiæ mater, radix impudicitiæ, tranſgreſſionum nutrix: quod ſi multiplicetur, ad Abbatem non corripientem illius multiplicatio profectò extendetur.

Alias qualitates non ſolùm Abbatibus, verùm etiam 6
aliis Prælatis adaptandus enumerat S. Patriarcha Benedictus *in 2. cap. ſua Regul. in 4. part. diſt.* quæ cùm ſint generales, & univerſales, non autem ſpeciales, ſicuti qualitates hactenus ex *c. 64.* explicatæ, ut advertit Card. Turrecrem. *in Comment. Reg. c. 2.* propterea non gloſſantur, ſed Textus tantùm qualitates concernens, apponitur, maximè, cùm prædictus Textus eruditiſſima explicatione, & elegantibus Commentariis nuper illuſtratus ſit ab Ant. Perez Monacho Benedictino, cui remittitur curioſus Lector.

Text. Cap. II. Regulæ.

Pars prima.

Abbas, qui præeſſe dignus eſt Monaſterio ſemper meminiſſe debet, quod dicitur, & nomen majoris factis impleri. Chriſti enim agere vices in Monaſterio creditur, quando ipſius vocatur prænomine, dicente Apoſtolo; Accepiſtis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater. Ideoque Abbas nihil extra præceptum Domini (quod abſit) debet docere, aut conſtituere, aut jubere. Sed juſſio ejus, vel doctrina fermento divinæ juſtitiæ in Diſcipulorum mentibus conſpergatur. Memor ſit ſemper Abbas, quia doctrina ſua, vel Diſcipulorum obedientia, utriuſque rei in tremendo Dei Judicio facienda erit diſcuſſio; ſciatque Abbas culpæ Paſtoris incumbere, quidquid in ovibus paterfamilias utilitatis minùs potuerit invenire. Tantùm iterum liber erit, ut ſi inquieto, vel inobedienti gregi Paſtoris fuerit omnis diligentia attributa, & morbidis earum actibus univerſa fuerit cura exhibita, Paſtor earum in judicio Domini abſolutus, dicat cum Propheta Domino juſtitiam, & ſalutare tuum dixi; ipſi autem contemnentes ſpreverunt me. *Et tunc demum inobedientibus curæ ſuæ ovibus pœna ſit eis prævalens ipſa mors.*

Pars ſecunda.

Cum ergo aliquis ſuſcipit nomen Abbatis, duplici debet doctrina ſuis præeſſe diſcipulis, id eſt, omnia bona, & ſancta factis amplius, quàm verbis oſtendere, ut capacibus Diſcipulis mandata Domini verbis proponat, duris verò corde, & ſimplicioribus factis divina præcepta demonſtret. Omnia verò, quæ diſcipulis docuerit eſſe contraria in ſuis factis indicet non agenda, ne aliis prædicans ipſe reprobus inveniatur, ne quando illi dicat Deus peccanti; Quare tu enarras juſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum? tu verò odiſti diſciplinam, & projeciſti ſermones meos poſt te; Et qui in fratris tui oculo feſtucam videbas, in tuo trabem non vidiſti. *Non ab eo perſona in Monaſterio diſcernatur. Non unus plùs ametur, quàm alius, niſi quem in bonis actibus, aut obedientia invenerit meliorem. Non præponatur ingenuus ex ſervitio convertenti, niſi aliqua rationabilis cauſa exiſtat. Quod ſi ita, juſtitia dictante, Abbati viſum fuerit, de cujuslibet ordine id faciat, ſin aliter, propria teneant loca. Quia ſive ſervus, ſive liber omnes in Chriſto unum ſumus, & æqualem ſervitutis militiam bajulamus; Quia non eſt apud Deum perſonarum acceptio. Solummodò in hac parte apud ipſum diſcernimur, ſi meliores aliis in operibus bonis, & humiles inveniamur.*

Pars tertia.

Ergo æqualis ſit omnibus ab eo charitas: una præbeatur omnibus, ſecundùm merita, diſciplina. In doctrina namque ſua Abbas Apoſtolicam debet illam ſemper,

per formam servare, quæ dicit; Argue, obsecra, increpa, *id est, miscens temporibus tempora, terroribus blandimenta, dirum Magistri, pium patris ostendat affectum, id est, indisciplinatos, & inquietos debet durius arguere, obedientes autem, & mites, & patientes, ut in melius proficiant, obsecrare; negligentes autem, & contemnentes, ut increpet, & corripiat admonere. Neque dissimulet peccata delinquentium, sed mox ut cœperint oriri, radicitùs ea (ut prævalet) amputet, memor periculi Heli Sacerdotis de Silo, & honestiores quidem, atque intelligibiles, animos prima, vel secunda admonitione verbis corripiat; improbos autem, & duros, ac superbos, vel inobedientes, verberum, vel corporis castigatione, in ipso initio peccati coërceat sciens scriptum.* Stultus verbis non corrigitur. *Et iterum*; Percute filium tuum virga, liberabis animam ejus à morte.

Pars quarta.

M*Eminisse debet semper Abbas, quod est, meminisse quod dicitur, & scire, quia cui plus committitur, plus ab eo exigitur; Sciatque quàm difficilem, & arduam rem suscipit, regere animas, & multorum servire moribus, & alium quidem blandimentis, alium verò increpationibus, alium suasionibus; Et secundùm uniuscujusque qualitatem, vel intelligentiam, ita se omnibus conformet, & aptet, ut non solùm detrimenta gregis sibi commissi non patiatur, verùm etiam in augmentatione boni gregis gaudeat. Ante omnia ne dissimulant, aut parvi pendens salutem animarum sibi commissarum, plus gerat sollicitudinem de rebus transitoriis, atque terrenis, & caducis: Sed semper cogitet, quia animas suscipit regendas, de quibus & rationem redditurus est. Et ne causetur de minori forte substantia, meminerit scriptum*; Primùm quærite Regnum Dei, & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis. *Et iterum*; Nihil deest timentibus eum. *Sciatque, quia qui suscipit animas regendas, præparet se ad rationem reddendam. Et quantum sub cura sua fratrum se habere scierit numerum, agnoscat pro certo, quia in die Judicii ipsarum omnium animarum est redditurus Domino sine dubio rationem, addita & sua anima, & ita timens semper futuram discussionem Pastoris de creditis sibi ovibus, cùm de alienis ratiociniis cavet, redditur de suis sollicitus, & cùm de admonitionibus suis emendationem subministrat, ipse efficitur à vitiis emendatus.*

De quibusdam aliis qualitatibus Abbatibus & aliis Prælatis necessariis.

GLOSSA XIII.

Debet esse timoratus.

SUMMARIUM.

1 *Abbas, quod debeat esse timoratus, quomodo intelligatur?*
2 *Timor Domini est initium sapientiæ.*
3 *Abbas debet orationi vacare.*
4 *Pastor ob sarcinam pastoralem non debet deserere delectationem contemplationis.*
5 *D. Basilius adeò fuit in oratione assiduus, ut aliquando ab occasu Solis, usque ad ortum continuè oraret.*
6 *Abbates, & Prælati omnes debent animi fortitudine præditi esse.*
7 *Prælatus ferri, & adamantis nomine qua de causa appelletur.*
8 *Prælati debent ab ira abstinere.*
9 *De qua ira intelligendum sit.*
10 *Otium quid sit.*
11 *Otium à se Prælatus expellere debet.*
12 *Prælatus debet morum gravitatem præ se ferre.*
13 *Prælatus debet esse vigilans præcipuè circa Dei cultum.*
14 *Abbatem, & Prælatum omnibus animi dotibus, & virtutibus præditum esse decet.*
15 *Prælatus, quænam sint bonorum operum instrumenta, prænosse debet.*
16 *Episcopum, & Ecclesiæ Prælatum qualem esse oporteat ex D. Paulo.*

HÆc virtus præsupponitur in Abbatibus, & aliis 1
Prælatis, ut constat ex *c. cùm in cunctis de elect.* & in *can. si quis Abbas* 18. *q.* 2. ubi describuntur virtutes, quibus Abbates, & Prælati præditi esse debent, ad quarum complementum ponitur Dei timor, & hoc meritum, quia Abbatibus, & Prælatis subditos judicantibus alloquitur Deus per os David illis consulens, *Erudimini, qui judicatis terram, servite Domino in ti-*
more, & exultate ei cum tremore; Qui timor est ini- 2
tium sapientiæ, ex Eccl. 23. & est donum Dei Charitati annexum, quòd ex vero amore oritur, de quo dicitur Psal. 46. *Beneplacitum est Domino super timentes eum:* est & hic timor principium humilitatis, quæ est basis vitæ Monasticæ, & omnis perfectionis; hoc enim timore Abbas se subjicit Deo, & expellit primum effectum superbiæ, quem nisi expelleret, à Deo apostataret, juxta illud Eccl. 10. *Initium superbiæ est apostatare à Deo: Et ex hoc filiali timore oritur etiam observantia divinorum præceptorum* ex D. Ber. *ser.* 10. *super Cant.* Et ex Cassiod. *de inst. Monast. lib.* 4. *De timore Dei nascitur compunctio cordis; de compunctione cordis procedit observatio, id est nuditas, & contemptus omnium facultatum, de nuditate humilitas procreatur; de humilitate mortificatio voluntatum generatur; de voluntatum mortificatione extirpantur atque marcescunt universa vitia; vitiorum expulsione virtutes multiplicantur atque succrescunt; virtutum pullulatione puritas cordis acquiritur; per cordis puritatem Apostolicæ charitatis perfectio possidetur.*

Debet Orationi vacare.

ORatio, & sacrificium Missæ debent esse refugium Abbatis, & cujuslibet Prælati; Nam S. Hier. *in Epist. ad Tit. c.* 1. loquens de Oratione Pastoris ait, eum debere quotidie pro se, & suis subditis, Deo illibatas victimas offerre; Et hoc rationi consonum est; quia si ad negotia bene gerenda juvat periti consilium, quid faciet Deus, qui est magni Consilii Angelus? & si dicas, præ multitudine curarum sui regiminis non potest Abbas semper orationi vacare: Respondet S. Th. 2. 2. *q.* 135. *art.* 2. quòd Pastor ob sarcinam Pastoralem non debet deserere delectationem contemplationis; quam tamen poterit postponere quandoque pro lucro animarum *can. in scripturis* 8. *q.* 1. quod mire docuit S. Basilius nedum verbo, sed quod majus est, exemplo, qui adeò fuit in oratione assiduus, ut aliquando ab occasu Solis, usque ad ortum continuè oraret. Hinc ait S. Bern. *super Cant. serm.* 76. *Boni Pastores dormientibus subditis pervigilant, tanquam rationem reddituri pro animabus eorum, pernoctant in oratione, hostium vigilias sagaciter explorant: anticipant consilia malignantium, deprehendunt laqueos, cor suum tradunt ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illos, cognoscentes suam insufficientiam in custodienda Civitate.* Quam necessitatem Orationis, puto voluisse S. Benedictum insinuare quando *c.* 2. *suæ Regul.* dixit, difficilem, & arduum rem suscipere Abbatem, suscipiendo regere animas, quasi dicat hoc difficile pondus debet ab Abbate in Oratione cum Deo pertractari, ut illud orationis auxilio bene perficiat; & paulò infrà, dum ait; *Et ne causetur de minore forte substantia, meminerit scriptum*: Primùm quærite Regnum Dei.

Debet animi fortitudine præditus esse.

6 FOrtitudinis necessaria est virtus in Abbate, & in aliis Prælatis, quorum proprium munus est, hac in se prævalente virtute, innocentes, & pusillos subditos à potentium robore protegere, defendere, & eripere, & unicuique quod suum est summa justitia, & æquitate (omni fortitudine expulsa) tribuere; hæc enim virtus in omnibus, & maximè in Prælatis requiritur: & de ea respectu omnium cum Ovidio *libr. de Ponto* dicere cogimur:

Regia, crede mihi, res est succurrere lapsis:
Convenit & tanto quantus es ipse viro.

7 Hac de causa Abbas, & quilibet Prælatus ferrum appellatur; quia ferri fortitudine munitus esse debet, *can. ferrum dist.* 50. ubi Archid. sicut etiam Adamantis nomine appellatur ab Ezech. *c.* 3. quilibet Pastor, quia ad instar Adamantis fortitudine præditus esse debet. Imitentur Abbates, ut animi fortitudinem acquirant, exemplum Abbatis S. Joannis Gualberti, qui ut Ecclesiasticam libertatem, & immunitatem illæsam conservaret, non dubitavit (ut dicitur) *se manibus nocentium tradere*, dum Florentiæ publicè, verbo, & exemplo simoniacam labem extirpavit, & veram animi demonstravit fortitudinem, cujus præcipuus effectus est firmare, & conservare bonum rationis in his in quibus maximè difficile est firmitatem habere, scilicet, in periculis arduis, & gravibus, juxta doctrinam D. Th. 2. 2. *q.* 124.

Debet se ab ira abstinere.

8 SAnctus Antonius Abbas, & Martinus Episcopus, qui multorum Monachorum Patres extiterunt, nunquam visi sunt irasci. Et de S. Benedicto legitur, quòd erat vultu placido, & Angelico. Ad instar horum Abbates, & alii Prælati iracundiam detestentur, & summopere studeant ut non occidat Sol super iracundiam eorum, juxta monitum Apost. *ad Ephes.* 4. maximè cùm omnibus, & præcipuè Abbatibus, & Prælatis patientia necessaria sit, ut optimè peractæ Prælatio-
9 nis reportent promissiones. Non est hîc sermo de ira, quæ rationabilis est, atque non tam ira, quàm zelus dicitur juxta S. Th. 2. 2. *q.* 188. *art.* 3. Sed de ira, quæ est passio appetitus sensitivi, ratione non regulata, quæ vituperabilis est, & condemnanda ut illa, de qua Apost. *ad Ephes.* 4. *omnis indignatio, & ira tollatur à vobis.* Nam cùm ira sit appetitus vindictæ, ea, quæ tendit in hoc, ut vindicta fiat juxta ordinem rationis, nimirum in sontes, ac secundùm delicti mensuram, & legis præscriptum, ac propter debitum finem, qui est conservatio justitiæ, & correctio culpæ, recta, & commendabilis est; ac proprio nomine zelus dicitur, juxta D. Th. *ubi suprà.* Quæ autem in his omnibus, seu in eorum aliquo claudicat, mala, ac vituperabilis est, ejus malitia, vel venialis est, juxta gravitatem requisiti, à quo deficit.

Debet otium extirpare.

10 OTium, (ut omnibus compertum est) diaboli laqueus est, quo ad animas captivandas utitur: propterea ab Abbate, & Prælato expelli debet; quia
11 ut docent Innocent. *in cap. nisi cùm pridem de renunciat.* etiam est mater nugarum, & noverca virtutum; ea etenim, quæ inter seculares nugæ sunt, in ore Sacerdotis, & à fortiori in ore Prælati blasphemiæ reputantur. Quid turpius in Abbate primo Cœnobii Sacerdote, quàm otiositas? Imitentur Abbates, & alii Prælati primos Eremi cultores, qui semper aliquid boni operabantur, ut ab antiquo hoste semper invenirentur occupati, ut & ipsi ab ejusdem insidiis incolumes fiant.

Debet morum gravitatem præ se ferre.

12 SI Magistratus seculares ne vilescat auctoritas, mirificè colunt gravitatem morum, *c. qualiter, il 1. de accusat. l. observandum, ff. de offic. Præsid.* quid facere debet Abbas, & alius Prælatus, qui in suo Monasterio Magistratus Ecclesiastici est Princeps? ibi enim, & ubique locorum magis talem se præbere debet; imò si morum gravitatem præ se ferat, peccabit, ut advertit Tostatus *in lib. 2. Reg. c. 6. q.* 17. propter hanc rationem; quia minueretur ejus auctoritas, nisi gravitatem morum in se demonstrarent. Quo in loco propter hoc subjungit, quod Prælatus, & Pastor quædam officia humilia, quãvis spiritualia exercere non debet, dummodo subditis humilitatis exemplum præbere non intenderet.

Debet esse vigilans.

SAnctus Pater Benedictus *c. 2. suæ Regulæ* insinuans, 13
& tanquam necessariam inter Abbatis qualitates adscribens vigilantiam, ait: *& ita timens futuram discussionem Pastoris de creditis sibi ovibus cum de alienis ratiociniis cavet, redditur de suis sollicitus:* quæ verba videntur esse conformia iis S. Pauli *ad Hebr. cap. ult. Obedite Præpositis vestris, & subjacete iis; ipsi enim pervigilant, quasi rationem reddituri pro animabus vestris,* at sollicitudo idem sonat, quod vigilantia. Eandem qualitatem præscripsit S. Pater Benedictus *cap. 64. suæ Reg.* magis apertè, dicens: *oportet enim eum Pastoris munus exerceat, vigilare Abbatem:* hæc vigilantia præcipuè versari debet circa Dei cultum ex Chrysost. *Dialog. lib.* 2. dicente: *multo consilio, & prudentia opus est Pastoris, & mille (ut dicitur) oculis ad speculandum undique habitudinem ovium, circa divini cultus observantiam, ac Ministerii sui utilitatem.* Unde dum Abbates piè supra gregem suum vigilant, super eos gratia largiùs coruscat, ut ait S. Gregorius, & Summus Pontifex Innocent. III. *in c. cum ad Monasterium, de stat. Monach. Abbas verò, cui in omnibus reverenter obediant, quantò frequentiùs poterit, sit cùm fratribus in Conventu, vigilem curam, & diligentem sollicitudinem de omnibus, & officio sibi commissis, adhibeat.* Hanc vigilantiam Pastoribus animarum & præcipuè Abbatibus plurimùm commendat Synodus Aquisgranensis, sub Gregorio IV. *c.* 1. & 2. ubi cùm quædam alia Abbatibus necessaria subjiciantur, meritò horum duorum capitum verba hic recensentur: *Ut Abbates canonicè gregibus sibi commissis, instanter invigilent, & geminam eis pastionem impendant, id est cibi, & verbi, quatenus absque murmurationis vitio Domino servire valeant. Simul etiam ut prædicti Abbates Ecclesiastica jura intemerata custodiant; videlicet, ut cognoscant, cujus prænomine notentur, in eo quòd Abbates vocati sunt, quod intelligitur in typo Christi, nomen spiritualis patris. Deoque semetipsos, & nomini, quod accipiunt, conforment; ut subditis, spiritualibus filiis exemplum præeundo, & informando religiosè exhibeant; ideoque non convenit ministerio ipsorum aliqua turpia, aut secularia, vel etiam inania quoque sectari, quæ contra Religionem esse noscuntur: sed potiùs canonicè, religiosè, castè, sobriè, atque piè, & justè vita eorum omnibus sibi commissis æternæ felicitatis ducatum præbeat; & in quantùm ipsi Abbates, Abbatumque subjecti Episcopis propriis, pro se, suisque omnibus rationem reddituros noverint, tantò eorum consilio, atque auctoritate modis omnibus, mancipentur:* & c. 2. *Abbates verò Monachorum oportet prævigili studio gregis sibi commissi curam gerere; videlicet, ut sine quibus esse non possunt, temporalia subsidia administrent, tantoque id studiosiùs decertent agere, quantò sciunt exteriùs nihil contingere licere. Simul etiam divina lectionis studio jugiter, eos informent, ne aut temporali desolati auxilio, divinum opus explere nequeant, aut serpentes otio in laqueum tentationis incidant. Ipsos etiam Monachos passim, & quasi absque canonicæ auctoritatis jugo effrænatos per secularia negotia minimè oportet discurrere, & villicis, atque secularibus curis inservire; sed secundùm institutionem Canonicam, in quibus renunciaverunt, contentos esse, & neque secularibus, neque Ecclesiasticis negotiis,*

negotiis, nisi in causa necessitatis, accepta tamen propriæ Civitatis Episcopi licentia interesse.

14 Præter has qualitates à Sancto Patriarcha Benedicto, enumeratas, omnibusque tam Regularibus, quàm sæcularibus Prælatis adaptandas, silentio non sunt involvendæ, Benignitas, Mansuetudo, Continentia, Humilitas, Liberalitas, Sobrietas, Hilaritas, Modestia, Patientia, Stabilitas, Temperantia, Magnificentia, Magnanimitas, Gratia, Humanitas, Affabilitas, Urbanitas, Integritas, Religiositas, Pietas, Observantia, Clementia, & si quæ aliæ sunt animi dotes, & qualitates, quæ verum Pastorem, Magistrum, Ducem, & Doctorem Monachorum maximè decent, Christi vices gerentem: imò quidem omnes, & singulæ simul collectæ, quasi murænulæ aureæ, vermiculatæ argento circa Abbatis collum debent esse appositæ: ad quarum prolixiorem enarrationem remitto Lectorem, ut videat D. Thom. *part. 2. q. 60. art. 3.* S. Gregor. *homil. 3. in Ezech.* S. Ambros. *lib. 3. in S. Lucam*, Macrobium *lib. 1. in somn. Scip. cap. 8.* quibus in locis, nedum supradictas sigillatim virtutes, animi qualitates, ac dotes probi viri, præsertimque Præsulis, Pastoris, & Patris, ac Magistri, cujusmodi est Abbas, Lector offendet, verùm etiam Cardinales, Theologales, Morales, Evangelicas, & Civiles omnes denique virtutes, animique dotes, ac proprietates, velut in speculo quodam, conspiciet.

15 Plurimùm etiam conducit Abbatem, quæ sint bonorum operum instrumenta prænosse, quæ a D. Patre Benedicto *Reg. cap. 4 part. 1.* sic enumerantur. *In primis Dominum Deum diligere ex toto corde, tota anima, tota virtute: Deinde proximum sicut seipsum, Deinde non occidere. Non adulterare. Non furtum facere. Non concupiscere. Non falsum testimonium dicere. Honorare omnes homines. Et quod sibi quisque fieri non vult, alii ne faciat. Abnegare semetipsum sibi, ut sequatur Christum. Corpus castigare. Delicias non amplecti. Jejunium amare. Pauperes recreare. Nudum vestire. Infirmum visitare. Mortuum sepelire. In tribulatione subvenire. Dolentes consolari. A sæculi actibus se facere alienum. Nihil amori Christi præponere. Iram non perficere. Iracundiæ tempus non reservare. Dolum in corde non tenere. Pacem falsam non dare. Charitatem non derelinquere. Non jurare omninò, ne fortè perjuret. Veritatem ex corde, & ore proferre. Malum pro malo non reddere. Injuriam non facere, sed & factam patienter sufferre. Inimicos diligere. Maledicentes se non maledicere, sed magis benedicere. Persecutionem propter justitiam sustinere. Non esse superbum. Non violentum. Non multùm edacem. Non somnolentum. Non pigrum. Non murmurosum. Non detractorem. Spem suam Deo committere. Donum aliquod in se cùm viderit, Deo applicet, non sibi. Diem Judicii timere. Gehennam expavescere. Vitam æternam omni concupiscentia spirituali desiderare. Mortem quotidie ante oculos suspectam habere. Actus vitæ suæ omni hora custodire. In omni loco Deum se respicere pro certo scire. Omnes cogitationes malas, cordi suo advenientes, mox ad Christum allidere, & seniori spirituali patefacere.*

16 Insuper tanquam Ecclesiæ Prælatus, ut rectè suo muneri satisfaciat, ac qualem se gerere in eo debeat, advertat qualem Episcopum esse oportere doceat D. Paulus, qui de hac re *epist. 1. ad Timoth. cap. 3.* ita scribit: *Oportet ergo Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem, doctorem, non vinolentum, non percussorem, sed modestum, non litigiosum, non cupidum, sed suæ domui bene præpositum: filios habentem subditos cum omni castitate. Si quis autem domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit? non Neophytum, ne in superbiam elatus in judicium incidat diaboli.*

His qualitatibus & animi dotibus præditi esse debent Abbates, & Prælati, aliàs temerè, & absq; ulla animadversione Prælaturæ munus suscipiunt, & in horrenda, licèt elegantia tale onus suscipientes, incidunt verba D. Bernardi ad Episcopum Londonen. *epist. 24.* ubi ait: *Curritur ad Ecclesiasticas curas tanquam sine curis jam quisque victurus sit, cùm ad curas pervenerit. Et qui needum has curas experti sunt videntes alios, qui jam humeros submiserunt huic sarcinæ, non solùm non gemere, tanquam sub onere, sed insuper appetere plus onerari, non deterrentur periculis, quæ cupiditate cæca, non vident. Quæ ista insania est? ubi timor Dei? ubi mortis memoria? ubi Gehennæ metus? & terribilis expectatio illa Judicii? Quò ascendis miser? ut ab altiori gradu sit casus gravior? neque enim paulatim decides, sed tanquam fulgur in impetu vehementi (quasi alter Sathanus) subitò dejicieris. Non cum tanta alacritate currerent ad honores, si esse sentirent & onera, gravari profectò metuerent; nec cum tanto labore, & periculo dignitates affectarent; affectant autem, quia sola attenditur gloria, non pœna.* Et paulo infrà: *Dic mihi quantùm desudas, ut gemitibus, orationibus, pœnitentia, prædicatione, &c. diluas peccata illorum, quorum bona comedis? veniet miser ante Tribunal Christi, & audietur gravis querela populorum, accusatio dura eorum, quorum vixere stipendiis, neque diluere peccata; quibus facti sunt duces, cæci, & fraudulenti mediatores. Quid tibi insipiens, deliciæ sapiunt, quid deliciæ illa oblectant oculos, quibus mercaris tam grave Judicium, dum dura temetipsum obligans rationi? universa quidem usque ad quadrantem novissimum exigeris?*

Et in *sermo sup. Cant.* loquens contra illos qui absque virtute, & debitis qualitatibus se ingerunt Prælaturis ait: *Miror audaciam plurimorum, quos videmus de suis vineis non colligere nisi spinas, & tribulos; vineis tamen Dominicis etiam se ingerere non vereri, fures sunt, & latrones, non custodes, nec cultores. Væ* (inquit Gregor. *in epist. 126. lib. 7.*) *qui culmen Regiminis non ad officium portandi oneris suscipit, sed ad appetitum gloriæ, & transitorii honoris. Væ qui Dux Christianæ Militiæ fieri sustinet, nondum veteranus miles, id est, diu exercitatus in omnium victoria.*

DISPUTATIO XXVII.

De exteriori habitu, & decentia, ac habitatione, & conversatione Abbatum, aliorumque Prælatorum Episcopis inferiorum.

Quæst. I. *De habitu Abbatum, & suorum Monachorum.*
II. *De Tonsura Abbatum, & suorum Monachorum.*
III. *De habitatione Abbatum, & suorum Monachorum.*
IV. *De mensa Abbatum, & aliorum Prælatorum.*
V. *De cella, cubili, & supellectili Abbatum, & aliorum Prælatorum.*
VI. *De decentia Abbatum, & aliorum Prælatorum in equitando, & iter faciendo.*
VII. *De sociis, & familiaribus Abbatum, & aliorum Prælatorum.*
VIII. *De colloquiis Abbatum, & aliorum Prælatorum.*
IX. *De Monachis electis in Ministerio cubiculi Abbatum, & aliorum Prælatorum.*

QUÆSI-

QUÆSITUM I.

De habitu Abbatum, & suorum Monachorum.

SUMMARIUM.

1 *Antiquitas habitus Monachorum.*
2 *Monachi quare habitum, & vestes mutent.*
3 *Vestiri debet Abbas melius, quàm Monachus, Monachus verò melius, quàm Conversus.*
4 *Monachi quare cuculla utantur.*
5 *Habitus essentialis Canonicorum Regular. quis sit.*

1 ANtiquissimum esse Monachorum, & Abbatis vestitum, & habitus institutum, ut qui profitentur mundi contemptum, & pœnitentiam, singulari, & notabili habitu induantur, pa: : primo ex D. Dionysio *cap. 6. Ecclesiastica Hierarchia*, ubi de professione Monachi loquens, ait: *Sacerdos signo Crucis cum consignatam tondet, omnique veste detracta, cum alia induit*; Eusebius *lib. 2. Hist. c. 24.* scribit ex Hegesippo, Jacobum Apostolum fratrem Domini nunquam induisse laneam vestem, sed sola syndone linea usum. Basilius *Epist. 1. ad Gregorium*, multa dicit de habitu Monachi; Chrysost. *homil. 69. in Matth.* dicit, Monachos habitu imitari Eliam, & Joannẽ Baptistam, & *lib. de comparatione Regis, & Monachi*, dicit, Monachum uno tantùm amictu, instituto suo conformi, uti solere. Ambr. *lib. 9. epist. 36.* de Paulino loquens, qui ex magno viro in seculo, & nobili Senatore Monachus factus fuerat, & eo facto multos Gentilium Senatorum offenderat; *cùm ipsi*, inquit, *capita & supercilia radant, si quando Isidis suscipiunt sacra; si forte Christianus vir attentior Sacrosanctæ Religionis, vestem mutaverit, indignum facinus appellant.* Hieron. *in epist. 4. ad Rusticum Monachum*; *Vidi quosdam*, inquit: *qui postquam renunciavere seculo, vestimentis dumtaxat & vocis professione, non rebus, nihil de conversatione pristina mutaverunt.* Et *epist. 3. ad Paulinum, Tunicam*, inquit, *mutas cum animo.* Et *epist. 15. ad Marcellam. Tunicam fusciorem*, inquit, *induta se repente Domino consecravit.* Et *epist. 22. ad Eustochium de virginit.* omnium Cœnobitarum eumdem fuisse habitum dicit, nimirum tunicam, & saccum, quibus in vita Hilarionis addit cucullam; dicit enim, vestes ejus fuisse tunicam sacceam, palliolum, & cucullam. *Epist. 17. ad Eustochium de obitu Paulæ*, loquens de Sanctis Monialibus: *Unus*, inquit, *omnium habitus, linteamine ad tegendas solùm manus utebantur.* Aug. *lib. 6. contra Faustum cap. 1.* meminit habitus sanctimonialis; Denique Cassianus totum primum librum de institutis Cœnobiorum consumit, in explicando habitu Monachorum, docens, nos præscriptum habitum professioni congruentem à majoribus accepisse.

Adde duo Concilia; nam Gangrense *can. 12.* reprehendit eos Monachos, qui ob habitum superbiebant, & contemnebant alios Christianos, qui communibus vestibus utebantur. Concilium Carthaginen. IV. *can. 104.*
2 distinguit habitum laicalem ab habitu Religioso. Et ratio quare Monachi mutent vestem, ea redditur à Dionysio *d. c. 6. Ecclesiastica Hierar.* ut significetur vitæ mutatio; sed quare certo utantur Religiosi vestium genere, rationes duas reddit Basilius *q. 22.* Prima est, ad designandam propriam professionem. Si enim convenit, ut aliter vestiantur Senatores, aliter milites, aliter rustici, & si Paulus 1. *Cor.* 11. jubet, virum aperto capite orare, ad significandam potestatem: mulierem verò velato ad significandam subjectionem, cur non conveniet Religioso, certam vestem deferre.

Quòd Abbates, & Monachi debent deferre habitum à secularibus distinctum; ultrà supradictas, adest auctoritas text. *in can. vidua 20. q. 1.* determinatus enim habitus necessariò requiritur ad determinatum Regularem Ordinem constituendum, tanquam signum externum professionis internæ, ut notat D. Th. 2. 2. *q. 18, art. 8.* & Regulares ita tenentur deferre habitum, ut postquam illum susceperint, nullo modo deferre, aut dimittere, variare, vel occultare possint, ita ut cujus quisque sit professionis, vel instituti, non agnoscatur, ut in *can. proclivus 20. q. 3.* imò contrafacientes incidunt in canonem excommunicationis latæ sententiæ; text. *in c. 2. ne Cler. vel Monach. in 6.* Abbatis autem, & Monachorum habitus dicitur cuculla, ut colligitur ex tex. *in can. mandamus 19. q. 3.* unde in Monasterio, in quo fuerit Congregatio 12. Monachorum, aut suprà, Abbas, vel alius Præsidens intra Monasterii septa floccum ponere debet; in aliis autem Monasteriis, ubi pauciores, quàm duodecim Monachi degunt, cucullam. Si verò contigerit, illum extra Monasterii septa proficisci, floccum, cucullam, aut cappam clausam habeat, & subtus cappam, si eam portaverit cucullam, aut si maluerit, scapulare deferat, ut *Clem. ne in agro*, ubi
Panorm. *n. 9. de statu Monach.* ita ut Abbas vestiatur 3
meliùs quàm Monachus, & Monachus meliùs, quàm Conversus. Bald. *in l. sed si quid §. sufficit num. 1. ff. de usufr.* est autem cuculla duplex; altera manicata, à quibusdam floccus appellata; altera non manicata, quæ cappa communiter dicitur, hoc est, pallium amplum, non longum, sed manicis carens. Unde licèt usus cucullæ aliquibus concederetur, non continuò fieret, ut de manicata posset, aut deberet intelligi, nisi id consuetudine, aut constitutione licitum esse constaret.
Cuculla autem utitur (ut Cassianus ait) ad designan- 4
dam simplicitatem, innocentiamque infantilem, ad quam Abbas, & Monachi redire cupiunt. Infantes enim, dum adhuc in fasciis, & in sinu nutricis versantur, velis quibusdam, quasi cucullis teguntur; & cuculla est habitus exterior; habitus autem, qui sub cuculla gestari solet, sit Abbatis, & Monachorum Regulæ, & Religionis constitutionibus conformis, & nullatenus lineis camisiis utantur, sic statuitur *in cap. cùm ad Monasterium, de stat. Monach.* & tam habitus intrinsecus, quam extrinsecus sit decens Regulari, & Monastico statui, & vestitum appetant non ornatum, & induendum quærant, non quod subtilius invenitur, sed quod utilius, & quod frigus repellat, non quod superbire compellat; ne iterum in persona illorum conqueratur D. Bernardus *ad Guglielmum Abbatem* super verba illa S. Pauli 1. *Timoth. 6. habentes victum, & vestitum. Nobis autem pro victu satietas, nec vestitum appetimus, sed ornatum; quæritur ad induendum non quod utilius, sed quod subtilius invenitur; Non quod repellat frigus, sed quod superbire compellat; non quod vilius comparari potest, sed quod venustiùs mox vanitas ostentari; Heu me miserum qualemcunque Monachum.* Et Concilium Aquisgranen. *suprà* à nobis relatum in *calce Quæst. 13. Disput. 2. sub num. 20.* statuit, ut Monachis vestimenta nec multùm vilia, nec multùm pretiosa, sed mediocria dentur. Videatur de hac re habitus, & vestimenti Abbatis, & Monachorum Regula S. Benedicti *cap. 55. & Clem. ne in agro*, ubi gloss. & Panormit. fusè *de stat. Monach.*

5 Portò essentialis habitus Canonicorum Regularium, quem in sua professione assumunt, ac in signum ejusdem professionis gerunt, est sola, & simplex linea Tunica, sive superpelliceum, aut Rochettum nuncupata, quæ etiam camisia Romana dicitur, ut notat Jo. Andr. *in Clem. 1. verb. habitus de elect.* & clarè colligitur ex Constitutionibus Benedicti XII. editis pro reformatione Canonicorũ Regularium, & pluribus probat Gabr. Peñot. *lib. 2. hist. Tripart. Canon. Regul. c. 8. per tot.* Sed de hac re per extensum egimus supra *Disp. 20. Quæst. 3. n. 6. usq. ad 21.*

QUÆSITUM II.

De tonsura Abbatum, & suorum Monachorum.

SUMMARIUM.

1 *Antiquitas tonsuræ Monachorum.*

2 *Tonsuræ forma triplex apud veteres.*
3 *Corona in Capite Monachorum quid significet?*

1 DE hac tonsuræ antiquitate mentionem facit Dionysius *de Ecclesiastica Hierarchia cap.* 6. ubi clarè dicit, Monachum futurum primùm debere tonderi, deinde indui alia veste, priori abjecta; Anicetus I. deinde *in Epist. ad Gallos*, jubet, radi caput in modum sphæræ. Tertiò habemus Athanasium *in lib. de Virginitate*; habemus, & Palladium *in hist. Lausi. cap.* 41. & Hier. *in epist. ad Sabinianum Diaconum*, qui restantur, etiam sanctimoniales tonderi consuevisse. Quartò Epiphanium *hær.* 80. & Augustinum *de opere Monachorum c. ult.* qui acriter reprehendunt quosdam Monachos crinitos, qui tonderi more aliorum nolebant. Quintò Hieronymum, & Augustinum, qui coronæ Sacerdotalis meminerunt. Hier. *in Epist. ad Aug.* quæ est 26. *in epist. Augustini: Fratres tuos dominum meum Alipium, etiam dominum meum Evodium, ac meo nomine salutes, precor coronam tuam.* August. *in Epist. ad Proculianum Episcopum* 147. *Per coronam nostram nos adjurant vestri.* Sextò Isidorum *lib. 2. de offic. divinis c.* 4. & Bedam *lib. 5. Histor. Anglorum, cap.* 12. quorum prior, ab Apostolis dicit institutam esse tonsuram, & coronam Clericorum, & Monachorum; posterior dicit, Sanctum Petrum omnium primum gestasse coronam capillorum, toto reliquo capite tonso, & ad ejus imitationem, omnes Clericos, & Monachos idem suscepisse. Septimò Justinianum, qui in *Authentica col. 7. tit. 5. c. 2. & 3.* distinguit tonsuram Monachorum Novitiorum, quam Laicorum tonsuram vocat, à tonsura professorum. Octavo Concilia; nam Concilium Carthaginense IV. *can.* 44. prohibet Clericos comam nutrire, aut urbam, habetur *in cap. Clericus, de vita, & honest. Cleric.* & Concilium Tolet. IV. *can.* 40. jubet, ut omnes Clerici, toto capite detonso, solùm circulum capillorum supra aures relinquant; ex quo apparet, olim eandem fuisse coronam Monachorum, & Clericorum, sed Monachi quidem servarunt antiquam consuetudinem, Clerici verò magna ex parte illam mutaverunt, ut ait Gregor. de Valent. *tom. 4. disput. 9. quæst. 5.*
2 *punct. 3. col. 2. vers. Quintò probatur.*

Triplex autem tonsuræ forma apud veteres invenitur, quæ non solùm apud hæreticos, sed etiam inter Catholicos in usu aliquando extitit. Prima, qua Simon Magus utebatur, nam hic (ut testatur Beda *lib. 5. hist. gentis Anglor. c.* 22.) capitis tonsuram ita componebat, ut supra frontem, & à parte anteriori coronæ speciem ostenderet; à parte autē posteriori, & in occipiti eadem corona intercisa videbatur, & decurtata: hanc formam tonsuræ gestabant olim Scoti, ac etiam nonnulli Episcopi, & Monachi, qui Evangelii prædicandi gratia ex Scotia in Angliam trajiciebant, ut idem
3 Ven. Beda auctor est *lib. 3. c. 25. & 26. & sequen.* qui demùm ab Episcopis, & Clericis Catholicis in Ecclesia Romana Catholicè institutis de suo errore admoniti, perfectam coronam Clericorum, & Monachorum Ecclesiæ Romanæ Catholicæ, & Apostolicæ, abjecta illa Simoniana, libentissimè susceperunt. Secunda ejusdem tonsuræ forma ea extitit, qua Clericorum supremus vertex in modum parvi circuli tondetur, relictis aliis capillis prolixis more laicorum, quæ forma, eo quia esset in usu apud hæreticos in Regnis Gallitiæ degentes, ad tollendum scandalum à Concilio Tolet. IV. *can.* 40. Catholicis interdicta fuit, eo tamen scandalo cessante, apud omnes ferè Catholicos in Italia, Hispania, Gallia, & aliis Provinciis, in usu fuit, & nunc etiam retinetur. Tertia ejusdem Clericalis tonsuræ forma, eujus antiqui Patres sæpiùs meminerunt, fuit in modum coronæ adeo ut detonso superiùs capite in modum circuli, sive sphæræ, ac etiam in parte inferiori remaneant ca-
4 pilli totum caput ad modum coronæ ambientes.

Ut autem ad rationem tonsuræ veniamus, ejus ratio & causa habetur in *c. duo sunt* 20. *q.* 1. ut habetur: *Hi sunt Reges, id est, se, & alios in virtutibus regentes, & ita in Deo regnum habent, & hoc designat corona in capite. Hanc coronam habent ex institutione Romanæ Ecclesiæ in signum Regni, quod in Christo expectatur, est temporalium omnium dispositio.* Aliam rationem reddit Vener. Beda *lib. 5. Hist. c.* 22. ad exprimendam imaginem spineæ coronæ Christi, ut enim omnes Christiani signo communi Crucis ornantur: ita par erat, ut Clerici, & Monachi, qui specialiùs Christum patientem imitari volent, speciali signo ornarentur; ipsius autem Bedæ verba hæc sunt: *Neque ob id tantùm in coronam attondemur, quia attonsus ita est Petrus, sed quia Petrus in memoriam Dominicæ Passionis ita attonsus est:* & infrà: *Ita oportet etiam eos, qui vel Monachi votum, vel gradum Clericatus habent, & arctioribus necesse habent pro Domino se continentiæ finibus adstringere, formam quoque Coronæ, quam ipse in passione sua Spineam portavit in capite, ut spinas, & tribulos peccatorum nostrorum portaret, id est exportaret, & auferret à nobis, suo quoque in capite per tonsuram præferre, ut se irrisiones, & opprobria pro illo libenter, ac promptè animo sufferre ipso etiam frontispicio doceant, ut coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se, semper expectare, proque hujus perceptione adversa mundi, & prospera contemnere diligerent.* Alii dicunt, clericalem tonsuram institutam fuisse in signum specialis consecrationis, qua Monachi, & Clerici seipsos Deo dedicaverunt; sicut in veteri lege Nazaræi tondebantur in sua consecratione. Num *cap.* 6. Alii, in signum conversionis, & singularis pœnitentiæ, quòd pœnitentes ex antiqua Ecclesiæ consuetudine tonderentur, sicut legitur in Concilio Toletano III. *cap.* 12. Alii, quòd tonsura capillorum lugubrem vitam significat, quippe quòd Monachorum partes sint, tum propria, tum aliena peccata legere. Alii ob reverentiam B. Petri Apostoli, cujus verticem Pagani ob contumeliam abraserunt. Videatur Gregor. à Valen. *d. punct. 3. per tot.*

QUÆSITUM III.

De habitatione Abbatū, & suorum Monachorum.

SUMMARIUM.

1 *Monachus non debet secularibus negotiis se implicare, sed claustro contentus sit.*
2 *Monachus quid significet.*
3 *Monachis permissum est, intra Civitates habitare.*

ETsi inveniantur aliqua exhortationis verba S. Hieronymi ad Paulinum dicentis, quòd si cupiat esse Monachus, id est solus, vitare debet Civitates, quæ utique non sunt solorum, sed multorum habitacula, ut ha- 1
betur in *can. si cupis* 16. *q.* 1. & sic Monachus non debet aliis quibuscunque negotiis se implicare, sed suo claustro sit contentus; quia sicut piscis sine aqua, ita Monachus sine Monasterio. Sedeat itaque solitarius, & taceat, quia mundo mortuus est, Deo autem vivit, agnoscat nomen suum: *μόνος* enim Græcè, Latinè est
solus: *ἄχος*, Græcè, Latine est *tristitia*, unde dicitur 2
Monachus, id est, *solus cum tristitia*, sedeat ergò tristis, & officio suo vacet. ut habetur in *can. placuit* 16. *q.* 1. Verùm quamvis aliqui antiquiores canones inveniantur prohibere Monachis vicos & castella peragrare, & à prædicatione omnino cessare, ut est videre *in can.*
juxta eadem caus. & quæst. tamen quia magis expe- 3
diens visum fuit Summis Pontificibus pro salute animarum, illis permissum est ad civitates venire, Monasteria juxta septa civitatum ædificare, sacramenta ministrare, & verbum Dei prædicare; ideò tales canones non sunt in usu, & per multa privilegia Summorum Pontificum est illis permissum. quidquid per antiquos sacros canones videtur prohibitum. Unde Abbatis, & Monachorum habitatio cùm tam intra, quàm extra civitates hodie adinveniatur, profectò poterunt quocunque loco repetiantur,

periantur, solitariè, juxta suum nomen, post spiritualia erga animarum salutem exercitia, habitare: studeant tamen, quòd Monasterium eo in loco, ubi constructum est, sit suo statui conforme; & recordentur Abbates se esse successores illorum, qui jam in Thebaide, in Ægypto, Myria, & Syria morabuntur in cavernis, & speluncis, domunculis, & tuguriis; neque existimetur, in magnis ædificiis, & domibus majorem existere Religionem, & Ordinem Monachalem, ut lachrymans scribit S. Bernardus *in Epistola ad Gulielmum Abbatem.*

QUÆSITUM IV.

De mensa Abbatum, & aliorum Prælatorum.

1 *Mensa Abbatis cum hospitibus, & peregrinis esse debet.*
2 *Abbates honestè facerent, comedendo cum aliis Monachis in Refectorio, & dormiendo cum eisdem in Dormitorio.*
3 *Mensa Prælatorum sit naturæ necessitati, non gulæ desiderio proportionata.*

QVamvis Abbatis potestas ad Monasterii bona & Monachos se extendat, unde Monachi Abbatis potestati subjacere dicuntur, ut in *can. nullam* 18. *quæst.* 2. & quamvis Superiores non debeant inferioribus nimis familiares esse; nam ex conversatione æ-
1 quali nascitur contemptus dignitatis, ut text. *in l. observandum ff. de officio Præsidis*, & licèt mensa Abbatis debeat esse cum hospitibus, & peregrinis, ut in *cap. cum ad Monasterium, de stat. Monach. cap.* 56. *Regulæ Divi Patris Benedicti* Graff. 2. *part. lib.* 3. *cap.* 24. *num.* 25. tamen debet esse frequenter cum fratribus in Conventu, in *d. cap. cùm ad Monasterium §. Abbas:* Unde dicit gloss. *in verbo, Abbates,* in *extrav. unic. de cens.* Honestè facerent Abbates comedendo cum aliis in
2 Refectorio, & dormiendo in Dormitorio, ut melius valerent oculo intelligere quomodo se habeant omnia, tam in Ecclesia, quàm in mensa; tam de die, quam de nocte. Et de mensa Abbatis adest Regula Sancti Patris Benedicti *cap.* 56. videlicet: *Mensa Abbatis cum hospitibus & peregrinis sit semper; quoties tamen minùs sunt hospites, quos vult de fratribus vocare, in ipsius sit potestate: Seniorum unum tamen, aut duos semper cum fratribus dimittendos procuret, propter disciplinam:* & habetur in *can. perniciosam* 18 *quæst.* 11. In mensa Abbatis sordes minimè laudantur, & magnificus vasorum apparatus, ciborum copia, servorum multitudo, & nimia lautitia summè vituperantur; quia, ut benè ait Marcus Antonius Genuen. in *Manual. pastor. cap.* 23. *num.* 4. *Quid magis alienum est à natura rerum quàm pastorem Christiani gregis, cui vita Christi, tanquam exemplar proposita sit, epulis mancipatum videri, & facientem illa, quæ in aliis corrigere debet?* Et quid magis indecens, quàm redditus Abbatiæ, quos probi viri legarunt ad divinum cultum augendum, & levandum egentium inopiam, in magnis cœnarum apparatibus, atque gulæ ingluvie profundi? Sit ergo mensa illius naturæ necessitati, non gulæ desiderio proportionata, & eo tempore condiatur lectione sacra mensa Abbatis; ne cibi voluptate animus à divinis contemplationibus alienetur; caveatur ab eo, ne fiat lapsus in scurriles jocos, sed sobriè, & modestè cum suis Monachis recreetur. Et debent eâ, quam sui Monachi habent, mensurâ in manducando, & bibendo, Abbates contenti esse, ut ait Concil. Aquisgran. *num.* 25. suprà à nobis relatum post *Quæs.* 13. *Disput.* 2.

QUÆSITUM V.

De cella, cubili, & supellectile Abbatum, & aliorum Prælatorum.

SUMMARIUM.

1 *Abbatis cella debet esse talis, ut paupertatis & sui status decentiam non excedat.*
2 *Quid, contra construentes superflua ædificia, exclamet D. Bernardus.*
3 *Abbatis cubile quale esse debeat.*

CUm tam Abbas, quàm Monachi teneantur vivere sub Regula in paupertate fundata; ideò Abba- 1 tis cella debet esse talis, ut paupertatis, & sui status decentiam non excedat, juxta text. *in Clemen. exivi, de verb. significat.* Et contra eos, qui talia superflua ædificia construunt de tali abuso loquens D. Bernardus 2 *in Apologia ad Gulielmum Abbatem,* & in *Epistola ad Fratres de monte Dei,* sic ait: *Jam enim subintravit de arte alieno sumptuosum, & quantùm sinit pudor, ambitiosa cellularum ædificatio: & abjecta sancta simplicitate, & rusticitate, quasi Religiosas quasdam nobis creamus habitationum honestates. Dimissam enim nobis à Patribus nostris jure hæreditario formam paupertatis, & sanctæ simplicitatis, speciem, verum decorem domus Dei alienantes à nobis, & à cellis nostris per artificum exquisitorum cellas, non tam Eremiticas, quàm aromaticas ædificamus nobis de eleemosynis pauperum.* Et post pauca. *Ergo obsecro in peregrinatione hujus seculi, in militia hac super terram ædificemus nobis non domos ad habitandum, sed tabernacula ad deserendum, utpotè cito inde vocandi, & emigraturi in patriam.* Divus quoque Bonaventura *in Epistola,* quam suo Ordini scripsit, enumerans damna, & incommoda, quæ ex ædificiorum sumptuositate, & superfluitate, evenire solent, sic ait: *Occurrit ædificiorum constructio, sumptuosa, & curiosa, quæ pacem Fratrum inquietat, gravat amicos, & hominum perversis judiciis multipliciter nos exponit; & non sine præjudicio paupertatis occurrit sumptuositas* [illegible] *ipsarum: nam cùm Fratres paucis nolint esse contenti facti sumus omnibus onerosi, magisque fiemus in posterum, nisi remedium celeriter apponatur.*

Quo verò ad lectum, quo Abbas uti debet; cùm 3 à Regula sua exemptus non sit, ut sæpiùs dictum est, observare tenetur id, quod à Monachis observandum curare debet; & præcipuè Abbates militantes sub Regula S. Benedicti, quod idem D. Pater *ejusdem Regulæ cap.* 55. constituit, dicens: *Stramenta autem lectorum sufficiant, matta, sagum, lana, & capitale;* meminerit, quòd veteres illi Monachi, aut humi cubabant, aut in junceis stratis, ut refert D. Hieron. *in vita S. Hilarionis,* vel ciliciis, ut habet Hilar. Arelatem. *in vita S. Honorati.*

De supellectilibus autem, quæ status Monachalis mirum in modum abhorret, cùm illum deceat simplicitas, & sanctitas, & honestas, legant Abbates magnum conquestum à D. Bernardo habitum in prædicta *Apologia ad Guglielmum Abbatem.*

QUÆSITUM VI.

De decentia Abbatum, & aliorum Prælatorum in equitando, & iter faciendo.

SUMMARIUM.

1 *Abbas equitando, & iter faciendo superfluam equorum, ac famulorum quantitatem fugere debet.*
2 *Equitando Abbates non nisi ad Generalem Synodum Monachos secum ducere debent.*

NOlo hic, Abbati equitaturo, & iter facturo simplicitatem Sanctorum Patrum ob oculos ponere; sed modestiam Religiosi status, & Regularis Prælati decentiam illius memoriæ redigere: ut superfluam equorum, & servorum quantitatem à se fugiendam esse animadvertat, ne iterum cum illo scandalizetur D. Bernardus *in Apologia ad Abbatem Gulielmum,* illis verbis: *Quod enim (ut cætera taceam) specimen humilitatis est, cum tanta pompa, & equitatu incedere, tantis hominum crinitorum stipari obsequiis? quatenùs duobus Episcopis unius Abbatis multitudo sufficiat? mentior, si non vidi Abbatem sexaginta equos, & eò amplius,*

pliùs, in ſuo ducere comitati. Dicas, ſi videas eos tranſeuntes, non Patres eſſe Monaſteriorum, ſed Dominos Caſtellorum, non Rectores animarum, ſed Principes Provinciarum. Tum deinde geſtare jubent mappula, ſcyphi, bacini, candelabra, & mantica ſuffragirata, non ſtramentis, ſed ornamentis lectuorum. Vix denique quatuor leucis à ſua quiſpiam domo recedit niſi cum tota ſupellectili ſua, tanquam ſit iturus ad exercitum, vel tranſiturus per deſertum, ubi non valeant inveniri neceſſaria. An non poſſes eodem vaſculo, & aqua manibus tergi, & vinum bibi? An non poſſet ardens lucere lucerna, niſi in tuo, quod portas candelabro, & hoc aureo, vel argenteo? An non poſſet dormiri, niſi ſuper varium ſtratum, aut ſub peregrino coopertorio? an non unus aliquis minister poſſet, & jumentum ligare, & ad menſam ſerviri, & lectulum præparare? Nunc ergo tanta multitudinis garſionum, ac jumentorum, cur vel ad ſolatium mali nobiſcum non fecimus neceſſaria, quatenùs hoſpites non gravaremus. Et in Concilio Aquiſgranen. ſuprà à nobis relato poſt *Quæſ.* 13. *Diſput.* 2. *n.* 59
2 ſtatuitur, ut Abbates Monachos ſecum in itinere, niſi ad Generalem Synodum, non ducant.

QUÆSITUM VII.

De ſociis, & familiaribus Abbatum, & aliorum Prælatorum.

SUMMARIUM.

1 *Nimia familiaritas parit contemptum.*
2 *Abbas literatos viros familiares habere debet.*
3 *Præcipua Abbatis familiaritas, & converſatio cum ſenioribus Monaſterii eſſe debet.*
4 *Senibus Reipublicæ adminiſtratio debetur.*
5 *Senatus unde dicatur.*

1 NUlli dubium eſt, debere Prælatum, ne vilis, & contemptibilis reddatur, à nimia familiaritate, & ſocietate cavere; quia nimia familiaritas parit contemptum, juxta notata in *l. obſervandum ff. de officio Præſidis.* Nihilominùs debere Prælatum ſecum habere familiares literatos, habetur in gloſſ. *can. eſto verbo, invideant, diſtinct.* 95. cum quibus conſultationem rerum agendarum habere debet. Fateor omnes Mo-
2 nachos Abbatis ſocios, familiares, & ut veriùs dicam, filios eſſe, aliquos tamen ſibi probatos, & ſcientia inſtructos viros ſuo lateri adhibere debet, quorum conſilio, & auxilio fretus Abbatiale munus perquàm ſtrenuè exequatur. Immo ut ea Abbatis bonitate, ſi quis malus eſt, in bonum convertatur; ſi ſuæ bonitatis exempla ſectetur, nam ut dicit Hieron. *ſuper Oſea lib.* 1. & habetur per gloſſ. *in c. non eſt culpandum* 32. *q.* 1. excuſat Hieronymus Oſeam contrahentem cum meretrice, dicens: *Eum propter hoc non eſſe culpandum, ſed potiùs laudandum: quia malum convertit in bonum, nec corruptus eſt in ſocietate fornicariæ, ſed fornicariæ pudicitiam aſſumpſit.* Unde & alia gloſſ. *ibid. in verbo ſocietur*, dicit: *Societas enim inter bonum, & malum contrahi poteſt; ut ex ſocietate boni, malus ædificetur, ſicut emptio veneni valet, ſi tale ſit, quod adjectione alterius materia uſui eſſe poteſt, l. quod ſæpe §. veneni ff. de contrahen. empt.*

3 Præcipua autem ejus familiaritas, & converſatio ſit cum ſenioribus Monaſterii, quos in rebus agendis ad conſilium adhibere debet, ut ex pluribus locis Regulæ S. Benedicti elici poteſt; quia ſemper tam in divinis, quam in humanis ad Rempublicam regendam, Senes
4 aſſumpti fuerunt, juxta illud Exod. *cap.* 3. *Vade, & congrega Seniores Iſrael*; & *Iſaiæ* 3. *Dominus ad judicium veniet cum Senioribus populi ſui*: & Plutarch. *lib....* quòd adminiſtratio Reipublicæ ad Senes pertineat, animadvertens, Senatum à ſenio nuncupari, di-
cit, *Romanorum Senatus, uſque in hunc diem à ſenio nomen gerit.* 5

QUÆSITUM VIII.

De colloquiis Abbatum, & aliorum Prælatorum.

SUMMARIUM.

1 *Abbas qualis in ſermone eſſe debeat.*
2 *Sicut incauta locutio in errorem protrahit, ita indiſcretum ſilentium eos, qui erudiri poterant, in errore derelinquit.*

INter cæteras virtutes, quas Abbas habere debet, ſtudeat, ne colloquiis inutilibus conſcientiam percutiat infirmorum; ideo tenere debet eum, qui ſecundùm doctrinam fidelis eſt, ſermonem, ut potens ſit conſolari in doctrina ſancta, & contradicentes redarguere, & rectè viventes conſolidare, juxta text. *in can. ſanè 46. diſt.* Deberet ergò Abbas eſſe diſcretus in ſilentio, & utilis, & cautus in verbo, ne aut tacenda pro- 1
ferat, aut proferenda reticeſcat; nam ſicut incauta lo- 2
cutio in errorem protrahit: ita indiſcretum ſilentium eos qui erudiri poterant, in errore derelinquit, non ſicut aliqui improvidi, qui humanam amittere gratiam formidantes, liberè loqui recta pertimeſcunt, & extra Domini præceptum, nequaquam ſibi commiſſum gregem ad inſtar paſtorum, ſed mercenariorum more cuſtodiunt, quia veniente lupo fugiunt; hinc propterea per Prophetam eos Dominus increpat, dicens: *Canes muti non valentes latrare*; Et rurſus quæritur, dicens in Iſaia: *Non aſcendiſtis ex adverſo, neque poſuiſtis vos murum pro domo Iſrael, ut ſtaretis in prælio in die Domini*, ex adverſo quippe aſcendere, eſt pro defenſione gregis voce libera hujuſmodi poteſtatibus contraire; & in die Domini in prælio ſtare, eſt pravis decertantibus ex juſtitiæ amore reſiſtere; hinc etiam delinquenti populo dicit Hieremias: *Prophetæ tui viderunt tibi iniquitatem tuam, ut te ad pœnitentiam provocarent.* Prophetæ quippe in ſacro eloquio paſtores vocantur; ita & Abbas docere debet eos, qui doctrina egent, & peccantium iniquitatem aperire: quoties verò loquitur, aut non opportuno tempore, aut non opportuno loco, aut ut non convenit audientibus, toties ſermo malus procedit de ore ſuo ad deſtructionem eorum qui audiunt: conſiderare debet itaque quid loquatur; quia pro omni verbo otioſo reddituri ſumus rationem in die Judicii, ut habetur in *can. quoties* 22. *quæſt.* 5.

QUÆSITUM IX.

De Monachis electis in miniſterio cubiculi Abbatum, & aliorum Prælatorum.

SUMMARIUM.

1 *Abbatis vita Monachis exemplo eſſe debet.*
2 *Abbas quales Monachos in miniſterio ſui cubiculi eligere debeat.*

CUm Abbatis vita in exemplo debeat eſſe Mona- 1
chis, & cùm plerumque ipſi Monachi, qualis ſit in ſecreto vita ſui Abbatis, neſciant; decet, ut quidam ex Monachis, electi in miniſterio cubiculi Abbatis obſequium præſtent, ut is, qui alios regit, & tales habeat te-
ſtes, qui veram in ſecreto converſationem ſuam vi- 2
deant, & ex ſedula viſione, exemplum perfectum ſumant; juxta text. *in can. cùm paſtoris* 2. *quæſt.* 8. & cùm ipſe Abbas tanquam Eccleſiæ Prælatus lumen mundi dicatur, ejus opera coram ſuis Monachis lucere deberent, juxta Domini præceptum: *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cælis eſt.*

PRIVILEGIUM MEMORABILE JULII II.

Cum insertione aliorum Eugenii IV. & Alexandri VI. Congregationi S. Justinæ de Padua, aliàs Casinen. concessorum, quæ omnia, & alia, si quæ sunt, eidem Congregat. concessa, Vallis-Vmbrosæ Congregationi idem Julius II. de novo concedit, & ad illam amplissimè extendit.

SUMMARIUM.

1 *Generalis, & Diffinitores Congregationis Vallis-Umbrosæ possunt sibi concedi privilegia Congregationis Casinensis.*
2 *Congregatio Vallis-Umbrosæ laudatur.*
3 *Privilegia omnia hactenus Congreg. Vallis-Umbrosæ concessa à quibusvis personis, approbantur, & confirmantur.*
4 *Privilegiorum Vallumbrosanis concessorum defectus omnes supplentur, si in aliquo defectuosa essent.*
5 *Privilegia omnia Casinensium, Vallis-Umbrosæ Congregationi conceduntur, & communicantur.*
6 *Privilegia Monachis Vallis-Umbrosæ concessa, ad Moniales ejusdem Ordinis extenduntur.*
7 *Privilegium Eugenii IV. Congregationi S. Justinæ concessum, refertur.*
8 *Monachi Casinenses, & Vallumbrosani à potestate quorumcunque etiam Nunciorum Sedis Apostol. eximuntur.*
9 *Excommunicari, aut interdici ab Ordinariis non possunt Monachi Casinenses, & Vallumbrosani.*
10 *Bona omnia Congregationis Casinensis, & Vallis-Umbrosæ in protectionem D. Petri recipiuntur.*
11 *Nuncii, & Ordinarii, privilegio Sanctæ Justinæ contradicentes, excommunicantur.*
12 *Conciliis Generalibus, Provincialibus, vel Synodalibus, ut intersint Monachi Casinenses, & Vallis-Umbrosæ compelli non possunt.*
Monachi S. Justinæ & Vallis-Umbrosæ Congregat. eximuntur à
13 *Processionibus,*
14 *Gabellis,*
15 *Talliis,*
16 *Datiis,*
17 *Collectis,*
18 *Oneribus Principum.*
19 *Decimis omnibus.*
20 *Hæreditates, legata, & fideicommissa Monachi Casinenses, & Vallis-Umbrosæ acquirere, petere, & exigere possunt.*
21 *Monasteria omnia, & bona Congregationis Casinensis, & Vallis-Umbrosæ confirmantur.*
22 *Bonorum Casinensium, & Vallis-Umbrosæ occupatores, vel detentores excommunicantur.*
23 *Præscriptio non currit contra Congregationem Casinensem, & Vallumbrosanam, nisi post 60. annos.*
24 *Religionem Casinensem, & Vallis-Umbrosæ qui impedierint volentes ingredi, excommunicantur.*
25 *Monachi sine licentia Congregationem Casinensem, & Vallis-Umbrosæ, ex quavis causa dimittere non possunt.*
26 *Excommunicari, aut interdici non possunt Monachi Casinenses, & Vallis-Umbrosæ.*
27 *Testes ossi possunt in suis causis Monachi Casinenses, & Vallis-Umbrosæ,*
28 *Appellare non possunt à Decretis Capituli, vel Generalis Monachi Casinenses, & Vallis-Umbrosæ.*
29 *Transitum ad aliam Religionem prætextu literarum Apostolicarum facere non possunt Casinenses, & Vallumbrosani.*
30 *Interdicti tempore celebrare privatim possunt Monachi Casinenses, & Vallis-Umbrosæ Congregat.*
31 *Ordines à quocunque Episcopo sumere possunt Casinenses, & Vallumbrosani.*
32 *Examini Episcoporum non subjiciuntur Casinenses, & Vallis-Umbrosæ Monachi ordinandi.*
33 *Episcopum ad Pontificalia exercenda vocant Casinenses, & Vallumbrosani sine Diœcesani licentia.*
34 *Pontificalia exercentes in Ecclesiis Casinensium; & Vallis-Umbrosæ illis invitis excommunicationem incurrunt.*
35 *Excommunicati ob ingressum mulierum in Monasteria Casinensium, & Vallis-Umbrosæ Congregationis, à Præsidente absolvi possunt.*
36 *Absolvi possunt Casinenses, & Vallumbrosani per suos Prælatos ab omnibus à quibus absolvi possent ab Ordinariis, si exempti non essent.*
37 *Sententia lata ab Ordinariis contra Monachos Casinenses, & Vallis-Umbrosæ sunt nulla.*
38 *Privilegium aliud Eugenii IV. Congregationis S. Justinæ concessum refertur.*
39 *Illegitimi ingressi Congregationem Casinen. & Vallis-Umbrosæ, absque alia dispensatione possunt ad Ordines, vel dignitates assumi.*
40 *Abbates Casinenses, & Vallis-Umbrosæ, licet non sint benedicti, exercent omnia, ac si benedicti essent.*
41 *Privilegia Casinensi Congregationi concessa per quascunque literas Apostolicas, etiam Motu proprio confectas, derogata non censentur, nisi specialissima fiat illius Congregat. mentio.*
42 *Privilegium aliud tertium in ordine Congregationi Sanctæ Justinæ concessum refertur.*
43 *Processiones ab Ordinariis indictas sociare non coguntur Casinenses, & Vallumbrosani.*
44 *Privilegium Alexandri VI. Congregationi S. Justinæ concessum refertur.*
45 *Capitulum qualiter celebrare debeant Monachi Casinenses, & Vallis-Umbrosæ.*
46 *Privilegia, immunitates, &c. ab Eugenio IV. Congregationi Sanctæ Justinæ concessa per Alexandrum VI. approbantur, & confirmantur.*
47 *Privilegia particularia alicui loco concessa toti Congregationi Casinensi & Vallis-Umbrosæ sunt communia.*
48 *Vallumbrosani & Casinen. in unione Monasteriorum, & locorum possunt facere pacta & conventiones absque vitio simoniæ.*

❧ (✽) ☙

JULIUS

JULIUS EPISCOPUS,
Servus Servorum Dei,
Ad perpetuam rei memoriam.

MILITANTIS Ecelesiæ regimini, disponente Domino, præsidentes, ex commisso nobis pastorali officio inducimur, ut iis, quæ pro Religiosorum quorumlibet in humilitatis spiritu famulantium felici successu à Sede Apostolica concessa, cum nostræ approbationis munimine, favorabiliter roboremus, ut eo firmius subsistant, quo Sedis ejusdem, firmitate sæpiùs fuerint circumfulta, ac etiam alia de novo, ex Sedis ejusdem benignitate concedamus, prout eisdem Religiosis, & alias in Domino conspicimus salubriter expedire. Sanè pro
1 parte dilectorum filiorum Blasii Abbatis Monasterii D. Mariæ Vallis-Umbrosæ Fesulanæ Diœcesis, & Diffinitorum Ordinis, & Congregationis ejusdem Vallis-Umbrosæ, Nobis nuper exhibita petitio continebat, quòd aliàs felicis recordationis Urbanus II. Urbanus III. Paschalis II. Innocentius III. Innocentius VIII. Cælestinus II. Cælestinus III. Gregor. VIII. Bonifacius VIII & quamplures alii Romani Pontifices Prædecessores nostri Monasteriis Ordinis, & Congregationis prædictorum, illorumque membris, ac Monasteriis, & personis eorumdem, multa, & diversa privilegia, indulta, & immunitates concesserunt, prout in literis ipsorum Prædecessorum pleniùs dicitur contineri. Quare pro parte Blasiii Abbatis, qui, ut asseritur, etiam Generalis Ordinis, & Congregationis præditorum existit, ac Diffinitorum prædictorum asserentium, quod Monasteriorum Congregationis hujusmodi Abbates, & Monachi juxta eandem Regulam, & Observantiam Regularem dilectorum filiorum Monachorum Congregationis S. Justinæ, aliàs Casinensis Ordinis S. Benedicti reguntur, Nobis fuit humiliter supplicatum ut illis, pro eorum subsistentia firmiori, robur nostræ approbationis adjicere, ac illa innovare, eisque modo, & forma, quibus concessa sunt, de novo concedere, necnon infrascriptorum tenorum, quascunque alias piæ memoriæ Eugenii IV. & Alexandri VI. ac quorumcumque aliorum Romanorum Pontificum, etiam Prædecessorum Nostrorum, literas eidem Congregationi S. Justinæ, aliàs Casinensi, concessas, & in illis contenta privilegia, immunitates, indulgentias, & indulta quæcunque eidem Congregationi S. Justinæ, seu Casinensi, & illius Monasteriis, Monachis, & personis per Sedem eamdem quomodolibet concessa, ad Ordinem, & Congregationem Vallis-Umbrosæ hujusmodi, ac illius Monasteria, & loca, ac personas, & bona extendere, aliasque in præmissis opportunè providere
2 de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui Ordinem & Congregationem Vallis-Umbrosæ hujusmodi propter uberes fructus, quos in militanti Ecclesia in divinis contemplandis, & assiduis orationibus, & precibus ad Deum producere noscuntur, in visceribus charitatis, & dilectionis nostræ complectimur Blasium Abbatem, & Diffinitores, necnon Congregationem Vallis-Umbrosæ hujusmodi, ac ejusdem Congregationis singulares personas à quibuscumque excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, siquibus quomodolibet innodati existant, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes. Nec privilegiorum, libertatum, immunitatum, gratiarum, & indultorum, tam per dictos prædecessores, quàm Imperatores, Reges, & alios Principes seculares, ac Prælatos quoscumque eisdem Ordinibus, & Congregationi, ac illorum Monasteriis, locis, & personis concessorum tenores; qui præsentibus non sunt inserti, & si de verbo ad verbum insererentur, eisdem præsentibus pro expressis habentes privilegia, indulta, immunitates, & libertates Congregationis Vallis-Umbrosæ hu- 3
jusmodi per prædecessores, ac quatenùs sint licita, & honesta per Imperatores, Reges, Principes, & Prælatos prædictos concessa, ac prout concernunt omnia, & singula in literis Pontificum, Imperatorum, Regum, & Principum secularium, ac Prælatorum prædictorum desuper confectis contenta innovamus, approbamus, & confirmamus, ac præsentis scripti patrocinio communimus: supplentes omnes, & singulos defectus, si 4
qui forsan in privilegiis per Imperatores, Reges, & Principes seculares, ac Prælatos prædictos concessa intervenerint, illaque omnia eisdem modo & forma, quibus concessa sunt, de novo concedimus; Necnon li- 5
teras Eugenii, & Alexandri infrascriptas, ac quasvis alias ipsorum, ac quorumcunque aliorum Prædecessorum literas hujusmodi, & in illis contenta; Necnon alia Privilegia, immunitates, indulgentias, & indulta, quæcumque, & qualiacumque sint, Congregationi S. Justinæ, & illius Monachis prædictis, tam per dictos, quàm quoscunque alios Romanos Pontifices quomodolibet in genere concessas, & concessa, quatenus similiter sint in usu ac inposterum reconcedendas, & reconcedenda, ad Ordinem, & Congregationem Val- 6
lis-Umbrosæ, ac illius Monasteria, etiam Monialium, & loca, ac personas, & bona prædicta, eadem auctoritate extendimus, ac statuimus, & ordinamus, quòd Ordo, & & Congregatio Vallis-Umbrosæ hùjusmodi illis, absque ulla penitùs differentia, uti, potiri, & gaudere, eaque omnia, & singula inter ipsos communia esse, & eis suffragari debere in omnibus, & per omnia, perinde, ac si illa eidem Ordini, & Congregationi Vallis-Umbrosæ communiter à principio concessa fuissent, & in futurum concederentur. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis; necnon Congregationum, & Ordinum prædictorum juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, ac privilegiis, & indultis Ordinibus, & Congregationibus prædictis forsan sub quibuscunque tenoribus concessis, quibus tenores hujusmodi præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, harum serie specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Et insuper, quia difficile foret, præsentes literas ad singula, ubi opus fuerit, deferre volumus, & dicta auctoritate decernimus, quòd illarum transumptis manu publici Notarii inde rogati subscriptis, & sigillo alicujus Prælati seu alterius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, ei prorsus fides indubia ubiliber adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si originaliter essent exhibitæ vel 7
ostensæ.

Tenor verò literarum Eugenii, & Alexandri Prædecessorum prædictotum sequitur, & est talis.

EUGENIUS EPISCOPUS,
Servus Servorum Dei.
Ad perpetuam rei memoriam.

ETsi ex debito Ministerii Pastoralis quibuslibet personis Regularem vitam professis, Nos deceat esse in suis opportunitatibus, & commodis favorabiles, & benignos, Congregationem tamen Monachorum de Observantia S. Justinæ Ordinis S. Benedicti ob laudabilis vitæ merita, & virtutum incrementa, tanquam novellam plantationem à nonnullis annis citra in præfato Ordine renascentem ad ejus incrementum, & bonorum regimen, etiam dum in minoribus con-

stituti eramus, inpendimus opem, & operam efficaces,
& tunc ad apicem summi Apostolatus assumpti propen-
siori charitate complectimur, quo pretiosiores, atque
uberiores fructus per eorum labores, & operam dili-
genter conspicimus in populum Domini provenire.
Cupientes igitur, ut Monachi ipsi eò quieriori animo
valeant Altissimo reddere vota sua, ac pro salure fide-
lium exorare, quò fuerint amplioribus per Sedem Apo-
stolicam privilegiis, indulgentiis, & gratiis communi-
8 ti. Motu proprio, non ad ipsorum Monachorum, aut
ad alterius super hoc nobis oblatæ petitionis instantiam,
sed de nostra mera liberalitate dilectos filios Congre-
garionem prædictam, ejusque Præsidentem, Visitato-
res, Abbates, Priores, Rectores, Monachos, Conver-
sos, Commissos, Novitios, & Personas, ac eorum Ca-
pellanos, qui pro tempore fuerint, etiam curam ha-
bentes animarum, necnon Familiares, & Servitores
ipsorum, qui nunc sunt in prædicta Congregarione, &
in futurum pro tempore erunt, ac etiam ipsius Mona-
steria, Prioratus, & loca, quæ nunc sunt, & in poste-
rum Congregationi prædictæ, quandocunque uniri,
vel incorporari, seu subjici, vel aggregari contigerit,
necnon omnia, & singula dictorum Monasteriorum,
Prioratuum, & locorum, ut præmittitur, præsentium,
& futurorum Ecclesias Capellas, etiamsi ipsis cura ani-
marum immineat, Oratoria, manualia membra, ca-
stra, fortalitia, ædificia, villas, grangias, vineas, oliveta,
hortos, sylvas, nemora, prata, pascua, piscationes,
molendina, aquas, aquarum decursus, jura, jurisdictio-
nes; prædia, possessiones quaslibet, & bona quæcun-
que; quæ in præsenti sunt, & in futurum erunt dictæ
Congregationis, & quæ omnia, & singula per eorum
vocabula, fines, valores, qualitates, & quantitates hic
haberi volumus, pro sufficienter expressis, à quorum-
cunque Legatorum, Delegatorum & Subdelegatorum,
necnon Nunciorum Apost. Sedis, ac Vicariorum, Re-
ctorum, & quorumvis Officialium Romanæ Ecclesiæ,
ac etiam Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episco-
porum, Electorum, Admonistratorum, & aliorum
quorumcunque Judicum Ordinariorum quovis nomi-
ne, & potestate fungatur, locorum Ordinariorum di-
tione, auctoritate, potestate, dominio, visitatione, re-
formatione, & correctione, ita quod in dictas Congre-
gationem, vel ejus singula, res, personas, seu benefacto-
res, occasione beneficiorum ejusdem collatorum ab
eis, aut quia subditi eorum cum eisdem Monachis con-
versantur, seu ab eis recipiant absolutionis beneficium,
9 & Eucharistiæ Sacramentum; necnon Monasteria,
Prioratus, loca, & personas in eis degentes, ratione de-
licti, excessus, seu contractus, aut rei, de qua agitur,
ubicunque iniatur contractus, seu delictum committa-
tur, aut res ipsa consistat, excommunicationis, suspen-
sionis, & interdicti, aut alias quasvis sententias, nisi de
specialis commissione Sedis Apostolicæ, & de indulto
hujusmodi, ac Congregatione prædicta mentionem
expressam faciente, quomodolibet directè, vel indire-
ctè ferre, seu promulgare non possint; Decernentes ex
nunc quidquid in contrarium actum fuerit, irritum,
inane, nulliusque fore roboris, vel momenti de specia-
lis dono gratiæ, & plenitudine potestatis, tenore præ-
sentium prorsus eximimus, ac totaliter liberamus. Illa-
10 que omnia, & ipsorum quodlibet in jus, & proprieta-
tem D. Petri, & Sedis ejusdem, ac sub eorum protectio-
ne specialiter suscipimus, & nostra, retento Nobis, &
Ecclesiæ Romanæ annuo censu in Festo BB. Petri, &
Pauli annis singulis Nobis, & Cameræ Apostolicæ per-
solvendo auri unciæ unius in signum receptæ liberta-
11 tis, & exemptionis. Quodque si hujusmodi Legati, aut
Ordinarii seu personæ supradictæ contra prædicta, vel
aliquid prædictorum non solum facere, sed attentare
præsumpserint, quomodolibet, & requisiti per ipsius
Congregationis Prælatos, vel Monachos, seu per noti-
ficationem præsentis privilegii, ut desistant, & id facere
neglexerint, intra tres dies à die requisitionis, sive noti-
tiæ, ut præfertur, eo casu ipso facto sententiam excom-
municationis incurrant, & nihilominus quod aliter a-
ctum est, ipso facto sit irritum, & inane, & nullius effi-
caciæ, roboris, aut momenti. Insuper cùm contigerit 12
fieri Concilia Generalia, Provincialia, seu Synodalia:
etiam Apostolica, aut quavis auctoritate firmata, seu
quasvis Congregationes, quovis nomine censeantur Ec-
clesiasticarum, vel laicarum personarum cujuscunque
dignitatis, aut status existant, prædicti Prælati, seu Mo-
nachi ad ea ire, seu mittere, nisi ad ipsius Congregatio-
nis Capitulum Generale celebrandum aut alias juxta
eorum Ordines nullatenùs compelli possint etiam per
litteras Apostolicas, non facientes specialem mentio-
nem de hujusmodi indulto, prædictæ Congregationi
concesso. Nec Congregationis personæ hujusmodi; 13
quòd in eorum locis Missæ, aut alia divina officia cele-
brentur, Ordines conferantur, vel agitentur causæ civi-
les, seu criminales, processiones convocentur, aut Sy-
nodus, Conventus, seu quævis Congregationes, tam Ec-
clesiasticarum, quàm laicarum personarum congregen-
tur, sive quod hujusmodi Congregationis loca ad usum,
hospitium, habitationem, detentionem, & incarceratio-
nem Ecclesiasticarum, aut laicarum personarum depu-
tentur adstringi, seu cogi aliqualiter valeant, contra quæ
omnia, aut aliquid prædictorum quævis personæ, cu-
juscunque conditionis, ut præfertur, aut status existat,
attentare præsumens, nisi facta ei de hujusmodi indul-
to notitia, destiterit, ipso facto sententiam excommuni-
cationis incurrat. Et ne quandoque in posterum Reges,
Principes, Barones, milites, nobiles, laicales personæ,
Communitates, Universitates, Magistratus, Rectores,
& Officiales civitatum, terrarum, castrorum, & Diœ-
cesum diversarum Monasteriis, Prioratibus, locis, ca-
pellis, Ecclesiis, manualibus, grangiis, castris, possessio-
nibus, ac bonis, necnon Prælatis, & Monachis ipsius
Congregationis, gabellas, tallias, datia, collectas im- 14
postas, onera, etiam ad pontium refectionem, aut via- 15
rum reparationem, & alia varia, & diversa gravamina 16
inferre, & imponere, aut indicta exigere præsumant, 17
districtiùs prohibemus, ac sub pœna excommunicatio- 18
nis, atque meledictionis, etiam nequam, à notitia præ- 19
dicti indulti, nisi destiterint, incurrant, mandamus.
Non obstantibus si dictis secularibus, vel quibusvis aliis
personis communiter, vel divisim ab eadem sit Sede in-
dultum, quòd illa imponere, seu exigere valeant etiam
ab exemptis per se, vel alia, quoquomodo, aut quod in-
terdici, suspendi, vel excommunicari, seu ultra, vel ex-
tra recta loca ad Judicium evocari non possint, per lite-
ras Apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac
de verbo ad verbum de indulto hujusmodi ex certa sci-
entia, ac ipsa Congregatione specialem mentionem,
committentes insuper, ac per Apostolica scripta præ-
sentium tenore mandantes omnibus, & singulis Dele-
gatis, Subdelegatis, & Nunciis Apostolicis, Patriarchis,
Archiepiscopis, Episcopis, ac Rectoribus universis, præ-
sentibus, ac futuris in quorum Diœcesibus sunt &
erunt in futurum loca, & personæ hujusmodi, quatenùs
prædicta loca, aut personas in eis degentes, & eorum
bona, talliis, collectis, impositionibus gabellarum, sub-
sidiis, etiam charitativis, aut quibusvis aliis oneribus re-
alibus, aut personalibus, seu mixtis etiam per eamdem
Sedē in dictis concessis, & datis, aut permissis, seu in di-
cendis, aut concedendis de cætero gravari quoquomo-
do permittant. Contradictores per censurā Ecclesiasti-
cā, & alia juris remedia, appellatione postposita, com-
pescendo. Insuper ut liberiùs, & commodiùs necessita-
tibus suis providere, ac hospitalitati, & pauperū subven-
tioni vacare possint, volumus, & decernimus, Monaste-
ria, prioratus, loca, & bona, quæ in præsenti sunt ipsius
Congregationis, & erunt in futurum, ac Prælatos, &
Mona-

Monachos, & personaa prædictas ab omni impositione, exactione, collecta, decima, subsidio, aut alio quovis gravamine, quovis nomine censeantur, per Nos aut successores Nostros faciendo, seu imponendo; necnon à quorumcunque occasione Legatorum, etiam de Latere, Subdelegatorum, Nunciorum Apostolicorum, Ordinariorum, Diœcesanorum, seu alterius cujuscunque etiam Apostolica, seu quavis auctoritate, tam impositorum, quàm imponendorum, per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de hujusmodi indulto, & Congregatione ipsa mentionem specialem, necnon à charitativi, & alterius cujuscumque subsidii, & impositionis collectæ, vel alterius cujuscunque actionis, & oneris realis, personalis, vel mixti solutione de cætero prorsus exemptos, liberos, & immunes fore, ita ut cogi, vel inquietari per dictas personas, aut aliàs quascumque pro hujusmodi oneribus, impositionibus, gravaminibus, exactionibus, & solutionibus minimè possint, & debeant. Necnon ab omnibus censibus, redditibus, & solutionibus ratione visitationis, aut subventionis, quocunque jure hactenus debitis, aut in futurum debendis quibuscunque Ordinariis, Capitulis, Collegiis, & Congregationibus, Universaliratibua, aut aliis quibuscunque personis, & de ejusdem plenitudine potestatis, omninò liberamus, & penitùs absolvimus; non obstantibus præscriptionibus, constitutionibus, consuetudinibus, statutis, decretis, & privilegiis Apostolicis quibuscunque in contrarium facientibus, de quibus specialis, & expressa, ac de verbo ad verbum esset mentio facienda. Cæterùm de quibuscumque possessionibua ubilibet constitutis quæ in præsenti sunt, vel in futurum erunt Monasteriorum, Prioratuum, & bonorum prædictorum præfati Prælati, Monachi, vel personæ colunt, seu coli faciunt, aut in futurum colere, seu coli facient, sive de hortis, virgultis, piscationibua eorumdem, vel de nutrimentis animalium ipsorum nullus ab ipsis, vel aliis procia primitias, decimas, quartesia, aut alio quocuncunque nomine censeantur, exigere, vel extorquere præsumat, nec illi aliqoibus solvere teneantur, sive etiam à quocunque directè, vel indirectè compelli possint; Generalis Concilii, & quibuscunque aliis Apostolicis, vel Provincialibus, aut Synodalibus Constitutionibus nequaquam obstantibus: decernentes, ex nunc irritos, & inanes quoscunque processus, & sententias etiam interdicti, quos, vel quas contra inhibitiones Nostras hujusmodi, per quemvis, aut quavis auctoritate fieri contigerit, aut quomodolibet promulgari.
20 Quodque prædictæ Congregationis Monasteria, & loca hæreditates, legata, & fideicommissa per mediam personam Monachorum, aut aliaa qualitercumque delatas, bona mobilia, & immobilia in quibuscumque civitatibus, & locis, quovis titulo acquirere, ipsique Monachi, & personæ petere, & exigere possint prædicta bona undecunque, vel qualitercunque eis debita, & quæ, si in seculo remansissent, jus petendi, & exigendi haberent, ipsis eorum Monasteriis acquirenda, quibuscunque statutis, ordinationibus, & decretis cujusvis Ecclesiasticæ, sive secularis personæ, Communitatis, Collegii, sive Universitatis, aut alterius cujuscunque gradus, status, dignitatis, officii, & auctoritatis existat,
21 nullatenus obstantibus, præsentium literarum serie statuimus. Præterea quascunque concessiones, bona, jura, & jurisdictiones ad ipsa Monasteria, tam præsentia, & futura ipsius Congregationis, in quibuscunque Mundi partiboa constituta spectantia, & pertinentia, quarum nomina, & cognomina hic haberi volumus pro sufficienter expressis, quæ in præsentiarum Monachi Congregationis hujusmodi justè, & canonicè possident, seu in futurum, concessione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium, vel aliis justis modis, præstante Domino, poterunt adipisci, ipsis Monasteriis, Capellis, Oratoriis, seu Hospitalibua præsentibus, & futuris, firma, rata, & illibata servari volumus. Decernentes, ut nulli omnino hominum liceat 22
prædicta Monasteria, sive loca, ut præfertur, res, & bona mobilia, sive immobilia, possessiones, domos, molendina, aquas, piscarias, jura, seu jurisdictiones, temerè perturbare, aut illa, vel eorum aliquid auferre; quod si aliqua Ecclesiastica, secularisque persona cujuscumque gradus, vel conditionia existat, etiamsi Pontificali dignitate præfulgeat, contra hoc Nostræ exemptionis, liberationis, decreti, concessionis, defensionis, conservationis, & libertatis indultum venire, dicta bona, jura, jurisdictiones, exemptiones, & indulta, nec aliquid eorum violando, occupando, turbando, vel diminuendo, seu indebitè fatigare præsumpserit, nec facta ei notitia de hujusmodi Nostro indulto intra tres dies se correxerit, aut idoneam cautionem de satisfaciendo præstiterit excommunicationis sententiam ipso facto incurrat à qua, nisi dicta satisfactione præstita, præterquam in articulo mortis, ex tunc de satisfaciendo per se, aut per suos hæredes, vel successores idonea præstita cautione, nequeat absolutionis beneficium obtinere.

Insuper cùm plerumque contigat, incuria, ac negle- 23
ctu prælatorum, qui hactenus bona Monasteriorum d. Congregationis, antequam prædictæ Congregationi unirentur, gubernarentur, aut postmodum ex ignorantia, seu alia quavis causa à plerisque ipsorum Monasteriorum bona in præjudicium literarum suarum detinere, & occupare præsumpserint, sub colore præscriptionis, aut aliàs quocumque modo, ex quo non modica jactura consuevit prædictis Monasteriis evenire. Nos 24
volentes, de remedio opportuno providere in favorem observantiæ Religionis, ex certa scientia, motu proprio, ac de plenitudine potestatis Apostolicæ; volumus, statuimus, & decernimus, quod contra prædictæ Congregationis Monasteria, loca, personas, & bona aliqua non currat præscriptio, nisi post lapsum sexaginta annorum, quod quidem indultum tam in casibus, rebus, & bonis prædictis, quàm futuris potestate, & scientia similibus extendi, & locum habere omnino volumus; non obstantibus quibuscumque in contrarium facientibus. Prohibemus insuper, ne aliquis cujuspiam status, gradus, vel congitionis existant, personas, quæ de jure communi Religionem ingredi non prohibentur, è seculo fugientes, & ad conversationem hujusmodi Congregationia venire cupientea verberibus, aut violentiis quibuscunque impedire, vel prohibere, aut in Monasteriis, & locia ipsius Congregationis præsentibus & futuris injuriam aliquam ingredi volentibus, aut recipientibus irritando, seu eos molestando hujuamodi personaa evellere, aut extinguere audeant, vel præsumant, contrafacientes verò ipso facto sententiam excommunicationis incurrant; dum tamen, cùm hoc præsens statutum fuerit eis ad notitiam deductum, non destiterint à prædictis, à qua non possint, præterquã in mortis articulo, nisi per Sedem Apostolicam absolutionis beneficiũ obtinere.

Præterea ad salvandas animas, quibus prædicti Mo- 25
nachi extra Congregationem hujusmodi in eorum præjudicium animarum vagare possent prohibemus, omnes, & singulas personas Ecclesiasticas, & seculares cujuscumque status, gradus, vel conditionia existant, & quacunque fulgeant auctoritate, vel dignitate, ne quemcumq; ex Prælatis, vel Monachis Congregationis prædictæ penes se obsequiorum, vel servitiorum, aliquo ex sui Monasteriorum suorum obtentu, aut si absque licentia suorum Superiorum, à se diverterentur, seu aliàs quavia causa, etiam occasione arctioris victæ Ordinis, vel Religionis, à dicta Congregatione abstrahere, seu etiam ad se sponte venientes retinere præsumant, etiam auctoritate literarum Apostolicarum, in quibus de hujusmodi personæ, ac Congregatione nominatim, & expressè mentio facta non fuerit, absque consensu

Capituli Generalis, seu Præsidentis, & majoris partis Visitarorum Congregationis ejusdem, sub pœna excommunicationis, quam ipso facto incurrant, & facta eis notitia de hujusmodi privilegio, infra tres dies personam Congregationis hujusmodi non restituerint cum affectu, vel a se realiter abjecerint: à qua sententia, nisi in mortis articulo, aut à Sede Apostolica recipientes, & recepti absolvi non possint. Non obstantibus quarumcumque Religionum, vel Ordinum, aut alterius cujusvis personæ privilegiis, & indultis quibuscumque, de quibus esset specialis, & de verbo ad verbum mentio facienda; quibus omnibus volumus nominatim & specialiter per hujusmodi indultum quoad
26 præmissa derogari. Insupet ttanquillitati eorum intendentes, neü, qui Marthæ eirea plurima satagentis, officium dimiserunt; eligentes potiùs cum Maria circa pedes Domini residere, ad audiendum verbum illius, causarum turbinibus perturbentur; si contingat aliquem literas Apostolicas commissorias de administranda justitia, executione facienda, visitatione exercenda, aut alia quavis causa ad aliquem Prælatum, vel Monachum d. Congregationis directas impetrasse, nisi huic indulto expressè, & nominatim derogerut, ad hujusmodi causas talium obtentarum literarum præter liberam eorum voluntarem procedere, vel eas exequi minimè teneri, hujusmodi indulti tenore decernimus. Planè ne Prælatos & Monachos hujusmodi etiam causarum strepitus inquieret; & ab otio sancto deducat. Ne quis Prælatos, Monachos, & personas de hujusmodi Congregatione subire de calumnia, & veritate dicenda juramentum, aut ad ferendum testimonium quaeunque ea causa compellar invitos, sive extra civitates, & Diœceses suas trahat, seu in eos, vel eorum aliquem propterea eacommunicationis, vel alterius censuræ, seu pœnæ sententiam proferat per literas Apostolicæ Sedis, vel legatorum ejus, nisi in eisdem literis de hujusmodi indulgentia plena, & expressa, ac de verbo ad verbum facta fuerit mentio specialis, eadem auctoritate indulgemus, excommunicationis, suspensionis, & interdicti, & alias sententias, si quas in eos, vel eorum aliquem contra indulrum hujusmodi promulgari contigerit, decernentes præsentium tenore irritas, & inanes; Prælatorum verò, Monachorum, Conversorum, Commissorum, & Novitiorum ipsius
27 Congregationis testimonia in eausis ipsorum civilibus, & criminalibus in judicio, & extra legitima sint, & ut eis liberè & licitè uti possint, concedimus per præsentes. Adjicientes etiam, quod si quandoque contigerit, per aliquem, aut plures actus contra hujusmodi, aut quæcunque alia decreta, privilegia, indulta, gratias, & immunitates præfatæ Congregationi concessa: aut ipsorum aliquod à quocumque cujuscunque conditionis, dignitatis, gradus, seu status existat, ex negligentia, vel ignorantia præsentium, & futurorum, quibus ea conceduntur, aut alia quavis causa aliter attentari vel observari ignoranter, vel scienter; nullum tamen per hoc præjudicium decretis, privilegiis, indultis, gratiis, & immunitatibus præfatis volumus generari, sed illa in suo vigore, & robore permanere. Non obstantibus, in Constantien. & aliis Conciliis, & felicis record. Innocentio IV. & Martino V. necnon aliis Summis Pontificibus Prædecessoribus nostris editis constitutionibus, & ordinationibus, etiamsi de illis specialis, & expressa, ac de verbo ad verbum præsentibus mentio habenda esset; quibus quoad præmissa specialiter derogamus: necnon Monasteriorum, Prioratuum, & Ordinum prædictorum juramento, confirmatione Apostolica, vel quacumque firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ exemptionis, liberationis, susceptionis, commissionis, mandati, inhibitionis, absolutionis, voluntatis, constitutionis, prohibitionis, concessionis, adjectionis, statuti, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac BB. Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Florentiæ anno incarnat. Dominicæ 1443. 7. Kal. Martii Pontificatus nostri anno 5.

EUGENIUS EPISCOPUS,
Servus Servorum Dei,
Ad perpetuam rei memoriam.

Regularem vitam agentibus Apostolicam convenit adesse præsidium, ne forte cujuslibet temeritatis incursus, aut eos à proposito revocet, aut robur, quod absit, Religionis infringat. Cupientes itaque dilectorum filiorum Congregationis Monachorum Universitatis, aliàs de observantia S. Justinæ nuncupatæ, Ordinis S. Benedicti Nobis, & Romanæ Ecclesiæ immediatè subjectæ opportunitatibus, & commodis propter excellentiam meritorum, atque vitæ sanctimoniam Nos reddere benevolos, & favorabiles: Motu proprio, non ad ipsorum Monachorum, aut alicujus alterius super hoc Nobis oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate, ne nequam Spiritus veneno afflatu malignandi in ipsa Congregatione materia præbeatur, auctoritate Apostolica statuimus, districtiùs inhibentes, ne cui Prælatorum, vel Monachorum d. Congre-
gationis ab institutis, ordinationibus, correctionibus, 28
& mandatis Capituli Generalis, sive Præsidentis, seu Visitatorum, aut Rectorum ipsius Congregationis ad quemcunque, etiam ad Sedem Apostolicam, nisi de speciali indulto Summi Pontificis, liceat appellare: appellationem nihilominus, si quam interponi contingat, cum inde secutis irritam decernendo. Cùm autem contra aliquem Prælatum, vel Monachum d. Congregationis agi contigerit civiliter, aut criminaliter secundum consuetudines, & statuta Congregationis prædictæ juris communis apicibus, dilationibus, terminis, & litium anfractibus omissis procedi debere, tenore præ-
sentium volumus, & mandamus: statuentes, quòd 29
Prælati d. Congregationis contra Monachos ejusdem, qui licentiam se ab Apostolica Sede habere, dixerint, ad aliud quodcumque Monasterium, sive locum se transferendi obtentu literarum Apostolicarum, nisi in ipsis literis specialis, nominata, & expressa fieret mentio de ipsa Congregatione, & hujusmodi indulto eisdem concesso revocando: & tunc si infra tres menses id non impleverint tanquam contra Apostatas agere valeant, nisi tempus in literis Apostolicis fuerit expressum, infra quod se debeant ad hujusmodi Monasteria, sive loca
transtulisse, quo casu non priùs agere possint, contra eos, 30
quàm dicta tempora fuerint elapsa. Cæterum cùm per alias nostras certi tenoris litteras, quarum tenorem hic haberi volumus pro expresso, memoratæ Congregationi duximus indulgendum, ut si contingat, civitates, terras, vel loca, in quibus Monasteria, sive loca dictæ Congregationis consistant, Ecclesiastico esse supposita interdicto: ipsi tamen d. Congregationis Prælati, & Monachi, januis clausis, interdictis exclusis, submissa voce Missas, & alia divina officia celebrare possint. Nos volentes Congregationem ipsam uberioris dono gratiæ confovere, ut hujusmodi tempore interdicti etiam Conversi, Commissi Capellani, & Laici, qui infra septa ipsorum Monasteriorum, sive locorum pro tempore habitaverint à præfatæ Congregationis Monachis ad id deputatis Missas, & alia divina officia audire, & Ecclesiastica Sacramenta licitè suscipere valeant, similiter præ-
sentium tenore statuimus. 31

Insuper cùm dudum Congregationis hujusmodi quòd Monachi præsentes, & futuri præfatæ Congregationis præsentati à suis Superioribus, ordinari possint à quocun-

quocunque Catholico Episcopo, per antefactas nostras litteras indulserimus; volentes etiam, eamdem Congregationem amplioribus favoribus prosequi, quòd abs-
32 que aliquo examine Monachi hujusmodi ordinari debeant, de præsentantium conscientia confidentes, quod
33 ad Congregationem hujusmodi quemcumque Catholicum Episcopum, gratiam, & communicationem Sedis Apost. habentem in d. Congregationis Monasteriis, & locis dumtaxat advocare valeant, cui liceat, Apostolica auctoritate, absque alique licentia, & contradictione Diœcesani, nulla (ut præfertur) examinatione præmissa, Monachos ordinare, Missas celebrare, Ecclesias, Altaria, & Vasa consecrare, Vestes benedicere, & alia Pontificalia exercere, de quo Diecœs. loci non oporteat timere, quòd hujusmodi ordinationis occasione juris sui præjudicium incurrat, eadem auctoritate indulgemus. Cumque aliàs per easdem nostras litteras Congregationem prædictam ab omni jurisdictione Ordinariorum & à charitativis subsidiis, ac omnibus onerib. eximentes sub Nostra, & B. Petri protectione susceperimus, prout in dictis litteris pleniùs continetur, quarum tenorem hîc haberi volumus pro sufficienter expresso. In dubium posteà versum est, prout Nobis relatum extitit, in antiquos census ratione visitationis, aut subjectionis hujusmodi Ordinariis, Universitati, Collegiis, sive Capitulis hactenus debitos Monasteria d. Congregat. de cætero solvere teneantur. Nos volentes super hoc de opportuno remedio providere, declaramus, & nihilominus de novo statuimus, quòd d. Congregationis Monasteria, sive loca à die exemptionis hujusmodi ab omnibus censibus, redditibus, solutionibus ratione visitationis, aut subjectionis quocumque jure hactenus debitis, aut in futurum debendis, quibuscumque Ordinariis, Capitulis, Collegiis, Congregationibus Universitatibus aut aliis quibuscumque personis de plenitudine potestatis Apostolicæ omninò liberamus, & penitus absolvimus. Non obstantibus præscriptionibus, constitutionibus, statutis, decretis, & privilegiis Apostolicis, quibuscumque in contrarium facientibus, & quibus specialis, & expressa, ac de verbo ad verbum esset mentio facienda. Ut autem
34 d. Congregationis Monachi liberiùs in eorum Regularis vitæ observantia valeant perdurare, omnes, & singulos Episcopos, vel locorum quorumlibet Ordinarios, aut alias quasvis personas ad Monasteria, sive loca d. Congregationis, causa Ordines celebrandi, seu causas civiles, aut criminales exercendi, Conventus, sive Synodos, & processiones convocandi, Missas, & alia officia celebrandi sub excommunicationis, pœna, quam incurrant ipso facto, si aliter attentaverint, accedere, vel immorari, ipsis invitis, tenore præsentium prohibe-
35 mus. Planè, ut hujusmodi Congregationis Monachi vitæ honestate, & odore bonæ famæ apud Deum, & homines conserventur: & quia ibi cautiùs est agendum, ubi majus imminet periculum animarum, eadem auctoritate statuimus, quòd nulli hominum liceat quascumque mulieres laicas, seu Religiosas cujuscumque ætatis, status, gradus, auctoritatis, vel conditionis existant, quavis occasione ducere, sive ipsis mulieribus ingredi, seu commorari infra septa Monasteriorum præfatæ Congregationis, quod si aliter scienter attentatum fuerit, tam ipsæ mulieres, quàm earum conductores, sed & ipsi receptatores, si voluntariè hoc fecerint, ipso facto sententiam excommunicationis incurrant, à qua dictæ Congregationis personæ absolvi possint, per Præsidentem, & Visitatores Congregationis
36 hujusmodi. Quin etiam ne præfatæ Congregationis Monachi ab eorum quiete distracti Romanam Curiam pro crebris obtinendis licentiis, frequentare cogantur, quòd in omnibus casibus, in quibus de jure communi Prælatis, & Monachis d. Congregationis auctoritas, sive licentia, seu dispensatio Ordinarii erunt necessariæ, si ab eisdem exempti non essent, Prælatis, Abbatibus, Prioribus, & Rectoribus hujusmodi, qui pro tempore fuerint, unà cum eorum Conventibus, auctoritate Apostolica, absque eo, quòd ad sedem Apostolicam habeant recursum, hujusmodi licentiam, & auctoritatem, tenore præsentium indulgemus. Prohibemus etiam, ad obstruendas vias, quibus præfati Monachi extra Congregationem hujusmodi in eorum præjudicium animarum vacare possent, omnes, & singulas personas Ecclesiasticas, aut seculares, cujuscumque status, gradus, vel conditionis existant, & quacumque fulgeant auctoritate, vel dignitate, ne quemquam ex Prælatis, vel Monachis Congregationis prædictæ penes se obsequiorum, vel servitiorum aliquorum; seu Monasteriorum suorum obtentu, aut si absque licentia suorum Superiorum à se diverterint, seu alia quavis causa à d. Congregatione abstrahere, seu etiam ad se sponte venientes retinere præsumant, etiam auctoritate litterarum Apostolicarum in quibus de hujusmodi persona, ac Congregatione nominatim, & expressa mentio facta non fuerit, absque consensu Capituli Generalis, seu præsidentis, & majoris partis Visitatorum Congregationis ejusdem sub pœna excommunicationis, quam ipso facto incurrant, si facta eis notitia de hujusmodi privilegio infra tres dies personam ipsam d. Congregationi non restituerint cum effectu, vel ab eis abjecerint: à qua sententia non nisi in mortis articulo, & à Sede Apost. recipien. & recepti absolvi possint; non obstantibus quarumcunque Religionum, aut Ordinum, aut alterius cujuscumque personæ privilegiis, & indultis quibuscumque, de quibus etiam specialis, ac de verbo ad verbum mentio facienda esset. Quibus omnibus volumus nominatim, & specificè per hujusmodi indultum, quoad præmissa, derogari. Præterea,
ne quis, & pax Monachorum, & personarum de d. 37
Congregatione quovis modo, etiam per indirectum conturbari contingat, quascumque sententias latas ab Ordinariis, seu quibuscumque personis, quacumque præfulgeant dignitate, ac contra Benefactores d. Congregationis occasione beneficiorum eisdem collatorum ab eis, aut quia subditi eorum cum hujusmodi Monachis conversentur, seu ab eis recipiant absolutionis beneficium, & Eucharistiæ Sacramentum, ipso facto irritas, & inanes eadem auctoritate decernimus. Cùm autem interdum contingat, nonnullos Monachos inobedientes, & rebelles à Monasteriis, & eorum Superiorum obedientia se substrahere, & ut invitis Superioribus redeant, Apostolicas litteras impetrare; hujusmodi malignitatibus obviare volentes: ne quos præfatæ Congregationis Monachos, vel Prælatos, vigore quarumcumque litterarum hujusmodi, nisi nominatim, & expressè apparuerit de mente Summi Pontificis, qui pro tempore fuerit, huic nostro indulto velle derogare, ad ipsos recipiendum compellere possint: etiamsi in hujusmodi litteris, clausula, indultis, privilegiis, dictæ Congregationi concessis non obstantibus & de quibus expressa mentio fieri debeat, expressè contineatur, præsentis paginæ tenore decernimus. Insuper tranquillitati eorum intendentes, ne ii qui Marthæ circa plurima satagentis officium dimiserunt, eligentes potius cum Maria circa pedes Domini residere, ad audiendum verbum illius, causarum turbinibus perturbentur, si contingat aliquem litteras Apostolicas Commissorias de administranda justitia, executione facienda, visitatione exercenda, aut alia quavis causa aliquem Prælatum, vel Monachum dictæ Congregationis directas impetrasse: nisi huic indulto expressè, specialiter, & nominatim derogetur, ad hujusmodi causas talium obtentu litterarum, præter liberam eorum voluntatem procedere, vel eas exequi minimè teneantur, indulti hujusmodi tenore decernimus. Planè ne Prælatos, & Monachos hujusmodi causarum

ſtrepitus inquietet, & ab otio ſancto deducat. Ne quis
Prælatos, Monachos, & perſonas hujusmodi Congre-
gationis ſubire de calumnia, & veritate dicenda jura-
mentum, aut ad ferendum teſtimonium quacumque
ex cauſa compellat invitos, ſive extra Civitates, & Diœ-
ceſes ſuas trahat, ſeu in eos vel eorum aliquem, propter-
ea excommunicationis, vel alias cenſuræ, vel pœnæ
ſententias proferat, per literas Apoſtolicæ ſedis, vel
Legatorum ejus; niſi in eisdem litteris de hujusmodi
indulgentia plena, & expreſſa, ac de verbo ad verbum
fuerit mentio facta ſpecialis, eadem auctoritate indul-
gemus; excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdi-
cti, & alias ſententias, ſi quas in eos, vel in aliquem eo-
rum contra indultum hujusmodi, promulgari conti-
gerit, decernentes præſentium tenore irritas, & inanes.
Prælatis etiam, & Monachis Congregationis prædictæ
Monachorum, Commiſſorum, & Converſorum ipſius
Congregationis in cauſis eorum civilibus, & crimina-
libus teſtimonio liberè, & licitè uti poſſe, tenore præ-
ſentium declaramus: quodque præfatæ Congregatio-
nis Monaſteria, bona mobilia, & immobilia in quibus-
cumque Civitatibus, & locis quovis titulo acquirere
poſſint, petendi etiam, exigendi Monachis, & perſonis
hujusmodi præfata bona undecumque, vel qualiter-
cumque, cum debita, & quæ, ſi in ſeculo remanſiſſent,
jus petendi & exigendi haberent, ipſis eorum Mona-
ſteriis acquirenda. Non obſt. quibusvis ſtatutis, or-
dinationibus & decretis cujusvis Eccleſiaſticæ, ſive ſe-
cularis perſonæ, Communitatis, Collegii, ſive Uni-
verſitatis, aut alterius cujuscumque gradus, ſtatus,
dignitatis, & officii, & auctoritatis exiſtant, præſenti-
um litterarum ſerie ſtatuimus. Præterea cum ſæpè
contingat ob devotionem, quam ad Monachos præfa-
tæ Congregationis nonnullæ perſonæ habent ſingula-
rem, ad præfatos Monachos pro eorum ſalute anima-
rum recurrere: Nos volentes eorum devotioni ſatis-
facere, & in favorem Religionis, ac obſervantiæ Re-
gularis quòd liceat hujusmodi perſonis ad d. Cong.
Prælatos, ſive Monachos deputatos à ſuis Superioribus
ad audiendas confeſſiones accedere, quas poſſint audi-
re absque aliqua dictarum perſonarum Superiorum li-
centia, & contradictione, ac eis abſolutionis benefi-
cium impendere ab omnibus peccatis, & diſpenſare
ſuper omnes caſus, (præter peccata, & eos caſus, de
quibus ipſis Confeſſoribus ad eorum Ordinarios vide-
bitur recurrendum, aut de quibus eſſet Sedes Apoſto-
lica meritò conſulenda:) & eis miniſtrare Euchariſtiæ
Sacramentum, de ſpecialis dono gratiæ elargimur.
Quin etiam cùm Religionis favore nonnulla conce-
dantur, quæ aliàs interdici ſolent: quòd ſi qui ex Mo-
nachis Congregationis præfatæ defectum natalitium
patiatur, in Monaſterio tamen aliàs laudabiliter con-
verſari, hujusmodi defectu non obſtante ad ſacros Or-
dines, & Officia, Prælationes, dignitates, & honores in
eorum Monaſteriis, juxta Conſtitutiones eorum libe-
rè, & licitè valeant promoveri, Congregationi memo-
ratæ tenore præſentium indulgemus. Volentes inſu-
per, quòd Prælati Congregationis præfatæ, licèt mu-
neris benedictionem non acceperint, perinde tamen
Monaſteria ipſius Congregationis regere, & admini-
ſtrare, ac omnes actus in ipſis valeant exercere, ac ſi mu-
nus hujusmodi fuerint conſecuti; adjicientes etiam,
quòd ſi quando contigerit, per aliquem, aut plures a-
ctus contra hujusmodi decreta, privilegia, & ordina-
tiones, aut ipſorum aliquod à quocumque, cujuscum-
que conditionis, dignitatis, gradus, ſeu ſtatus exiſtat,
etiam negligentia, vel ignorantia præſentium, & fu-
turorum, quibus hæc conceduntur, aut alia quavis cau-
ſa, propter quam fuerit aliter attentatum vel pro tem-
pore obſervatum ignoranter, vel ſcienter, nullum ta-
men præjudicium decretis hujusmodi volumus gene-
rarii, ſed in ſuo vigore, & robore permanere. Poſtre-
mò cùm plerumque contingat præ nimia importuna-
tione petentium, ac negotiorum multitudine, & ſup- 41
preſſione veritatis, Summos Pontifices fatigatos, ac
circumventos concedere quibus aliàs nullatenus an-
nuerent; auctoritate præſentium ſtatuimus, decerni-
mus, & ordinamus, quòd quæcumque litteræ Apoſto-
licæ, etiam proprio Motu confectæ, aut in futurum
conficiendæ; etſi in eisdem clauſula, privilegiis, & in-
dultis dictæ Congregationi conceſſis non obſtan. & de
quibus expreſſa mentio fieri debeat expreſſè continea-
tur, quæ obvient, & contrafaciant, huic præſenti privi-
legio, aut cuilibet ejus particulæ, niſi appareat eviden-
tiſſimè, & apertiſſimè, quod Summus Pontifex, qui pro
tempore fuerit, huic indulto, vel alicui ejus parti vellet
per litteras Apoſt. derogare, facientes plenam mentio-
nem de verbo ad verbum, & ex certa ſcientia, de hujus-
modi privilegio, ac ipſa Congregatione diverſis no-
minibus eam nominando per hæc præciſè vocabula.
Congregationem unitatis, aliàs de obſervatione S. Ju-
ſtinæ nuncupatam, cauſasque legitimas allegaverit cur
his obviare intendat decretis, nullius ſint roboris, vel
momenti. Non obſt. in Conſtantien. & aliis Conci-
liis, ac à fel. rec. Innocentio IV & Martino V. necnon
aliis Summis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris edi-
tis Conſtitutionibus, & ordinationibus, etiamſi de illis
ſpecialis, & expreſſa, ac de verbo ad verbum præſenti-
bus mentio habenda eſſet, quibus quoad præmiſſa ſpe-
cialiter derogamus. Necnon Monaſteriorum, Prio-
ratuum, & Ordinum prædictorum juramento, confir-
matione Apoſtolica, vel quacumque firmitate alia ro-
boratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque in con-
trarium facientibus quibuscumque. Nulli ergo omni-
no hominum liceat hanc paginam noſtrorum ſtatuti,
inhibitionis, voluntatis, mandati, conſtitutionis, in-
dulti, liberationis, abſolutionis, prohibitionis, deroga-
tionis, decreti, declarationis, elargitionis, ordinationis,
exemptionis, & conceſſionis, infringere, vel ei auſu te-
merario contraire. Si quis autem hoc attentare præ-
ſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac BB.
Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſu-
rum. Datum Bononiæ anno Incarnationis Domini-
cæ 1436. pridie Kalend. Julii, Pontificatus noſtri an-
no 6.

EUGENIUS EPISCOPUS,
Servus Servorum Dei,
Ad perpetuam rei memoriam.

SAcræ Religionis zelus, ſub qua dilecti filii univerſi-
tas Abbatum, Priorum, Monachorum, & aliorum
Congregationis S. Juſtinæ, aliàs unitatis nuncupatæ
Ordinis S. Benedicti, Nobis & Romanæ Eccleſiæ im-
mediatè ſubjectæ, mundanis abjectis illecebris devo-
rum, & ſedulum exhibent Altiſſimo famulatum, non
indignè meretur, ut ad ea per quæ eorum quieti, &
commodo conſulitur, opem, & operam impendamus,
quantum cum Deo poſſumus, efficaces. Hinc eſt,
quòd Nos providè conſiderantes, quòd Abbates, Prio-
res, Monachi, & alii prædicti quovis nomine cenſean-
tur, ſub ſacræ Religionis jugo, ac Regulari obſervantia
à quibusdam annis citrà, & in pluribus, & diverſis Mo-
naſteriis, ac Prioratibus & locis eis canonicè conceſſis,
& donatis, illa in ſpiritualibus, & temporalibus multi-
plicetur reformando, laudabiliter vixerunt, & vivunt,
ac variis multiplicaverint, prout in dies multiplicant,
virtutum meritis: Sanè quia, uti veridicorum relatio-
ne didicimus, ob temporum varietates, necnon guer-
rarum turbines in Provinciis, Civitatibus, Caſtris, Vil-
lis, Terris, Diœceſibus, atque locis, in quibus Mona-
ſteria, Prioratus, & loca prædictorum exiſtunt, non-
nullas perſonas, tam Eccleſiaſticas, quàm ſeculares per
inordinatas animi affectiones, faciles, & incongruas,
vel

vel non expedientes processiones, rogationes, letanias, funeralia, sive obsequia, Congregationes, actus publicos, & privatos fieri jubent. Atque Abbates, Priores, Monachos, & alios, & de d. Congregatione, etiam sub pœna pecuniaria, & aliis censuris ire cogant invitos, cum eorum conscientiæ scrupulo, & animarum magno præjudicio, & jactura. Nos verò, qui dum essemus in minoribus constituti, de d. Congregatione, & universitate, ob eorum laudabilem vitam, semper curam gerebamus solicitam; postmodum divina favente clementia, ad apicem summi Apostolatus assumpti, volentes ipsis, necnon aliis futuris Congregationis hujusmodi Abbatibus Prioribus, Monachis, & aliis, ut à quibuslibet impedimentis, distractionibus, & incommodis, liberari, sua quietius Altissimo vota reddere valeant; & qui Marthæ circa plurima satagentis officium dimiserunt, eligunt potius cum Maria circa pedes Domini residere, ad audiendum verbum illius, salubriter, providere; Motu proprio non ad ipsorum Abbatum, Priorum, & Monachorum, aut alicujus eorum super hoc Nobis oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate, auctoritate Apostolica tenore præsentium statuimus, decernimus, & ordinamus, quòd ipsi Abbates, Priores, Monachi, & cæteri, aut eorum aliqui de d. Congregatione præsentes, & futuri, ex nunc in antea perpetuis futuris temporibus ad rogationes, processiones, litanias, funeralia, seu obsequia, sepulturas, aut alios actus publicos, seu privatos in quibusvis Provinciis, Civitatibus, Castris, & Diœcesibus, atque locis, in quibus Monasteria, Prioratus, & loca eorum quæcumque præsentia, & futura consistunt, & in futurum consistent, quomodolibet, & ex quacumque causa faciendis, interesse nullatenus teneantur, nec ad id per Ordinarios, seu quasvis alias personas, tam Ecclesiasticas, quàm seculares, quovis modo inviti cogi, compellive possint: & nihilominus Ordinariis prædictis, & aliis quibuslibet personis cujuscumque dignitatis, officii, gradus, vel conditionis existant, & eorum cuilibet, sub excommunicationis pœna, quam ex nunc, prout ex tunc, si, & in quantum de præmissis notitia eis facta fuerit, ac secus egerint, incurrere volumus ipso facto, à qua præterquam à Rom. Pont. absolvi non possint, nisi in mortis articulo constituti, etiamsi aliquibus communiter, vel divisim sit à prædicta Sede indultum, quòd excommunicari, suspendi, & interdici non possint per litteras Apostolicas non facientes de indulto hujusmodi plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de personis, locis, & nominibus mentionem; districtiùs inhibentes, ne contra ordinationem, statutum, & decretum hujusmodi quovis quæsito colore, venire, facere, seu attentare audeant, & præsumant; decernentes ex nunc omnes, & singulos processus, & quascumque excommunicationis, suspensionis, & interdicti sententias, censuras, & pœnas in se continentes, præmissa forsan habentes, irritas, & inanes nulliusque roboris, vel momenti; Non obstantibus Apostolicis, ac in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis, editis Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon Monasteriorum, & locorum prædictorum juramento, confirmatione Apostolica, vel quacumque firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostrorum statuti, constitutionis, ordinationis, & inhibitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac BB. Petri, & Pauli Apost. ejus, se noverit incursurum. Datum Bononiæ anno Incarnationis Dominicæ 1437. pridie Idus Septembris Pontificatus nostri anno 7.

❧ (✠) ☙

ALEXANDER EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

INter cæteros Religionis Monasticæ Professores, quibus velut rutilantibus gemmis Militans decoratur Ecclesia, dilectos filios Monachos Congregationis S. Justinæ de Padua Ordinis S. Benedicti, qui vitæ mundiciâ, & charitatis eximiæ fervore, ac continentiæ cingulo lumbos accincti, mortui mundo, & Domino viventes, ipsam Militantem Ecclesiam aliis pluribus eorum virtutum donis illustrat, specialis dilectionis prærogativa prosequimur. Unde iis, quæ pro felici successu ad Dei laudem, & Religionis propagationem, provisâ consultatione ordinata, & concessa fore noscuntur, Apostolici muniminis libenter adjicimus firmitatem, ut firmiùs illibata persistant, eò magis fuerint Apostolicæ Sedis præsidio circumfulta, nostræ etiam declarationis oraculo, & ea declarantes, prout in Domino conspicimus salubriter expedire. Dudum siquidem felicis recordationis Eugenius Papa IV. Prædecessor Noster attendens, quòd piæ Mem. Martinus Papa V. etiam Prædecessor noster nonnulla eisdem Monachis præfatæ Congregationis Sanctæ Justinæ contulerat privilegia, quæ non usque adeò ad pleniore ejusdem Congregationis soliditatem augmentumve erant sufficientia. Idcircò idem Eugenius Prædecessor propter dictorum Monachorum laudabilem vitam & exemplares mores, sibi etiam, antequam ad Summi Apostolatus apicem assumeretur, cognitos, prædicti Martini Prædecessoris vestigiis inhærendo, atque ubi opportunum fuerat, nonnulla innovando, & adjiciendo, motu proprio, auctoritate Apostolica, & ex certa scientia, necnon irrefragabili, perpetuaque constitutione sancivit, & statuit, voluit pariter, & ordinavit, quod omnes, & singuli d. Congregationis Ordinem ipsum professi tunc præsentes, & futuri, quamvis in diversis pro tempore Monasteriis, seu locis morarentur, unum tamen corpus, & una Congregatio existerent, quam quidem Congregationem auctoritate, & scientia similibus approbavit, & ut à Christi fidelibus in reverentia, & devotione haberetur, eam sub ordine, & Regula B. Benedicti esse declaravit, atque constituit. Quodque pro eorum salubriori statu in loco ad id congruo generale (juxta laudabilem, quæ desuper dudum viguerat, consuetudinem) Capitulum per eos singulis annis celebraretur, nec illud, postquam inchoatum foret, donec pro alio futuro celebrando Capitulo similis locus electus, & acceptatus existeret, quomodolibet dissolveretur, in quo quidem Capitulo novem ex illis, qui in illo vocem habere potterant, eligerentur Diffinitores; qui sic electi totum Capitulum præfatum repræsentantes, pro salubri d. Congregationis successu, statuta, Constitutiones, & ordinationes, ac omnia, & singula, quæ in spiritualibus, & temporalibus, ipsius Congregationis, ac prædictæ Regulæ statum, & observantiam, & indemnitatem, necnon circa divini Officii directionem, & ordinem, absque tamen ipsius Regulæ variatione substantiæ, vel effectus impetrationem, seu declarationem quomodolibet concernere poterant, auctoritate prædicta instituendi, ordinandi, interpretandi, declarandi, necnon ea, quæ sic instituta, ordinata, interpretata, vel declarata forent in toto, vel in parte, prout rerum, & temporum qualitates exigerent, amovendi, alterandi, & in melius commutandi, plenam, & liberam in omnibus haberent facultatem: quorum Diffinitorum statutis, Constitutionibus, ordinationibus, diffinitionibus, & correctionibus singuli de Congregatione hujusmodi, cujuscumque dignitatis, status, gradus, sive conditionis existerent, in omnibus efficaciter

citer parere tenerentur. Volens, atque statuens, quòd hujusmodi Diffinitores, de præfatis Monasteriis, & locis, ac eorum bonis prout præfatæ Congregationi viderentur eis expedire, liberè disponere, necnon ex ipsis Monachis tunc præsentibus, & futuris, quos ad id idoneos judicarent, in Abbates, & Priores vacantium pro tempore Monasteriorum, ac Prioratuum hujusmodi aliàs juxta dictæ Congregationis constitutiones, ordinationes, & statuta eligere, seu nominare, necnon ad beneplacitum eorum taliter electos, seu nominatos, absque aliqua causæ cognitione, à regimine, & administratione dictorum Monasteriorum, & Prioratuum, quibus tunc præessent, & quæ tunc propterea vacare censeantur, absolvere, & amovere, ac etiam omnia & singula, quæ in præmissis omnibus, & circa ea quomodolibet necessaria, vel opportuna forent, facere, & exequi liberè, & licitè possent, & valerent. Et ne post dissolutionem hujusmodi Capituli, præfata Congregatio regiminis solatio destitura remaneret, quinque vel plures, prout Diffinitoribus ipsis visum foret, Visitatores deputarentur, quorum unus juxta ipsorum Diffinitorum dispositionem Præsidentis vicem nomenque susciperet, & ad eum secundùm hujusmodi decreta Capituli, singula præfatæ Congregationis negotia deferrentur: ipsique Præsidens, & Visitatores omnia, & singula facerent, disponerent, & exequerentur, super quibus ab hujusmodi Capitulo muniti potestate forent, vel quæ ab eo recepissent in commissis, aut aliàs juxta eorum Constitutiones, & statuta, quorum officia, usque ad sequens anno proximè futuro tunc celebrandum, hujusmodi Congregationis Capitulum duraret.

45 Locus autem Capitulis præfati postquam electus, & acceptatus foret, absque rationabili causa de Præsidentis quoque necnon majoris partis Visitatorum eorumdem assensu nullatenus immutaretur, ac quòd omnes, & singuli tunc præsentes, & futuri dictæ Congregationis Prælati, necnon Monachi Conversi, & Commissi sub præfatorum Visitatorum, & consequenter illorum Prælatorum, in quorum Monasteriis, sive locis ipsi Monachi, Conversi, & Commissi morarentur, obedientiis sisterent, eas hincinde, prout decens foret, impensuri, & insuper ne facilitate præcipiti Religionis jugum quis acceptaret, nullus ex Monasteriorum, sive locorum hujusmodi Prælatis, absque deliberatione matura, necnon duarum partium sui Conventus assensu, quempiam in Monachum, sive Conversum Monasterii sui, sive loci, cui præesset, quomodolibet ad professionem reciperet, aliter verò inibi recepto, nisi postea prædictus accederet assensus, stare, vel morari ibidem, esset penitùs interdictum. Et ut cuilibet materia turbationis adempta, personæ Congregationis hujusmodi quietiùs possent altissimo famulari, omnes & singuli, quos de prioribus, in quibus professi forent Monasteriis, & locis ad alia tum præsentia, & futura dictæ Congregationis Monasteria, sive loca juxta ordinationem Capituli hujusmodi transferri contingeret, aut aliàs pro Conventualibus quomodolibet deputari, ex tunc ac ipsis prioribus Monasteriis, atque locis realiter absoluti essent, & aliorum Monasteriorum, locorumque prædictorum, quamdiu starent inibi Monachi, & suppositi reputarentur, & pro Conventualibus inibi haberentur in actibus, & negotiis capitularibus, ac si ibidem professi forent; ac ne præmissorum occasione, Monasteriis, & locis Congregationis hujusmodi, vel eorum alicui detractum fore quomodolibet æstimaretur, omnia Monasteria, & loca prædicta, necnon illorum Prælati, atque personæ quibuslibet eis à Sede Apostolica, vel aliàs qualitercumque concessis de jure, seu consuetudine quomodolibet debitis juribus præeminentiis, ac dignitatibus inconcussè gauderent, & uterentur, dummodo illa præmissis, & aliis hujusmodi Congregationis, ordinationibus, & institutis non obsisterent, nec propterea ex Monasteriis ipsis unum reputaretur alteri subjectum, sed eis in sua libertate remanentibus, illa vicissitudinis adminiculo conjuncta, sub felici dictæ Congregationis regimine conformi Regularis observantiæ gressu, sibi invicem suffragarentur. Adjecit etiam idem Eugenius Prædecessor, quòd quotiescumque Prælatus aliquis Monasterium, cui præesset, ad ejusdem Congregationis observantiam reducere, & sub illa reformare eligeret, juxta statuta, decreta, necnon ordinationes Congregationis hujusmodi, prout congruentiùs posset, ipsam reformationem faceret ejusque desuper acta, conventiones, & modi, quæ de consensu Congregationis ejusdem, vel illorum, quos ad id deputarent, in formam publicam redacta forent, eo ipso confirmationes Apostolicæ essent robore fulfulti. Et quia dictus Martinus Prædecessor præfatæ Congregationi concesserat, quod vacantibus Monasteriis, qui tunc erant dictæ Congregationis, electiones ritè, & canonicè celebratæ à duabus partibus eligentium, auctoritate Apostolica confirmatæ, ipso facto censerentur: Quodque de omnibus redditibus Monasteriorum præfatorum quinta pars pro decenti sustentatione Prælatorum deputaretur: Aliæ verò quatuor partes, per Collectarios absque contradictione Prælatorum, in Monachorum, & Conventuum utilitates dispensarentur: Item Eugenius prædecessor attendens, quòd hujusmodi ordinationes, & decreta, non ad conservationem, & augmentum dictæ Congregationis, sed ad dispendium maximum cedebant, & detrimentum, omnia, & singula statuta, ordinationes, & decreta electionum, ac redditium divisionis hujusmodi, revocavit pariter, & annullavit. Volens, & statuens, quòd electiones Abbatum, & Priorum, ad dictæ Congregationis Capitulum Generale, aut Præsidentem, & Visitatores juxta concessam eis, ut præmittitur, facultatem, ac eorum constitutiones & statuta pertinerent. Quibus taliter electis, juxta regulam B. Benedicti, & eorum constitutiones, Monasteria ipsa, sive Loca, & bona, tam in spiritualibus, quàm in temporalibus regendi, & gubernandi, libera, & licita esset facultas, prout in literis ipsius Eugenii prædecessoris desuper confectis, pleniùs continetur. Nos igitur qui dudum inter alia statuimus, & ordinavimus, generalem absolutionem à censuris Ecclesiasticis, quibus personæ, pro quibus literæ Apostolicæ emanarent, ligatæ forent, ad effectum literarum earumdem indifferenter concedi, & in literis Apostolicis apponi solitam non suffragari non parentibus rei judicatæ, qui propterea, aut in certis casibus expressis à jure, vel ab homine per quatuor menses scienter excommunicationis hujusmodi sententiam sustinerent, & generaliter quibuscunque aliis, qui censuris aliquibus, etiam aliàs, quàm ut præmittitur, quomodolibet ligari in illis per annum continuò insorduissent, quique eamdem Congregationem, & illius Monachos, propter eorum exemplarem vitam, comprobatosque mores, ac vitæ sanctimoniam, non minori dilectione, quàm ipse Eugenius Prædecessor, dum viveret, faciebat, prosequimur, Volentes quieti, & paci Congregationis prædictæ, ac illius pro tempore Præsidentium, & Diffinitorum, ac singularum personarum paci, & quieti opportunè providere, ac Præsidentem, Diffinitores, Monachos, & singulos ex Congregatione hujusmodi à quibuscumque excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus etiam ex causis prædictis quomodolibet innodati existunt, & in illis ultra annum insorduerint, seu insorduisse dicerentur, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes. Ac omnia, &
singula Monasteria tam d. Congregationi, quàm bene- 46
ficia

ficia Monasteriis ejusdem Congregationis unita, annexa, & incorporata; necnon quæcunque alia privilegia, immunitates & indulta d. Congregationi concessa, illorumque ac unionum, annexionum, & incorporationum prædictarum tenores, & formas, ac si de verbo ad verbum insererentur, & exprimerentur, præsentibus pro expressis habentes. Etiam ejusdem Eugenii Prædecess. vestigiis inhærendo, motu proprio simili, non ad præsidentis, aut Visitatorum, vel Congregationis prædictorum, vel alicujus alterius pro eis Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam; sed de Nostra mera liberalitate, & ex certa scientia, deliberatione, & de Apostolicæ potestatis plenitudine literas Eugenii Prædecessoris hujusmodi, ac prædicta, & alia in eis contenta quæcumque, necnon ordinationes, consuetudines, quibus ipsa Congregatio regitur, & gubernatur, ac omnia, & singula alia privilegia, indulta, exemptiones, & immunitates tam eidem Congregationi, quam quibusvis particularibus Monasteriis ejusdem Congregationis per Romanos Pontifices Prædecessores nostros, & Sedem prædictam, aut aliàs quomodolibet concessa auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus; ac perpetuæ firmitatis robur obtinere debere decernimus. Declarantes etiam, motu, scientia, auctoritate, & potestate prædictis, ac volentes quidquid dubii in dictis Privilegiis, seu aliquo eorum pro tempore emerserint, dicta verborum ambiguitate, & varia prædictorum interpretatione in favorem d. Congregationis, & locorum particularium
47 ejus interpretari debere, ac cujusvis particularis Monasteria privilegia toti Congregationi, & ejus particularibus Monasteriis esse communia, & ad illa ea extendi, prout etiam extendimus per præsentes, quando ipsa privilegia aliis Monasteriis, & locis dictæ Congregationis adaptari, & convenire possunt. Ac etiam
48 Præsidentem, Diffinitores, & Congregationem prædictos, quæcumque Monasteria, & alia beneficia, quæ vigore dictarum literarum Eugenii Prædecessoris hactenus receperunt, seu sub quovis alio vigore, modo, vel forma, etiam cum conventionibus, & pactis super retentione bonorum, seu fructuum concessorum, aut partis eorum dictorum Monasteriorum, seu bonorum eidem Congregationi, seu alicui Monasterio particulari ejusdem Congregationis, cum dictis cedentibus factis, & habitis, licitè retinuisse, & retinere, & hujusmodi conventiones, & pacta observare potuisse, & debere, & non solùm hujusmodi, sed omnia alia pacta cujuscumque conditionis, qualitatis, & modi, tam exorbitantia, quàm jure prohibita, & insolita, & quæ necessaria, & speciali approbatione Apostolica egerent, quæ tamen aliàs robore Apostolicæ confirmationis munita, licita, & honesta forent, motu, & scientia, potestate, auctoritate, & tenore præmissis, approbamus similiter, & confirmamus, & sub privilegio Eugenii prædecessoris hujusmodi contineri debere declaramus. Supplentes omnes, & singulos defectus, tam juris, quàm facti, si qui forsan, ex quacunque causa intervenerint in eisdem, revocantes, & annullantes, & pro non concessis, & infectis habentes, etiam quascunque imperationes, seu etiam motu, & scientia, ac potestate prædictis concessiones de dictis Monasteriis, Prioratibus, & beneficiis prætextu conventionum, & pactorum hujusmodi, tanquam simoniacorum per quoscunque cujuscunque conditionis etiam Cardinalatus honore fulgentes, quorum nomina, cognomina, & qualitates, etiam præsentibus haberi volumus pro expressis, a Nobis, vel à Sede prædicta factas, sive concessas, tamquam emanatas, præter, ac contra mentem, & intentionem Nostram; cùm intentionis præfati Eugenii Prædecessoris, & Nostræ fuerit, & sit, quòd præfatis Præsidenti, & Diffinitoribus, ac per dictam Congregationem deputatis, licuerit, & liceat in unionibus, annexionibus, ac reformationibus, seu receptionibus aliorum Monasteriorum, seu beneficiorum pro dicta Congregatione facere conventiones, & pacta cum Prælatis, & personis Monasteria, & beneficia sua dictæ Congregationi, seu alicui particulari Monasterio unire, seu concedere volentibus, quæ illicita, & quando carerent, & Apostolica confirmatione expresse prohibita apparerent, declarantes, etiam vigore hujusmodi concessionum, seu interpretationum propter hujusmodi pacta, conventiones, & modos, ac quoscunque alios defectus, si qua forsan intervenerint in hujusmodi unionibus, & reformationibus, cujuscunque generis, & qualitatis, existerent resultantibus per Nos hactenus occasione hujusmodi pactorum in favorem cujusvis de Monasteriis dictæ Congregationis, etiamsi Cardinalatus dignitate fulgerent, factarum non fuisse, nec esse jus quæsitum in re, vel ad rem certam, vel incertam; & quatenus jus quæsitum foret, seu fuisse prætenderetur, ex nunc illos dicto jure, de plenitudine potestatis Nostræ, quam in beneficialibus obtinemus, privamus, illisque simili motu mandamus sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, quòd tale prætensum jus in judicio, vel extrà allegare non præsumant, nec super eo aliquam gratiam à Sede prædicta impetrare. Non obstantibus statuto, & ordinatione Nostris præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Congregationis, & Ordinis prædictorum juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscunque. Nolli ergo omninò hominum liceat, hanc paginam Nostræ absolutionis, approbationis, confirmationis, declarationis, voluntatis, extensionis, constitutionis, suppletionis, revocationis, annullationis, privationis, & mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1501. Kalendis Aprilis, Pontificatus nostri anno 9.

Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam Nostræ absolutionis, innovationis, approbationis, confirmationis, communicationis, suppletionis, concessionis, extensionis, statuti, ordinationis, derogationis, voluntatis, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac BB. Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romanæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1507. Idibus Julii, Pontificatus Nostri anno 4.

TAXA

TAXA
OMNIUM ABBATIARUM, ET MONASTERIORUM ORBIS TERRARUM.

Ad exemplar libri Sacri Collegii, & Reverendissimæ Cameræ Apostolicæ.

Romana Ecclesia quæ omnium Ecclesiarum mundi Caput est, & Magistra, continet sub se infrascripta Monasteria, hic nullo alphabeti ordinine servato prænotata; videlicet.

PAULI de Urbe extra muros, Ordinis S. Benedicti. m.
Unitum fuit dicto Monasterio Monasterium S. Andreæ in flumine Civitatis Castellanen. diœc. tax. flor. lxvj⅔
Item fuit unitum eidem Monasterium S. Mariæ in Casmedin. aliàs Schola Græca de Urbe, tax. l.
& Ecclesia Parochialis S. Saturnini de Urbe, val. xxiv. unita die 5. Maji 1505. ideo augetur taxa.
Anastasii de Urbe, Ordinis Cistercien. cl.
Unita fuit Ecclesia Sanctæ Mariæ Secudiferi, de Urbe; val. xv. duc. augetur taxa in florenis v.
Laurentii extra muros, Ordinis S. Benedicti. ccc.
Unita fuit Ecclesia Parochialis S. Benedicti Tiburtin. valor. duc. lx. augetur taxa flor. xx.
Item Prioratus extra muros Sutrin. valor. l. augetur taxa xvj⅔
Thomæ & Sabbæ, Ordinis S. Benedicti. ccc.
Andreæ & Gregorii, Ordinis S. Benedicti. cxx.
Unitus fuit Prioratus S. Andreæ Tiburtin. val. xxiv. aliàs 124. augetur taxa in florenis viij.
Blasii de Urbe, Ordinis S. Benedicti. xxxvj.
Sebastiani de Urbe, Ordinis Cistercien. l.
Unitum fuit Monasterium S. Balbinæ, cujus cl. lib. 4. an. Eugenii *fol.* 98.
Mariæ Farfen. Ord. S. Benedicti. m.
unitæ fuerunt mensæ Conventuali Farfensis Ecclesiæ S. Mariæ de Lauro, S. Crucis Sabinen. Diœcesis, valoris l. augetur xvj⅔
Benedicti Sabinen. Diœc. m. aliàs m.cccc.
Cryptæ Ferratæ prope Urbem. cccc.
Alexii de Urbe, Præmonstraten. c. aliàs clxiij⅓
Praxedis de Urbe Ord. Vallis-Umbrosæ. xliij⅓

A.

Abelonen. in Romania & Provincia Athenien.
Aberdonen. in Scothia & Provincia S. Andreæ. m.ccl.
De Deyre, Ord. Cister. c.
Aboen. in Suecia & Provincia Upsalen. cc.
Abrincen. in Francia & Provincia Rothomagen. ij^{m}v^{c}.
Savigniaci, Ord. Cister. vijc.
Michaëlis in periculo maris, Ord. S. Bened. cccc.
Montis Maurelli, Ord. S. Aug. c.
Unita fuit Parochialis Ecclesia S. Ledardi Dezcheri Abrincen. diœc. cujus 70. l. Turonorum, ideo augetur tax.
Item unita fuit Parochialis Ecclesia de Guibervilla, Bajocen. diœc. val. lx. Ideo vc.
Trinitatis de Lucerna. cxxxiij⅓
Unitum fuit Monasterium de Ardena, Bajocen. diœc. taxa c. ideo vc.
Joannis de Alizea.
Abulen. in Hispania & Provincia Toletan. m.ccc.
Mariæ de Burgo, Ord. S. Aug. lxvj⅔
Accien. in Corsica & Provincia Januen. xxxiij⅓
Unita fuit Ecclesia Sanctæ Mariæ Ampugnano val. xxiv.
Acernen. in Terra-laboris & Prov. Acherentina. lxx.
Unitum fuit dictæ Ecclesiæ Monast. S. Leonardi, Ord. S. Bened. Salernitan. diœc. tax. flor. xxxvj. ideo vc.
Acherontin. in Apulia Metropolis. ccc.
Unita est Ecclesia Materanen. tax. ccc. ideo vc.
Angeli de Monte Camolo, Ord. S. Bened. lxvj⅔
De Banco, Ord. S. Bened. cc.
Eustachii de Vernista, Ord. S. Bened. xl.
Mariæ de Valleursis, Ord. S. Bened. xliij.
Michaëlis Archangeli de Camoso. lxvj⅔
Adrien. in Provincia Ravennaten. cc.
Bartholomæi extra oppidum Rodigii Montis Oliveti, Ord. S. Bened. cl.
Mariæ de Ganello, Ord. S. Bened. xxxvij.
Mariæ de Vangaticia, Ord. Camald. m.
Adversan. in Terra laboris & Provincia Neapol. ccccl.
Laurentii de Adversa, Ord. S. Bened. v^{c}.
Aduren. in Vasconia & Provincia Auxitan. m.cc.
Severi, Ord. S. Bened. cc.
Pontisalti, Ord. Cister. l.
Gratiæ Dei, Ord. Præmon. cccxxxiv.
Agatha. in Terra-loboris & Provincia Beneventan. clxxx.
Gabrielis de Morola, Ord. S. Bened. xxxiij⅓
Martini de Castaneta, Ord. Cister. lx.
Mennæ, Ord. S. Aug. xxxiij⅓
Agothen. in Gotia & Provincia Narbonen. mv^{c}.
Vallismagnæ, Ord. Cister. m.cccc.
Toberii, Ord. S. Bened. m.
Agennen. in Aquitania & Provin. Burdegal. ij^{m}ccccl.
Claraco, Ord. S. Bened. cc.
Gondomono, Ord Cister. cxx.
Payrmaco, Ord. Cister. lxx.
Peringa, Ord. Cister. lxxv.
Exien. seu Esy, Ord. Cluniacen. viij^{c}.
Mauritii, Ord. S. Bened. c.
Gervasii & Protasii, Exien. Clun. viij^{c}.
Segnabat, Ord. S. Bened. cc.
Dicto Monasterio sunt ntitæ duæ Ecclesiæ Paroch. val. cclxvj. flor. Augetur tax. in duc. lxv.
Agrigentin. in Insula Siciliæ & Provincia Panormitan. v^{c}.
Maria de Nemore, Ord. S. Bened.
Sancti Spiritus Calat, Ord. S. Aug. xxxiij⅓
Nicolai della Latina oppidi Saccen. xliij⅓
Albanen. prope Romam Cardinalis.
De Parasola, Ord. Cister.
Alben. in Lombardia & Provincia Mediolanen. ccl.
Unitum fuit dictæ Ecclesiæ Monasterium S. Frontiniani

tiniani prope Albam, tax. in flor. lxxvij ½

Item dictæ Eccleſiæ ſunt uniti Prioratus Sancti Salvatoris ſuper Bruni, Ord. S. Bened. S. Petri de Carmeliano ſuper Caſucii, Sanctæ Agathæ ſuper Valſole, S. Petri de Bremi de diœc. Sanctæ Mariæ de Zanchero, ac S. Quirici & Januarii ſuper Motilu locorum finibus Eccleſiarum ruralium Aquen. & Caſalen. diœc. quarum omnium fruct. xc. augetur tax. in flor. 30.

Alexandri, Ord. S. Bened. c.

Gaudentii de S. Stephano, Ord. S. Bened. cl.

Frontiniani prope Albam, Ord. S. Bened. lxx.

Unitus fuit Prioratus S. Martini valoris xxij. augetur tax. in flor. vij ½

Albefeſtaden. c.

Ægidii in Brunſuich, Ord. S. Bened. cxiij.

Unita fuit Parochialis Eccleſia Villeudalmerodi, val. v. marcarum argenti flor. 3. ½

Albien, in Aquitania & Provincia Bituricen. ii^{m}.

Gauderici de S. Stephano, Ord. S. Bened. cl.

Saliaco Ord. S. Bened. prope unionem Prioratus de Tonſa. v^{c}.vij ½

Candulio, Ord. Ciſter. m.

Albinganen. in Lombardia & Provincia Januen. $viii^{c}$.

Mariæ de Inſula Galinaria, Ord. S. Bened. cl.

Alexandrin. in Lombardia Provincia Mediolanen. cc.

Unitum fuit Monaſterium B. Mariæ de Campis, Ord. S. Bened. val. lx.

Item unita eſt Præpoſitura S. Matthæi Alexandrin. val. cl.

Item ſunt unita Beneficia informata ult. poſſeſſio loci Sezadii Aquen. diœc. pertinens ad Monaſterium Monialium de Bane, Ord. S. Bened. Terdon. diœc. ſuper quibus fit q. cujus lxxx.

Item Hoſpitale S. Chriſtophori extra muros Januæ val. xxiij.

Item Hoſpitale S. Joannis extra muros Alexan. val. xxiij.

Item Prioratus S. Michaëlis de Alexandrina val. xxiij. quæ omnes ſummæ conſtituunt flor. auri de Camera cl. augetur. tax. in flor. l.

Petri de Bergolio, Ord. S. Bened. l.

Alexanen. aliàs Leocadien. in Provincia Idrontin. xl.

De Lomiro, Ord. S. Baſilii. xxxv.

Alexien. in Albania S. Salvatoris de Robico, Ord. S. Bened.

Amalphitan. in Terra-laboris Metropolis. cl.

Petri de Canonica, Ord. Ciſterc. lxvj ½

Mariæ de Poſitaria, Ord. S. Bened. lxxxiij.

Mariæ de Olcaria.

Mariæ de Hereia.

Ambianen. in Francia & Provincia Remen. $iiii^{m}$. cc.

Joannis in Ambian. Ord. Præmon. cc.

De Corbeja ſive Corbien. Ord. S. Bened. vi^{m}.

Mariæ Foreſti Monaſterii, Ord. S. Bened. ccc.

Mariæ de Viſignolio, Ord. S. Aug. xl.

Viſignolio, Ord. S. Bened. cl.

Acteoli prope Ambian. Ord. S. Bened. clxxx.

Indoci de Domino Martino, Ord. Præmon. m.

Indoci ſupra mare. cc.

Salvi de Monſterolio, Ord. S. Bened. ccl.

Valerici ſupra mare, Ord. S. Bened. ii^{m}.vii^{c}.

Unitus fuit dicto Monaſterio perſonatus de Pendeto Am bian. diœc. val. xxxvj. l. Turonen. parvorum augetur tax. in flor. xij.

De Valoſiis, Ord. Ciſterc. xxx ½

Martini de Gemellos, Ord. S. Aug. vii^{c}.

Petri de Celincurte, Ord. Præmon. cc.

Ricarii in Pontino, Ord. S. Bened. $iiii^{m}$.

Vedaſti de Morolio, Ord. S. Bened. cc.

Garda, Ord. Ciſter.

Cari Campi, Ord. Ciſter.

Ceriaco, in Pratis, Ord. Præmon.

Mariæ de Claro Flagero, Ord. S. Bened. lxvj ½

Fuſciani, in Nemore. Ord. S. Ben.

Amelicen. in Ducatu Spoletan. lxxx.

Aucta eſt taxa dictæ Eccleſiæ in flor. xx, propter unionem Monaſterii Valliſcanalis dictæ Diœc.

Item floren. viij. per unionem Eccleſiæ Sancti Concordii.

Ampurien. & Civitaten. in regno unita fuerunt perpetuò per Julium II. die 5. Junii 1505. patet *in lib. Cameræ.*

Unita fuerunt dictæ Eccleſiæ duo Beneficia val. xxx. augetur x.

Item Monaſterium B. Mariæ de Sergio, Ord. S. Bened. val. xxxv. augetur tax. flor. xj ½

Anangien. in Campania. ccc.

Mariæ de Gloria, Florentin. Ord. c.

Anconitan. & Humanat. ccccxx.

Unitum fuit Monaſterium S. Petri de Monteriverio, Ord. S. Bened. val. xx. augetur tax. in flor. xxiij ½

Portus novi, Ord. S. Bened. c.

Joannis de Pinoclaria, Ord. S. Bened. ciiij.

Andegaven. in Provincia Turonen. m.vii^{c}.

Albini Andegaven. Ord. S. Bened. vii^{c}l.

Nicolai extra muros, Ord. S. Bened. ccccl.

Sergii & Bacchi, Ord. S. Bened. v^{c}.

Unitus fuit Prioratus Jugenio in Monte Cenomanen. diœc. val. lxxx. augetur tax. in flor. xxvj ½

Petri de Burgolio, Ord. S. Bened. vi^{c}lxx.

Unitus fuit Prioratus B. Mariæ de Bucello, Ord. S. Bened. Malleacen. diœc. val. cxx. ſcutor. auri de Francia augetur tax. in xl. ſcut.

Florentiæ prope Salmirum, Ord. S. Ben. iii^{m}.

Unitus Prioratus Subprioratus & 3. Prioratus dicti Monaſterii quorum 7. l. Turonenſium parvorum.

Mauri ſupra Ligerim, Ord. S. Bened. cl.

Georgii ſupra Ligerim. cxxxvj.

Omnium Sanctorum, Ord. S. Aug. lxxxx.

Mariæ de Aſuercis Vellaji, Ord. S. Bened. c.

Mariæ de Monte Orroni, Ord. Ciſterc. c.

Mariæ de Oratorio, Ord. Ciſter. ccl.

Mariæ de Rota, Ord. S. Aug. lxxxiij ½

Mariæ de Chalocheyo, Ord. Ciſterc. cxxxiij ½

Joannis Meltinen. Ord. S. Aug. cccc.

Unitus fuit Prioratus Beatæ de Failletta, Ord. S. Aug. Andegaven. diœc. cujus 80. l. Turon. parvorum.

De Buxeria, Ord. Ciſterc. xcij. ½

Andren. in Apulia Provincia Baren. c.

Vniuntur dictæ Eccleſiæ Tarramont. Pilos val. xxiiij. & Prioratus B. Mariæ de Juſo val. xxiiij. dum & quando Franciſcus Dux Andren. applicaverit de bonis ſuis dictæ Eccleſiæ cc. augetur tax. in flor. xvj.

Item Unita Eccleſia S. Clarolæ val. xxx. & S. Mariæ Annunciatæ val. xx. augetur tax. in flor. xvj ½

Anglonen. in Provincia Acherontin. Apuliæ. c.

Sagitario, Ord. Ciſter. xxxiij ½

Angeli de Carpino, Ord. S. Bened. xliij ½

Heliæ de Clirbono, Ord. S. Baſilii. lxvj ½

Anicien. in Aquitania Provincia Bituricien. ii^{m}.vi^{c}l.

Unitus fuit Prioratus de Cambone dictæ Eccleſiæ, & augetur tax. in l. l. Turon. parvor.

Theofredi, Ord. S. Bened. v^{c}.

Doe Ord. Præmon. lxxx.

Antibaren. in Albania Metropolis. lxxx.

Unitæ sunt sex Capellæ extra muros Antibaren. val. xxiiij. augetur tax. in flor. viij.

Mariæ de Rotecio, Ord. S. Bened. lxvj⅔

Antiochen. ultra mare Patriarcha.

Pauli Antiochen. ccciij.

Antisiodor. in Francia in Provincia Senon. iiii^m.cccc.

Germani Antisiodoren. Ord. S. Bened. v^c. aliàs m.

Pontiniaci, Ord. Cister. ccc.

Mariani, Ord. Præmon. cc.

Petri Antisidoren. Ord. S. Aug. lxvj⅔

Laurentii de Abbatia, Ord. S. Aug. cxxxiij⅓

Apamiarum in Gotia Provinc. Tholos. ii^m.v^c.

De Fuxo, Ord. S. Aug. vij^c lxvj⅔

Unitus est Prioratus de Unico Apamiarum diœc. augetur taxa.

Aprutin. in Provincia Aprutin. ccc.

Nicolai de Trecia, Ord. S. Bened. xxxiij⅓

Apten. in Provincia Provinciæ, Provincia Aquen. ccl.

Eusebii, Ord. S. Bened. cc.

Vallis Sanctæ, Ord. Cister. c.73⅓

Aquen. in Vasconia. v.

Sorduen. Ord. S. Bened. cl.

Mariæ de la Canora, Ord. S. Bened. xxxiij⅓

Penuillæ Præmon. Ord. xxxiij⅓

Aquen. in Lombardia Provincia Mediolanen. cxxvij.

Fuit unita Capella ad altare Sanctæ Mariæ de Quenzano in Ecclesia S. Francisci Niciæ Palearum Aquen. diœc. valoris duc. 40. sub datum Non. Julii 1606.

De Thilero, Ord. Cister. cc.

De Mille, Ord. Præmon. c.

Justinæ de Sezadio, Ord. S. Bened. clxvj⅔

Christophori extra muros Berganíci. lxvj⅔

Petri Aquen. Ord. S. Bened. xlj⅔

De Dentula, Ord. S. Bened. xlv.

Mariæ Sylvacan. Ord. Cister. ccl.

Petri de Bergolio de Alexandria, Ord. S. Bened.

Aquilan.

Unitum fuit Monasterium Monialium B. Mariæ ad Gordianum, Ord. S. Bened.

Joannis de Colmierto, Ord. S. Ben. c.

Aquilegien. Patriarcha.

Unitus fuit Prioratus S. Antonii oppidi Utinen. valoris l. augetur tax. in flor. xvj⅔

Mariæ de sexto, Ord. S. Bened. ccl.

Galli, Ord. S. Bened. ccc.

Georgii de Astuastan. lxviij

Petri de Rosatio, Ord. S. Bened. cccxxxiij⅓

Martini de Biluna, Ord. S. Bened. cxxx.

Mariæ de Carra, Ord. S. Basilii. xxx⅓

Fontis S. Mariæ, Ord. Cister. cxvj⅓

Unita fuit Parochialis Ecclesia S. Crucis ad S. Crucem val. iiij. marc. argenti, augetur tax. in flor. vj⅔

Aquilen. in Aprutio.

Mariæ de Bomiaco, Ord. S. Bened. xxxiij⅓

Aquitanen. in Campania.

Ista Ecclesia diversimodè in libris taxarum notata reperiebatur, Sanctissimus D. N. Paulus Papa V. reformando veteres taxas; taxavit unà cum unitis ad flor. 180.

Petri de Campegia, Ord. S. Bened. xxxiij⅓

Viti de Melpha, Ord. S. Bened. xxxiij⅓

Andecan. in Hibernia Provincia Armacan.

Mariæ de Gravardo, Ord. Cister. lxxxiij⅓

Arelaten. in Provincia Metropol.

Unitus fuit Prioratus S. Jacobi de Saviano val. xxv. augetur tax. in flor. viij⅓

S. Petri Montis majoris, Ord. S. Bened. m.v^c.

Unita fuit Capella ruralis Villæ de Pelisana Aquen. Diœc. val. xv. augetur tax. in flor v.

Item uniti fuerunt Prioratus de Corredis aliàs Cordio S. Genesii, & S. Juliani val. omnes scilicet vi^c. l. Turon. parv. augetur tax. cc.

Item unitum fuit Hospitale pauperum orphanorum Beatæ Pontisfracti Avenionen. valor. lx. l. Turon. Ecclesia par. de Rochabruna Prioratus nuncupata Forolivien. diœc. val. c. augetur tax in flor. liij⅓. ideo 1759.⅓

Aretin. in Tuscia.

Unitum fuit Monasterium S. Januarii de Capalona Ord. S. Bened. augetur tax. Ecclesiæ in flor. cxxxviij. sed hæc unio dicitur dissoluta.

Bartholomæi de Anglaria Ord. Cam. lxvj⅔

De Anhano Ord. S. Bened. xc,

De Saxa Ord. Camal. c.

Mariæ de Mamma, Ord. S. Bened. xc.

Floræ & Lucillæ Ord. S. Bened. xc.

Unita est Capella B. Mariæ Conceptionis val. xij. augetur tax. in flor. iiij.

Petri de Rota Ord. Camal. lxvj⅔

De Pratalia Ord. Camal. lxiij.

Fidelis de Puppis Ord. Vallis-Umbrosæ. lv.

Januarii de Capalona Ord. S. Bened. cxxx.

Unita fuerunt dicto Monasterio quædam beneficia val. xxiiij. auget. tax. in flor. viij. & Monasterium est unitum mensæ Episcopali Aretin. sed postmodum accepi quod unio est dissoluta.

Salvatoris de Berardigna Ord. Camal. cxxxiij.

Jacobi & Christophori Ord. S. Bened. xxxiij⅓

Michaëlis de Aretio Ord. Camal. lx.

Prioratus Generalis Heremi Ord. Camal. cc.

Unitum fuit Parochialis Ecclesia S. Laurentii de Pappis val. xl. augetur in flor. xiii⅓

Item Monasterium S. Salvatoris Florent. dicti Ordinis tax. cl. augetur taxa in dictis flor. cl.

Arferden. in Hibernia Provincia Catellen. l.

Argentin. in Alemania Provincia Maguntin.

Unita fuit Præpositura S. Fidi, oppidi Salostat Ord. S. Bened. Argen. diœc. cujus fruc. ccc. flor. Renen. auri 26. Feb. 1504.

Martini Moismynster Ord. S. Benedicti die 29. Maji 1515. l.

Novillaren. Ord. S. Bened. cccl.

In Suuartzaho, Ord. S. Bened. cccxxxiij⅓

Michaëlis Hugonis Curiæ, Ord. S. Bened. lxvj¾

Unita fuit Ecclesiæ S. Martini Vallis-Alberte val. iij. marc. argent. agetur tax. in flor. v.

In Scuchera, Ord. S. Aug. cc.

Adeldodis de Selis, Ord. S. Bened. xxxiii⅓

Salsen. Ord. S. Ben. cc.

Segnebath, Ord. S. Bened. cc.

Unitæ sunt duæ Parochiales Ecclesiæ ultra VillæFichem, & in Ethethim, val. in flor. cclxvj. Renen. augetur tax. in flor. lxv.

Ariminen. in Romandiola.

Unitum Ecclesiæ Arimin. Monasterium S. Theohesti tax. l.

Benedicti de Savignono. l.

Unitum Congregationi S. Georgii in Alga.

Juliani Ariminen. Ord. S. Bened. xlvj.33.⅓

Unitum fuit Monasterium B. Mariæ Montis-florum Foretran. diœc. augetur tax. in floren. 33.⅓

Georgii in Concha, Ord. S. Bened. xl

Lazari, & Marini Monialium, tax. cxxx.

Mariæ de Schola Ord. S. Bened. unitum Congregationi M. Oliveti.

Gaudentii Ord. S. Bened. l. nunc c.

Theonerti de Lonzano, Camaldulen. Ord. l.

Armacan. in Hibernia Metropolis.

Petri

Petri & Pauli, Ord. S. Aug. lx.
Assisianaten. in Ducatu Spoletan.
Unitum mensæ Episcopali infrascriptum Monasterium S. Bened. tax. c.
Benedicti de Monte Subaxio, Ord. Cisterc. c.
Trispoliti de plano Butrini, Ord. S. Bened. lxxx.
Nicolai de Campolongo, Ord. S. Bened. l.
Petri de Assisio, Ord. S. Bened. c.
Asten. in Lombardia, Provincia Mediolanen.
Unitæ fuerunt dictæ Ecclesiæ Asten. Ecclesia S. Secundi Denates val. lib. Turon. & Prioratus S. Basilii de Priomo val 24. & Parochialis Ecclesia S. Sixti Asten. val. xxiij. augetur tax. in flor. xviij.
Apostolorũ extra muros Asten. Ord. S. Bened. cclx.
Unita fuit Ecclesia S. Justi val. xij. augetur tax. in iiij.
Dalmatii in Burgo Asten. Ord. S. Bened. c.
Bartholomæi de Araano, Ord. S. Bened. c.
Uniti fuerunt Prioratus rurales S. Steph. de Bescoviti, Ord. S. Bened. Montis-regalis diœc. val. flor. l.
Item Prioratus dicti, Ord. & diœc. val. lxxx.
Dalmatii de Pedemonte, Ord. S. Bened. c.
Astoricen. in Portugallia, Provincia Bracharen.
Andreæ de Spinardea, Ord. S. Bened. lx.
De Micalibus, Ord. S. Bened. xl.
Martini de Castamira, Ord. Cisterc. xxxiiij
Mariæ de Canistro, Ord. Cisterc. lxxx.
Andreæ Astoricen. lx.
Martini de Castaneta, Ord. Cisterc. aliàs Præmonstraten. lx.
Petri de Montibus, Ord. S. Bened. lxiij½
Unitus est Prioratus S. Romani Zamoren. diœc. val. xc. & fuit taxatus cum ipso Monasterio.
Item mandata sunt uniri dicto Monasterio tot præstimonia in diœc. vel Civitate Legionen. Astonien. & Zamoren. quæ ascendunt ad summam flor. l. debet augeri tax. in flor. xvi½
Atren. in Sclavonia, Provincia Iadren.
Stephani de Barbato, Ord. S. Bened. xl.
Petri de Valle, Ord. S. Bened. l.
Avellanen. & Erequentinen.
Benedicti, Ordinis ejusdem. xxxiij½
Augusten. in Provincia Tarantasien.
Viti in Elgan. Ord. S. Ben. Provinciæ Mogunt. ccc.
Esuacen. Ord. S. Aug. vi^{c}.
Nicolai Montis-Audex, Ord. S. Bened. vi^{c}.
Augusten. in Provincia Maguntin. mccc.
Unita fuit Parochialis Ecclesia de Buldelon, val. xij. marc. argenti, augetur tax. in flor. xx.
In Ursin, Ord. Sancti Bened. clxxx.
Unita fuit Parochialis Ecclesia in Baysuaril, val. xl. marc. argenti, augetur tax. in flor. lxxx. quæ priùs erat c.
Item unita fuit Parochialis Ecclesia in Vuasuil, val. xviij. marc. argenti, auger. tax. in flor. xxx.
Nota, quod Monasterio in Feussen. Ord. S. Bened. Augusten. diœc. cxxx.
Unita in Feussen. Capella S. Georgii in Holea, val. 3. marc. argenti, augetur tax. v.
S. Petri, Monasterio S. Petri Apostoli Vvessosprũen. Ord. S. Bened. unita fuit Parochialis Ecclesia in Pestignen. val. 29. marc. augetur tax. in flor. xlviij½
Sanctæ Crucis, Monasterio S. Crucis Augusten. uniuntur Parochiales Ecclesiæ in Dopszhenfen, & Margresahuhahus, in Bobien. val. iiij. marc. argenti puri, augetur tax. in flor. viij.
Avinienen. in Provincia Provinciæ Metropolis, aliàs in Provincia Arelaten.

Andreæ prope Avinionen. cccc.
Unitus fuit Prioratus de Monte-Alto, val. xl. l. augetur tax. in flor. xiij½
Unitus etiam Prioratus de Guillestria prope Ebrenam, Ord. S. Ben. val. 300. l. Turon. parvorũ.
Martialis, Ord. S. Bened.
Unitus fuit Prioratus B. Mariæ de Alma, aliàs de Fallifoco, Dignen. diœc. cujus fruct. 140. l. Turon. par.
Aurelianen. in Francia Provincia Senonen.
Benedicti Floriacen. Ord. S. Bened. ii^{m}.
Balgentiaco, Ord. S. Aug. ii^{m}.
Euurcii, Ord. S. Aug. v^{c}.
Maximini Miciacen. cc.
Mariæ de Curia Dei, Ord. Cister. cxxv.
Aurien. in Portugallia, Provincia Bracharen. cccc.
Rodesurdi de Novacello, Ord. S. Bened. cc.
Unita fuit Ecclesia S. Petri de Vave, val. xl. l. augetur tax. in flor. viij½
Christinæ de Ripadesil. Ord. S. Bened. xxxiij½
Cellanova, Ord. S. Bened. cxvj⅔
Mariæ de Ursaria, Ord. Cisterc. ccxxv.
Unitæ sunt dicto Monasterio duæ Parochiales Ecclesiæ ulr. S. Eulali de Logos, & S. Martini de Lamas, val. xviij. Turon. parvor. augetur tax. flor. jv.
Item fuit unita Parochialis Ecclesia de Pareda cujus xvij l. Turon. parvorum per Alexandrum VI. 3. Idus Martii, anno 9.
Stephani de Ripadesil, Ord. S. Bened. l.
Claudii de Ripa-avia, Ord. Cisterc. c.
Unita fuit Parochialis Ecclesia S. Michaëlis de Bosorede, val. xviij, augetur tax. in flor. viij½
Mariæ de Monte de Ramo, Ord. Cisterc. liij½
Ausaren.
Petri, Ord. S. Bened. lxiij⅓
Auximana in Marchia Anconitana:
Unitum fuit dictæ Ecclesiæ Monasterium S. Nicolai, ideo augetur tax. flor. xxxvij½
Nicolai, Ord. S. Bened. cum Parochiali Ecclesia S. Apollinaris unita. val. xij. xxxviij⅓
Auxitan. in Vasconia Metropolis.
Bardonarum, Ord. Cisterc. mv^{c}.
Gimontis, Ord. Cisterc. vj^{c}.
Unitum fuit Monasterium de Gionio, Tholosan. diœc. val. c. flor. augetur tax.
Pesano, Ord. S. Ben. cl.
Simorra, Ord. S. Bened. ccc.
Cellæ Medulphi, Ord. S. Bened. l. aliàs vi^{c}.
Casæ Dei, Ord. Præmon. vi^{c}xviij½ xliij⅔
Mariæ de Floriano, Ord. Cisterc. lxvj⅔

B.

Bajocen. in Provincia Rothomagen.
Mariæ Bella Stella, Ord. Præmon. lxvj½
Vigoris de Ceraseyo, Ord. S. Bened. mv^{c}.
Ardenna, Ord. Præmonst. c.
Mariæ de Alveto, Ord. Cisterc. cccclxxv.
Mariæ de Valle, Ord. S. Aug. lx.
Stephani de Fontenato, Ord. S. Bened. vii^{c}l.
Martini de Troarno, Ord. S. Bened. m^{cc}.
Stephani de Cadonio, Ord. S. Bened. m.
Unita fuit dicto Monasterio Parochialis Ecclesia S. Martini de via Fotaniæ, Constantien. diœc. val. clxxx. l. Turon. augetur taxa in lx.
Mariæ de Longis, Ord. S. Bened. cc.
Mariæ de Barbereyo, Ord. Cisterc. lx.
Bajocen. in Vasconia, Provincia Auxitan.
De Fore de Campo-basso, Ord. S. Bened.
Georgii de Mirabello, Ord. S. Bened.
Salvatoris de Urdachio, Ord. Præmonstr. l.
Balneoregien. in Patrimonio.

Unita fuit Parochialis Ecclesia S. Lucæ de Paterno, val. xxxiiij.

Bambegen. in Alamania, in Provincia Maguntin.
Michaelis Montis Monachorum. cc.

Bangoren. in Anglia, Provincia Canturien.
Domini de Rocca S. Cassiani, Ord. S. Bened. xl.

Barchin. in Cathaloniæ Principatu, Provincia Tarrac.
Sanctarum Crucum, Ord. Cister. m.
Cucufati, Ord. S. Bened. cccc.
Laurentii de Monte, Ord. S. Bened. xxxiij½
Unitum fuit Monasterium B. Mariæ de Terracia, Ord. S. Ruffin. val. ccxl. l. Barchinonen. debet augeri tax. in flor. lxxx.

Baren. in Apulia Metropolis. mv^c.
Unita est Ecclesia Polignanen. tax. l.
Item unitum est Monasterium Monialium sancti Scholasticæ, Ord. S. Bened. val. cc. pro medietate Ecclesiæ Baren. & alia mensæ Capitulari Baren. augetur tax. Ecclesiæ in floren. xxxiij½
Benedicti Baren. Ord. ejusdem. lx.
Insulæ Baren. Ord. Cister. c.
Archangeli de Celiis, Ord. S. Bened. cccc.
Nicolai de Siriis, Ord. S. Bened.
Mariæ de Gripta, Ord. S. Bened. xxxiij½
Angeli & Nicolai de Ciliis, unita, Ord. S. Bened. xxxiij½

Basilien. in Alamania, Provincia Bisuntin.
Unita est Parochialis Ecclesia Villæ-Bintzen. Constantien. diœc. cujus fruc. x. marc. argenti puri anno 1. Julii 1504. augetur tax. flor. xx.
Item Monasterium Monialium S. Cyriaci, Ord. S. Bened. Constantien. cujus fruct. lxxv. anno 1509. per eundem d. Julium, auget. tax. in flor. xxv.
Mornacien. aliàs Morbachen. Ord. S. Bened. vi^c.
Lucella, Ord Cister. lx.

Bellicen. in Alamania, Provincia Bisuntin.
Sulpitii, Ord. Cister. cl.

Belvacen. in Francia, Provincia Remen.
Luciani prope Belluacum, Ord. S. Bened. iii^m.
Symphoriani, Ord. S. Bened. cccxij.
Quintini, Ord. S. Aug. v^c.
Regalis Montis, Ord. Cister. cclviij.
Mariæ de Bretolio, Ord. S. Bened. vi^c.
Martini in Bosco, sive in Nemore, aliàs Aurien. Ord. S. Aug. cccc.
Germani de Flalaco, Ord. S. Bened. m.
Belli-Prati, Ord. Cister. vii^c.
Frigidi-Montis, Ord. Cister. cxxxiij½

Beneventan. in Terra-laboris Metropolis.
Modesti de Benevento, Ord. S. Bened. c.
Unita est Capella S. Margaritæ vj. Flor.
Sophiæ de Benevento, Ord. S. Bened. cccl.
Lupi, Ord. S. Bened. xl.
Petri in territorio S. Heliæ. c.
Mariæ de Galdo, Ord. S. Bened. c.
Angeli de Scalis, Ord. S. Bened.
Mariæ de Grypta, Ord. S. Bened. xxxiij½
Silvestri.
Luciæ in Raffa, Ord. S. Bened. l.
Mariæ de Venticano, Ord. S. Bened. xxxiij½

Bisuntin. in Burgundia Metropolis.
Unita fuit Parochialis Ecclesia de Burgillis extra muros Bisutin. cum Annexis, val. lxx. augetur tax. in xxiij½
Pauli Bisuntin. Ord. S. Aug. vi^c.
Claro-fonte, Ord. Cister. l.
Cornelio, Ord. Præmonstr. lxvj.
Caritate, Ord. Cister. cxx.
Bellævallis, Ord. Cister. c.
Petri de Luxolico, Ord. S. Bened. vi^c.
Vincentii, Ord. S. Bened. lij.
Balma, Ord. Cluniacen. v^c.
Unitus est Prioratus de Salvamento, val. cc. augetur tax. lxvj½
Mariæ Fontis-Benedicti, Ord. S. Aug. cc.
Roseriis, sive Roseriarum, Ord. Cister. xc.
Luciæ, Ord. S. Bened. lxij.
Montis S. Mariæ, Ord. Cister. ccl.
Cariloci, Ord. Cister. clxxvij.
Atteyo, sive Atteyo; Ord. Cister. cccxxxiij½
Fuit reductum ad ccxxxiij½ propter fructuum diminutionem.
Mariæ Sueneyo, Ord. S. Bened. cc.
Mariæ de Goillia, Ord. S. Aug. lxvj½

Biterren.
Unita fuit Ecclesia ruralis B. Mariæ de Adelano, & Capellanea S. Stephani eidem annex. val. xxiij. augetur tax. in flor. viij.
Villæ-magnæ, Ord. S. Bened. cccc.
Petri de Vinsellis, Ord. S. Bened. v^c.
Jacobi, Ord. Aug. cxx.

Bituricen. in Aquitania Metropolis.
Uniri mandatum fuit Ecclesia de Cabris vocatæ per cessum, vel decessum debet augeri tax. in eventum.
Sulpitii, Ord. S. Bened. cccc.
Petri de Urzione, Ord. S. Bened. cc.
Unita fuit infirmaria dicti Monasterii, val. xxiv. augetur tax. flor. viij.
Burgidolen. Ord. S. Bened. iiii^m.
Ambrosii Bituricen. Ord. S. Aug. clxxv.
Fontis-Comcaudi, Ord. S. Bened. cc.
Satyri, Ord. S. Aug. v^c.lxxv.
Mariæ de Exolduno, Ord. S. Bened. l.
Gildasii, Ord. S. Bened. cccl.
Varenis, Ord. Cister. lx.
Mariæ de Encheduno, Ord. S. Bened. c.
Mariæ de Cellis, Ord. S. Aug. cl
Casalis Benedicti, Ord. S. Bened. ccc.
Millebeco, Ord. S. Bened. cl.
Plenibenden. Ord. S. Aug. cvij.
Massajo, Ord. S. Bened. cxx.
Columna, Ord. Cister. mistum, & in diœc. Lemovien. lxx.
Genulfa, Ord. S. Bened. cc.
De Podii Serrandi, Ord. S. Aug. xxxiij½
Mariæ de Fonte Moriniaco, Ord. Cister. cc.
De nigro Lacu, aliàs de Verlaco. xxxiij½
Nicolai de Miserajo, Ord. S. Aug. cl.
Oliveto, Ord. Cister. cxx.
Mariæ de Laudesio, Ord. Cister. cc.
Domodei supra Carum, Ord. Cister. lxvj½
Mariæ de Albinaco, Ord. Cister. xxxiij½
Vernuccia, Ord. S. Aug. l.
Sigiranni in Brena, Ord. S. Bened, cl.
Prathea, Ord. Cister. vi^c.
Loco-Regio, Ord. Cister. lx.
De Barzella, Ord. Cister. lx.
Mariæ de Albis-petris, Ord. Cister. lx.
De Petris, Ord. Cister. lxiij½

Bobien. in Lombardia.
Columbani, Ord. S. Bened. cvj½

Bojanen. in Terra-laboris, Provincia Beneventan.
Mariæ Montis-viridis, Ord. S. Bnned. xl.

Bononien. in Provincia Ravennaren. facta Metropolis à Gregorio Papa XIII.
Pauli Bononien. Ord. S. Bened. cxxj.
Cæciliæ in Corna-nova, Ord. Vallis-Umbr. cxx.
Mariæ de Strata, Ord. Cister. cccc.
Proculi, Ord. S. Bened. cxxj.
Unita est Capella B. Mariæ extra muros Bononien. val. xxiiij. augetur tax. in flor. viij.
Naboris, & Felicis, Ord. S. Bened. c.

Uniri

Uniti mandatur Monasterio præfato Monasterium S. Luciæ de Rosseno; Ord. S. Bened. & Ecclesia sine cura, S. Fabiani de Vallelavini, valoris cc. augetur tax. in flor. lxvj⅓
Mariæ de Armato, Ord. Vallis-Umbrosæ. lx.
Michaëlis de Gauxancio, Ord. S. Bened.
Fabiani & Sebastiani. lxx.
Stephani & Bartholomæi, Ord. S. Bened. cxxxv.
Unitum fuit Hospitale de Quaderna, val. xxiiij. augetur tax. in flor. viij.
Luciæ de Rosseno, Ord. S. Bened. xxxiij⅓
Boretum. in Apulia, Provincia Regin.
Leonis extra muros, Ord. S. Bened. lxvj⅓
Boven. in Calabria Provincia Regin.
Mariæ de Cereto. xxxiij⅓
Bracharen. in Portugallia Metropolis.
Unita fuit Parochialis Ecclesia de Pondas, dictæ dioec. per Julium II. sub datum 7. Kal. Augusti, anno 5. augetur tax. flor. viij⅓
Mariæ de Pomberio, Ord. S. Bened. vii^{c}xxxiij⅓
Mariæ de Boiro, Ord. Cister. xliij⅓
Martini de Tibaces, Ord. S. Bened. l.
Unita fuit Parochialis Ecclesia loci de Villa-piniæ, Bracharen. dioec. cujus fructuum xxiv. per Bullam Julii II. sub datum 8. Kal. Maji 1509. augetur tax. in flor. viij⅓
Vallis-Paradisi, Ord. S. Bened. xxx.
Salvatoris de Fonte-artato, Ord. S. Bened. cc.
Salvatoris de Travanta, Ord. S. Bened. cc.
Michaëlis de Roseyos de Bosco, Ord. S. Bened. cccc.
Petri de Arnoia.
Mariæ de Carbonerio. xxxiij⅓
Unita est Parochialis Ecclesia B. Mariæ de Quintianes, val. xxij. augetur tax. in flor. vij⅓ per Bullam Sixti anno 6. sub datum 5. Kal. April.
Salvatoris de Castro Avellanarum. c.
Del Comar. lx.
Andreæ de Radulphe, Ord. S. Bened. ccc.
Unita fuit Parochialis Ecclesia S. Salvatoris de Prada, val. xx. augetur in flor. v.
Romeni de Leima. xxxiij⅓
Salvatoris de Palma. l.
Joannis de Anoya, Ord. S. Bened. xl.
Bremen. in Alemania Metropolis.
Mariæ de Roussevalle, Ord. S. Bened. c.
Briocen. in Britannia Provincia Turonen.
Belloportu, Ord. Præmon. c.
Mariæ de Lantenac, Ord. S. Bened. lxxx.
Albini de Bonays, aliàs de Bosco, sive in nemoribus, Ord. Cister. lxvj⅓
Britonorien. aliàs *Foropompilien.* in Romandiola. vide *Foropompilien.*
Dominici in Solio, Ord. S. Bened. xxxiij⅓
Rofilli, Ord. S. Bened. l.
Brixien. in Provincia Mediolanen.
Euphemiæ prope Brixiam, Ord. S. Bened. ccl.
Unitum fuit Hospitale S. Jacobi de Constendulo, val. xxvj. augetur flor. viij⅓
Item fuit unitus Prioratus S. Nazarii & Celsi, val. l. augetur tax. in flor. xvj⅓
Petri in Monte, Ord. S. Bened. cxxx.
Unita est Ecclesia Sanctæ Brigidæ, val. xiiij. augetur flor. iv⅓
Benedicti de Leone, Ord. ejusdem. vv^{c}lxvj⅓
Taxa præsentis Monasterii est aucta ad flor. 766. ⅓ de mandato DD. Cameræ.
Item fuit & rursus aucta taxa ad flor. xvj ⅓ per unionem certarum peciarum terræ pro annuo censu l. 3. ex eis percipiendorum. Ideò vc. de mandato D. Joannis de Viterbio, Clerici Cameræ, die 22. Octobris 1158.

Faustini & Jovitæ, Ord. S. Bened. cccc.
Unita fuit Capella S. Trinitatis, val. xij. augetur tax. flor. iv.
Aqua nigra, Ord. S. Bened. l.
Nicolai de Vergiano, Ord. Cluniac. cxxxiij⅓
Gervasii & Prothasii, Ord. Vallis-Umbrosæ. lxvj⅓
Brixien. in Alemania, Provincia Salzburgen.
Montis S. Georgii, Ord. S. Bened. cc.
Benedicti de Leno, Ord. S. Bened. l.
Joan. Baptistæ in Sramps, Ord. Cistercien. vi^{c}. ij.
unitæ sunt eidem Paroch. Ecclesiæ S. Petri in Silcz, S. Virgilii in Mays, in Moyngen, in Segnivvectach, in Lincherech, & in Leatshausten, Bonerinen. & Cudren. Trid. Constantien. & Augusten. dioec. val. omnium simul cccc. augetur tax. in flor. cxxxiij⅓
Brundinen. & Borstan. in Apulia.
Andreæ in Insula, Ord. S. Bened. cc.
Mariæ de Cruce, Ord. S. Basilii.
Fermellus, Ord. S. Basilii.
Burdegalen. in Aquitania Metropolis.
Crucis, Ord. S. Bened. v^{c}.
Mariæ Sylvæ majoris. viii^{c}.
Augetur taxa in flor. xxx. per unionem Prioratus S. Petri de S. Lupo, aliàs de S. Lupesio, eidem Monasterio factam.
Faya, sive Fayasia, Ord. Cister. cccc.
Petri de Insula in Medulco, Ord. S. Aug. clx.
Salvatoris de Blavia, Ord. S. Bened. cccc.
Petri de Bertolio, Ord. S. Aug. cv⅓.
Romani de Blavia, Ord. S. Aug. vi^{c}.
Bono loco, Ord. Cister. lvij⅓
Vincentii de Burgo, Ord. S. Aug. c.
Mariæ de Aquistris, Ord. S. Bened. lxvj⅓
Burgen. in Hispania.
Dominici de Silos, Ord. S. Bened. c.
Omen. Ord. S. Bened. clxvj⅓
Petri de Arlanca, Ord. S. Bened. lxxx.
Petri de Cardena, Ord. S. Bened. lx.
Unitus est Prioratus S. Balbinæ Palentin. dioec. val. c. augetur tax. in xxxiij⅓
Mariæ de Ovarenes, Ord. S. Bened. lx.
Unita sunt duo Eremitoria, val. xxiij. augetur tax. viij.
Mariæ de Aquilana, Ord. Cisterc. lx.
Mariæ de Rivosicco, Ord. Cisterc. xxxiij⅓

C

Caballicen. in Provincia Arelaten.
Sinaqua, Ord. Cisterc. ccc.
Cabilon. in Provincia Provinciæ, & Provincia Lugdun.
Petri Ord. S. Bened. ccc.
S. Philiberti Trenorchien. Ord. S. Bened. m.
Cistercii, Ord. Cistercien. ccc. xx.
Unitus est Prioratus de gratia B. Mariæ Trecon. dioec. val. xxiij.
Item unitum fuit Monasterium Canloci Bisuntin. dioec. auget. tax. in totum flor. clxxxv.
Trinitatis supra Gronam, Ord. Cistercien. ccccl.
Masseriis, Ord. Cisterc. ccc. xx.
Cæsaraugustan. Metropolis in Livonia.
Fidis, Ord. Cisterc. ccxliiij⅓
Unita fuit Parochialis Ecclesia de Villar de los Novartos cum ejus Coadjutoria, val. cxxx. augetur tax. in flor. xliij⅓
Mariæ de Rota, Ord. Cisterc. cccc.
Mariæ de Verola, Ord. Cisterc.
Calagurstan.
Mariæ Vallis Venariæ, Ord. S. Bened. c.
Ferraria, Ord. S. Bened. ccxxij.
Prudentii, Ord. S. Cister. lxx.
Mariæ Nagaran. Ord. Cluniac.

Emiliani, Ord. S. Bened. ccc. xxxiij ½

Calaritan. in Sardinia Metropolis.

Unita est Ecclesia Suellen. tax. ad flor. xxij ½ ideò augetur ead. tax. Calaritan.

Item unita fuit Ecclesia Galtelinen. tax. lxxx. quæ similiter augetur.

Item augetur tax. in flor. x. propter unionem Prioratus S. Saturnini val. xxx.

Calerinen.

Stephani de Marcisco, Ord. S. Bened. xxxiij ½

Callien. in Marchia Anconitan.

Unitum fuit Monasterium S. Mariæ Novæ propè Castrum Naye, val. lxxx. augetur tax. in flor. xxvj ½

Item augetur tax. in flor. lxxviij. propter unionem Montis S. Petri de Massa, Ord. S. Bened. ipsi Ecclesiæ factam.

Petri de Massa, Ord. S. Bened. lxx.

Unitum fuit Monasterium Monialium S. Margaritæ, val. xxiiij. augetur tax. in flor. viij.

Calvien. in Terra-laboris Provincia Capuan.

Unita est Ecclesia S. Julianæ extra muros Calven. val. xij. augetur tax. in flor. iiij.

Item unita fuit Præpositura loci S. Viraliani val. xx. augetur tax. in flor. vj ½

Petri de Massa, Ord. S. Bened. lx.

Cameracen. in Francia Provincia Rhemen.

Sepulchri Cameracen. Ord. S. Bened. ccxxxiij ½
Auberti Cameracen. Ord. S. Bened. ccccl xxx.
Andreæ de Castello, Ord. S. Bened. m ccl.
Gillerii in Cella, Ord. S. Bened. cl.
Lauderni de Crispino, Ord. S. Bened. ccclxxiij.
Loci S. Bernardi supra Scaldam, Ordin. Cistercien. viij c lxxx.
Vallis Fossinæ, Ord. S. Bened. ccc.
Petri Himorcurten. Ord. Bened. xxxiij ½
Dionysii in Brocheria, Ord. S. Bened. v c.
Mariæ de Camberone, Ord. Cister. vij c.
Valcellis, Ord. Cister. v cl.
Joannis Valentenen. Ord. S. Augustini. lxv ½
Petri Lobien. Ord. S. Bened. ccc.
Petri de Alto monte, Ord. S. Bened. ccx.
Salvatoris Eyamen. Ord. S. Bened. cl.
Cornelii de Crimine, Ord. Præmonstraten. ccl.
Humberti de Maricolis, Ord. S. Bened. c.
Lamberti Lessien. Ord. S. Bened. ccxxxiij.
Mariæ Torgerlen. Ord. Præmonstraten. mccc.
Hadriani Geraldimonten. Ord. S. Bened. ccc.
Petri Affliginen. Ord. S. Bened. ix c.
Michaelis Antwerpien. Ord. Præmonstraten. cc.
Petri Grimbergen. Ord. Præmonstraten.
Bernardi Cameracen.

Camerinen. in Marchia Anconitan.

Mariæ de Rambona, Ord. S. Bened. c.

Unitum est d. Monasterio Monasterium Sancti Eustachii, Ord. S. Bened. lx.

Unitus fuit d. Monasteriis Prioratus S. Trinitatis Montis Sanvicini val. xxiiij. augetur tax. in flor. viij.

Mariæ de Rotis, Ord. S. Bened. xl.
Claravallis, Ord. Cister. cvj ½
Vallis Fossonæ, Ord. S. Bened. l.
Laurentii de Dolio, Ord. S. Bened. liij.
Carpophori extra muros Camerinen. cxxv.
Helenæ, Ord. Camald. l.
Colbas, Ord. Cistercien. ccc.
Insula, Ord. S. Bened.
Romaldi de Vallocastro, Ord. S. Bened. lxxv ½

Uniti sunt dicto Monasterio Prioratus S. Urbani de Sennati val. l.

Item altare in Ecclesia S. Venantii val. xxiij.

S. Parentiani de Cortelio de Castro Genghe val. xx. augetur tax. xxxix ½

Item augetur tax. in flor. l. propter unionem Monasterii S. Helenæ ipsi Monasterio S. Romualdi factam.

Eremi S. Bened. Montisfani, Ord. Sylvestrin. Iviij.

Unitum est Monasterium S. Blasii de Crapulis, Ord. S. Bened. Nucerinen. diœc.

Mariæ & Blasii de Sarnano, Ordin. S. Benedicti. xxxiij ½

Crucis de Tripuria. c.

Benedicti in nemore & Mariæ novæ unita. lxxx.

Mariæ de Nivo Sacro, Ord. S. Bened. xxxiij ½

Mariæ Macularum de S. Genesio, Ord. S. Bened. xxxiij ½

Canadien. in Ungaria.

Unitum est Monasterium S. Gerardi, Ord. S. Benedicti val. l. augetur tax. in flor. xvj ½

Mariæ Virginis in Buutz, Ord. S. Bened. lxvj ½

Candidacasa in Scotia Provincia Glasguen.

Capella regia Sterlingen. fuit unita, ideo augetur tax. flor. lxxxiij ½

Item per Bullam Clem. VII. fuit unitum d. Eccl. & Capellæ Monasterium de Traunglandi Præmonstraten. Ordin. Candidæcasæ diœc. tax. l. quæ augetur Episcopatui.

Mariæ de Glenluck aliàs Vallis-Lucis Cistercien. Ord. lxvj ½

De Tounglandi, Ord. Præmonstrat. l.

De Dudrand. Ord. Cister. l.

Cantuarien. in Anglia Metropolis.

Augustini Cantuarien. mccc.

Caputaquen. in Terra-laboris Provincia Salernitan.

Mariæ de Cadosa, Ord. S. Bened. xxv.
Nicolai de Controno, Ord. S. Bened. xxxiij ½
Mariæ de Pastano, Ord. S. Bened. xl.
Mariæ de Centula, Ord. S. Bened. xlv.
Aquana, Ord. S. Bened.
S. Nicolai, Ord. S. Bened. xxxij ½
Laurentii de Scutta, Ord. S. Bened. xxxiij ½
Angeli de Fasanella, Ord. S. Bened. xl.
Cæciliæ Cotula, Ord. S. Bened.

Carhagen & *Clonen.* in Hibernia. } Unitæ.

Albo-tractu, Ord. Cistercien. lx.
Mariæ de antro S. Finabari, Ord. S. August. xl.
Mariæ de Albo-tractu, Ord. Cistercien. lxxxiij ½

Carnoten. in Francia Provincia Senonen.

Vindocinen. Ord. S. Bened. ij m.
Grandis Vallis, Ord. Præmonstraten.
Mariæ Magdalenæ de Castroduno, Ord. S. Benedicti. cc.
Mariæ Burgomedio, Ord. S. August. ccc.
Laumoniari Blesen. Ord. S. Bened. mv c.

Unitus fuit Prioratus de Campignaco, Ordin. S. Bened. val. lx. augetur xx.

Trinitatis de Tironio, Ord. S. Bened. v c.
Petri de Malpha veteri, Ord. S. Bened. cxx.
Mariæ de Clarofor..., Ord. S. August. c.
Mariæ de Josaphat, Ord. S. Bened. cc.
Mariæ de Columbis, Ord. S. Bened. viij c.

Unitum fuit Monasterium Monialium S. Gennæ val. xx. l. Turon. augetur tax. in flor. iij ½

Vincentii in nemore, Ord. S. August. xl.
Joannis in Valeya, Ord. S. August. cccc.

Unitus fuit Prioratus S. Stephani, val. v. l. augetur tax. in flor. j ½

Florentii Bonæ-vallis, Ord. S. Bened. vj c.

Unita fuit d. Monasterio Præpositura ipsius Monasterii, val. xx. augetur tax. in flor. vj ½

Mariæ de Altisis, Ord. S. Bened. cxxv.

Petri

Petri in Valle Carnoten. Ord. S. Bened. v^c.

Helemosio seu elæmosyna, Ord Cister. c.

Mariæ de Pontelio, Ord. S. Bened. ccc.

Unitus fuit Prioratus de Verguero, val. c. auger. tax. in flor. xxxiij⅓

Carauni prope Carstotum, Ord. S. August.

Casalen. in Provincia Mediolanen.

Uniri mandantur tot beneficia in dicta diœc. vacatura quæ ascendant ad summum cccc. ducatorũ.

Item Prioratus S. Viralis de Bosco Casalen. diœc. val. cc. vacaturus per cessum, vel decessum ipsius Prioris, augenda erit taxa in eventum in flor. cc. ß. per tax. ϑ. 333⅓ sub dat. 1614. prid. idus Januar. auget, tax. 333⅓

Casertan. in Terra-laboris Provincia Capuan.

Unitum fuit Monasterium, Ord. S. Augustini Ecclesiæ propinquum, eid. val. lx. augetur xx.

Petri de Pedemontis de Caserta, Ord. S. Bened. l.

Casren. in Sardinia Provincia Turritan.

Mariæ de Ardorello, Ord. Cisterc.

Aqua Formosa, Ord. Cisterc. xxxiiij⅓

Cassanen. in Calabria Provincia Regin.

Unitum est Monasterium de Cratereto val. xxiij. augetur tax. in flor. viij.

Cassanen. in Regno.

Mariæ de longo, Ord. S. Basilii. xl.

Cassellen. in Hibernia Metropolis.

Crucis de Woctarlauyn. xlij.

Cassinen. Monasterium, Ord. S. Bened. nullius diœc. ii^mcccc.

Unitum fuit Monasterium S. Annæ prope Draconis montem Callinen. diœc. val. cc. augetur tax. in flor. lxvj⅔

Castellan. in Venetiarum Patriarch.

Nicolai in litrore, Ord. S. Bened. cc.

Joannis in littore, Ord. S. Bened. cc.

Angeli de la Mole, Ord. S. Bened. xxxiij⅓

Angeli de Cedalis, Ord. S. Bened. cxxx.

Joannis de Marsano, Ord. S. Bened. l.

Benedicti de Scaloquio, Ord. S. Bened. xl.

Georgii Majoris Venetiarum, Ord. S. Bened. vij^c.

Bartholomæi de Venetiis unitus Patriarchatui Graden. ccc.

Joannis in Burgo sancti Sepulchri, Ord. Camal. lxxxiij.

Andreæ in Flumine & Sylvestri de Cirapro. lxvj.

Georgii Hilarii & Benedicti Venetiarum. cccxxx.

Castellan. & Ortan. unitæ in patrimonio Tusciæ.

Fallari, Ord. Cistercien. l.

Pontianum, Ord. S. Bened. cl.

Castren. in Albogesio.

Mariæ de Ardorello, Ord. Cisterc. xxxiij⅓

Castren. in Patrimonio.

Aqua Formosa. xxxiij⅓

Catallanen. in Francia Provincia Remen.

Memmii in Suburbio, Ord. S. Aug. $viij^c$.

Petri ad Montes, Ord. S. Bened. mccc.

Omnium Sanctorum in Insula, Ord. S. Aug. v^c. vj.

Martini de Orione, Ord. S. Bened. ccc. xxx.

Colocerii de Maurimonte, Ord. S. Bened. v^c.

Mariæ de Virtute, Ord. S. August. ccc.

Trium Fontium, Ord. Cisterc. lx.

Altis-Fontis, Ord. Cisterc. xxij.

Monasterii de Arpona, Ord. Cisterc. liij⅓

Urbani, Ord. S. Bened. m.

Salvatoris de Virento, Ord. S. Bened. ccc.

Dernen. aliàs Monster-ronder, Ord. S. Bened. ccc.

Morimonte, Ord. S. Bened.

Catanen. in Cilicia Provincia Montis-regalis.

Leonardi, Ord. S. Basilii, vide Achatıcen. cl.

Mariæ de Lithedia, Ord. S. Bened.

Mariæ de Fornero, Ord. S. Bened. cxxv.

Mariæ de Scalis, Ord. S. Bened. cxxv. }
Mariæ de Nova Luce, Ord. S Bened. cc. } invicem unitæ.

Mariæ de Lithedia, & Nicolai de Arenis.

Unita Calistus III. confirmavit ordinamenta Abbatum Mariæ de Scalis, Mariæ de Novaluce, Mariæ de Lithedia, & Nicolai de Arenis, ubi singulis annis vel trienniis mutantur Abbates, & solvuntur jura singulis decem annis.

Philippi de Arzilione, Ord. S. Bened. cl.

Catreven. in Dalmatia.

Georgii de Sculpo, Ord. S. Bened. xxxv.

Catharen. in Sclavonia.

Georgii Ordin. S. Bened. Mensæ Catharen. uniti lxvj⅔

Cathecen. in Calabria Provincia Regin.

Leonardi, Ord. S. Basilii. cl.

Beatæ Mariæ de Caorpani, Ord. S. Bened. lxvj⅔

Cathenen. in Scotia Provincia S. Andreæ.

Patrimone, Ord. S. Basilii. l.

Cavallicen.

Sinaqua, Ord. Cistercien. ccc.

Caturien. in Aquitania Provincia Bituricen.

Figiaci, Ord. S. Bened. m.

Unitur Monasterio præfato Prioratus dependens ab ipso, val. xxx. l. Turon. par. augetur tax. in flor. x.

Moyssiaci, Ord. Cluniacen. $iiij^m$.

Mandantur uniri tot beneficia vacatura quæ ascedant ad summum l. cc. augenda erit taxa in eventum unionis in flor. lxvj⅔

Martillaco, Ord. S. Bened. c.

Unitæ sunt dicto Monasterio Parochiales Ecclesiæ S. Martini de la Bebal, & S. Petri loci de Fraximento val. lxx. auger. tax. in flor. xxiij⅓ fuit confirmata dicta unio per D. Innocent. Pap. VIII. 1487. die 20. Martii, 1630.

Fuerunt similiter unitæ Parochiales Ecclesiæ de monte Salerio, & de Luvenia quæ dicuntur 100. in totum tax. ad flor. 156⅔

Garde Dei, Ord. Cistercien. v^c.

Marcelli, Ord. Cistercien. l.

Mariæ de Soulaco, Ord. S. Bened.

Mariæ de Abbatia nova, Ord. Cisterc. lxvj⅔

Ceneten. in Provincia Aquilegien.

Uniri mandantur Prioratus S. Ant. extra muros Castri de Coneglano. val. cxl. vacaturus per cessum, vel decessum debet augeri in flor. xlvj⅔

Mariæ Sanæ-vallis, aliàs Fossina, Ord. Cister. c.

Bonæ de Viridorio, Ord. S. Bened. cxx.

Busco, Ord. S. Bened. lx.

Petri de Colle, Ord. S. Bened. xxxiij⅓

Mariæ Matris Domini. c.

Cenomanen.

Bello Loco, Ord. S. August. cxij.

Mariæ de Pelicia, Ord. S. Bened. lxvj⅔

Mariæ de Ebronio, Ord. S. Bened. ccc.

Vincentii prope Cenoman. Ord. S. Bened. ccc.

Mariæ de Laolaio, Ord. S. Bened. ccl.

Carelesi, aliàs Carlussenti, Ord. S. Bened. ccl.

Georgii in nemore, Ord. S. Aug. lxvj.

Mariæ de Persenia, Ord. Cisterc. lxxiij⅓

Pietate Dei, Ord. Cistere. cc.

Mariæ de Claromonte, Ord. Cisterc. cclxvj⅔

Mariæ de Lespau, Ord. Cisterc. c.

Mariæ de Campania, Ord. Cisterc. lxxxiij⅓

Catharinæ de la-Valle, Ord. S. Aug. lxvj⅔

Uniti sunt Prioratus S. Nicolai de Portu Rougiardi, ac de Olivetro quorum singulorum

val. l. debet augeri tax. in flor. xxxiij ½
Petri de Cultura, Ord. S. Bened. ccc.
Mariæ de Vadacio. Ord. S. Aug. xxviij ½
Fontis Danielis, Ord. Cisterc. xlvj ½
Mariæ de Bellabrancha, Ord. Cisterc. cxxxiij ½
Cepten. aliàs *Septen.*
Joannis de Longonares, Ord. S. Aug. l.
Salvatoris de Torreone, Ord. S. Bened. lxvj.
Cerulan. in Campania.
Casæ-Marii, Ord. Cisterc. cccc.
Cesenaten. in Romandiola Provincia Ravennaten.
Aucta est taxa d. Ecclesiæ per unionem Monasterii S. Laurentii flor. l.
Mariæ in Monte, Ord. S. Bened. c.
Civitaten. in Hispania.
Mariæ de Caritate, Ord. Præmonstrat.
Civitaten. & Ampurien. in Regno, in Sardinia & Provincia Arboren. unitæ perpetuo per Julii II. sub datum Non. Junii anno 3.
Petri de terra majori, Ord. S. Bened. xxxiij ½
Ripæ Altæ, Ord. Cisterc. cccc.
Unitum fuit Monasterium Monialium S. Catherinæ, val. xx. augetur taxa in flor. vj ½
Fuit aucta taxa dicti Monasterii de l. ad cccc. die x. Octobr. 1519. patet in *lib. Cameræ* manu D. Julii de Narina.
Civitatis Castellan. & *Gotan.* } unitæ.
Andreæ in flumine, Ord. S. Bened. lxvj ½
Civitatis Castelli.
Salvatoris & Bartholomæi, Ord. Camald. lxvj ½
Angeli de Castro Zedaldi.
Joi, in Burgo S. Sepulchri, Ord. Camal. lxxxiij.
Scolacio, Ord. S. Bened. xl.
Joannis de Martinio, Ord. S. Bened. l.
Unita fuit Parochialis Ecclesia S. Martini de lavena, juxta lacum Perusinum, val. xxiij.
Item Ecclesia S. Mariæ Magdalenæ, & S. Crucis de Castilione Perusin. dioec. val. xviij. augetur tax. in flor. xiiij.
Claromonten. in Aquitania Provincia Bituricen.
Andreæ prope Claromon. Ord. Præmonstrat. c.
Illidii extra muros, Ord. S. Bened. c.
Unitus fuit Prioratus de Neboziaco, val. xxx. l. Turon. augetur tax. x.
Gilberti aliàs Novem-fontium, Ord. Cister. cl.
Vallis honestæ aliàs Ferrarien. Ord. Cisterc. cl.
Casæ Dei, Ord. S. Bened. iiim.
Unitus fuit Prioratus de Crasino, val. cl. l. Turon. vacaturus per cessum, vel decessum, debet augeri taxa in flor. l.
Item est unita jurisdictio census Hostelariæ dicti Monasterii, val. cx. debet augeri taxa in flor. xxxvj ½
Bella-aqua, Ord. Cistercien. cc.
Isidori aliàs Astremonii, Ord. S. Bened. cc.
Cantoyni, Ord. S. August. xxxiij ½
Unita est Parochialis Ecclesia Prioratus nuncupata de Lucria S. Flori, val. xxiij. augetur tax. in flor. viij.
Manziaci, Ord. Cluniacen. cc.
Montis Petrosi, Ord. Cistercien. ccl.
Magni loci, Ord. S. Bened. ccccxxj.
Menato, Ord. S. Bened. cc.
Amabilis de Rionio, Ord. S. Aug. cl.
Vallis Lucidæ aliàs de Boyrheto, Ord. Cisterc. c.
Ebrolio, Ord. S. Bened. ccc.
Unitus fuit Prioratus S. Leodegarii de Monte Firmino, val. c. l. Turon. augetur taxa in flor. xxxiij ½
Symphoriani, Ord. Cluniacen. c.

Tierno, Ord. Cluniac. c.
Aureliacen. Ord. S. Bened. iim.
Clonferten. in Hibernia Provincia Tuamen.
Unitum fuit Monasterium de Portu puro, augetur tax. in flor. xxxiij ½
Item est unita Parochialis Ecclesia de lo Chrayach. val. x. marc. Hirlinc. augetur tax. in flor. viij ½
Mariæ de Portupuro, Ord. S. Aug. xxxiij ½
Mariæ de Vianova, Ord. S. Aug. xxxiij ½
Clugien. in Provincia Graden.
Unitum fuit hospitale S. Petri Prioratus nuncupatum valor. c. augetur taxa in flor. xxxiij ½
Georgii de Fossan. Ord. S. Bened.
Trinitatis de Brandulo, Ord. Cister. cl.
Clusin. in Tuscia.
Unita fuit d. Ecclesiæ Præpositura S. Mastiolæ, val. cl. augetur tax. in flor. l.
Benedicti de Morano, Ord. Camal.
Anthimi, Ord. S. Guillelmi. l.
Facta fuit dicto Monasterio quædam unio val. xvj. augetur tax. in flor. iiij.
Salvatoris de Monte armato, Ord. Cister. c.
Trinitatis de Spineto. lxvj ½
Colocen. in Ungaria Metropolis.
Georgii de Bombo, Ord. S. Bened. cl.
Colonien. in Alemania Metropolis.
Sibergen. Ord. S. Bened. cclxx.
Martini Colonien. Ord. S. Bened. cl.
Unita fuit Parochialis Ecclesia S. Brigidæ Colonien. val. xvj. marc. argenti, augetur tax. in flor. xxvj. ½
Stabulen. Malmodarien. cxl.
Nicolai Bucuvilien. Ord. S. Bened. cl.
Triticen. Ord. S. Bened. cxv ½
Unita fuit Parochialis Ecclesia in Dorne, val. iv. marcarum argenti.
Item Parochialis Ecclesia in Tincio, val. etiam iv. marc. argenti, augetur tax. in flor. viij ½
Villegauden. Ord. Cisterc.
Bruvvelleren. Ord. S. Bened. cc.
Pantaleonis intra muros Colonien. Ord. S. Bened. cc.
Petri Malmodarien. cum Monasterio Lemacht Leodien. unitum. cccc.
Columbrien. in Portugallia, Provincia Bracharen.
Pauli Columbrien. Ord. Cister. liij.
Crucis Columbrien. Ord. S. Aug. iim.
Cesia, Ord. Cister. lxvj ½
Georgii, Ord. S. Aug. cujus fructus duc. 800.
Comaclen. in Provincia Ravennaten.
Mariæ de Pompatia, Ord. S. Bened. mcc.
Compostellan. in Regno Castello Metropolis.
Mariæ Dazabeyro, Ord. Cisterc. xliij ½
Mariæ Dazynero, Ord. S. Bened. xl.
Mariæ de cicivia, Ord. S. Bened. l.
Mariæ de Armenteyra, Ord. Cisterc. c.
Mariæ de Montfeyro, Ord. Cister. lxiij ½
Martini extra muros Compostellan. c.
Jacobi de Mensa, Ord. S. Bened. xlvj ½
Juliani. xxxiij ½
Joannis de Peyo, Ord. S. Bened. lxvj ½
Unitum fuit Monasterium S. Jacobi de Armelo, val. l. augetur tax. in flor. xvj ½
Salvatoris de Burgundo, Ord. S. Bened. xxxiij ½
Salvatoris de Cippis. lxxxiij ½
Augetur taxa dicti Monasterii in flor. xxxiij ½ propter incorporationem certorum beneficiorum factam.
Pelagii Compostellan. cxiij ½
Pelagii de ante altaria. cxl.

Justi

Justi de Nasontes. Ord. Cister. } unita. cxxxvj⅓
Mariæ de Superado, Ord. Cisterc. }
Unita fuit Parochialis Ecclesia S. Martini de Libro, Auriend. diœc. val. xl. l. Turon.
Item unita est Ecclesia S. Eulaliæ de la Venga, Autien. diœc. val c. l. Turon. augetur tax. in flor. xlvj⅔
Salvatoris de Leres, Ord. S. Bened. xl.
Conchen. in Hispania.
Montis salutis, Ord. Cisterc. lxvj⅔
Concordien. in Provincia Aquilegien.
Mariæ de Sexto, Ord. S. Bened. cclx.
Mariæ Summaquen. Ord. S. Bened. c.
Mariæ de Sinago, Ord. S. Bened. c.
Consan. in Apulia Metropolis.
Mariæ de Ilice, Ord. S. Bened. l.
Mariæ de Monte.
Conseranen. in Vasconia, Provincia Auxitan.
Cambe-longe, Ord. Præmon. ccccl x.
Constantien. in Alemania, Provincia Maguntin.
Georgii in Asperbach de Nigra sylva, Ord. S. Ben. cxxxiij⅓
Georgii de Petridomo, extra muros Constan. clxviij.
Georgii in Fossan. Ord. S. Bened. clvj⅓
Galli, Ord. S. Bened. cccc.
Maris stella, aliàs Betingen. Ord. Cisterc. cc.
Mariæ loci Heremitarum, Ord. S. Aug. cccxxxiij⅓
Salem, Ord. Cisterc. mvi^{c}l.
Campidonen. cccl.
Blasii nigræ Sylvæ, Ord. S. Bened. ccc.
Mariæ, & Marci, Ord. S. Bened. cc.
Constantien. in Francia, Provincia Rothomagen.
Severi, de S. Severo, Ord. S. Bened. v^{c}.
Mariæ de Roto, Ord. S. Aug. vi^{c}.
Cella S. Petri. l.
Salvatoris Vicecomitis, Ord. S. Bened. ccl.
Trinitaris de Exaquio, Ord. S. Bened. vi^{c}.
Laudi, de S. Laudo, Ord. S. Aug. ccc.
Montis-Burgi, Ord. S. Bened. vi^{c}.
Mariæ de Ambleya, Ord. S. Bened. lxxij⅓
Nicolai de Blanearda, Ord. Præmon. cc.
Insuria. c.
Conuvarnm, in Vasconia, Provincia Auxitan.
Benedictionis Dei, Ord. Cisterc. v^{c}.
Boni-fontis, Ord. Cisterc. m.
Corisopiten.
Mariæ de Doulas, Ord. S. Aug. lxxx.
Guigilan de Landevenec, Ord. S. Bened. cxx.
Mariæ de Langonet, Ord. Cisterc. lxvj⅔
Crucis Rempelle, Ord. S. Bened. clxxv.
Vingolar, Ord. S. Bened. cxx.
Mariæ Quoermalum, Ord. Cisterc. c.
Bonæ-aquæ, Ord. Cisterc. lxvj⅔
Mauritii, Ord. Cisterc.
Cortonen. in Tuscia.
Unitum fuit Monasterium Farneti, Ord. S. Ben. val. cc. augetur tax. in flor. lxvj⅔
Item unitus fuit Prioratus S. Ægidii de Farneto, val. xxiv. augetur tax. in flor. vij.
Ferneti, Ord. S. Bened. lxvj⅓
Cracovien. in Polonia, Provincia Guelnen.
Tericien. Ord. S. Bened. cclxvj⅔
Est sortita effectum. { Uniri mandat. Parochialis Ecclesia S. Nicolai extra muros Cracovien. val. xij. marc. argenti, debet augeri tax. in flor. xx.
Item unita est Parochialis Ecclesia in Zuucon, dictæ diœc. val. xvij. marc. augetur taxa in flor. xxviij⅓
Mariæ de Farneto, Ord. S. Bened. cxxv.

Montis-Calvi, Ord. S. Bened. clxvj⅔
Unitæ sunt Parochiales Ecclesiæ in Coreinlothi, & in Sulp. Cracovien. diœc. val. xxiv. marc. argenti, augetur tax. in flor. xl.
Crassen.
Unita fuit Præpositura de Pediliano, Ebicen. diœc. val. ccl. augetur tax. in flor. lxxxiij⅓
Montis Olivi, Ord. S. Bened. m.
Hilarii, Ord. S. Bened. ccccl.
Villæ-longæ, Ord. Cisterc. ccc.
Cremonen. in Lombardia, Provincia Mediolanen.
Joannis in deserto, Ord. S. Bened. lxvj⅔
Unita est Præpositura S. Mariæ de Monticellis, val. clxxx. augetur tax. in flor. lx.
Laurentii prope Cremonam, Ord. Sancti Bened. vi^{c}lxxv.
Mariæ de la Gerunda, Ord. S. Bened. l.
Sigismundi, Ord. Vallis-Umbrosæ. xxxiij⅓
Thomæ de Cremona, Ord. S. Bened. lxx.
Unitus est Prioratus de Galla, val. l. augetur in flor. xvj⅔
Omnium Sanctorum extra muros Cremonen. l.
Mariæ Magdalenæ in Cana. cl.
Unita est Parochialis Ecclesia S. Archelai de Castingensi, val. v. augetur j⅔
Cuman. in Provincia Aquilegien.
Juliani prope muros Cuman. Ord. S. Bened. lxvij.
Mariæ de Olivero, aliàs de Aqua-frigida, Ordinis Cistercien. xxxv.
Abundi extra muros Cuman. Ord. S. Bened. cx.
Carpofori. cxxv.
Mariæ de Aqua-frigida, & Bened. unita. cxcv.
Curien. in Alemania, Provincia Maguntin.
Vallis-beligni Ligagrisa, Ord. S. Bened. cxxxiij⅓
Unitæ sunt Parochiales Ecclesiæ S. Joannis Baptistæ in Stamps, S. Mariæ in Burgels, & S. Vigilii in Tiverchs, Curien. diœc. quorum in simul val. xxij. marc. argenti, augetur tax. in flor. xxxvj⅔
Cusentin. in Calabria Metropolis.
Mariæ de Josaphat prope Iherlem, Ord. S. Bened. c.
Joannis de Flore, Ord. Floren. lxxxiij⅓

D.

Deturfen. in Cathalonia, Provincia Tarraconen.
Bonifessano, Ord. Cisterc. cxx.
Dolen. in Provincia Turonen.
Jacuti Dolen. Ord. S. Bened. cc.
Troncheto, Ord. S. Bened. lviij.
Mariæ de Villaveteri, Ord. Cisterc. clxvj⅔
Drivasten.
Joannis de Stivalio, Ord. S. Bened. lxvj⅔
Dublinen. in Hibernia Metropolis.
Thomæ Martyris, Ord. S. Aug. ccl.
Dulcinen. in Provincia Antibaren.
Nicolai de Arino, Ord. S. Bened.
Dumblanen. in Scotia, Provincia S. Andreæ.
Insulæ Missarum, Ord. S. Aug. c.
Mariæ de Culros, Ord. Cisterc.
Dunkelden. in Scotia, Provincia S. Andreæ.
Insulæ S. Columbæ, Ord. S. Aug. lxxxiij⅓
Durachien. in Sclavonia Metropolis.
Mariæ de Bermæ. xxxiij⅓

E.

Eboracen. in Anglia Metropolis.
Mariæ extra muros. lxiij⅓
Unita fuit Parochialis Ecclesia Homser, valor. xxx. augetur tax. in flor. x.
Item Parochialis Ecclesia de Corneton, val..... debet augeri.
Ebroicen. in provincia Rothomagen.
Taurini, Ord. S. Bened. mcxliv.
Crucis

Crucis S. Leufedi, Ord. S. Bened. ccl.
Mariæ de Lira, Ord. S. Bened. ccc.
Boni Portus, Ord. Cifter. m.
Petri de Conchis, aliàs de Caftilion, Ord. S. Benedicti. v^c.
Mariæ de Valle, Ord. S. Bened. lx.
Mariæ de Nova, Ord. S. Bened. ccx.

Ebrudunen. in Provincia Provinciæ Metropolis.
Boftuadunen. Ord. S. Bened. cel.
Unitus fuit Prioratus de Solone, val. cxx. l. Turonen. augetur tax. in flor. xxxvj½
Item eft unitus Prioratus S. Michaëlis de Culta, val. cl. augetur tax. in flor. l.

Eduen. in Provincia Lugdunen.
Martini Eduen. Ord. S. Bened. ccc.
Virgiliacen. Ord. S. Béned. mv^c.
Petri de Flavignero, Ord. S. Bened. m.
Fontaneto, Ord. Cifter. cc.
Leonardi Corbiniacen. cccc.
Cora, Ord. S. Bened. ccl.
Mariæ de Ognicio, Ord. S. Aug. liij½
De Buxeria, Ord. Cifter. cxxxiij½
Sancti loci, aliàs feptem Fontium, Ord. Cifter. cc.

Electen. in Gotia, Provincia Narbonen.
Jocunden. Ord. S. Bened. ccxxv.

Elfinen. in Hybernia, Provincia Tuamen.
Codre, Ord. Præmon.
Mariæ de Buelio, Ord. Cifterc. lxvj⅔

Elnen. in Catalonia, Provincia Narbonen.
Genefii de Fonranis, Ord. S. Bened. cc.
Martini de Cavigone, Ord. S. Bened. c.
Unitum fuit Monafterium S. Michaëlis de Cuxano, taxatum cc. taxa Monafterii S. Martini, augetur in flor. x.
Arularum, Ord. S. Bened. cccc.
Andreæ de Sureta, Ord. S. Bened. c.
Clanana, aliàs de Jav.
Mariæ de Regali, Ord. S. Aug. cccc.
Cuxano, Ord. S. Bened. cc.
Vallis de bona, Ord. S. Aug. l.

Engolifmen.
Amantii, Ord. S. Bened. clxx.
Unita eft Sacriftia dicti Monafterii, val. xx. & Prioratus de Capella S. Macherii, val. x. l. Turon. augetur tax. in flor. x.
Cella Foini, Ord. S. Aug.
Corona, Ord. S. Aug. xxxiij½
Unitus fuit Prioratus de Lampinione, valor. xxiv. augetur tax. in flor. viij.
Item Prioratus B. Mariæ de Fonte albo, valor. c. augetur tax. in flor. xxxiij½
Epartii Ord. S. Bened. v^c.
Mariæ de Bemero, Ord. S. Bened. ccc.
Mariæ de Corona, Ord. S. Bened. cxxxiiij½
Unitus fuit Prioratus de Molella, val. xl. augetur tax. in flor. xiij½
Mariæ de Groffobofco, Ord. Cifter. c.

Efculan. in Marchia Anconitan.
Mariæ de Monte Sancto, Ord. S. Bened. lxvj⅔

Efin. in Marchia Anconitan.
Unita eft Ecclefia S. Michaëlis Efin. diœc. val. vj. augetur ij.
Item unitum fuit Monafterium S. Savini, tax. ad xxxiij½
Item Prioratus S. Benedicti de Frondolofis, val. xx. augetur tax. Ecclefiæ Efin. in flor. xl.
Savini prope Firmum, Ord. S. Ben. xxxiij½

Eugubin. in Ducatu Spoletan.
Unita eft Ecclefia S. Erafmi, val. c. augetur tax. in flor. xxxiij½
Item unitum eft Monafterium B. Mariæ Dalfiolo, tax. cc.

Petri de Eugubio, Ord. S. Bened. clx.
Bartholomæi & Donati, Ord. S. Bened. l.
Benedicti de Eugubio, Ord. S. Bened. cc.
Unita fuit Ecclefia S. Anaftafiæ de Glafterna, val. xij. augetur tax. flor. iv.
Verecundi, Ord. S. Bened. xlviij.
Angeli de Cefterna, Ord. S. Bened. lx.
Fontis-avellanæ, Ord. S. Bened. m.
Bartholomæi de Campugio, Ord. S. Bened. cc.
Emiliani, Ord. S. Bened. lx.
Mariæ de Alviolo, Ord. S. Bened.
Unitum fuit dictum Monafterium menfæ Epifcopali Eugubin. augetur tax. Ecclefiæ in flor. cc.
Bartholomæi de Petrolio, Ord. S. Bened. l.
Pulpiano de Petrono, Ord. S. Bened. c.
Benedicti de Monte-polio, Ord. S. Bened. l.

Eyftetten. in Alemania prope Maguntin.
Mariæ in Aufen, Ord. S. Bened. clxvj⅔
Montis falutis, Ord. Cifter. cccxxxiij.
Unita fui Parochialis Ecclefia S. Ægidii, Oppidi Mirkendorff, val. v. marc. argenti, auget. tax. Monafterii in flor. viij½

F.

Falefian.
Joannis prope Falefiam, Ord. Præmon. ccc.

Fanen. in Marchia Anconitan.
Unitum fuit Monafterium Paterniani, augeatur taxa in flor. cxx.
Paterniani, Ord. S. Bened. cxx.
Laurentii de Campo, Ord. S. Bened. c.

Faren. in Slavonia, Provincia Spalatren.
Nicolai Inftilate. xxxiii½

Faventin. in Romandiola, Prov. Ravenn.
Hippolyti, Ord. Camal. xl.
Benedicti de Alpibus, Ord. Vallis-Umbrofæ. xxx.
Reparatæ, Ord. Vallis-Umbr. xxxv.
Joannis in Cicareta, Ord. S. Bened. c.
Paterniani, Ord. S. Bened. c.
Mariæ de Crifpino, Ordinis Vallis-Umbrofæ. xxxiij½
Petri de Mufceto, Ord. Vallis-Umbr. lv.
Mariæ extra muros, Ord. S. Bened. lxiij.

Feltren. in Provincia Aquilegien. ix^c.
Unita funt Monafteria S. Bonæ de Vidorio, tax. cxx. S. Euftachii de Nervefia, & S. Mariæ de Fulina, Cifterc. & S. Bened. Ceneten. & Tarvifin. in flor.

Feretran. in Romandiola exempta.
Unita funt Monafteria S. Salvatoris, & S. Andreæ Demodavio, val. xxxvj.
Unita eft unitum Monafterium S. Anaftafii de Valle, val. lxxx. augetur tax. in flor. xxxviij½

Ferrarien. in Prov. Mediolan.
Bartholomæi, Ord. Cifter. vi^clxvj⅔
Marci Ferrarien. Ord. S. Bened. cxxxiij½

Fefulan. in diftrictu Urbis in Tufcia.
Vallis-Umbrofæ. ii^m
Unitum fuit Monafterium de Monte-viridi, Vulterranen. diœc. tax. l.
Michaëlis de Paffignano, Ord. Vallis-Umbrofæ. cccxxxiij½
Fefulis, Ord. S. Bened. cxxx.
Mariæ de Tagliafine, Ordinis Vallis-Umbrofæ. xxxiij½
Laurentii de cultu bono, Ordinis Vallis-Umbrofæ. cxxx.
Gaudentii de Pede-alpibus, Ord. S. Bened. xlvi½
Caffiani de monte Scolario, Ord. Vallis-Umb. lxxx.
Bartholomæi, Ord. S. Bened. c.

Finaboren.

Mariæ

Mariæ de Petrafertili, Ord. Cisterc. xxx.
Firman. in Marchia Anconitan. viᶜ.
Mariæ da Monte Coriolano, Ordinis S. Benedicti. xxxiij ⅓
Angeli prope Firmum, Ord. S. Bened. xxxiij ⅓
Savini prope Firmum, Ord. S. Bened. xxxiij ⅓
Firmiani de Ponteria, Ord. S. Bened. xl.
Bartholomæi de Campofullono. xxxiij ⅓
Vitalis & Ruffini, Ord. S. Bened. xxxiij ⅓
Florentin. in Tuscia Metropolis.
Unitum fuit Monasterium S. Fidelis de Pupino, Aretin. diœc. tax. lv. augetur taxa Ecclesiæ Florentin. in duc. lv.
Mariæ de Florentia, Ord. S. Bened. viᶜ.
Unitum fuit Monasterium B. Mariæ de Campora, tax. flol. xl.
Item Monasterium Monialium S. Martini, val. cxxx. augetur tax. xliij ⅓
Miniatis ad montem, Ord. S. Bened. c.
Salvatoris, Ord. Camald. cl.
Pauli de Rezuolo. lxvj ⅔
Bartholomæi de Ripolis, Ord. Vallis-Umbrosæ. lxvj ⅔
Michaelis de Maturnia, Ord. S. Bened. lxvj ⅔
Trinitatis, Ord. Vallis-Umbr. l.
Pancratii, Ord. Vallis-Umbr. lx.
Bartholomæi de bono solatio, Ord. Cisterc. lx.
Unitum est infrascriptum Monasterium S. Salvatoris, augetur flor. viᶜ.
Salvatoris de Septimo, Ord. Cister. viᶜ.
Unitum est Monasterium S. Bartholomæi de Bono solatio, angetur tax. in flor. lx.
Item unitum fuit Monasterium S. Bartholomæi de Strara, Fesulan. diœc. tax. c.
Felicis in Piazza, Ord. Camal. xxxiij ⅓
Petri de Musceto, Ord. Vallis-Umbr. lx.
Salvii prope Florentiam, Ord. Vall. Umbr. cc.
Unitus fuit Prioratus S. Georgii de Florentia, val. ccl.
Item Prioratus S. Marci de Caprilia, Fesulan. diœc. val. cc. augetur tax. in flor. cl.
Item augetur tax. in flor. lxxx. propter unionem Monasterii S. Michaëlis de Ferculis, Pistorien. diœc.
Andreæ de Candetulis, Ord. Camel. xxxiij ⅓
Forojulien. in Provincia Provinciæ; & Prov. Aquen.
Floregia, aliàs de Toraneto, Ord. Cisterc. cccc.
Foroliuien. in Romandiola, Provincia Raven.
Mariæ de Flumana, Ord. Vall. Umbr. xxxiij ⅓
Andreæ de Donatula, Ord. S. Bened. l.
Unita fuit Capella B. Mariæ de Donatula, val. viij. augetur tax. in flor. ij ⅓
Mercurialis, Ord. Vall. Umbr. l.
Unita fuit Parochialis Ecclesia S. Martini de Strata, val. xxiv.
Item Monasterium S. Joannis Evangelistæ, val. xxiv. augetur tax. in flor. xvj.
Foropompilien. aliàs *Bertonorien.* in Prov. Ravennat.
Mariæ de Aurano, Ord. Camal. cxxxij ⅓
Rophili, Ord. S. Bened. l.
Mariæ de Insula, Ord. Camal. xxxiij ⅓
Domini de Rocca S. Cassiani, Ord. Sancti Bened. xxxiij ⅓
Unitus fuit Prioratus S. Mariæ de Eremo, val. xxiv. augetur tax. in flor. viij.
Forosempronien. in Marchia Anconitan.
Mariæ de la Sierta, Ord. S. Bened. xxxiij ⅓
Christophori de Funiculis.
Frisingen. in Alemania Provincia Salzburgen.
In Ebrusberg, Ord. S. Bened. cc.
Unita est quædam Parochialis Ecclesia, val. ij. flor.
In Furstenfelt, Ord. Cister.
Unita est Capellania S. Leonardi posita infra limites Parochialis Ecclesiæ S. Petri in Elebach. Augustin. diœc. val. iv. marc. augetur tax. in flor. vj ⅔
Fuliginaten. in Ducatu Spoletan. c.
Crucis Saxivivi, Ord. S. Bened. ccl.
Fuit separata mensa Abbatialis à Conventuali.

G.

Gajetan. in Campania & Maritima.
Theodori Gajetan. Ord. S. Bened. } unita. lxxv.
Angeli de Palemphano, Ord. S. Ben. } l.
Unitus fuit Prioratus S. Petri de Scauli, val. xx. augetur tax. in flor. vj ⅔
Spiritus de Somneno, Ord. Cisterc. l.
Mariæ de Ponserto, Ord. Cister. xliij ⅓
Martini de Aqua-munda, Ord. S. Bened. xxxiij ⅓
Mariæ de Insula Portiana, Ord. Cisterc.
Erasmi de Castilionovo, Ord. S. Bened. c.
Trinitatis Gajetanæ. l.
Martini de Castroforte, Ord. S. Bened. lxvj ⅔
Erasmi, Ord. S. Bened. l.
Galgien.
Kisuuynyn, Ord. S. Bened. ccxxx.
Gallipolitan. in Apulia Provincia Idrontin.
Mauri, Ord. S. Basilii. xxxiij ⅓
Gayermen.
Theodorici, Ord. Sancti Bened. lxxv.
Gebennen. in Provincia Viennen.
Mariæ de Alpibus, Ord Cister. vᶜ.
Mariæ de Abundantia, Ord. S. Aug. ccc.
Mariæ inter Montes, Ord. S. Aug. cxxxiij ⅓
Bonimontis, Ord. Cisterc. ccxx.
Filiaci, Ord. S. Aug. vᶜ.
Altecombe, Ord. Cister. vᶜ.xxxiij ⅓
Sitz, Ord. Cisterc. ccc.
Christiaci, Ord. Cisterc. ccl.
Geropolitan.
Mauri Sobirani, Ord. S. Bened. xxxiij ⅓
Nicolai de Perguletis, Ord. S. Ben.
Mariæ de Balneo, Ord. S. Basil.
Gerunden. in Catalonia Provincia Tarraconen.
Vallis Urti de Petra Pertusio, Ord. S. Bened. xliij.
Geruntinen. in Calabria Provincia Severin.
Petri de Calovelis.
Gracen. in Calabria Provincia Regin.
Philippi Argironis, Ordinis S. Basil. xxxiij ⅓
Nicodemis, Ord. S. Basilii. xl.
Nicomedis de Celeramis, aliàs de Mancola, Ord. S. Basilii. xxxiij ⅓
Mariæ de Popsi, Ord. S. Bened. xl.
Glasquen. in Scotia Provincia S. Andreæ.
Passeleto, Ord. Cluniacen. viᶜ.
Sacri nemoris, Ord. Præmon. lxvj ⅔
Mariæ de Idroch. xlj ⅓
Seuuoer, Ord. S. Aug. lxvj ⅔
Melros, Ord. Cister. m.ixᶜlxxx.
Grassen. in Provincia Provinciæ.
Unitus est Prioratus S. Triphonicastri de Opia val. xxiiij.
Item unitæ sunt rurales Ecclesiæ S. Mariæ Magdalenæ, & S. Trinitatis de Garda, val. xxiij.
Item S. Laurentii, & S. Trinitatis de Claromonte, & B. Mariæ de Boreto, val. xxiij. l. Turon. parvorum, augetur taxa in florenis xiiij.
Honorati Lurinen. Ord. S. Bened. c.
Grosseran.
Vvilermi, Ord. S. Vvillini. cix.
Pancratii de Fango, dicti Ord. l.
Laurentii de Andesta, Ord. S. Bened. xxxiij ⅓

Gueznen. in Polonia Metropolis.
Lauden, Ord. Cisterc. viij^{c}.
Unita est Parochialis Ecclesia de Gozefcelo Vvlatislavienf. diœc. val. x. marc. argenti augetur tax. in flor. xvj⅓
Ægidii Cledavien. Ord. S. Aug. xl.
Heldesemen. in Alemania Provincia Maguntin.
Inclusa prope Gandersem, Ord. S. Bened. cxxxiij⅓
Unita est Parochialis Ecclesia, S. Laurentii in Moridunen. val. iiij. marc. argenti puri, augetur tax. in flor. viij.
In Mamenrade, Ord. Cisterc. lxvj⅔
Herbipolen. in Alemania Provincia Maguntin.
Ebracen. Ord. Cisterc. viii^{c}.
Fuldenf. Ord. Sancti Bened. ccc.
Unita est Parochialis Ecclesia S. Basilii Oppidi, Fulden. val. x. marc. argenti puri, augetur tax. in flor. xx.
In Zhenis, Ord. S. Bened. c.
Nomonstat, aliàs Novæ Civitatis, Ordin. Sancti Bened. c.
Nicolai in Gambert, Ord. S. Bened. cxx.
Aucta est tax. in flor. lxxx. propter unionem Parochialis Ecclesiæ Sanctæ Crucis, & certæ Capellæ eidem Monasterio factam.
Insulter, Ord. S. Bened. cxl.
In Ambembart, Ord. S. Bened. cc.
Buthardi extra muros, Ord. S. Bened. ccc.
In Brunbach, Ord. Cisterc. c.
Petri in Muchavurach, Ord. S. Bened.
Unita est Parochialis Ecclesia in Einfzkirchen, valor. xvj. marc. argenti, augetur tax. in flor. xxvj⅔
Humanas, & Anconitan. unitæ in Marchia Anchonitan.
Petri de Monte Corono, Ord. sancti Benedicti. xxxiij⅓

I.

Iadren. in Sclavonia Metropolis.
Cosmæ & Damiani, Ord. S. Bened. xxxiij⅓
Chrysogoni, Ord. S. Bened. ccc.
Januen. in Tuscia Liguria Metropolis. m.
Mariæ de Pervallo, Ord. Cisterc. xxxiij⅔
Andreæ Januen. Ord. S. Bened. c.
Stephani Junuen. Ord. S. Bened. cxl.
Mariæ de Jubino, Ord. Cisterc. lxviij.
Bartholomæi de Fossato, Ord. Vallis-Umbrosæ. lxvj⅔
Benigni de Capite Ferri. cxxxiij⅔
Unitum fuit Monasterium B. Mariæ de Cella. val. c. augetur tax. in flor. xxxiij⅓
Fructuosi de capite montis, Ordin. Sanct. Bened. clxvj⅔
Siri de Janua, Ord. S. Bened. ce.
Andreæ de Sexto, Ord. Cisterc. c.
Andreæ de Brosono, Ord. S. Bened. lxvj⅓
Venerii de Tito, Ord. S. Bened. xxxiij⅓
Unita fuit Ecclesia B. Mariæ de Planis de Bisauno, val. xxviij. augetur tax. in flor. viij⅓
Antonii Januan. Ord. S. Bened. xliii⅓
Hieronymi de Cervaria, Ord. S. Bened. xxxiij⅓
Unitum est Monasterium S. Benigni de Capite Ferri supradictum, & debent solvi jura singulis xx. annis augetur flor. clxvj⅓
Item fuit unitum oratorium S. Laurentii, & B. Mariæ Magdalenæ loci de Abrenzo Lunen. diœc. val. xxv. augetur in flor. viij⅓
Jaurien. in Hungaria Provincia Strigonien.
Martini de monte Panoniæ, Ord. S. Bened. ccl.
Idrontin. in Apulia Metropolis.
Nicolai de Casulis, Ord. S. Blasii.
Nericone, Ord. S. Blasii. lx.
Jerosolymitan. ultra Mare, Patriarch.
Mariæ in Monte Josaphat prope Iherlem. c.
Ilerden. in Cathaloniæ Provincia Tarracon.
Mariæ de Scarpo, Ord. Cister. la.
Michaëlis Ilerden. Ord. S. Bened. lx.
Victoriani, Ord. S. Bened. cccc.
Mariæ de Nayg, Ord. Cister. xxxiij⅓
Imolen. in Romandiola Provincia Ravennaten.
Mariæ Imolen. Ord. S. Bened. l.
Matthæi Imolen. Ord. S. Bened. xxxiij⅓
Unita fuit Ecclesia S. Mariæ Magdalenæ de Rivo Cæsariæ, val. x. augetur tax. in flor. iii⅓
Petri de Lardechio, Ord. S. Bened. l.
Ispalen. in Portugallia Metropolis.
Isidori, Ord. Cisterc. lx.
Iporigien. in Lombardia Provincia Mediolan.
Benigni Fructuarien. Ord. S. Bened. m.

K.

Karbonen.
Mariæ de Sappa, Ord. Præmon. c.

L.

Laonen. in Hibernia Provincia Casselen.
De Forgio, aliàs de Clar, Ord. S. Aug. l.
Laonen. vel *Larinen.*
Mariæ de Imsgad, Ord. S. Aug. xxxiii⅔
Lascurren. in Vasconia Provincia Auxitan.
Petri de Regula, Ord. S. Ben. cxxxiij⅓
Sannalate aliàs Sylva-lata, Ord. Cister. cujus fruct. cc. tax. lxvj⅔
Lauden. in Provincia Mediolanen.
Stephani de Cornu. c.
Petri de Laude veteri, Ord. S. Bened. l.
Unita est Præpositura S. Sepulchri Lauden. val. xxiiij. augetur tax. in flor. viij.
Cherero, Ord. Cister. c.
Bassiani extra muros Lauden. Ord. Sancti Bened. cxxxiij⅓
Michaëlis de Breinbio, Ord. S. Bened. c.
Laudunen. in Francia Provincia Remen.
Joannis Baptistæ, Ord. Præmon. ii^{m}ccl.
Joannis Laudunen. Ord. S. Bened. iii^{m}.
Nicolai de pratis aliàs de Rabodimonte, Ordin. S. Bened. cc.
Martini Laudunen. Ord. Præmonstr. mv^{c}.
Fustiniaco, Ord. Cisterc. vi^{c}.
Cussiacen. Ord. Præmon. vii^{c}xxx.
Stephani de Cornu, Ord. Cisterc. lxvij.
Michaelis de Tarasca, Ord. S. Bened. v^{c}.
Nicolai Clarifontis, Ord. Præmon. clxxx.
Mariæ de Bacriis, Ord. Cisterc. lxxx.
Vincentii Laudunen. m.
Mariæ de Nogento. lxvj⅔
Lausanen in Provincia Bisuntin.
Unitus fuit Prioratus de novo Castro Lausan. diœc. val. lxx. l. Turon. augetur tax. in flor. xxiij⅓
Alta ripa, Ord. Cisterc. cxxxiij⅓
Altaeripta, Ord. Cisterc. xl.
Lacus Jaurien, Ord. Præmon. lxxx.
Joannis Herlacen. Ord. S. Bened. lxvj⅔
Patermaci, Ord. Cluniac. ccl.
Lechselden. & Gouerr. in Hibernia unitæ, aliàs Anglia.
Vaerburge Cesteye, Ord. S. Bened. v^{c}.
Lectoren. in Vasconia Provincia Auxitan.
De Bolasio, Ord. Cisterc. lxvj⅔
Legionen. in Provincia Compostellan.
Facundi, Ord. S. Bened. vj^{c}.
Saltu Novali, Ord. Cister. xl.
Mariæ de Trianos, Ord. S. Aug. lxiij⅓
Isidori, Ord. S. Aug. clx.

Unitus

Unitus eſt Prioratus B. Mariæ de la Vega extra Muros Salamant. val. cl. augetur tax. in flor. l.
Mariæ de Villoria, Ord. Præmon. c.
Petri de Slonza, Ord. S. Bened. c.
Mariæ de la Vega, Ord. Ciſterc. xxxiij½
Unita fuit Eccleſia Parochialis, & ſimplex beneficium in eadem S. Martini de Ravedo Lexovien. diœc. val. xxx. l. Turon. parvorum, augetur taxa in flor. x.

Lemovicen. in Aquitania Prov. Bituricen.
Vvſien, Ord. S. Bened. clxx.
Martialis Lemovicen. Ord. S. Bened. m.
Uniuus fuit Prior. de Artubus, val. xxiv. l. Turon.
Item Sacriſtia major dicti Monaſterii, val. l. l. Turon. augetur tax. in flor. xxiv.½
Martini Lemovicen. Ord. S. Bened. cxx.
Grandimonten, Ord. S. Bened. mv^{c}.
Bartholomæi de Bonovento, Ord. S. Auguſtini, cccxxiij½ aliàs xxxiij½
Unitus eſt Prioratus S. Amaiui de Barſolaco, val. xxvj½ augetur vij½
De prato Benedicto, Ord. Ciſterc. lxvj½
Meyniaco, Ord. S. Bened.
Solemniaci, Ord. S. Bened. cccc.
Unitus fuit Prioratus Bonæ-vallis, val. xx, augetur tax. in flor. vij.½
Petri Stirpen. Ord. S. Aug. v^{c}.
Dalone, Ord. Ciſterc. ccccl.
Bello-loco, Ord. S. Bened. cccc.
Boni-loci, Ord. Ciſter. c.
Palatio. Ord. Ciſter. cxxx.
Belli-loci, Ord. S. Bened. cccc.
Egeduno, Ord. S. Bened. cc.
Petri Uſarchiæ, Ord. S. Bened. v^{c}.
Unitæ fuit Præpoſitura de Gondra, Ord. Sancti Bened. val. xv. l. Turon. augetur tax. in flor. v.
Bona-aqua, Ord. Ciſter. ccc.
Columna mixtum in Bituricen. diœc. Ord. Ciſt. lxx.
Auguſtini Lemovicen. Ord. S. Bened. ccc.
Obaſione, Ord. Ciſterc. m.
Albis Petris, Ord. Ciſterc. lxvi½
De Bulione, Ord. Ciſterc. xciij½

Leodien. in Alemania Provincia Colonien.
Vallis S. Lamberti, Ord. Ciſter. cl.
Semblacen. Ord. S. Bened. v^{c}.
Unita fuit Parochialis Eccleſia S. Salvatoris de Semblaco, val. xiij. marc. argenti, augetur tax. in flor. xxj½
Vvalcodoren. & Hecconen. Ord. S. Bened. c.
Vilarii, Ord. S. Bened. cc.
Jacobi Liodien. Ord. S. Bened. v^{c}l.
Uberti in Ardenna, Ord. S. Bened. m.
Unita eſt Parochialis Eccleſia in Vvibren. val. xij. marc. argenti, augetur taxa in flor. xx.
Laurentii extra muros Leodien, Ord. S. Bened. m.
Mariæ de Parco Ducis in Brabantia, Ord. Præm. ccc.
Blidernaten. Ord. S. Bened. c.
Grandis-prati, Ord. Ciſterc. c.
Trudonis, mv^{c}lxviij½
Bertini Malomen.
Joannis Baptiſtæ, l.
Remacli. cxl.
Unitum cum Monaſt. S. Petri Malinod. Colon. diœc.
Unita fuit Parochialis Eccleſia ſupradicto Monaſterio S. Remacli oppidi Malmondamen. val. vj. marc. argenti, augetur taxa in flor. x.
Gertrudis Lovanien. Ord. S. Aug. cccxxxiij½
Mariæ Heltinkinen. Ord. Præmonſtr. cccc.

Leonen. in Britannia Prov. Turon.
Matthæi in finibus terræ. ccc.
Mariæ de Relec, aliàs de Reliquiis, Ord. Ciſter. cl.
Derbeth, aliàs de Reliquiis, Ord. Ciſter.

Lernitan.
Ebuloſa, Ord. S. Baſil. lxxx.

Leucadien. aliàs *Alexarien.* in Apulia Provincia Idrontin.
Papirio, Ord. S. Baſil.

Lexien. ſeu *Licien.*
Nicolai & Cathaldi, Ord. S Bened. lxxx.
Mariæ de Caritate, Ord. S. Baſil. xxxiij½
Mariæ de Forratis, Ord. S. Baſil. xxxiij½

Lexovien. in Francia Prov. Rothomagen.
Mariæ de Bernajo, Ord. S. Bened. mcc.
Petri de Pratellis, Ord. S. Bened. vii^{c}.
Ebrulfi, Ord. S. Bened. viijcl.
Mariæ de Greſtano, Ord. S. Bened. cl.
Cormelus, Ord. S. Bened. cc.

Limiricen. in Hibernia Prov. Caſſellen.
Mariæ de Mojo, Ord. Ciſterc. lxxxiij½

Linconnen. in Angliæ Provincia Cantuarien.
Albani, Ord. S. Bened. iv^{m}vjc.
Mariæ de Parcolude, Ord. Ciſterc. cclxvj½
Aucta fuit taxa dicti Monaſterii in flor. xxxij. propter unionem Parochialis Eccleſiæ Herbeluuel, eid. factam.
Mariæ de Thaine, Ord. Ciſter, lxvj½
Oſtiei, Ord. S. Aug. cxxxiij½

Lingonen. in Provincia Lugd.
Secani, Ord. S. Bened. v^{c}.
Moliſmen. Ord. S. Ben. iv^{m}.
Morimundo, Ord. Ciſterc. m^{4cc}.
Priſca, Ord. Ciſterc. cc.
Petri de Beslua, Ord. S. Bened. cccc.
Unitus fuit Prioratus de Elablico, val. c. l. Turon. augetur tax. in flor. xxxiij.½
Pulcheriarum, Ord. S. Bened. cc.
Mons, Ord. Ciſter. xlviij.
Benigni de Divione, Ord. Sancti Bened. ii^{m}.
Stephani de Divione, Ord. S. Aug. vii^{c}.
Michaelis de Torriadero, Ord. S. Bened. ccxxviij.
Theloco, Ord. Ciſter. xxxiij½
Mariæ de Caſtillone, Ord. S. Aug. vc.
Claræ-vallis, Ord. Ciſter. iii^{m}.
Unitum fuit Monaſterium Monialium Vallis-unicarum, val. xxiv. augetur tax. in flor. viij.
Melugden. Ordinis S. Bened. ccc.
Joann. Reomen. Ord. S. Bened. ii^{m}.
Unitus eſt Prioratus de Tyſi Eduen. diœc. val. l. augetur tax. in flor. xvj½.
Mariæ Virginis de Longo vado, Ord. Ciſterc.

Liſmoren, & Vvathforden, in Hibernia unitæ.
Inſula S. Malanfid. Ord. S. Aug. l.
Melanfid. Ord. S. Aug. xxxiij½
Unitæ ſunt perpetua Vicaria, Parochialis Eccleſiæ de Tholocai, val. vj. marc. ſterlingorum.
Item Rectoria Parochialis Eccleſiæ de Cani, val. xj. marc. ſterlingorum, augetur tax. in flor. v.
De Surio, Ord. Ciſtercien. lx.
Brogani de Motalia, Ord. S. Aug. l.

Locentin.
Leonis extra muros, Ord. S. Bened. ccc.

Lodunenſ. in Gotia Prov. Narbonen.
Aucta eſt taxa dictæ Eccleſiæ in flor. liij½ propter unionē Parochialis Eccleſiæ S. Joan. de plenis diœc.
Item unitus fuit Prioratus S. Brigidæ dictæ diœc. val. xx. augetur tax. in flor. vj.½
Salvatoris de Lodena, Ord. S. Bened. cccc.
Gulielmi de Sertis, Ord. S. Bened. vj^{c}.

Londonien. in Anglia Prov. Cantuarien.
Vaſti Monaſterii, Ord. S. Bened. ii^{m}.
Crucis Vuacaline, Ord. S. Aug. ii^{m}cccc.
Vvalean, Ord. S. Bened. ii^{m}cccc.

Lucan. in Tuſcia in diſtrictu Urbis.

Petri de Campo majore, Ord. S. Bened. cl.
Fridiani, Ord. S. Aug. cc.
Mariæ de Bojano, Ord. S. Bened. xl.
Pantaleonis, Ord. Cisterc. lxx.
Pontiani extra muros, Ord. S. Bened. cl
Michaelis de Gaino pulsanti. lxx.
Pauli de Girano, Ord. S. Bened. lxxx.
Salvatoris S. Sylviani de Caturio, Ord. Cam. lxvj⅔
Unitum est Monasterium S. Pantaleonis, & est tax. cxxxvj⅔. dicto Monasterio S. Salvatoris est unitus Prioratus S. Bartholomæi in Silice in Burgis Lucan, val. c. augetur tax. xxxiij⅓

Lucerin. in Provinc. Beneventana.
Unitum est Monasterium S. Bartholomæi, Ord. Petri Confessoris de Magella, val. xxx. unciarum Ardenorum, augetur tax. in flor.

Lucionen. in Aquitania Provincia Burdegalen.
Uniti fuerunt Prioratus de Monasteriis, Ord. S. Bened. val. cc. & Prioratus B. Mariæ de Fontiniaco Comitis, val. etiam cc. l. Turon. parvorum, augetur tax. in flor. cxxxiij⅓
Crucis de Talemundo, Ord. S. Bened. cl.
Mariæ de Trisagio, Ord. Cisterc. lxiij.
Mariæ de Brolio Golandi, Ord. Cisterc. lxxx.
De Brolio Arbandi, Ord. S. Bened. lxxx.
Mariæ & Joannis de Orbesterio, Ord. S. Ben. lxxx.
Mariæ de Angelis, Ord. S. Aug. clxxx.
Loci Dei de Jardo, Ord. S. Bened. clxxx.
Mariæ de Granateria veteri, Ord. S. Bened. cc.
Michaelis in Eremo, Ord. S. Bened. v^c.
Unitus est prioratus de Laix Xantonen. diœc. val. lxxx. augetur tax. in flor. xxvj⅔
Fontanellis, Ord. S. August. lxxx.
Mariæ de Insula Calveti, Ord. Cister. l.
Nigri Monasterii, Ord. Cister. cxxxiij⅓
Mariæ de Meyra, Ord. Cisterc. clv.
Juliani, Ord. S. Bened. lvj⅔
Mariæ de Ferreyra de Pallares, Ord. S. Ben. xxxiij⅓
Vincentii de Monte-forte, Ord. S. Bened. lxxxiij.
Mariæ de Isindag. Ord. S. Aug. xxxiij⅓

Lugdunen. in Provincia Provinciæ Metropolis.
Athenaten, Ord. S. Bened.. c.
Unitus est Prioratus Sanciani, Ord. S. Bened. Mariscónen. diœc. val. l. auger. tax. in flor. xvj⅔
Egendi Juren. Ord. S. Bened. mv^c.
Unitus est Prioratus S. Justi de Arbosio Bisuntin. diœc. val. ccc. augetur tax. in flor. c.
Benedictionis Dei, Ord. Cisterc. xxxiij⅓
Mariæ de Miratorio, Ord. Cisterc. lxiv⅔
Insulæ Barbaræ, Ord. S. Bened. cccel.
Unita est Celeraria dicti Monasterii, val. lxxx. Item de Chiaraost val. ccl. de Saleris c. de Semiprati ccc. S. Joannis lx. & S. Andreæ, val. lxxx. l. Turon. par. Prioratus Viennen. & Lugdun. diœc. debet augeri tax. in flor. ccxc.
Bellæ Villæ, Ord. S. Aug. cc.
Unitus est Prioratus Cyssejus, Ordin. Sancti Aug. val. lx. augetur tax. in flor.
Martini Saviguraten. Ord. S. Bened. v^c.
Ambroniaco, Ord. S. Bened. cccel.
Unitus est Decanatus de Lentovai, val. lxx. augetur tax. in flor. xxiv⅓
Ragaberti, Ord. S. Bened. ccl.
Vallis benedictæ. xxxiij⅓
Casagne, Ord. Cisterc. lx.
Mariæ de Iugo Dei, Ord. S. Bened. xxxiij⅓

Lunden. in Dacia.
Omnium Sanctorum, Ord. S. Bened. cc.

Lunen. in Tuscia, Provincia Ravennaten.
Bartholomæi de Lunario, Ord. S. Bened. xxxiij⅓
Crapani, Ord. S. Ben. lxvj⅔
Unitum fuit Monasterium S. Jacobi de Canetta, val. xvj. augetur tax. in flor. v⅓

M.

Maclovien. in Britannia Provincia Turonen.
Joannis de Pratis, Ord. S. Bened. cc.
Bello loco, Ord. S. Aug. cc.
Jacobi Monfortis, Ord. S. Aug. c.
Unitus est Prioratus de Chillemone, val. xv. augetur tax. in flor. v.
Panis Pontis, Ord. S. Aug. c.
Unitus est Prioratus, S. Bartholomæi, val. xxiv. augetur taxa in flor. viij.
Mevani, Ord. S. Bened. viii^c.

Magalonen. in Gotia, Provincia Narbonen.
Aniani, Ord S. Bened. viii^c.
Unitus fuit Prioratus S. Petri de Valle-feumigia, val. xl. augetur tax. in flor. xiij⅓

Magdeburgen. in Alemania Metropolis.
Montis Sereni, Ord. S. Aug. xxxiij⅓

Maguntin. in Alemania Metropolis.
Bleindeustad, Ordin. S. Bened. cxxxiij⅓
Herfelden. Ord. S. Bened. clxx.
Aucta est taxa Monasterii Herfelden. in flor. viij. ⅓ propter unionem quorumdam beneficiorum eidem factam.
Laurassen. Ord. Præmon. v^c.
de Otteburg, Ord. Cisterc. lxvj⅔
Unitæ sunt Parochiales Ecclesiæ in Astenen. in Rore, in Gulvvovvæ, Maguntin. diœc. & Alberften. diœc. val. omnium simul vij. marc. augetur. tax. in flor. xj⅔
Albani extra muros, Ord. S. Bened. cl.
Vallis S. Georgii. c.
Jacobi extra muros Maguntin.
In Vvalchenreden. Ord. Cisterc.
Monasterio in Arusburg. Ord. Cisterc. Maguntin. diœc. unita est Parochialis Ecclesia Sierrembach, val. v. marc. arg. augetur tax. in flor. vj⅔

Majoricen. in Insula, Provincia Valentin.
Mariæ de Regali, Ord. Cisterc. clxxj⅓

Malbacien.
Mariæ de Merolia, Ord. Cisterc. lx.

Mallacen. in Aquitania, Provincia Burdegalen.
Petri de Aurea-valle, Ord. S. Aug. cccl.
Vincentii de Molio, Ord. S. Augustini, cc.
Bello Fonte, Ord. S. Bened. lxxx.
Malo Leone, Ord. S. Aug. c.
Mariæ in Absia in Gastina, Ord. S. Bened. veteris. c.

Mantuan. in provincia Aquilegien.
Mariæ de Felonia, Ord. S. Bened. clxvj⅔
Rufini extra muros Mantuan. Ord. S. Ben. cxxxiij⅓
Unita est Ecclesia S. Leonardi Mantuan. val. lx. augetur tax. in flor. xx.
Benedicti de Padalirone, Ord. S. Bened. ccc.
Andreæ de Mantua. clj.

Marcifcen. in Terra-laboris.
Mariæ de Bitzano, Ord. S. Bened. xxxiij⅓

Macriften. in Regno.
Stephani, Ord. S. Bened. l.

Marsican. in Aprucio.
Mariæ de Victoria, Ord. Cisterc. lxxx
Mariæ extra muros terræ Pisanæ. xxxiiij⅓
Stephani, Ord. S. Bened. xlvj⅔

Marteranen.
Mariæ de Coracio. Ord. Cisterc. c.

Massan. in Tuscia, in districtu Urbis.
Quirici, Ord. S. Bened. xxxii ⅓

Massilien. in Provincia Arelaten.
Victoris propè Massiliam, Ord. S. Bened. mv.
Unitus est Prioratus B. Mariæ de Nazareth, Aquen. diœc. val. cl. augetur tax. in flor. l.

Materanen. in Provincia Apuliæ Acherontin.
S. Mariæ de Rinana, aliàs Vallenti, Ord. S. Bened.

Matisconen. in Provincia Lugdunen.

Clunia-

Cluniacen. ix^{m}.
Rigandi, Ord. S. Bened. cc.
Matzarien. in Sicilia, Provincia Panormitan.
Mariæ Jumaris, Ord. S. Bened. xxxiii⅓
Maurianen. in Provincia Viennen.
Unitus fuit Prioratus de Etono, val. ccx. augetur tax. in flor. l. xx.
Mediolanen. Metropolis.
Unitum est Monasterium Monialium de Balusco, val. xl. augetur tax. in flor. xiij⅓
Ambrosii Mediolanen. Ord. S. Bened. vi^{c}.
Simpliciani Mediolanen. Ord. S. Bened. cccc.
Vincentii prope Mediolanum, Ord. S. Bened. cc.
Dionysii extra muros. vi^{c}.
Unitus fuit Prioratus de Fugitiva, Ord. S. Bened. val. ccl. augetur tax. in flor. c.
Claræ-vallis, Ord. Cistercien. ii^{m}.
Augetur taxa dicti Monasterii propter unionem S. Petri in Leszolio, Papien. diœc. eidem factam in flor. cxvj⅓
Petri Apostoli, & Caloserii de Dovare, Ord. S. Bened. ccl.
Donati de sexto Kalendas, Ordin. S. Bened. lxxxiij⅓
Victoris extra muros, Ord. S. Bened. ccc.
Gratiani & Felini, Ord. S. Bened. cl.
Petri & Pali de Gitalia, Ord. S. Basilii. l.
Salvatoris de Tola, Ord. S. Ben. l.
Trinitatis de Capite-laeus xxxiij⅓
Christinæ, Ord. S. Bened. cccl.
Barnabæ de Grato-folio, Ord. Vallis-Umbrosæ. cccc.
Celsi Mediolanen. Ord. S. Bened. v^{c}.
Mariæ de Morimundo, Ord. Cisterc. m.
Melden. in Francia, Provincia Senonen.
Petri de Ribesco, Ord. S. Bened. cccxxxiij⅓
Pharonis Melden. Ord. S. Bened. m^{cc}.
Mariæ de Vvillaco, Ord. S. Aug. lv¼
Melitenen. in Calabria, Provincia Regin.
Mariæ de Bagnaria. Ord. Sancti Bened. lxij⅔
Trinitatis de Milero, Ord. S. Basil. xc.
Unita fuit quædam Grangia, val. c. augetur tax. in flor. xxxiij⅓
Laurentii de Arenis xxxiij⅓
Petri de Arena, Ord. S. Bened. xxxiij⅔
Nicolai de Calamusio, Ord. Camal. l.
Joannis de Labra.
Bartholomei de Trigonia, Ord. S. Basil. xxxiij⅓
Heliæ novi & Philareti, Ord. S. Basil. lxx.
Heliæ de Calatto, Ord. S. Basil. xxxiij⅓
Merseburgen. in Alemania, Provincia Maguntin.
Jacobi Paganien. Ord. S. Bened. lxvj⅔
Petri & Pauli, Ord. S. Bened. c.
Messanen. in Sicilia Metropolis.
Petri & Pauli, Ord. S. Basilii xlvij
Anastasiæ, Ord. S. Bened. xxxiij⅓
Salvatoris de Plaga, Ord. S. Bened. xxxiij⅓
Maurassen. Ord. S. Bened. ccc.
Mariæ de Nocaria, Ord. Cister. c.
Translatum est in locum de Gargania S. Vincentii.
Salvatoris de Lingafurri, Ord. S. Basil. } v^{c}.
Pantaleonis, Ord. S. Basil. } unita. lx.
Georgii de Gisso, Ord. S. Basilii. clx.
Philippi de Magra, Ord. S. Bened. l.
Salvatoris, aliàs Mariæ de Bordonario. xlv.
Philippi de Valle de mena, Ord. S. Bened. xlj.
Michaelis de Trayna, Ord. S. Basil. l.
Unitum est Monasterium S. Heliæ, tax. xxxiii⅓ augetur tax. in flor. xxxiij⅓
Petri & Pauli de Gitalia, Ord. S. Basilii. cl.
Angeli de Bloro, Ord. S. Basilii. xlv.
Mariæ de Guppa, Ord. S. Basil. l.
Nicolai de la Fico, Ord. S. Basil. l.
Basilii de Tormenro, Ord. S. Basil. c.

Mariæ de Mandanisio, Ord. S. Basil. xxxiij⅓
Placidi de Colonirio, Ord. S. Basil. lxxx.
Heliæ de Ampula, Ord. S. Basil. xxxiij⅓
Mariæ de Mili, Ord. S. Basil. lxxx.
Quirici, Ord. S. Basil. xxxiij⅓
Petri de Agro, Ord. S. Basil. xlvij.
Mariæ de Roca extra Muros Messanen. Ord. Cisterc. cxxxxiij⅓
Mariæ de Gala, Ord. S. Basil. lxxx.
Meten.
Vincentii Meten. Ord. S. Bened. cccc.
Mariæ Virginis Salinæ vallis, Ord. Præm. xliij⅓
Clementis extra muros, Ord. S. Bened. ccxxxiij⅓
Petri Montis, Ord. S. Aug. cc.
Arnulphi Meten. Ord. S. Bened. m^{cccc}.
Martini prope Metum, Ord. S. Bened. cc.
Priminii Hornebaten. Ord. S. Bened. clxvi⅔
De Justo-Monte, Ord. Præmon. lxxiij⅓
Martini Glanduen. Ord. S. Bened. v^{c}.
Symphoriani extra muros, Ord. S. Bened. ccccl⅓
Narboris, Ord. S. Ben. c.
Unita est Parochialis Ecclesia Villæ-Ripeg. val. iv. marcarum, augetur tax. in flor. xj⅓
Gorgonii Gorzien. Ord. S. Bened. mv^{c}.
Miden. aliàs *Minden.* aliàs in Saxonia, in Hybernia, Provincia Armacan.
Mariæ de Caurlis, Ord. S. Basil. l.
Mariæ de Truno, Ord. S. Basil. c.
Benedictionis Dei, Ord. Cisterc. v^{c}.
Miletenen. in Calabr. Prov. Reg. vide *Melitenen.*
Mindonien. in Hispania, Provinc. Bracharen.
Salvatoris de Laurcsana, Ord. S. Bened. lxxxviij.
Mirapicen. in Gotia, Provincia Tholosan.
Bolbona, Ord. Cisterc. m^{cc}.
Misnen. in Alamania, Provincia Magdeburgen.
Unita fuit Præpositura B. Mariæ Virginis in Vvorzan, val. viiij. marc. argenti, augetur tax. in flor. viij⅓
Cellæ Sanctæ Mariæ, Ord. S. Bened. lx.
Mariæ in Buch, Ord. Cister. ccccl.
Montisalbani in Gotia, Provincia Tholosan.
Bella Pertica, Ord. Cister. vi^{c}.
Montis-regalis in Pedemontium, provincia Mediolan.
Unitum est Monasterium Burgi S. Dalmatii, Asten. diœc. augetur tax. in flor. c.
Montis-regalis, in Sicilia Metropolis.
alti fontis, aliàs de Parco, Ord. Cisterc. ccl.
Mariæ de Moniachi, Ord. S. Basil. cc.
Moravien. in Scotia, Provincia Maguntin.
De Kinlos, Ord. Cisterc. ccc.
Morinen. in Francia, Provincia Remen.
Capella, Ordin. Sanct. Bened. ccc.
Claromaristo, Ord. Cisterc. viii^{c}l.
Aucta est taxa hujus Monasterii in flor. l. propter unionem Abbatiæ S. Salvatoris de Retrudis de Aundevers, Morinen. diœc. eidem factam.
Mariæ in Nemore, Ordin. Sancti Aug. c.
Joannis prope Cochas, Ord. S. Aug. c.
Salvatoris Hamen. Ord. S. Ben. m^{c}.
Mariæ de Bolonia super mare. Ord. S. August. v^{c}.
Petri & Pauli Vvasnecen. Ord. S. Aug. cxiij⅓
Joannis prope Morin. Ord. S. Bened. cccxij⅓
Salvatoris de Gordie, Ord. S. Bened.
Augustini extra muros, Ord. Præmon. lxvj⅔
Nicolai Farnen, Ord. Præmon. cc.
Bertæ de Blangiaco, Ord. S. Bened. ccl.
Bertini in S. Andomaro, Ord. S. Bened. ii^{m}.
Dinus, Ord. Cister. mv^{c}.
Silvii de Archiaco, Ord. S. Bened. clxv.
Mariæ de Longo-vilari, Ord. Cisterc. xliv.
Mariæ de Zambarka, Ord. S. Aug. cxxxiij⅓
Vvnoribargen, Ord. S. Bened. viii^{c}xxx.

Joannis in Pratis juxta Coquem. c.
Joannis Evang. Dondia-uville, Ord. S. Aug. lxxx.
Ulmaris in Bolonia, Ord. S. Aug. lxvj⅔
Mutinen. In Provincia Ravennaten.
Mariæ & Claudii de Fraxinono, Ord. S. Bened. xl.
Sylvestri novanculani, Ord. S. Bened. cccc.
Petri de Mutina, Ord. S. Bened. lxvj⅔
Unita est Ecclesia S. Michaelis de Zena, val. cc. duc. Papalium, augetur tax. in duc. lxvij⅔
Mariæ de Facinora. l.

N.

Nannetem. in Britannia, Provincia Turon.
Villæ-novæ, Ord. Cister. c.
Unitus fuit Prioratus S. Symphoriani, val. xxiv. augetur taxa in flor. viij.
Mariæ de Meglereyo, Ord. S. Bened. cvj⅔
De Bussajo, Ord. Ciller. lxvj⅔
Mariæ Magdaleaæ de Genestomo. l.
Gildasii in Nemore, Ord. Sancti Bened.
Uniti fuerunt Prioratus de Penestinæ de Bello loco, val. xx. & S. Jacobi de Rocca, Ord. S. Bened. val. xxx. augetur tax. in flor. xvj⅔
Alba corona veteri. c.
Gildasii Riven. Ord. S. Bened. ix^{c}.
Mariæ de Pernidio. cxxxiij⅓
Unitus fuit primus Prioratus vacaturus dependens è dicto Monasterio, val. c. augetur tax. in flor. xxxiii⅓
Mariæ de Burgo prope Pernidium, Ord. S. August. lxvj⅓
Narbonen. in Gotia Metropolis.
Petri de Gannis, Ord. S. Bened. viij^{c}.
Polycarpi, Ord. S. Bened. ccc.
Mariæ de Quatraginta, Ord. S. Aug. vc.
Fontis frigidi, Ord. Cisterc. ii^{m}.
Narnien. in Ducatu Spoletan.
Benedicti in Fundis de Stronconio, Ord. S. Bened. xxxiij⅓
Angeli de Massa, Ord. S. Bened. l.
Nicolai de S. Gemio, Ord. S. Bened. xl.
Gemini de S. Gemino, Ord. S. Bened. l.
Cassiani prope Narniam, Ord. S. Bened. xxxiij⅓
Unitæ sunt dicto Monasterio ruralis Ecclesia S. Proculi de S. Gemio, val. x. & Parochiales Ecclesiæ Sanctorum Thomæ & ursi Archipresbyteratus nuncupata, ac Stephani de Urbe invicem propinque, val. cl. augetur tax. in flor. liij⅓
Neapolitan. Metropolis.
Severini Neapolitan. Ord. S. Bened. ccc.
Vedasti, Ord. S. Bened. ccc.
Petri ad aram. Ord. S. Aug. viii^{c}.
Sebastiani, Ord. S. Bened. lxv.
Demetrii, Ord. S. Bened. lxj.
Laurentii, de Anesa, Ord. S. Ben. v^{c}.
Mariæ de Capellis, Ord. S. Bened. cc.
Januarii prope Neapolim, Ord. S. Bened. cl.
Unitum est Hospitale S. Januarii extra muros Neapolitan. & dismembratum ab Ecclesia Neapolitan. cui aliàs fuerat uniendum.
Angeli de Prochita, Ord. S. Benedict. xxxiij⅓
Neburgen. in Alemania, Provincia Salziburgen.
In Pozinanina prope Czirem, Ord. S. Bened. l.
Unita est Parochialis Ecclesia Breczintem, cum ejus filiabus, val. viij. marc. argenti, augetur tax. in flor. xiij⅓
Nemausen. in Goria, Provincia Narbonen.
Ægidii, Ord. S. Bened. viii^{c}.
Francharum vallium, Ord. Cisterc. lx.
Psalmodien. Ord. Cisterc. v^{c}.
Sandracen. Ord. S. Bened. cc.
Salve, seu Saligue, Ord. S. Bened. ccc.
Petri de Salvio, Ord. S. Bened. lxvj⅔
Neapoten. in Romania.
Mariæ de Fondilianis.
Nerston. Abbas nullius diœc.
Nicolai de Pergulito, Ord. S. Basil. xxxiij⅓
Nicien. in Provincia Provinciæ. ccc.
Ponti extra muros. ccxlij.
Nicosien. in Insula Cypri Metropolis.
Unitum est Monasterium Mariæ de la Piscopia. tax. lxvj⅔
Mariæ de la Baya, aliàs de la Piscopia, Ord. Præmonstraten. lxvj⅓
Est unitum Ecclesiæ Nicosien. ideo taxa augetur flor. lxvj⅔
Mariæ de Bello loco, Ord. Cister. cccxij.
Mariæ de Draconaria, Ord. S. Bened. xxxiij⅓
Mariæ de Mobachia.
Joannis Evangelistæ, Ord. S. Bened. lxvj⅔
Nicoteren. in Provincia Regin.
Mariæ de la Molachia, Ordin. S. Ben. lxvj⅔
Nidrosien. in Novergia,
Mariæ de Holim, Ord. S. Bened. lxxv.
Nimosien. in Cypro, Provincia Nicosien.
Pauli de Antiochis & Crucis Cis. Ord. S. Bened. cccxxxiij⅓
Nitrien. in Ungaria, Provincia Strigonia.
Hippolyti Nitrien. ccl.
Nivernen.
Bellæ-vallis, Ord. Præmon.
Martini, Ord. S. Aug. c.
Nolan. in Terra-laboris, Provincia Neapolitan.
Regali valle, Ord. Cister. cc.
Nonen. in Sclavonia, Provincia Iadren.
Ambrosii, Ord. S. Bened. xl.
Norvincen. in Anglia, Provincia Cantuarien.
Edebandi, Ord. S. Bened. ii^{m}v^{c}.
Novarien. in Lombardia, Provincia Mediolanen.
Mariæ unitum Congregationi Lateranen. viii^{c}.
Montis S. Quintini, Ord. S. Bened. cccc.
Eligii Fontis, Ord. S. Aug. vii^{c}l.
Mariæ de Ursicampo, Ord. Cisterc. mviii^{c}.
Mariæ de Verinando, Ord. Præmon. xxx.
Projecti, Ord. S. Bened. viii^{c}.
Homoblerus. ccc.
Prisci in Vermandosio, Ord. S. Bened. cxxxiij⅓
Nucerin. in Ducatu Spoletan.
Blasii de Crapulis, Ord. S. Bened. unitum mensæ Episcopali Nucerin.
Mariæ de Sitria, Ord. S. Bened. cc.
Mariæ de Apperino, Ord. S. Bened.
Benedicti de Galdo, Ord. S. Bened. } unita l.
Stephani de Parano, Ord. S. Bened. } c.
Pancratii, Ord. S. Bened. l.
Angeli de Monte Camigliano, Ordin. S. Benedicti. xxxiij⅓
Nullius diœc. Monasteria.
Christophori de Castro. c.
Hilarii de Galeaca. c.
Vincentii de Vulturno, Ord. S. Bened. cc.
Petri Apostoli in territorio Capistrani, Provincia Theatin. Ord. S. Bened. lxxxiij⅓

O.

Olomucen. aliàs Moravien. in Alamania Provincia Bragen.
Lucen. in Monaria, Ord. Præmonstr. ccccl x.
Valle gradu, Ord. Cisterc. cccxxxiij⅓
Unita est Parochialis Ecclesia in Rodiff. Olumucen. diœc. val. xv. marc. argenti, augetur tax. in flor. xxv.
Oloren.

Luco,

Luco, Ord. S. Bened. cl.
Vincentii de Lutra. cl.
Opiden. aliàs Luerea. in Calabria Provincia Regin.
Geratin. unita.
Molochii, Ord. S. Basilii. lxvj½
Ortan. in districtu Urbis & Civitatis Castellan. unitæ.
Mariæ de Faleri, Ord. Cisterc. l.
Andreæ in Flumine, Ord. S. Bened. & S. Silvestri de Strapre. cl.
Oscen. in Aragonia, Provincia Cæsaraugustan.
Joannis de Pina, Ord. S. Ben. ccl.
Montis Aragonum, Ord. S. Aug. m.
Osnaburgen. in Alamania, Provincia Colonien.
Clementis Iborchi, Ord. S. Bened. l.
Ossorien. in Hibernia, Provincia Dublinen.
Ferri Ponte, Ord. Cisterc. l.
Overon. in Hispania, Provincia Toletan.
Joannis de Corias, Ord. S. Bened. cxx.
Vincentii, Ord. S. Bened. lxvj½
Mariæ de Obona, Ord. S. Bened. xl.
Salvatoris loci de Corvelana, Ord. S. Bened. xliij½
Mariæ Vallis Dei, Ord. Cisterc. xxxiij½
Oxomen. in Hispania.
Petri de Gomuel, Ord. Cisterc. c.
Mariæ Vitis, Ord. Præmon. xl.

P.

Padecurgen. in Alemania Provincia Moguntin.
Corbien. Ord. S. Bened. ccc.
Mariæ, aliàs Crucis de Sabari, Ord. S. Bened. ccccxxxiii½
Paduan. in Provincia Aquilegien.
Stephani de Carraria, Ord. S. Bened. cccc.
Justinæ de Padua, Ord. S. Bened. ii^m.
Unitus est Prioratus S. Antonini de Cubalo, val. xxx. augetur tax. x.
Mariæ de Pratalia, Ord. S. Bened. cccc.
Mariæ de Candiana, Ord. S. Bened. aliàs Michaëlis. ccxvj½
Danielis in monte, Ord. S. Bened. xxxiij½
Mariæ Carcetum, Ord. Camal. ccel.
Mariæ de Sacco-longo, Ord. S. Bened. xxxiij½
Palentin. in Hispania, Provincia Toletan.
Mariæ de Metellana, Ord. Cisterc. lx.
Petri de Spina, Ord. Cisterc. l.
Crucis, Ord. Præmon. liij½
Vallis bonæ, Ord. Cisterc.
Mariæ de Benevinos, Ord. Cisterc. l.
Zoili, Ord. Cluniac. cc.
Unitum fuit Monasterium S. Romani de Entempereros, Legion. diœc. val. lxxx. augetur tax. in flor. xxvj½
Mariæ de Palazuelos, Ord. Cisterc. xl.
Mariæ de Retorta, Ord. Præmonstr. l.
Mariæ de Vannevivere lxiij½
Pampilonen. in Regno Navarræ, Provincia Cæsaraugustana.
Fiterio, Ord. Cisterc. xl.
Mariæ de Irachio, Ord. S. Bened. c.
Mariæ de Oliva, Ord. S. Bened. lxvj½
Mariæ de Iranco, Ord. Cisterc. lx.
Salvatoris Legeren. Ord. Cisterc. l.
Panormitan. in Insula Siciliæ Metropolis.
Mariæ de Cripta, Ord. S. Bened. l.
Nicolai, Spiritus, Ord. Cisterc. ccxxiij½
Joannis de Eremitis, Ord. S. Bened. l.
Mariæ Angelorum, Ord. S. Bened.
Unitus est Prioratus S. Annæ de Scalis, Momistegalis diœc. ejus fructus non exprimuntur.
Papien. in Lombardia, Provincia Mediolanen.
Petri Herbæ-amaræ, Ord. S. Aug. l.

Petri Papien. Ord. Vallis-Umbrosæ. eel.
Apollinaris, Ord. S. Bened. c.
Bartholomæi Papien. Ord. Sancti Bened. clvi.
Sepulchri Papien. Ord. S. Bened. clx.
Salvatoris prope Papiam, Ord. S. Bened. l.
Martini Papien, Ord. S. Bened. lxxxiv.
Petri in Lesolio, Ord. S. Bened. cxxvj½
Petri Bremeten. Ord. S. Bened. c.
Aqua-longa, Ord. Cisterc.
Donati de Sexto-Kalendas, Ord. S. Bened. xlj.
Lanfranchi extra muros Papien. Ord. Vallis-Umbr. ccxvj½
Parisien. in Francia Metropolis.
Maglorii Parisien. Ordinis S. Benedicti. cccxvij.
Victoris prope Parisien Ord. S. Aug. c.
Genovefæ Parisien. Ord. S. Aug. viii^c.
Dionysii, Ord. S. Bened. vi^m.
Mauri de Fossaris, Ord. S. Bened. vi^c l.
Germani in Pratis, Ord. S. Ben. viii^m.
Reductum fuit ad iv^m. per D. Urban. Papam V.
Vallis B. Mariæ, Ord Cister. ix^c.
Petri de Latiniaco, Ord. S. Bened. m^ccc.
Herminiarum, Ord. Præmon. cc.
Vallis-Sarnan. Ord. Cister. xxxiij½
Mariæ de Hermale, Ord. S. Aug. lxvj½
Mariæ de Luiriaco, Ord. S. Aug.
Parmen. in Lombardia, Provincia Ravennaten.
Mariæ de Castilione, Ord. S. Bened. cc.
Basilidis de Cannaria, Ord. Vallis-Umbrosæ. cclxxx.
Casæ novæ, Ord. Cisterc. cc.
Genesii de Brixello, Ord S. Bened. cxl.
Joannis Parmen. Ord. S. Bened. ccc.
Unitus fuit Prioratus S. Laurentii de Casellis cum annexis, val. xxx. augetur taxa in flor. x.
Fontis novi, aliàs Claræ-vallis, Ord. Cisterc. cl.
Vallis-serenæ, Ord. Cisterc. xxxiij½
Unitus fuit Prioratus S. Leonardi, val. xxix. augetur flor. viiij. Separata fuit mensa Abbatialis à Conventuali in dicto Monasterio, & reservatis tot portionibus pro mensa Abbatiali, quæ ascendant ad valorem annuum vi^c. Imonetæ Mediolanen. reliquis assignatis mensæ Conventuali unitæ Congregationi S. Bernardi Lombardiæ, Ord. Cister.
Patavien. in Alemania, Provincia Salaburgen.
Mellicen. Ord. S. Bened. ccccxxxii.
Unita fuit Parochialis Ecclesia in Vvoykenderffs, val. xv. marc. augetur tax. in flor. xxv.
In Alderspach, Ord. Cister.
Unitæ fuit Parochiales Ecclesiæ & earum Vicariæ in Erkenchayn, & in Auster, & in S. Nalb. Patavien. diœc. necnon in Geyrschal-Ratisponen. diœc. quarum valor habetur pro expresso, debet augeri.
Cotuvian. Ord. S. Bened. lx.
Salvatoris ad S. Salvatorem, Ord. Præmonstraten. xxxiij½
Matthæi in Aspak.
Unita fuit Parochialis Ecclesia in Eryngen cum filiabus suis, val. x. marc. debet augeri taxa flor. xvj½
Penestrinen. Cardinalis.
Petri de Papilione, Ord. Cister. xxxiij½
Pennen. in Provincia Aprucii.
Casæ novæ, Ord. Cister. cc.
Pensaurien. in Marchia.
Thomæ de Folea, Ord. S. Bened. lax.
Mariæ, aliàs Crucis de Fabari, Ord. Sancti Bened. xxxiij½
Sepulchri de Astino, Ord. Vall. Umbr. xxxiij½
Pergamen. in Lombardia, Provincia Mediolanen.

Vallis-altæ, Ord. S. Bened. lx.
Perusin. in districtu Urbis.
Unita est Parochialis Ecclesia S. Christophori de Passignono, val. xl. augetur xiij $\frac{1}{3}$
Item unitum est Monasterium Vallis-pontis mensæ Episcopali, augetur tax. in flor. lxxxiij.
Joannis Ereniti montis Herilis, Ord. S. Ben. lxxxiv.
Petri de Perusio, Ord. S. Bened. m^{cc}.
Unitus fuit Prioratus S. Petri de Pozalo, val. c. augetur tax. in flor. xxxiij $\frac{1}{3}$
Arahandeli supra Lacum, Ord. S. Bened. lxxxviij.
Benedicti de Petra-ficta, Ord. S. Bened. lxxviij $\frac{1}{3}$
Vallis-portis, Ord. S. Bened. c.
Salvatoris de monte aucto, Ord. Cister. cl.
Petragoricen. in Aquitania, Provincia Burdegal.
Petrosa, Ord. Cisterc. cc.
Brantolino, Ord. S. Bened. cccc.
Truciaco, Ord. S. Bened. cxx.
Mariæ de Cancellata, Ord. S. Aug. cxxx.
De Bosco-cano, Ord. Cisterc. lxxix $\frac{1}{3}$
Petri de Terturiaco, Ord. S. Bened. cxx.
Pictaven.
Severini, Ord. S. Aug. lx.
Unitus fuit Prioratus de Geux, val. xl. augetur tax. in flor. xiij $\frac{1}{3}$
Item unitus fuit Prioratus de Lezaio, vel. 80. augetur 26. $\frac{2}{3}$
Cella prope Trecas, Ord. S. Aug. m.
Monasterii novi Pictaven. Ord. Cluniac. vii^{c}.
Leonarde de Ferrariis, Ord. S. Bened. lx.
Savini, Ord. S. Bened. cl.
Joannis de Marnis, Ord. S. Bened. v^{c}xx.
Maxentii, Ord. S. Bened. m^{cc}.
Benedicti de Quinciano, Ord. S. Bened. ccl.
Rarrosen. Ord. S. Bened. ccc.
Regali, Ord. S. Aug. c.
Mariæ de Castellariis, Ord. Cisterc. ccc.
Crucis de Anigalia, Ord. S. Aug. cc.
Mariæ de Misericordia Dei, Ord. Cisterc. l.
Nantolio, Ord. S. Bened. cc.
Unitus est Prioratus S. Martini de Salis, Ordin. S. Bened. val, c. l. Turon. augetur taxa in flor. xxxiij $\frac{1}{3}$
Lamiæ de Tohoarcio, Ord. S. Aug. clxx.
Mariæ de Cella, Ord. S. Aug. v^{c}.
Bono-campo, Ord. S. Bened. c.
Sede Brigum, Ord. S. Bened. l.
Cypriani, extra muros Pictavien. lxvj $\frac{2}{3}$
Mariæ Fontis Comitis, Ord. S. Aug. lxvj $\frac{2}{3}$
Hilarii de Cella, Ord. S. Aug. cxxxiij $\frac{1}{3}$
Mariæ de Pyn, Ord. Cisterc. lxvi $\frac{2}{3}$
Nobiliaco, Ord. Cisterc. ccc.
Mariæ de Valentia, Ord. Cister. cc.
Maliæ de Alodiis, Ord. S. Bened. cxx.
Mariæ de Stella, Ord. Cisterc. lx.
De Pinu, Ord. Cisterc. xxxiij $\frac{1}{3}$
In Absia in Gastina. cc.
Mariæ bonæ-Vallis, Ord. Cisterc. cxxx $\frac{1}{3}$
Pisan. in Tuscia Metropolis.
Zenonis de Pisis, Ord. Camal. cc.
Stephani de Cintorio, Ord. Camal. lx.
Andreæ de Canceto, Ord. Cisterc.
Savini de Montrone, Ord. Camal. cccc.
Michaëlis Calicolorum, Ord. S. Aug. c.
Pauli de Ripam Arni, Ord. Vallis-Umbrosæ. cccc.
Donnuræ extra muros Pisan. Ord. Vallis-Umbr. lx.
Fedriani, Ord. Camal.
Pistorien. in Tuscia.
Fridiani de Pistorio. cclxvj.
Barenti, Ord. S. Bened. l.
Unita fuit Ecclesia SS. Jacobi & Bacilier. Lucarum diœc. val. xxiv. augetur tax. in flor. viij.
Salvatoris de Vejano, Ord. Vallis-Umbr. lxxxix.
Pauli ad Ripam, Ord. Vall. Umbr. cccc.
Salvatoris de Fontana, Ord. Vall. Umbr. xxxiij $\frac{1}{3}$
Michaelis de Furculis, Ord. Vallis-Umbr. lxxx.
Unitum est Congreg S. Salvi extra muros Floren.
Mariæ de Parana, Ord. Vallis-Umbr. cxx.
Mariæ de Guegignano, Ord. Vallis-Umbr. lxvij.
Montis-plani, Ord. Vallis-Umbr. xxxi j $\frac{1}{3}$
Placentin. in Hispania Prov. Toletan.
Salvatoris de Thola. j.
Placentin. in Lombardia Prov. Mediolan.
Sixti de Placentia, Ord. S. Bened. l.
Unitum est Congegationi S. Justinæ de Padua, & solvuntur jura singulis xx. annis.
Benedicti de Placentia, Ord. Vallis-Umbr. xxxiij $\frac{1}{3}$
Mariæ in Monte, aliàs Carasola, Ord. Cisterc. lxxx.
Alexandri de Placentia, Ord. S. Bened. j.
Savini de Placentia, Ord. S. Bened. cxxx.
Mariæ de Columba, Ord. Cisterc. vii^{c}.
Garvasii & Protasii, Ord. S. Bened. lxvj $\frac{2}{3}$
Unitum fuit hospitale pauperum S. Mariæ Vallis obscuræ Babien. diœc. augetur tax, in flor. vj $\frac{1}{3}$
Pauli de Messano, Ord. S. Bened. xl.
Plonaten. in Sardinia Prov. Turritan.
Trinitatis de Sacargia, Ord. Camal. xxxiii $\frac{1}{3}$
Unita est Ecclesia S. Pauli de Codragnano, val. 36. augetur xij.
Polen. in Dalmatia Prov. Aquilegien.
Michaelis de Pola, Ord. S. Bened. xxxiij $\frac{1}{3}$
Mariæ de Canneto, Ord. S. Bened. xxxiij $\frac{1}{3}$
Michaelis de Monte, Ord. S. Bened. xxxiij $\frac{1}{3}$
Palicastren. in Terra-laboris, Prov. Salern.
Joannis de Piro, Ord. S. Basil. xl.
Petri de Camerotota, Ord. S. Basil. lxvj $\frac{2}{3}$
Polignanen. in Apulia.
Unita est Baren.
Viti de Polonia, Ord. S. Bened. lxxxiij $\frac{1}{3}$
Pontysbomeaciarum.
Aniani, Ord. S. Bened. cccc.
Fontis Calidi, Ord. Præmon. ccc.
Portuen. & S. Rufinæ, Cardinalis.
Salvatoris de Castilione.
Portugalen. in Regno Portugalliæ.
Salvatoris de Palatiolo, Ord. S. Bened. ccccl.
Unita fuit quædam Parochialis Ecclesia, val. l. augetur tax. in flor. xvj $\frac{1}{3}$
Joannis de Pendojada, Ord. S. Bened. v^{c}.
Petri de Petroso, Ord. S. Bened. ccc.
Salvatoris Ecclesiola, Ord. S. Aug. cc.
Mariæ de Rostolo, Ord. S. Bened. cxx.
Tirsi, Ord. S. Bened. vii^{c}.
Salvatoris de Grisoo, Ord. S. Aug. lxvi $\frac{2}{3}$
Posnamen. in Polonia Prov. Guesnen.
Mariæ in Lubin. Ord. S. Bened. xc.
In Frescencell
Unitæ sunt Parochiales Ecclesiæ S. Stephani in Haluuatstreff, & S. Georgii in Peuultspach Posnamen. diœc. val. xlvij. flor. renẽ cum dimidio, debet augeri tax. in flor. similiter xv $\frac{2}{3}$
Potentin. in Regno Provinciæ Acherontin.
Unitum Monasterium S. Lucæ, val. xxiv. augetur tax. in flor. viij
Pragen. in Bohemia Prov. Maguntin.
Templen. Ord. Præmon. cclx.
Opacamen. Ord. S. Bened. v^{c}.
Mariæ Montis Sion, Ord. Præmon. c.
Cladruben. Ord. S. Bened. xxxiij $\frac{1}{3}$
Miloten. Ord. Præmon. ccxxxiij $\frac{1}{3}$
Mariæ de Positano, Ord. S. Bened. lxxxiii $\frac{1}{3}$

Quin.

Q.

Quinqueeclesien. in Ungaria Provincia Strigonien.
Unita fuit Præpositura Ecclesiæ loci de Maroth, val. xxiv. augetur tax. in flor. viij.
Salvatoris de Sayardia, Ord. S. Bened. cclxvj⅓
Retz Vvaradien. Ord. S. Bened. vi^c.
Trinitatis, Ord. S. Bened. lxvj⅓

R.

Ragusin. in Sclavonia Metropolis.
Mariæ de Melica, Ord. S. Bened. lxxx.
Michaëlis de Petilma, Ord. S. Bened. l.
Mariæ de Latronia, Ord. S. Bened. c.
Jacobi de Visinza extra muros, Ordinis S. Bened. liij⅓
Rapolan. in Aquilia.
Unita fuit Ecclesiæ Melfien.
Angeli Vvoltiren. Ord. S. Bened. cix.
Ratispomen. in Alemania Prov. Salzburgen.
Georgii Pruesmigiis, Ord. S. Bened. c.
Jacobi in Bavaria, Ord. S. Bened. xl.
Emerami, Ord. S. Bened. cl.
In Pruel, Ord. S. Bened. cxcj⅓
Ravellen. in Terra-laboris Provincia Salernitan.
Trisonis, Ord. S. Bened. xxxiij⅓
Ravennaten. in Romandiola Metropolis.
Apollinaris novi Ravennaten. Ord. S. Ben. l.
Joannis Evangelistæ, Ord. S. Bened. xxxiiij⅓
Vitalis de Ravenna, Ord. S. Bened. lxvj⅓
Severi de Ravenna, Ord. Cisterc. cxx.
Petri ad vinculi, Ord. Camal. l.
Mariæ Rotundæ extra muros, Ord. S. Bened. xc.
Apollinaris de Classe, Ord. Camald. v^c.
Mariæ in Cosmedin. Ord. S. Bened. xl.
Hilarii de Galeata, Ord. S. Ben.
Reatin. in Ducatu Spoletan.
Mariæ in Basilica, Ord. S. Bened. l.
Pastoris, Ord. Cisterc. xxxvj⅓
Salvatoris de Reate. ccc.
Quirici. xl.
Redonen. in Britannia Provincia Turon.
Melani Redonen. Ord. S. Bened. m.
Petri de Relego, Ord. S. Aug. c.
Unitum fuit unum ex beneficiis ad collationem Abbatis pertinen. val. c. Augetur taxa dicti Monasterii in flor. xxxiij⅓
Regen. in Prov. Provinciæ Prov. Aquen. aliàs Regin.
Apollonii, Ord. Sancti Bened. lxx.
Unita Ecclesia S. Petri extra Castrum Bognoli, val. xxiv. augetur tax. in flor. viij.
Regien. in Lombardia Prov. Ravennaten.
Apollonii de Cariosa, Ord. S. Bened. lxx.
Unita fuit Parochialis Ecclesia S. Petri extra Castrum Bagnoli, val. xxiv. augetur tax. in flor. viij.
Præpositura Secularis, & Collegiatæ Ecclesiæ S. Nicolai Regien.
Prosperi in suburbio Regii. clxxx.
Mariæ de Gratiis, Ord. S. Aug. lxvj⅓
Vnita est quædam possessio aliàs dismenbrata, val. xl, augetur tax. in flor. xiij⅓
Mariæ de Morola cum alio unito, Ord. S. August. cx.
Regin. in Calabria Metropolis.
Mariæ de Terreto, Ord. S. Basilii. xl.
Antonii de S. Niceto, Ord. S. Bened.
Joannis de Castanera, Ord. S. Basilii. xl.
Salvatoris de Calomelo, Ord. S. Bened. lxvij.
Dominici de Galico, Ord. S. Bened.
Philippi in Cerice.
Martini de Messa.
Nicolai de Calomitio, Ord. S. Bened. lxxxiij⅓
Remen. in Francia Metropolis.
Remigii Remen. Ord. S. Bened. v^m cc.
Unita fuit Præpositura de Montana Remen. val. xxiv.
Item unitus fuit Prioratus in Capella SS. Cosmæ & Damiani, val. xxiv. augetur taxa dicti Monasterii flor. xvj
Dionysii Remen. Ord. S. Bened. m.
Nicasii Remen. Ord. S. Bened. m.
Bazolii Remen. Ord. S. Bened. vii^c l.
Mariæ de Mossonis, Ord. S. Bened. viii^c l.
Altovillari, Ord. S. Bened. vii^c.
Calvomonte in Portiano, Ord. Præmon. lxxx.
Mariæ Ygimaten. Ord. Cister. v^c.
Vallis Regis, Ord. Cister. cccc.
Elenno, Ord. Cisterc. cc.
Signiaco, Ord. Cisterc. vii^c l.
Augetur taxa in flor. l. propter unionem Monasterii Monialium de Consolatione Remen. diœc. factam.
Septem Fontium, Ord. Præmon. ccc.
Bellæ-vallis, Ord. Præmonstr. cccl.
Theodorici, Ord. S. Bened. vii^c.
Vallis Dei, Ord. Præmon. lxii⅓
Mariæ de Bonofonte, Ord. Cisterc.
Rigen.
Pancratii de Silo, Ord. S. Basilii.
Ripen. in Datiæ Prov. Burden.
Unita est Præpositura in Heerdessel. val. ix. mar. argenti puri, augetur tax. in flor. viij.
Riven. in Gotia Provincia Tholosan.
Petri de Lessato, Ord. Cluniac. m.
Mansiarilis, Ord. S. Bened. vi^c.
Fulenchis, Ord. Cisterc. cc.
Calerao, Ord. Cisterc. ccc.
Roscen. in Hibernia Provincia Casselen.
De Fonte-vivo, Ord. Cisterc. xlj⅓
Rossanen. in Calabria Metropolis.
Mariæ de Pruno, Ord. S. Basilii. lxxx.
Hadriani, Ord. S. Basilii. xxx⅓
Mariæ de Camigliano, Ord. S. Bened. xxxiij⅓
Rossen. in Scotia.
Mariæ de Ligola.
Trinitatis de Monte Siloto, unita. xxxiij⅓
Rothomagen. in Francia Metropolis.
Fiscamnien, Ord. S. Bened. viii^m.
Martini prope Pontisaram, Ord. S. Bened. v^c.
Andoini Rothomagen. Ord. S. Bened. iv^m.
Petri de Gemetricis, Ord. S. Bened. ii^m ccc.
Michaëlis de ulteriori Portu, Ord. S. Bened. v^c.
Mariæ de Rossonio, Ord. Præmon. lxxii⅓
Catherinæ in Monte, Ord. S. Bened. m.
Joannis Evangelistæ de Fulcardimont. Ordin. Cisterc. l.
Beccohelmi, Ord. S. Bened. iii^m.
Vvandragesilij, Ord. S. Bened. iv^m.
Victoris de Caleto, Ordin. Sanct. Bened. ccc.
Mariæ de mortuo mari, Ord. Cisterc. xxx.
Mariæ de Insula Dei, Ord. Præmon. xxvj⅓
De Bellobecco, Ord. Cister. cccc.
Mariæ de Voto, Ord. Cister. c.
Georgii Bosquervilla, Ord. Cluniac. cxxxij⅓
Ruthenen. in Francia Provincia Bituricen.
Unitus fuit Prioratus S. Fœlicis, val. lx. augetur tax. in flor. xx.
Conchen. Ord. S. Bened. vi^c.
Bonæ-vallis, Ord. Cisterc. vii^c.
Bello-loco, Ord. Cister. cc.
Bonnæ-Combæ, Ord. Cister. ii^m lxxvj⅓
Augetur tax. in flor. l. propter unionem cujusdam officii in loco de Pastomio Vabren. diœc.

Item augetur tax. in flor xxvj½ propter unionem Prioratus de Lencon, val. lxxx.
Loci Dei, Ord. Cisterc. ccxl.

S.

Sabinen. Cardinalis.
Mariæ Farfen. Ord. S. Bened. m.
Archangeli.
Mariæ de Puteali Ord. S. Bened. xxxiij½
Sagien. in Francia Provincia Rothomagen.
Petri supra divam, Ord. S. Bened. vii^c.
Mariæ de S. Andrea de Secferno, Ord. Cister. cxx.
Martini Sagien. Ord. S. Bened. cccl.
Mariæ de Silejo, Ord. Præmon. vii^c.
Mariæ de Trapa, Ord. Cisterc. cxxxiij½
Joannis prope Falesiam, Ord. Præmon. ccc.
Salamantin. in Hispania Prov. Compostellan.
Mariæ de la Vega, cum annexis tax. l, unitum S. Isidoro Legionem.
Salernitan. in Apulia Metropolis.
Philippi de Maceria, Ord. S. Ben. lxxxiij½
Mariæ Matris, Ord. S. Bened. lxvj½
Benedicti Salernitan. Ord. S. Bened. cc.
Caven. Ord. S. Bened. m.
Petri de Ebulo, Ord. S. Bened. lxvj½
Leonardi, Ord. S. Bened. xxxvj.
Mariæ de Verro, Ord. S. Bened. l.
Stephani de Marscisco, Ord. S. Bened. xxxiij½
Mariæ Novæ, Ord. S. Bened. xxxiij½
Mariæ de Tabenna, Ord. S. Bened. cxlviij½
Salvatoris de Sirino, Ord. S. Bened. xxxiij½
Salzburgen. in Alemania Metropolis.
Lamberti, Ord. S. Bened. m.
Unita est Parochialis Ecclesia in Obrig. val. viij. augetur tax. in flor. xiij½
Victoriæ, Ord. Cisterc. clxvj½
Sanctæ Severinæ, in Calabria Metropolis.
Angeli de Fragile, Ord. Cisterc. xxxiij½
Sancti Andreæ in Scotia Metropolis.
Unita fuerunt dictæ Ecclesiæ Prioratus de Petyneymie sive de Maya, Ord. S. Aug. val. c. l. Sterling. augetur tax. in flor. lxxxiij½
Thomæ Martyris, Ord. S. Bened. vi^c.
Crucis de Edemburg, Ord. S. Aug. clxxj.
De Scona, Ord. S. Aug. ccx.
Margaritæ Duniferlyngh, Ord. S. Bened. ccl.
Siuisinelesis, Ord. S. Bened. ccl.
Mariæ de Lontoris, Ord. S. Bened. cccxxxiij½
Unita fuit Parochialis Ecclesia de Crich, val. xx. marc. sterlingorum, augetur tax. in flor. xvi½
Mariæ de Campostenech. cccc.
Mariæ de Balmerenoch, Ord. Cister. cc.
De Calco aliàs de Riso, Ord. S. Bened. lxxvj½
Mariæ de Nevvuotk, Ord. Cister. c.
Mariæ de Driburgh, Ord. Præmon. cl.
Mariæ de Capro, Ord. Cisterc. c.
Sancti Flori, in Aquitania Prov. Bituricen.
Pipernini, Ord. S. Aug. ciij.
Aureliacen. Ord. S. Bened. ii^m.
Montio.
Sancti Marci, in Calabria Provinc. Messanen.
Mariæ de Martina, Ord. Cister. lx.
S. Angeli de Lombardis in Apulia.
Guillelmi de Iuglito, Ord. S. Bened. lxxxiii½
S. Pontii, Thomeriarum.
Vide *Pontii*.
Amani, Ord. S. Bened. cccc.
Fontis Calidi, Ord. Præmon. ccc.
Saonen. in Provincia Mediolanen.
Augetur taxa dictæ Ecclesiæ propter unionem Monasterii S. Andreæ de Sexto, Ianuen. eidem factam.
Georgij, Ord. S. Bened. xxxiij½
Quintini de Spirilo, Ord. S. Bened. lx.
Sarlaten. in Aquitania Prov. Burdegalen.
Vnita est Parochialis Ecclesia SS. Christophori, & Mariæ Magdalenæ, val. lx. scut. auri de Francia, augetur Δ. tax. in xxx.
Item vnitus fuit Prioratus de Salvitatum, Ord. S. Bened. val. xij. & Prioratus S. Pandulphi, Agennen. dioec. val. xxiv. auget. tax. in flor. xij.
Item vnitus Prioratus S. Quintini, valor. xxx. Δ. augetur tax. in Δ. x.
Terrasonen. Ord. S. Bened. ccc.
Amandi, Ord. S. August. cccc.
Caduini, Ord. Cisterc. v^c.
Sarsinaten. in Romandiola Prov. Ravennaten.
Angeli de Vergareto, Ord. Camal. c.
Mariæ de Truno, Ord. S. Bened. c.
Scabien. in Novergia Prov. Ridrosien.
Angeli de Ruuiglian, Ord. S. Bened. xxiij½
Melis de Riolo, Ord. S. Bened. xl.
Scalgen.
S. Mariæ de Carra, Ord. S. Basilij. xxxiij½
Scalitaren. in Prov. Anribaren.
Sergij & Bacchi, Ord. S. Bened.
Sedunen. in Prov. Provinciæ, Provincia Tarantasien.
Mauritij Agannen. Ord. S. Aug. cel.
Segobien. in Hispania.
Mariæ de Perazes, Ord. S. Aug. cccxxxiij½
Mariæ de Losnortos, Ord. Præmon. l.
Mariæ de Sacramonia, Ord. Cisterc. xl.
Seguntin. in Hispania.
Mariæ de Buffallis, Ord. S. Bened.
Mariæ de Galena, Ord. S. Bened. l.
Mariæ de Pulsano, Ord. S. Pened. lxx
Mariæ de Oliva, Ord. S. Bened. l
Mariæ de Orta, Ord. Cisterc. ccxxij.
Senen. in Tuscia Metropolis.
Trinitatis de Alisano, Ord. Vall. Vmbr. xxxiij½.
Vigilij, Ord. Camal.
Trinitatis Mustiolæ de Turri, Ord. Vallis-Vmbrosæ. lx.
Bone de Vidrio, Ord. S. Bened. xl.
Philippi & Iacobi, Ord. Vallis-Vmbr. xxiij½
Michaelis de Podio S. Donati, Ord. Vallis-Vmbrosæ. xl.
Senecen. in Provincia Provinciæ, Provincia Ebredunen.
Bono, Ord. S. Bened. xl.
Andreæ de Brulco, Ord. S. Bened. l.
Senogallien. in Marchia.
Unitum est Monasterium S. Mariæ Magdalenæ Terræ-ferræ Comitum, val. xij. augetur tax. in flor. iv.
Mariæ de Clarevallis in Castanola, Ordin. Cisterc. c.
Genesij, Ord. S. Bened. xxxiij½
Senonen. in Francia Metropolis.
Remigii Senonen. Ord. S. Bened. vjc.
Petri-vini Senonen. Ord. S. Bened. vii^c.
Joannis Senonen. Ord. S. Aug. v^c.
Eugenii prope Senon. Ord. S. Aug.
Severini de Castro Nantonis, Ord. S. Aug. vi^c.
Barbelle aliàs de Sactoportu, Ord. Cister. viij^c.
Sacra-cella, Ord. Cisterc. cc.
Columbæ prope Senon. m.
Petri & Pauli de Calamis in Baja, Ordin. S. Benedict. c.
Petri Ferraris, Ord. S. Bened. viii^c.
Layco, Ord. Cister. v^c.
Escaleris, Ord. Cister.
Joannis, de Jardio. ccxxv.

Trinitatis de Morniaco, Ord. S. Bened. ccccLxv.
Pruliaco, Ord. Cisterc. cc.
Vallis-lucentis, Ord. Cister. cc.
Jacobi de Promiro, Ord. S. Aug. ccl.
Petri de Molendino, Ord. S. Bened. viij^{c}.
Fontis Joannes, Ord. Cisterc. c.
Dei-loci, Ord. Præmonstr.

Septaen. aliàs *Cepten.*
Salvatoris de Torre, Ord. S.Bened. lxvj⅔
Salvatoris de Gansei, Ord. S. Bened. xxxv.
Claudii, Ord. S. Bened. xl.

Serven.
Angeli de Roccha contrata aliàs Nucerin. diœc.
Eustachii de Vermesia, Ord. S. Bened. cc.

Signien. in Sclavonia Provinc. Spalaten.
Nicolai Oppidi Ortozen. Ord. S. Bened. l.

Sipontin. in Apulia Metropolis.
Unitum fuit Monasterium S. Archangeli Montis Gargani val. xxiv. augetur tax. in flor. viij.
Item fuit unitum Monasterium Monialium Annunciat. loci Manfredon. valor. lx. augetur taxa in flor. xx.
Mariæ de Calena, Ord. S. Bened. l.
Mariæ de Pulsano, Ord. S. Bened. lxx.
Trinitatis de Monte-sacro, Ord. S. Bened. clx.
Joannis de Lamis, Ord. Cister. ccc.

Siracusan. in Sicilia Prov. Montis-regalis.
Roccha Dei, Ord. S. Bened. lxvj⅔
Mariæ de Terrana, Ord. S. Bened. xxxiij⅓
Mariæ de Arco, Ord. Cist. lxvj⅓
Mariæ de Rocchadia, Ord. Cisterc. lxxxiij.

Sistaricen. in Provincia Provinciæ Provincia Aquen.
Grossien. Ord. Cister. cccc.

Spalastren. in Sclavonia Metropolis.
Stephani de Spina, Ordin. S. Bened. xxxiij⅓

Spiren. in Alemania Prov. Maguntin.
Inhirsonggen. Ordin. S. Bened. c.
Petri in Vversemburgen. Ord. S. Bened. vii^{c}.

Spoletan. in districtu Urbis.
Petri de Florentillo, Ord. Sancti Bened.
Monte Marciano, Ord. S. Bened. c.
Sylvestri, Ord. Camal. xxxiij⅓
Eutycii Mutii, aliàs Vallis Castorien. l.
Juliani de Monte, Ord. S. Bened. xxxiij⅔
Felicis de Jano, Ord. Vallis-Umbrosæ. xxxiij⅓

Squilacen. in Calabria, Provincia Regin.
Joannis de Trevisto, Ord. S. Ben. xxxiij⅓
Georgii, Ord. S. Basil. xxxiij⅓
Stephani in Bosco, Ord. Carthusien. lxxv.
1513. de mense Decembris fuit disjunctum dictum Monasterium S. Stephan. ab Ordine Cister. & unitum perpetuò Ord. Cartusien. & positum in tax. ad flor. v^{c}. per Leonem X.
Mariæ de la Carra, Ord. S. Basil. l.
Nicolai de Mariota, Ord. S. Bened. xl.

Strigonien. in Ungaria Metropolis.
Benedicti, Ord. S. Bened. cc.

Suanen. in Tuscia.
Salvatoris de Monte Amiate, Ord. Cister. c.

Suessionen. in Francia, Provincia Remen.
Crispini majoris Suessionen. Ord. S. Bened. mvi^{c}.
Leodegarii Suessionen. Ord. S. Aug. clxvj⅔
Medardi Suessionen. Ord. S. Bened. ii^{m}cc.
Crispini in Canca prope Suession. Ord. S. Aug. cc.
Unita fuit Ecclesia S. Lamberti de Mansa, Landonen. diœc. val. xxiv. augetur tax. in flor. viij.
Joannis in Vineis, Ord. S. Aug. ^{m}cc.
Cornelii & Cypriani de Compendio, Ordin. Sancti Bened. ii^{m}.
Enodii de Brenna, Ord. Præmon. v^{c}.
Vallis Serenæ, seu Secretæ, Ord. Præmon. v^{c}.
Cessiaco, Ordin. Sanct. Bened. v^{c}.
Petri de Orbato, Ord. S. Bened. v^{c}l.
Longi-pontis, Ord. Cisterc. v^{c}l.
Vanserii, Ord. Præm.
Essonis, Ord. Cister.
Mariæ Vallis Christianæ, Ord. Præmon.

Surrentin. in Terra-laboris Metropolis.
Renati de Surrento, Ord. S. Bened. xxxiij⅓
Salvatoris de Surrento, Ord. Cisterc. xl.
Petri ad Crapolam, Ord. S. Bened. lxvj⅔
Archangeli de Ruvigliano, Ord. S. Bened. xxxiij⅓

Sylvanecten. in Francia, Provincia Remen.
Mariæ de Victoria, Ord. S. August. lxxx.
Unita fuit Thesauraria Ecclesiæ Franbalen. val.
Cari-loci, Ord. Cisterc. cclxvj⅔

T.

Tarentasien. In Provincia Provinciæ Metropolis.
Squamæ Dei, Ord. Cisterc. cvi⅔

Tarentina. in Apulia Metropolis.
Mariæ de Galesio, Ord. Cisterc. xxxiij⅔
Petri & Andreæ in Insula, Ord. S. Bened. xxxiij⅓
Mariæ de Crispiano, Ord. S. Bened. lxvj⅓
Mariæ de Galkano, Ord. S. Bened. xxxiij⅓
Viti de Buzo, Ord. S. Bened. lxxx.

Tarvien. in Vasconia, Provincia Auxitan.
Severi in Rostagno, Ord. S. Bened. cxxxiij⅓
Severini, Ord. S. Bened. cec.
Scalæ Dei, Ord. Cisterc. ccccl.
Regali, Ord. S. Bened. l.
Petri de Generoso, Ord. S. Bened. ccc.
Petri de Gasta, Ord. S. Bened. l.
Orientis, Ord. S. Bened. l.

Tarvisin. in Provincia Aquilegien.
Mariæ de Piro, Ord. S. Bened. c.
Euphemiæ de Villa-nova, Ord. S. Bened. xxx.
Aucta est taxa dicti Monasterii in floren. xvj⅔ propter unionem Monasterii S. Floriani de Marrostica, Paduan. diœc. ei factam.

Tauren.
Constantii, Ord. S. Ben.

Taurinen. in Provincia Mediolanen.
Augetur tax. in flor. lxvj⅔ propter unionem Monasterii de Futri ei factam.
Salvatoris majoris Taurinen. Ord. S. Bened. cl.
Michaelis de Secusia, Ord. S. Ben. viii^{c}.
Mariæ de Stapharda, Ord. Cisterc. cc.
Pinarolis, Ord. S. Bened. vi^{c}.
Justi de Secusia, Ord. S. Bened. ccc.
Mariæ de Gaburro, Ord. S. Bened. lxxx.
Mariæ de Savilia, Ord. S. Bened. cc.
Mauri de Pulcheria, Ord. S. Bened. l.
Augetur tax. in flor. xvj⅔ propter unionem de flor. l. eidem factam.
Petri & Andreæ de Ripalta, Ord. Cister. c.
Mariæ de Casa-nova, Ord. Cisterc. clxvj⅔
Mariæ de Caramania, Ord. S. Bened. c.
Victoris & Constantini, Ord. S. Bened. l.

Teatin. in Aprutio.
Mariæ in Basilica, Ord. S. Bened. l.
Joannis in Venere, Ord. S. Bened. v^{c}.
Viti & Salvi de Trivio, Ord. Cister. l.
Arabone, Ord. S. Bened. lxvj⅔
Clementis in Piscaria, Ord. S. Bened. xl.

Telesin. in Provincia Beneventan.
Salvatoris, prope Telesiam, Ord. S. Bened. xl.

Taraconen. in Aragonia Metropolis.
Populeto, Ord. Cisterc. m.
Marniasselli, Ord. Cister. m.
Crucam. Ord. Cister. m.

Terdonen. in Lombardia, Provincia Mediolanen.
Mariani prope Terdonam. cc.

Alberti

Alberti de Butrio, Ord. S. Bened. xl.
Ripalta, Ord. Cisterc. cxl.
Hæc taxa de Ripalta aucta fuit ad flor. ccc. per Alex. Papam VI.
Petri de Papiano, Ord. S. Bened. c.
Stephani, Ord. S. Ben. lxvj½
Petri de Molla, Ord. S. Bened. lx.
Pauli extra muros Terdonen. Ord. Vallis-Umbr. xxxiij½
Bononis de Vigueria, Ord. S. Bened. xxxiij½

Tarracinen. in Campania & Maritima.
Fossæ-novæ, Ord. Cisterc. ccl.
Mariæ de Petra, Ord. Cisterc. v^c.
Stephani extra muros Sermonetæ, Ord. S. Bened. cl.

Theanen. in Terra-laboris, Provincia Capuan.
Mariæ de Ferraria, Ord. Cisterc. cc.

Tiburtina prope Romam.
Tublacen. Ord. S. Bened. m.
Aucta est taxa in flor. l. propter unionem Monasterii S. Angeli super Nympham, Velletren. dioec. eidem Monasterio Sublacen. factam.
Item unita fuit Ecclesia S. Bartholomæi in Insula de Urbe, val. xxiv. augetur tax. in flor. viij.
Mariæ de Porcinis, Ord. S. Bened. l.
Unitum est Monasterium Monialium S. Mariæ in Silice extra Castrum Vallis-Montani, Signen. dioec. val. lx. augetur tax. in flor. xx.

Tiramen.
Mariæ de Sterpeto, Ord. Cisterc. xl.

Tirasonen. in Aragonia, Provincia Cæsaraugustan.
Mariæ de Phireto, Ord. Cisterc. xxxiij½
Mariæ de Petra, Ord. Cisterc. cc.
Mariæ de Berola, Ord. Cister. cccc.
Mariæ de Sistero, Ord. Cister. xxxiij½

Toletan. in Hispania Metropolis.
Mariæ vallis Ecclesiarum, Ord. Cister. l.
Vallis-bonæ de Doco, Ord. Cister. xxxiij½
Orte de Faifa, Ord. Cisterc.

Tolosan. in Gotia Metropolis.
Saturnini Tolosani, Ord. S. Aug. iv^m.
Mansigarnesii, Ord. S. Bened. vi.
Grandis Sylvæ, Ord. Cisterc. iv^m.
Mariæ de Capella, Ord. Præmon. ccc.
Helnarum, Ord. Cisterc. ccxx.
Petri de Curt, aliàs Monsorganesii, Ordin. S. Ben. cc.

Tomeriarum.
Aniani, Ord. S. Bened. cccc.
Fontis-calidi, Ord. Præmon. cccc.

Torcellan. in Provincia Venetiarum.
Thomæ de Torcell. Ord. Cisterc. cccxxv.
Michaëlis de Morano, Ord. Camald. cc.
Unitum fuit Monasterium S. Michaëlis de Lene, Parentin. dioec. val. xxiv. augetur tax. in flor. viij.
Item unita fuerunt Monasteria Montis Crucum, & de Porticilia invicem unita, val. cc. augetur tax. in flor. lxvj½
Cypriani de Maurano. cclxxx.

Tornacen. in Francia, Provincia Remen.
Martini Tornacen. Ord. S. Bened. iv^m.
Calixti de Cisoino, Ord. S. Aug. c.
Nicolai de Pratis, Ord. S. Aug. cc.
Bononis Ganden. Ord. S. Bened. ix.^m.
Amandi in Pabula, Ord. S. Bened. ccc.
Petri de Claudenburgen. Ord. S. Bened. ccc.
Andreæ extra Burgum, Ord. S. Bened. cccc.
Mariæ Trongunen. Ord. Præmon. ccl.
Dulcis-vallis, Ord. S. Aug. cxx.
Petri Gauden. v^m.

Mariæ de Laude, Ord. Cister. cc.
Capella Cosan. Ord. Cister. cxxxvj½
De Bandello, Ord. Cisterc. lxvj½

Tragarien.
Joannis Evangelistæ, Ord. S. Bened. cx.

Trajecten. in Alamania, Provincia Colonien.
Pauli Trajecten. Ord. S. Bened. ccc.
Laurentii in Horsberth, Ord. S. Bened. c.
Egimooden. Ord. S. Bened. c.
Siloen. Ord. Præmon. cc.
Odulphi de Stauria, & Hermelis, Ord. S. Bened. unita. lxxiij½
Mariæ Migdiburgen. Ord. Præmon. v^c.
Unitæ sunt Parochiales Ecclesiæ de novo & veteri Vlisinghen. val. xxvj. l. monetæ Flandriæ, augetur taxa in flor. xxvj.
Mariæ de Insula, Ord. Præmon.
Mariæ Clari-campi, Ord. Cisterc. l.

Tranen. in Apulia Metropolis.
Templum Dei Ierosolymitan. Ord. Sancti Bened. xxxiij½

Trecen. in Francia, Provincia Senonen.
Celle Trecen. Ord. S. Bened. m.
Lupi Trecen. Ord. S. Aug. vi^c.
Archemaren. Ord. S. Bened. ii^m.
Mariæ de Vigella. cc.
Martini de aeris, Ord. S. Aug. clx.
Petri de Vigella abscondita, Ord. S. Bened. c.
Bullancuria, Ord. Cisterc.
Sigilleris, Ord. Cister.

Trecoren. in Britannia, Provincia Turonen.
Bergardo, Ord. Cisterc. vii^c.
Crucis prope Trecor. Ord. S. Aug. c.
Unita fuit Parochialis Ecclesia S. Martini prope Villam Guengambi, val xxiv. augetur taxa in flor. viij.

Treveren. in Alamania Metropolis. x^m v^c.
Mathiæ prope muros Treveren. Ord. S. Bened. cl.
Unita est Vicaria Ecclesiæ S. Medardi extra muros, val. iij. marc. argenti, augetur tax. in floren. v.
Vallibrundi, aliàs Eternafen. Ord. S. Aug. ccc.
Martini prope muros Treveren. Ord. S. Benedict.
Maximini extra muros Treveren. Ord. S. Bened. cccc.
Unitæ sunt Parochiales Ecclesiæ S. Firmini in Aspitirei, val. xv. marc. & S. Maximini Meten. dioec. val. xv. marc. augetur flor. l.
Item unita fuit Parochialis Ecclesia de Taverna, Treveren. dioec. val. x. flor. Renen. augetur tax. in flor. ij.½
Salvatoris in Prumia, Ord. S. Bened. v^c.
Mariæ extra Muros Lucemburgi, Ord. S. Bened. lxvj.½
Mariæ Lacen. aliàs de Lacu, Ord. S. Bened. ccl.
Mariæ Aureæ-Vallis, Ord. Cister. xxxiij½

Tricastin. in Provincia Provinciæ, Provincia Arelaten. cccc.
Aqua-bella, Ord. Cisterc. ccl.
Pauli Tricastin. cccc.

Tridentin. in Provincia Aquilegien.
Laurentii extra muros. l.

Triventin. in Apulia.
Mariæ de Nuce, Ord. S. Bened. xxxiij½
Petri de Lavallana, Ord. S. Bened. xl.
Petri de raxo de Villa, Ord. S. Bened. xl.

Trojan. in Apulia, Provincia Sipontin.
Nicolai de Fogia, Ord. S. Bened. xxxiij½

Tropien. in Calabria, Provincia Regin.
Angeli prope Tropien. Ord. S. Bened.
Mariæ de Fonte-lameto xxxiij½

Tuamen.

Tuamen, in Hibernia Metropolis.
Mariæ de Concha, Ord. S. Aug. xl.
Mariæ Collis-Victoriæ, Ord. Cisterc. xl.
Joannis Evangelistæ, Ord. S. Bened. xxxiij ⅓
Tuden. in Portugallia, Provincia Bracaren, sive in Galatia.
Ferialibus, Ord. Cisterc. xl.
Mariæ de Oya, Ord. Cisterc. c.
Mariæ de Franguerra, Ord. Cisterc. xxxiij ⅓
Unita est Parochialis Ecclesia B. Mariæ, valor. x. augetur rax. in flor. iij. ⅓
Melone, Ord. Cisterc. lxxx.
Tudertin. in Ducatu Spoletan.
Unita est Parochialis Ecclesia B. Mariæ de Collecatonis, val. xx.
Item onita sont duo Monasteria Monialium, val. xv. augetur taxa in flor. xj ⅓
Pancratii, Ord. S. Basil. l.
Unitæ sunt Ecclesiæ rurales S. Mariæ de Casalata S. Martini de Longobardis, & S. Anastasiæ de Castro-veteri, val. augetur tax. in flor. v.
Fidentii & Colentii, Ord. S. Basil. c.
Urci de Villa-Oppidii.
Petri de Valle.
Mariæ de Pontano, Ord. S. Bened. xl.
Tullen. in Lotharingia, Provincia Treveren.
Apri extra muros Tullen. Ord. S. Basil. cxx.
Unitus est Prioratus de Duleyo, val. xxx. augetur tax. in flor. x.
Elabons Montis, Ord. Præmon. lx.
Mariæ Vallis, Ord. Præmon. cc.
Mariæ de Vallibus de Ornesio, Ord. Cister. cl.
Mediani, Ord. S. Bened. cxx.
Remigii de Lunarvilla, Ord. S. Aug. cxxij.
Unita est Parochialis Ecclesia de Formavilla, val. xvj. augetur tax. in flor. v ⅓
Clamonstraten Ord. S. Aug. cxvij.
Mansueti extra muros Tullen. Ord. S. Bened. cc.
Aucta est taxa in flor. xxxiij ⅓ propter unionem Prioratus B. Mariæ de Novo-castro ipsi factam
Mariæ de Ianderiis, Ord. Præmon. ccc.
Snginagen. Ord. Præmonstr. lxvj ⅔
Petri Senonen, Ord. S. Bened. c.
Unitus est Prioratus S. Jacobi & Christophori de Momer. val. lxxx. augetur tax. in flor. xxxvj ⅔
Mariæ de Insula, Ord. Cisterc. xxxiij ⅓
Mariæ de Bello prato, Ord. Cisterc.
Turonen. in Francia Metropolis.
Majoris Monasterii, Ord. S. Bened. vii^m.
Pauli de Cormeriaco, Ord. S. Bened. cc.
Maria de Hucariis, Ord. S. Bened. ccc.
Juliani de Scalaria, Ord. S. Bened. cccc.
Trinitatis de Bello-loco, Ord. S. Bened. c.
Mariæ de Aquaviva, Ord. S. Aug. cxx.
Unitus est Prioratus S. Medardi de Diene, val. xxiv. augetur tax. in flor. viij.
Salvatoris Villæ-lupen. Ord. S. Bened. cxx.
Mariæ de Sulleyo, Ord. S. Bened. cx.
Turpiniaco, Ord. S. Bened. c.
Mariæ de Castineta, Ord. S. Aug. l.
Petri de Pruliaco, Ord. S. Bened. c.
Fontanis-Albis, Ord. Cisterc. xxxiij ⅓
Claritate Dei, Ord. Cisterc. c.
Turritan. in Sardinia Metropolis.
Augetur taxa in flor. x. propter unionem Monasterii S. Petri de Salanoeid, Ecclesf. factam.
Padul. Ord. Cister. xxxiij ⅓
Sublaco, Ord. S. Basilii. m.
Michaëlis de Plajano, Ord. Vallis-Umbr. cc.
Monasterium B. Mariæ de Sergio Ampurien. diœc. tax. ad flor. l. est unitum mensæ Archiepiscopali Turritan. ideò taxa augetur ad dictos flor. l.
Item est unitum Ecclesiæ Palonaten. tax. xxxiij ⅓
Tusculan. Cardinalis.
Mariæ de Cripta ferrata, Ord. S. Basil. cccc.
Tutellen. in Aquitania Provincia Bituricen.
Mariæ de Valera, Ord. Cisterc. clx.

V.

Vabren. in Aquitania Prov. Bituricen.
Silvanesii, Ord. Cisterc. ccc.
Nanten. Ord. S. Bened. cc.
De Sorisino, Ord. S. Bened. c.
Valentin. in Aragonia Metropolis.
Vallis-Crescentis, Ord. Cisterc. lxxix ⅓
Vallis dignæ, Ord. Cister. v^c.
Bernardi prope Valentiam. ccxij.
Valentinen, & Dien. in Provincia Provinciæ & Provincia Viennen.
Unitus est Prioratus de Clino, val. xv. augetur tax. in flor. v.
Ruffi extra muros Valentin. Ord. S. Augustin. ccc.
Tertii Sanonis, Ord. S. Aug. lxxx.
Varadien. in Ungaria Prov. Colocen.
Stephani Regis, Ord. S. Bened. lxvj ⅔
Vasaten. in Vasconia Prov. Auxitan.
Blavi-montis, Ord. Sancti Bened. cxc.
Fremerii, Ord. S. Bened. cccc.
Mariæ de Rineco, Ord. Cister. lxvj ⅔
Mariæ Fontis Guillelmi, Ord. Cister. lxvj ⅔
Vauren. in Gotia Prov. Tholosan.
Soriamo, Ord. S. Bened. m^ccc.
Silvanesio, Ord. Cisterc. ccc.
Veglen. in Sclavonia Prov. Iardren.
Mariæ de Castilione, Ord. S. Bened. l.
Luciæ de Vesta, Ord. S. Bened. l.
Velitren.
Marmosolii, Ord. Cist. xl.
Angeli supra Nympha, Ord. Floren. l.
Veneten. in Britannia Prov. Turonen.
Salvatoris de Zolchono, Ord. S. Bened. v^c.
Unita est Sacristia ipsius Monasterii c. l. monetæ Britanniæ, augetur taxa in flor. xxvj ⅔
Gildasii Riven. Ord. S. Bened. xc.
Unitus est Prioratus de Artz, val. c. l. Turonen. augetur tax. in flor. xxxiij ⅓
Gilde, Ord. S. Bened. c.
Mariæ de la Maulx, Ord. Cister. xxxiij ⅓
Mariæ de Precibus, Ord. Cister. m v^c.
Venetiarum, Patriarcha cum Ecclesiis Castelan.
Emenien. & Granden. eidem unitis.
Georgii Illatii, & Benedicti Ord. S. Bened. cccxxx.
Vercellen. in Provincia Mediolanen.
Unita est Præpositura S. Bartholomæi extra muros Vercellen. valor. cccl. augetur tax. in flor. cxvj ⅓
Item eidem Ecclesiæ Vercellen. est unita Præpositura S. Germani Vercellen. val. ccc. augetur tax. in flor. c.
Andreæ de Vercellis, Ord. S. Aug. ccc.
Jacobi de Bessia, Ord. S. Bened. xlij.
Mariæ de Lucedio, Ord. Cister. m^ccc xxxij ⅓
Hazarii de Blandriario, Ord. S. Bened. cc.
Unitus est Prioratus S. Mariæ de Vestignato Ipporegien. diœc. val. cl. augetur taxa in flor. l.
Januarii Vercellen. Ord. S. Bened. clx.
Stephani, Ord. sancti Benedicti. cc.
Victoris & Coronæ de Grassano, Ord. S. Bened. cl.
Benedicti de Mulegio, Ordinis Vallis-Umbrosæ, cccxxxiij ⅓
Verden. in Alemania Provincia Maguntin.
Michaelis de Lunemburgh, Ord. S. Bened. ccccl.

Veronen.

Veronen. in Provincia Aquilegien.
Zenonis Veronen, Ord. S. Bened. v^c.
Firmini, Ord. S. Bened. cc.
Viti & Modesti, Ord. S. Bened. c.
Æternitatis.
Mariæ de Orgariis.
Nalarii.
Vesprimen. in Ungaria Provincia Strigonien.
Mauritii de Beel, Ord. S. Bened. l.
Mauritii del-Utel, Ord. S. Ben. l.
Andreæ Vissegraden. Ord. S. Bened.
Ægidii de Sonigio, Ord. Sancti Bened. cl.
Mariæ Virginis super Budam veterem, Ord. S. Pauli primi hermitæ,
Vicen. in Aragonia Prov. Tarraconen.
Mariæ Rumpuli, Ord. S. Bened. vi^c.
Benedicti de Bagis, Ord. S. Bened. v^c.
Mariæ de Monte Ferrato, Ord. S. Bened. m.
Cæciliæ de Monte Ferrato, Ordin. S. Bened. cxl.
Unitus est Prioratus S. Sebastiani Barchinonen. diœc. val. cc. l. Barchinonen. augetur tax. in flor. lxvj⅔
Joannis de Abbatissis, Ord. S. Aug. cclxx.
Mariæ de Sragno, Ord. S. Aug. ccl.
Vicentin. in Provincia Aquilegien.
Petri de Villa-nova, Ord. S. Bened. cliij.
Fœlicis & Fortunati. clx.
Viennen. in Francia prima cum Monasterio S. Theodori unito.
Unitus est Prioratus S. Mariæ Iliaci, val. cl. auget. l.
Antonii, Ord. S. Aug. ii^m.
Petri Foris portam Viennen. celiij⅓
Unitus est Prioratus de Averon. val. cxx. augetur tax. in flor. xl.
Item est unitus Prioratus S. Juliani in heremo val. xl. augetur tax. in flor. xiij⅓
Andreæ aliàs Monachorum extra muros, Ord. S. Bened. cc.
Bonæ-Vallis, Ord. sancti Benedicti. ccc.
Vintonien. in Anglia Provincia Cantuarien.
Mariæ de Bello-loco Regis nuncupato. lx
Virdunen.
Mariæ de Castillone, Ord. Cisterc. cccxxxiij⅓
Pauli extra muros Virdunen. cc.
Vetoni Virdunen. Ord. S. Bened. lxvj.
Michaëlis, Ord. S. Bened. vi^clxvj⅔
Unitus est Prioratus B. Mariæ de Baxeo duc. val. cxx. v^c. pro medietate duc. val. augetur tax. in flor. xx.
Belli-loci in Aragonia. v^c
Mariæ de Calaccia, Ord. Cisterc. ccxvj⅔
Ita taxatur de mandato S. D. N. Clementis Papæ VIII. in Consistorio secreto die 23. Febr. 1598. à Nativitate.
Vigornien. in Anglia Provincia Cantuarien.
Evezanæ, Ord. S. Bened. m.
Visen. in Portugalia Provincia Bracaren,
Christophori de la Fontes, Ord. Cisterc. lxvj⅔
Nota quod Monasterio B. Mariæ de Aquilari, Ord. Cisterc. Camacen. diœc. est unita Parochialis Ecclesia B. Mariæ de Cerdeyo Visen. diœc. val. xxiv. augetur tax. in flor. viij.
Viterbien. in districtu Urbis.
Martini de Montibus, Ord. Cisterc. l.
Vivarien. in Provincia Provinciæ Prov. Viennen.
Mansiædæ, Ord. Cisterc. cl.
Crudacjo, Ord. S. Bened. cccc.
Bonorum Camporum, Ord. Cisterc. lxxx.
Vlixbonen. in Portugalia Metropolis.
Alcobatiæ, Ord. S. Aug. ii^m.
Vincentii extro muros, Ord. S. Aug. lxvij⅔
Vratislavien. vel *Vvredicilaten.* in Pononia Provincia Gueznen.
De Camentz. Ord. Cister.
Unita est Parochialis Ecclesia de Biezon, val. x, marc. augetur tax. in flor. xvj⅔
Luben. Ord. Cisterc.
Mariæ in Harena.
Vincentii extra muros, Ord. Præmon. lxxxiij⅓
Urbeveran. in Tuscia.
Severi, Ord. Præmon. lxxx.
Unitum est infrascriptum Monasterium S. Nicolai de Monte, augetur tax. in flor. cc.
Nicolai de Monte, Ord. S. Bened. cc.
Luciæ de Rasa, Ord. S. Bened.
Urbinaten. in Romandiola.
Vincentii de Petra pertusa, Ord. S. Bened. lxvj⅔
Lazari, Ord. S. Bened. lxxx.
Agathæ, Ord. S. Aug. xliij⅓
Angeli de Caysa, Ord. S. Bened. xxxiij⅓
Christophori de Castro-durantis, Ord. S. Bened. xxxiiij⅓
Urgellen. in Cathalonia.
Unitum est Monasterium B. Mariæ de Solsena, val. ccccl. augetur tax. iu flor. cl.
Saturnini de Tabernaculo, Ord. S. Bened. l.
Petri de Pratello, Ord. S. Bened. c.
Vulterranen. in Tuscia.
Unitum est Monasterium de Morona infrascriptum augetur tax, in flor. lx.
Mariæ de Morona, Ord. Camal. lx.
Salvatoris in Spognia, Ord. Vallis-Umbrosæ. xl.
Justi Vvlterrani, Ord. Camald. c.
Vincentii de Vvlterris, Ord. S. Bened. cc.
Salvatoris de Izola, Ord. S. Bened. c.
Mariæ de Serena, Ord. Vallis-Umbrosæ. l.
Petri de Monte viridi, Ord. Vallis-Umbr. l.
Salvatoris & Quirini de Insula, Ordin. Sancti Bened. c.
Mariæ de Caneto, alias de Conero, Ord. Vallis-Umbr. l.
Galgani, Ord. Cisterc. ccc.
Unitum est Monasterium S. Mariæ Novellæ extra muros Senen. val. xl. augetur tax. in flor. xiii⅓
Angeli de Vulterno, Ord. Camal.
Helmi, Ord. Camal. xxxiij⅓
Unitum est Eremitorum S. Mariani prope Gambasium, val. viij. augetur tax. in flor. ii⅔

FORMU-

FORMULARIUM ABBATUM, ET ALIORUM PRÆLATORUM INFERIORUM:

Continens literas patentes, ac cujuscumque generis licentias; Item formas literarum, processuum, aliorumque actuum pro Abbatibus, & hæreticæ pravitatis Inquisitoribus:

Opera & diligentia R. P. D. *Ascanii Tamburinii*, Vallumbrosani Theologiæ Magistri, è variis originalibus, & Doctoribus collectum.

INDEX

LITERARUM PATENTIUM HUJUS FORMULARII,

Ordine Alphabetico digestus.

FORMULARIUM ABBATUM, ET ALIORUM PRÆLATORUM:

In qua variæ Formulæ continentur ad Abbates, & alios Prælatos, etiam Jurisdictionem Episcopalem habentes, tam Regulares, quàm Seculares spectantes.

Professionis Novitiorum Sancti Benedicti.

Formula I.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi, Amen. Anno à Nativitate ejusdem Domini nostri N. die mensis N. Ego N. de tali loco, & diœcesi, promitto stabilitatem meam, & conversionem morum meorum, obedientiam secundùm Regulam S. Benedicti coram Deo, & omnibus Sanctis, quorum Reliquiæ habentur in hoc Monasterio N. diœcesis N. in præsentia N. Abbatis ejusdem Monasterii sub Congregatione S. Justinæ, ad cujus rei fidem hanc petitionem manu propria scripsi die, de qua suprà, &c.

Habetur *in fine Regula S. P. Benedicti à PP. Vallisoletanis, Salmatica impressa, anno* 1569.

Alia Formula similis Novitiorum Congregationis Vallis-Umbrosa.

Ego Frater N. promitto stabilitatem meam, & conversionem morum meorum, & obedientiam, & castitatem perpetuam, & sine proprio vivere, secundùm Regulam S. Benedicti Abbatis, & institutum Sanctissimi P. nostri Joannis Gualberti coram Deo, & Sanctis ejus, in hoc Monasterio, quod est constructum ad honorem Dei, & B. Mariæ semper Virginis, & B. N. & omnium Sanctorum & Sanctarum ejus sub obedientia Reverendiss. in Christo P. & Domini D. N. Vallis-Umbrosæ Abbatis Generalis dignissimi, in præsentia, &c.

Habetur *in fine Missalis Monastici secundùm consuetudinem ejusdem Ordinis Vallis-Umbrosa Venetiis impressi, anno* 1503.

Professionis Clericorum Ordinis Minorum Conventualium.

Formula II.

Ego Frater N. voveo, & promitto Deo omnipotenti B. Mariæ semper Virgini, B. Francisco, & omnibus Sanctis, & tibi pater toto tempore vitæ meæ servare Regulam Fratrum Minorum per D. Papam Honorium confirmatam, & à pluribus Summis Pontificibus declaratam, juxta privilegia Ordini Min. Convent. ab Apostolica S. Sede concessa, & Constitutiones Urbanas vivendo in obedientia sine proprio, & in castitate, &c.

Refertur *in Constit. Urbanis Frat. Ord. Min. Convent. S. Franc. cap. 2. reg. tit. 21. num. 4.*

Professionis Oblatorum S. Ambrosii.

Formula III.

Ergo N. Omnipotenti Deo, & P. nostro Ambrosio coram Beatiss. Virgine Dei matre Maria, & tota cælesti curia, ac tibi quoque locum Sanctiss. P. nostri Ambrosii hic obtinenti, Reverend. Domine Pater Archiepiscope, cæterisque deinceps Archiepiscopis S. Mediolanen. Ecclesiæ, successoribus tuis, promitto, spondeo, ac voveo perpetuam obedientiam in his omnibus, quæ mihi præcipientur ad Dei gloriam, & salutem animarum ejusdem Ecclesiæ, ad procurandam, adjuvandam, & promovendam ad præscriptum institutæ Congregationis Oblatorum Sanctiss. P. nostri Ambrosii; illudque præterea spondeo, ac voveo me in Congregatione, & instituto hoc perpetuò victurum.

Habetur hæc Formula apud Aubertum Miræum Bruxellen. *lib. de Congreg. Cleric. cap.* 14.

Professionis fidei à Ministro Generali electo Ord. Min. Convent. omittenda cum juramento.

Formula IV.

Ego Frater N. Minister Ord. Fratr. Min. Convent. firma fide credo, & profiteor omnia, & singula, quæ continentur in Symbolo Fidei, quo S. R. E. utitur, videlicet: *Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem cæli & terræ, visibilium omnium, & invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum Filium Dei unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia sæcula; Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum non factum consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cælis: Et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine; & homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, & sepultus est; Et resurrexit tertia die secundùm Scripturas; Et ascendit in cælum, sedet ad dexteram Patris; Et iterum venturus est cum gloria, judicare vivos & mortuos. Cujus Regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum Dominum, & vivificantem; Qui ex Patre, Filioque procedit; Qui cum Patre, & Filio simul adoratur, & conglorificatur, qui locutus est per Prophetas. Et unam sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum; Et expecto resurrectionem mortuorum: Et vitam venturi seculi Amen.* Apostolicas, & Ecclesiasticas traditiones, reliquasque ejusdem Ecclesiæ observationes, & constitutiones firmissimè admitto, & amplector. Item sacram Scripturam juxta sensum quem tenuit, & tenet Sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, & interpretatione Sacrarum Scripturarum, admitto, nec eam unquam, nisi juxta unanimem consensum Patrum accipiam, & interpretabor.

Profiteor quoque septem esse verè & propriè Sacramenta novæ legis a Jesu Christo Domino Nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licèt non omnia

singulis

singulis necessaria, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, extremam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium, illaque gratiam conferre, & ex his Baptismum, Confirmationem, & Ordinem sine sacrilegio reiterare non posse. Receptos quoque & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione recipio, & admitto: omnia, & singula, quæ de peccato originali, & de justificatione in Sacrosancta Tridentina Synodo definita fuerunt, amplector, & recipio.

Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum, proprium, & propitiatorium sacrificium pro vivis atque defunctis, atque in SS. Eucharistiæ Sacramento esse vere, realiter, & substantialiter Corpus, & Sanguinem unà cum anima, & Divinitate Domini Nostri Jesu Christi, fierique conversionem totius substantiæ panis in Corpus, & totius substantiæ vini in Sanguinem, quam conversionem Ecclesia Catholica transubstantiationem vocat. Fateor etiam sub altera tantum specie totum, atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi: Constanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis adjuvari. Similiter, & Sanctos unà cum Christo regnantes venerandos, atque orationes pro nobis Deo offerre, atque eorum Reliquias esse venerandas firmissimè assero.

Imagines Christi, & Deiparæ semper Virginis, nec non aliorum Sanctorum habendas, & retinendas esse, atque eis debitum honorem, & venerationem impertiendum; Indulgentiarum etiam potestatem à Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum Christiano populo maximè salutarem esse affirmo. Sanctam Catholicam, Apost. Rom. Eccles. omnium Ecclesiarum matrem, & magistram agnosco, Romanoque Pontifici Beati Petri Apostolorum Principis successori, ac Jesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo, ac juro. Cætera item omnia à sacris Canonibus, Occumenicis Conciliis ac præcipuè à sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata indubitanter recipio, atque profiteor, simulque contraria omnia, atque hæreses quascunque ab Ecclesia damnatas, & rejectas, & anathematizatas ego pariter damno, rejicio, & anathematizo. Hanc verò Catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in præsenti sponte profiteor, & veraciter teneo, eamdem integram, & inviolatam usque ad extremum vitæ spiritum constantissimè (Deo adjuvante) retineri, & confiteri, atque à meis subditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri, prædicari, quantum in me erit, curaturum. In correptionibus judicialibus gravium criminum, & in provisionibus, promotionibus, confirmationibus, destitutionibus, & repulsionibus faciendis, de personis dicti Ordinis fideliter secundùm Deum, & Regulam B. Francisci, puramque & rectam conscientiam me habebo; actoto meæ gubernationis tempore (quantum in me fuerit) adnitar studiosissimè, ut Regulæ, & Constitutionum nostrarum observantia in Religione exquisitè vigeat, ita ut de cultu divino, & de Regulari disciplina, si quid ad meliorem formam redigendum comperero, non parcatur cura mea, labor, studium, aut industria desideretur.

Sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia.

Refertur in Const. Urbanis Fratrum Ord. Min. Con. S. Francisci in cap. 8. Regula sub tit. 9. pag. 252 & seq.

In re tanti momenti hic Constitutiones Summorum Pontificum pro fidei professione mittenda, tam à Latinis quàm Græcis, adjungere simul cum ipsis Formulis ejusdem fidei professionis mihi visum est, per hæc verba, quæ sequuntur:

PIUS EPISCOPUS,
Servus Servorum Dei.
Ad perpetuam rei memoriam.

IN sacrosancta B. Petri Principis Apostolorum Cathedra, meritis licèt imparibus, hisce procellosis militantis Ecclesiæ tempestatibus constituti plurimùm nos oportet esse sollicitos, ut Dominici gregem curæ nostræ commissum, non solum ab apertis rapacium luporum undecumque cautis obstrepentium insultibus, sed etiam à magis formidolosis pestiferarum vulpecularum domi latitantium insidiis, per providum pastoralis officii ministerium, ipso Domino cooperante præservemus, ac illis omnes nocendi occasiones, quantum cum Deo possumus, ubilibet auferamus. Cùm itaque juxta notum Sanctissimi Vatis oraculum, timor Domini, sine quo vera Religio, & Catholicæ fidei puritas nullibi reperitur, sapientiæ sit initium, & qui vel in scientiis proficere, vel eas alios docere parant, supremum illum sapientiæ parentem, benignumque largitorem devoto fuæ fidei obsequio demereri, veraque sinceræ Religionis pietate sibi conciliare debeant. Idcirco hanc fidei puritatem, scientiis, doctrinisque quibuslibet, tam tradendis, quàm addiscendis, tanquam necessariam basim constituere, & ne simplicia nonnullorum adolescentium, res novas audiendi cupidorum, ingenia in naufragos blandientium hæresum scopulos imprudenter impingant, occurrere cupientes; Motu proprio, & ex certa scientia nostra, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, quod deinceps nullus Doctor, Magister, Regens, vel alius cujuscumque artis, & facultatis professor, sive clericus, sive laicus, ac secularis, vel cujusvis Ordinis Regularis sit, in quibus studiorum generalium Universitatibus, aut gymnasiis publicis, aut alibi ordinariam, vel extraordinariam Lectoris Cathedram assequi, vel jam obtentam retinere, seu aliàs Theologiam, canonicam vel civilem censuram, Medicinam, Philosophiam, Grammaticam, vel alias liberales artes, in quibuscumque civitatibus, terris, oppidis, ac locis etiam in Ecclesiis, Monasteriis, aut Conventibus Regularium quorumcunque, publicè, vel privatim quoquomodo profiteri, seu lectiones aliquas in facultatibus hujusmodi habere, vel exercere. Neque Doctores ipsi aut Universitatum, seu gymnasiorum eorundem Rectores, Cancellarii, vel alii Superiores, sed nec etiam Palatini Comites, aut alii particulares, facultatem eruditos viros ad eosdem gradus promovendi, etiam à Nobis, & Apostolica Sede, vel alias undecunque habentes, Scholares, tam laicos quàm clericos, & cujusvis Ordinis Regulares, vel alios quoscumque, quantalibet eruditione præditos, ad ullum gradum in eisdem facultatibus suscipiendum recipere, & admittere. Neque Doctores, Magistri, & Scholares, ad electionem alicujus in Rectorem, vel Cancellarium Universitatis, aut gymnasii procedere; Nec ipsi Scholares, vel alii quantumlibet docti, & aliàs habiles, gradus hujusmodi, vel eorum aliquem, palam, vel privatim recipere valeant, nisi Doctores videlicet, ac Regentes, Magistri, & alii Professores jam ad Cathedras, & Lecturas recepti, in Italia infrà tres, extrà verò illam infrà sex menses à die publicationis præsentium computandos; reliqui verò ad Cathedras, & alias Lecturas ibidem in posterum assumendi ante illorum receptionem, in Rectores, vel aliorum Superiorum; eligendi autem in Rectores vel Cancellarios ante illorum electionem, vel saltem admissionem in Ordinarii loci, vel ejus in Spiritualibus Vicarii. Ac promovendi Scholares, & alii præfati ante illorum promotionem in eisdem Ordinarii, seu ejus Vicarii, aut Doctorum, aliorumve promoventium manibus, prævio etiam processu, vel debita

debita informatione, quantum eis sufficere videbitur, super Religione, fideque Catholica, Rectorum, Cancellariorum, Doctorum, Lectorum, & promovendorum eorundem per ipsos locorum Ordinarios, vel eorum Vicarios ritè facta præcedente, eandem Catholicam fidem, verbis, juxta formæ infrascriptæ tenorem conceptis, palam, & solemniter profiteri teneantur. Et desuper instrumentum publicum confici, ac de processu, seu informatione, & fidei professione in privilegio Doctoratus, vel alterius gradus hujusmodi specialis, ac de verbo ad verbum mentio, & relatio fieri debet, auctoritate Apostolica, tenore præsentium perpetuò statuimus, & ordinamus. Ac omnibus & singulis earundem universitatum, & gymnasiorum Rectoribus, Doctoribus, & aliis Superioribus, ac aliàs facultatem doctorandi habentibus, cujuscumque status, gradus, , ordinis, conditionis, & præeminentiæ fuerint, etiamsi Episcopali, Archiepiscopali, Patriarchali, vel majori dignitate, etiam Cardinalatus, honore, ac Ducali, vel alia etiam Regia, & Imperiali auctoritate præfulgeant, ne quem in Universitatibus, civitatibus, oppidis, vel aliis locis sibi in Spiritual. vel temporalibus subjectis, aliter Cathedras, aut alias lectiones retinere, consequi, vel ad gradus promoveri respectivè patiantur, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub interdicto ab ingressu Ecclesiæ, quoad Antistites, quo verò ad inferiores sub excommunicationis latæ sententiæ, necnon privationis omnium & singulorum dignitatum, beneficiorum, officiorum, & feudorum, Ecclesiasticorum per eos quomodolibet obtentorum, & inhabilitatis ad illa & alia inposterum obtinenda, eo ipso per contrafacientes incurrendis pœnis, districtiùs inhibemus. Ac quascumque receptiones, promotiones, electiones, & admissiones absque processu, certaque de Religione & fide Catholica notitia, ac dicta fidei professione, sic ut præfertur, præcedente, pro tempore factas, nullas, invalidas, nulliusque roboris, vel momenti esse, neque cuiquam in judicio, vel extra suffragari posse. Sicque per quoscunque Judices, & Commissarios, quavis auctoritate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & diffiniri debere, ac quicquid secus à quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter attentari contigerit, irritum & inane decernimus. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Universitatum & Gymnasiorum, Ordinum, & locorum quorumcunque etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis facultatibus, & literis Apostolicis eisdem Universitatibus, & Gymnasiis, ac Ordinibus, & locis quorumcunque Rectoribus, Doctoribus, Superioribus, etiam in temporalibus dominis, Comitibus Palatinis, & aliis etiam Regularibus personis præfatis sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum qoibusvis etiam derogatoriarum derogatotiis, aliisque efficacioribus, etiam vim contractus inducentibus clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, in genere, vel in specie, etiam per Nos, ac Sedem præfatam, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, seu ad quorumvis , etiam Imperatorum, Regum, Rerumpublicarum, Ducum, & aliorum Principum instantiam, & aliàs quomodolibet, concessis, ac etiam pluries, approbatis, & innovatis, quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum veriores tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro sufficienter expressis, & insertis habentes specialiter & expressè motu simili derogamus, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter, vel divisim, ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel incommunicari non possint, per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Ne autem quispiam præsentium ignorantiam prætendere, vel excusationem allegare possit; sed ipsæ ad omnium notitiam deducantur; volumus & mandamus, quòd eædem præsentes in Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, & Cancellariæ nostræ valvis, ac acie Campi Floræ per aliquem ex Cursoribus nostris affixæ, copia illarum ibi dimissa, omnes in Italia intra tres, extra verò illam existentes intra sex menses proximos ab eo die affixionis computandos perinde arctent, ac si illis personaliter intimatæ fuissent.

Forma dictæ professionis fidei, hæc est.

Ego N. firma fide credo & profiteor omnia & singula, quæ continentur in Symbolo fidei, quo S. R. E. utitur, videlicet: *Credo in unum Deum, Patrem Omnipotentem, Factorem Cali & terræ, visibilium omnium & invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum Filium Dei unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia secula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de calis. Et incarnatus est de Spiritu sancto, ex Maria Virgine, & homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato passus & sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum Scripturas. Et ascendit in calum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria judicare vivos & mortuos, cujus regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum Dominum & vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre & Filio simul adoratur, & conglorificatur, qui locutus est per Prophetas. Et unam Sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi sacculi. Amen.*

Apostolicas & Ecclesiasticas traditiones, reliquasque ejusdem Ecclesiæ observationes, & constitutiones firmissimè admitto & amplector. Item sacram Scripturam, juxta eum sensum, quem tenuit & tenet sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, & interpretatione sacrarum Scripturam, admitto; nec eam unquam nisi juxta unanimem consensum Patrum accipiam, & interpretabor. Profiteor quoque septem esse vera, & propriè sacramenta novæ legis, à Jesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria, scilicet, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, extremam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium; illaque gratiam conferre, & ex his Baptismum, Confirmationem, & Ordinationem, sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque, & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione recipio, & admitto. Omnia & singula, quæ de peccato originali, & de justificatione in Sacrosancta Tridentina Synodo, definita, & declarata fuerunt, amplector & recipio. Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum, proprium, & propitiatorium sacrificium pro vivis & defunctis, atque in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento esse verè, & realiter, & substantialiter, Corpus, & Sanguinem, unà cum Anima & Divinitate Domini nostri Jesu Christi, fierique Conversionem totius substantiæ panis in Corpus, & totius substantiæ vini in Sanguinem, quam Conversionem Catholica Ecclesia transubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera

tantum

tantùm specie, totum, atque, integrum Christum, verumque Sacramentum sumi. Constanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis juvari. Similiter & Sanctos, unà cum Christo regnantes, venerandos, atque invocandos esse, eosque orationes pro nobis Deo offerre, atque eorum Reliquias esse venerandas. Firmiter assero imagines Christi, ac Deiparæ semper Virginis, nec non aliorum Sanctorum habendas, & retinendas esse, atque iis debitum honorem, ac venerationem impartiendam. Indulgentiarum etiam potestatem à Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum Christiano polulo maximè salutarem esse affirmo Sanctam Catholicam & Apostolicam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum matrem & magistram agnosco. Romanoque Pontifici Beati Petri Apostolorum Principis successori, ac Jesu Christi Vicario, veram obedientiam spondeo, & juro. Cætera item omnia à sacris Canonibus, & Oecumenicis Conciliis, ac præcipuè à sacra Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata indubitanter recipio atque profiteor: simulque contraria omnia, atque hæreses quascumq; ab Ecclesia damnatas, & rejectas, & anathematixatas, ego pariter damno, rejicio, & anathematizo. Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in præsenti sponte profiteor, & veraciter teneo eamdem integram, & immaculatam usque ad extremum vitæ spiritum constantissimè Deo adjuvante retinere, & confiteri, atque à meis subditis, seu illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, & doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum. Ego idem N. spondeo, voveo, ac juro, sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ ordinationis, inhibitionis, derogationis, voluntatis, statuti, decreti, & mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac B. Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ, 1564. Idibus Novembr. Pontif. nostri anno 5.

Anno à Nativitate Domini 1564. indictione 7. die verò 4. mensis Decembris, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Pii divina providentia Papæ IV. anno 5. retroscripta litera Apostolica affixa, & publicata fuerunt ad valvas Basilica Principis Apostolorum de Urbe, ad valvas Cancellaria Apostolica, in acie Campi Flora dimissis in prafatis locis prasentium retroscriptarum copiis affixis, ut est moris per nos Julium Parium & Bernardinum Andreutium pralibati S. D. N. Papa Cursores.

Ant. Clerici, Mag. Curs.

Hæc forma professionis orthodoxæ fidei observanda à provisis de beneficiis Ecclesiasticis curatis, ac dignitatibus, Ecclesiis, Monasteriis, & aliis locis Ordinum Regularium, & Militarium, quam etiam emittunt plerique alii, ut habetur *in praced. constit*. Græci autem quam formam servent, habetur in Greg. XIII. constit, 33. tenoris sequentis.

Sanctissimus Dominus Noster Dominus Gregorius, &c.

Ego N. firma fide credo, & profiteor omnia & singula, quæ continentur in Symbolo fidei, quo sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet: *Credo in unum Deum Patrem omnipotentem*, ut suprà.

Credo etiam, suscipio, atque profiteor ea omnia, quæ sacra Oecumenica Synodus Florentina super unione Occidentalis & Orientalis Ecclesiæ diffinivit, & declaravit, videlicet quod Spiritus Sanctus à Patre & Filio æternaliter est; & essentiam suam, suumque esse subsistens habet ex Patre simul & Filio, & ex utroque æternaliter, tanquam ab uno principio, & unica spiratione procedit. Cùm id quòd Sancti Doctores, & Patres dicunt, ex Patre per Filium procedere Spiritum sanctum, ad hanc intelligentiam tendat; ut per hoc significetur Filium quoque esse, secundùm Græcos quidem, causam, secundùm Latinos verò principium subsistentiæ Spiritus sancti, sicut & Patrem. Cumque omnia quæ Patris sunt, ipse Pater unigenito Filio suo gignendo dederit, præter esse Patrem; hoc ipsum quod Spiritus Sanctus procedit ex Filio, ipse Filius à Patre æternaliter habet, à quo æternaliter etiam genitus est. Illamque verborum illorum, Filioque explicationem, veritatis declarandæ gratia, & imminente tunc necessitate, licitè ac rationabiliter Symbolo fuisse appositam. Item in azymo, sive fermentato pane triticeo Corpus Christi veraciter confici. Sacerdotesque in altero ipsum Domini corpus conficere debere, unumquemque scilicet juxta suæ Ecclesiæ, sive Occidentalis, sive Orientalis consuetudinem. Item si verè pœnitentes in Dei charitate decesserint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commissis satisfecerint, & omissis, eorum animas pœnis Purgatorii post mortem purgari, ut & à pœnis hujusmodi releventur, prodesse eis fidelium vivorum suffragia, Missarum scilicet sacrificia, orationes, & eleemosynas, & alia pietatis officia, quæ à fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt secundùm Ecclesiæ instituta. Illorumque animas qui post Baptisma susceptum, nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam quæ post contractam peccati maculam, vel in suis corporibus, vel eisdem exutæ corporibus, prout superiùs dictum est, sunt purgatæ, in cælum mox recipi, & intueri clarè ipsum Deum trinum & unum sicuti est, meritorum tamen diversitate alium alio perfectius. Illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas. Item sanctam Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, & ipsum Pontificem Romanum successorem esse B. Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, & omnium Christianorum Patrem ac Doctorem existere, & ipsi in B. Petro pascendi, regendi, & gubernandi universalem Ecclesiam à Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in actis Oecumenicorum Conciliorum, & in sacris Canonibus continetur. Insuper profiteor ac recipio alia omnia, quæ ex decretis sacræ Oecumenicæ Generalis Synodi Tridentinæ, Sacrosancta Romana & Apostolica Ecclesia, etiam ultra contenta in supradicto Fidei Symbolo, profitenda, ac recipienda proposuit atque præscripsit, ut sequitur. Apostolicas & Ecclesiasticas traditiones, reliquasque ejusdem Ecclesiæ observationes, & Constitutiones firmissimè admitto, & amplector. Item sacram Scripturam juxta eum sensum, quem tenuit & tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, & interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto; nec eam unquam nisi juxta unanimem consensum Patrum accipiam & interpretabor. Profiteor quoque septem esse verè & propriè Sacramenta novæ legis à Jesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria, scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, extremam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium: illaque gratiam conferre: & ex his Baptismum, Confirmationem, & Ordinem, sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus, & in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione, recipio & admitto. Omnia & singula, quæ de peccato originali, & de justificatione in Sacrosancta Tridentina Synodo definita, & declarata fuerunt, amplector, & recipio. Profiteor

pariter in Missa offerri Deo verum, & proprium & propitiatorum sacrificium pro vivis & defunctis, atque in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento esse verè, realiter & substantialiter Corpus, & Sanguinem unà cum anima, & divinitate Domini nostri Jesu Christi; fierique conversionem totius substantiæ panis in Corpus, & totius substantiæ vini in Sanguinem, quam conversionem Catholica Ecclesia Transubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera tantùm specie, totum, atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi. Constanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis juvari. Similiter & Sanctos una cum Christo regnantes, venerandos atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas. Firmissimè assero imagines Christi, ac Deiparæ semper Virginis, necnon aliorum Sanctorum habendas, & retinendas esse, atque eis debitum honorem, ac venerationem impartiendam. Indulgentiarum etiam potestatem, à Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum Christiano populo maximè salutarem esse affirmo. Sanctam Catholicam, & Apostolicam Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum Matrem, & Magistram agnosco. Romanoque Pontifici, B. Petri Apostolorum Principis successori, ac Jesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo ac juro. Cætera item omnia à sacris Canonibus, & Oecumenicis Conciliis, ac præcipuè à Sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata, indubitanter recipio, atque profiteor, simulque contraria omnia, & schismata, atque hæreses quascunque ab Ecclesia damnatas & rejectas, & anathematizatas, ego pariter damno, rejicio; anathematizo, & abjuro. Hanc veram Catholicam fidem extra quam nemo salvus esse potest, quam in præsenti sponte profiteor, & veraciter teneo, eandem integram & inviolatam, usque ad extremum vitæ spiritum, constantissimè, Deo adjuvante, retinere, & confiteri, atque à meis subditis vel illis, quorum jura ad me in munere meo spectabunt, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum. Ego idem N. spondeo, voveo, ac juro: Sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia.

Literarum scrutinii, seu Decreti electionis mittendarum ad confirmatorem in Religione Dominicana.

Formula V.

Reverende Pater, &c. Vacante Prioratu nostri Conventus N. post expletum triennium R.P.F.N. in officio Prioratus ejusdem, vel propter absolutionem R.P.F.N. vel propter assumptionem R.P.F.N. ad Prioratum N. soliciti fuimus nobis de capite, & pastore providere, ne diutius absque legitimo capite permanentes, aliquod damnum pateremur; ideoque citatis per me F.N. Superiorem, vel Vicarium ejusdem Conventus, & vocatis, ac expectatis omnibus & singulis, quorum intererat, aut interesse putabatur ad electionem convenire; die..... ad consuetum sonum campanulæ, capitulum ingressi sumus; cumque locus, & tempus eligendi cunctis placuisset protestatus sum me nullum admittendum excludere velle, nec excludendum admittere: facta generali absolutione à censuris, & omnibus vocalibus Sacramento Eucharistiæ refectis; invocata deinde gratia Spiritus Sancti, cujus nutu cuncta reguntur: omnibus denique, & singulis præmissis, quæ in hujusmodi electionibus præmitti debent, & solent; ego cum duobus in habitu Ordinis, à professione antiquioribus ad mensam coram omnibus paratam accessimus, ubique vota omnium, & singulorum in schedulis accepimus. Quibus acceptis, enumeratis, atque apertis, & demum lectis, nominibusque eligendorum in scripta redactis, atque ad numerum collatis, inventum est, quòd F.A. à majori parte ultra medietatem per dictas schedulas in electione nominatus fuit. Nam cum essemus octo vel novem, habuit quinque vota. Item F.B. & F.C. & F.D. fuerunt postulati: cùm enim essemus novem F.B. habuit septem postulationes, F.C. sex, & F.D. quinque. Tunc ego cum prædictis scrutatoribus ad medium Capituli veniens, & librum Constitutionum nostrarum tenens, formavi decretum hoc modo: [Ego F.N. Superior, vel Vicarius hujus Conventus N. vice præsentium Electorum eligo R.P.F.A in Priorem hujus Conventus N. & postulo F.B. & F.C. & F.D. ad idem officium in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen.] Cum ergo electio nostra sit ritè facta, & de persona, tam moribus, & religione, quàm prudentia, & doctrina prædita, rogamus Reverendum P.V. ut eam probare, & electum omnino, vel saltem unum ex postularis confirmare, & nobis concedere dignetur, cui nos, & Conventum nostrum commendamus. Romæ hac die.....

Si autem aliqua contradictio, vel oppositio fiat ab aliquo, debet scribi in eisdem litteris, vel aliis paratis, cum decreto tamen mittendi, puta,

Duo Fratres, videlicet F.N. & F.P. noluerunt huic nostræ electioni consentire, vel opposuerunt ei, quòd facta fuerit per practicas, & minas, quod tamen non probaverunt.

Deinde subscribantur hoc modo.

Ego F.N. Superior, vel Vicarius, & primus scrutator subscripsi manu propria. Ego F.P. secundus scrutator ita esse confirmo. Ego F.M. tertius scrutator ita esse confirmo.

Et sic claudantur litteræ, & transmittantur.

Refertur post Constitutiones Ordinis Fratrum Prædicator. *in formulario fol 4.*

Licentia ad Episcopatum pro Religione Dominicana.

Formula VI.

In Dei Filio, &c. Æterna Dei sapientia Christus sicut una cum Patre, & Spiritu Sancto in humano corpore disparibus gradibus, & officiis membra distinxit ita in mystico Ecclesiæ, quosdam pedum, aut manuum vicem gerere, quosdam verò quasi oculos esse decrevit. Et licet illi quidem magis necessarii sint, & ampliori (juxta Apostolorum) honore circundati: hi tamen illorum sunt facti Rectores, qui cæteros dirigere, & illuminare sufficiant. Ejusmodi fuerunt primum Apostoli; nunc autem sunt Apostolici Viri, plebium præsules, quos mundi lumina, salem terræ, civitates in sublime positas Dominus appellavit. Ad horum consortium nuper tuis egregiis meritis Summus Pontifex extulit, cum Civitati N. præfecit Antistitem; munus certè arduum, & humeris etiam Angelicis formidandum, quod tu (quæ tua est modestia) declinans ad nostram, quam professus es, obedientiam confugisti; vel hac saltem ratione, ut communia nostri Ordinis suffragia non amitteres: quin etiam (ut si jugo collum dare necesse est) ad illud sapienter fortiterque ferendum, per illa juveris. Nos igitur prudentiam tuam, doctrinam, religiososque mores, & regiminis experientiam cognoscentes, quamquam modestiam tuam laudamus, magis tamen Summi Pontificis propositum efferimus, Ecclesiæque N. de tua promotione gratulamur, ac tibi Episcopatum prædictum acceptandi licentiam, & facultatem (quod ex nobis est) præsentium tenore concedimus: suffragia quoque, merita, & beneficia nostri Ordinis, non solum illæsa, & integra tibi manere, sed etiam majori cumulo (si possibile est) superaddi volumus, & decernimus. In quorum fidem his Officii nostri sigillo munitis manu propria subscripsimus, &c.

Refertur post Constitutiones Ordinis Fratrum Prædicatorum *in formulario fol. 14.*

Ad idem.

Alia VII.

In Dei filio, &c. Quoniam juxta Constitutiones nostras, quicumque sine licentia P. Provincialis Præsulatum receperit, suffragiis, societate, & omnibus beneficiis Ordinis in morte, & vita privatur: tu R.P. qui ob egregias animi tui dotes, & præclara merita Episcopus factus es, ejusmodi suffragia magnifaciens, eorum communione, & participatione privari nolles; licentiam præfatam tibi dari desideras. Nos igitur commune bonum privato præferentes, & fructum animarum in eadem Civitate ex tua promotione sperantes, facultatem, & licentiam suscipiendi præfatum Episcopatum, præsentium tenore tibi concedimus: suffragiis verò, meritis, & beneficiis Ordinis, non modo non privari, sed eorum majori cumulo te ditari, & munerari volumus. Hortamur nihilominus præstantiam tuam, ut bonæ, & religiosæ educationis reminiscens, talem te Episcopum præbeas, qualem Timotheo delineavit Apostolus. Datum, &c.

Refertur *ibidem eod. fol. à tergo.*

Juramenti, ac professionis fidei à Ministris Provincialibus Ordinis Minorum Conventualium emittendæ.

Formula VIII.

Ego Fr. N. Ordinis Minorum Conventualium Provincialis electus, vel institutus Provinciæ N. firma fide credo, & profiteor omnia, &c.

Eamque his verbis concludat:

In correptionibus judicialibus gravium criminum, & in provisionibus, promotionibus, confirmationibus, depositionibus, & repulsionibus faciendis de personis dictæ Provinciæ fideliter, & secundùm Deum, & Regulam B. Francisci, secundùm puram, & rectam conscientiam me habebo, ac toto meæ gubernationis tempore (quantum in me fuerit) annitar studiosissimè, ut Regulæ, & Constitutionum observantia in Provincia hac N. exquisitè colatur, & vigeat, ita ut ad verum Dei cultum, & Regularem disciplinam, si quid ad meliorem formam redigendum compererо, non patiar, ut cura mea, labor, studium, atq; industria desiderentur.

Insuper tibi Reverendissimo Patri Minorum Generali, & successoribus tuis canonicè intrantibus ad Generalatus Officium, quandiu in obedientia, ac unitate S.R.E. fuerint, perpetuam subjugationem, reverentiam, & obedientiam promitto, fidelitatemque sinceram me tibi sanctissimè præstiturum jurejurando polliceor. Præterea testem invoco Dominum JESUM CHRISTUM, quòd omnia, & singula contenta in Constitutionibus, & Decretis Officium meum tangentibus (quantùm in me erit) inviolatè observabo, ac ut ab omnibus meæ curæ subjectis serventur, diligentissimè curabo, nihilque fraudis, nihil insidiarum, neque dicto, neque facto, neque scripto moliar contra te Minorum Generalem, vel successores tuos canonicè intrantes: neque directè, mediatè, vel immediatè Præfecturas extra ordinem nostrum Ecclesiasticas toto hoc mei Provincialatus tempore, mihi procurabo.

Ita ego idem Fr. N. spondeo, voveo, & juro, sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

Refertur in d. Const. Urb. *in cap. 8. Regulæ sub tit. 56. in fine.*

Professionis fidei Provincialium Titularium Ord. Minorum Conventualium.

Formula IX.

Ego Fr. N. Ordinis Minorum Conventualium Provincialis electus (vel deputatus) Provinciæ N. firma fide credo, & profiteor omnia, &c.

Habetur in forma professionis fidei à Ministro Generali emittenda, eamque his verbis concludat:

Eandem integram, & inviolatam usque ad extremum vitæ spiritum constantissimè (Deo adjuvante) retineri, & confiteri, atque à meis subditis (si quos unquam habuero) vel illis quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri, & prædicari (quantum in me erit) curaturum. In correptionibus judicialibus gravium criminum, & in provisionibus, promotionibus, confirmationibus, destitutionibus, & repulsionibus faciendis de personis dictæ Provinciæ (si quando fuerit opus) fideliter, & secundùm Deum, & Regulam Beati Francisci, secundùm puram, & rectam conscientiam me habebo, ac toto meæ gubernationis tempore (quantum in me fuerit) totis viribus, totoque cordis affectu studiosissimè nitar, ut Jasu CHRISTI Domini nostri, S.R.E. Catholicæ Fides, Regulæ, Constitutionum observantia in hac Provincia N. exquisitè colatur, & vigeat, ita ut ad verum Dei cultum, & Regularem disciplinam, quantum fieri poterit, ut Provincia hæc N. redigatur, non patiar, ut cura mea, labor, studium atque industria desiderentur. Insuper tibi Reverendissimo Patri Minorum Generali, & successoribus tuis canonicè intrantibus ad Generalatus Officium, quandiu in obedientia, ac unitate Ecclesiæ fuerit, perpetuùm subjugationem, reverentiam, & obedientiam, promitto, fidelitatemque sinceram me tibi sanctissimè præstiturum, jurejurando polliceor.

Præterea testem invoco Dominum JASUM CHRISTUM, quòd omnia, & singula contenta in Constitutionibus, ac Decretis Officium meum tangentibus (quantum in me erit) inviolatè observabo, ac ut ab omnibus meæ curæ subjectis (si quos unquam habuero) exactè serventur, diligentissimè curabo, nihilque fraudis, nihil insidiarum, neque dicto, neque facto, neque scripto, moliar contra te Minorum Generalem, vel successores tuos canonicè intrantes; neque directè, vel indirectè, mediatè, vel immediatè præfecturas extra Ordinem nostrum Ecclesiasticas, toto hoc mei Provincialatus tempore, mihi procurabo.

Ita ego idem Frater N. spondeo, voveo, & juro: sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia, &c.

Refert in Const. Urban. Fratr. Min. Convent. S. Francisci *in cap. 8. Regulæ, sub tit. 21.*

Literarum Procuratoris Generalis in Romana Curia, pro Congregatione Cælestinorum.

Formula X.

D. N. &c. Dilecto nobis in Christo Fratri D. N. de N. Abbati, nostrique Ordinis apud Apostolicam Sedem Procuratori Generali Rectori nostri Collegii Parochialis Ecclesiæ S. Mariæ in Postendis de Urbe salutem in Domino, & in commissis fidelem, diligentemque executionem, &c. antiqua, & approbata Privilegiorum nostræ Congregationis consuetudine per nostras Constitutiones sancitum reperitur, ut aliquis ejusdem Congregationis probatæ vitæ, sufficientis scientiæ, congruæ experientiæ, & diligentis prudentiæ Monachus, ad jura Congregationis tuenda, bona conservanda, augenda, & recuperanda, eamque, & ejus Monasteria, castra, loca, & membra, personas, & Vassallos ab injuriis defendendos apud Romanam Curiam, & Sanctam Apostolicam Sedem in Generalem totius nostræ Congregationis Procuratorem eligatur pariter & constituatur. Cum igitur tu talis repertus, tali qua officio dignus in præsenti Generali Capitulo fueris electus, & constitutus, prout in actis ejusdem Generalis Capituli plenè continetur. Nos una cum Diffinitoribus nostri Capituli Provincialibus de tuis prudentia, fide, legalitate, bonitate, sufficientia, rerum experientia, atque erga nostram Congregationem zelo, & pietate confisi, te D N. &c. Abbatem, &c. Generalem, Procuratorem, Rectorem, specialemque nuncium totius nostræ Congregationis, apud S.D.N. Sanctam Sedem Apostolicam, ac Romanam Curiam, ubique existentem, tenore præsentium

rium

tium nominatum, electum, creatum, & constitutum declaramus, & ad omnium, ad quos spectat, notitiam deducimus. Dantes, & concedentes tibi omnimodam, & plenam auctoritatem, potestatem, & facultatem tam in spiritualibus, quàm in temporalibus pro dicta nostra Congregatione, ejusque locis, membris, personis, & vassallis, & quomodocunque subjectis annexis, participantibus, & connexis procurandi tanquam vero, & legitimo Generali totius Congregationis nostræ Procuratori, nuncio, & œconomo ad causas omnes, & singulas, ad loca, & personas, ut supra, quomodocumque pertinentes peragendas destinato: comparendi quoque coram quocunque Judice, & Tribunali, tam Ecclesiastico, quàm seculari, & coram quibuscunque personis tam publicis, quàm privatis, cujuscunque status, gradus dignitatis, & conditionis existant apud dictam Romanam Curiam, & Sanctam Apostolicam Sedem pro causis, & negotiis, omnibusque civilibus, & criminalibus, & mixtis ad Congregationem prædictam & ejus loca, & personas, ut supra spectantibus, eaque tractandi, & terminandi, peculium Congregationis, quòd Romam de nostro mandato pro tempore transmittitur, recipiendi, easdemque pecunias, & alias omnes ad dictam nostram Congregationem, ejusque loca, & personas, ut supra quomodocumque spectantes à quibuscunque personis eas detinentibus, & à publicis banchis, exigendi, & excipiendi, & de receptis apodixas quietantiæ juxta morem, & usum faciendi. Agendi insuper cum Judicibus, Tribunalibus, & personis quæcunque de jure, vel consuetudine, in favorem dictæ nostræ Congregationis, ejusque locorum, & personarum, ut suprà, contra quascunque personas erunt peragenda, citandi, accusandi, denunciandi, lites movendi, motas contestandi, agendi, prosequendi, componendi, & terminandi. Defendendi quoque omnia, & singula nostra Monasteria, loca, personas, vassallos, & quomodocunque subjectos, ipsorumque jura, & jurisdictiones tuendi, bona quæcunque eorumdem conservandi, manutenendi, & augendi, ac tandem omnia, & singula faciendi, agendi, exequendi, & terminandi, quæ ad dictum Procuratoris Generalis Officium jure, vel consuetudine quomodocunque spectare dignoscuntur juxta Procuratoris mandatum, & per nos ipsos, si personaliter ad Congregationis negotia pertractanda, & terminanda adessemus, fieri, vel perfici possent: necnon insuper alterum ex nostra Congregatione Monachum Sacerdotem, expressè professum de nostro consensu, in substitutum Generalem Procuratorem cum simili, & limitata potestate nominandi. Nos enim pro prædictorum omnium, & singulorum executione, concedimus tibi omnem necessariam, & opportunam auctoritatem, & nostro, Congregationisque nomine totum nostrum posse, & vices, & voces, ratum, gratum, & firmum ex nunc prout ex tunc quidquid à te per prædictorum omnium, & singulorum exequutione, ac inde quomodocunque emergentium annexorum, & connexorum actum, gestum, factum, & terminatum fuerit, pollicentes, & habentes. In quorum fidē, &c. majorisq; nostri sigilli, &c. Dat. &c.

Professionis, & juramenti Procuratoris Ordinis Minorum Conventualium.

Formula XI.

Ego Frater N. Ordinis Fratrum Minorum Conventualium, & Reverendissimi Patris Generalis Ministri in Romana Curia Procurator electus, promitto esse fidelis dicto Ordini, & Reverendissimo Patri Generali, ac ejus officio, & successoribus canonicè intrantibus, in sumendis, prosequendis, & defendendis causis omnibus commissum mihi officium tangentibus. Nec unquam verbo, scripto, vel facto consiliarius ero alicujus consilii, tractatus, aut informationis, quæ in fraudem dicti Ordinis, vel ipsius Generalis Ministri, aut successorum suorum utcunque possint, & valeant redundare, & in commisso mihi Procuratoris officio, quàm fidelissimè potero, & novero secundùm Deum, & rectam conscientiam, me habebo.

Præterea testem invoco Dominum Jesum Christum cui jurejurando firmiter promitto, me dignitatem ullam, maximè Generalatum in Religione non esse ambiturum, neque ad eum obtinendum passivam vocem unquam petiturum, aut acceptaturum nisi elapso post absolutum meum officium triennio. Insuper promitto nunquam immediatè, vel mediatè me petiturum absolutionem, sive dispensationem ab hoc juramento, ad effectum cujuscunque dignitatis consequendæ. Juro itidem me observaturum omnia decreta pro reformatione Procuratoris Generalis Ordinis facta, & approbata; Sic me Deus, &c.

Refertur in Const. Urbanis Fratrum Min. Convent. S. Francisci in cap. 8. Regulæ tit. 14.

Intimationis Visitationis Abbatialis Ecclesiarum tam Regularium, quàm secularium.

Formula XII.

D. N. &c. quia præceptum Domini est, ut pastores oves suas agnoscant, hoc est visitent; Sacrosanct. Con. Trid. eisdem pastoribus demandavit, ut quotannis visitationem habeant in diœcesi, pecus errabundum dirigant, confractum consolident, & ægrotum sanent; sacram, & Catholicam doctrinam, expulsis hæresibus, introducant, bonos mores tueantur, pravos corrigant, populum cohortationibus, atque administrationibus ad Religionem, pacem, innocentiamque accendant. Nos igitur qui pastoris vices gerimus in hac N. &c. volentes Domini præcepto, & Sacrosanct. Conc. Trid. mandatis obedire, & quantum in Domino possumus muneri nostro satisfacere, decrevimus in hac eadem N. & in aliis locis nobis subjectis generalem visitationem habere, & habendam incipere die...... in eaque prout Dominus dederit providebimus, ut quæ in Ecclesiis, Clero, &c. informia sunt, reformentur quæ non æqua, adæquentur, quæ mala, corrigantur, quæ vitiosa, emendentur, & quæ reparatione digna, reparentur, & tandem, quæ in generali visitatione geri, inquiri, corrigi, & emendari possunt, ea omnia geremus, inquiremus, corrigemus, & emendabimus, servata forma ejusdem Sacrosancti Conc. Trid. Monebimus igitur, & requiremus omnes, & quoscunque, ut si qua noverint in Clero, & populo crimina, & vitia notoria, & quæcunque alia correctione, ac emendatione digna, illa nobis significent, ut ex munere nostro pro viribus illis occurramus, & favente Deo de medio tollamus. Præcipimus autem Abbatibus, vel Parochis, ut in dicta visitatione apud nos assistant, eaque durante, discedere, & ad alias partes se recipere non audeant, & quæ gerenda erunt, audiant, & cognoscant, & quæ audierint & cognoverint filiali obedientia observent, debitæque executioni demandent, caveant autem à contrario sub pœna ducatorum, vel. &c. ab unoquoque contraveniente incurrenda, usibus piis arbitrio applicanda, vel, &c. & in subsidium excommunicationis. Datum, &c. Subscribitur, & consueto sigillo munitur, &c.

Visitatorem instituendi pro Religione Dominicana.

Formula XIII.

In Dei Filio, &c. Cùm vultum pecoris nostri (juxta sapientis præceptum) cognoscere teneamur ex officio; diversæ tamen, & graves occupationes, quibus nunc retinemur, obsistunt, ne id per nos ipsos agere valeamus. Veruntamen tua nobis explorata, & comperta prudentia, & fides, tanti apud nos valet, ut quod per te gerimus, nosipsos gessisse putemus. Quapropter, cùm

Conven-

Conventus nostri N. & N. hoc anno visitati non fuerint, & nos de ipsorum dispositione certiores fieri cupismus, eorumdem visitationem tibi commisimus. Ideoque auctoritate officii nostri, & præsentium tenore, te Venerandum P.F.N. instituimus, & facimus Visitatorem præfatorum Conventuum: damusque tibi, in, & super eis, & omnibus, & singulis personis ad eos pertinentibus, tam capitibus, quàm membris, omnem in spiritualibus, & temporalibus auctoritatem, & potestatem, quam cæteri Visitatores ex Constitutionibus nostris, vel approbata consuetudine habere solent. Mandantes, &c.

Literarum pro Visitatoribus Congregationis Cælestinorum.

Formula XIV.

D.N.N. humilis Abbas, ac Præsidens Generalis, &c. Dilecto nobis in Christo filio D. &c. Abbati nostri Venerabilis Monasterii S. &c. ac Generali Visitatori, &c. salutem, & benedictionem in Domino, & in commissis fidelem, ac diligentem executionem. Pastoralis muneris, quo licet immeriti, divina tamen sic disponente clementia, & Religionis gratia fungimur, ratio postulat, ut ea, quæ ad nostræ Congregationis, ejusque Monasteriorum, ac personarum salutem, decus, & utile spectare dignoscuntur, totis viribus amplectamur, ea præcipuè, quæ Dei cultum, Regularem observantiam, ac Monasteriorum bona conservare, & augere, utcunque possunt. Cumque experientia compertum sit ad hujusmodi bonum consequendum crebram nostrorum Monasteriorum, ac personarum visitationem plurimum prodesse; nos laudabilem hujusmodi consuetudinem ex nostrarum legum fonte scaturientem, manutenere, &, quantum cum Domino possumus promovere cupientes R.R. PP. Visitatores ad tam pium, necessarium, & utile opus exequendum iteratò mittere decrevimus. Cumque nos ipsi mala corporis valetudine pressi, & gravibus nostræ Congregationis negotiis Romæ detenti, hujusmodi visitationem personaliter exequi nullatenus valeamus; & ideò aliquem ex Prioribus Diffinitoribus, qui nostras vices gerat, ad hanc visitationem subdelegare debeamus; attamen ne Monasteria his temporibus expensis majoribus graventur, teipsum de cujus fide, probitate, sufficientia, prudentia, & charitate plurimum confidere posse certò scimus, ad Monasteria omnia, & singula in nostra, &c. quarterio existentia, tam ad Monachorum, quàm Monialium Ecclesias, Cleros, populos, & personas nobis in spiritualibus, sive temporalibus subjectas (prædicta nostra Venerabili Abbatia sancti Spiritus de Murrone, ejusqoe personis, & vassallis, duntaxat exceptis) auctoritate non modò ordinaria, quæ tibi vigore officii Visitationis juxta nostras Constitutiones competit, sed etiam nostra, quam tibi præsentium tenore ad Visitationes prædictas faciendas specialiter, & expresè delegamus, destinare, & mittere decrevimus, prout hoc eodem tenore præsentium destinamus, ac mittimus; dantes, & concedentes tibi omnimodam potestatem in Visitatione, & Visitationibus prædictis, omnia, & singula, quæ tam de jure, & vigore nostrarum Constitutionum, quàm etiam ex approbata consuetudine fieri possunt, & debent, & ulterius ad particularia, ubi opus esse cognoveris, descendendi, processus peculiares ultrà Visitationis actum contra quascunque personas cujuscumque status, gradus, dignitatis, præeminentiæ, & conditionis existant, & diffinitorialis, quoad eorum privata officia ita eorum exigentibus demeritis, formandi, testes quoscunque cum juramento examinandi, principales, & conscios constituendi, eosdem processus impinguandi, & compilandi, ac diffinitivas sententias de V.I.D. non suspecti voto terminandi, & ad ejus executionem deveniendi, cum ipsis principalibus, consciis, & testibus, si ita prædictus consultor faciendum judicaverit, in gravibus, & enormibus criminibus ad rigorosum examen deveniendi, eosdem carcerandi, excommunicandi, & absolvendi, suspendendi, & reintegrandi, Monachos de loco ad locum intra fines tui quarterii transmittendi; Clericis primam tonsuram, & quatuor minores Ordines, servatis servandis, conferendi; omnes nobis subjectas personas à quocumque excommunicationis, suspensionis, & interdicti vinculo, à quo nos tam auctoritate nostra ordinata, quàm vigore privilegiorum nostrorum absolvere, & absolutionem committere possumus, Visitatione durante, nec ulterius in foro conscientiæ tantùm absolvendi, & pristinum restituendi: ac tandem omnia, quæ nosipsi in Visitatione facere, & agere possumus, agendi, faciendi, & exequendi. Mandantes tibi in virtute sanctæ obedientiæ, ut omnem adhibeas curam ad investigandum, & sciendum an ordinationes nostræ de diffinitorialis Capituli Patrum consensu, & consilio editæ, & in quocumque nostro Monasterio publicatæ, & intimatæ, observatæ fuerint, & an Monasteria ære alieno gravata reperiantur, in qua summa, à quo tempore, & qua de causa, atque Officiales illorum Monasteriorum, qui debita contraxerunt, & non solverunt aut nostras, ut supra, ordinationes observaverunt, nullo modo absolvas; sed talium rerum judicium nobis, & nostro sacro Diffinitorio reserves. Quorum omnium, necnon cæterorum, quæ in Visitatoribus describi solent, & præsertim reddituum in quibusvis rebus, & pecunia existentium, atque etiam expensarum ordinariatum, & extraordinariarum, exactam descriptionem, & annotationem per extensum in libro Visitationum distinctè, & accuratè facere; & Visitatione perfecta ad nos ejusmodi librum clausum, & obsignatum transmittere mandamus sub pœnis nostro arbitrio reservatis. Insuper præcipimus tibi sub formali obedientiæ præcepto, ut eorum, quæ à Superioribus, & Monachis in examinibus faciendis, acceperis, nihil unquam cuiquam reveles, sed ea, quæ in fine Visitationis publicanda erunt diligenti animadversione ex talibus depositionibus, nominibus eorum qui talia deposuerunt omninò suppressis, ita accuratè extrahas, & publices, ut nec superiores, nec subditi à quibus talia acceperis scire, vel probabiliter suspicari ullo modo possint. Magnum enim, & pernecessarium Visitationis condimentum est secretum; excepto tamen judiciali processu, in gravioribus, ut supra forsan faciendo. Curabis insuper, ut ultra solita, & consueta rerum stabilium, mobilium, ac sese moventium inventaria, quæ unumquodque Monasterium ad Capitulum Generale mittere tenetur, Sacrosanctarum Reliquiarum, & scripturarum uniuscujusque Monasterii diligens fieri inventarium, & cum cæterarum rerum Monasterii inventario conjungi. Præterea ut Officiales quocumque titulo appellentur, etiam Diffinitoriales, qui ordinarias Religionis solutiones, quas tertias vocamus, non solverint, ad solvendum in numerata pecunia, & integrè Congregationis publico ærario satisfaciendum antequam è Monasterio discedas, omnibus juris, & facti remediis, etiam per censuras Ecclesiasticas iteratas, & aggravatas, ultra fructuum, vini, olei, & aliorum similium bonorum subtractionem, & venditionem compellas, & eos, qui infra terminum dierum trium, illis, & unicuique eorum per te peremptoriè præfigendum, non solverint ab eorum officiis omni exceptione remota, & excusatione rejecta deponas, & in eorum Monasteriis Vicarios usque ad Capituli provisionem juxta nostrarum Constitutionum seriem constitutas, expresè tibi præcipimus, & mandamus. Tandem ut sacra, & domestica supellectilia, item fabricas, juxta necessitatem, & vires

Mona-

Monasteriorum, ut infra certum tempus sub pœnis tibi benevisis reparari, & ut ante Generale Capitulum proximè futurum omnia Monasteriorum debita, etiam Aromatariorum deleta sint, & in integrum soluta sub pœna privationis activæ, & passivæ vocis in dicto Generali Capitulo, eo ipso per contravenientes incurrenda, uniuscujusque Monasterii Officialibus præcipias. Pro quorum omnium, & singulorum executione, aliorumque inde emergentium, & dependentium, annexorum, & connexorum concedimus tibi proponentes omnem necessariam, & opponunam auctoritatem, etiam vices, & voces nostras prædicta Visitatione durante. Quapropter universis Abbatibus, Abbatissis, Prioribus, Vicariis, Procuratoribus, Oeconomis, Monachis, Monialibus, Clericis, populis, & personis nobis utcumque subjectis, cujuscumque status, gradus, dignitatis, & conditionis existant per easdem præsentes mandamus, ut te talem recipiant, & venerentur, tuisque mandatis tanquam nobis pareant, & obediant, sub pœnis per te illis quandocumque oportuerit, & tibi visum fuerit, imponendis, & per illos eo ipso, in casu contraventionis, incurrendis, aliisque nostro arbitrio reservatis. In quorum fidem has fieri jussimus nostra subscriptione firmas, nostrique sigilli majoris, impressione munitas, ac roboratas Dat.....

Litterarum pro Abbatibus,

Formula XV.

D.N. Abbas Generalis, &c. Dilecto nobis in Christo filio D.N. de N. Monacho nostro Sacerdoti expressè professo, salutem, & in Domino benedictionem. Illos decet ad officia assumere, cum quibus ipse Dominus onera sua partiri possit securus. Confisi igitur de tuis prudentia, sufficientia, & bono regimine, te in Abbatem nostri Venerabilis Monasterii S.N. de N. unà cum diffinitorialis nostri Capituli Provincialibus eligendum, creandum, & deputandum duximus, prout tenore præsentium eligimus, creamus, & deputamus. Dantes tibi omnimodam potestatem, & auctoritatem tam in spiritualibus, quàm in temporalibus, dictum Monasterium regendi, & gubernandi, Sacramenta de Ordinarii licentia administrandi, & Monachis tibi subjectis, ut eadem similiter administrent facultatem impartiendi, comparendi quoque coram quocumque Judice, & Tribunali pro causis, & negotiis ejusdem Monasterii, & omnia, & singula, agendi, gerendi, & exequendi, quæ ad dictum Abbatiatus Officium pertinere dignoscuntur, & in nostris sacris Constitutionibus continentur. Mandantes tibi in virtute sanctæ obedientiæ, ut dictum Officium humiliter suscipias, & fideliter exequaris, ac Monachis tecum commorantibus, & commoratutis tibi, tanquam nobis pareant, & obediant. In quorum fidem has fieri jussimus, nostra subscriptione firmas, nostrique sigilli majoris impressione munitas, ac roboratas. Dat. &c.

Patentes litteræ pro Prioribus eædem quæ suprà, mutatis mutandis.

Litterarum pro Vicariis,

Formula XVI.

D.N. Abbas Generalis, &c. Dilecto nobis in Christo filio D.N. de N. expressè professo, salutem & benedictionem in Domino. Illos decet ad officia exercenda assumere, cum quibus ipse Dominus onera sua partiri possit securus. Confisi igitur de tuis prudentia, & sufficientia, & bono regimine, & in Vicarium ad nostrum nutum amovibilem nostri venerabilis Monasterii S.N. & de N. statuendum, & eligendum duximus, prout præsentium tenore amovibilem statuimus, atque eligimus. Dantes tibi omnimodam potestatem, & auctoritatem tam in spiritualibus, quàm in temporalibus dictum Monasterium regendi, & gubernandi, Sacramenta de Ordinarii licentia administrandi, & Monachis tibi subjectis, ut eadem similiter administrent, facultatemque impartiendi, comparendi quoque coram quocumque Judice, & Tribunali pro causis, & negotiis ejusdem Monasterii & omnia, & singula agendi, gerendi, & exequendi, quæ ad dictum Vicariatus officium pertinere dignoscuntur. Mandantes tibi in virtute sanctæ obedientiæ, ut dictum officium humiliter suscipias, & fideliter exequaris, ac Monachis tecum commorantibus, & commoraturis, tibi, tanquam nobis pareant, & obediant. In quorum fidem has præsentes fieri jussimus nostræ propriæ manus subscriptione firmas, nostrique soliti sigilli impressione munitas, ac roboratas. Dat. &c.

Litterarum pro Coabbatibus,

Formula XVII.

D.N. de N. Abbas Generalis, &c. Dilecto nobis in Christo Fratri D.N. de N. Coabbati ejusdem nostræ Congregationis, salutem, & benedictionem in Domino. Pastoralis cura regiminis, nobis licet indignis, divina tamen miseratione, ex alto commissa, illud in primis exposcere videtur, ut super gregem nostræ curæ creditum summa eum diligentia, & charitate invigilemus. Cùm igitur, juxta sacrarum Constitutionum privilegia Coabbatibus nostris, tam de jure, quàm de consuetudine competentia; tibi pro tua residentia, & administratione nostrum venerabile Monasterium S. N. de N. in nostro sacro Diffinitorio delegeris, tibique communi omnium PP. Diffinitorialium consensu, idem Monasterium pro tuo regimine, ac residentia quam libentissimè sit concessum; cumque satis abundè nobis constet de tuis probitate, sufficientia, morum honestate, bono regimine, rerum experientia, & Regularis observantiæ zelo: ideo te in Abbatem prædicti nostri venerabilis Monasterii constituimus, prout auctoritate nostra, totiusque sacri Diffinitorialis Capituli harum serie constitutum omnibus & singulis Præsentes visuris, lecturis, vel audituris, declaramus. Dantes, & concedentes tibi ex nostra, & dicti sacri Diffinitorii auctoritate omnimodam, eamque plenam facultatem dictum Monasterium, ejusque membra, seu grangias, & cætera loca eidem subjecta, annexa: & connexa, & inde quomodocumque dependentia in spiritualibus, & temporalibus, regendi, & gubernandi: Sacramenta personis nobis subjectis, liberè, extraneis verò de Ordinarii licentia administrandi, & Monachis tibi subjectis, ut eadem similiter administrent, facultatem impartiendi; Monachos, seu Officiales, sive subditos, cujuscumque status, gradus, dignitatis, & conditionis existentes, qui pro tempore in præfato Monasterio quoquo modo commorabuntur, tam in capite, quàm in membris, quotiescumque opus fuerit, puniendi, corrigendi, & castigandi, in eosdem, & unumquemque eorum quandocumque oportuerit juris ordine servato, excommunicationis sententiam ferendi, & servatis servandis, absolvendi: comparendi quoque, vel comparere faciendi coram quocumque Judice, ac Tribunali pro causis, & negotiis ejusdem Monasterii, sive directè, sive indirectè, mediatè, vel immediatè pertinentibus, lites quoque pro eisdem movendi, motas contestandi, prosequendi, & terminandi, & pro eisdem procuratorem, seu procuratores cum libera, seu limitata potestate constituendi, ac tandem omnia gerendi, agendi, & exequendi, quæ tibi tam de jure, quàm de privilegio, & consuetudine, necnon ex nostri Capituli Generalis, vel Diffinitorialis, & nostrorum prædecessorum concessione aliàs facta competunt, seu competere possunt, & ad prædictam Abbatiatus dignitatem, & administrationis Officium spectare quomodocumque dignoscuntur. Nos enim pro prædictorum omnium, & singulorum executione, atque inde emergentibus annexis, & connexis concedimus, & tradimus tibi nostras vices, & voces, ac totum nostrum posse. Mandantes tibi, ut di-

ut dictum officium ea, qua decet, humilitate, ac charitate suscipias, & fideliter exequaris, & Monachis, Officialibus, & subditis, ut supra, in dicto Monasterio commorantibus, aliisque extra illud tibi utcumque subjectis, tibi, tuisque mandatis, tanquam nobis pareant, & obediant. In quorum omnium fidem has fieri jussimus nostra subscriptione firmas, nostrique sigilli majoris impressione munitas, ac roboratas. Dat. &c.

Litterarum pro Priore Abbatiæ,
Formula XVIII.

D. N. Abbas Generalis, &c. Dilecto nobis in Christo filio D. N. de N. salutem, & benedictionem in Domino. Pastoralis cura regiminis, nobis licet indignis, divina tamen miseratione ex alto commissa, illud inprimis exposcere videtur, ut supra gregem nostræ curæ commissum, summa cum diligentia, & charitate invigilemus. Cùm igitur omnia, & singula nostræ Congregationis Monasteria de Rectoribus providere, ex officii nostri debito, debeamus, principale Monasterium nostræ Venerabilis Abbatiæ S. N. de N. tanto majori curæ præ cæteris nobis esse debet, quanto altiori ipsa dignitate, & auctoritate reliqua omnia novimus, uti sua membra caput, excellere. Cùm igitur ad ejus regimen publicis totius Congregationis nostræ negotiis præpediti personaliter semper adesse non valeamus, tibi prædicto filio N. de N. vices nostras committere decrevimus. Confisi igitur de tuis probitate, sufficientia, morum honestate, bono regimine, rerum experienna, ac Regularis observantiæ zelo, tibi Venerabilis Abbatiæ curam, regimen, ac gubernationem tradere, teque in Priorem ejusdem, ejusque membris, terris, locis eidem subjectis, annexis, & connexis in spiritualibus, & temporalibus nostrum Locumtenentem, & Vicarium eligere, creare, & juxta mandatum, & formam in nostris Constitutionibus contentam, constituere; insuper Apostolicis litteris à fel. rec. Paulo V. desuper hoc mandatis inhærendo, S. Joannis in Plano Abbatem declarare decrevimus, prout præsentium tenore, auctoritate, qua fungimur, eligimus, creamus, constituimus, cunctisque præsentes lecturis, & audituris, electum, creatum, & constitutum declaramus. Dantes, & concedentes tibi omnimodam potestatem, dictam nostram venerabilem Abbatiam, ejusque membra, seu grangias, necnon castella, terras, & loca cum hominibus, & vassallis in spiritualibus, & temporalibus, vice nostra regendi, & gubernandi, comparendi quoque coram quocumque Judice, & Tribunali pro causis, & negotiis ejusdem venerabilis Abbatiæ, & ad eam quomodocumque directè, vel indirectè, mediatè, vel immediatè pertinentibus lites pro eisdem movendi, motas contestandi, prosequendi, & terminandi, ac pro eisdem procuratorem, seu procuratores cum libera, & limitata potestate, constituendi. Jura quæcumque, & actiones ejusdem venerabilis Abbatiæ tuendi, ac omni meliori modò, tam de jure, quàm de facto defendendi, & conservandi; In nostris Castris, Pratularum, Roccæ, Casalium, Ursæ, Turris, & Cerrani, Capitaneum cum mero, & mixto imperio, & gladii potestate, & cum quatuor litteris arbitrariis, & cæteros eorumdem Castrorum Officiales juxta nostrorum Privilegiorum tenorem, seriem, & continentiam, necnon laudabilem ab immemorabili tempore servatam consuetudinem, eligendi, & constituendi vassallos ipsos, & nostra jura in eis, & feuda tuendi, defendendi, & gubernandi, cæteraque omnia, quæ ad nostram Baronalem Curiam, & auctoritatem spectare dignoscuntur, & per nos ipsos de jure, & consuetudine fieri possunt, faciendi, agendi, exercendi, & exequendi. Vassallos quoque Pratularum, si tibi opus esse visum fuerit, auctoritate ordinaria, excommunicandi, & eisdem absolutionis beneficium ex causa impendendi, Ecclesias, & Sacramenta visitandi, casus peculiares, seu peccatorum quorumdam graviorum tibi, prout pro animarum salute expediens videbitur, reservandi, & tandem in eodem Castro illam, & omnem, quam cæteri Episcoporum Generales Vicarii in suis Diœcesibus habere consueverunt, & haberent auctoritatem ordinariam exercendi, Monachos tecum in prædicta venerabili Abbatia, ac in ejusdem Grangiis, & locis subjectis excommunicandi ex causa, & absolvendi, cæteraque omnia, & singula agendi, quæ ad dictum Prioratus, & Vicesgerentis officium pertinere dignoscuntur, & in nostris sacr. Constit. continentur. Nos enim pro prædictorum omnium, & singulorum executione, ac proinde emergentibus annexis & connexis concedimus, & tradimus tibi omnes nostras vices, & voces, ac totum nostrum posse. Mandantes tibi in virtute sanctæ obedientiæ, ut dictum officium humiliter suscipias, & fideliter exequaris, & Monachis in eadem venerabili Abbatia de nostro mandato pro tempore commorantibus, in eadem sanctæ obedientiæ virtute; hominibus verò, & vassallis nostris, ut supra, sub unciarum auri 25. pro qualibet vice nostræ Baronali, & Abbatiali cameræ applicandarum, aliisque nostro arbitrio reservatis pœnis, ut tibi, tuisque mandatis tanquam nobis pareant, & obediant. In quorum fidem has præsentes fieri jussimus nostra subscriptione firmatas, majorisque nostri sigilli impressione munitas, ac roboratas. Dat. &c.

Licentia pro Abbatibus modernis Vesperas, & Missam Abbatiali more celebrandi,
Formula XIX.

Dominus, &c. Dilecto nobis in Christo filio D. N. &c. Abbati nostri Ven. Monasterii S. N. de N. salutem, & benedictionem in Domino. Cùm à nobis humiliter petieris, ut tibi facultatem concederemus Vesperas, & Missam, Abbatiali more celebrandi in nostra Eccl. S. N. prædictæ Civitatis, in festo die S. N. qui erit die.... mens.... quo tempore magnus devoti populi numerus ad dictam nostram Ecclesiam confluit: Nos, qui festum præd. ad Dei gloriam, Sanctorum honorem, & populi devotionem augendam, quò solemnius fieri potest, honorari, & tibi quantum possumus gratum facere cupimus, honestis tuis precibus gratiosè annuentes, harum serie concedimus tibi licentiam, & facultatem tribuimus in prædicta festivitate, hoc anno dumtaxat utrasque Vesperas, & Missam solemniter Abbatiali more celebrandi, servato in hoc decreto à S. Congregatione in favorem Abbatum Casinensium die 2. Martii 1618. pro declarandis festivitatibus edito, sub pœnis in eodem contentis, aliisque nostro arbitrio reservatis, nec aliter, nec alio modo tibi hanc licentiam concedimus, & elargimur. In quorum fidem, &c.

Vicarium super tota Provincia Dominicana instituendi,
Formula XX.

In Dei filio, &c. Cùm ad celebrandum nostrum jam jamque instans Generale Capitulum, proficisci debeamus, & esse extra Provinciam; ne propterea detrimentum patiatur, si absque capite directore permaneat, vices nostras in, & super ea tibi committere decrevimus. Ideoque auctoritate officii nostri, & præsentium tenore, te Venerandum Patrem F. N. præfatum damus, instituimus, & præficimus Vicarium nostrum Generalem in, & super tota nostra Provincia N. Atque ita datum, institutum, & præfectum declaramus, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen. Damusque tibi in, & super ea, & omnibus, ac singulis Cœnobiis, Monasteriis, Conventibus, locis, ac domibus, necnon omnibus, & singulis Fratribus, & Sororibus, ac utriusq; sexus personis, tam capitibus, quã membris, etiam tertii Ordinis ad eam quomodolibet pertinen-

pertinentibus, omnem in spiritualibus, & temporalibus auctoritatem, quam nos habemus, & specialiter confirmandi (si opus esset) non tamen absolvendi Priores, & generaliter omnia faciendi, quæ & nos facere possumus, etiam si mandatum exigerent speciale, quæ auctoritas, potestas, & officium incipiat, duret, ac locum habeat quamdiu fuerimos extra Provinciam. Mandantes tam tibi, quàm omnibus, & singulis suprà nominatis in virtute sanctæ obedientiæ, tibi quidem, ut dictum Vicariatus officium suscipias, & diligenter exequaris: illis verò ut te tanquam Vicarium nostrum suscipiant, habeant, ac venerentur. Non obstantibus quibuscumque. In quorum fidem, &c.

Refertur post Constitutiones Ordinis Fratrum Prædicatorum, *in Formulario fol.* 10.

Inquisitorem in Religione Dominicana instituendi,

Formula XXI.

In Dei Filio, &c. Quamquàm cælestis pater familias per Apostolos, & Apostolicos viros, in fertilissimo Ecclesiæ agro purissima credibilium Fidei semina seminaverit, iniqui tamen, & inimici homines (juxta parabolam Evangelicam) eessantibus, vel dormientibus agricolis infelicia non cessant hæresum superseminare zizania: & nisi vulpibus illis per Inquisitorem, tanquam per Samsonem, ignis suæ censuræ, quo Philisthæorum cadentium segetes cremantur, alligaretur ad caudas, brevi tempore Dominicam messem à zizaniis præfocatam plangeremus. Nobis ergo, quibus Apostolico privilegio concessa est facultas hujusmodi Censores, & Inquisitores instituendi, operosius laborandum est, ut hoc munus illis committatur, qui scientiæ lumine adulterina semina à veris discernere norint, qui prudenter iis, quæ discreverint, remedia adhibere sufficiant; qui demum zelo Fidei succensi, velint, & animi fortitudine valeant, quæ prudenter disposuerant, ad effectum perducere. Et quia de tuo ferventi zelo, constanti fortitudine, efficaci prudentia, Catholica doctrina, & vitæ integritate confidimus, ejusmodi munus tibi injungere decrevimus. Cùm igitur in Civitate, & Diœcesi N. propter amotionem, vel obitum Reverendi N. Inquisitionis officium vacet, nobisque illi providere incumbat, auctoritate Apostolica nobis, & nostro officio commissa, & præsentium tenore, te Reverendum P.F.N. decernimus, instituimus, & facimus Inquisitorem hæreticæ pravitatis in præfata Civitate, & Diœcesi N. factumque, institutum, & decretum declaramus cum omnibus gratiis, privilegiis, immunitatibus, auctoritate, & potestate, quibus cæteri Inquisitores ritè instituti Summorum Pontificum indultis, & privilegiis, ac secularium Principum, Regum, vel Imperatorum concessione, quomodolibet potiri, & gaudere consueverunt. Ut autem tam præclarum, sanctumque munus, & opus, non vacet obedientiæ merito: in virtute sanctæ obedientiæ tibi præcipimus, ut intra horam dictum Inquisitionis officium suscipias, ac juxta gratiam tibi à Domino præstitam, diligentius exequaris. In quorum fidem, his officii nostri sigillo munitis, manu propria subscripsimus, &c.

Refertur post Constitutiones Ord. Fratrum Prædicatorum, *in Formulario, fol.* 12.

Litterarum promotionis ad Magisterium in Religione Dominicana,

Formula XXII.

In Dei Filio, &c. Graves, & honesti labores illi, quos ad adolescentiam, multis annis in diversis gymnasiis, bonas litteras, quasi fugientes persequendo tulisti, & deinde pluribus in locis legendo, differendo, disputando, & humanam, divinamque philosophiam alios docendo, multa cum laude, & fructu prosecutus fuisti, meritò requirunt gloriosum fructum honoris, quo nullum majorem possunt interim virtutibus exhibere mortales. Nos quoque decet, excellentiæ, quæ in re est, vel naturalis ingenii, vel scientiæ tot laboribus, & incommodis acquisitæ, illum præbere præsertim, cùm ex obedientia pro Religione hæc omnia subieris. Cùm igitur ad scholasticos gradus, etiam Magisterii, fueris à Provincia tua petitus, & jam quatuor annos in universitate N. non parvo fructu sententias legeris, aliosque actus omnes feceris, quos juxta Constitutiones, aut Capitulorum Generalium ordinationes facere debueras; ac demùm per examinatores deputatos examinatus, idoneus, ac sufficiens habitus, & judicatus fueris: Nos prædictorum omnium rationem habentes, ac de eis plenius, & certius informati, auctoritate Apostolica nobis per litteras in forma brevis commissa, te R.P.F.N. ad gradum Magisterii promovemus, datisque anulo in digitum tuum, & insula, seu bireto nigro insigni Magisterii tuo capiti imposito, facimus, instituimus, & creamus Magistrum, & Doctorem Sacræ Theologiæ, ac numero, & consortio Doctorum, & Magistrorum annectimus, inserimus, & incorporamus: dantes tibi facultatem, & potestatem, publicè legendi, interpretandi, disputandi, exponendi, & declarandi Sacras Litteras, & Divinam Scripturam, cum omnibus gratiis, privilegiis, indultis, immunitatibus, exemptionibus, voce, & loco, quibus cæteri hujusmodi Magistri, & Doctores in Ordine nostro ritè promoti, de jure, vel approbata consuetudine, potiri, & gaudere consueverunt; eadem Apostolica auctoritate dispensando supplentes, & supplendo, dispensantes tecum in, & super omnibus, & singulis defectibus, & aliis quibuscumque, quæ huic promotioni ex Apostolicis decretis, aut ex nostris Constitutionibus, vel Capitulorum Generalium, seu Provincialium statutis, ordinationibus, & consuetudinibus objici possent. Mandantes omnibus, & singulis nostræ obedientiæ subjectis in virtute sanctæ obedientiæ, ut tanquam Magistrum, & Doctorem (ut præfertur) habeant, suscipiant, gratiisque privilegiis, indultis, favoribus, &c. voce, & loco prædictis uti, & potiri faciant, & permittant, non obstantibus quibuscumque. In quorum fidem, &c.

Refertur post Constitutiones Ordinis Fratrum Prædicatorum, *in Formulario, fol* 17.

Litterarum pro constituendo Vicario in tali, vel tali loco,

Formula XXIII.

Inter præcipua nostræ providentiæ munera illud profectò est, ut nostra N. Monasteria quibus ob nimiam distantiam, non satis possumus invigilare, de prudenti, ac viciniori Vicario provideantur, qui in eorum gubernatione vices nostras gerat. Igitur P. tuam cujus jampridem experti sumus probitatem, ac peritiam, ad tale Vicariatus munus, & officium, evehere statuimus; & vigore præsentium evehimus Vicarium nostrum, & Vicesgerentem deputamus in omnibus Monasteriis nostræ N. in N. constitutis: ac tali Vicariatui supponi solitis N. N. quæ omnia, ac singula Monasteris tuæ vigilanti curæ committimus, tum in spiritualibus, tum in temporalibus, ut semel in anno, & pluries, prout opus fuerit, visitare, delinquentes punire, etiam pœna carceris, & excommunicationis, Monachos habitatione commutare, extraordinarios Confessarios Monialibus deputare, à casibus nobis quomodocumque reservatis absolvere, ac alia omnia munera exercere liberè possis, quæ possumus, & possemus nos, si personaliter interessemus, in omnibus semper servatis servandis secundùm jura, & consuetudinem nostræ N. non autem Novitios, seu Conversos ad habitum, vel ad professionem

nem admittendi, & Officiales, & Prælatos removendi. In quorum fidem omnium, & singulorum præsentes literas per Cancellarium nostrum tibi fieri, ac officii nostri sigilli impressione muniri fecimus, ac propria demum manu sobscripsimus. Dat. &c.

Instituendi Lectorem principalem,
Formula XXIV.

Nos F.N. Ord. Præd. & Provinciæ N. Prior Provincialis. Cùm ex commissione Reverendissimi Magistri Generalis nostri Ordinis, vel Capituli Generalis, Conventui N. debeamus de Lectore principali providere: te Venerandum Patrem F.N. cujus doctrinam, docendi facilitatem, & elegantiam differendi, necnon probitatem, & Religiosos mores non parvo tempore sumus experti, delegimus, coi munus præfatum in aliorum profectum, & tuæ obedientiæ meritum, demandemus. Ideoque auctoritate, ut suprà, nobis commissa, te F. N. præfatum damus, instituimus, & facimus, & sic datum, institutum, & factum assignamus Lectorem principalem in Conventu N. cum omnibus gratiis, privilegiis, & exemptionibus, quibus hujusmodi Lectores potiri, & gaudere consueverunt. Mandamusque tibi in virture sanctæ obedientiæ, ut dictum Lectoratus officium statim suscipias, & ad illius executionem, & tuam pro eo assignationem, quantocius, commodè tamen potueris, te accingas. Datum, &c.

Refertur post Constitutiones Ordinis Fratrum Prædicatorum, *in Formulario, fol. 38.*

Literarum Confirmationis Prioris electi per scrutinium in Religione Dominicana,
Formula XXV.

In Dei Filio sibi dilecto Reverendo Patri F. N. &c. Ordinis Prædicatorum F.N. ejusdem Ordinis, & Provinciæ N. Prior Provincialis salutem. Cùm Fratres Conventus nostri N. suo legitimo Priore destituti convenissent, ut sibi, & suo Conventui providerent, divino (ut credimus) numine inspirati, te cujus probitatem, Religiosum zelum, in agendis prudentiam, atque doctrinam, apprimè noverant, unanimi voto (vel si electio non sit unanimis) canonicè elegerunt, vosque rogarunt, ut eorum electionem probare teque illis concedere, præficere, & confirmare vellemus. Quorum votis, & petitionibus facilè condescendimus; licet enim tibi tua tecum tractare; ac solitudines in corde ædificare, & tibi quàm suavis est Dominus gustare cupienti, durum videri credamus post gregum vestigia detineri, eorum distrahi curis, infirmitatibus infirmari, passionibus angi, & concuti. Confidimus tamen, quòd solita prudentia considerabis te non tibi soli esse natum, & charitate Christiana fretus, alienos profectus propriis commodis anteponas, ac demùm Christi, & Apostolorum ejus exemplo, rem tuam omnem, & si opus fuerit, etiam vitam pro Fratrum salute contemnes. Ideoque his, atque aliis animi tui dotibus, & virtutibus, nobis ingentia promittentes, prudentiumque Patrum confirmati consilio, dedimus, præfecimus, & confirmavimus, & auctoritate officii nostri, ac præsentium tenore, te Venerandum Patrem F.N. damus, præficimus, & Confirmamus Priorem, caput, & pastorem præfati Conventus N. datumque præfectum, & confirmatum decernimus, & declaramus, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen. Damusque tibi, in, & super dicto Conventu, & Fratribus, ac personis, etiam utriusque sexus tertii Ordinis nostri ad ipsum quavis ratione spectantibus, omnem in spirimalibus, ac temporalibus auctoritatem, & potestatem, quam cæteri Priores in nostro Ordine, & Provincia, vel eodem Conventu ritè confirmati, de jure, vel approbata consuetudine, seu etiam ex privilegiis habere consueverunt. Insuper instituimus te Vicarium nostrum super Monasteria A. & B. cum eadem auctoritate, quorum curam per te, vel alium, seu alios gerere possis. Et quamquam de tua voluntate, & prompto animo confidamus, tamen, ut meritorum cumulus per obedientiam tibi non desit, in virture sanctæ obedientiæ tibi præcipimus, ut intra quatuor horas, dicta Priotatus, ac Vicariatus officia suscipias; & ad illorum executionem quantocius te accingas. Eodem quoque præcepto præcipimus omnibus, & singulis ad dictum Conventum, & Monasteria quomodolibet pertinentibus, ut te tanquam verum, & legitimum suum, & dicti Conventus Priorem, & Vicarium respectivè suscipiant, habeant, ac venerentur. Non obstantibus quibuscunque. In quorum fidem his officii nostri sigillo munitis manu propria subscripsimus. Datum, &c.

Refertur post Constitutiones Ord. Fratrum Prædicatorum, *in Formulario, fol. 6.*

Priorem eligendi per R. P. Provincialem Ordinis Prædicatorum, quando ad illum propter aliquem defectum potestas eligendi devoluta est.
Formula XXVI.

In Dei Filio, &c. Cùm Fratres vocales Conventus N. in electione, quam fecerunt, de venerando Patre F. N. in Priorem Conventus eorum, intolerabiliter defecerint, eligendo illegitimè natum sine dispensatione, vel a nobis, vel à jure prohibitum, vel non formando decretum electionis, vel excludendo talem admittendum: & ob id non solùm illi à jure eligendi, quod habebant, ceciderint, sed etiam potestas eligendi ad nos devenerit, ac translata fuerit, nec volentes Conventum præfatum diutius cum gravioris alicujus damni periculo, sine Priore permanere: idcirco ad providendum de Priore procedentes, discretorum Patrum super hoc habito consilio, & judicio, te venerandum Patrem F. N. de cujus Religione, prudentia, zelo, & doctrina confidimus, ad hoc munus designavimus, ac auctoritate officii nostri, & præsentium tenore, eligimus, damus, præficimus, & confirmamus Priorem, caput, & pastorem, præfati Conventus N. & sic electum, datum, præfectum, & confirmatum declaramus, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen. Damusque tibi, &c. ut suprà.

Refertur post Constitutiones Ord. Fratrum Prædicatorum, *in Formulario, fol. 9.*

Literarum Socii Prioris Conventualis ad Capitulum Provinciale pro Religione Dominicana.
Formula XXVII.

Nos infrascripti fidem facimus, & attestamur, qualiter venerandus Pater F. N. electus fuit à majori parte vocalium nostri Capituli, & Conventus N. in Socium nostri Rev. P. Prioris ad Capitulum Provinciale habendum in Conventu N. hoc anno...... Nam in electione ejus, quæ (servatis, quæ servanda fuerunt) habita est per schedulas, cùm essemus octo, vel novem, ipse habuit sex vota. Cùm ergo sit electus à majori parte, & Socius factus; rogamus, ut tanquam Socius admittatur. In quorum fidem his manu propria subscripsimus.

Non oportet has literas claudere, aut munire sigillo; sed sufficit subscriptio scrutatorum, sic:

Ego F. N. Superior, vel Vic. ita esse attestor.

Ego F. A. secundus scrutator confirmo, ut suprà.

Ego F. B. tertius scrutator confirmo, ut supra.

Electores peccantes in forma eligendi, aut materia electi, sunt ea vice privati jure, & voce ad eligendum: potest tamen Pater Provincialis (si ei placuerit) illos habilitare, ut ad novam electionem procedere possint, & voci restituere sic:

In Dei Filio sibi dilectis venerandis Patribus Superiori, vel Vicario, & Fratribus vocalibus Conventus N. Ordinis Prædicatorum F.N. Prior Provincialis, &c. Examinato diligenter decreto electionis vestræ, quam fecistis de venerando Patre F.N. in Priorem vestri Conventus, & judicio peritorum benè discusso, percepimus, vos commisisse talem defectum in forma, vel materia, &c. ac propreteà incidisse in pœnam privationis vocis: ita quòd pro hac vice non potestis eligere Priorem: & quia vestram electionem (cùm jure subsistere non posset) cassavimus, & irritavimus, Conventus vester adhuc remanet absque Priore. Nos, ne hanc ob causam detrimentum patiatur, potestatem eligendi, quæ ad nos devoluta erat, hac vice restituimus, & conferimus, vosque & vestrum quemlibet ad eligendum habilitamus. Mandantes vobis, ut ad novam electionem ea discretione, & prudentia procedatis, quæ nullius vitii, vel intolerabilis defectus accusari possit, eumque vobis eligatis, quem vos habere, & nos confirmare possimus. Benè valere, & pro nobis Deum rogate.

Refertur post Constitutiones Ord. Fratrum Prædicatorum, in Formulario, fol. 8.

Subpriorem instituendi pro Religione Dominicana,
Formula XXVIII.

Nos F.N. &c. Requisiti ut Conventui N. de Fratre, qui Subprioratus officium competenter exequi, & honestè gerere posset, providere vellemus, & venerandum Patrem F.N. considerationis oculo respeximus, & in tuam sufficientiam direximus intuitum, sperantes tua industria, & prudentia prædicto Conventui pro eodem officio sufficienter esse provisum; & propterea auctoritate officii nostri, & præsentium tenore, te in dicto Conventu assignamus, removentes assignationem tuam à quocumque alio Conventu, & loco; & sic assignatum instituimus, & facimus Subpriorem cum omni auctoritate, & potestate, quam cæteri Subpriores in nostra Provincia juxta Constitutiones, & approbatam consuetudinem habere solent. Mandantes tibi in virtute sanctæ obedientiæ, ut quamprimùm, commodè tamen, poteris, in dictum Conventum te conferas, & præfatum Subprioratus officium diligenter exequaris. Datum Romæ sub nostro sigillo, die.....

Refertur post Constitutiones Ord. Fratrum Prædicatorum, in Formulario fol. 9. à tergo.

Litterarum pro Gubernatore Monialium eligendo.
Formula XXIX.

Omnibus, & singulis nobis desuper, meritis licet imparibus, commissi officii muneribus, continuò invigilare nos decet, sed gubernationi Sacrarum Virginum, quæ contemptis seculi illecebris divinis se mancipavere obsequiis sub Regula Sanctissimi Patris nostri N. & instituto Almi Patris N. in Monasterio N. nostræ N. nostræque jurisdictioni immediatè subjecto, speciali quadam à nobis, ac singulari sollicitudine providere, ob sexus, statusque conditionem æquissimum est; hinc licet non animo, persona tamen ab illis abesse cogamur, auxiliatrices manus exquirimus, à quibus, ut par est, in ram gravi cura opera, & actione adjuvemur. Qua de re Reverentiæ tuæ, cujus jampridem probitatem, & idoneitatem experti sumus, Monialium præfati Monasterii N. gubernationem committimus, ac vigore præsentium, quas per Cancellarium nostrum exarari mandavimus, ac proprii sigilli impressione, propriæque manus subscriptione roboravimus, te ipsum earumdem gubernatorem ad beneplacitum nostrum declaramus, & deputamus cum facultate, rationabili de clausa, clausuram ingrediendi, Moniales alloquendi, earum negotia peragendi, jura servandi, lites incipiendi, ac prosequendi coram quocumque Judice, tam Ecclesiastico, quàm seculari, comparendi, ac ea omnia demum faciendi, quæ temporali earumdem gubernationi, regularis observantiæ incrementis, ac earumdem puritati, & honestati indies expedire videbuntur in omnibus semper servatis servandis. Hoc unum in Domino monentes, ut hæc omnia eo charitatis zelo exequaris, qui Christi Sponsarum custodiæ, & gubernationi debetur, tanquam zelotypo Sponso rationem redditurus.

Dispensandi illegitimè natos Fratres professos in Ord. Prædicatorum,
Formula XXX.

Nos F. N. cupientes ut Fratres nostræ curæ crediti Religioni, cui addicti sunt, in omnibus, ad quæ Spiritus Sanctus eos vocare dignatus fuerit, liberè valeant deservire, te venerandum Religiosum F.N. quem Religiosa vita, spectabiles mores, Catholica doctrina, & in agendis prudentia, & honesti labores commendabilem reddunt, auctoritate Apostolica nobis, & officio nostro commissa, & præsentium tenore ad omnia & singula officia, gradus, dignitates, & Ordines, etiam Sacerdotii, etiam Prioratus Conventualis, & Provincialis, & Prædicatorum Generalis, ac Magisterii in Sacra Theologia, & Diffinitoris, tam Provincialis, quàm Generalis Capituli, & electoris etiam Magistri Ordinis, à quorum susceptione, vel executione ob defectum natalium juxta Constitutiones nostras, esses impeditus, habilitamus, & habilem facimus, non obstantibus quibuscumque. In quorum fidem, &c.

Licentiæ ad arctiorem vitam,
Formula XXXI.

In Dei Filio, &c. Religiosa consuetudo tua, quam in nostro Ordine multis annis tenuisti, spem nobis faciebat, in eadem te perseveraturum, ac Apostolicum præceptum servaturum, quo præcipit, ut quisque in qua vocatus est vocatione permaneat: sed postquàm tanta te vidimus instantia postulare facultatem ad arctiorem vitam Eremitarum N. transeundi, Spiritum Sanctum, cujus fortè duceris impulsu, nolumus impugnare: quin potiùs, ubi spiritum Domini vel credimus, vel suspicamur, ibi libertatem esse volentes, præsentium tenore libertatem, & facultatem (quod nostrum est) tibi concedimus, ad Ordinem, seu ad vitam solitariorum Eremitarum transeundi, ibique per solemnem professionem Deo te dedicandi. Reservantes nobis, quam nunc habemus super te, jurisdictionem; donec eidem Ordini, ad quem transieris, per solemnem professionem fueris obligatus. In quorum fidem, &c.

Refertur post Constitutiones Ordinis Fratrum Prædicatorum, in Formulario, fol. 18.

Alia ad idem.

Nos F.N. Universis, & singulis, ad quorum notitiam hæc nostræ pervenerint, fidem facimus, & attestamur, nos V.P.F.N. ad suæ petitionis instantiam dedisse, prout etiam tenore præsentium damus, & concedimus facultatem, & libertatem ab Ordine, habitu, & institutis nostris transeundi ad Ord. Camaldulen. Eremitarum, quem ipsemet sub arctioris vitæ specie, suæ complexioni magis accommodum, & opportunum delegit. Reservantes nobis quam nunc habemus super eum jurisdictionem, donec in eo Ordine per solemnem professionem obligetur. In quorum, &c.

Refertur ibidem.

Litterarum

Literarum Dimissorialium per Abbates Conventuales faciendarum, quando dimittunt suos subditos ad suscipiendos sacros Ordines.

Formula XXXII.

D. N. Abbas S. N. de N. Dilecto in Christo Filio D. N. de N. Monasterio nostro N. expressè professo, in prædicto Monasterio S. N. sub nostra obedientia commoranti, de cujus ætate, & sufficientia ad Sacr. Ordinem N. requisita plenè informati sumus; & testamur, te quem nullo excommunicationis, suspensionis, interdicti, sive alio canonico impedimento detentum certò scimus coram Illustrissimo, & Reverendiss. D. N. Episcopo N. præstandi, eundemque Sacr. N. Ordinem ab eo suscipiendi juxta Sacr. Conc. Trid. statuta, licentiam, & facultatem concedimus, & elargimur. In nomine Patris, &c. Dat. &c.

Concedendi facultatem Dimissorias faciendi.

Formula XXXIII.

Nos D. &c. Dilecto nobis in Christo Filio D. N. &c. Cùm nobis exposueris tecum commorari nonnullos Clericos Congregationis nostræ qui jam, ut ex eis litteris collegimus, idonei sunt, ut ad Sacr. Ordines promoveantur, prout plenè & satis de eorum ætate, atque sufficientia nos certiores fecisti. Propterea præsentium tenore tibi licentiam, & facultatem concedimus, & impartimur eisdem dimissoriales litteras concedendi, & dimittendi, ut Sacr. Ordines à quocumque Catholico Episcopo S. R. E. gratiam obtinente recipiant, & sic dicimus, & concedimus, servatis servandis, juxta sanctiones Sacr. Conc. Trid. & nostrarum Constitutionum. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen. Datum, &c.

Bullarum pro Ordinatis quatuor Minoribus Ordinibus.

Formula XXXIV.

Nos Dominus N. Abbas S. N. de N. universis, præsentes nostras inspecturis, fidem facimus, & testamur, D. N. Monachum nostrum expressè professum, de familia ejusdem nostri Monasterii, die... mens.... in dicta nostra Ecclesia præsentibus cæteris ejusdem Monasterii Monachis, à nobis prima Tonsura insignitum, & ad quatuor Minores Ordines rectè, & ritè juxta Sacros Canones fuisse promotum. In quorum fidem, & testimonium, &c. Dat. &c.

Litterarum Commendatitiarum.

Formula XXXV.

Dominus N. &c. Dilectis in Christo Filiis, Abbatibus, Prioribus, Vicariis, aliisque nostræ Congregationis Officialibus salutem, & Benedictionem in Domino.

Cùm omnibus Christi fidelibus, & indigentibus juxta Apostolica, & Regularia nostra præcepta, omnia teneamur pietatis, & hospitalitatis officia exhibere, tum verò iis præcipuè, & libentiùs, quos status, vitæ ratio, virtutes, morumque probitas, & susceptæ pietatis ergò peregrinationis satis commendat. Cùm igitur præsentium nostrarum latores N. N. à remotissimis partibus in nostram Italiam, Religionis, ac voti causâ peregrinantes ad S. Nicolai Bariensis, ac S. Mariæ Lauretanæ sacras domos se conferant, eas voti causâ visitaturi; idcirco probatos hos viros, ac fide dignos magnoperè commendamus, hortamurque in Domino, ut eis illa charitatis officia à vobis impendantur, quæ & pietas Christiana, & religiosa charitas postulat, quod nobis etiam summoperè gratum fore significamus. Datum, &c.

Licentia Superioris Regularis pro Confessariis.

Formula XXXVI.

Nos Don Horatius Morandius Romanus, Abbas Sanctæ Praxedis de Urbe Congregationis Vallis-Umbrosæ.

Cùm nostri muneris sit Ecclesiæ nostræ idoneos providere Ministros, qui Christi fidelium audiant confessiones: cumque noverimus, dilectum nostrum in Christo Filium Don Americum Gualterottum Florentinum præfati nostri Monasterii Priorem, dignum esse, qui ad tale munus admittatur. Ideò ad Illustriss. & Reverendiss. D. Cardinalem Millinum S. D. N. Papæ Urbani VIII. Vicarium eum sistimus, humiliter deprecantes, ut (si ipsum prævio examine idoneum reperit) facultatem Confessiones audiendi ei impertiri dignetur. Fidem facientes, ipsum Sacerdotio insignitum, in scientia Theologica, ac morali apprimè versatum, in legitima constitutum ætate, probatisque moribus condecoratum esse: nulloque demum canonico impedimento præpediri. In quorum attestationem has nostra manu propria subscriptas, sigilloque consueto munitas exaravimus. Datum in Monasterio Sanctæ Praxedis de Urbe, die 8. Octobris, 1628.

Literarum pro Confessore.

Formula XXXVII.

Quoniam nostri muneris est Ministros in nostri Ordinis Ecclesiis providere, qui dignum Deo exhibeant famulatum, & fidelibus populis in Sacramentorum deserviant administratione, ut parvulis petentibus panem, adsit qui frangat eis. Hinc est, quòd tua agnita doctrinæ sufficientia, vitæque probitate, ad Illustrissimum, & Reverendissimum D. N. sive ejus Reverendiss. Vic. Generalem cum præsentibus per Cancellarium nostrum exaratis, solitique sigilli impressione munitis, ac propria manu subscriptis, transmittimus, ipsumque in Domino rogatum volumus, si te idoneum judicaverit ad audiendas sacramentales Confessiones in ejus Diœcesi, & præcipuè in Ecclesia S. N. admittere dignetur, in omnibus semper servatis servandis. Tuque in hoc obeundo munere, juxta Apostolicum præceptum, argue, obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina, ne aliorum criminibus animam tuam reddas obnoxiam. Datum, &c.

Litterarum pro Confessario ordinario Monialium.

Formula XXXVIII.

Omnibus, & singulis nobis, meritis licet imparibus, commissi officii muneribus continuò invigilare nos decet, sed spiritualibus necessitatibus sacratum Virginum, quæ contemptis sæculi illecebris, divinis se mancipavere obsequiis sub SS. PP. nostrorum N. Regula, & N. instituto in Monasterio S. N. nostræ N. jurisdictionique nostræ immediatè subjecto, speciali quadam in nobis, ac singulari sollicitudine, ob sexus, statusque conditionem occurrere æquissimum est. Cùm igitur in præsentiarum de idoneo, ac ordinario ipsis providere Confessario, contingat; Reverentiæ tuæ, cujus jampridem probitatem, & idoneitatem experti sumus, tali injungere munus, prædictarumque Monialium animas commendare decrevimus, sicut de facto vigore præsentium, quas per Cancellarium nostrum exarari, nostrique sigilli impressione muniri fecimus, ac propria demum manu subscripsimus, injungimus, & commendamus, ipsumque earumdem ordinarium Confessarium, animarumque Curatorem per triennium ad nutum nostrum amovibilem declaramus, & deputamus, cum facultate, servatis servandis, Moniales alloquendi, quæ clausuram ingrediendi, & alia demùm exercendi, quæ regularis observantiæ incrementis, ac earumdem animarum

marum saluti in dies expedire videbuntur. Hoc unum in Domino monentes, ut hæc omnia eo charitatis zelo exequaris, qui Christi Sponsarum custodiæ, & curationi debetur, tanquam zeloti sponso rationem redditurus. Datum, &c.

Literarum pro Confessario extraordinario eligendo,

Formula XXXIX.

Præcipua cura, qua nostri gregis saluti invigilare tenemur, bonorum operum exercitium, Sacramentorumque frequentationem in Monasterio Monialium N. nobis immediatè subjectarum, adjuvare volentes, decrevimus hoc tempore, prædictis nostris in Christo Sororibus Sacramentalis Confessionis viam planiorem facere ex electione extraordinarii Confessarii. Igitur tenore præsentium P. tuam, cujus jampridem experti sumus probitatem, & sufficientiam, ad illud munus exercendum deputamus, tibique facultatem concedimus eas absolvendi ab excommunicatione, & à casibus nobis quoquo modo reservatis. In quorum fidem, propriæ manus subscriptionem, nostrumque ordinarium sigillum adhibuimus. Datum, &c.

Licentia Superioris Regularis pro Prædicatore,

Formula XL.

Nos D. Auerardus de Nicolinis à Florentia, Abbas S. Salvii, ac totius Ordinis, & Congregationis Vallis-Umbrosæ Præs. Generalis, Dilecto in Christo Fratri D. Ascanio Tamburinio de Marradio, Sacræ Theologiæ Magistro, & S. Praxedis de Urbe Priori, S.

Spirituales fidelium populorum necessitates sublevandi oblatas opportunitates non solùm non dedignari, imò potius ultro iisdem solemus occurrere, cupientes vineæ Domini cultorum minimam Vallumbrosanam Congregationem, sub nostro regimine in animarum salutem, opem quam possit majorem impendere. Hinc Reverentiam tuam postulatam, & electam ab iis, ad quos spectat, ejus idoneitatis, & sufficientiæ certiores, libuit mittere, & de facto vigore præsentium in præfatæ vineæ Domini culturam operarium, & pro futura proximè Quadragesima in Ecclesia Cathedrali Reatina Concionatorem mittimus, & destinamus cum facultate, quatenus opus sit, & ad nos spectat, confluentium utriusque sexus Christi fidelium Sacramentales Confessiones audiendi, servatis de more servandis, præcipuè ab Ordinario loci facultate desuper impetrata. Dominus igitur sit in corde, ac labiis tuis, ut dignè, ac competenter annuncies verbum suum, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen. Datum in Monasterio Sanctæ Praxedis de Urbe, nostræ Congregationis, die 16. Februarii, anno à Dominica Nativitate 1628.

Ita est D. Auerardus qui suprà manu prop.
Loco † Sigilli.
D. Valerianus Rainerius Cancel.

Litterarum pro Prædicatore,

Formula XLI.

Spirituales fidelium populorum necessitates sublevandi oblatas opportunitates, non solùm non dedignari, imò potius ultro iisdem solemus occurrere: cupientes vineæ Domini cultorum minimam N. sub nostro regimine in animarum salutem opem, quam possit majorem impendere. Hinc P. tuam postulatam, & electam ab iis, ad quos spectat, suæ idoneitatis, & sufficientiæ certiores, libuit mittere, & de facto vigore præsentium (quas per Cancellarium nostrum exarari, solitique sigilli impressione muniri fecimus, ac propria demum manu subscripsimus) in præfatæ Vineæ Domini culturam operarium, & pro futura proximè Quadragesima in Ecclesia N. Concionatorem mittimus, & destinamus, cum facultate, quatenus opus fuerit, & ad nos spectat confluentium utriusque sexus Christi fidelium sacramentales Confessiones audiendi, servatis de more servandis, & præcipuè ab Ordinario loci facultate desuper impetrata. Dominus igitur sit in corde, ac labiis tuis, ut dignè ac competenter annuncies verbum suum, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen. Datum, &c.

Prædicandi licentia,

Formula XLII.

Dominus N. Humilis Abbas Sancti Spiritus de Murrone, ac Præsidens Generalis totius Congregationis Cælestinorum Ordinis Sancti Benedicti, Dilecto nobis in Christo Filio D. N. de N. Monacho nostro Theologo Sacerdoti expresè professo, evangelizandi, & prædicandi populo verbum Dei, servatis sacr. Conc. Trid. Decr. necnon & Sacramenta juxta S.R.E. ritum, & sacrorum Canonum statuta administrandi, licentiam, & facultatem, tenore præsentium in Domino concedimus, & elargimur. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen. Datum, &c.

Litterarum pro Concionatore proprii Ordinis.

Formula XLIII.

Quoniam nostri muneris est providere, ne in Ecclesiis nostri Ordinis desit, qui fidelibus populis suo quoque, & præcipuè Quadragesimali tempore, in charitate panem Evangelicum frangant: Hinc libuit R. tuam tuæ idoneitatis, & sufficientiæ certiores, constituere, & de facto, vigore præsentium, quas per Cancellarium nostrum exarari, solitique sigilli impressione muniri fecimus, ac propria demum manu subscripsimus, constituimus, & approbamus pro futura proximè Quadragesima, Concionatorem in Ecclesia S. N. nostræ N. cum facultate, quatenus opus fuerit, & ad nos spectat, confluentium utriusque sexus Christi fidelium sacramentales Confessiones audiendi, servatis de more servandis, & præcipuè ab Ordinario loci benedictione, & facultate pariter in præmissis respectivè impetratis. Dominus igitur sit in corde, ac labiis tuis, ut dignè, ac competenter annuncies verbum suum; in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen. Datum, &c.

Prædicatorem mittendi in Religione Dominicana,

Formula XLIV.

N. F. N. &c. Requisiti à Reverendissimo Domino Episcopo N. vel Reverendis Dominis Canonicis Ecclesiæ N. vel à præstantibus Officialibus Civitatis N. vel Oppidi, aut Castri N. ut eorum Ecclesiæ de idoneo Prædicatore pro hac Quadragesima, vel ut eorum Ecclesiæ virum, qui conciones habere dignè possit hac proximè futura Quadragesima, providere vellemus: te Venerandum Fratrem N. cujus doctrinæ copiam, & sinceritatem, in dicendo facundiam, & efficaciam, in moribus religionem, & gravitatem novimus, designavimus, atque decrevimus, cui præfatum munus demandemus. Mandamusque tibi in meritum obedientiæ, ut opportuno tempore ad dictam Civitatem, vel, &c. te conferas habiturus in ejus Ecclesia conciones hac proximè futura Quadragesima, atque ita regas, & habeas, ut qui nunc exiens vadis mittendo verbi semina, post Pascha rediens, manipulorum spiritualium fructus uberes referas.

Refertur post Constitutiones Ord. Fratrum Prædicatorum, in Formularium fol. 18. à 1592.

Ad

Ad idem,

Formula XLV.

Nos F.N. &c. Recolentes Ordinem nostrum ad animarum salutem, prædicatione quærendam specialiter institutum, & te Venerandum Patrem F.N. zelo salutis earum accensum, tua Catholica doctrina, atque naturali facundia, arte, & gratia differendi, id posse præstare, religiosis moribus, quæ dixeris comprobare, & demum verbis, & exemplis ad ædificandam Ecclesiam sufficere, Ecclesiæ N. ad quam hac proxime futura Quadragesima petitus fuisti Prædicator, vel à tuis Patribus concionator decretus fuisti, concionatorem definimus, damus, & deputamus. Mandantes tibi in meritum obedientiæ, ut opportuno tempore Civitatem N. adeas, & in ejus Ecclesia N. conciones habeas hac Quadragesima, ac ea peracta, ad Conventum tuum reverraris. Hortamur deni que te, ut concionatoris munus suscipiens, verbum Dei, tanquam ex Deo, coram Deo in Christo loquaris, &c.

Refertur ibidem, fol 19.

Litterarum participationis,

Formula XLVI.

D.N de N. &c. & Præsidens Generalis, &c. Dilectis in Christo N. N. devotis amicis salutem in Domino, & piæ charitatis affectum, quos nostro sacro Ordini Christianæ charitatis vinculo, ac singularis beneficentiæ merito plurimum affectos cohærere dignoscimus, eos æternis muneribus, ac spiritualibus bonis mutuæ gratitudinis ratione id exposcente, quoad possumus locupletare tenemur, ut ipsorum pia erga Deum, & Sanctos ejus maximè adaugeatur Religio, nostræque charitatis benevolentia in eos in dies magis, ac magis detegatur. Vestrum igitur affectum intuentes, auctoritate qua fungimur, ac de Omnipotentis Dei misericordia, & liberalitate confisi, atque Sanctissimæ Deiparæ Virginis, Sanctorum que N.N.N. N.N. cæterorumque omnium Sanctorum, & Sanctarum nostri Ordinis, & aliorum pia intercessione suffulti, suffragiorum omnium, Missarum, orationum, prædicationum numero, studiorum, vigiliarum, jejuniorum, laborum, abstinentiarum, disciplinarum, eleemosynarum, peregrinationum, mortificationum, cæterorumque bonorum, ac meritorum, quæ per Monachos, & Moniales totius nostræ Congregationis in universo Orbe divina pietas operari dignabitur, plenam communicationem, participationem, associetatem libenter vobis tenore præsentium concedimus, & intra nostræ militiæ castra, in morte, & in vita recipimus, ut meritorum nostri Ordinis ubertate, ac Sanctorum suffragiis stipati, divinæ gloriæ fastigium assequi valeatis. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.

In quorum fidem has nostro sigillo majori munitas, nostra manu subsignavimus. Datum, &c.

Litterarum participationis ad beneficia, & spiritualia dona Ordinis Prædicatorum,

Formula XLVII.

In Dei Filio, &c. Devotus vestræ charitatis affectus, quem ad nostrum Ordinem vos habere multiplici, & grata Fratrum nostrorum relatione cognovimus, meritò requirit, ut beneficia Ordini nostro Dei benignitate collata, vobis gratius impertiamur. Quare de Omnipotentis Dei misericordia, & liberalitate confisi, omnium Missarum, orationum, prædicationum, studiorum, vigiliarum, jejuniorum, abstinentiarum, laborum, cæterorumque bonorum operum, ac meritorum, quæ per Fratres, & Sorores nostras divina bonitas in nostra Provincia, vel in Orbe fieri dederit universo, communionem, & participationem concedimus, & elargimur, vosque ad ipsius Ordinis, vel provinciæ beneficia, & suffragia recipimus, & admittimus in vita pariter, & in morte, ut multiplici Sanctorum suffragiorum præsidio adjuti, hic argumentum gratiæ, & in futuro vitam percipiatis æternam. In quorum fidem, &c.

Refertur post Constitutiones Ordinis Fratrum Prædicatorum, in Formulario, fol. 21.

Litterarum participationis ad spiritualia dona, cateraque exercitia Congregationis Vallis-Umbrosæ,

Formula XLVIII.

In nomine Sanctissimæ, & individuæ Trinitatis, Beatissimæ Virginis Mariæ, & SS. Patrum nostrorum Benedicti, atque Joannis Gualberti. Nos Don N. Abbas S. Salvii Diœcesis Florentin. ac totius Ordinis, & Congregationis Vallis Umbrosæ Præsidens Generalis, D. Don. N.N. ejusdem Congregationis Visitatores. Dilecto nobis in Christo N. salutem in eo, qui est omnium vera salus. Meretur..... devotionis affectus, quem erga universam Congregationem nostram, ad honorem Dei, & Beatissimæ Virginis, à Sancto Patre nostro Joanne Gualberto institutam, & præcipuè erga Ecclesiam..... Congregationis nostræ Vallis-Umbrosæ .... nuper ...... habere cognovimus, ut laudabile votum devotionis......... gratiis (prout possumus) & spiritualibus favoribus attollamus...... Igitur de Congreg. nostra benemerit..... aliquid retribuere cupientes, decrevimus, & volumus, tenore harum præsentium, in Confratre .... nostr...... ascribere, & comparticip.... in vita, & post mortem, facere, cunctarum indulgentiarum, Missarum, Officiorum, eleemosynarum, jejuniorum, cæterorumque spiritualium exercitiorum, quæ Deo adjuvante in nostra Congregatione fiunt, ac inposterum fient; .... in numerum benefactorum nostrorum recipere, & cooptare. In quorum omnium fidem, has nostras sigillo communiri jussimus, & subscriptione propriæ cujusque manus corroboravimus. Valeat in Domino Fraternitas..... Datæ in Monasterio Sancti Bartholomei de Ripulis, prope Florentiam, nostra residentia. die .... anno ......

Litterarum participationis,

Formula XLIX.

D. N. &c. Abbas S. N. ac Præsidens Generalis, &c. Perillustribus D.D.N.N. Equiti, vel Doctori, &c. ejusque uxori, filiis, ac filiabus præsentibus, & futuris nostris devotis amicis salutem in Domino, & piæ sinceritatis affectum. Etsi universis Christi fidelibus sint spiritualia beneficia communicanda, ad illos tamen abundantius fluere nostra debent, qui erga nostram Congregationem singularem devotionis affectum præ se ferunt, & quos spiritualis dilectionis prærogativa meritis amplioribus cumulat. Propterea nos vestrum erga nostram Congregationem pium, atque præcipuum devotionis studium intuentes, vos in nostros dilectos fratres benignè suscipimus, & libenter adoptamus, vobisque orationum, Missarum, divinorum Officiorum, vigiliarum, jejuniorum, abstinentiarum, laborum, peregrinationum, spiritualium exercitiorum, ac denique bonorum omnium spiritualium, quæ divina clementia per nostræ Congregationis utriusque sexus Religiosas personas præsentes, & futuras ubique terrarum, dignabitur operari, communicationem, & participationem auctoritate, nobis vigore nostrorum privilegiorum, à Sancta Sede Apost. & à RR. Patribus nostris Diffinitoribus concessa, harum serie gratiosè concedimus, & elargimur; volentes insuper, & hoc eodem tenore præsentium statuentes, atque mandantes, ut cùm alicujus vestrum obitus (quem Dominus sua gratia munire dignetur) fuerit in

nostro Capitulo Generali denunciatus, pro culparum expiatione, & animarum vestrarum salute preces, & suffragia consueta ab universa nostra Congregatione persolvantur. Vos verò quo uberioribus hujus nostræ Congregationis meritis, fructibusque spiritualibus potiamini, in Domino hortamur, ut eadem ad ejus conservationem, & incrementum apud Deum vestris precibus adjuvetur. In quorum fidem, &c.

Litterarum incorporandi aliquem Eremitam in oblatum alicujus Congregationis cum juramento obedientiæ,

Formula L.

D.N. &c. Universis, & singulis præsentes litteras inspecturis notum facimus, devotum Religiosum Fratrem N. de N. Eremitam, de cujus bonis moribus, humilitate, & cæteris requisitis, per fide dignorum virorum attestationem sufficienter informati sumus, ipso instante, & humiliter petente (præstito prius per ipsum in nostris manibus juramento de nobis, & successoribus nostris semper obediendo) in nostrorum Oblatorum numerum fuisse acceptum, eidemque nos habitum cum insignibus nostræ Religionis per similes nostros Oblatos deferri solita concessisse, atque ea R.P.D. N. de N. Priorem nostri venerabilis Monasterii, &c. eidem tradi commisisse, ita ut in nostram Religionem ex hoc incorporatus, & eidem actu serviens omnibus exemptionibus, privilegiis, indultis, & gratiis, tam spiritualibus, quàm temporalibus, quibus cæteri similes nostræ Congregationis Oblati vigore nostrorum privilegiorum, sive alias quomodocumque, & quocumque jure gaudent, & fruuntur, gaudeat, & potiatur: & talem tibi, & ad quos spectat, haberi, & reputari debere declaramus. In quorum fidem has fieri jussimus nostra subscriptione firmas, nostroque solito sigillo munitas, & roboratas. Datum, &c.

Obedientia,

Formula LI.

D.N. &c. tibi D.N. de N. Monacho nostro N. expressè professo, tenore præsentium præcipimus, & in virtute salutaris obedientiæ mandamus; quatenus his visis in spatio dierum ..... & personaliter conferas ad hoc venerabile Monasterium S.N. de N. sub illius N. obedientia moraturus, usque ad aliud nostrum mandatum, cavens à contrario, si nostram, ac Religionis gratiam, charam habes. Dat. &c.

Littera participationis pro Oblatis secularibus,

Formula LII.

D.N. &c. Dilecto nobis in Christo Filio N. salutem, & benedictionem in Domino. Cùm pro tuo in nostram Congregationem singulari affectu, ac devotione, & ferè perpetua, diligenti, fidelique servitute, non parum nos tibi debere fateamur, ea propter justum duximus tuis precibus assentiri, quibus nostræ spiritualis militiæ castris, & meritorum nostrorum participatione donati efflagitasti. Nos igitur auctoritate, qua fungimur, ac de divina bonitate maximè confisi, tenore præsentium tibi præfato libenter impendimus, & elargimur, concedimus, ac volumus, ut quidquid jejuniis, orationibus, aliisque spiritualibus, & Deo gratis obsequiis in nostra Congregatione promeremur, & posthac promerebimur, nostrorum omnium socius, & particeps efficiaris in vita, in morte, & post mortem. Insuper quoniam eodem charitatis affectu temetipsum, tuaque omnia nostro vener. Monasterio N. donatione inter vivos irrevocabili sponte obtulisti, teipsum ideò in nostrorum Oblatorum numerum gratiosè recipimus, ac privilegiis omnibus, indultis, immunitatibus, libertatibus, gratiis, & exemptionibus, prout & nos fruimur, & potimur, ac frui, & potiri possumus, ac debemus, harum vigore te donamus, tibique facultatem concedimus, ut in pectore more oblatorum Religionis insignia gestare valeas. In quorum fidem, &c. Datum, &c.

Licentia scribendi in Confraternitate Rosarii.

Formula LIII.

Nos F.N. certiores facti, te Venerandum Patrem F. N. non vulgarem devotionis affectum gerere ad Beatissimam Virginem Dei Genitricem; ac propterea cupidum propagandi cultum ejus; & devotionem erga illam per Confraternitatem Rosarii pectoribus fidelium inserendi præsentium tenore tibi concedimus, ut ubicumque fuerint hujusmodi Confraternitates, nomina omnium in eis recipi volentium scribere, Rosaria benedicere, & quando ex obedientia ad prædicandum exieris, ubi non fuerit dicta Confraternitas, eam erigere, & instituere aliquem, qui ejus curam habeat, & recipi volentes scribat, Rosaria benedicat, deputare, & omnia singula facere possis, & ille possit, quæ per Fratres nostros, ad id in nostris Ecclesiis deputatos fieri solent, & possunt: dummodo pro hujusmodi scriptura, benedictione, &c. nihil recipiatur. In quorum fidem his nostro sigillo munitis manu propria subscripsimus, &c.

Refertur post Constitutiones Ord. Fratrum Prædicatorum, *Formulario, fol. 19. à tergo.*

Alia ad Ecclesias extra Ordinem,

Formula LIV.

Nos F.N. &c. Attendentes ad uberes, odoratosque fructus, quos in Sanctæ Ecclesiæ horti conclusi Roseto protulerunt, atque in dies magis proferunt, Rosea illa plantaria, quæ Rosarium Beatæ Mariæ Virginis appellantur, ubique illa plantari vellemus. Modus enim orandi iis inest adeò facilis, ut omnibus sit pervius, adeò numeri mysterio, & ordine, ac varietate distinctus, ut omnibus possit esse jucundus, adeò frugifer, ut ad Christianæ perfectionis apicem compendiosissimè ducat: orationem quippe Dominicam, & Angelicam salutationem, quibus Rosarium constat, nullus Christianus ignorat. Psalterium proinde dicitur, quod Angelica salutatione centies, & quinquagies in eo repetita Psalmorum Davidici Psalterii numerum referat; utque varietate delectet, ad quamque decimam unam interserit oratio Dominica. At verò si ritè persolvitur, fructum reddit amplissimum, nam præter hoc, quod Christi vita, quæ in eo per multa mysteria recolitur meditando, mens instruitur, reficitur, & spirituali consolatione pinguescit, heroicæ illæ virtutes in eadem, velut in firmamento sydera fulgentes, ad consilia faciendum, meditantis animum trahere sufficiunt, atque præstanda, si quid fortè ex nostra infirmitate deficeret, Beatissimæ Virginis intercessio, in eodem sæpius implorata, facilè impetrabit. Cui rei sodalium, Confraternitatumque toto Orbe diffusarum, in meritorum participatione communio suffragatur. Indulgentiæ demum, peccatorumque remissiones à diversis Summis Pontificibus hujusmodi sodalibus, & Confraternitatibus collatæ, ad hæc plurimum conferunt. His forsan, aut aliis, bonis tamen rationibus moti Christi fideles Oppidi N. vel Ecclesiæ N. cupientes sancto ditari thesauro, Confraternitatem hujusmodi in eadem habere, & Altare pro ea deputare cupiunt; atque ut dictarum indulgentiarum possint esse participes, nostram super his licentiam petierunt. Nos igitur Gloriosissimæ Virginis Mariæ cultum augere, & fidelium animos ad veram pietatem, & devotionem per hæc accendere cupientes, tibi Reverendo N. vel vobis in Christo dilectis fidelibus Oppidi N. præsentium tenore concedimus, ut in Ecclesia N. Confraternitatem

Rosarii hujusmodi instituere, & habere, Altare pro ea deputare possitis, cui nunc primum Reverendum D.N. Rectorem, & directorem damus, & nominamus, & post eum successivè, qui per Confratres pro tempore deputabitur; cui nomina omnium in eadem recipi volentium scribendi, Rosaria, seu Coronulas benedicendi, & omnia, & singula faciendi, quæ per Fratres nostros, ad id in nostris Ecclesiis deputatos fieri solent, & possunt, facultatem concedimus: dummodo pro hujusmodi receptione, scriptura, benedictione, & aliis similibus, nihil exigatur, aut recipiatur: ne pietas in quæstum, & devotio degeneret in avaritiam. Volumus autem pro recognitione, quòd nomina eorum, qui nunc primùm scribentur, ad Conventum nostri Ordinis, Ecclesiæ vestræ propinquiori deferantur. In quorum, &c.

Refertur, ibidem fol. 20.

Licentia pro anni sancti Jubilæo ad Limina Apostolorum.

Formula LV.

Cùm primum per supplices preces tuas spirituale desiderium tuum nobis innotuit; quo teneri te dicis visendi, ac personaliter visitandi Limina Apostolorum Romæ, cæterasque Sacrosanctas Basilicas expositas pro anni Sancti Jubilæo consequendo, libuit annuere votis, & promovere devotionem tuam. Quamobrem per has nostras, quas per Cancellarium nostrum exarari, nostrique officii sigilli impressione muniri fecimus, ac propria demùm manu subscripsimus, licentiam tibi concedimus illuc eundi, ibique commorandi, quousque tanto potiaris thesauro, & alia tua, si quæ sunt, honesta negotia peragas. Et si quo pacto ex auctoritate nostra juvari posse cognoveris conscientiam tuam; facultatem quoque specialiter per has nostras tibi concedimus, ut à quocum que approbato Sacerdote pro Confessionibus absolvaris, & dispenseris à quibuscumque etiam reservatis, à quibus ipsi absolvendi, & dispensandi per privilegia, aut jura auctoritatem habemus, quousque pro tali effectu Romæ permanseris, & non ultrà. Angelus Domini custodiat te, & hinc euntem, & ibi commorantem, & inde huc revertentem, sis que nostri memor in tuis orationibus.

Licentia eundi ad sacras B. Mariæ Virginis Lauretanas Ædes,

Formula LVI.

D. &c. Dilecto nobis in Christo Filio D.N. &c. Monacho nostro Sacerdoti expressè professo salutem, & benedictionem in Domino. Cùm à nobis humiliter expostueris, magno te devotionis ardore flagrare, ac desiderio sacras Beatissimæ Virginis Lauretanas Ædes visitandi, ibique vota tua persolvendi, atque alias devotiones explendi; ideoque à nobis licentiam prædictas sacras Ædes adeundi postulaveris. Nos piæ, ac devotæ hujusmodi tuæ petitioni benignè annuentes, tibi harum serie concedimus facultatem ad Lauretanam Urbem te conferendi, ibique, & alibi, ubi nostri Religiosi non commorantur, coram quocumque Sacerdote ab Ordinario loci approbato Confessario Sacramentalem peccatorum tuorum Confessionem faciendi, & ab eodem absolutionis beneficium in forma Romanæ Ecclesiæ consueta obtinendi, prædictas sacras Ædes personaliter visitandi, & ibidem, vel alibi Missam celebrandi, aliaque pietatis, & devotionis opera faciendi, quæ ad tuam devotionem explendam, tuamque salutem spectare quomodocumque dignoscuntur. Rogantes, & in Domino obsecrantes Reverendissimos DD. locorum Ordinarios, & DD. Præsides, & Custodes Sanctarum Ædium, ut te benignè suscipientes, & charitativè tractantes ad omnia, & singula exequenda admittant. In quorum fidem, &c. Datum, &c.

Denunciationis in Visitatione servanda,

Formula LVII.

In nomine Domini Jesu Christi, Amen. Cùm in Conventu N. die..... mense..... anno..... impositum fuisset à nobis initio nostræ Visitationis præceptum generale de culpis, & defectibus aliorum nobis sincerè, & juridicè detegendis, comparuit coram nobis Pater N. ab N. ejusdem Monasterii Conventualis Sacerdos, annorum....... qui præstito juramento de veritate dicenda, affirmavit, gloria Dei ductus, & zelo Religionis, se scire Patrem N. ab N. esse proprietarium, & accipere, retinere, expendere, sive donare pecunias in magna quantitate, sine ulla Superioris licentia, vel habere familiaritatem, suspectam vel scandalosam, cum tali fœmina, ac propterea eum denunciare, ut juridicè secundum culpæ qualitatem puniatur. In quorum fidem prædictum testimonium propria manu, coram Patre N. Visitatore, & N. Secretario, subscripsit eodem die, & anno quo supra.

Pater N. Provincialis sive Visitator, Fr. N. ab N. Pater N. Secretarius.

Refert Fr. Thom. à Jesu de Visitat. Regul. tract. 3. cap. 2. n. 12.

Servandorum Visitator ubi procedit per viam denunciationis,

Formula LVIII.

Coram nobis Patre N. Provinciale, sive Visitatore comparuit Frater N. & in modum denunciationis, sequentia, his verbis exposuit:

In nomine Domini, Amen. Ego Frater N. coram vobis Rev. Pater Provincialis per modum denunciationis expono, qualiter Frater N. &c. ut suprà. Quæ quidem denunciatio non animo maligno, sed bono Religionis zelo, ut per vos, qui es communis Prælatus noster, & Pater provideatur scandalo orto inter Fratres, & demum bono Religionis nostræ consulatis, ne cæteri similia deinceps committere audeant. Datum in nostro Conventu N. die...... mense..... anno......

Alia ejusdem rei,

Formula LIX.

Coram nobis P. N. comparuit Fr. noster N. ab N. qui per modum denunciationis exposuit, quòd cùm his prætentis diebus esset in domo quorumdam secularium, in tali loco, intellexit ab eis cum gravi cordis sui angore, quòd ipsi non parum fuerint scandalizati, ex admodum frequenti, atque domestica familiaritate Fratris N. nostri Ordinis, cum tali muliere, quæ est malæ conditionis, & famæ. Quare ego Frater N. ab N. zelo Dei ductus, & animæ illius Fratris nostri, & honoris Religionis, ac primùm ad honorem Dei defero, ac denuncio vobis factum istud, quò si providere possitis, eo meliori modo, quo noveritis expedire, provideatis. Mecum erat Frater N. ab N. qui & ipse omnia audivit. Datum in Conventu nostro die...... mense....... & anno.......

Processum visitationis, seu inquisitionis generalis simpliciter incipiendi,

Formula LX.

In nomine Domini, Amen. Anno à Nativitate Domini...... die...... Pontificatus Sanctissimi D.N. Domini....... Anno........ Sacrorum Canonum, Sacrique Concilii Tridentini Decretis, ac nostrarum Constitutionum ordinationibus, de Monasteriorum Congregationis visitatione adhærendo, Reverendissimus Pater Generalis........ D. B. unà cum suis Collegis dictæ Congregationis Visitatoribus D.C.D.E.D.F. & me D.S. Visitatore, & Notarii

vices

vices gerente, accessit ad Monasterium....., & ejusdem Monasterii Patribus, sive Canonicis hujusmodi visitatione intimata, exhortationeque adhibita convenienti; primò Ecclesiam (ut in Pontificali Romano statuitur) visitavit; deinde sacra vasa, & vestes, aliaque ad cultum divinum spectantia, omnibusque (ut decet) inventis ad Canonicorum Sacerdotum in eodem Conventu commorantium (ut in Congregatione nostra moris est) visitationem in camera solitæ residentiæ admodum Reverendi P. Abbatis ejusdem Monasterii se contulit una cum prædictis Collegis.

Et cùm dictus Pater Abbas D. J. vocatus adesset, à præfato Reverendissimo P. Generali admonitus de veritate super interrogandis fideliter dicenda, prout se facturum esse promisit, ad opportunas interrogationes, ut infrà, deposuit. Interrogatus super primo. Respond. super secundo, Respond. & ita de singulis.

Quibus habitis præfatus Reverendissimus Pater Generalis mandavit eidem P. Abbati, ut si quid haberet, quod pro Dei honore, Monasterii, & subditorum suorum bono diceret, liberè deponeret.

Qui respondit Io non hò altro che dire.

Tunc præfatus Pater Generalis præcepit eidem P. Abbati, ut subscriberet, prout manu propria se subscripsit; qua subscriptione habita illum dimisit. Eadem die secundo loco vocatus D. L. ejusdem Monasterii Vicarius cum adesset admonitus, ut suprà.

Interrogatus super primo, respondit, &c. super secundo, respondit, &c. super tertio, respondit, &c.

Quibus habitis, &c. ut suprà. Et ita prosequendus est visitationis processus. Qui si in una die minimè terminetur; die altera initio apponendum erit. Die verò.... ejusdem mensis, & anni coram eisdem vocatus D. M. &c. ut suprà.

Refert Franc. Ghisiler. in tract. de Iudice Regular. cap. 16. num 84.

Incipiendi processum per viam Inquisitionis Generalis quoad personas tantùm in delicto facti permanentis,

Formula LXI.

In nomine Domini, Amen. Anno à Nativitate Domini..... die.....

Cùm ad aures admodum R. P. D. P. Abbatis, &c. pervenisset D. Maledicum de Flagitiosis vulneratum fuisse; convocatis ejusdem Monasterii Discretis D. L. D. L. & me D. S. Discreto, & Notarii fungente vices; una cum illis accessit ad cellam d. D. Maledici, illumque in lecto decumbentem reperit, atque in facie vulneratum in dextera maxilla, cum maxima sanguinis effusione, quo vulnere per d. P. Abbatem, ejusque discretos prædictos viso, & bene considerato repererunt illud gladio factum fuisse, & esse longitudinis quatuor digitorum, vel circa, & per d. P. Abbatem delato juramento de veritate super interrogandis dicenda d. D. Maledico, prout tacto pectore juravit, illum interrogavit. Quo modo ita vulneratus reperiatur?

Respondit: Mentre io tornavo alla mia camera questa notte, sono stato ferito nell'entrare della porta del dormitorio, doue sta la mia camera, à questo modo, che V. P. vede.

Interrogatus, quis eum ita vulneravit, & admonitus, ut dicat;

Respondit: Io non lo sò, perche io era senza lume, e colui che mi ferì, mi diede standomi di dietro, e subito fuggì via, di maniera, che io non lo potei vedere, massime essendo ancó smorzata la lampada.

Interrogatus, quem credit fuisse, qui taliter eum vulneravit;

Respondit: Io credo, che sia stato D. Vindice de gl'Inflessibili della tal Città.

Interrogatus, quare ita credat, scilicet D. Vindicem de Inflexibilibus illum vulnerasse;

Respondit: Perche heri haueßimo parole insieme, & egli si partì minacciandomi.

Interrogatus, an aliquis adesset quando verba cum d. D. Vindice habuit?

Respondit: Vi erano D. Venantio, e D. Feliciano.

Interrogatus, an animo calumniandi, aut odio d. D. Vindicem nominaverit?

Respondit: Io l'hò nominato, perche così credo sia la verità, e non altrimenti.

Quibus habitis præfatus Pater Abbas d. D. Maledicum ad patienter ferendum, & ad veniam percussori tribuendam hortatus, illum dimisit.

Acta sunt ista in dicta cella præfati Monasterii, anno, die, ac mense suprà positis, & per me D. S. supradictum descripta.

Formam incipiendi processum in inquisitione generali quoad personas tantùm, si delictum facti sit transeuntis; ex dictis, atque etiam ex dicendis componere per se quisque poterit.

Refert Franc. Ghisiler. in tract. de Iudice Regularium, cap. 16. num 86.

Processum incipiendi per viam Inquisitionis Generalis quoad delicta solùm,

Formula LXII.

In nomine Domini, Amen. Anno à Nativitate Domini..... die.....

Cùm ad aures Reverendissimi P. D. B. Generalis, &c. fama deferente, clamosaque insinuatione subsequente non semel, at sæpiùs, nec à malevolis, & maledicis: verum à probis, & honestis personis pervenerit, quòd in Monasterio tali Canonici admodum licentiosè vivant, contra jus, fasque multa facinora perpetrantes; accessit ad ipsum Monasterium, ut videret an res ita se haberet, hujusmodique scandalo provideret, quatenus opus esset.

Itaque præfatus Reverendissimus Pater Generalis una mecum D. S. ejus collega Visitatore, ac Notarii vices gerente decrevit contra dictos Canonicos infamatos de illorum vita, & conversatione inquirere omni meliori modo.

Acta sunt ista in prædicto Monasterio, anno, die, ac mense supradictis, & à me D. S. supradicto descripta.

Refert Franc. Ghisiler. in tractat. de Iudice Regular. cap. 16. num. 90.

Processum incipiendi per viam Inquisitionis specialis, sive solemnis,

Formula LXIII.

In nomine Domini, Amen. Anno à Nativitate Domini..... die.....

Cùm ad aures admodum R P. D. S. Abbatis, &c. fama deferente, clamosaque insinuatione prosequente non semel, ac sæpius, nec à malevolis, aut maledicis; verùm à probis, & honestis personis pervenerit; quòd frater Impius de Execrabilibus de tali Civitate in eodem Monasterio, sibi subjectus commisisus, Dei nomen horribiliter blasphemare, cum non parvo audientium scandalo, non veretur; convocatis ejusdem Monasterii Discretis D. B. D. C. & me D. S. Discreto, ac pro Notario, & cum illis habito consilio super infamia hujusmodi, ad hoc scandalum tollendum decrevit contra d. Fr. Impium super ea inquirere, contraque ipsum juxta juris dispositionem, & constitutionum nostrarum præscriptum procedere omni meliori modo.

Acta sunt ista in tali Monasterio in camera d. P. Abbatis anno die, & mense, suprapositis, & à me D. S. supradicto descripta.

Refert Fran. Ghisiler. in tract. de Iudice Regul. cap. 16 n. 96.

Processum

Processum incipiendi per viam exceptionis,

Formula LXIV.

In nomine Domini, Amen. Anno à Nativitate Domini ....die .....

Coram Reverendissimo P.D.B. Præside Generali, &c. ac ejusdem Congregationis Visitatoribus D.C.D.G.D.F. & me D.S. Visitatore, & pro Notario, personaliter comparuit D.Zelotes de Invidis de tali Civitate, & excepit contra D. Bibacem de Mussolinis de Meuania, quòd non debeat eligi in Priorem ex causa, quam deposuit, prout infrà hoc modo. Videlicet.

Padre Generale, e PP. Visitatori. Hauendo presentito, che VV. PP. sono per eleggere per Priore del tal Monasterio D. Bibace de Mussolini de Beuagna, io le dò eccettione, che lui spesso per il troppo bere s'imbriaca, nella qual'imbriachezza egli fà, e dice molte pazzie, & in particolare cio gl'occorse quest'anno nel mese di Gennaro, il giorno di S. Antonio dopò pranso in Refettorio, essendoui præsenti D. H. e D. I. & il mese di Marzo, il Giouedi grasso dopò cena, essendo nella camera del fuoco, e vi erano presenti D.M. e D. P. altre volte anco gl'è occorso l'istesso in diuersi tempi, come fanno il Refettorario, e P.Infirmatio; però à me non pare, che tal huomo debba elegersi al Priorato; per il che io le dò quest'eccettione, acciò VV.PP. non l'elegghino.

Quibus auditis præfatus Pater Generalis detulit juramentum d. D. Zeloti, quòd veritatem in omnibus in proposita exceptione contentis dixent, & quòd non animo calumniandi d.D. Bibacem exceperit, prout tacto pectore juravit. Postea d.Reverendissimus mandavit ei, ut se subscriberet, qua subscriptione habita, illum dimisit: & unà cum prædictis PP. Visitatoribus propositam exceptionem acceptavit, si, & in quantum, omni meliori modo.

Acta sunt ista in Monasterio tali, in camera admodum R.P. Abbatis, anno, die, & mense suprapositis, & per me D.S. prædictum descripta.

Refert Franc. Ghisiler. *in tract. de Iudice Regularium*, *cap.* 16. *num.* 102.

Processum incipiendi contra infamatum repertum in Inquisitione Generali, seu in Visitatione,

Formula LXV.

In nomine Domini, Amen. Anno à Nativitate Domini ..... die .....

Quia in Visitatione hujus Monasterii D. Malitiosus de Impudicis de tali Civitate, repertus fuit de crimine linguæ infamatus, quippe qui, ut plures Canonici deposuerunt, multa obscæna sæpius loquitur, cum non parvo audientium scandalo: Reverendissimus Pater Generalis Canonicorum Reg. Sancti Salvatoris D. B. una cum suis Collegis Visitatoribus D.E.D.G.D.F. & me D.S. Visitatore, & pro Notario; decrevit super hujusmodi crimine contra d. D. Malitiosum specialiter inquirere, testes adhibito juramento interrogando, reumipsum constituendo, cæteraque opportuna peragendo, prout de jure.

Acta sunt ista in præfato Monasterio in camera solitæ residentiæ admodum R.P. Abbatis, anno, die, & mense suprapositis, & per me D.S. qui supra, descripta.

Interrogationum in Informationibus sumendis de ingredi volentibus Religionem,

Formula LXVI.

An cognoscant parentes N. N. sciantque eos esse veræ Fidei Catholicæ sectatores, ac bonæ famæ, & nominis.

An sciant eumdem esse sui juris, & liberum, ut disponere valeat de persona sua, non ligatum matrimonii vinculo. Et an sciant eum promissionem dedisse alicui virgini, vel mulieri, eam ducendi in uxorem.

An sciant, eum esse virum probum, ac bonis moribus præditum, & præsertim an sciant eum perpetrasse aliquod delictum, homicidium, furtum, latrocinium, vel aliquid simile, quod fuerit deductum in judicium, aut super eo aliqua facta fuerit inquisitio.

An sciant, eum amisisse bonum nomen apud homines ratione alicujus enormis delicti, vel pœnæ execrabilis ei illatæ, & ut perpetua notetur infamia.

An sciant eum esse debitis ultra facultates suas onustum, quæ solvere non possit, ab eisque faciliter se expedire.

An sciant eum ratiociniis tam publicis, quàm privatis esse obnoxium.

An existiment eum bono fine ad Religionem se transferre.

An sciant eum esse integræ valetudinis mentis, ac corporis, & præsertim;

An sciant, eum aliquo morbo contagioso laborare.

Refert Fr. Barthol. à Vecch. *in prax. Novit. disp.* 6. *dub.* 7 *&* 8.

Iuramenti præstandi iis, qui volunt Religionem ingredi, fidesque de vita, & moribus necessarias non habent,

Formula LXVII.

In nomine Domini, die ..... mens. ... Anno .... in loco nostro N.

Cùm admodum R.P.F.N. de N. Provincialis hujus nostræ Provinciæ N. commiserit P.F.N. Guardiano, & Magistro Novitiorum in hoc loco N. ut eis, qui recepti fuerint à præfato P. Provinciali, & missi ad hunc locum causa ingrediendi Religionem nostram, nullatenus concederet Religionis habitum, donec eidem P. Guardiano literas juridicis attestationibus firmatas exhibuerint, in quibus se nullo Constitutionis Sixti V. impedimento obstrictos esse præcipuè appareat. Et si contingeret aliquem his literis testimonialibus carere, idem P.Provincialis, mandaverit ab eo juramentum desumi sub forma infrascripta, antequam habitu Religionis induatur. Et cum N.N. literis obedientialibus admodum R. P. Provincialis ad hoc Monasterium causa suscipiendi probationis habitum se contulerit, literasque testimoniales præfatas secum non detulerit, P. Guard. prædictus decrevit juxta præmissa interrogare eum mediante juramento, antequam ad Religionis probationem admittatur, prout de facto eum interrogavit præsentibus P.F.N. & P.F.N. testibus. An aliquod delictum, puta homicidium, furtum, latrocinium, vel quid simile in foro contentioso deductum perpetraverit, per quod Curiæ suspectus existat. An ratiociniis publicis, vel privatis reddendis obnoxius sit: vel ære alieno supra vires facultatum suarum gravatus existat; & an de legitimo matrimonio natus sit, vel aliqua gravi, incurabili, vel contagiosa infirmitate, ut morbo gallico, vel simili laboret: vel alio quovis impedimento se obstrictum sciat, per quod ad Religionis statum capescendum inhabilis reddatur. Qui his omnibus interrogationibus coram prædicto P. Guardiano præsentibus præfatis Patribus respondit, se nullatenus conscium esse prædictis impedimentis obstringi, quod juramento ei præstito tactis Scripturis sacris confirmavit, & in prædictorum fidem manu propria se subscribet.

Io. N.N. confermo quanto di sopra.

Ego F.N.N. prædicta scripsi fideliter de mandato.

Ego F.N.N. fui præsens.

Ego F.N.N. fui præsens.

Inter-

Interrogatorii in examine Testium Visitationis, Formula LXVIII.

Die.... Mense.... Anno....

Coram R.P. Visitatore N. in Conventu N. vocatus Monasterii superior ætatis annorum N. & monitus, ac juramento ab eo præstito de veritate super interrogandis dicenda tacto pectore, more sacerdotum juravit, & circa interrogationes propositas respondit, ut infra.

Primò. Interrogatus, an cognoscat P.N. ab N. Religiosum professum Sacerdotem, & Procuratorem illius Conventus, & a quo tempore illum agnoscat? Respondit, se à multis diebus illum agnovisse, & familiariter cum ipso in illo Conventu fuisse conversatum.

Secundò. Interrogatus, cujus famæ, & opinionis sit tam apud alios, quàm apud ipsum: Respondit se prædictum P.N. habuisse pro viro probo, ac bonæ famæ, & opinionis, tam apud alios illius familiæ Religiosos, quàm apud ipsum.

Tertiò. Interrogatus, in quos usus ille, & pro quibus expendat Monasterii pecunias sine licentia Superioris, elargiendo illas suis consanguineis, ac aliquando in conviviis luxuriosè cum secularibus bibendo? Respondit, se audivisse prædictum P.N. distribuisse aliquas Monasterii pecunias inter fratres & consanguineos, sed tamen nescire an hoc præmissa Superioris licentia faciat, necne.

Quartò. Interrogatus, à quibus audivit præfatum N. expendisse prædictas pecunias sine licentia Superioris, elargiendo eas suis consanguineis: Respondit se ad hoc à Patre N. illius Monasterii Sacerdote accepisse, qui asserebat hoc audivisse à quadam consanguinea ejusdem Procuratoris, vocata N. Item se etiam hoc accepisse à Fratre N. qui cùm esset ordinarius socius Procuratoris affirmabat se præsente emisse quosdam anulos aureos, eosque prædictæ consanguineæ dedisse, rogans prædictum socium, ne aliis Monachis patefaceret.

Quintò. Interrogatus, cujus famæ, & opinionis sint Religiosi, à quibus audivit prædictum Procuratorem expendere illas pecunias, & an sint viri probi, de quibus nulla ratione præsumi potest, quòd odio, aut passione aliqua ducti, similem culpam Procuratori temerariè imponant? Respondit, habere se pro comperto, illos Religiosos esse viros probos, timoratæ conscientiæ, ac testes omni exceptione majores.

Sextò. Interrogatus, an sciat, vel audiverit aliquod aliud peccatum, materiam proprietatis concernens? Respondit se nihil aliud scire.

His peractis, legatur ejus depositio, & notetur in processu, & notarius terminabit examen his verbis. Quibus habitis dimissus fuit prædictus P.N. Superior, imposito sibi silentio de secreto tenendo sub eodem præcepto, & subscribatur.

Ego P.N. affirmo ut suprà. Deinde Notarius concludat.

Acta sunt hæc per me F. N. Not. coram R. P. Visit.

Refert Fr. Thom. à Jesu de Visitat. *Regular. tractat.* 3. *cap.* 3. *num.* 4.

Examinis testium, Formula LXIX.

Die, & loco supradictis coram præfatis PP. Visitatoribus D.F. de talibus, de tali Civitate ejusdem Monasterii Vicarius, ætatis suæ annorum..... Religionis verò....: testis productus super primo, vocatus, & monitus, ac juramento ei delato de veritate super interrogandis dicenda, prout tacto pectore more Sacerdotum juravit, ad opportunas interrogationes deposuit, ut infrà, videlicet.

Interrogatus. An sciat causam suæ vocationis.

Respondit: Io non la sò, ne posso imaginarmela.

Interr. An cognoscat D.Turpilium de Improbis de tali Civitate.

Resp. Io lo cognosco benissimo, & hora stà qui per stanza.

Interr. Quomodo illum cognoscat, & à quo tempore.

Resp. Io lo cognosco, perche siamo stati insieme à Brescia, & à Bologna, e qui già sono cinque mesi, e sono da dodici anni, che io lo cognosco.

Interr. Cujus famæ sit d.D. Turpilius apud alios.

Resp. Io non sò in che conto lo tengano gl'altri, perche bado à casi miei.

Interr. Cujus opinionis sit apud ipsum.

Resp. Io per me lo tengo per buon compagno, e vero, che alle volte và in colera, e si lascia vscire di bocca qualche biastema.

Interr. Quomodo sciat illum esse iracundum, & quandoque blasphemare.

Resp. Perche l'hò vdito alle volte biastemare con le mie orecchie.

Interr. Quo loco, ac tempore illum blasphemias proferentem audierit.

Resp. In molti luoghi, e tempi l'hò vdito, & in diverse occasioni.

Interr. An unquam illum in Claustro, & in Refectorio blasphemantem audierit, & quo tempore.

Resp. Padre io mi ricordo particolarmente, che il giorno di S. Lorenzo nel Claustro dopò pranso biastemò assai il nome di Dio.

Interr. Quas blasphemias dixerit.

Resp. Egli disse al corpo, al sangue, & altre simili, essendo saltato in colera per non sò che.

Interr. An alii essent præsentes quando tales blasphemias protulit.

Resp. Vi erano D.Inquieto de Malitioso, e D.G. de tali.

Interr. An ipsum reprehenderit.

Resp. Io non volsi dirli altro, perche essendo in colera dubitano, che non mi dicesse villania, e di non dar di parole con lui.

Interr. An amore, vel odio, vel alia passione motus talia deposuerit.

Resp. Io li voglio bene, e quello, che hò detto, l'hò detto per essere così la verità.

Tunc adm. R.P.D.C. major Visitator mandavit d. D.F. ut proprio examini subscriberet, prout lectis eidem prius dictis dispositionibus propria manu subscripsit; qua subscriptione habita, & acceptatis illius depositionibus si, & in quantum, & eum dimisit, illi præcipiens in virtute sanctæ obedientiæ, ne cui de his omninò loqueretur.

Die, & loco ut suprà D.G. de talibus, &c. testis alter est ab accusatore productus super primo vocatus, ac monitus, &c. ut suprà. Eodem namque modo cæteri testes examinandi sunt.

Quòd si diversis diebus examinentur; initio examinis testis dicendum est, die verò tali ejusdem mensis, & anni D.G. de talibus, &c.

Testes verò super secundo hac forma servata examinari poterunt.

Eisdem die, ac loco D.H. de talibus, &c. testis ab accusatore secundo productus, vocatus ac monitus, &c. ut suprà.

Testibus autem super secundo ultra prædictas interrogationes post interrogationem: An alii essent præsentes, ac testis responsionem; Judex subjungere debet interrogationes super injuriis, hoc modo.

Interr. An d.D. Turpilius unquam fuerit de talibus blasphemiis reprehensus.

Resp. Quandò D.Turpilius biastemò in Refettorio dopò pranso il giorno di S.Rocco fù represo da D.Inquieto de Malitiosi.

Interr.

Interr. Quòd ad hujusmodi reprehensionem dixerit d. D. Turpilius.

Resp. Si voltò in colera contro il d. D. Inquieto, e li disse molte villanie, & in particolare, che egli era un forfante, un sciagurato, un maligno, & un hipocrita.

Interr. An alius adesset cùm talia jurgia d. D. Inquietus dixit.

Resp. Vi era Fr. N. Refettorario, D. Inquieto, & io, e non altri.

Interr. An amore, vel odio, &c. ut suprà.

Eisdem die, ac loco F. N. de talibus, de tali loco Refectorarius, &c. testis alter ab accusatore super secundo pro ductus, vocatus, ac monitus, &c. ut suprà.

Refert. Franc. Ghis *in tract. de Ind. Reg cap 19.*

Examinis testium aliorum.

Formula LXX.

Die .... Mense.... Anno....

Vocatus Pater N. ab N. ut suprà.

Primò. Interrogatus. an cognoscat F. N. Procuratorem, &c. ut suprà. Respondit ut suprà.

Secundò. Interrogatus, an sit bonæ opinionis, &c. ut supra. Respondit ut suprà.

Tertiò. Interrogatus, an sciat illum esse proprietarium, ac expendere Monasterii pecunias, &c. ut suprà.

Resp. se quadam die audivisse, à quadam consanguinea prædicti Procuratoris, eam habere quosdam anulos aureos, quos sibi Procurator N. ejus consanguineus donaverat, eique ostendisse aliquos anulos à prædicto Procuratore sibi traditos.

Item se scire prædictum P. N. Procuratorem, Monasterii expensis, sine Abbatis notitia, tam pro amicis Monachis, quàm pro tribus aliis secularibus etiam amicis, splendidum parasse convivium tali die..... mense .... in Abbatis hospitio, nesciente Abbate.

Quarto. Interrogatus, quomodo id sciat? Resp. se id certò scire, tum quia fuit unus ex invitatis, tum quia audivit ab ipso Procuratore, se magnam pecuniæ summam in illo convivio insumpsisse.

Quintò, Interrogatus, an sciat aliquod aliud peccatum in simili materia propietatis à Procuratore commissum?

Resp. Se nihil aliud scire.

Et post hæc legatur ejus depositio, ut suprà.

Eodem fermè modo erit examinandus à Visitatore F. N. socius Procuratoris, qui examinatus juxta prædictas interrogationes, ad primam, & secundam respondit eodem modo, quo alii testes.

Ad reliam respondit, præfatum P. Procuratorem N. Monasterii pecunias in magna quantitate sine Superioris licentia prodigè consumpsisse, & tam Religiosis, quàm secularibus consanguineis distribuisse.

Interrogatus, quomodo id sciat? Respondit, se sæpiùs vidisse illum pro Religiosis Monasterii sibi amicitia junctis emere vestes, sive utensilia alia.

Interrogatur, quomodo id sciat fieri sine licentia Abbatis? Respondit præfatum Procuratorem id sibi sæpiùs manifestasse, & seriò injunxisse, ut nemini hoc patefaceret.

Deinde dixit prædictum Procuratorem convivium magnum, tam pro Monachis notis, & amicis, quàm pro secularibus, cum notabili expensa Monasterii præparasse, ac ipsum esse certum de hac re, quia ter, aut quater fuit ab ipso invitatus: ac demum scire, quod in ejus præsentia prædictus Procurator uni ex suis consanguineis vocatæ N. anulos aureos donasse, ejusque sorori catenulam auream tradidisse, eum humiliter deprecans, ut prædicta omnia silentio servaret.

Interrogatus, an sciat aliud peccatum contra paupertatis votum. Respondit, se nihil aliud scire.

Refert Fr. Thom. à Jesu *de Visit. Reg. tract. 3. cap. 5. num. 13. cum seq.*

Examinis testium circa delictum notorium.

Formula LXXI.

Eodem die, & anno R. P. Visitator considerans, quòd tale, tamque grave delictum in tali Monasterio commissum, sine maxima Dei, & proximi offensione tolerari nequeat, processit ad testium examen pro investigando delinquente? Quare eodem die vocatus P. N. ab N. coram eodem P. Visitatore existente in eodem loco, & inprimis præmisso juramento, vel præcepto formali, interrogatus fuit an sciat, tale delictum patratum in illo Conventu fuisse. Et si respondeat se scire: Secundò interrogetur, quomodo id sciat? Ubi erat tali tempore, ac tali hora, quando delictum fuit commissum, & quem credat illud commisisse.

Refert Fr. Thom. à Jesu *de Visit. Regular. tract 3. cap. 4. n 1.*

Examinis testium circa factam denunciationem contra aliquem delinquentem.

Formula LXXII.

Die.... Mense .... Anno ....

Cùm pervenisset ad nostram notitiam, publica quadam infamia deferente vel legitima denunciatione per testem omni exceptione majorem, P. N. ab N. Procuratore huius Monasterii, ejusdem Monasterii bona, sine legitimo Superioris consensu temerè dissipasse, tum donationibus à se suis consanguineis factis, tum non modicam pecuniarum summam in conviviis, & potationibus insumpsisse, necnon aliquibus Religiosis suis amicis, & etiam aliis secularibus exhibuisse, tùm ad Dei gloriam, & ad disciplinam Religiosam conservandam, necessarium sit, ut similia delicta impunita non remaneant, ac ex debito nostri officii teneamur ad debitam inquisitionem talium delictorum pleniùs faciendam, præcipimus in virtute Spiritus Sancti, & sanctæ obedientiæ, & sub præcepto formali omnibus Religiosis juxta tenorem sequentis interrogatorii examinandis, ut veritatem, postposito omni odio, vel amore, aliave passione, sincerè deponant.

Examinandi testes super fama,

Formula LXXIII.

Die, atque loco supra positis coram præfato P. Priore, illiusque Discretis prædictis D. T. de talibus, de tali Civitate, ætatis suæ annorum.... Religionis verò.... Sacerdos, & Vicarius d. Monasterii testis vocatus, & monitus, juramento ei delato de veritate super interrogandis dicenda, prout tacto pectore juravit, ad opportunas interrogationes deposuit, ut infrà, videlicet.

Interrogatus, An sciat causam suæ vocationis.

Respondit. Io non la sò altrimente, se V. P. non me la dice.

Interr. An cognoscat F. Impium de Execrabilibus.

Resp. Padre si.

Interrog. Quomodo illum cognoscat, & à quanto tempore.

Resp. Io lo cognosco, perche son stato con lui à Fioronza, e qui, e devono essere circa sei anni, che lo cognosco.

Infert. Cujus famæ sit apud alios, & apud ipsum.

Resp. Lui è tenuto per buon compagno, & io ancora lo tengo per tale.

Interrog. An fama sit, quòd ille blasphemias proferat.

Resp. Padre sì, che di lui è tal fama.

Interr. Quid sit fama.

Resp. E quello, che si dice publicamente.

Interr. Quomodo sciat talem famam de illo esse.

Resp. Lo sò, perche l'hò sentito dire da molti.

Interr. A quibus audierit.

Resp. Da molti, ma in particolare dal Padre Fattore, da D. Sigismondo, e da Fr. Patiente.

Interr. Quomodo ab illis audiverit, & qua occasione.

Resp. In diverse occasioni, e ragionamenti, secondo che occorre, ma in particulare Domenica passata essendo io nel Claustro con il d. P. Fattore, e D. Sigismondo, si venne in ragionamento del d. F. Impio, e tutti due dissero, come si diceva da tutti, che egli un gran biastematore.

Interr. An ipse unquam audierit illum blasphemantem.

Resp. Io veramente non l'hò mai udito biastemare.

Interr. A quanto tempore d. Fr. Impius de blasphemia sit infamatus.

Resp. Sono molt'anni; ch'io hò udito dire, che lui biastema, sino quando stavo à Fano: che devono essere dodic'anni.

Interr. An sciat unde ortum duxerit hujusmodi fama contra illum.

Resp. Io non sò, che alcuno gli vogli male, perche del resto è buon'compagno, ma credo, che tale infamia sia nata dal suo biastemare.

Interr. An odio, vel alia passione motus ista deposuerit.

Resp. Quello, che hò detto. l'hò detto solamente per essere così la verità.

Quibus habitis Præfatus Pater Prior mandavit d. D. T. ut proprio examini subscriberet, qui lectis eidem ab illo factis depositionibus, subscripsit, & d. Pater prior acceptatis d. depositionibus si, & in quantum, &c. illum dimisit, præcipiens illi in virtute sanctæ obedientiæ ne de his cum aliquo loqueretur.

Eisdem die, ac loco coram prædictis D. F. de talibus de tali Civitate: &c. ut supra.

Refert Fran. Ghisller. in tract. de Judice Regul. cap. 19. n. 27.

Examinis rei, sive constituendi reum,

Formula LXXIV.

Die vero..... ejusdem mensis D. Turpilius de improbis de tali Civitate Sacerdos, ætatis suæ annorum 40. Religionis verò 24. accusatus, de quo suprà, vocatus, ac personaliter constitutus coram præfato admodum Reverendo D. C. & me D. I. A. Visitatoribus, monitusque ac delato eidem juramento de veritate super interrogandis dicenda, prout tacto pectore juravit, ad opportuna interrogationes respondit, ut infrà.

Interr. An sciat causam suæ vocationis.

Resp. Padre oò io, se non mi vien detta.

Interr. A quanto tempore in hoc Monasterio sit.

Resp. Ci sono venuto alla dieta passata, assignatovi per stanza.

Interr. Unde discesserit tempore proximè prateritæ dietæ.

Resp. Io mi sono partito da Reggio, e venuto qui.

Interr. An fuerit in aliis Monasteriis commoratus.

Resp. Io sono stato in molti, à Fano, à Montova, à Brescia, à Bologna.

Interr. Cum quibus fuerit, præsertim Brixiæ, & Bononiæ.

Resp. Io sono stato con diversi Canonici, ma in particulare con il. P. Vicario, qui D. F. & in Brescia, & in Bologna, & ancora con D. G. che pure sta qui distanza in Bologna, & hora qui con tutti dua lore me ne stò.

Interr. An verba unquam cum aliquo hubuerit in aliquo eorum Monasteriorum, in quibus commoratus est.

Resp. Io non me ricordo, perche sono coso, che passano.

Interr. An unquam cum D. Inquiete de Maliriosis verba fecerit.

Resp. Non me ricordo, potrebb'essere: ma sarà stata qualche bagatella.

Admonitus, ut recordetur, ac veritatem fateatur, quia in actis constat illum verba gravia cum d. D. Inquieto habuisse.

Resp. Io mi ricordo. che già molti giorni sono, hebbi parole in Refettorio con il d. Inquieto.

Interr. Qua de causa hujusmodi verba cum dicto habuerit.

Resp. Non me ne ricordo. Et erubuit, totúsque muratus est, admonitus autem, ut dictam causam exponat, quia mitiùs secum agetur; sin minùs cum rigore procedetur.

Resp. Padre io sono vn poco colerico, e quel giorno riscaldato dal vino dissi non sò che bestemie; perche lui mi represe, io le disse villania.

Subinterr. Quas blasphemias dixerit.

Resp. Io veramente non me ne ricorde, perche ero in colera.

Interr. An aliàs blasphemaverit.

Resp. Quando io sono in colera, me ne scappano di bocca alte volte.

Quibus habitis præfatus P. D. C. Visitator mandavit eidem D. Turpilio, ut proprio examini subscriberet, prout sibi priùs lectis dictis ejus depositionibus subscripsit, qua subscriptione habita, præfatus P. Visitator præcepit ei, ut recto itinere iret ad propriam cellam, nec inde discederet, neque cum aliquo loqueretur sub pœna carceris ad arbitrium dd. PP. Visit. illumque dimisit.

Refert Franc. Ghisller. in tract. de Regular. Iudice cap. 19. num. 7.

Culpa facienda,

Formula LXXV.

Pater dicimus nostram culpam Deo, & tibi de omnibus vitiis, & peccatis nostris, maxime de divino officio malè, & negligenter à nobis recitato, de silentio non benè custodito, de scandalo Patribus & secularibus dato, de his, & aliis transgressionibus nostris, quomodocumque offendimus Deum, proximum, & Regulam nostram, dicimus nostram culpam, & humiliter deprecamur, ut amore Jesu Christi nobis pœnitentiam imponere digneris.

Refertur in Const. Urban. Fr. Min. Convent. S. Franc. in cap. 3. Reg. sub tit. 10.

Sententia diffinitiva.

Formula LXXVI.

Nos Fr. N. ab N. Visitator, Spiritus sancti nomine implorato, à quo cuncta, & integra judicia recta procedunt, in causa contra P. N. ab N. Procuratorem hujus Monasterii, coram nobis pendente, & per processum in scripto formatum deducta, receptisque ex utraque parte probationibus oblatis, his omnibus accuratissimè perpensis, & ad plenum cognitis pronunciamus; ac decernimus, prædictum P. N. ab N. procuratorem graviter peccato proprietatis contra votum paupertatis in multis gravibus delictis peccasse, tam in conviviis pro Monachis, & secularibus à prædicto N. sine licentia exhibitis, quàm in aliis donationibus, nempe trium anulorum aureorum donatorum uni consanguineæ ab eodem P. N. C. ut ipse etiam in sua confessione fatetur) temerè factis deliquisse, ac in hujus delicti pœnam præcipimus in carcere per tres annos includendum, ibi jejuniis panis, & aquæ in pœnam tanti sceleris, semel in qualibet hebdomada macerandum, reservantes nobis facultatem mode-

moderandi, vel dispensandi in prædictis: acta, lata, & lecta, fuit hæc sententia, & publicata in Monasterio nostro N. sive in cellula nostra per me Fratrem N. ab N. Visitatorem hujus Conventus prædicto Patre N. præsente, & audiente (si ibi præsens fuerit) & testibus infrascriptis, qui propria manu subsignarunt. Die..... mense..... anno.....

Locus † Sigilli.

Fr. N. Visitator.
Fr. N. Notarius.
Fr. N. & N testes.

Refert Fr. Thom. à Jesu *de Visit. Regular. tractat. 3. cap. 15 in fine.*

Sententia in qua declaratur innocentia Rei,

Formula LXXVII.

Nos Fr N. ab N. Visitator, &c. visa causa, sive processu contra P. N. & expensis omnibus probationibus contra ipsum factis, ac ejus vera, & sincera Confessione audita, decrevimus illum nulla animadversione dignum esse, neque pro hac, neque pro alia causa coram nobis legitimè probata, quem in omnibus innocentem repertum auctoritate nobis in hac parte concessa absolutum declaramus. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.

Fr. ab N. Visitator.
Fr. N. ab N. Secretarius.

Refert Fr. Thom. à Jesu *de Visit. Regular. tractat. 3. cap. 16. in princip.*

Multæ aliæ Formulæ, præsertim spectantes ad Novitiorum induitionem, & Professionem Monachorum, necnon Capituli Generalis, seu Provincialis, vel intermedii celebrationem, Monasteriorum visitationem, aliosque ritus consimiles omittuntur, cum de illis specialiter, & eruditissimè pertractet admodum R. P. D. Valerianus Rainerius Prior S. Mariæ de Vghis Ordinis nostri Vallis-Umbrosæ Sacræ Theologiæ Magister, vir in omnium genere scientiarum valdè versatus, in suo Rituali Monastico, secundùm usum nostræ Congregationis Vallis-Umbrosæ propediem imprimendo.

Dimissoriales literæ pro prima Tonsura.

Formula LXXVIII.

D. N. Abbas, &c. Dilecto nobis in Christo N. scholari nostræ, &c. salutem in Domino. Tibi de legitimo matrimonio, ut nobis constat, procreato, cujus vita, & morum probitas per testificationes nobis factas comprobantur, quique etiam per examen jussu nostro specialiter factum idoneus nobis renunciatus fuisti, ut à quocunque Catholico Antistite, quem malueris, gratiam, & communionem Sanctæ Sedis Apostolicæ habente, & in propria diœcesi residente, vel in aliena de Ordinarii loci scientia, Pontificalia exercente ad primam Clericalem Tonsuram ritè, ac licitè promoveri possis, & valeas facultatem concedimus, & impartimur. In quorum fidem, &c.

Desumitur ex Formulario Episcopali D. August. Barbos. *noviter impresso, post suum tract. de offic. & potestat. Episc. secundum Lugdunen. impress.* Form. 11.

Dimissoriarum literarum pro Ordinibus Minoribus,

Formula LXXIX.

D. N. Abbas, &c. Dilecto nobis in Christo N. Clerico, &c. salutem in Domino sempiternam. Ut à quocunque Catholico Antistite gratiam, & communionem Sanctæ Sedis Apostolicæ obtinente, & in propria diœcesi residente, vel in aliena de Ordinarii loci licentia Pontificalia exercente, quem malueris, valeas statutis ad id temporibus ad quatuor Minores Ordines stante tua idoneitate, & nostra dispensatione super temporum interstitiis ob necessitatem, & utilitatem Ecclesiæ ritè facere promoveri, & harum serie tam dicto Antistiti præfatos Ordines conferendi, quàm tibi illos suscipiendi, licentiam damus, & concedimus. In quorum fidem, &c. Datum, &c.

Refert D. Aug. Barbos. *in Formulario Episcop.* Form. 12.

Dimissoriarum literarum ad Sacrum Subdiaconatus Ordinem,

Formula LXXX.

D. N. Abbas, &c. Dilecto nobis in Christo N. &c. in quatuor minoribus Ordinibus constituto salutem in Domino. Tibi de legitimo matrimonio, ut nobis constat, procreato, cujus vita, & morum probitas per testificationes nobis factas comprobantur, quique etiam per examen jussu nostro specialiter factum, idoneus nobis renunciatus fuisti, ut à quocunque quem malueris, Catholico Antistite, gratiam, & communionem Sanctæ Sedis Apostol. obtinentem in propria diœces. residente, vel in aliena de licentia Ordinarii loci Pontificalia exercente, ad Sacrum Subdiaconatus Ordinem ad titulum tui sufficientis patrimonii, de quo nobis legitimè constat, liberè, ac licitè servata forma Sacr. Conc. Trident. promoveri possis, & valeas, & tam dicto Antistiti prædictum Ordinem conferendi, quàm tibi illum suscipiendi tenore præsentium licentiam concedimus, & impartimur. In quorum fidem, &c.

Refert D. Aug. Barbos. *in Formulario Episc.* Form. 13.

Licentiæ pro confessariis Secularibus,

Cùm Abbates seculares, & priores magni exempti, qui in suas oves habent jurisdictionem quasi Episcopalem, & nullius diœces. dicuntur, possunt suos Clericos, & Capellanos ad audiendas Confessiones approbare, ut tenent Campanil. *in divers. jur. can. rub. 12. cap. 113. num 76.* & alii citati à D. Barbos. *de offic. & potestat. Episcop. part. 2. alleg. 25. num. 9 secundum Lugdunens. impress.* & censuit Rot. *decisione 332. part. 1. recent.* ideò subjungimus Formulas, quibus talem approbationem facere debent in hunc, qui sequitur modum.

Formula LXXXI.

D. N. Abbas, &c. Dilecto nobis in Christo Presbytero N. præsentium tenore tibi per examinatores nostros idoneo reperto, & per nos approbato, & in diœcesi nostra (si verò sit restricta ad locum, vel Ecclesiam, dicatur, ut in loco N. seu in Ecclesia S. N.) Confessiones fidelium audire, & pœnitentes absolvere valeas præterquam à casibus, & censuris nobis reservatis, facultatem concedimus, & impartimur. Te in Domino admonentes, ut quæ pro recta hujus Sacramenti administratione per Sacros Canones sancita vel à nobis ordinata fuerint, attentè perlegas, accurateque observes. In quorum fidem, &c. Datum, &c. die..... mense..... anno.....

Refert D. August. Barbos. *in Formulario Episc.* Formula 2.

Licentiæ pro confessariis Regularibus,

Formula LXXXII.

D. N. Abbas, &c. Dilecto nobis in Christo Fr. N. Ordinis N præsentium tenore tibi à tuo Superiore nobis legitimè præsentato, & per nos approbato, ut in jurisdictione, & diœcesi nostra in Ecclesia Monasterii, seu Conventu Ordinis tui ubi habitas, & in aliis item Ecclesiis, quæ non sunt Ordinis tui, dum tamen admoneas priùs Parochiæ Curatum, Confessiones fidelium audire, & pœnitentes absolvere valeas præterquam à casibus, & censuris nobis reservatis, & privilegio tibi non concessis, facultatem concedimus, & impartimur.

Te in Domino admonentes, & hortantes, ut quæ pro recta hujus Sacramenti administratione per Sacros Canones sancita, vel à nobis ordinata fuerint, attentè perlegas, accurateque observes, in quorum fidem, &c. Dat. &c.

Refert D. August. Barbos. *in Formulario Episc. Form* 24.

Licentia pro eisdem primæ classis Confessariis Regularibus.

Formula LXXXIII.

D. N. Abbas, &c. Tibi dilecto nobis in Christo Fr. N. Ordinis N. his nostris literis tibi à tuo Superiore legitimè præsentato, & à nobis approbato Pœnitentiæ Sacramentum in Civitate, diœcesi N. in Ecclesiis tui Ordinis, atque etiam graviter ægrotantibus, quorum Confessiones tu aliàs audire consueveris, in eorum domibus, monito tamen priùs, ipsius ægrotantis Parocho, ubi ægritudo non sit repentina, aut mortis periculum non immineat (quo casu ipso etiam non monito volumus tibi licere; ita tamen ut quamprimum Confessione audita eamdem certiorem facias: testimonio item hujusmodi Sacramentum per te ministrati manu tua subscripto familiaribus infirmi relicto, ut medico exhiberi possit ad formam Constitutionis Pii Papæ V. Conciliorumque, tum Provincialium, tum Diœcesanorum) ministrandi facultatem per..... concedimus, atque impartimur. Te in Domino admonentes, &c.

Refert D. Aug. Barbos. *in Formulario Episcop. Form.* 24.

Licentia pro Confessariis Monialium.

Formula LXXXIV.

D. N. Abbates, &c. licentiam concedimus tibi N. Presbytero per examinatores nostros idoneo reperto, & per nos approbato, ut in Ecclesia, & Monasterio S. N. Confessiones Monialium audire, & secularium etiam, si quæ in eodem Monasterio erunt, easque absolvere valeas, præterquam à casibus, & censuris nobis reservatis, à quibus absolvendi facultatem, cùm opus erit, tibi impartimur. In clausuram Monasterii non ingredieris nisi Cotta, & Stola indutus, ut administres tantummodo S. Sacramenta Pœnitentiæ, Eucharistiæ, & Extremæ Unctionis, & spiritualem opem agonizantibus præstes: quibus casibus semper tuo hoc munere præfungeris sociatus à duabus ex senioribus Monialibus, quæ cum Confessiones audis, te etiam videre possint, licet non audire. Cave ne te Monasterii, aut Monialis alicujus quibuscunque negotiis immisceas, nec ad crates, aut Rotas colloquaris, nisi ut tantummodò petas ea, quæ Ecclesiæ cultui, & Divinorum Officiorum celebrationi, aut Sacramentorum administrationi sunt necessaria. Vocatus tamen, ut aliquod des spirituale consilium, id effice ad crates, quæ clausæ sint, præsentesque adsint Moniales auscultatrices, & non aliter, sub pœna arbitrio nostro, &c. Te verò in Domino admonemus, ut quæ pro recta hujus Sacramenti Pœnitentiæ administratione per Sacros Canones, &c. ut suprà.

Refert D. Aug. Barbos. *in Formulario Episcop. Form.* 26.

Licentia pro Confessore Monialium ad crates tantum, sive allocutoria.

Formula LXXXV.

D. N. Abbas, &c. Concedimus licentiam tibi N. Presbytero per examinatores nostros idoneo reperto, & per nos approbato, ut possis in Ecclesia Monasterii S. N. Confessiones audire in Confessionali tantùm ad id deputato tempore, & hora decenti post ortum solis, & usque ad horam Completorii, quod confessionale duas habeat claves, quarum altera servetur ab Abbatissa, altera maneat apud Confessorem; nihil extra Confessionem ibi agas, nec in alio loco possis absque licentia Abbatissæ loqui cum illis Monialibus. Sacramentum autem Communionis non possis ministrare nisi in loco, aut fenestella consueta cum debito cultu, & cæremoniis. Dona verò cujuscunque generis nullo colore à qualibet Moniali, seu alia intra claustra Monasterii manente accipias sub pœnis arbitrio nostro, &c. In quorum fidem, &c.

Refert D. August. Barbos. *in Formulario Episc. Form* 27.

Licentia pro Confessario Monialium necessitate urgente intra claustra Monasterii ministraturo Sacramenta.

Formula LXXXVI.

D. N. Abbas, &c. Tibi N. Confessori, & Curato Monialium S. N. à nobis deputato licentiam damus, ut juramento priùs præstito si infirma fuerit aliqua Monialis, atque in lecto jacens de licentia Abbatissæ intus Cotta, & Stola, aliisque officio tuo necessariis tecum delatis, absque ullo tecum socio possis ingredi claustra dicti Monasterii sociatus semper duabus, aut tribus gravioribus Monialibus ad id deputatis, & dato campanulæ signo, ut cæteræ omnes Moniales in tuo adventu in Ecclesiam, aut cellulam suam se recipiant, ipse verò comitatus, ut suprà, recta via accedas ad cellam ægrotantis, ad Confessionem audiendam, interimque cameræ ostium maneat apertum, peractaque Sacramentorum administratione statim discedas. Quod si contingat eam mori, & sepulturæ tradi debere, tunc etiam cœmeterium funeris causa ingredi possis, non aliter ac supra dictum est, sub pœnis, &c. In quorum fidem, &c.

Refert D. Augustinus Barbos. *in Formulario Episcop. Formula* 28.

Licentia alterius Confessarii Monialium.

Formula LXXXVII.

D. N. Abb. &c. Dilecto nobis in Christo N. tibi cujus vita, & morum probitas per testificationes nobis factas probantur, ut Monialium Monasterii S. N. Confessiones audire, eisdemque Ecclesiastica Sacramenta ministrare possis, cum facultate casuum nobis reservatarum, necnon prædicti Monasterii clausuram in casibus urgentis necessitatis, atque Confessario, tum ex forma Sacr. Concil. Trid. tum ex Bullis SS. DD. Gregorii XIII. & Clementis VIII. Summorum Pont. permissis, ingredi, servatis, quæ in Conciliis Provincialibus, & Synodis Diœcesanis N. ac etiam decretis generalibus Visitationis Apostolicæ Sacerdotibus, & Confessariis Monialium præscripta sunt, ad..... his nostris literis concedimus facultatem. Dat. &c.

Refert D. Augustinus Barbos. *in Formulario Episcop. Formula* 29.

Licentia pro Cocionatore Regulari.

Formula LXXXVIII.

D. N. Abbas, &c. R. N. Qui ad prædicationem verbi Dei moribus, doctrinaque approbatus ista nobis, & ab ejus Superiore, ut nobis per patentes ipsius literas constat, licentiam concedimus, ut hoc tantùm quadragesimali tempore hujus anni ..... usque ad octavam Paschæ inclusivè Prædicatoris munere fungatur, & Confessiones audire possit. In quorum fidem, &c. Dat. &c.

Licentia pro Concionatore in Ecclesia Monialium.

Formula LXXXIX.

D. N. Abbas, &c. Tibi R. P. N. Ordinis N. à Superiore tuo, & à nobis approbato licentiam concedimus, ut in Ecclesia exteriori Monasterii Monialium S. N. quæ clausa sit, nullique auditores præsentes adsint, exceptis Capellano, & socio tuo, possis ex suggestu

gestu verbum Dei die.... prædicare cum devotione & juxta Sanctæ Ecclesiæ Catholicæ Romanæ doctrinam, & peracta concione statim ab Ecclesia discedas, nullo prorsus colloquio, aut quovis negotii genere ad crates, rotas, aut alia loca intermixto sub quovis pietatis, aut etiam consanguinitatis prætextu, nec munere ullo, etiam minimo, accepto juxta formam Bullæ, sub pœnis arbitrio nostro, &c. In quorum fidem, &c. Datum, &c.

Refert D. Aug. Barbos. *in formulario Episc. Form. 26.*

Licentia pro Prædicatore.

Formula XC.

Cùm proprium nostri muneris sit animarum nostræ diœcesis saluti consulere, divinique cultus incrementum semper curare, Quadragesimali tamen tempore commisso nobis gregi majori studio invigilandum videtur, quare cùm in Terra N. nostræ diœcesis, de idoneo Concionatore à nobis profutura quadragesima providendum sit, te R. Fr. N. Ordinis S. N. de vita, morum integritate, ac scientia à tuo Superiore commendatum prævia fidei professionis per te coram nobis emissione, verbi Dei Prædicatorem in toto Quadragesimali tempore facimus, deputamus, & nominamus. Illud imprimis te esse monitum volumus, ut uberes prædicationis tuæ fructus consequantur. Mandantes R. Archipresbytero, Clero, & populo dictæ Terræ, ut benignè te recipiant, & in omnibus, ut decet, excipere curent, & insuper tua stante approbatione, ibi facultatem concedimus, ut durante dicto tempore Quadragesimali in prædicta Terra Pœnitentiæ Sacramentum administrare, & Christi fidelibus peccata sua confitentibus absolutionem impartiri valeas, cum facultate absolvendi etiam à casibus nobis reservatis à Dominica Palmarum per totam Octavam Paschæ duratura. Dat &c.

Refert D. August. Barbos. *in Formulario Episc. Formula 15.*

Dispensatio super denunciationibus Matrimonii.

Cùm Abbates, qui Ordinarii sunt, & habent jurisdictionem quasi Episcopalem, denunciationes remittere valeant, sicuti resolvunt Sanch. *de matrim. lib. 3. disp. 7. n. 4.* Flores de Mena *var. lib. 3. q. 24. n. 26.* & alii citati à D. Aug. Barbos. *de offic. & potest. Episcop. p. 2. alleg. 32. n. 32.* ideo subjungimus Formulam, qua hujusmodi denunciationes remittere possint.

Formula XCI.

D. N. Abbas, &c. justis de causis animum nostrum moventibus his nostris literis facultatem tibi concedimus, ut tribus, vel saltem duobus testibus præsentibus N. & N. in matrimonium (cùm nullum ex informationibus ore tenus sumptis inter eos legitimum detectum fuerit impedimentum) conjungere valeas, ita tamen, ut celebrato matrimonio intra... denunciationes tribus continuis festivis diebus, ex præscripto Concil. Trident. fiant, & interim sponsi se à carnali copula abstineant, in reliquis verò forma ab eodem Sacr. Concil. Trident. nostrisque & diœcesana Synodo præscripta servetur. In quorum fidem, &c. Dat. &c.

Refert D. August. Barbos. *in Formulario Episc. Form. 30.*

Facultas visitandi Monasteria Monialium.

Cùm facultatem concedere intrandi septa Monasterii Monialium Regularibus subjectarum pertineat ad earum Superiores Regulares ut censuit Sacra Congregat. sicut refert D. August. Barbos. *de offic. & potest. Episcop. part. 3. allegat. 52. num. 41.* ideo subjungimus Formulas aliquas ad hanc materiam spectantes.

Formula XCII.

D. N. Abbas, &c. Tibi dilecto nobis in Christo R. N. his literis facultatem damus, & mandatum visitandi omnia, & singula Monialium cœnobia Civitatis, & nostræ diœcesis N. teque Visitatorem nostrum constituimus, ut nostra, & alia quacunque quæ nobis competenti auctoritate Canonicas sanctiones, & Sacr. Concil. Trident. nostrarumque Provincialium Synodorum, aliaque decreta nostra, statuta, Regulas, & & ordinationes de observantia Regulari, pietate, moribus, religione, regimine, bonorum administratione, clausura, & aliis rebus omnibus in capite, & membris omnium, & singulorum Monasteriorum eorumdem, executioni cures, & facias mandari, & pœnis, ac censuris tuo arbitrio infligendis, ubi, & quando justum fuerit, licere tibi volumus. Item coercendi, & cogendi omnes, & singulas utriusque sexus personas in prædictis omnibus, & ad ea pertinentibus tibi potestantem facimus, atque ad hujusmodi visitationis acta nomine, & Vice-Cancellarii nostri Archiepisc. recipienda, & conscribenda eligere, & assumere tibi liceat unum, quem volueris, ex N. N. & N. si qui tamen horum Notarii non sint ad acta publica scribenda non adhibeantur. Postremo tibi etiam facultatem damus ut causa, & occasione hujusmodi visitationis, quoties opus fuerit, septa, & clausuram eorumdem Monasteriorum possis unà cum uno ex illis, quos superiùs nominavimus, tibi adjuncto comite ingredi, cui etiam comiti eo casu intra eadem septa ingrediendi licentiam impartimur. Præsentibus ad beneplacitum nostrum, & donec revocentur per nos dumtaxat duraturis. In quorum fidem, &c.

Refert D. August. Barbos. *in Formulario Episc. Form. 44.*

Facultas visitandi Monasteria Monialium ex delegatione Apostolica.

Formula XCIII.

D. N. Abbas, &c. Dilecto nobis in Christo R. N. salutem in Domino. De tua fide, prudentia, ac in rebus gerendis experientia in Domino confisi, auctoritate Apostolica nobis per diversas literas cum Apostolicas, tum etiam Illustr. DD. Cardinalium Congregationis super reformatione specialiter concessa, tibi per præsentes committimus, & mandamus, ut Monasteria Monialium SS. N. N. N. & N. Ordinis existentia in diœcesi N. prout expediens tibi videbitur, visites, & de ipsorum Monasteriorum statu, ac ipsarum Monialium vita & moribus, Regularibus institutis, ac Monasticæ disciplinæ observantia diligenter inquiras; ac super his, & quibuscunque abusibus, necnon criminibus, excessibus, & delictis, si quæ deprehenderis, processus facias, informationes quascumque sumas, atque alia quæ tibi ad aures commisimus, & quocunque in præmissis, & unà & necessaria, seu quomodolibet opportuna fuerint, facias, geras, & exequaris. Super quibus omnibus, & singulis plenam, amplam, omnimodam potestatem tibi concedimus, & impartimur. Mandantes omnibus, & singulis Abbatissis, Priorissis, & aliis quibuscunque Superioribus dictorum Monasteriorum in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna privationis officiorum obtentorum, atque etiam censuris, aliisque pœnis Ecclesiasticis arbitrio tuo infligendis, ut mandatis tuis pareant, ne te in visitatione, correctione, aliisque per te faciendis quomodolibet impediant per se, nec per alios quovis quæsito colore, vel prætextu. In quorum fidem, &c. Datum, &c.

Refert D. August. Barbos. *in formulario Episcop. Form. 45.*

Pro Medico, & Chirurgo.

Formula XCIV.

D. N. Abbas, &c. licentiam concedimus tibi N. Medico ad annum duraturam, ut juramento prius præ-

stito septa Monasteriorum SS.N. & N. ingredi possis, ad curandum infirmitatem earum, quæ in infirmaria communi in lecto, vel ubi ea non fuerit, in propria camera in lecto jacent, nec ad crates se transferre possunt, jurejurando te obstringentes, ut omni honestate servata non ingeras te in alias ullas res, nec cum aliis Monialibus, aut domicellis in Monasterio manentibus loquaris, sed recta via eundo, & redeundo comitatus semper duabus gravioribus Monialibus ad id ab Abbatissa deputatis, præcedenteque semper ad tui ingressum campanulæ signo, & non nisi post ortum solis ingrediaris, & ante occasum exeas, sub pœnis, si contrafeceris, &c. In quorum fidem, &c. Dat. &c.

Refert D. Augustinus Barbos. in Formulario Episcop. Formula 47.

Pro operariis, Fabris, Bajulis, aliisque auxiliariis, & artificibus,

Formula XCV.

Tibi N. Fabrolignario, seu Bajulo, aut Cæmentario, sive..... licentiam concedimus, ut juramento priùs præstito clausuram Monasterii S. N. ingredi possis, sociatus duabus ad minus Monialibus ex antiquioribus ab Abbatissa deputatis, atque in eo operam tuam per dies..... præstare, quam quantociùs perficere curabis, nec ad alia loca Monasterii accedes, neque aliis te rebus, aut colloquiis ullo pacto immiscebis, tractando tantùm cùm Abbatissa, aut aliis deputatis ad illud opus, ita ut ante ortum solis non ingrediaris, & ante occasum semper exeas, serves que in omnibus præstitum in manibus nostris juramentum sub pœnis, &c. In quorum fidem, &c. Dat. &c.

Refert D. Augustinus Barbos. in Formulario Episcop. Formula 48.

Pro villicis, seu colonis,

Formula XCVI.

Tibi N. Villico Monasterii S.N. licentiam damus, ut quando res ad agros, & officium tuum pertinentes ad crates in allocutorio publico expedire non poteris, & frumenta, vinum, aut alia omnino necessaria intra clausuram erunt deferenda, tunc in hospitium, seu forestériam tantùm cum dictis rebus admitti, possis præsentibus Monialibus deputatis, ubi de aliis rebus quibuscunque extra officium tuum loqui non debeas, nec etiam ibi comedere, aut amplius quàm necessitas, deponendi dictos fructus postulat, manere, cùm in factoris æde, ut possis cibum sumere, tibi commoditas erit præbenda. Atque hanc ob causam ante omnia juramentum præstare debebis in manibus eorum, qui à nobis sunt deputati, pœnis, &c.

Pro factoribus urbanis,

Formula XCVII.

Tibi N. Factori deputato ad res omnes Monasterii S.N. concedimus licentiam per annum duraturam, ut si aliquando ex magna necessitate oportuerit te ingredi septa Monasterii (cùm alioquin res, & negotia tua ad crates in allocutorio publico expedire debeas) ut tunc, non nisi post ortum solis, & associatus duabus Monialibus senioribus deputatis, & dato signo campanulæ, recta via pergas ad locum ubi opera tua fuerit necessaria, & quamprimum inde te expedire procures, ita ut omnino exeas ante occasum solis, nec interim cum aliqua alia loquaris, aut literas, seu nuntium intus, vel extra deferas, & in omnibus juramentum in manibus nostris, seu eorum, quos deputabis, præstes, sub pœnis, &c.

Refert D. August. Barbos. in Formulario Episc. Form. 49.

Pro olitore, aut alio hujusmodi operario,

Formula XCVIII.

Concedimus tibi licentiam per sex menses duraturam, ut juramento prius præstito, quando ab Abbatissa vocatus necesse fuerit te ingredi claustra Monasterii S.N. horti, aut viridarii colendi, sive fructus legendi, aut alterius similis operis causa, non aliter quàm recto itinere in locum deputatum pergas post ortum solis, associatus semper duabus Monialibus senioribus ab Abbatissa deputatis; nec in alium locum transeas, nec cum alia ulla sub quocunque prætextu loquaris, aut literas, vel nuncium intus, sive extra deferas, sed in omnibus juramentum in manibus nostris præstitum observes, & ante solis occasum exeas, sub pœnis, &c.

Refert D. August. Barbos. in Formulario Episc. Form. 51.

Iuramenti præstandi ab admittendis intra clausuram Monasteriorum Monialium.

Formula XCIX.

Ego N. Sacerdos ætatis 40. ann. Confessarius electus, & deputatus Monasterii S.N. polliceor, & juro me eos tantum ob casus clausuram Monasterii ingressurum, quos urgens necessitas afferet, hoc est, ut infirmarum Monialium Confessiones audiam, iisdem Oleum sanctum præbeam, earumdemque animas ex ritu S. Ecclesiæ Deo commendem (si Medicus fuerit, dicat,) *ut infirmarum curationi vacem*, si alii, adjungant, *ut murum ædificem, aut panem coquendum feram, vel farinam afferam, vel ut tabulata accommodem, seu cancellos, aut januas*, & sic deinceps prout uniuscujusque erit ars, & occasio Monasterium ingrediendi, quæ semper explicetur.) Quibus casibus ita me habebo, ut non nisi claro die ingrediar, & ante solis occasum egrediar, & præter munus meum, quod ritè administrare curabo, nihil aliud omnino in Monasterio agam, neque colloquiis ullis utar, sed egomet (si Confessarius sit) personaliter Stola indutus, & superpelliceo accedam; (si Medicus erit) alios Medicos mecum non ducam, nisi qui aliis etiam Monasteriis medeantur, & facultatem in scriptis de novo pariter habeant, (si alii erunt) neque colloquiis ullis utar, ipsemet personaliter accedam, nec ullum meo loco mittam, nisi obtenta à Superioribus licentia in scriptis. Itame Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

Refert D. Aug. Barbos. in Formulario Episcop. Form. 52.

Facultatis recipiendi puellam in Monasterio ad habitum Religionis.

Formula C.

Cùm voluntatem N. diligenter exploraverimus eamque liberam, & piam esse, quanto humano judicio examinari potest, compererimus, eamdem quoque N. ætatem annorum 16. explevisse noverimus, nihilque habere sciamus contra sacra decreta, & conditiones, ac requisita juxta Monasterii Ordin. S.N. instituta, & vidimus quoque fidem instrumenti depositi, & obligationis dotis, seu eleemosynæ Monasterio debitæ, ubi professio legitimè emittatur, juxta taxam annis Superioribus præscriptam, licentiam, & facultatem concedimus, ut ea in Monasterio S.N. ad Religionem admittatur, recipiaturque, professionemque emittere valeat, cujus tempus Præfecti nobis ante mensem denunciet, sub pœna Con. Trid. decreto expressa, & constitutum ex nunc fiat rursus, & quæcunque alia, quæ in hoc genere decreta sunt, observentur. Dat. &c.

Refert D. Aug. Barbos. in Formulario Episcop. Form. 42.

Edictum

Edictum de examine eorum, qui Ecclesiæ Parochiali præficiendi sunt,

Cùm Abbates, & alii Prælati exempti habentes proprium districtum, & Episcopalem jurisdictionem: ac jus congregandi Synodum habeant facultatem faciendi concursum ad Parochiales Ecclesias vacantes, secundum Flamin. *de resignat. benefic. lib.* 8. *quæst.* 9. *num.* 96. Flores de Mena *var. lib.* 3. *quæst.* 24. *num.* 11. Massob. *in prax. haben. concurs. req.* 1. *dub.* 8. 11. & 21. quos refert & sequitur D. August. Barbos. *de offic. & potest. Episcop. p.* 3. *alleg.* 58. *num.* 42. ideo subjungimus formulas, quibus hujusmodi Abbates in concursu faciendo uti debent.

Formula CI.

D.N. Abbas, &c. Vacante Parochiali Eccles. S.N. nostræ diœcesis cupientes eidem de idoneo providere Rectore, atque Sacr. Concil. Trident, decreta pro viribus Deo adjuvante exequi, tenore præsentium requirimus, & monemus primò, secundò, tertiò, & peremptoriè omnes, & singulos Presbyteros, & Clericos volentes ad examen per concursum faciendum se præsentare, ac omnes volentes Clericos ad id aptos nominare, quatenus infrà decem dies proximè futuros à die affixionis præsentis edicti computandos, debeant in actis scribæ infrascripti N. nostræ Cameræ describi facere eorum nomina, cognomina, ætatem, & patriam, ad effectum, ut de eorum natalibus, vita, moribus, & aliis rebus ad vacantem Ecclesiam gubernandam opportunis, juxta decret. dict. Conc. inquiri, & transacto constituto tempore examinari possint. In quorum fidem, &c. Dat. &c.

Refert D. August. Barbos. *in Formulario Episc. Form.* 58.

Edicti de quo suprà,

Formula Alia.

D.N. Abbas, &c. Vacante Ecclesia Parochiali S. N. nostræ diœcesis N. nos eo nomine examen, quo ex Trid. sanctione, Synodalique decreto nostro præstari planè debet à die promulgationis hujus edicti, usque ad diem decimum proximè sequentem confecturi tumus, ac deinceps etiam ex auctoritate Apostolica nobis concessa, quousque eidem vacanti Ecclesiæ per nos provisum erit. Quare omnes, & singulos, qui vel examinari, vel alios examinandos nominare voluerint præscripto illo tempore ad scribam infrascriptum N. nostræ Cameræ, qui nomina describat, convenire, tum constituta examinis die coram nobis, atque Examinatoribus Synodalibus per nos eo nomine delectis adesse hoc edicto significantus, atque edicimus, ut quos confecto examine, ætate, doctrina, prudentia, aliisque rebus ad curæ animarum bene gerendæ rationem opportunis idoneos esse compertum erit, ex iis nos, quem cæteris magis idoneum censuerimus, illum Ecclesiæ vacantis Rectorem, Parochumve eligamus, & præficiamus. Quod sane sicut nos pro eo, quod debemus integrè, sanctèque in Domino præstare cupimus, ita omnes, præcipueque illos, quorum Ecclesiæ, & curæ spirituali per nos consulendum, ac providendum est, magnopere hortamur, ac requirimus, ut hanc nostram solicitudinem, Pastoralemque studium omni supplicatione, omnique intima pietate, ac Religiosis precibus continenter adjuvent. Datum, &c.

Fidei examinis, & approbationis pro Parocho,

Formula CII.

D.N. Abbas, &c. Universis & singulis ad quos præsentes literæ pervenerint indubitatam fidem facimus, & attestamur, quòd cum Parochialis Ecclesia S.N. nostræ diœcesis, quam Presbyter N. de N. dum viveret obtinebat, per ipsius obitum qui de mense N. anni N. extra Romanam Curiam diem suum clausit extremum, vacaverit, & vacet ad præsens: cumque occasione vocationis hujusmodi per publica edicta vocati sint, qui examinari vellent juxta formam Sacrosancti Conc. Trident. Nos una cum Examinatoribus in Synodo Diœcesana deputatis, & electis, Presbyterum N. hujus diœcesis transacto tempore per concursum examinamus, ipsumque ad præfatam Ecclesiam regendam, gubernandam, & obtinendam, moribus, ætate, doctrina, & aliis rebus ad id opportunis magis idoneum judicavimus, & approbavimus. In quorum fidem præsentes manu nostra subscriptas, & nostro sigillo obsignatas fieri jussimus, & ab aliis Examinatoribus subscribi curavimus. Datum, &c.

Refert D. August Barbos. *in Formulario Episc. Form.* 59.

Litterarum collationis Ecclesiæ Parochialis,

Formula CIII.

D.N. Abbas, &c. Dilecto nobis in Christo N. Presbytero N. salutem in Domino. Inter cætera, quæ pro pastoralis nostri officii debito præstare cupimus, illud præcipuè nobis cordi est, ut Parochialibus Ecclesiis, quibus de Rectoribus per nos providendum est, tales præficiamus, qui officio, & ministerio curæ animarum, quod omnium gravissimum est, laudabiliter satisfaciant. Cum itaque sicut accepimus Parochialis Eccl. S.N. loci N. nostræ diœc. N. quam aliàs Presbyter N. illius ultimus possessor obtinebat, per obitum ejusdem N. de mense..... nobis alternativæ beneficio gaudentibus, vacaverit, & vacet ad præsens: Nos eidem Eccl. ac animabus illi subditis, de idoneo Rectore providere volentes, tibi qui à RR. PP. Examinatoribus in Synodo diœces. deputatis in concursu juxta Sacr. Conc. Trid. præscriptum examinatus, prudentia, moribus, & doctrina ad hanc Parochialem Eccl. regendam, ejusque curam per te ipsum gerendam, idoneus nobis renunciatus fuisti, & quem nos ipsi præ cæteris, qui ad eamdem idonei nobis renunciati fuerunt, delegimus, Parochialem eamdem Eccl. cum illi forsan annexis, ac omnibus juribus, & pertinentiis suis universis conferimus, & assignamus, de illaque te coram nobis propter hoc flexis genibus humiliter constitutum, & acceptantem per bireti capiti tuo impositionem investimus, facta primitus à te coram nobis juxta Conc. Trid. & Bull. Pii IV. dispositionem orthodoxæ fidei professione. Quocirca universis, & singulis personis Ecclesiasticis, notariisque, ac tabellionibus publicis Civitatis, & Diœc. nostræ in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub pœnis, & censuris contra inobedientes Superiorum mandatis à jure inflictis, & arbitrio nostro infligendis per præsentes præcipimus & mandamus, ut cum pro parte tua vigore præsentium requisiti fuerint, vel eorum aliquis requisitus fuerit, ad ipsam Parochialem Ecclesiæ præfati loci accedant, teque, vel procuratorem tuum pro te in corporalem, realem, & actualem possessionem prædictæ Parochialis Eccl. ac omnium illi forsan adnexorum, jurium, & pertinentiarum prædictorum servaris servandis, inducant, auctoritate nostra, & defendant inductum, amore exinde quolibet illicito detentore, quem nos etiam harum serie amovemus, & denunciamus amotum; Fictalibus verò, colonis, & aliis arrendatariis de prædictæ Parochialis Ecclesiæ, ac omnium illi annexorum, juriumque, & pertinentiarum prædictorum fructibus redditibus, proventibus, juribus, ac obventionibus universis, tibi, vel procuratori tuo legitimo debito tempore respondeant, ac ab aliis, quantum in se fuerit, responderi faciant (& si contigerit eum, cui de beneficio providetur, aliud incompatibile obtinere, addatur.) Volumus autem, ac præsentium tenore declaramus per hujusmodi Parochialis pacificæ possessionis adeptionem, alteram Parochialem Ecclesiam loci N. vel Canonicatum, ac præbendam, quos obtines in

Ecclesia Collegiata N. eo ipso vacare, &c. In quorum fidem præsentes manu nostra signatas, & per infrascriptum Cancellarium nostrum subscriptas, sigillique nostri appensione munitas fieri jussimus. Dat. &c.

Refert D. Aug. Barbos. in Formulario Episcop. Form. 63.

Institutionis Capellæ de jure patronatus.

Formula CIV.

D. N. Abbas, &c. Dilecto nobis in Christo Presbytero hujus nostræ Diœcesis salutem in Domino. Cùm nuper nomine Magnifici D. N. patroni, & advocati, ex fundatione, & dotatione, seu restauratione Capellæ S. N. sita in Parochiali Ecclesia S. N. loci N. hujus Diœcesis ad prædictam Capellam per obitum (vel resignationem, seu assecutionem alterius beneficii Curati) Presbyteri N. illius ultimi possessoris vacantem, coram nobis præsentatus fueris, petierisque hujusmodi præsentationem admitti, & canonicam institutionem tibi fieri, & deinde servatis servandis coram nobis de jurepatronatus hujusmodi constiterit, demumque de mandato nostro per RR. PP. Examinatores in Synodo Diœc. deputatos examinatus ad prædictam Capellam idoneus repertus fueris: Nos igitur tam auctoritate nostra Ordinaria, quam alias omnibus meliori modo, jure, via, causa, & forma, quibus melius, & validius possumus, recepto prius à te juramento de non alienando bona dictæ Capellæ, & alienata recuperando, necnon de parendo mandatis nostris, ac pro tempore futuri Episcopi N. in prædicta Capella, sic, ut præfertur vacante ad præsentationem prædictam instituimus, teque coram nobis propter hoc flexis genibus humiliter constitutum, & acceptantem per bireti capiti tuo impositionem de dicta Capella investivimus, & investimus per præsentes. Quocirca universis & singulis personis Ecclesiasticis, Notariis, &c. *ut suprà in collatione Parochialis, mutatis mutandis.*

Literarum deputationis Depositarii, & Exactoris bonorum Ecclesiæ vacantis.

Formula CV.

D. N. Abbas, &c. Mag. D. N. salutem in Domino. Consuevimus sæpè pro recta rerum Ecclesiasticarum administratione præsertim temporalium opera laicorum virorum prudentia, & pietate, maximè prælucentium in hujusmodi uti, quo rebus Ecclesiasticis commodius, & tutius consultum sit. Vacante igitur Parochiali Eccl. S. N. loci N. hujus Diœces. tua prudentia, & singulari pietate plurimùm freti, te in exactorem, & depositarium quorumcunque fructuum, reddituum, proventuum, & obventionum ad dictam Parochialem quomodolibet spectantium, tam hactenus perceptorum, & maturatorum, quàm etiam in futurum similiter maturandorum, ita ut contra quoscunque pro exigendis, & consequendis fructibus hujusmodi, etiam juris, omnibus remediis, atque aliis modis, & formis, prout tibi melius videbitur, cum facultate etiam ab aliis quibuscunque depositariis rationem reposcen. agere possis, & valeas, deputamus, donec aliud per nos super administratione hujusmodi expressè decretum fuerit, necnon bona, possessiones, ac jura novis colonis locan. veteresve confirman. prout melius expedire censueris, servatis in his tamen solitis, ac debitis conditionibus, fructusque per te sic exactos in depositum habeas nobis, vel cui à nobis injunctum fuerit, rationem suo tempore redditurus. In quorum fidem, &c.

Literarum collationis beneficii simplicis vacantis per liberam resignationem de eo factam in manibus Ordinarii.

Formula CVI.

D. N. Abbas, &c. Dilecto nobis in Christo N. Clerico N. in jure Canonico Licentiato, salutem in Domino sempiternam. Literarum scientia, vitæ, ac morum honestas, aliaque probitatis, & virtutum merita, quibus fide digno commendaris testimonio, nos inducunt, ut tibi ad gratias reddamur liberales. Cùm itaque beneficium simplex, &c. quod nuper N. illius ultimus, & immediatus possessor obtinebat, per liberam resignationem dicti N. juxta formam Constit. fel. record. Papæ Pii V. incip. *Quanta Ecclesia*, in manibus nostris spontè, & liberè factam, & per nos auctoritate nostra Ordinaria admissam liberè vacare noscatur: Nos meritorum tuorum intuitu, tibi, qui ad hoc examinatus, & idoneus repertus fuisti, conferimus, & assignamus, ac providemus, teque coram nobis constitutum in corporalem possessionem, seu quasi, juriumque, & pertinentium per anuli nostri in ejus manibus traditionem inducimus, & investimus, recepto à te prius in nostris manibus juramento, quod nobis, & successoribus nostris fidelis, & obediens eris, & Sanct. Matri Ecclesiæ, ac nostris, & nostrorum successorum parebis mandatis, &c. Quocirca vobis, & universis, & singulis personis Ecclesiasticis tenore præsentium damus in mandatis, quatenus vos, aut alter vestrum, quo super hoc per dictum N. aut procuratorem suum fueritis requisiti, aut fuerit requisitus ad dictam Ecclesiam accedatis; seu alter vestrum accedat, & eundem N. vel procuratorem suum ejus nomine in corporalem, realem, & actualem possessionem beneficii, juriumque & pertinentium prædictorum recipiat, amoto exinde quolibet illicito detentore, sibique de ipsius beneficii fructibus, redditibus, juribus, obventionibus, & pertinentiis universis integrè respondeat, & ab aliis responderi faciat. Contradictores auctoritate nostra, &c. compescendo. In quorum omnium & singulorum fidem, & testimonium præsentes literas collationem, & provisionem nostram in se continentes fieri, & per Secretarium nostrum infrascriptum subscribi, & publicari fecimus, nostrique sigilli magni jussimus appensione communiri. Datum, &c.

Refert D. August. Barbos. in Formulario Episc. Formula 74.

Assensus jurispatronatus.

Formula CVII.

D. N. Abbas, &c. Universis, & singulis has præsentes literas inspecturis, visuris, & lecturis, tam præsentibus, quàm futuris, salutem in Domino. Notum facimus & attestamur, qualiter in pertinentiis, & propè ubi dicitur N. existit quædam Capella, seu Ecclesia sine cura sub invocatione S. Mariæ, &c. carens Rectore, Capellano, & Beneficiato, nec in beneficium Ecclesiasticum erectam fuisse, & aliquos redditus non habere, nisi ducatos decem debendos per N. comparavit coram nobis Mag. N. & ob suam magnam devotionem, quam erga prædictam Ecclesiam gessit, & gerit, eam dotavit de alio annuo reddito, sive censu ducatorum 10. ad complimentum ducatorum 20. de summa annui census emphyteutici perpetui ducatorum, &c. debendorum in medietate mensis...... cujuslibet anni per Mag. N. super tali loco, &c. prout latiùs in instrumento dotationis confecto N. sub die, &c. manu Notarii N. apparet, cum reservatione jurispatronatus præsentandi Rectorem, & Rectores, seu Capellanum, & Capellanos in dicta Ecclesia, seu Capella per ipsum Mag. N. suosque hæredes, & successores ex se descendentes tantùm. Nos igitur attendentes, & considerantes, quòd in his, qui ad divini cultus augmentum tendant favorabiliores esse deberemus, propterea hujusmodi supplicationibus inclinati d. Ecclesiam, seu Capellam, Ordinaria auctoritate, & omnibus melioribus modo, via, jure, causa & forma nobis de jure permissis, in perpetuum beneficium Eccle-

Ecclesiasticum erigimus, & erectum esse volumus, & summam prædictam illi sic erecto loco dotis appropriamus, & applicamus, necnon præfato Mag. N. hæredibus, & successoribus ex se descendentibus tantùm juspatronatus, & præsentandi Rectorem, & Capellanum, & Rectores Capellanos toties quoties casus vacationis occurrerit, instituendum, & confirmandum, & instituendos, & confirmandos per Abbatem S. N. pro tempore existentem in Ecclesia, seu Capella prædicta ad celebrationem unius Missæ in die Lunæ cujuscunque hebdomadæ pro salute animæ fundatoris, & donatoris, & suorum hæredum, & successorum teneti, & obligatos esse, juribus tamen nostræ Ecclesiæ semper salvis, & expressè reservatis. In quorum fidem, &c.

Assensus donationis jurispatronatus,
Formula CVIII.

D. N. Abbas, &c. Placet, assentiam prout assentimur, & assensum præstamus donationi jurispatronatus factæ per Mag. N. constito jam nobis ex actibus nostræ Curiæ prædictum talem donantem tempore donationis fuisse legitimum patronum jurispatronatus, ut suprà donati, salvis tamen juribus tertii, si tempore datæ præsentium alteri legitimè jus quæsitum fuerit. Dat. &c.

Refert D. Aug Barbos. *in formulario Episc. Form.* 84.

Deputatoris Vicarii ad Parochialem vacantem donec de Rectore provideatur.
Formula CIX.

D. N. Abbas N. Dilecto nobis in Christo Presbytero N. salutem in Domino. Parochiali Ecclesia S. N. loci N. vacantem, ne ob id animæ dicti loci in Sacramentorum susceptione, & cæteris spiritualibus adjumentis detrimentum sentiant, illi de Sacerdote providere volentes, qui hæc omnia ministret, agatque; cognita per examen coram nobis ab examinatoribus factum sufficientia tua, te Vicarium ipsius Ecclesiæ S. N. constituimus, & deputamus, cum auctoritate Missas, & alia divina officia celebrandi, Sacramenta ministrandi, & alias Ecclesiasticas functiones obeundi, ad quæ tenetur, & quæ animarum quilibet Rector, & administrator præstare, & obire solet, cum congrua portione fructuum dictæ Parochialis tibi debito tempore assignanda, præsentibus usque eo duraturis, quousque de perpetuo Rectore à nobis, vel à Sede Apostolic. (si mensis sit Apostolicus) provisum fuerit. In quorum testimonium, &c. Dat. &c.

Supradicta Vicarii deputatione facta donec de Rectore, provideatur, statim fiat deputatio alia depositarii, & exactoris bonorum Ecclesiæ vacantis hoc qui sequitur modo.

Fidei examinis & approbationis in concursu, & electionis ad Parochialem vacantem in mense Apostolico.
Formula CX.

Illustr. & Reverend. Dom. S. D. N. Datario, & quibuscunque præsentes literas inspecturis, lecturis; & visuris significamus. Vacante nuper de mense N. proximè præterito Parochiali Ecclesia sub invocatione S. N. loci N. hujus N. diœcesis, per obitum N. fuisse per Curiam nostram mediantibus edictalibus, juxta formam & præscriptum S. Conc. Trid. & Constitutionis fel. rec. Pii Papæ V. vocatos omnes, & sic vacante Ecclesia provideri volentes, quatenus intra terminum decem dierum comparerent in eadem Curia ad faciendum describi, & annotari nomina ipsorum, & cùm in eodem termino multi comparuissent, tandem iisdem descriptis legitimè vocatis, & citatis sub die ..... præsentis mensis coram nobis, rigoroso prævio examine per tres Examinatores in diœcesana Synodo deputatos factam fuisse experientiam de scientia, & sufficientia singulorum descriptorum, ac demum, servatis de jure servandis, per dictos tres Examinatores fuisse repertum, habitum, & æstimatum idoneum vita, moribus, ætate, scientia, & aliis à jure requisitis ad obtinendam à Sede Apostolica dictam Parochialem Ecclesiam N. Sacerdotem loci N. hujus diœcesis, & tanquam habilem & idoneum approbatum, & successivè à nobis post examen, & approbationem prædictam fuisse magis idoneum reputatum, & judicatum, & ut talem pro obtinenda dicta Parochiali Sedi Apostolicæ proponendum, & approbandum, prout proponimus & approbamus.

Declaretur hic an alia obtineat beneficia.

In quorum fidem præsentes literas subscriptione & sigillo nostris munitas fieri jussimus. Dat. &c.

Nota, quod in beneficio de jurepatronatus præsentatio fiat à Patrono intra tempus à Jure præfixum coram Abbate seu Prælato ordinario de persona in tali beneficio, servatis servandis ab eo instituenda: Abbas verò generaliter in vacanti Ecclesia & aliis locis publicis edicta affigere jubet, ut qui se velint opponere, compareant assignato peremptorio termino competente, ut de jure probatur *in cap. ult. de elect. lib.* 6. quod in præsentatione locum habere, nisi consuetudo sit in contrarium. tradunt gloss. *ibi verbo exemptionem*, Put. *decis.* 297 *lib.* 1. *& decis* 473 *lib.* 2. *in correct.* Lotter. *de re benef. lib.* 2. *q.* 13. *n* 30.

Edicti affigendi, facta coram Abbate præsentatione de beneficio jurispatronatus,
Formula CXI.

D. N. Abbas. N. Universis & singulis hoc præsens edictum inspecturis, visuris, & audituris pariter, & lecturis, salutem in Domino. Nuper vacante Parochiali Ecclesia S. R. per obitum N. ultimi & immediati Rectoris ejusdem, comparuit coram nobis N. laicus nobilis N. asserens se Patronum, & habere juspatronatus, seu esse in quasi possessione ipsius, & juris præsentandi Rectorem ad dictam Ecclesiam cum illam vacare contigerit, & sic præsentavit nobis in Rectorem R. N. petens illum à nobis institui: Nos dictam præsentationem sic coram nobis factam de dicto R. N. intra tempus à jure patronis laicis datum ad præsentandum, de prædictis veram notitiam non habentes admisimus, si, & in quantum. Quare tenore præsentis nostri edicti requirimus, & monemus omnes & singulos aliquod ut præsentantes; vel ut præsentati prætendentes in prædictis, vel contra dictam præsentationem, & personam præsentantis, seu præsentati opponere volentes, & quomodolibet sua interesse putantes, quatenus infra terminum novem dierum, quorum tres pro primo, tres pro secundo, & reliquos tres pro tertio, & ultimo peremptorio termino eis, & cuilibet ipsorum assignamus, comparere debeant coram nobis ad dicendum, opponendum, & allegandum quidquid dicere, opponere, vel allegare voluerint, quare non debeat procedi ad petitam institutionem vigore dictæ præsentationis coram nobis factæ, alioquin dicto termino elapso, & aliquo non comparente, & legitimè non opponente procedetur per nos juribus præsentantis, & præsentati volentibus, & ipsius præsentati meritis requirentibus, ad ejus institutionem, prout juris fuerit, non obstante quod de tempore dato ad præsentandum superfit, ut de præmissis nullus ignorantiam allegare possit, hoc præsens, publicum, & generale edictum per infrascriptum Cameræ nostræ Notarium describi fecimus, & sigillo nostro munivimus, & per nuncium nostræ Curiæ ad valvas Ecclesiæ nostræ N. & dictæ Ecclesiæ S. N. legi, affigi, & dimitti fecimus, à nemine auferendum sub excommunicationis pœna, nisi per eundem nostrum Nuncium. Datum N. in Palatio nostro die...., mense ..... anno .....

Insti-

Institutionis Ecclesiæ Parochialis de jurepatronatus,

Formula CXII.

D.N. Abbates N. Universis & singulis has præsentes nostras institutionis literas inspecturis, visuris, & lecturis, tam præsentibus, quàm futuris salutem in Domino. Notum facimus & attestamur quod vacante Ecclesia S.N. loci N. hujus nostræ diœcesis per obitum N. illius dum viveret ultimi & immediati possessoris, quæ de jurepatronatus infrascripti Patroni laici existit. Comparens postmodum coram nobis, & in nostra Curia N. Clericus N...., asserens se fuisse præsentatum à Patrono dictæ Parochialis, & juspatronatus in ea habente, & existente in pacifica possessione, seu quasi præsentandi Rectorem, sive Rectores in eadem Parochiali toties, quoties casus vacationis occurrerit, petens à nobis ordinario jure institui, & confirmari in Rectorem dictæ Parochialis cum ejus honoribus, & oneribus solitis, & consuetis. Et volentes in præmissis maturè procedere, quoddam generale edictum ad instantiam prædicti N. expediri, & ad valvas Ecclesiæ nostræ Cathedralis, & dictæ Parochialis affigi, legi, & dimitti jussimus, per quod citari, & moneri fecimus omnes, & singulas personas sua quomodolibet interesse putantes, quatenus infra terminum certum, & competentem, in eodem edicto præfixum comparere debuissent coram nobis, & in dicta nostra Curia, ad dicendum, opponendum, & allegandum quidquid voluissent, tam contra personam præsentatam, quam præsentantes quare dicta institutio fieri debuisset. Quo edicto affixo, & postmodum elevato, accusatisque debitis contumaciis, & quia ex quibusdam scripturis, & aliis juribus productis, & præsentatis, existentibus penes infrascriptum actuarium clarè constitit, & constat de vacatione & præsentatione prædictis, & quòd N. præsentans fuit, erat, & est verus ejusdem Parochialis Patronus, & existere in pacifica possessione, seu quasi juris patronatus, & præsentandi in Rectorem. Idcirco eundem R. N. per Examinatores in Synodo diœcesana deputatos examinatum, & approbatum, tanquam habilem, idoneum, & sufficientem instituendum, & confirmandum duximus, prout ipsum tenore præsentium instituimus & confirmamus, de illaque te coram nobis propter hoc, flexis genibus, humiliter constitutum, & acceptantem per bireti capiti tuo impositionem investimus. Quocirca universis, & singulis personis Ecclesiasticis, notariisque, ac tabellionibus publicis civitatis, & diœcesis nostræ in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub pœnis, & censuris contra inobedientes Superiorum mandatis, à jure inflictis, & arbitrio nostro infligendis, per præsentes præcipimus & mandamus, ut cùm pro parte tua vigore præsentium, requisiti fuerint, vel eorum aliquis requisitus fuerit, ad ipsam Parochialem Ecclesiam præfati loci accedant, teque vel Procuratorem tuum pro te in corporalem, realem, & actualem possessionem prædictæ Parochialis Ecclesiæ, ac omnium illi forsan annexorum jurium, ac pertinentiarum prædictorum servatis servandis inducant auctoritate nostra, & defendant inductum, amoto exinde quolibet illicito detentore, quem nos etiam harum serie amovemus, & denunciamus amotum. Fictalibus verò, colonis, & aliis arrendatariis de prædictæ Parochialis Ecclesiæ, ac omnium illi annexorum, juriumque & pertinentiarum prædictorum fructibus, redditibus, proventibus, juribus, & obventionibus universis, tibi, vel procuratori tuo legitimè, debito tempore respondeant, atque ab aliis quantum in eis fuerit responderi faciant.

• Si autem contingat eum, qui de beneficio providetur aliud incompatibile habere, addatur.

Volumus autem, ac præsentium tenore declaramus per hujusmodi Parochialis pacificæ possessionis adeptionem, alteram Parochialem Ecclesiam loci N. vel Canonicatum, ac præbendam, quos obtinet in Cathedrali Ecclesia N. eo ipso vacare, &c. In quorum fidem præsentes manu nostra signatas, & per infrascriptum Cameræ nostræ notarium subscriptas, sigillique nostri appensione munitas fieri jussimus. Dat. &c.

Collationis Parochialis vacantis per assecutionem, seu ingressum Religionis, aut contractum matrimonium,

Formula CXIII.

D.N. Abbas N. Dilecto nobis in Christo N. Presbytero N. salutem in Domino sempiternam. Cum itaque Parochialis Ecclesia S.N. loci N. hujus nostræ diœcesis ex eo vacaverit, & vacet ad præsens, quòd dilectus noster nuper dictam Ecclesiam Parochialem obtinens Ecclesiam similem Parochialem S.N. etiam nostræ diœcesis, tunc certo modo vacantem, per nos sibi collatam auctoritate nostra ordinaria pacificè assecutus fuit: Nos eidem Ecclesiæ per assecutionem hujusmodi vel aliàs quomodolibet vacanti de idoneo Rectore providere volentes tibi qui à RR.PP. Examinatoribus in Synodo diœcesana deputatis in concursu juxta Sacr. Conc. Trid. & Constitutiones fel. rec. Pii Papæ V. præscriptum, examinatus, prudentia, moribus, ætate, & doctrina ad hanc Parochialem Ecclesiam regendam, ejusque curam per teipsum gerendam idoneus nobis renunciatus fuisti, & quem nos ipsi præ cæteris, qui ad eandem nobis renunciati fuerunt, delegimus, Parochialem eandem Ecclesiam, cum illi forsan annexis, ac omnibus juribus, & pertinentiis suis universis conferimus & assignamus, de illaque te coram nobis propter hoc flexis genibus humiliter constitutum, ac acceptantem, per bireti capiti tuo impositionem investimus. Quocirca, &c.

Ut in supradicta forma, vel si vacat per ingressum Religionis dicatur.

Cùm itaque Parochialis Ecclesia S.N. loci N. nostræ diœcesis vacaverit & vacet ad præsens ex eo, quod nuper dilectus noster N. illam obtinens devotionis zelo ductus Monasterium S.N. Ordinis S.N. situm in oppido N. hujus diœcesis ingressus est expressa professione ejusdem Ordinis subsecuta.

Vel si vacat per contractum matrimonii, sic dicatur.

Cum itaque Parochialis Ecclesia S.N. hujus nostræ diœcesis vacaverit, & vacet ad præsens, ex eo quod dilectus noster N. illam obtinens, matrimonium per verba de præsenti cum quadam muliere legitimè contraxit, atque illud carnali copula subsecuta consummavit. Nos eidem, &c.

Literarum collationis facta familiari præsenti de Canonicatu & de præbenda Ecclesiæ Cathedralis vacantis per obitum,

Formula CXIV.

D.N. Abbas N. Dilecto nobis in Christo N. Juris Canonici licentiato familiari nostro Clerico N. Diœcesis, salutem in Domino sempiternam. Grata familiaritatis obsequia, quæ nobis hactenus impendisti, & adhuc sollicitis studiis impendere non desistis, necnon literarum scientia, vitæ ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis & virtutum merita, quibus personam tuam tam familiari experientia, quàm etiam fide dignorum testimoniis juvari percipimus, nos inducunt ut tibi reddamur ad gratiam liberales. Cùm hanc, sicut accepimus, Canonicatus & Præbenda Cathedralis Ecclesiæ N. quorum collatio, provisio, & omnimoda dispositio ad nos hac vice spectare dignoscuntur, & quos quondam N. qui extra Romanam Curiam de mense Aprili nobis personaliter, & verè residentibus alternativæ beneficio gaudentibus, diem clausit ex-

ſit extremum, vacaverint, & vacent ad præſens. Nos volentes tibi qui a RR. Patribus Examinatoribus in Synodo diœceſana deputatis examinatus, & idoneus repertus fuiſti, qui etiam continuus commenſalis noſter exiſtis, præmiſſorum obſequiorum, & meritorum tuorum intuitu gratiam facere ſpecialem Canonicatum, & præbendam prædictos, ſic ut præmittitur vacantes, cum plenitudine Juris Canonici, ac omnibus juribus, & pertinentiis ſuis tibi auctoritate ordinaria tenore præſentium conferimus, & providemus de eiſdem, teque coram nobis perſonaliter conſtitutum in corporalem poſſeſſionem Canonicatus & Præbendæ, juriumque & pertinentiarum prædictorum per annuli noſtri traditionem, & bireti tui capiti tuo impoſitionem induimus, & inveſtimus, de eiſdem recepto primitus à te, & per te præſtito ad ſancta Dei Evangelia corporali juramento, quod nobis & ſucceſſoribus noſtris Abbatibus N. obediens eris, & fidelis, ac ſanctæ matris Eccleſiæ, noſtriſque, & ſucceſſorum noſtrorum parebis mandatis, eiſdemque Canonicatui & præbendæ, ac ipſi Eccleſiæ ſecundùm ipſius ſtatuta, conſuetudines, ordineſque deſervies, & deſerviri facies in divinis, juraque & libertates ejuſdem Eccleſiæ, ac Canonicatus, & Præbendæ prædictorum manutenebis, & defendes pro poſſe, nihilque, quod ad dictos Canonicatum, & Præbendam pertinet, alienabis, ſeu diſtrahes, ſed alienata, & diſtracta, ad jus, & proprietatem eorumdem Canonicatus, & Præbendæ reduces, & reduci procurabis pro poſſe. Quocirca univerſis & ſingulis perſonis Eccleſiaſticis, & præſertim Decano, Canonicis, & Capitulo dictæ noſtræ Eccleſiæ N. aliiſque Notariis, & Tabellionibus publicis quibuscumque per Civitatem & Diœceſim noſtras prædictas, & alias ubilibet conſtitutis tenore præſentium committimus, & damus in mandatis, quatenus ipſi, vel eorum alter, qui ſuper hoc fuerit requiſitus ad prædictam Eccleſiam accedant ſeu accedat, teque, vel Procuratorem tuum tuo nomine in corporalem, realem, & actualem poſſeſſionem Canonicatus, & Præbendæ, juriumque, & pertinentiarum prædictorum ponant, & inducant, ac defendant inductum, amoto exinde quolibet illicito detentore, ac te, vel Procuratorem tuum tuo nomine in præfata Eccleſia Cathedrali in Canonicum recipi faciant, ſeu faciat, & in Fratrem, ſtallo tibi in Choro, & loco in Capitulo ipſius Eccleſiæ cum plenitudine juris Canonici aſſignatis, tibique de ipſorum Canonicatus, & Præbendæ fructibus, redditibus, & proventibus, juribus, & obventionibus univerſis integrè reſpondeant, & faciant ab aliis, quantum in eis fuerit, plenariè, & integrè reſponderi. Contradictores eadem auctoritate per cenſuram Eccleſiaſticam compeſcendo. In quorum omnium, & ſingulorum fidem, & teſtimonium præmiſſorum præſentes literas fieri, & per Notarium noſtræ Cameræ Abbatialis infraſcriptum ſubſcribi, & publicari mandavimus, ſigillique noſtri juſſimus & fecimus appenſione munin. Datum, &c.

Literarum collationis ejuſdem generis, ſi collatio facienda ſit vigore Bullarum Apoſtolicarum,

Formula CXV.

D.N. Abbas N. Dilecto nobis in Chriſto N. clerico N. ſalutem in Domino. Cùm per te nobis præſentatæ fuerint literæ Apoſtolicæ Sanctiſſimi in Chriſto Patris & D.N. D.N. divina providentia Papæ N. in pergamento ſcripta, ejus verò Bulla plumbea cordula canapis, more Romanæ Curiæ pendente bullata, quas nos ea, qua decet, reverentia recepimus, & ſunt tenoris infraſcripti, videlicet N. Epiſcopus Servus Servorum Dei, &c. Venerabili Fratri N. Abbati N. *Et ponatur tota Bulla*, & ſucceſſivè debitam inſtantiam nobis feceris, ut ad ipſarum literarum executionem procederemus, juxta traditam, ſeu directam per eas a Sede Apoſtolica nobis formam. Nos igitur volentes mandatum Apoſtolicum nobis hac in parte directum reverenter exequi, ut tenemur, te priùs, per diligentem examinationem de te factam, ad hoc idoneo reperto, verificatiſque contentis in præmiſſis literis Apoſtolicis auctoritate Apoſtolica nobis commiſſa, qua fungimur in hac parte præfatos Canonicatum & Præbendam, ſic ut in dictis Apoſt. vacantes cum illi forſan annexis, ac omnibus juribus, & pertinentiis ſuis univerſis contulimus, & aſſignavimus, ac conferimus, & aſſignamus, de illiſque, te coram nobis propter hoc flexis genibus humiliter conſtitutum, & acceptantem, per bireti tui capiti tuo impoſitionem, cum Juris Canonici plenitudine inveſtivimus, & inveſtimus per præſentes. Quocirca, &c. *ut in ſuprà proxima Formula.* Fictalibus verò, *ut in forma*, & omnibus & per omnia juxta præinſertarum literarum Apoſtolicarum vim, tenorem, formam, & continentiam. In quorum fidem, &c. Datum, &c.

Literarum collationis Canonicatus & Præbendæ Eccleſiæ Collegiatæ.

Formula CXVI.

D.N. Abbas N. Dilecto nobis in Chriſto N. Clerico N. Diœceſis, ſalutem in Domino. Cum, ſicut accepimus, Canonicatus, & Præbenda in Collegiata Eccleſia S. N. loci N. hujus noſtræ Diœceſis, quos Reverendus Canonicus N. illorum ultimus poſſeſſor obtinebat, per obitum ejuſdem N. de menſe, &c. vacaverint, & vacent ad præſens, ne divinus cultus in ipſa Collegiata Eccleſia detrimentum patiatur, eidem Eccleſiæ de idoneo Canonico providere volentes. Tibi N. cujus vita & morum probitas, aliaque laudabilia probitatis & virtutum merita, quæ nobis ipſis nota ſunt, & aliorum fide digno commendantur teſtimonio, præfatos Canonicatum, & Præbendam (ſicut præfertur) ſive alio quovis modo vacantes, cum illis forſan annexis, & omnibus juribus & pertinentiis ſuis univerſis auctoritate noſtra ordinaria, & etiam vigore, &c. ac omnibus melioribus modo, via, jure, cauſa, & forma, quibus melius poſſumus, & debemus, conferimus, & aſſignamus, de illiſque te, coram nobis propter hoc flexis genibus humiliter conſtitutum, & acceptantem per bireti tui capiti tuo impoſitionem cum juris Canonici plenitudine inveſtimus, recepto primitus à te, &c. Quocirca, univerſis, &c. Contradicentes, &c.

Ut in forma ..... mutatis mutandis.

Literarum Collationis factæ per Decanum, & Capitulum de Capellania ad eorum collationem ſpectante.

Formula CXVII.

Univerſis, &c. N. Decretorum Doctor Decanus, & Capitulum N. ſalutem in eo, qui ſine fine vivit & regnat. Cùm itaque Capellania ad Altare S.N. ſitum in Eccleſia noſtra, cujus collatio, proviſio, & omnimoda diſpoſitio ad Decanum pro tempore exiſtentem, & Capitulum dictæ Eccleſiæ, quoties vacat, pertinet pleno jure, quam quondam N. dictæ Capellaniæ Capellanus dum viveret obtinebat, per ipſius N. obitum, qui nuper vitæ ſuæ diem clauſit extremum vacaverit, & vacare noſcatur ad præſens. Nos volentes dilectum noſtrum N. clericum N. Diœceſis apud nos de literarum ſcientia, vitæ, ac morum honeſtate, aliiſque virtutum meritis multipliciter commendatum, horum intuitu favore conſequi gratioſo Capellaniam ipſam ſic vacantem cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis præfato N. auctoritate noſtra contulimus, aſſignavimus, & providimus etiam de eadem, prout tenore præſentium

præsentium conferimus, assignamus, & providemus, ac ipsum N. in corporalem, realem, & actualem possessionem, vel quasi Capellaniæ, juriumque, & pertinentiarum prædictorum poni, & induci mandamus, ac ponimus, & inducimus per præsentes; & exinde ab eo in forma solita, & consueta accepimus juramentum præstari consuetum, exhibitis solemnitatibus in talibus fieri solitis, & consuetis. In quorum omnium testimonium præsentes literas sigilli nostri Capituli appensione munitas præfato N. duximus concedendas. Datum, &c.

Facultatis recipiendi resignationes etiam ex causa permutationis,

Formula CXVIII.

D.N. Abbas N.R. N. Decretorum Doctori, &c. salutem in Domino. Cùm nonnulli in Civitate, & Diœcesi nostris dignitates, personatus, & officia, seu beneficia frequenter desiderent ex rationabilibus causis de expressis in Constitut. fel. record. Pii Papæ V. purè & liberè in manibus nostris resignare, seu ad invicem permutare. Nos diversis etiam Ecclesiæ nostræ occupati negotiis, omnibus præmissis intendere non valentes, & personarum hujusmodi quibus fieret sumptuosum, personaliter, & per suos procuratores nostram adire præsentiam, volentes parcere laboribus, & expensis, de tua industria specialiter confidentes, tibi ut à quibuscumque personis, cujuscumque status, gradus, ordinis, vel conditionis existant, nostrarum Civitatis & Diœcesis prædictarum, ex iisdem, & quibuslibet eorum dignitates, personatus, Canonicatus, seu beneficia quæcumque Ecclesiastica continentibus, etiamsi ipsi, vel eorum alteri cura immineat animarum, qui hujusmodi beneficia per resignationem, vel ex causa permutationis, hujusmodi faciendam recipias, alteramque personarum loco alterius instituendi, seu investiendi ipsa beneficia, sicut præmittitur, resignata conferendi, ac ipsam permutationem ad debitum effectum deducendi prævio, si opus fuerit, de vita, moribus, & scientia eorumdem examine, servatisque aliis de jure servandis. Contradictores & rebelles per censuram Ecclesiasticam compescendo, & coërcendo, recepto tamen priùs ab ipsis personis, dicta sua beneficia liberè resignare, seu ad invicem permutare desiderantibus, corporaliter per eos præstito juramento super eo, quod nulla simoniaca pravitas aut alia illicita pactio inter eos ex ejusmodi permutationibus interveniet, & omnia alia & singula faciendi in præmissis necessaria, & quomodolibet opportuna, plenam, & liberam concedimus facultatem.

Resignationis facienda de Beneficio per proprium Rectorem coram Abbate, cum ejus admissione,

Formula CXIX.

D.N. Abbas N. Universis, &c. Noveritis quòd cùm R. Presbyter N. Ecclesiæ S.N. loci N. hujus N. Diœcesis, Ecclesiam ipsam, quam obtinebat ex certis rationabilibus causis ad hoc animum suum moventibus, & præcipuè quia corpore impeditus non poterat, nec potest muneri suo satisfacere, & animarum curæ incumbere, resignare intenderet Ecclesiam ipsam, cum omnibus juribus, & pertinentiis suis in manibus nostris sponte, & liberè juxta formam Constitutionis fel. record. Pii Papæ V. resignavit, aliundè habens, quo in vita possit sustentari, de quo nobis legitimè constitit, & nos sic factam resignationem admittere curavimus, prout tenore præsentis publici instrumenti admittimus, recepto per nos primitus ab eodem N. quod in resignatione hujusmodi non intervenit dolus, &c. corporali juramento. In quorum fidem, &c. Datum, &c.

Resignationis facienda de Beneficio per Procuratorem coram Abbate cum ejus admissione,

Formula CXX.

In nomine Domini, &c....... Devotionis zelo ductus ingrediendi Monasterium S.N. desiderans, & affectans juxta formam Constitutionis fel. rec. Pii Papæ V. eosdem Canonicatum, & Præbendam, quos in dicta Ecclesia obtinet resignare, &c. ideò in manibus ..... per discretum virum N. Clericum Procuratorem suum, ad hoc ab eo specialiter constitutum, prout de suæ procurationis mandato legitimè per publicum instrumentum fidem fecit, ea prædicta causa sponte, purè, & liberè, ac simpliciter resignavit, idemque D. Abbas resignationem hujusmodi sic ut præmittitur in manibus suis factam admisit & recepit, præstito per eundem Procuratorem nomine quo suprà procuratorio, quod in hujusmodi resignatione non intervenit fraus, dolus, seu quævis illicita pactio ad sancta Dei Evangelia corporaliter juramento, &c.

Literarum collationis Parochialis vacantis per resignationem ex causa permutationis pro Canonicatu, & Præbenda,

Formula CXXI.

D.N. Abbas N. Dilecto nobis in Christo N. Presbytero nostræ Diœcesis, salutem in Domino sempiternam. Desideria justa petentium congruo favore prosequenda sunt, & in votis eorum, quæ à rationis tramite non discordant, nos libenter ad ea exhibemus prompt. & benign. Cùm itaque hodie tu per teipsum Canonicatum & Præbendam Ecclesiæ S. N. & dilectus nobis in Christo N. Parochialem Ecclesiam S. N. nostræ Diœcesis quam obtinebat per dilectum nostrum N. ad hoc ab eo specialiter constitutum, ex causa permutationis de ipsis inter vos fiendæ, & non aliàs, spontè, & liberè consignaveritis in manibus nostris; Nosque resignationem vacantem tibi, qui per RR. Patres Examinatores in Synodo Diœcesana deputatos, examinatus, & idoneus repertus fuisti, cum omnibus juribus, & pertinentiis suis auctoritate nostra ordinaria conferimus, assignamus, & providemus etiam de eadem. Teque coram nobis personaliter constitutum in corporalem possessionem, seu quasi Parochialis Ecclesiæ & pertinentiarum prædictorum per annuli nostri traditionem inducimus & investimus de eadem, præstito per te, & per nos recepto ad sancta Dei Evangelia corporali juramento, quod nobis, & successoribus nostris Abbatibus N. fidelis & obediens eris, ac sanctæ matris Ecclesiæ, nostrisque, & successorum nostrorum parebis mandatis, dictæq; Ecclesiæ in spiritualibus, & temporalibus, ac in divinis bene & laudabiliter deservies, & deserviri facies, oneraque ipsius Ecclesiæ debita supportabis, & jura nostra persolves, terras, domos, vineas, & alias possessiones atque jura Parochialis Ecclesiæ manutenebis & defendes pro posse, nihilque, quod ad dictam Ecclesiam pertineat, alienabis, vendes, seu detrahes: sed alienata, distracta, vendita ad jus, & proprietatem dictæ Parochialis Ecclesiæ reduces pro posse, & reduci procurabis. Quocirca, &c. *ut in Formula.*

Literarum collationis Canonicatus & Præbendæ resignatorum ex causa permutationis pro aliis Canonicatu & Præbenda de licentia Abbatis, in cujus Diœcesi sunt,

Formula CXXII.

D.N. Abbas N. Dilecto nobis in Christo N. Canonico N. salutem in Domino sempiternam. Desideria justa petentium congruo favore prosequimur, & in votis eorum, quæ à rationis tramite non discordant libenter exhibemus

exhibemus nos prompt. & benign. Cùm itaque hodie tu per dilectum nostrum N. Clericum nostræ Diœcesis Canonicatum & Præbendam, quos in nostra Ecclesia Cathedrali obtinebas, & dilectus noster N. Canonicatum & Præbendam, quos in Ecclesia similiter Cathedrali N. obtinebat, per etiam dilectos nostros N. & N. Procuratores vestros à vobis specialiter constitutos in manibus nostris, ex causis permutationis, de ipsis inter eos faciendæ, & non aliàs, sponte, & liberè consignaveritis: Nos resignationem hujusmodi ex causa prædicta auctoritate nostra ordinaria..... vigore ..... hujusmodi votis vestris in hac parte favorabiliter annuentes prædictos Canonicatum & Præbendam Ecclesiæ Cathedralis N. tenore præsentium tibi conferimus & assignamus, ac providemus etiam de iisdem, teque, licet absentem, in personam dicti Procuratoris tui coram nobis propter hoc personaliter constituti in corporalem possessionem, seu quasi Canonicatus, & Præbendæ, juriumque & pertinentiarum prædictorum per annuli nostri traditionem inducimus, & investimus de eisdem, præstito per te, vel Procuratorem tuum prædictum, pro te in manibus nostris ad sancta Dei Evangelia corporali juramento quod nobis, & successoribus nostris Abbatibus N. fidelis & obediens eris, ac sanctæ matris Ecclesiæ, nostrisque, & successorum nostrorum parebis mandatis, jura, ac libertates Ecclesiæ N. necnon Canonicatum, & Præbendam prædictos adversus omnes manutenebis, & defendes, eidemque Ecclesiæ ratione Canonicatus, & Præbendæ deservies, & deservire facies laudabiliter in divinis, ac nihil, quod pertineat ad eosdem Canonicatum & Præbendam, alienabis, & distrahes, sed alienata, & distracta ad jus & proprietatem dictorum Canonicatus & Præbendæ reduces pro posse, & reduci curabis. Quocirca vobis..... præsentium tenore damus in mandatis, quatenus eundem N. vel Procuratorem suum ejus nomine in & ad corporalem, & actualem possessionem Canonicatus, & Præbendæ, juriumque, & pertinentiarum prædictorum recipiatis, amoto exinde quolibet illicito detentore, ac eundem N. vel Procuratorem suum prædictum ad eosdem Canonicatum & Præbendam in præfata Ecclesia N. in Canonicum recipiatis, & in Fratrem, stallumque ei in Choro, & locum in Capitulo ipsius Ecclesiæ, cum Canonicis Juris plenitudine assignetis, eique de ipsorum Canonicatus & Præbendæ fructibus, redditibus, proventibus, juribus, & obventionibus universis integrè responderi faciatis. In quorum fidem, &c. Datum, &c.

Unionis Ecclesiæ Parochialis alteri simili propter earum paupertatem.

Formula CXXIII.

D. N. Abbas N. Universis, & singulis præsentes literas audituris, lecturis, & inspecturis, illis præsertim quorum interest, interérit, aut interesse, quousque infrascriptum tangit negotium, seu tangere poterit, salutem in Domino sempiternam. Ad hoc ut Ecclesiarum omnium per Civitatem & Diœcesim nostras N. consistentium, ac illas obtinentium personarum status salubriter dirigi, servarique possit honestius, ac personæ ipsæ animarum curæ, & officio inibi incumbentes habeant redditus sufficientes, ut ex Altari vivere possint, nostri libenter favoris impartimur præsidium, potissimum cùm temporum requirit necessitas, causæ persuadent rationabiles, & divini cultus augmentum salubriter id exposcit: Exhibitam siquidem nobis nuper per debitum in Christo N. Doctorem Ecclesiæ Parochialis S. N. loci N. Diœcesis, Petitio continebat, quod in dicto loco alia Parochialis Ecclesia sub invocatione S. N. consistit, cujus fructus, redditus, & proventus ad sustentationem Rectoris ejusdem pro tempore existentis propter eorum exiguitatem, & tenuitatem minimè suppetunt, & sunt, eadem petitio subjungebat, si Parochialis Ecclesia S. N. dictæ Ecclesiæ similiter Parochiali S. N. quæ in medio loci, & commodiori situ existit, uniretur, annecteretur, & incorporaretur, per hoc congrua remaneret portio Rectori Ecclesiæ S. N. in eaque divina officia majori cum decore, celebrarentur, cultusque divinus in iisdem augmentaretur. Quare per dictum N. fuit nobis humiliter supplicatum, ut super præmissis providere auctoritate ordinaria dignaremur. Nos igitur attendentes petitionem hujusmodi, præmissis veris existentibus, esse justam, & consonam rationi, de præmissis omnibus, & singulis, ac eorum circumstantiis universis inquisivimus, & nos informavimus diligenter, & quia per informationem legitimam, & diligentem, per nos à nonnullis testibus fide dignis, coram nobis per præfatum N. ad informandum animum nostrum, & desuper omnibus, & singulis prænarratis, productis, ac ritè receptis, & ad jurandum admissis, juratisque, & examinatis, factam, & receptam examinationem reperimus omnia & singula per dictum N, asserta, ut præinseruntur, veritate fulciri. Idcirco auctoritate nostra ordinaria..... qua fungimur in hac parte, & omnibus aliis melioribus modo, via, & forma, quibus de jure possumus Parochialem Eccles. S. B. prædictam cum omnibus juribus & pertinentiis suis eidem Parochiali Ecclesiæ S. N. in perpetuum univimus, incorporavimus, & annexuimus, ac ex nunc unimus, incorporamus, & annectimus per præsentes, ita quòd cedente, & decedente moderno ipsius Parochialis Ecclesiæ S. N. Rectore, seu illam aliàs quomodolibet dimittente, etiamsi actu quovis modo vacet, & ejus dispositio ad hac vice pertineat, liceat Rectori dictæ Ecclesiæ S. N. pro tempore existenti corporalem, realem, & actualem Ecclesiæ S. B. juriumque, & pertinentiarum prædictorum possessionem, auctoritate propria, liberè apprehendere, illiusque fructus, redditus, & proventus hujusmodi percipere, & habere, ac in suos, & dictarum Ecclesiarum usus, & utilitatem convertere, & perpetuò retinere, cujusvis alterius superioris licentia super hoc aliàs minimè requisita. Volumus autem, quod si unionem, annexionem, & incorporationem hujusmodi effectum sortiri contigerit, Parochialis Ecclesia S. B. prædicta, debitis propterea non fraudetur obsequiis, nec animarum cura in ea aliquatenus negligatur, sed ejus debitè, si opus fuerit, supportentur onera consueta. Quæ omnia & singula, necnon præsentes literas nostras, & in eis contenta, vobis omnibus & singulis supradictis, & vestrum cuilibet intimamus, & notificamus, ac ad vestram, & cujuslibet vestrum notitiam deducimus, & deduci volumus per præsentes, ne de præmissis ignorantiam aliquam prætendere valeatis, seu etiam allegare. Vobisque nihilominus, & vestrum cuilibet in virtute sanctæ obedientiæ, & sub excommunicationis pœna, quam in vos, & vestrum quemlibet, si mandatis, & inhibitionibus nostris hujusmodi non parueritis cum effectu, sed dierum canonica monitione præmissa, quorum duos pro prima, duos pro secunda, &c. assignamus, ex tunc ferimus in his scriptis, & districtè præcipiendo inhibemus, ne dicto N. aut Rectori pro tempore existenti dictæ Ecclesiæ S. N. aut Procuratori suo, quominus corporalem, realem, & actualem possessionem dictæ Parochialis Ecclesiæ S. B. per nos ut præmittitur, illam vacare contigerit, juriumque, & pertinentiarum ejusdem, etiam auctoritate propria liberè apprehendere, ejusque fructus, redditus, & proventus in suos, & prædictarum Ecclesiarum usus, & utilitatem convertere valeat, ut præfertur, omniaq; & singula prædicta, ne suum debitū sortiantur effectum, minimè impedimentum aliquod præstetis, vel alicui, seu aliquibus publicè,

publicè, vel occultè, directè vel indirectè, quovis quæsito colore, vel ingenio ipsum impedientibus detis, seu aliquis vestrum det consilium, opem, vel favorem. In quorum omnium, & singulorum fidem, &c. Dat. &c.

Vnionis beneficii simplicis Parochiali exigui redditus,

Formula CXXIV.

D.N. Abbas N. Cùm in visitatione Ecclesiæ S.N. loci N. nostræ Diœcesis N. aliarumque Ecclesiarum, & locorum piorum dicti loci, per nos his elapsis diebus habita, comperimus inter cætera Parochialem .... adeò exiguos fructus habere, ut ex eis Parochus pro tempore minimè sustentari possit. Volentes pro munere nostro quantum possumus fructus dictæ Parochialis Ecclesiæ aliquatenus augere, ut etiam Clericus veste talari, superpelliceo indutus curato celebrare Missam possit, donec aliunde provideri possit pro commoda sustentatione Parochi, quemadmodum à sacris Canonibus, & sacr. Concil. Trident. traditum est, ideò tam auctoritate dicti sacr. Concil. Tridentini, quàm nostra ordinaria, & aliàs omni meliori, &c. intervenientibus quibuscunque solemnitatibus, tam juris, quàm facti, etiam extrinsecis; in similibus requisitis eidem Parochiali univimus, & applicavimus, ac unimus, & applicamus beneficium simplex S.N. situm in loco N. cum suis juribus, & pertinentiis tam spiritualibus, quàm temporalibus, quod nunc tenetur, & possidetur à N. sine tamen præjudicio dicti possessoris, & sine divini cultus diminutione. Committentes in virtute sanctæ obedientiæ, & sub excommunicationis pœna quibuscunque Clericis civitatis & diœcesis nostræ in solidum, quatenus ad omnem Parochi dicti loci N. requisitionem debeant cum nomine suo, & successorum suorum in dicta Parochiali, vel procuratorem suum imponere, & inducere in, & ad corporalem, realem, & actualem possessionem & tenutam dictæ Ecclesiæ S.N. juriumque, & pertinentiarum ejusdem inductum manutenere, & defendere, amoto exinde quolibet alio detentore, quem & nos sine præjudicio actorum per præsentes amotum decernimus, & declaramus. In quorum fidem, &c.

Nota quod Concil. Trid *sess.24. de reform cap* 15. statuerit in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis insignibus, ubi frequentes, & adeò tenues sunt præbendæ simul cum distributionibus quotidianis, ut pro sustinendo decenti Canonicorum gradu, pro loci, & personarum qualitate non sufficiant; licere Abbati cum consensu Capituli aliquot simplicia beneficia; non tamen regularia iis unire. Cujus quidem decreti decisio ita intelligenda est, ut unio fiat singulis Præbendis distributivè non autem mensæ Capitulari, ut est communis Doctorum resolutio secundum Gabr. *cons.* 188. *num.*3. & 4. *lib.* 2. Gonzal. *ad reg.* 8. Cancel *gl.*37. *n.*25. Garc. *de benef. par.*12. *c.*2. *n.* 171. Gratian. *discept. for. cap.*274. *num.*34. *in fin.* Rot. *decis.*565. *par.* 9. *recent.*

Vnionis tenuis Præbendæ dignitati Ecclesiæ Cathedralis faciendæ,

Formula CXXV.

D. N. Abbas N. Universis & singulis literas præsentes nostras unionis, & incorporationis inspecturis, & lecturis, tam præsentibus, quàm futuris, salutem in Domino. Notum facimus, & attestamur, qualiter in generali visitatione per nos facta in nostra Civitate, & Diœcesi N. reperimus Ecclesiam, seu Capellam sine cura sub invocatione S.N. instructam, & ædificatam, in terra N. destitutam esse legitimo Rectore, quam Ecclesiam, seu Capellam ad hoc ut servitium dignitatis N. existentis in nostra Cathedrali magis accrescat, & faciliùs supportari possit Præbendæ dictæ dignitatis N. & ejus possessori ac successori pro tempore existenti, & legitimè intranti unà cum juribus, introitibus, redditibus & proventibus applicavimus, prout præsentium tenore applicamus, unimus, annectimus, & incorporamus. Illamque Ecclesiam seu Capellam, jura, introitus, proventus, & redditus quomodolibet ad illam spectantes, & pertinentes ex nunc perpetuò, & in futurum prædictæ dignitati N. & ejus præsenti, ac pro tempore existenti possessori in Præbendam conferimus, & assignamus: decernentes, alteri cuicunque provideri in futurum minimè posse, ac provisiones quaslibet cassamus, irritamus, & annullamus, & irritas fore, & esse declaramus. In quorum omnium fidem, &c.

Vnionis duarum Capellaniarum in Ecclesia Collegiata cum dimembratione fructuum alterius.

Formula CXXVI.

D. N. Abbas N. Cùm in Ecclesia Collegiata S. N. Oppidi N. hujus nostræ Diœcesis duæ adsint Capellaniæ unà sub invocatione S. N. quam olim obtinebat Presbyter N. & modò vacat per Provisionem ejusdem ad Ecclesiam Parochialem S.N. altera verò sub invocatione S.B. quam olim obtinebat Presbyter N. & modò per ipsius obitum, de mense Februarii proximè præteriti nobis verè & personaliter residentibus, ac alternativè beneficio gaudentibus, vacat; ambæ æqualis oneris, & servitii, Missas videlicet celebrandi, & Horas canonicas in Choro recitandi, imparis tamen redditus, & valoris: Capellania enim S.B. ad viginti, illa verò S.N. ad triginta scutorum monetæ valorem ascendit. Propterea cupientes ut cultus divinus augeatur, & Ministri Ecclesiæ ad Dei servitium magis animentur, cum, juxta illud Apostoli, *Qui Altari servit, de Altari vivere debeat*, nec *unus quidem esuriat, alius ebrius sit*, statuimus, & decernimus, ut dicta Capella S.B. dimembretur, disuniatur, ac separetur, & dictæ Capellæ S.N. perpetuò uniatur, annectatur, & incorporetur, prout præsenti decreto dismembramus, disunimus, & separamus, & præfatæ Capellæ S. N. perpetuò unimus, annectimus, & incorporamus; ita ut in futurum successores ad dictam Capellaniam S. N. redditus omnes, proventus, & emolumenta ad aliam Capellam S.N. spectantia, licitè, ex nunc, & in posterum habere, tenere, possidere, & frui valeant, prout in præmissis, & singulis omnibus nostram auctoritatem, pariter & decretum interponimus prædicto, & omni alio meliori modo, &c. Volumus autem quod per hujusmodi unionem, annexionem, & incorporationem dicta Capellania S.B. debitis non fraudetur Missis consuetis. In quorum fidem, &c. Datum, &c.

Nota in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis insignibus, ubi frequentes, adeoque tenues sunt Præbendæ simul cum distributionibus quotidianis, ut sustinendo decenti Canonicorum gradui, pro loco, & qualitate non sufficiant, nec per unionem aliquorum beneficiorum simplicium tenuitati hujusmodi provideri potest, licet Abbati cum consensu Capituli, & Patronorum, si de jure patronatus laicorum sint, aliquibus ex iis suppressis, quorum fructus, & proventus reliquarum Præbendarum distributionibus quotidianis applicentur, eas ad pauciorem numerum reducere, ita tamen ut tot supersint, quæ divino cultui celebrando, ac dignitati Ecclesiæ commodè valeant respondere. Quæ quidem suppressiones factæ ex quibuscunque provisionibus, & cum vigore resignationis, aut quibusvis aliis derogationibus, vel suspensionibus colli, seu impediri non poterunt, ut clarè disposuit Concil. Trid. *sess.* 24. *de reform. c.*15. Et ideo Abbas in hac materia providere poterit, hoc modo.

Suppressionis aliquarum Præbendarum Ecclesiæ Collegiatæ insignis ob tenuitatem,

Formula CXXVII.

D.N. Abbas N. Cùm in visitatione insignis Collegiatæ Ecclesiæ S.N. Oppidi N. hujus nostræ Diœcesis per nos, iis elapsis diebus habita, comperimus

quin-

quindecim, adeoque tenues ibi esse Præbendas, simul cum distributionibus quotidianis, ac sustinendo decenti Canonicorum gradui, pro loci, & personarum qualitate non sufficiant, nec per valorem aliquorum beneficiorum simplicium hujusmodi tenuitati provideri possit. Nos verò cupientes ut Ministri Ecclesiæ ad Dei servitium magis animentur, & competenti pitancia ad psallendum in Choro alliciantur, quod evenire non aliter posset, quàm si aliquæ ex dictis Præbendis supprimerentur, quarum fructus & proventus reliquarum Præbendarum distributionibus applicentur. Nos attendentes prædictum quindecim Præbendarum numerum, qui ad præsens in dicta insigni Collegiata reperitur, posse ad decem reduci, cum quibus divino cultui celebrando, ac dignitati Ecclesiæ sine aliquo divini cultus præjudicio respondere poterit, ideò Capituli ad hoc accedente consensu, quinque ex dictis quindecim Præbendis primo loco per cessum, vel decessum, aut alio quovis modo vacantes, extinguendas, & supprimendas duximus, prout per præsentes extinguimus, & supprimimus, illarumque fructus, & proventus reliquarum decem Præbendarum distributionibus quotidianis applicantes, tam auctoritate Sacr. Conc. Trid. quàm nostra ordinaria, ac aliàs omni meliori modo, &c. Declarantes hujusmodi suppressionem, sicut præfertur, factam ex quibuscunque provisionibus, etiam vigore resignationis, aut quibusvis aliis derogationibus, vel suspensionibus tolli, seu impediri non posse. In quorum omnium, & singulorum fidem, &c. Dat. &c.

Notandum demùm quòd Conc. Trid. *sess. 23. de reform. c. 18.* commendat (ut per beneficiorum uniones seminariorum necessitati consulatur) ut Abbates beneficia aliqua simplicia cujuscumque qualitatis aut dignitatis fuerint, vel etiam præstimonia, seu præstimoniales portiones nuncupatas, etiam ante vacationem sine cultus divini, & illa obtinentium præjudicio, seminariorum collegiis applicent, & incorporent, etiamsi talia beneficia sint reservata, vel affecta, ita ut nec per resignationes, ipsorum beneficiorum uniones, & applicationes hujusmodi suspendi, vel ullo modo impediri possint, sed omnino quacunque vacatione non obstante, etiamsi in Curia effectum sortiantur. Unde colligitur Abbatem iis unire non posse beneficia illa, quæ personalem residentiam requirunt, qualia sunt Parochiæ, Canonicatus, & alia hujusmodi, nec beneficia reservata, quando post eorum vacationem unio fieret, ut clarè ejusdem Concil. Trid. decretum insinuat. Quare Abbas uniones, seu applicationes Collegio seminarii facere poterit in hunc modum.

Unionis seu applicationis beneficiorum simplicium Collegio Seminarii,

Formula CXXVIII.

D. N. Abbas N. Cùm jamdiu seminarium Ecclesiasticum in hac urbe N. ex præscripto Sacr. Concil. Trident. fuerit erectum, neque redditus & annui proventus eidem hactenus applicati, ad eam summam perveniant, quæ ad sustentandum certum ejusdem Collegii alumnos sufficiat: ut Ecclesia quamuberrimos in Domino fructus ex hoc seminario capiat auctoritate ejusdem Sacr. Concil. Trident. Concilii que Provincialis, ac etiam nostra ordinaria, & aliàs omni meliori modo, &c. cum consilio R.R.N. & N. deputatorum dicti seminarii ad præscriptum Sacr. Conc. Trid. electorum, &c. præsentium, &c. harum tenore eidem seminario unimus, & applicamus beneficia hæc simplicia in diœcesi nostra constituta nempe beneficium simplex S.N. situm, &c. & aliud beneficium simplex in Ecclesia S.N. &c. Mandantes in virtute sanctæ obedientiæ, & sub excommunicationis pœna omnibus Officialibus nostris Ecclesiasticis Civitatis, & diœcesis nostræ N. in solidum quatenus ad omnem requisitionem agentium pro dicto seminario, debeant eos, vel aliquem eorum in solidum nomine dicti seminarii inducere in, & ad corporalem, & actualem possessionem, & tenuitatem dictorum beneficiorum pro tempore vacantium, & inductum manutenendo, & defendendo, amoto, seu amotis quocumque, seu quibuscumque detentoribus, faciantque dicto seminario, seu pro eo agentibus de quibuscunque fructibus, decimis, proventibus, & obventionibus dictorum beneficiorum à quibuscumque debitoribus, pro tempore debitis integrè respondere, fraude & cavillatione cessantibus. Et hæc omnia sine præjudicio nunc possidentium, & sine divini cultus diminutione, & ad præscriptum dicti Conc. Trident. & aliàs omni meliori modo, &c. In quorum fidem, &c.

Facultatis construendi Oratorium simplex in quo celebretur,

Formula CXXIX.

D.N. Abbas N. Dilecto nobis in Christo N. loci N. hujus nostræ diœcesis, salutem in Domino. Tuo desiderio annuentes, ut in eo loco Oratorium sub invocatione S.N. cum unico Altari super quo celebrari existadeposse, extruere valeas, quod situm...... & alia requisita habeat ad præscriptum instructionis fabricæ Ecclesiæ de Ecclesiis simplicibus, Oratoriis, & Capellis, in quibus Missæ sacrum aliquando fieri consuevit, tibi facultatem concedimus, & impartimur, accedente tamen consensu Parochi, & sine Parochialis Ecclesiæ præjudicio, & quòd super ejus Altare minimè celebretur, nisi eo Oratorio prius visitato, & iterum ea de re facultate à nobis in scriptis obtenta. In quorum fidem, &c. Datum, &c.

Attestationis paupertatis pro illis, qui ob illam in Romana Curia dispensationem matrimonialem impetrare intendunt,

Formula CXXX.

Nos N. Abbas N. &c. Notum facimus & attestamur nobis constare per testes fide dignos, ac judicialiter examinatos N. & N. hujus nostræ diœcesis esse pauperes & miserabiles, suaque industria ac labore quotidiano victum quærere, & hac de causa dictum N. non posse accedere ad Curiam Romanam, & pro veritate ad instantiam dictorum præsentes manu nostra firmatas, ac sigillo, quo in similibus utimur munitas fieri jussimus. Datum, &c. N. die.... mense.... anno.... Ego N. Notarius Apostolicus subscripsi.

Facultatis assumendi informationes de veritate miraculorum,

Formula CXXXI.

D.N. Abbas N. Dilectis nobis in Christo Reverendis N.N. & N. salutem in Domino. Cùm ad aures nostras devenerit in Oppido N. nostræ diœcesis ad imaginem Beatissimæ Virginis Mariæ de N. nuncupatæ à nonnullis diebus citra, magnum fieri concursum populi sub eo prætextu, quod aliquot ibi edita, & in dies edantur miracula, volentes ea, qua possumus diligentia & sollicitudine, quemadmodum ex Sacr. Conc. Trident. decreto tenemur, de ipsorum miraculorum veritate inquirere, vobis, de quorum solertia, pietate, & fide plurimùm confidimus, committimus, & mandamus, ut ad locum præscriptum accedatis, assumpto vobiscum aliquo Notario, omni diligentia & indagine de præmissis informationes assumatis, & ad nos referatis, ut quid deinceps sentiendum sit cum Theologorum & aliorum piorum virorum consilio deliberare valeamus. Dantes vobis harum serie facultatem quascunque cujusvis gradus, & conditionis personas ad perhibendum super præmissis veritatis testimonium omnibus remediis de jure opportunis cogendi, ac interim etiam populi concursum quatenus vobis expedire videatur etiam per censuras Ecclesiasticas prohibendi, ac reprimendi, aliaque faciendi, gerendi, & exequendi, quæ in præmissis, & circa ea necessaria fuerint, seu quomodolibet opportuna. In quorum fidem, &c. Datum N. die.... mense.... anno....

Facultatis prophanandi Ecclesiam ratione unionis faciendæ,

Formula CXXXII.

D. N. Abbas N. &c. Dilecto nobis in Christo Reverendo N. salutem in Domino. His nostris literis tam auctoritate nostra ordinaria, quàm etiam vigore Sacr. Conc. Trid. aliarumque facultatum Apost. nobis desuper concessarum, aliasque omni meliori modo, jure, via, causa, & forma, quibus melius & validius possumus, licentiam, & facultatem tibi concedimus prophanandi Ecclesiam S. N. Monasterii N. per nos superioribus diebus suppressi ad effectum, ut hæc quoque Ecclesia incorporari possit aliis dicti Monasterii ædibus cum licentia & decreto nostro nupet N. per N. venditis, omnimodasque vices nostras tibi in præmissis, & circa præmissa committimus, & delegamus. In quorum fidem, &c.

Testium Synodalium Decreti,

Formula CXXXIII.

Vetus est consuetudo sacris introducta decretis, ut in omnibus diœcesibus aliquot viri spectati & probati deligantur, qui testes Synodales appellantur, qui diligenter animadvertant, an aliquid in civitate vel diœcesi corrigendum, emendandumve sit, cognitumque ad nos, aut Vicarium nostrum quotiescumque opus fuerit fideliter referant, ut scientes spirituales necessitates, & ægritudines facilius remedia comparare possimus. Ideò nos probatum hoc institutum secuti, debuimus, & huic officio præponimus eos, quos in hac cedula annotavimus, quorum nomina minimè divulganda esse censuimus, ut majori diligentia, & libertate hujusmodi muneri vacare possint.

Juramenti ab his testibus præstandi,

Formula CXXXIV.

Ego N. Testis Synodalis à D. Abbate nominatus promitto, spondeo, & juro, quod amodò quidquid novi, aut audivi, aut postmodum inquisiturus sum, quod contra voluntatem Dei, & rectam Christianitatem in diœcesi, vel regione mihi commissa factum sit, vel futurum erit, fiin diebus meis evenerit tantùm, ut ad meam cognitionem quocumque modo si scivero, aut indicatum fuerit mihi, Synodalem causam esse, & ad ministerium D. Abbatis pertinere, quod ego nec propter timorem, nec propter præmium, nec propter parentelam ullatenus celabo D. Abbati N. aut ejus misso, cui hoc inquirere jusserit, quandocumque ex hoc me interrogaverit: sic Deus me adjuvet, & hæc sancta Evangelia.

Punctatores eligendi,

Formula CXXXV.

Edicimus ab unoquoque ex venerabilibus Capitulis tam nostræ Cathedralis, quàm Collegiatarum eligi Punctatores, qui absentes in libro notent, ac tertio quoque mense ad nos punctuationum notulam deferant, & huic officio ex unoquoque Capitulo proponimus eos, quos in hac cedula annotavimus non publicandos, qui secretò etiam ad præscriptam formam debitum juramentum præstent.

Ego N. Punctatoris officium, quod in nostra Collegiata Ecclesia S. N. suscepi per hæc sancta Dei Evangelia juratus promitto ac spondeo me fideliter & sincerè, quantum in me est executurum, sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia.

His expeditis Promotor instat, ut eligantur, qui intersint Congregationi seminarii in hunc modum.

Illustrissime, & Reverendissime Domine, Sacrosanctum Concil. Trid. *sess.* 23. *cap.* 18. Sanctissimo suo decreto consulens rectè adolescentium institutioni, statuit, ut singulæ Cathedrales atque suis majores Ecclesiæ pro modo facultatum, & diœcesis amplitudine, certum quorum ipsius Civitatis & diœcesis, vel ejus Provinciæ, si ibi non reperiantur numerum in Collegio ad hoc prope ipsas Ecclesias, vel alio in loco convenienti ab Abbate eligendo alere, ac religiosè educare, & Ecclesiasticis disciplinis instituere teneantur, aliaque piè multa sancivit, & potissimum, ut eligas duos Canonicos, quorum consilio in iis utatur, quæ ad puerorum ejusdem seminarii institutionem, disciplinam, moresque attinent: Et idem ad fabricam, & ad mercedem præceptoribus, & ministris solvendam, & ad alendam juventutem, & ad alios sumptus, ac alia, quæ ad instituendos, & alendos pueros sunt destinata, decrevit ut Abbas, sub cujus cura eadem applicata censentur, duos de Capitulo, quorum alter ab Abbate, alter ab ipso Capitulo eligatur, idem duos de Clero civitatis, quorum alterius electio similiter ad Abbatem, alterius verò ad Clerum pertineat, adhibeat in consilium consultationemve administrationis temporalium hujusmodi. Ego igitur N. hujus Synodi Promotor pro executione sanctionis hujusmodi illud à.... vehementer insto, quatenus tales eligere velit, prout Spiritus Sanctus suggesserit, qui tantæ rei gravitati satisfacere possint.

Seminarii Congregationibus interessentium electionis,

Formula CXXXVI.

Sancta Tridentina Synodus cupiens juventutem, vel à teneris annis ad pietatem & religionem formari, sanctissima sanctione decrevit in singulis Cathedralibus, & iis majoribus Ecclesiis seminaria Collegia institui, pro quorum recta administratione & regimine, illud etiam præscripsit, ut Abbas Canonicos duos eligat, prout Spiritus sanctus suggesserit, quorum consilio in iis utatur, quæ ad puerorum institutionem, & disciplinam, moresque attinent, ac alios duos de Capitulo, quorum alter ab Abbate, alter ab ipso Capitulo eligatur, duos item de Clero Civitatis quorum alterius electio similiter ad Abbatem, alterius verò ad Clerum pertineat, quos in consilium adhibeat administrationes temporalium ipsius seminarii. Nos itaque hujusmodi decretum exequi volentes, eligimus N. & N. quoad institutionem & disciplinam ipsorum puerorum, quo verò ad temporalium administrationem Collegii hujusmodi mandamus, & juxta decretum Trident. unum omninò eligatis, & ad nos deferatis, quo in seminarii Congregationibus obeundis illos convocare possimus.

Facultatis concessa Abbati munera Pontificalia exercendi in aliena indictione, vel etiam Abbatia absente illius Abbate,

Formula CXXXVII.

Perillustri & Reverendissimo in Christo Patri ac D. N. Abbati N. salutem in Domino. Cùm ob diuturnam absentiam, & itineris distantiam, quibus nos à Civitate nostra N. detinemur, munera Pontificalia Clero, & populo N. minimè exhibere possumus, ne propterea Ecclesia debitis ipsis muneribus, & obsequiis spiritualibus destituatur, quantum cum Domino licet, providere cupientes, quæ ad Dei honorem, & animarum salutem, & divini cultus augmentum peninent, Reverendissimam Dominationem vestram, etiam atque etiam rogamus, & in Domino requirimus, quatenus postquam per dictam Civitatem ei iter facere contigerit, dignetur in die Sabbati sancti proximè futuri ordinationem in Cathedrali, vel alia Reverendissimæ Dominationi vestræ bene visa Ecclesiæ dictæ Civitatis celebrare, & primam Tonsuram minoresque Ordines diœcesanis, & exteris, ac etiam

Regula-

Regularibus Clericis conferre, debitas literas dimissorias à suis Ordinariis, & Superioribus habentibus, aliàs tamen à nobis approbatis conferre, Ecclesias, cœmeteria, & altaria consecrare, & polluta, seu pollutas reconciliare, Sacramentum Confirmationis etiam in Parochialibus Ecclesiis ministrare, campanas, corporalia, pallas, & alia Ecclesiastica paramenta benedicere, calicesque, ac patenas consecrare, servatis tamen in præmissis iis, quæ de hoc genere à Sacris Conciliis, & Romano Pontificali præscripta sunt. Pro quibus omnibus muneribus, & eorum quolibet exercendo..... facultatem concedimus, &c. ultra beneplacitum nostrum non valituram. In quorum fidem, &c. Datum, &c.

Erectionis beneficii cum reservatione juris-patronatus,

Formula CXXXVIII.

D. N. Abbas N. Universis & singulis has præsentes literas inspecturis, visuris, & lecturis, tam præsentibus, quàm futuris, salutem in Domino. Notum facimus, & attestamur qualiter in pertinentiis Civitatis N. & prope ubi dicitur N. existit quædam Capella, seu Ecclesia sine cura, sub invocatione S. Mariæ, &c. carens Rectore, Capellano, & beneficiato, nullos redditus habens, nisi ducatos decem debendos per N. nec in beneficium Ecclesiasticum erectum fuit. Quare comparuit coram nobis Mag. N. & ob suam magnam devotionem, quam erga prædictam Ecclesiam gessit & gerit, eam dotavit de alio annuo reddituu, sive censu ducatorum quindecim ad complementum ducatorum 25. de summa annui census emphyteutici perpetui ducatorum..... debendorum in medietate mensis Augusti cujuslibet anni, per Mag. N. pro his nobis videlicet...... prout latiùs in instrumento dotationis confecto N. sub die...... manu Notarii N. apparet, cum reservatione jurispatronatus præsentandi Rectorem, & Rectores, seu Capellanum, & Capellanos in dicta Ecclesia, seu Capella per ipsum Mag. N. suosque, hæredes, & successores ex se descendentes tantùm. Nos igitur attendentes, & considerantes, quod in iis, quæ ad divini cultus augmentum rendunt, favorabiles esse deberemus: proptereà hujusmodi supplicationibus inclinati dictam Ecclesiam, seu Capellam ordinaria auctoritate, & omnibus melioribus modo, via, jure, causa, & forma nobis de jure permissis, in perpetuum beneficium Ecclesiasticum erigimus, & erectum esse volumus, & summam prædictam illi sic erecto loco dotis appropriamus, & applicamus: necnon præfato Mag. N. hæredibus, & successoribus ex se descendentibus tantùm Jus patronatus, & præsentandi Rectorem, & Capellanum, & Rectores, & Capellanos toties, quoties casus vacationis occurrerit, instituendum, & confirmandum, & instituendos, & confirmandos per Abbatem N. pro tempore existentem in Ecclesia, seu Capella prædicta ad celebrationem unius Missæ in die lunæ cujuscumque hebdomadæ, pro salute animæ fundatoris, & donatoris, & suorum hæredum, & successorum teneri, & obligatum esse, juribus tamen nostræ diœcesanæ Ecclesiæ semper salvis, & expressè reservatis. In quorum fidem, &c. Datum, &c.

Erectionis Parochialis Ecclesiæ cum unione beneficii simplicis,

Formula CXXXIX.

D. N. Abbas N. Universis, & singulis has præsentes nostras literas inspecturis, visuris, lecturis, pariterque audituris, salutem in Domino. Significamus qualiter in generali visitatione per nos facta in dicta nostra Civitate, & diœcesi N. reperimus, quòd in loco N. nuncupato ejusdem diœcesis non aderat Ecclesia Parochialis, ubi populus, & Christi fideles ibi commorantes sanctissima Sacramenta juxta temporis opportunitatem recipere potuissent, quando ipsa Sacramenta erant ministranda tempore indigentiæ ab Ecclesia N. per unum milliare distante recipiebant per Presbyterum non certum, nec proprium Parochum, pro Rectore Ecclesiæ N. longius distante, cujus erant Parochiani, non sine ipsarum animarum periculo, ac proinde ob carentiam Ecclesiæ Parochialis, Parochi, & Curati in dicto loco N. qui continuò apud eos persisteret, eisdemque Sacramenta omnia opportunis temporibus ministraret, Missasque, ac alia divina officia, Dominicis, & festivis diebus celebraret, aliquando accedebant ad Ecclesiam prædictam N. & non ad propriam, & multoties occurrebat omini præceptum de audienda Missa in dictis diebus Dominicis, & festivis, & non semel dicti loci habitatores absque Ecclesiæ Sacramentis ob prædictam causam, & loci distantiam moriebantur. Proptereà attendentes nos saluti animarum prout possumus consulere, & scandalis occurrere, quæ pro dictis causis oriri in dies potuissent, accedente etiam consensu, & beneplacito ipsorum hujusmodi dicti loci, qui etiam nos humiliter supplicarunt, & maxima cum instantia requisierunt pro erectione, & deputatione Ecclesiæ Parochialis in dicto loco pro eorum salute, & commoditate, cum deputatione alicujus Sacerdotis Parochi, obligantes se etiam penes acta Curiæ Cameralis nostræ Civitatis N. unusquisque ipsorum ad dandam, & consignandam quandam pecuniarum summam, & certam vini, & frumenti quantitatem dicto Parocho, ut commodè sustentari possit. Ideò invocato ad hoc Domini nostri Jesu Christi nomine, ejusque Matris Virginis semper Mariæ, & Sanctorum N. & N. Patronorum Civitatis, & diœcesis nostræ auxilio per tenorem præsentium erigimus, statuimus, eligimus, & deputamus in Parochiam Ecclesiam S. N. existentem in medio dicti loci N. ut qua cùm fuit accommodata, & bene apta, & reserata, volumus, & mandamus deponi sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, fontem baptismalem, & alia, quæ ad Ecclesiam Parochialem pertinent: quæ omnia Sacramenta juxta opportunitatem temporis ministrari volumus, & mandamus, ipsis dicti loci N. per Sacerdotem, & Parochum per nos, & successores nostros pro tempore existentes eligendum, & deputandum, qui etiam Missas in Ecclesia prædicta diebus festivis, & Dominicis celebrare debeat, & teneatur. Declarantes etiam ex nunc in antea, & in perpetuum dictam Ecclesiam Sancti N. in medio dicti loci N. existentem esse Ecclesiam Parochialem, & curatam, electionemque, & deputationem Parochi, & successorum in futurum pro cura animarum fidelium in dicto loco existentium spectare, & pertinere ad nos, & successores nostros pro tempore existentes, & ad meram collationem, & provisionem nostram ordinariam nulli Juris patronatus servituti subjectam, ad ipsosque Parochos spectare, & pertinere omne id totum, & quidquid per homines dicti loci N. ut suprà Parochianos, promissum existit, & sic prænominatam obventionem, ac omnes alias eleemosynas pro tempore in dicta Parochiali Ecclesia S. N. provenientes. Quia tamen redditus hujusmodi sunt adeò tenues, ita ut non sufficiant pro congrua Parochi sustentatione, idcircò ad illius commoditatem, & aliorum pro tempore in dicto loco existentium, beneficium simplex sine cura S. N. nuncupatum in loco N. hujus diœcesis existens, cum omnibus juribus, & pertinentiis suis unimus, annectimus, & incorporamus dictæ Parochiali Ecclesiæ S. N. ita ut ex nunc prout ex tunc fuerit, & sit dictum beneficium simplex, & Ecclesia ubi illud existit cum juribus, fructibus suis omnibus, redditibus, & obventionibus incorporata, unita, & aggregata prædictæ Ecclesiæ Parochiali S. N. Concedentes Parocho ipsius, qui

qui pro tempore erit, liberam, & plenam potestatem quod possit per se, vel per Procuratorem suum nomine suo, & dictæ Ecclesiæ S. N. auctoritate hujus unionis apprehendere corporalem possessionem ipsius Ecclesiæ S.N. cum juribus, & pertinentiis suis ipsamque tenere & possidere nomine dictæ Parochialis perpetuò unitam, & incorporatam, pro evidenti utilitate, & augmento dictæ Parochialis Ecclesiæ S N. ac ipsius Parochi. Quam quidem unionem, incorporationem, & aggregationem supra factam, ratam, gratam, & firmam habentes, & tenentes, ipsamque omni tempore promittentes non revocare, nec contravenire quoque modo de jure, vel de facto. Ut autem prædictam Parochialem Ecclesiam Sancti N. sic de novo erectam de idoneo Rectore quamprimum, ut decet, provideamus, nos pro exercitio curæ in populum, & utriusque sexus homines in dicto loco habitantes, nominamus, & deputamus dilectum nobis in Christo N. Presbyterum, qui populo, & Ecclesiæ prædictis in divinis, & animarum cura regenda præsit, & tanquam habilem & idoneum per RR. Examinatores in Synodo diœcesana deputatos repertum præficimus, illique curam, regimen, & administrationem Sacramentorum pro populo, & inhabitatoribus dicti loci committimus, ac eidem de præfata Ecclesia sic noviter erecta providemus. Mandantes, &c. In quorum fidem, &c. Datum, &c.

Nota quod Concil. Trid. *sess. 21. de reformat. cap 4. vers. in iis*, concedat auctoritatem..... etiam invitis Rectoribus novas Parochias constituendi, etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegatis, (dum propter locorum distantiam ad percipienda Sacramenta, & divina officia audienda sine magno incommodo Parochiani accedere non possunt) assignata Presbyteris præficiendis Ecclesiis noviter erectis congrua portione ex fructibus Ecclesiæ matricis, & , si necesse fuerit, compellendi populum eam subministrare, quacunque reservatione generali vel speciali vel etiam affectione super dictis Ecclesiis non obstantibus.

Erectionis novæ Parochialis cum dismembratione alterius,

Formula CXL.

D. N. Abbas N. Universis, & singulis præsentes literas inspecturis, salutem in eo, qui est omnium vera salus. Circa Ecclesiarum, & locorum statum salubriter dirigendum, & juxta pastoralis officii nostri debitum, ex his eis libenter assistimus, per quæ animarum occurritur periculis, & personarum commoditatibus providetur, quemadmodum Ecclesiarum ipsarum necessitas exigit, causæ suadent rationabiles, Catholici populi incrementum exposcit quatenus Ecclesiarum earumdem status immutetur, seu in melius reformetur, prout rerum, temporum, & locorum circumstantiis pensatis id cognoscimus in Deo salubriter expedire. Sanè pro parte incolarum, & inhabitatorum loci N. nostræ diœcesis, qui sub Ecclesia Parochiali Sancti N. existit nobis expositum fuit lamentabili cum querela, quod flumen N. inter dictum locum, & præfatam Parochiam mediat, quod rapido cursu persæpè labitur multa pericula ipsis inhabitatoribus dicti loci, ad eorum matricem Ecclesiam diebus Dominicis, & festivis navigio tendentibus sæpenumero obvenerunt, plures ex ipsis repetitis vicibus submersi sint, etiam cum funeribus versus dictam Ecclesiam navigio delatis, nonnulli ex ipsis Sacramenta Ecclesiastica desiderantes, sine ipsis ab hac vita plerisque vicibus decesserunt; ac interdum in festo Nativitatis Domini nostri JESU CHRISTI, cum tribus diebus sequentibus nullus de dicto loco propter inundationem aquarum intermediarum, & ventorum, ac aliarum tempestatum abundantiam ad Ecclesiam pervenire poterat, ac multò plura his similia ipsis contigissent. Nec etiam Vicarius perpetuus dictæ Parochialis Ecclesiæ S.N. consentire voluit, ut alius Sacerdos ipsis incolis dicti loci N. in Capella S. N. notabiliter constructa, & fundata Missam celebraret. Et quoniam Prior, & Capitulum insignis Collegiatæ Ecclesiæ N. cui dicta Parochialis Ecclesia incorporata dicitur, tantum haberet in decimis, redditibus, & censibus, quod si separatio, seu dismembratio dictarum Ecclesiarum fieret ut præfertur, benè ipsis superesset, unde eorum Vicario perpetuo deputando congrua fieret provisio: petentes propterea dismembrationem, seu separationem dictæ Ecclesiæ, quodque ipsis Sacramenta Ecclesiastica in Capella eorum ministranda essent, de cætero ordinari, & Sacerdotem ipsa Sacramenta populo ibidem ministrantem, ac cœmeterium pro mortuis eorum tumulandis, deputari humiliter postularunt officium nostrum in & super præmissis implorantes. Nos igitur de præmissis diligenter inquirere volentes dilecto nobis in Christo R.N. dedimus in mandatis ut ad dictum locum accederet, una cum Notario publico, ac super præpositis, & gestis omnibus & singulis ac eorum circumstantiis supradictis inquireret veritatem, ut in literis nostris desuper confectis, & eidem præsentatis plenius continetur. Præsentata deinde nobis inquisitione facta, una cum attestationibus testium per Eum R. N. coram N. nostræ Curiæ Notario juratо receptorum, juratorum, & Examinatorum, ac ex relatione dicti R. N. invenimus præmissa omnia, & singula non solùm veritate fulciri, sed & (proh dolor!) evidentis facti illa, & multò majora, quæ meritò nos ad dismembrationem, seu separationem unius Ecclesiæ ab alia, inducunt, & præsertim animarum pericula, viarum discrimina, personarum necessitas, & incommoda, ab omnibus & singulis ejusdem loci notitiam habentibus fore, & esse adeò publica & notoria, quod nulla tergiversatione celari possit. Idcircò dictum locum N. cum suis hominibus, incolis, & universitatibus à Parochia dictæ Parochialis Ecclesiæ S. N. auctoritate nostra ordinaria, & à Sede Apostolica delegata separavimus, divisimus, & dismembravimus, & futuris temporibus dismembratas, separatas, & divisas esse volumus; dictam Capellam Sancti N. cum suo loco, & districtu, usque ad...... in Parochialem Ecclesiam erigentes, constituentes, & ordinantes, dantes, & concedentes universitati, & incolis, ac habitatoribus dicti loci, & sui districtus plenam, & liberam potestatem apud dictam Parochialem Ecclesiam S.N. cœmeterium, fontem baptismalem, campanile, campanas, & alia jura, & insignia Parochialem Ecclesiam demonstrantia ædificari, & construi faciendi. Et nihilominus pro exercitio curæ in populum, & utriusque sexus homines in dicto loco, & districtu habitantes faciendo, dilectum nobis in Christo N. Presbyterum, qui populo, & Ecclesiæ prædictis in divinis, & in animarum cura regenda præsit, tanquam habilem, & idoneum à RR. PP. Examinatoribus in Synodo diœcesana deputatis examinatum, & approbatum præficimus, & deputamus, illique curam, regimen, & administrationem Ecclesiasticorum Sacramentum pro populo, & habitatoribus dicti loci, & districtus committimus, ac eidem de Ecclesia sic noviter erecta providemus. Volentes, & mandantes Priori, Canonicis, & Capitulo insignis Ecclesiæ N. prædictis pro tempore existentibus, quatenus de cætero singulis annis in festis Nativitatis Domini nostri Jesu Christi, & S. Joannis Baptistæ de universis fructibus decimalibus, quos ipsi infra limites dicti loci percipiunt quinquaginta ..,.. & milii, triginta frumenti, ac viginti scuta monetæ, quæ omnia eidem N. ut curato, & suis in dicta Ecclesia curatis, & successoribus Ecclesiæ prædictæ noviter per nos erectæ, una cum legatis, oblationibus, & aliis Ecclesiasticis obventionibus

ipsi

ipsi Ecclesiæ Parochiali novæ cedentibus, & fiendis pro ipsius novi curati sustentatione deputamus, & ordinamus, persolvere habeant & teneantur, & debeant cum effectu, omnibus aliis juribus ipsis Priori, Canonicis, & Capitulo permanentibus, & illis salvis, & ut honor competens dictæ insigni Ecclesiæ N. in dicta nova Parochiali S.N. reservetur, Prior, Canonici, & Capitulum Ecclesiæ hujusmodi pro tempore existentes ad novam Ecclesiam prædictam, quoties ipsam de cætero processum, aut decessum dicti Curati, & illius successorum, vacare contigerit, personam habilem, & idoneam infrà tempus à jure statutum coram nobis, & nostris pro tempore successoribus per nos instituendam præsentabunt, quæ sic institura in ipsa nova Ecclesia Papalia, Episcopalia, & alia jura, & onera eidem incumbentia, sine Prioris, Canonicorum, & Capituli prædictorum, ac alterius cujuscumque præjudicio supportabit, sustinebit, & subibit, ac sustinere sit districtus. Volentes nihilominus & statuentes, ut omnes, & singuli utriusque sexus homines dictæ Ecclesiæ novæ subditi ætatem legitimam habentes, qui Sacramento Sanctissimæ Eucharistiæ annuatim communicare consueverunt & apti sunt, annis singulis in festo Ascensionis Domini prædictam Matricem Ecclesiam processionaliter visitare, & in signum recognitionis singuli unum denarium argenteum ad Altare inibi offerre, & in processionibus aliis eandem Matricem Ecclesiam ad consueta loca processionum temporibus fieri consuetis associare debeant, & teneantur. Quæ omnia, & singula nos N. Abbas N. præfatus ex certa scientia, auctoritate nostra ordinaria, & à Sede Apostolica ex decreto Concil. Trident. delegata, & omnibus melioribus modo, via, jure, causa, & forma nobis de jure permissis statuimus, ordinamus, ac ab omnibus, quorum interest, vel intererit, quosque præsens tangit negotium, seu tangere poterit quomodolibet in futurum inviolabiliter observari volumus, & præcipimus. In quorum fidem, &c. Datum, &c.

Synodi inductionis,

Formula CXLI.

D. N. Abbas N. Dilectis filiis Archipresbyteris, Archidiaconis, Primiceriis, Canonicis, Rectoribus, cæterisque Curatis, & Clericis totius nostræ ...... N. salutem. Immensa divinæ largitatis bonitas, postquam nos, licet indignos, S.N....... ac totius ...... gubernaculis voluit per viscera misericordiæ suæ præsidere, eo etiam animum, omneque studium nostrum dignata est sua inspiratione convertere, quo.... nostræ curæ concreditam & dissuetudinibus quibusdam, & abusibus, qui in divino cultu, & Sacramentorum administratione, sive etiam in vitæ, & morum honestate solent in dies pro humanæ fragilitatis conditione inolescere, veluti à maculis pro virili repurgemus, & oves recto tramite ad ovile Christi à luporum offensione securas perducere adnitamur. Pastorali ergo hac sollicitudine, quæ pretiosum Christi Sanguinem redolet admonitu quæcumque à sacris Canonibus, & præsertim à Sacro Concilio Tridentino pro sui officii munere adimplendo pastoribus sunt ordinata, debitæ executioni mandare volentes; ad ea, quæ pro nostri officii cura prætermitti non oportet, animum convertimus: in quibus potissimum illa est veterum Canonum jure, ac Tridentini Concilii decreto constituta diœcesanæ Synodi convocatio. Cùm igitur probè noverimus ad Cleri disciplinam, non conservandam solùm, verum etiam augendam, ex Synodalium rerum tractatione non minimùm ferri adjumenti, illam ulterius non judicamus differendam. His itaque nostris literis ipsam Synodum ad diem primam Octobris proximè sequentis Deo adjuvante celebrandam indicimus, atque denunciamus. Vobis suptadictis mandantes sub pœna triginta aureorum piis usibus applicandorum, & in subsidium excommunicationis, ut omnes & singuli vestrum mundis superpelliceis induti, prætata die in dicta Ecclesia nostra N. adesse curetis, illinc absque nostra licentia non discessuri. Vos autem, quibus cura imminet animarum durante hoc absentiæ tempore, ut alteri probo Sacerdoti eorum Ecclesias commendatas relinquant admonemus. Ipsi item, & Ecclesiarum Rectores populos faciant monitos, ut si quæ ad divini cultus augmentum reformanda, corrigenda, instauranda, vel reficienda occurrerint, vobis in scriptis deferant, nobis fideliter referenda, ut de opportuno remedio providere valeamus. Et quia Synodalis hæc actio à nobis indicta præcipuum charitatis studium ab us postulare videtur, quibus in Choro ministramus, cùm per illam gressus illorum in viam salutis dirigantur: ideò præcipimus, ut post indictæ hujus Synodi promulgationem, in omnibus ...... Parochialibus Ecclesiis per singulas hebdomadas quinta quoque feria quoad ipsa Synodus absoluta, & dimissa erit, Missa solemnis de Spiritu sancto cantetur, aut si aliter officii ratio postulaverit, saltem in eadem de ipsa fiat collecta. Dominicis verò diebus post Completorium Litaniæ recitentur, precesque ad Deum pro felici Synodalium tractationum successu fundantur, ut omnia ad Dei gloriam nostram, eorumque qui nostræ curæ commissi sunt salutem, diligenter sancteque peragamus. Ut autem hæc innotescant universis, mandamus præsentes literas nostra manu subscriptas, & nostro sigillo munitas de uno ad alium locum per dictam nostram diœcesim transferri, ita ut omni mora postposita qui primum receperit viciniori transmittat. Datum N. die.... mense.... anno....

Alia indictionis Synodi,

Formula CXLII.

D. N. Abbas N. Dilectis, &c. Sacrorum Canonum jure, & Concilii Tridentini decreto Synodum ad Clerici disciplinam conservandam atque augendam pro vigesima prima die mensis Maij proximè præsenti indiximus, sed gravissimis impedimentis supervenientibus ad diem à nobis iterum præfigendam prorogare coacti fuimus. Quocirca eam ulteriùs differre nolentes, omnes Priores, Præpositos, cæterasque personas Ecclesiasticas, tam Sæculares, quàm Regulares curam animarum habentes, necnon Presbyteros, & Clericos in sacris constitutos, vel beneficia Ecclesiastica, etiam sine cura obtinentes, omnesque alios quocumque nomine, & titulo insignitos, qui de jure aut consuetudine, vel aliàs huic nostræ diœcesanæ Synodo interesse tenentur, monemus in Domino, iisdemque in virtute sanctæ obedientiæ sub pœnis in sacris Canonibus contentis, ac aliis arbitrio nostro præcipimus, & mandamus, quatenus die nona mensis Octobris proximè venturi ad Synodum præfatam in Ecclesia S.N. loci N. Deo dante celebrandam summo mane conveniant, & assistant, non decessuri, nisi postquam eidem Synodo fuerit finis impositus sub eisdem pœnis. Conveniant autem in habitu talari, & decenti tonsura, & superpelliceis, ad sacram etiam Eucharistiam eo die sumendam præparentur. Curam animarum habentes, & præsertim à loco, ubi Synodus celebratur, longè distantes, antequam discedant animarum curam alicui Sacerdoti sæculari, sive regulari ad confessiones audiendas aliàs approbato commendent, qui ratione curæ hujusmodi accedere ad Synodum non tenebitur: quod si id ipsi Curati obtinere nequeant, Nos, seu Vicarium nostrum Generalem consulant, ut provideamus. Beneficia Ecclesiastica obtinentes literas, seu Bullas beneficiorum suorum secum ferant in Synodo exhibendas. Vicarii foranei quamprimùm ad nos, seu Vicarium nostrum Generalem notulam curam animarum habentium Presbyterorum, & Clericorum in eorum jurisdictione

degentium cum ordine, quo sunt insigniti, & beneficio, quod possident transmittant. Si quis supradictorum ad Synodum accedere non poterit, de legitimo doceat impedimento, aliàs supradictis pœnis subjacebit. Volumus autem ut nostræ hæ literæ manu Cancellarii nostri subscriptæ, sigilloque nostro munitæ, & in valvis Parochialium jurisdictionis nostræ Ecclesiarum affixæ; personalis intimationis vim habeant, & omnes æque afficiant ad quos diriguntur, ac si eisdem personaliter exhibitæ fuissent, & intimatæ. In quorum fidem, &c. Datum, &c. N. die.. mense... anno...

Synodi Prorogationis,

Formula C X L I I I.

D. N. Abbas, &c. Dilectis, &c. Cùm nullis nostris existentibus meritis, sed sola suo benignitate Dei omnipotentis gratia, ac Sanctæ N. E..... pastorali cura præsideremus, nos vocasset, nec juribus ipsis nostris satis fideremus, primùm super ipsum Dominum curam, & cogitatus nostros jactavimus, ut ab ipso nutriremur sapientia, ac consilio instrueremur, sanctæ firmitatis robore solidaremur. Tum animo repetentes majores nostros Patres orthodoxos, qui licèt sanctitate admirabili essent præditi, in simili tamen rerum discrimine, ac necessitate ad Synodales conventus tanquam ad opportunum, & singulare remedium confugerunt. Hos quoque ut præsertim Sacrosancti Concil. Tridentini super hoc jussis obtemperamus ad eundem Conventum convocandum animum adjecimus. Quamobrem publico edicto mandavimus, ut omnes ad primam diem Octobris proximè sequentis ad dictam nostram N. Ecclesiam, ut diœcesana Synodus celebretur conveniretis. Gavisi verò sumus in Domino, & ad spiritualem lætitiam copiosius invitati, quòd ad illam adeò alacri animo, ac cælesti jubilo perfusi accingeremini. Verùm quia nos utpote homines infirmitate circumdati adversa valetudine retardamur, & aliis gravibus nihilominus negotiis, quæ differri ulteriùs non possunt, adhuc detinemur, in dictam Synodi celebrationem pro nunc diximus suspendendam. Ne tamen insidietur piis nostris actionibus humani generis hostis, eam his literis nostris ad aliam diem arbitraru nostro statuendam, & aliis literis edicendam differimus, & prorogamus, in qua spem certam in domino habemus, fore ut cùm illi in nomine ipsius erimus congregari ipse Dominus in medio nostrum sit adfuturus, & spiritu oris sui ad optatum bonum nos ducturus. Interim non desistimus ipsum bonorum omnium largitorem deprecari, ut immissæ in animum nostrum piæ, sanctæque cogitationi sanctum superaddat affectum, & qui operatus est in nobis velle, operetur etiam & perficere pro bona voluntate. In quorum fidem has nostras præsentes literas manu nostra subscriptas, nostro sigillo, & Cancellarii nostri subscriptione munitas publici edicti volumus vim habere. Datum, &c.

Novæ indictionis Synodi,

Formula CLXIV.

D. N. Abbas N. &c. Dilectis, &c. Attingit à fine usque ad finem fortiter divina sapientia, atque eadem, quæ multories homines proponunt bona, aliter ipsa ad suam ipsorum utilitatem suaviter disponit. Sanè per nostrum edictum aliàs vobis præceperamus, ut ad primam diem Octobris præcedentis anni... in nostra N. Ecclesia conveniretis, ut non solùm obedientiam præstari solitam præstaretis, sed unà nobis in spiritu Dei congregatis, Synodus diœcesana juxta Sacri Conc. Tridentini præscriptum celebraretur, sed non ita divini consilii inevitabilis ordo disposuerat, unde variis urgentibus occupationibus impediti alio edicto illud revocare, dictæque Synodi celebrationem ad aliam diem commodiùs faciendam coacti fuimus prorogare. Nunc autem ne tam sanctum, & laudabili opus ulteriùs differatur, sub iisdem censuris & pœnis in alio edicto appositis præcipimus ut omnes ac singuli personaliter ad diem vigesimum primum sequentis mensis Martii in dicta nostra Ecclesia N. adesse curent, tum ad soliram obedientiam præstandam, tum ad Synodum celebrandam. Illinc verò nullus audeat nisi peracta Synodi celebratione, sine nostra speciali licentia discedere. Nullus item per procuratorem compareat, nisi causa expressa assignata, & à nobis cognita, & probata. Exceptis tamen his, qui à Parochis, & Curatis in uniuscujusque Parochia pro animarum cura substituentur. Qui tamen per procuratorem comparere teneantur. Intermedio autem hoc tempore præcipimus easdem preces ad Deum fundendas in Ecclesiis esse, quas in alio edicto præceperamus, tum pro felicis Synodalis Conventus successu, tum etiam ut Deus benedictus dignetur nos consolari in tribulationibus nostris, ut & nos possimus eos, qui in spirituali aliqua sunt pressura consolari. Datum N. die.. mense.. anno..

Decreti, quòd nulli in sedendo præjudicetur in Synodo,

Formula CXLV.

Inprimis decreto Sacri Concilii Tridentini inhærendo statuimus atque decernimus, quod si cui forte contigerit in hac Synodo suo loco non incedere, vel nō sedere, vel etiam suo loco non vocari, aut alios quoscumque actus facere, non propterea cuiquam jus acquiri, aut acquisitum esse, neque de cujusquam jure, aut possessione quidquam detrahi, sed omnia in eo ipso permanere, in quo ante hanc Synodum reperiebatur.

Decreti de Fide Catholica,

Formula CXLVI.

Quia secundum Apostolum, sine fide impossibile est placere Deo, Sacri Concilii Trident. auctoritate innixi, mandamus omnibus beneficia Ecclesiastica habentibus, ut professionem fidei unusquisque, qui ad eam tenetur in præsenti Synodo juxta formam Constitutionis Pii IV. emittat.

Provisi autem de beneficiis quibuscumque curam animarum habentibus ex præscripto ejusdem Concilii tenentur à die adeptæ possessionis, ad minùs infra duo menses coram nobis, seu Vicario nostro Generali fidei professionem facere, alioquin fructus non faciunt suos, nec illis possessio suffragatur, quod in hac jurisdictione nostra inviolabiliter observari mandamus.

Vicarius etiam noster Generalis exquiret, & curabit, ut sententias, seu Grammaticam, vel alias liberales artes docentes, etiam regulares, qui ad fidei professionem ex Bulla ejusdem Pii IV. tenentur, eandem emittant.

Vicarii foranei ac testes Synodales si quem de fide suspectum, magum, sortilegum, divinatorem, strigem, vel maleficum ex damnatis in Constitutione Sixti V. cognoverint, ad nos referant, idemque singuli Christi fideles pro communi omnium salute observabunt.

Libros ad præscriptum indicis Romani prohibitos nemo audeat imprimere, vendere, legere, seu habere sub pœnis in eo contentis, & aliis arbitrio nostro.

Nullus Sæcularis, sive Regularis in hac nostra jurisdictione Prædicatoris fungetur officio, sine nostra licentia, & benedictione juxta Conc. Trid. decreta.

Historias Martyrum, aut Christi Domini passionem, tum in sacris, tum in prophanis locis fieri, aut repræsentari omnino prohibemus absque licentia, sub pœna scutorum 25. locis piis applicandorum, & aliis arbitrio nostro.

Decreti

Decreti de doctrina Christiana,
Formula CXLVII.

Invigilent Parochi hujus nostræ jurisdictionis, cæterique omnes curam animarum exercentes, ad quos præcipuè hoc munus spectat. Clericis autem locorum adjuvantibus, ut juxta Concilii Trident. decretum saltem Dominicis, aliisque Festis diebus post prandium pueros in suis Parochiis fidei rudimenta, ac præcipuè doctrinam Christianam vulgari sermone à bon. mem. Cardinali Bellarmino jussu fel. record. Clement. VIII. editam, diligenter doceant, sub pœnis arbitrio nostro. Et ut id faciliùs efficiant mandamus, ut ubi commodè id fieri potest doctrinæ Christianæ sodalitas instituatur, quæ ex viris ad id idoneis, vita, & moribus approbatis, constet, qui in eo munere Parochos adjuvent indulgentias à summis Pontificibus Pio V. & Paulo V. sodalitatibus hujusmodi concessas lucraturi.

Ludimagistri semel in hebdomada doctrinam Christianam edoceant, & quotidie sub finè lectionum curent, ut pueri genibus flexis orationem Dominicam, & salutationem Angelicam, ac Symbolum fidei devotè recitent, ad quod exequendum eosdem Ludimagistros Prælati admoneant.

Curent etiam Parochi, quorum conscientiam oneramus, ut non solùm pueri, & puellæ, sed etiam viri, & mulieres provectioris ætatis, præsertim rustici rudimenta Fidei discant; juxta interpretationem per Catechismum Romanum promulgatam, & efficiant ut Symbolum Fidei recitent.

Decreti Sacri Concilii Trid. de eligendis Examinatoribus ad Parochiales Ecclesias, sess. 24.
de reformat. cap. 18.

Formula CLXVIII.

Expedit, ut infrà, Examinatores autem singulis annis in diœcesana Synodo ab Episcopo, vel ejus Vicario ad minus sex proponantur, qui in Synodo satisfaciant, & ab ea probentur: adveniente que vacatione cujuslibet Ecclesiæ, tres ex illis eligat Episcopus, qui cum eo examen perficiant; indeque succedente alia vocatione, aut eosdem, aut alios tres, quos maluerit ex prædictis illis sex eligat. Sint verò hi Examinatores aut Licentiati in Theologia, aut Jure Canonico, vel alii Clerici, seu Regulares etiam ex Ordine Mendicantium, aut etiam seculares, qui ad id videbuntur magis idonei, jurentque omnes ad sancta Dei Evangelia se quacumque humana actione postposita fideliter munus executores, caveantque ne quidquam prorsus occasione hujus examinis, nec ante, nec post accipiant: alioquin simoniæ vitium tam ipsi, quàm alii dantes incurrant, à qua absolvi nequeant, nisi dimissis beneficiis, quæ quomodocumque etiam ante obtinebant, & ad alia in posterum inhabiles reddantur. Et de his omnibus non solùm coram Deo, sed etiam in Synodo provinciali, si opus erit rationem reddere teneantur, à qua si quid contra officium eos fecisse compertum fuerit, graviter ejus arbitrio puniri possint, &c.

Subjungit idem Archidiaconus.

Nos D. N. Abbas, &c. hoc decretum exequi cupientes proponimus vobis ad hujusmodi examinandi munus, & in Examinatores N. N. N. N. N. N. Illud autem vos omnes hortamur in Domino, & obsecramus, ut Examinatores sine ullo affectu probetis, sicut nos illos pro pastorali nostra vigilantia sine aliquo affectu proposuimus.

Professionis fidei.
Formula CXLIX.

Ego N. firma fide credo, & profiteor omnia, & singula, quæ continentur in Symbolo Fidei, quo sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet, *Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, Factorem cæli & terræ, visibilium omnium, & invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum Filium Dei unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia sæcula; Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cælis. Et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine; & homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, & sepultus est; Et resurrexit tertia die secundum scripturas; Et ascendit in cælum, sedet ad dexteram Patris; Et iterum venturus est cum gloria, judicare vivos & mortuos. Cujus Regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum Dominum, & vivificantem; Qui ex Patre, Filioque procedit; Qui cum Patre, & Filio simul adoratur, & conglorificatur, qui locutus est per Prophetas. Et unam sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum; Et expecto resurrectionem mortuorum: Et vitam venturi sæculi Amen.*

Apostolicas, & Ecclesiasticas traditiones, reliquasque ejusdem Ecclesiæ observationes, & constitutiones firmissimè admitto, & amplector.

Item sacram Scripturam juxta eum sensum quem tenuit, & tenet Sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, & interpretatione Sacrarum Scripturarum, admitto, nec eam unquam, nisi juxta unanimem consensum Patrum accipiam, & interpretabor.

Profiteor quoque septem esse verè & propriè Sacramenta novæ legis à Jesu Christo Domino Nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licèt non omnia singulis necessaria, scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam-unctionem, Ordinem, & Matrimonium. Illaque gratiam conferre, & ex his Baptismum, Confirmationem, & Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse.

Receptos quoque, & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione recipio, & admitto.

Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum, proprium, & propitiatorium sacrificium pro vivis & defunctis, atque in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento esse verè, realiter, & substantialiter Corpus, & Sanguinem una cum anima & Divinitate Domini nostri Jesu Christi, fierique conversionem totius substantiæ panis in Corpus, & totius substantiæ vini in Sangvinem, quam conversionem Catholica Ecclesia Transubstantiotionem appellat.

Fateor etiam sub altera tantùm specie totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi.

Constanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis juvari.

Similiter & Sanctos unà cum Christo regnantes venerandos atque invocandos, eosque orationes pro nobis Deo offerre, atque eorum reliquias esse venerandas.

Firmiter assero imagines Christi, ac Deiparæ semper Virginis, necnon aliorum Sanctorum habendas, & retinendas esse, atque eis debitum honorem, ac venerationem impartiendum.

Indulgentiarum etiam potestatem à Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum Christiano populo maximè salutarem esse affirmo.

Sanctam, Catholicam, & Apostolicam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum matrem, & magistram agnosco.

Romanoque Pontifici Beati Petri Apostolorum Principis successori, ac Jesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo, ac juro.

Cætera

Cætera item omnia à sacris Canonibus, & Oecumenicis Conciliis, præcipuè à Sacr. Conc. Trid. Synodo tradita, definita, & declarata indubitanter recipio, atque profiteor, simulque contraria omnia, atque hæreses quascumque ab Ecclesia damnatas, & rejectas, & anathematizatas, ego pariter damno, rejicio, & anathematizo.

Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in præsenti sponte profiteor, & veraciter teneo eandem integram, & inviolatam usque ad extremum vitæ spiritum constantissimè Deo adjuvante, retinere, & confiteri, atque à meis subditis, seu illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum.

Ego idem N. spondeo, voveo, ac juro: Sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia.

Professionis fidei per Græcos emittendæ juxtà Constitutionem Gregorii VIII. Summi Pontificis,

Formula CL.

Ego N. firma fide credo, & profiteor omnia & singula, quæ continentur in Symbolo fidei, quo sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet: Credo in unum Deum, &c. *ut suprà, usque ad finem inclusivè totum persolvatur.*

Credo etiam, suscipio atque profiteor ea omnia quæ sacra Oecumenica Synodus Florentina super unione Occidentalis, & Orientalis Ecclesiæ, &c.

[Quæ videantur *suprà post Formulam quartam in princ. Formular.*]

Indulgentias concedendi per Abbatem, vel alium Prælatum Apostolico Privilegio munitum Indulgentias elargiendi,

Formula CLI.

D. N. Abbas, &c. Universis Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis, salutem in Domino. Quantò frequentius fidelium mentes, ad opera devotionis inducimus, tantò salubrius animarum suarum saluti consulimus. Itaque de omnipotentis Dei misericordia, omnibus, & singulis Christi fidelibus utriusque sexus, verè pœnitentibus, & confessis, qui Ecclesiam S. N. à primis vesperis, usque ad occasum solis ejusdem diei Festive devotè visitaverint, ibique pias ad Deum preces pro felici statu sanctæ Matris Ecclesiæ, ac hæresum extirpatione, & pace inter Principes Christianos effuderint, quadraginta dies de injunctis eis, seu quomodolibet debitis pœnitentiis, harum serie misericorditer in Domino in forma Ecclesiæ consueta remittimus, & relaxamus, præsentibus post dictum diem minimè valituris, quas in hujus rei fidem manu nostra signavimus, sigilloque nostro, ac Notarii Cameræ nostræ subscriptione muniri jussimus. Datum N. &c. [Quòd si indulgentia auctoritate Summi Pontificis delegata concedatur, loco eorum verborum, *& quadraginta dies de injunctis, &c.* dicatur, septem, aut decem annos, &c. de vera indulgentia in forma Ecclesiæ consueta, auctoritate Apost. nobis delegata misericorditer in Domino concedimus, &c.)

Confessionis indulgentiarum, qua utitur Abbas post solemnem benedictionem in Vesperis & Missis cantatis,

Formula CLII.

Reverendiss. D. N. Abbas N. dat. & concedit omnibus hîc præsentibus quadraginta dies de vera indulgentia in forma Ecclesiæ consueta. Rogate Deum pro felici statu S. D. N. divina providentia Papæ ..... Dominationis suæ Reverendissimæ, & sanctæ Matris Ecclesiæ.

De formulis ad Sacramentum matrimonii spectantibus.

Sacrum Concil. Trident. *sess. 24. de reformat. matrim. cap. 5.* animadvertens prohibitiones clandestinorum matrimoniorum olim à sacris Canonibus factas, propter hominum inobedientiam non prodesse, & gravia peccata perpendens, quæ ex iisdem clandestinis conjugiis ortum habent, præcipit ut antequam matrimonium contrahatur, ter à proprio contrahentium Parocho tribus continuò festivis diebus in Ecclesia, intra missarum solemnia, publicè denuncietur, inter quos matrimonium sit contrahendum; Quod in hunc, qui sequitur modum fieri poterit. [Notum sit omnibus quòd N. ex Parochia N. contracturus est Matrimonium cum N. filia N. & N. hujus Parochiæ, atque ideo si quis sciat aliquod intercedere inter ipsos impedimentum consanguinitatis, affinitatis, cognationis spiritualis, quæ in Baptismo & Confirmatione nascitur, aut cujusvis Canonicæ prohibitionis, certiorem faciat me Parochum, aut Refer. d. Prælatum sive Ordinarium, &c.] Post tres denunciationes sic factas in Ecclesia Parochiali, ut suprà, Parochus de illis fidem præstabit ab eo subscriptam, & Ecclesiæ Parochialis sigillo munitam, hac videlicet forma: [Testor ego N. Parochus N. à me denunciatum fuisse in mea Ecclesia prædicta, intra missarum solemnia, matrimonium contrahendum inter N. ex mea Parochia, & N. ex Parochia N. infrascriptis festivis diebus, hoc est, prima denunciatio die ..... secunda die .... tertia die ... neque aliquod impedimentum cognitum est quo minus matrimonium celebrare possint. In quorum fidem, &c. die .... mense ..... anno ..... Ego N. Parochus, &c.]

Nota quia aliquando probabilis debet esse suspicio matrimonium malitiosè impediri posse, si tot præcesserint denunciationes, tunc Ordinarius ipse, si expedire judicaverit, ut denunciationes ipsæ remittantur, poterit ex dispensatione S Concil. Trident. *d. cap.* 1. concedere licentiam contrahendi illis omissis, in hunc qui sequitur, modum:

Dispensationis super denunciationibus matrimonii,

Formula CLIII.

D. N. Abbas, &c. justis de causis animum nostrum moventibus his nostris literis facultatem tibi concedimus, ut tribus, vel saltem duobus testibus præsentibus N. & N. in matrimonium (cùm nullum ex informationibus oretenus sumptis inter eos legitimum detectum fuerit impedimentum) conjungere valeas; ita tamen, ut celebrato matrimonio intra .... denunciationes tribus continuis festivis diebus, ex præscripto Concil. Trident fiant, & interim sponsi se à carnali copula abstineant, in reliquis verò forma ab eodem Sacr. Concil. Trid. & diœcesana Synodo præscripta servetur. In quorum fidem, &c. Dat. &c.

Dispensationis auctoritate Apost. concedendæ super matrimonio jam contracto ob aliquod impedimentum dirimens,

Formula CLIV.

D. N. Abb. N. &c. Dilectis nobis in Christo N. & N. salutem in Domino. Oblatæ nobis nuper pro parte vestra petitionis series continebat, aliàs vos in.... conjunctos invicem matrimonium contraxisse, illudque postea consummasse, in eodemque sic contracto matrimonio, legitimè vivere cupere, quia si matrimonium inter vos non sequeretur, gravia exinde scandala, & alia incommoda in animarum vestrarum periculum possent verisimiliter exoriri, sicque...... perpetuò diffamata, & forsan inupta remaneret. Verùm cùm desiderium hoc vestrum adimplere non possitis absque Sedis Apostolicæ dispensatione, propterea nobis humiliter supplicari fecistis, ut nobis in præmissis

præmissa de absolutionis beneficio, ac dispensationis gratia, auctoritate Apost. lica nobis in hac parte concessa, prout ex literis S. D. N. D. N. divina providentia Papæ ..... ad nos hac de re scriptis opportunè providere dignaremur. Nos igitur saluti animarum vestrarum consulere volentes, præmissis ex causis animum nostrum moventibus seu aliàs omni meliori modo, cùm tu .... propter hoc ab aliquo rapta non fueris, auctoritate Apostolica qua fungimur, in hac parte, vos à quibus via excommunicationis, suspensionis, & interdicti aliisque canonicis sententiis, censuris, & pœnis, à jure, vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, quibus quomodolibet ob incestus reatum, & excessus hujusmodi innodati forsan existitis ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolvimus, & liberamus injuncta vobis salutari pœnitentia ..... qua peracta, ut impedimento gradus hujusmodi, ac Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis nequaquam obstantibus, matrimonium inter vos publicè, videlicet coram proprio Parocho, & duobus vel tribus testibus in Ecclesia, omissis etiam denunciationibus (quas hac vice ex gratia speciali remittimus) contrahere, & in eo postmodum remanere liberè & licitè possitis, & valeatis auctoritate Apost. harum serie dispensamus. Distantiam verò ... gradus prædicti vobis nonobstare declarantes. Prolem susceptam, si quæ sit, & suscipiendam legitimè nunciando. In quorum fidem præsentes manu nostra signatas, & per infrascriptum Notarium Cameræ nostræ subscriptas, sigilloque nostro munitas fieri jussimus. Dat. &c.

Facultatis visitandi Monasteria Monialium,

Formula C L V.

D. N. Abbas N. Tibi dilecto nobis in Christo R. N. his literis facultatem damus, & mandatum visitandi omnia monialium cœnobia civitatis, & nostræ diœcesis N. teque Visitatorem nostrum constituimus, ut nostra, & alia quacumque nobis competenti auctoritate Canonicas sanctiones, & Sacr. Concil. Trident nostræque diœcesanæ Synodi decreta, aliaque statuta, regulas, & ordinationes de observantia Regulari, pietate, moribus, religione, regimine, bonorum administratione, clausura, & aliis rebus omnibus in capite, & membris omnium, & singulorum Monasteriorum eorumdem, executioni cures, & facias mandari, sub pœnis, ac censuris tuo arbitrio infligendis, ubi, & quando justum fuerit, licere tibi volumus. Item coercendi, & cogendi omnes & singulas utriusque sexus personas in prædictis omnibus, & ad ea pertinentibus tibi potestatem facimus, atque ad hujusmodi visitationis acta nomine, & Vice-Cancellarii nostræ diœcesis recipienda, & conscribenda eligere, & assumere tibi liceat unum, quem volueris, ex N. N. & N. si qui tamen horum Notarii non sint, ad acta publica scribenda non adhibeantur. Postremò tibi etiam facultatem damus ut causa, & occasione hujusmodi visitationis, quoties opus fuerit, septa, & clausuram eorumdem Monasteriorum possis unà cum uno ex illis, quos superiùs nominavimus, tibi adjuncto comite, eo casu intra eadem septa ingrediendi licentiam impartimur. Præsentibus ad beneplacitum nostrum, & donec revocentur per nos dumtaxat duraturis. In quorum fidem, &c.

Facultatis visitandi Monasteria Monialium ex delegatione Apostolica,

Formula Alia.

D. N. Abbas, N. Dilecto nobis in Christo N. salutem in Domino. De tua prudentia, ac in rebus gerendis experientia in Domino confisi, auctoritate Apostolica nobis per universas litteras tum Apostolicas, tum etiam Eminentiss. DD. Cardinalium super reformatione specialiter concessa, tibi per præsentes committimus, & mandamus, ut Monasteria Monialium SS. N. & N. Ordinis S. N. existentia in diœcesi nostra N. prout expediens tibi videbitur, visites, & de ipsorum Monasteriorum statu, ac ipsarum Monialium vita, & moribus, Regularibus institutis, ac Monasticæ disciplinæ observantia diligenter inquiras; ac super his, ac quibuscumque abusibus, necnon criminibus, excessis, & delictis, si quæ deprehenderis, processus facias, informationes quascumque sumas, atque alia quæ tibi ad aures commisimus, & quæcumque in præmissis, & circa ea necessaria, seu quomodolibet opportuna fuerint, facias, geras, & exequaris. Super quibus omnibus, & singulis plenam, amplam, & omnimodam potestatem tibi concedimus, & impartimur. Mandantes omnibus, & singulis Abbatissis, Priorissis, Præfectis & aliis quibuscumque Superioribus d. Monasteriorum in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna privationis officiorum obtentorum, atque etiam censuris, aliisque pœnis Ecclesiasticis arbitrio tuo infligendis, ut mandatis tuis pareant, ne te in visitatione, correctione, aliisque per te faciendis quoquomodo impediant per se, nec per alios quovis quæsito colore, vel prætextu. In quorum fidem, &c. Datum, &c.

Facultatis colligendi eleemosynas in Parochia tantùm pro Confraternitate S. N.

Formula C L V I.

D. N. Abbas, N. Dilecto nobis in Christo tibi N. homini laico, cujus vita & mores per testificationes nobis factas probantur, his nostris literis, eleemosynas nomine Confraternitatis, seu Ecclesiæ S. N. petendi facultatem damus, his infrà per te servatis conditionibus, eleemosynas solùm intra fines Parochiæ S. N. ejusque viciniam ostiatim colligas, præ foribus ejusdem Ecclesiæ, in iis petendis subsistens, nullo modo per Ecclesiam vagando procurare, aut colligere eas tibi licebit. Vas illud, quodcumque sit, quo uteris ad eleemosynam excipiendam, duabus clavibus claudatur, quæ diverso fabrili opere sint, earum altera apud N. à nobis electum, altera verò apud eum qui pro tempore ejusdem Confraternitatis Prior extiterit. Illud officium gratis, vel constituta certa mercede præstabis, nec ullo modo eleemosynæ particeps sis. In quorum fidem, &c. Dat. &c.

Facultatis colligendi eleemosynas in Urbe & Diœcesi,

Formula C L VII.

D. N. Abbas N. Dilecto nobis in Christo N. salutem. Necessitatibus atque aliis domesticis difficultatibus quantum possumus succurrere volentes, tibi homini laico cujus vita & morum probitas nobis per testificationes factas commendantur, eleemosynas quærere, petere, & colligere in Urbe, & diœcesi nostra per præsentes licere volumus, præstito priùs per te, corporaliter tactis Scripturis, juramento, quod eleemosynas quas collegeris fideliter consignabis, nec indulgentias aliquas promulgabis, non prædicabis, nec orationes recitabis, privilegia nulla, aut sanctorum imagines, vel campanulas, aut talia quæstoris insignia deferes, vel ostendes, nec minis, aut persuasionibus, aut alio aliquo indirecto modo, seu artificio, sed piè, simpliciter, & omni convenienti modestia tibi ad effectum prædictum illas erogari curabis. Omnibus præterea Rectoribus, Vicariis, & Præpositis Ecclesiarum præcipimus, & mandamus, ut suis quoque in Ecclesiis populo te suo commendent, ad promptamque tibi exhibendam eleemosynæ largitatem in Domino hortentur, quòd cùm fecerint, sciant, quidquid de temporalibus

poralibus facultatibus in pauperibus opem ferendo dempſerint, id omne multiplicatum in æterna retributione recepturos. Præſentibus tamen poſt menſes ..... minimè valituris. In quorum fidem, &c. Dat. &c.

Licentiæ quæ iis qui eleemoſynas pro piis locis colligunt concedi ſolent,

Formula CLVIII.

D. N. Abbas N. Omnibus & ſingulis Rectoribus, Plebanis, Vicariis perpetuis, Capellanis, & Curatis civitatis & diœceſis noſtræ N. Notum facimus, & atteſtamur quod diligenter admoniti, & bene inſtructi de paupertate, & neceſſitate, qua premitur hoſpitale S. N. loci N. pro paſtorali noſtro munere, paterna charitate, qua loca omnia pia complectimur ad colligendas, & exquirendas eleemoſynas, quæ in ejuſdem hoſpitalis uſum, & non in alium convertantur, deputavimus N. quem ad hoc munus rectè, & fideliter obeundum idoneum eſſe certiores facti ſumus, quemque juramenti obligatione devinximus, ne pro aliqua portione, aut rata eleemoſynarum, quas colliget, particeps fiat, aut earum partem ſibi applicet, quamvis certam quantitatem hoſpitali prædicto ſe ſoluturum pacto, vel inſtrumento obligetur, ſed eas ut collegerit hoſpitali conſignet, neque per aliam perſonam colligere eaſdem faciat, ſed ipſemet quærat, & colligat. Antè verò quàm prædictus N. quærere, aut colligere eleemoſynas incipiat, teneatur præſentes noſtras litteras vobis conſignare, vobiſque ſeſe cognoſcendum præbere, ut animadvertere poſſitis an ea ad quæ illum obligavimus rectè ſervet, quæ ſunt videlicet: [Ne cujusvis generis ea ſint, privilegia, gratias publicet, ne deferat campanulam, crucem, aut alias quaslibet ſacras imagines populo oſtendendas, ne prædicet, ne orationes, aut Pſalmos recitet, aut concinat, neque quidquam ſacrum Latino aut vulgari ſermone, populo enunciet, ne commutet vota cujuſcumque generis ea ſint, aut abſolvat, ne campis, agris, domibus, animalibus, aut aliis rebus benedicat, neque quovis ſigno animalia, januas, domus, aliave ſignet, aut maledicat, aut comminetur iis qui eleemoſynam non tribuunt, nulla arte, nulliſque verbis utatur ad eoſdem perterrefaciendos, ſed modeſtè eleemoſynas petat, non tanquam debitas, ſed à fidelium charitate liberè expoſcendas, illiſque rebus acquieſcat, quæ ſponte ſibi tribuentur. Quæ omnia, & ſingula ſi ab ipſo N. minimè obſervari videbitis, ſtatim ab hoc quæſtu, & eleemoſynarum collectione illum prohibebitis, & eleemoſynas, quæ collectæ erunt, in manibus Maſſarii deponetis, ipſumque N. ad noſtrum Epiſcopale Tribunal deferetis. Quod ſi manifeſtum vobis non ſit illum omnino his noſtris præceptis repugnare, in aliqua tamen ſuper hoc dubitatione eſtis, tum præſentium litterarum vigore prædictum hoſpitale populo commendabitis, & prædictum N. ſemel tantum eleemoſynas quærere permittetis, populúmque noſtrum de omnibus iis, ad quæ N. prædictus tenetur admonebitis. Cæterum hortamur omnes etiam atque etiam, ut pro ſingulorum qualitate pecuniam, frumentum, oleum, vinum, aliaque prædicto hoſpitali impertiant, ſciantque quod retribuet gratiam, qui offert ſimilaginem, & qui facit miſericordiam, offert ſacrificium. Hanc autem deputationem noſtram nolumus eſſe validam, aut duraturam, niſi ſex menſium ſpatio. In quorum fidem, &c. Datum, &c.

Litterarum dimiſſorialium Miſſæ ſacrum faciendi pro Presbytero abeſſe volente ad biennium,

Formula CLIX.

D. N. Abbas N. Dilecto nobis in Chriſto N. Presbytero N. ſalutem in Domino ſempiternam. Tibi ad Civitatem N. ac ad alia loca proficiſci volenti, ibique ſacrum facere, confeſſiones Chriſti fidelium audire, aliaque divina officia celebrare de licentia tamen Ordinarii loci, ſeu illius Vicarii Generalis poſſis, & valeas, hiſce litteris per biennium facultatem concedimus, & impartimur, atteſtantes te in ſacro Presbyteratus ordine conſtitutum eſſe, non excommunicatum, ſuſpenſum, interdictum, ſeu Eccleſiæ cenſuræ vinculo irretitum, nec de aliquo crimine ad præſens inquiſitum, vel diffamatum, quod ſciamus, ſed bonis moribus præditum. Quare teipſum omnibus in Chriſto Patribus Illuſtr. Reverend. DD. Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Prioribus, Vicariis, cæteriſque Officialibus quibuſcumque, quantum in Domino poſſumus, pro commendato per præſentes damus. In quorum fidem, &c.

Litterarum dimiſſorialium, quæ cuidam Presbytero Romam proficiſcenti conceſſa fuerunt,

Formula CLX.

D. N. &c. Omnibus & ſingulis, &c. Notum facimus & atteſtamur, quod ex hoc Epiſcopatu N. proficiſcitur Romam, atque in alias orbis terrarum regiones N. oriundus ex N. hujus diœceſis, ritè & rectè ordinatus, vir ſanè doctus, ac in Juris Pontificii, Cæſareique facultatibus apprimè verſatus, cujus, ac Patris ejus viri doctiſſimi cura, & opera libri in lucem jam editi in omnium ore cum communi utilitate verſantur. Ipſe verò N. bonis moribus præditus, nullius criminis infamia laborat, nullo impedimento à ſacrorum, imprimiſque Presbyteratus Ordinis exercitio prohibetur; eſtque homo ſtaturæ mediocris, coma capitis, ac barba rubra, cicatrice in ſiniſtra capitis parte locata, facie alba, ætatis circiter triginta annorum. Quare N. & N. obnixè deprecamur ut N. Presbyterum prædictum in noſtris ſingulis diœceſibus, ſeu Eccleſiis benignè ac charitativè recipi, ac tractari, eique neceſſaria ad ſanctiſſimum miſſæ ſacrificium peragendum, reliquoſque Ordines exercendo curetis, & jubeatis, ſimiliter & nos quidquid ab N. & N. Dominationibus veſtris, &c. per ſuas nobis literas fuerit injunctum, ac commendatum, libentiſſimè ſuſcipiemus, & promptiſſimè exemur. Datum N. ſub ſigno noſtro, ſigilloque hujus Curiæ, die.... anno.....

Facultatis celebrandi pro Presbytero alienæ diœceſis,

Formula CLXI.

D. N. Abbas N. Dilecto nobis in Chriſto R. Presbytero N. diœceſis N. ſalutem in Domino ſempiternam. Cognita ſacrarum cæremoniarum peritia tua, perſpectiſque Ordinarii tui litteris commendatitiis, facultatem tibi concedimus ad menſes.... Miſſæ ſacrum faciendi in urbis, & diœceſis noſtræ Eccleſiis, quæ tamen Monialium non ſint, conſenſu tamen earumdem Eccleſiarum Rectorum & Vice-Rectorum accedente, & dummodo in habitu, & tonſura incedas, & in altari non petas eleemoſynam. In quorum fidem, &c. Dat. &c.

Licentia pro Prædicatore Quadrageſimali,

Formula CLXII.

D. N. &c. Univerſis & ſingulis præſentes noſtras litteras inſpecturis, lecturis, pariter & audituris ſalutem in Domino ſempiternam. Cùm proprium noſtri muneris ſit animarum noſtræ N. diœceſis ſaluti conſulere, divinique cultus incrementum ſemper curare, quadrageſimali tempore commiſſo nobis gregi majori ſtudio invigilandum videtur. Quare cum in Oppido N. noſtræ diœceſis de idoneo Concionatore à nobis pro futura Quadrageſima providendum ſit, te R. Fr. N. Ordinis N. de vita, morum integritate, ac ſcientia à tuo Superiore multipliciter commendatum, ut nobis per

præſentes

præsentes ipsius litteras constat, prævia fidei confessionis per te coram nobis emissione, verbi Dei Prædicatorem pro dicto Oppido N. in toto Quadragesimali tempore facimus, deputamus, & nominamus, mandantes R. Rectori, clero, & populo dicti Oppidi ut benignè te recipiant & in omnibus, ut decet, excipere curent, & insuper tua stante approbatione tibi facultatem concepimus, ut durante dicto Quadragesimali tempore in prædicto Oppido Sacramentum Pœnitentiæ administrare, & Christi fidelibus peccata sua confitentibus absolutionem impertiri valeas, cum facultate absolvendi etiam à casibus nobis reservatis, à Dominica Palmarum per totam Octavam Paschæ duratura. In quorum fidem, &c. Dat. &c.

Licentia pro Prædicatore in Ecclesia Monialium,

Formula CLXIII.

D. N. &c. Tibi R. P. N. Ordinis N. à superiore tuo & à nobis approbato facultatem concedimus, ut in Ecclesia exteriori Monasterii Monialium S. N. quæ clausa sit, nullique auditores præsentes adsint, exceptis Capellano, & socio tuo, possis ex suggestu verbum Dei die .... prædicare cum devotione, & juxta S. Ecclesiæ Romanæ doctrinam, & peracta concione statim ab Ecclesia discedas, nullo prorsus colloquio, aut quovis negotii genere ad crates, rotas, aut alio loco intermixto sub quovis pietatis, aut etiam consanguinitatis, prætextu, nec munere ullo, etiam minimo accepto, juxta formam Bullæ fel. record. Clementis Papæ VIII. sub pœnis arbitrio nostro, &c. In quorum fidem, &c. Dat. &c.

De formulis licentiarum spectantium ad puellas, quæ petunt habitum Religionis,

Advertendum est puellam habitum Religionis petentem, antequam examinetur, & proponatur, supplicem libellum exhibere teneri, in quo desiderium suum ingrediendi Religionem Abbati, seu Prælato Ordinario exprimat. Abbas verò, sive Prælatus Ordinarius, vel eo absente, seu impedito Vicarius suus, puellæ voluntatem secretò examinet, & diligenter exploret illam de his, quæ sequuntur.

De libera & pia puellæ Religionis ingrediendæ voluntate.

An precibus, aut minis parentum, vel cujusvis alterius inducta fuerit?

Quandiu cogitaverit de ingredienda Religione.

Qua potissimum causa Monialis fieri velit?

An Religionis vim, & pondus intelligat?

An sit conscia votorum, quæ in ea emittuntur?

An Regulas, & constitutiones norit, quæ propriæ sunt illius Monasterii, in quo religionem profiteri cogitat, & an illarum observationi se totam omnino tradere cupiat, & libenter amplectatur?

Interrogetur etiam de doctrina Christiana, an scilicet in ea rectè riteque sit instituta?

An sciat legere? eamque se præsente legere jubeat.

Et si examen proximè fiat ante professionem, videat an rectè dicere officium norit.

Notandum quod si, examen ab alio, quàm Abbate, seu Prælato ordinario, aut Vicario suo fiat, is, qui eam examinaverit totum id quod examine deprehenderit in scriptis ad eundem Vicarium deferet.

Explorata taliter libera puellæ Religionis ingrediendæ voluntate, nisi quidquam aliud ex his quæ ad ingressum Religionis in hujusmodi puellis requiruntur obstare videatur: Vicarius pro dote, & aliis Monasterio præstari solitis à parentibus sponsionem accipit, qua data statim Monialibus cogendi Capituli facultatem concedit: si verò Monasterium Monialium non Ordinario, sed Regularibus subjectum sit, ipse Vicarius examinis tantùm confecti testimonium puellæ tradit.

Deinde per calculos à Monialibus puella approbata, earum Præfecta, seu Abbatissa statim de suffragiorum exitu Superiorem admonet, illique, cum dies ingrediendi Religionem instant, tam ætatis puellæ à Parocho ex libro Baptisterii, si is reperiatur, & susceptæ Confirmationis testimonium, quàm etiam instrumenti depositionis dotis, & aliorum, quæ Monasterio traduntur confecti, exemplum authenticum, exhibetur.

Ex August. Barbos. *in suo formul form.* 41.

His omnibus ita peractis puella iterum examinanda est, eadem ut suprà ratione, sed aliquantò accuratiùs, & ejus voluntate cognita, facultas ingrediendi pro habitu, illumque suscipiendi à Vicario datur, in hunc, qui sequitur modum:

Facultatis recipiendi puellam in Monasterio ad habitum Religionis,

Formula CLXIV.

D. N. Abbas N. Cùm voluntatem N. diligenter exploraverimus, eamque liberam, & piam esse, quantùm humano judicio æstimari potest, comperimus, eandem quoque N. ætatem annorum 16. explevisse noverimus, nihilque habere sciamus contra sacra decreta, & conditiones, ac requisita juxta Monasteria Ordinis, S. N. instituta, vidimus quoque fidem instrumenti, depositi, & obligationis dotis, seu eleemosynæ Monasterio debitæ ubi professio legitimè emittatur, juxta taxam annis Superioribus præscriptam, licentiam, & facultatem concedimus, ut ea in Monasterii S. N. ad Religionem admittatur, recipiaturque, & professionem emittere valeat, cujus tempus Præfecta nobis ante mensem denunciet, sub pœna Conc. Trid. decreto expressa, & constitutum ex nunc fiat rursus, & quæcumque alia, quæ in hoc genere decreta sunt, observentur. Dat. &c.

Obtenta supradicta Vicarii licentia, puella ad Monasterium ducitur, paucis tamen comitata affinibus, & sine ulla pompa, & constituta die inter Missarum solemnia, ut moris est, ab ipso Vicario, seu deputato ab eo sacris adhibitis benedictionibus, postquam ipsa cœlesti cibo refecta fuerit, vetere homine cum actibus suis sese spoliando, ad communionis fenestellam humiliter, & devotè recipiet Regularem habitum, sibi à Vicario, vel ab eo, quem ille deputaverit, foris manente oblatum.

Probationis anno currente ante mensem quàm Novitia profiteatur, (ex Concil. Trid. *sess.* 25. *de Regular. cap.* 17. *in fin.*) Præfecta Monialium Superiorem (sub pœna suspensionis ab officio ad arbitriũ Abbatis) admonere tenetur, ut de volantate Novitiæ examen à Vicario rursus fiat, aut ab alio, ut suprà, Sacerdote; & cùm Abbas, pro facultate sibi decreto Conc. Trident. data, voluntatem Novitiæ explorare voluerit, hoc agere ei licet, loco ubi Monasterii crates sunt: neque à septis illa idcirco egrediatur, nisi adsit causa, suspicioque ejusdem Abbatis judicio probabilis, ob quam potiùs censuerit, aut alio loco voluntas ejus cognoscatur, tunc vel in Ecclesiam Monasterii exteriorem, vel in aliam proximam, prout commodiùs, atque decentiùs fieri poterit, illam perduci jubeat. Qua in Ecclesia præsentibus duabus Monialibus maturioribus, & Novitiæ gradu cognationis propinquioribus, quas ipsa, aut Moniales delegerint ejus animum, & voluntatem Abbas rectè exploret loco paulo remotiori, ita ut, quæ adsunt matronæ videre, non tamen audire queant. Quod autem à puellæ parentibus alimentorum, seu educationis nomine, aut pro aliis rebus ad puellæ, aut Monasterii usum pertinentibus, etiam ex consuetudine præstatur, de eo satisfactum fuisse Monasterio Monialium; Præfecta Vicario scriptis testabitur, ut de Novitia, ad professionem admittenda,

capituli cogendi potestas detur, si Monasterium Ordinario subjectum sit, aut testimonium examinis, si Regularibus subjaceat. Demum absoluto Capitulo si nihil obesse deprehendatur, & Novitia decimum sextum ætatis suæ annum perfecerit, emittendæ professionit facultatem dabit Vicarius, ut infrà.

Facultatis recipiendæ professionis Monialium,

Formula CLXV.

Concedimus licentiam R. Matri N. Abbatissæ Monasterii S. N. ut stante Superiore, in Ecclesia exteriore ad fenestellam sanctissimæ communionis, & servatis aliis ordinibus præscriptis, possit recipere expressam, & solemnem professionem N. jam approbatæ, & faciet nos certiores in scriptis fidem gerentibus de die, & coram quo dicta N. emiserit professionem. In quorum fidem; &c. Dat. &c.

Aggregationis aliquot Monachorum Cassinen. ad Congregationem Anglicanam,

Formula CLXVI.

In Dei nomine, Amen. Per præsens publicum instrumentum, cunctis appareat evidenter, & sit notum, quòd anno Domini 1609. Pontificatus Sanctissimi D. N. Pauli Papæ V. anno quinto, regnorumque Serenissimi in Christo Principis, & D. nostri Jacobi Dei gratia Angliæ, Franciæ, & Hiberniæ anno septimo, & Scotiæ 42. mensis verò Novembr. die 8. in ædibus Thomæ Lovedeni, coram me D. Mauro Angelo Diœcesis Eliensis Sacerdote, & Monacho professo Monasterii S. Gregorii Majoris Venetiarum Congregationis Cassinensis, aliàs S. Justinæ de Padua, Ordinis S. Benedicti, auctoritate Apostolica, publico Notario subscripto, & testibus inferiùs nominatis: constitutus personaliter D. Sebertus aliàs Sigebertus, subscriptus, infrascriptam scripturam fecit, subscripsit, & sigillavit, cujus quidem scripturæ tenor sequitur, & est talis, videlicet: In Dei nomine, Amen. Ego D. Sebertus, aliàs Sigebertus, Sacerdos & Monachus professus Monasterii S. Petri Vvestmonasteriensis Congregationis Angliæ, Ordinis S. Benedicti; jura & privilegia insignia olim Principum, & Pontificum liberalitate concessa, quæ ab aliquot annis, Deo ita permittente, in me solo ex omnibus Monachis Anglis superstite conservantur, ne brevi perirent; D. Robertum Salderum Petroburgensem, & D. Eduardum Salisburiensem Anglos Monachos professos Congregationis Cassinen. aliàs S. Justinæ de Padua de consensu suorum Superiorum in fratres & Monachos prædicti Monasterii recepi & admisi: illisque omnia jura, privilegia, gradus, honores, libertates, & gratias, quibus retroactis temporibus Monachi in eodem Monasterio professi, & habitantes gavisi sunt, concessi, impartivi, & attribui, Londini anno. &c. die &c. Idemque per præsentes denuò gratum, ratum, & firmum habeo, omnesque alios in Monachos, fratres conversos, oblatos prædicti Monasterii recipio, & admitto, illisque omnia jura, privilegia, ut suprà, concedo, & attribuo, quos in Monachos, fratres conversos oblatos prædicti Monasterii admiserant, vel receperant, illisque jura, &c. ut supra concesserunt D. Thomas Prestonus, & D. Augustinus, & alii quibus auctoritatem & potestatem hujusmodi admittendi, &c. concessi, anno, &c. die & mense, &c. virtute præsentium, quoad omnes & singulas earum partes, ratas, gratas, & firmas habeo, & in perpetuum habebo. Dat. apud, &c. anno, mense, die, &c. in præsentia subscriptorum Notarii, & testium. In cujus rei testimonium ego præfatus D. Sebertus subscripsi, & sigillum apposui.] *Ibi apposita est subscriptio testium, & Notarii.*

Habetur apud Clem. Reynerium *in append. ad Apost. Bened. in Anglia part. 1. script. 1.*

Ratificationis supradictæ Aggregationis Monachorum, factæ à Cap. Generali.

Formula CLXVII.

In Christi nomine, Amen. Anno ab ejusdem Nativitate, &c. indictione 6. Pont. Sanctiss. in Christo Patris D. N. D. Pauli divina providentia Papæ V. anno, &c. tempore Sereniss. Principis, mense & die, &c. in Venerabili Monasterio N. diœcesis N. in solita definitorii aula, præsentibus, &c. Definitoribus Reverendiss. in Christo Pater D. Georgius Gregorius à Castro Aretino Abbas & dignissimus Præses, & admodum RR. PP. N. & N. omnes Definitores Congregationis Cassinen. aliàs Justinæ de Padua Ordinis S. Benedicti regularis observantiæ congregari Capitulariter sono campanæ, ut eorum moris est, priùs emisso, totum Capitulum generale repræsentantes, & ad quos omnimoda administratio & totum regimen totius prædictæ Congregationis, & singulorum illius Monasteriorum, spectat, & pertinet, certiorati, ut dixerunt litteris R. P. &c. datis Romæ die mensis, &c. quòd multùm R. P. D. Sebertus Monachus professus Monasterii S. Petri prope Londinum veteris Congregationis Angliæ Ordinis S. Benedicti, qui solus usque in hodiernum diem remanet superstes ex antiquis Monachis qui in ipsa regione floruerunt, antequam illic hæreses pullularent, ad conservandam, & manutenen. prædictam ejus Congregationem, illi aggregavit nonnullos Monachos Congregationis Cassinen. aliàs S. Justinæ, &c. vigore facultatis eisdem concessæ à Capitulo generali anno, mense, die, &c. & quod pariter elegit hos Monachos N. & N. quibus delegavit, & concessit omnimodam ejus auctoritatem providendi, & moderan. ad eum finem, ut prædicta ejus antiqua Congregatio Angliæ præservetur, augeatur, & optimè dirigatur, quæ omnia ab ipso R. P. D. Seberto acta esse dictum fuit sub ratihabitione, &c. quibus attentis, & consideratis agnoscentes singularem animi devotionem R. P. D. Seberti erga Cassinen. Congregationem, qui ad augendam & perpetuan. dictam ejus Congregationem multis aliis Congregationibus prædictis, Monachos eorundem sæpe dictæ Cassinen. Congregationis professos elegit ad comodum quidem, honorem, & existimationem prædictæ Congregationis prædictis omnibus benignè anquendū esse duxerunt. Idcirco Reverendiss. D. Præses, & admodum RR. PP. Definitores omnes unanimes, & concordes, nemineque ipsorum, discrepante, & ex certa scientia, ac animo ipsorum, ut dixerunt, benè deliberato, omnique quo potuerunt meliore, ac validiore modo inprimis ratificarunt, approbaverunt, & confirmaverunt, ratificant, approbant & confirmant, prædictas Aggregationem, & unionem Monachorum, & Oblatorum, qui, ut suprà habitum est acceptari, & respectivè professi sunt in partibus Angliæ, sub nomine Congregationis Cassinen. factam per supradictum admodum R. P. D. Sebertum, ad perpetuandam ejus antiquam Congregationem Ordinis S. Benedicti, nec non etiam delegationem, seu electionem per eundem factam de personis DD. Thomæ, & Augustini, &c. Monachorum Congregationis Cassinen. cum eadem auctoritate eisdem concessa in omnibus, & per omnia, juxta seriem & tenorem earundem Aggregationis, & delegationis, & ad cautelam ubi opus sit, dicti RR. D. Præses, & PP. Definitores similem aggregationem & respectivè delegationem de novo faciunt, & constituunt sub illis modis, formisque expressione & auctoritate, quibus per supradictum R. P. D. Sebertum dicta Aggregatio & delegatio facta est, quam Aggregationis, & delegationis ratificationem, necnon & assensum prædictum, cæteraque alia in præsenti instrumento contenta apposita, & inserta idem Reverendissimi D. Præses, & admodum

RR. PP.

RR. PP. Definitores per sese, & eorum RR. DD. Successores promiserunt, & promittunt mihi Notario infrascripto uti publico, &c.

Habetur *eod. loc. ut suprà.*

Vicariæ tegendi Congregationem Anglicanam, Formula CLXVIII.

Admodum R. P. & frater optime, quoniam divina bonitaa ita mihi vitam diuturnam produxit, ut jam cum magno solatio meo viderim instaurationem Congregationis Anglicanæ, nuperrimâmque ejus confirmationem à Summo Pontifice factam, cumque hactenus divina providentia videatur me superstitem conservasse, quasi in eum duntaxat finem, ut Congregationis illiua quasi possessio & ex consequenti omnia ejus jura in me & Monachis mihi aggregatis perseverent; quia etiam probè perspicio totum hoc negotium per prudentes conatus & labores vestros potenter fuisse promotum, idque ita feliciter, ut non parva spes suppetat fore ut suo tempore ad antiquum vigorem & splendorem eadem Congregatio resurgat: ego autem propter longævam senectutem, corporisque debilitatem non possum ejua negotia personaliter gubernare; propterea rogo & obsecro Paternitatem tuam, ut sicut Italiæ Congregationis Superior existis ejusque regimen tenes, ita etiam digneris in te suscipere curam, & sollicitudinem hujua Anglicæ Congregationis, meoque nomine prosequaris; & peragas, quæcunque sapientiæ tuæ videbuntur necessaria, & convenientia ad promovendam, & exaltan. & propagan. veterem hanc nostram Congregationem Angliæ. Quicquid autem hac in re facies, ego per præsentes ratifico, & confirmo, & in ejus signum nomen meum subscribo coram testibus infra scriptis, &c. rogans te ut certiorem me facias debitis opportunitatibus de negotiorum istorum successu, atque ita gratias tibi, ex animo agens pro charitativo solatio, & fraterna sollicitudine erga me in hac decrepida senectute mea me tibi commendans committo te Domino Deo N. die .... mense, & anno cum scriptione D. N. vices commimentis & testium.

Habetur *loc. cit. script. 4.*

Absentes ad electionem novi Abbatis vocandi pro Congregatione Bursfeldensi, Formula CLXIX.

Dilectio in Christo Fr. N. Monacho Monasterii S. N. Ordinis S. Benedicti Frater N. Prior, aut alius præsidens post Abbatem, & Conventus jam dicti Monasterii salutem in Domino. Fraternitati tuæ tenore præsentium innotescat quod die .... mensis, &c. D. N. quondam Abbas Monasterii nostri præfati sicut Domino placuit viam universæ carnis ingressus fuit. & corpus ejus eum debita reverentia Ecclesiasticæ traditum sepulturæ. Ne igitur Monasterium nostrum supradictum per diuturnam vacationem gravem patiatur in spiritualibus & temporalibus læsionem, diem talem cum continuatione dierum sequentium ad tractandum de futuri Pastoria electione & ad electionem celebrandam in nostro Capitulo communiter duximus statuendum. Quapropter fraternitatem tuam attentè requirimus & sollicitamus expresse quatenus die præfata nobiscumque ad tractandum & colligendum in Capitulo nostro prælibato concurrere procures, alioquin, tua absentia non obstante, procedere ad celebrandum hujusmodi electionem curabimus, & dicto Monasterio nostro de persona idonea providere. Si insuper procuratorem ad certam personam eligendam sustinere decreveris, quæ secundum juris communis dispositionem in hujusmodi electionis negotio substitui potest, ad juramentum præstandum, confessionem Sacramentalem faciendam, & sacram Communionem percipiendam sub pœna in decreto Basiliensis Concilii de præmissis faciendis promulgata, te noveris adstrictum. Nos enim fidei & relationi veridicæ talis Nuncii nostri jurati latoris præsentium super vocatione hujusmodi stare proponimus, ut est juris. Datum, &c. sub sigillo Prioris, & Conventus roboratæ, &c.

Habetur in Cæremoniali Congregationis Bursfeldensis, Ordinis S. Bened. Parisiis impresso, anno 1610. *pag.* 159. *&* 120.

Absentes ad eandem electionem vocandi intimatio, cum præfixione termini, Formula CLXX.

Fratres Capituli Monasterii N. & Frater N. humilis Prior claustri ejusdem Monasterii, Sede Abbatiali vacante. Dilectis Conreligionis & Fratribus N. & N. Prioratuum, & membrorum à dicto Monasterio dependentium respectivè salutem in Domino. Cùm bon. mem. D. N. Abbas ipsius Monasterii, novissimus, die.... mensis....&c. præsentis anni, &c. (quod non sine gravi mentis amaritudine referimus) naturæ solvendo debitum, spiritum suum reddiderit Creatori. Nos ipsius corpore tradito reverenter, ut decuit, Ecclesiasticæ sepulturæ, nolentea dictum nostrum Monasterium existere pastoris diutius solatiis destitutum. Quare diem N. post festum S. N. X. mense N. proximè futuri, cum continuatione dierum omnium sequentium, concorditer præfiximus ad electionem futuri pastoris, & Abbatis in dicto Monasterio & capitulo nostris celebrandum. Ac ad omnia alia peragenda, quæ ipsius electionis negotium concernere dignoscuntur. Ut igitur ignorantiam super hoc prætendere nequeatis, ullam vobis, & cuilibet vestrum, ac aliis omnibus & singulia Conreligiosis præfixionem hujusmodi duximus intiman. vos & quemlibet vestrum tenore præsentium citantes (prout citamus & vobis mandamus) quatenus dicta die N. mensis N. manè, hora capituli; quam diem & horam, cum omnibus diebus sequentibus quousque ipsius electionis negotium fuerit expeditum, vobis harum serie assignamus, & præfigimus, ad Monasterium nostrum prædictum, si volueritis, & vestra credideritis interesse, veniatis, & compareatis, una vobiscum de electione futuri Abbatis, & ad ipsum Abbatem, dante Domino, eligendum, ac in ipso electionia negotio modo debito processuri. Alioquin vobis non expectatis nec ulterius si prædictus per nos non fuerit terminus prorogatus convocati in hujusmodi electionis negotio procedemus, vestra absentia non obstante. Ad istas autem litteraa vobis, & cujuslibet vestrum præsentandas, & intimandaa dilectoa nostros N. & N. duximus specialiter deputandos, & in signum hujusmodi mandati nostri suscepti, ac Nunciorum quilibet vestrum sigillum hic apponat, aut se manu propria subscribat, aut per alium suis nomine & mandato faciat subscribi. Datum in dicto Capitulo nostro sub sigillo nostro communi, unà cum signo Notarii subscripti, &c.

Habetur *in formulario instrum. Romæ impresso anno* 1656 *tit. de elect. pag.* 72.

Absentium responsionis ad prædictam vocationem electionis novi Abbatis, Formula CLXXI.

Honoralili ac Religioso N. Priori & Fratrib. Conventualibus Monasterii S. N. Ordinis S. Benedicti N. diœcesis. Frater N. ejusdem Monasterii Monachus professus cum humili reverentia in Christo Jeso complacendi affectum. Quia electioni futuri Abbatis die ... faciendæ, arduis præpeditus & variis negotiis, personali præsentia interesse non valeo: idcirco Religioso fratri N. Monacho Monasterii nostri præfati, vices

meas in toto illo electionis negotio pro hac vice committo omnibus modo & forma quibus id fieri potest & debet, in cujus rei testimonium sigillo meo, &c.

Refertur in Cæremoniali Bursfeldensi *superius citato p.* 190.

Absentium vocationis ad prædictam electionem in valvis Ecclesiæ tibi talis fuerit consuetudo,

Formula CXXII.

Notificant Prior & Conventus Monasterii S. N. Ordinis S. Benedicti diœcesis, N. omnibus & singulis præsentes litteras inspecturis, & quorum interest, vel interesse poterit, quomodolibet in futurum, quod die .... mensis N. quondam venerabilis D. N. Abbas ejusdem Monasterii sicut Domino placuit viam universæ carnis est ingressus, ipsiusque corpus cum debita reverentia Ecclesiasticæ traditum sepulturæ, & ne ipsum Monasterium grave in spiritualibus, & temporalibus patiatur detrimentum, diem N. quæ erit talis mensis N. cum continuatione dierum sequentium ad tractandum, & providendum de futuri pastoris substitutione communiter duxerunt statuendum. Quapropter per præsentis cedulæ affixionem, & Bedellum, sive Nuncium nostrum, ad hoc specialiter deputatum citari mandant, & citant omnes & singulos sua interesse putantes, qui hujusmodi electioni de jure aut consuetudine debent, possunt, & volunt interesse, quatenus die supradicta hora N. cum dierum sequentium continuatione in dicto Monasterio ac loco capitulari ejusdem legitimè compareant, ad tractandum de futuri Abbatis electione, & ad ipsam electionem, si opus fuerit, procedendum, & procedi videndum, & omnia alia & singula faciendum, quæ in præmissis necessaria fuerint, vel quomodolibet opportuna: certificantes eosdem quod sive comparuerint, sive non, nihilominus ad præmissa omnia, & singula, prout Juris & moris fuerit procedere, & eidem Monasterio de persona idonea, prout Dominus inspiraverit, providere curabunt, ipsorum absentia non obstante. Datum, &c. sigillo Conventus memorati in fidem, & testimonium præmissorum præsentibus subimpresso.

Ex eod. Cæremoniali Bursfeldensi *pag.* 191. *&* 192.

Juramenti ab electoribus prædictis præstandi,

Formula CLXXIII.

Ego Frater N. juro & promitto omnipotenti Deo, & sancto, vel sanctæ N. hujus Monasterii patrono, illum eligere quem credam futurum Ecclesiæ in spiritualibus, & temporalibus utiliorem, nec illi vocem dare, quin verisimiliter scivero promissione, aut ditione alicujus rei temporalis, seu per se, vel per alium interposita prece, aut aliàs qualitercumque directè, vel indirectè pro se electionem procurare.

Insuper ego N. sub juramento præstito promitto quòd si electus fuero in Abbatem, & electioni in personam meam factæ consensero super observantia reformationis, & consuetudinum approbatarum præsentis Monasterii in forma per capitulum annale desuper concepta, & approbata, mox post confirmationem publicè juramentum præstabo, sic me Deus adjuvet & hæc sancta Dei Evangelia.

Habetur ex eod. Cæremonial. Bursfelden. pag. 201.

Absentium procuratores ad Capitulum mittendi,

Formula CLXXIV.

RR. in Christo PP. ac DD. Præsentibus annalis capituli Monachorum nigrorum Ordinis S. Benedicti de Observantia, in Monasterio N. proximo celebrandi, N. humilis Abbas Monasterii S. N. Ordinis & Observantiæ prædictorum N. diœcesis reverentiam & honorem. Reverendi Patres ac Domini. Quia secundum laudabilia instituta, ad ipsum annale capitulum, prout debeo, personaliter non possum accedere, senio, languore, corporalibus incommodis, legitima distantia, causis arduis nostri Monasterii delationem pro hac vice nequaquam captantibus, præpeditus: maximè cum anno Domini N. Capitulo in Monasterio Sancti N. celebrato ultimo, personaliter interfuerim: Hinc est quod discretum Fratrem N. Monasterii Commonachum, aut Venerabilem in Christo partem Dominum N. Abbatem Monasterii N. in meum legitimum, ac indubitatum procuratorem constituo: cum pleno mandato, vice mea in eodem capitulo comparendi; cum potestate plenaria jurandi in animam meam, causam, seu causas meæ absentationis superiùs allegatas esse veras: Insuper & beneficium absolutionis ab officio, instanter petendi, & humiliter, si concessum fuerit, acceptandi: collectas etiam pecuniales, si quas per capitulum imponi contigerit, legaliter exsolvendi: promittens me sub testimonio præsentium litterarum, quæcumque in eodem capitulo fuerint constituta, rata, & grata, firmiter habiturum: & tam per me quàm mihi subjectos, prout unumquemque nostrum concernunt, laudabiliter observaturum. In quorum omnium testimonium sigillum meum præsentibus est impressum. Datum in Monasterio meo prædicto. Anno Domini, &c. ipso die, &c.

Ex eod. Cæremonial. Bursfelden. pag. 163.

Obedientia data Vicario Generali à Patribus Chellen.

Formula CLXXV.

Admodum Reverende Pater: communicavit nobis Reverendus P. Augustinus litteras Paternitatis vestræ, quibuscum etiam conjunctum fuit exemplar litterarum Illustrissimi Nuncii insinuantium novum aliquod decretum, quo admisso fideliter spopondit vestra paternitas nobis in verbo Sacerdotis, donec unio concludatur. Nuncius nostrarum partium longè alio modo promulgavit nobis Sanctitati suæ beneplacitum quam videamini ibi accepisse, monuitque, ut significaremus omnibus, Sanctitatis suæ voluntatem esse, ut omnes suis procuratoribus destinarent ampliorem potestatem, quàm hactenus habuerunt aliquam unionem concludendi, quia aliquam inter nos unionem vult absolutè concludi; quòd vero Illustrissimi Cardinales in priore decreto regressus persistant, cupimus ut cognoscatis plures nunc nobis suppetere rationes ampliandi & replicandi, quàm anteà, tum quia certi sumus procuratorem nostrum auditum non fuisse, quando hoc de regressu decretum fuit expeditum, tum etiam propter exorbitantem modum procedendi, quo usi sunt Commissarii vestri in hac Civitate Parisiensi, pro quo benefactoribus nostris aliqua esset adhibenda satisfactio. Nihilominus ut planè satisfaciamus Sedi Apostolicæ, vestræque Paternitati ac toti mundo, monstremusque sinceram intentionem nostram, qua pacem quærimus & unionem, sine qua missio nostra non potest subsistere, simul ac securi facti essemus Nuncii Apostolici Episcopi Parisiensis, & Paternitatis vestræ promisso, quod nulla fiant scandala, vel innovationes in personis, aut negotiis nostris, donec aliqua unio inter nos concludatur, certiorem per has præsentes facimus Paternitatem vestram nos paruisse, & parere decreto de regressu, & in eò planè satisfecisse Nuncio Parisiensi, quin & scripsisse ad Cardinales S. Officii de obedientia nostra decreto ipsorum officiosè præstita. Quoniam igitur nunc omnia impedimenta unionis sunt ablata, rogamus vos propter amorem Dei, urguàm seriò, & citò fieri possit, in illam statuendam incumbatis, & in fiacre aut

quacum-

quacumque alia invenietis nos in omni fraterna charitate paratissimos, &c.

Ex Clemente Raynerio *in append. ad Apostol. Bened. in Angl. part. 1. script. 15.*

Supplicationis exemplar quod ex Anglia Patres Missionis ad Sanctissimum D. Papam miserunt,

Formula CLXXVI.

Nos infrascripti S. V. filii humillimi perspicientes maximum Sanctitati Vestræ erga patriam nostram, & salutem animarum zelum, ac paternam de nostra Missione curam, quibus Sanctitas Vestra tanquam Universalis, sed nobis specialis parens, satis abundat, & intelligentes Sanctitatis vestræ mentem in eo firmiter positam esse, ut pro bono Missionis, aliquam velit inter nos stabilire unionem: & maturè ponderantes quid emolumenti, vel incommodi evenire poterit, si modus illius sit conveniens, & ab omnibus generaliter approbatus: aut inconveniens, & inter paucos determinatus, qualis erat modus nuper Sanctitati Vestræ exhibitus; (omnes enim quoad substantiam unionem exoptant, de modo solummodo est differentia) submissè petimus (quia quo universalior fuerit consensus, eo stabilior, & sine reluctantia erit unio) ut Sanctitas Vestra pro præsenti nihil statuat, sed sub censura præcipiat, ut ex omnibus professis omnium trium Congregationum extra Hispaniam aut Italiam degentibus, per pluralitatem votorum omnium professorum dictarum Congregationum eligantur novem Definitores, qui simul convenientes, etiam per pluralitatem votorum determinent primò de modo talis unionis, quem sic per pluralitatem votorum ordinatum exhibebunt Sanctitati Vestræ approbandum, & post approbationem eodem modo, & eadem Apostolica auctoritate formam & regimen gubernandi statuant. Si enim propter inæqualitatem numeri dictarum Congregationum Religiosorum eligerentur ex unaquaque tres, tunc reliqui omnes Hispanicæ Congregationis exclusi à tali electione (qui ad minus sunt centum,) non sine justa causa poterunt reluctari: Religiosi autem aliarum Congregationum sunt perpetui, & sic pauci forent excludendi.

Hæc modò Sanctitati Vestræ humiliter suggerenda putavimus. Interim Generalem nostrum Hispanicum consulemus, & ejus consensum, sine quo nihil commodè possumus, postulabimus, & expectabimus paternam Sanctitatis Vestræ resolutionem quem Deus Opt. Max. pro regimine suæ Ecclesiæ, ac bono patriæ, & Missionis nostræ diu, ac feliciter sanum, & incolumen custodiat. Dat. &c.

Ex eod. Rayner. *loco cit.*

Doctoratus sive gradus Licentiaturæ litteræ patentes, &

Formula CLXXVII.

Universis & singulis præsentes literas inspecturis pateat qualiter hodierna die coram admodum Reverendis Patribus Theologis sive V. I. Doctoribus N. & N. admodum Reverendus D. N. Monachus sive Presbyter nostri Monasterii sive Ecclesiæ fuit præsentatus per famosissimos Theologos, sive excellentes viros Doctores examinandus & approbandus in Sacra Theologia sive jure Civili, & ipse D. N. se subjecit arduo, & rogoroso examini dictorum Theologorum, sive V. I. Doctorum Venerandi Collegii Civitatis N. in quo examine præfatus D. N. ita & aliter se habuit, quòd ipse tam à Vicario N. & Locumtenenti, quàm ab omnibus Theologis sive Doctoribus dicti Collegii, nemine discrepante fuit tanquam sufficiens, & idoneus in Sacra Theologia sive in jure civili, & canonico unanimiter & concorditer, ac publicè & laudabiliter approbatus. Quapropter præfatus Dominus Vicarius sive Locumtenens optans personam dicti D. N. favoribus & honoribus prosequi gratiosis, consideratis scientia, moribus, & virtutibus, quibus ipsum D. N. Altissimus illustravit, prout in dicto examine in facto visibiliter demonstravit, ipsum D. N. præsentem, ut asseruit, pronunciavit, ac declaravit sufficientem, & idoneum ad ascendendum Cathedram Magistralem, & recipiendum publicè in Theologia, & jure civili gradum, & insignia Doctoratus, ipsique D. N. tanquam sufficienti & idoneo in Sacra Theologia, sive jure civili, & canonico publice gradum & insignia hujusmodi recipiendi, & se in ipsa Sacra Theologia, sive in utroque jure doctorandi, quandocumque sibi placuerit ad laudem omnipotentis Dei, &c. plenam tenore præsentium, &c.

Habetur *in formulario Instrum. tit. de grad. pag. 95.*

Procuratorum Constitutio ad prosequendum gratiam expectativam pro creato Canonico cum clausula ad lites,

Formula CLXXVIII.

In nomine Domini, Amen. Noverint universi præsentis publici instrumenti seriem inspecturi, lecturi, & audituri, quòd anno à nativitate Domini N. Indictione N. die verò N. mensis N. Pontificatus N. divina providentia, &c. Anno N. in mea Notarii publici, testiumque infrascriptorum, ad hoc specialiter vocatorum & rogatorum præsentia personaliter constitutus D. Abbas N. sive Prælatus N. Monasterii N. diœcesis principalis, principaliter pro seipso (citra tamen quorumcumque procuratorum suorum, per eum hactenus quomodolibet constitutorum revocationem) omnibus melioribus modo, via, jure, causa & forma, quibus meliùs & efficaciùs de jure potuit & debuit, fecit, constituit, creavit, & solemniter ordinavit suos veros, certos, legitimos, & indubitatos procuratores, actores, factores, & negotiorum suorum infrascriptorum gestores, & Nuncios, speciales & generales (ita tamen quòd specialitas generalitati non deroget, necècontra) videlicet, venerabiles & providos viros Dominos A. B. C. absentes tanquam præsentes, & quemlibet eorum in solidum (ita tamen quòd non sit melior conditio primitus occupantis nec deterior subsequentis, sed quòd unus eorum inceperit, alter ipsorum id prosequi, mediare, terminare valeat, & finiri, ac ad effectum perducere specialiter & expressè) ad ipsius Domini constituentis nomen, & pro eo prosequendum & pertractandum, quamdam gratiam Apostolicam expectativam, sibi, per præfatum S. D. N. Papam, sub Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ N. Kal. N. Pont. sui anno N. de canonicatu Ecclesiæ N. cum reservatione & expectatione præben. ac dignitatis, personatus, administrationis, vel officii ejusdem Ecclesiæ, ac alterius beneficii Ecclesiastici cum cura, vel sine cura. A. R. in Christo patris & Domini D. Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopi N. necnon venerabilium & circumspectorum virorum Dominorum Præpositi, Decani, Archidiaconi, Scholastici, Cantoris, Custodis, & Capituli, singulorumque Canonicorum, & personarum Ecclesiæ N. collationem, provisionem, præsentationem, electionem, seu quamvis aliam dispositionem communiter, vel divisim pertinen. gratiosè factam & concessam, prout in litteris Apostolicis desuper confectis pleniùs continetur, litterasque ipsas & processus, earum vigore habitos, & habendos, præfatis Dominis Episcopo, Præposito, Decano, Archidiacono, Scholastico, Cantori, Custodi, Thesaurario, ac Capitulis, tàm N. quàm Sancti N. in N. Ecclesiarum Canonicis, & personis Ecclesiæ N. hujusmodi, illique, vel illis, ad quem,

vel ad quos in prædicta Ecclesia N. præbendarum, & dignitatum, personatuum, administrationum, vel officiorum, necnon præstimoniorum, præstimonialium portionum, & simplicium, ac aliorum beneficiorum collatio, provisio, præsentatio, electio, seu quævis alia dispositio pertinet, necnon in Ecclesiis prætatis dignitates, personatus, administrationes vel officia obtinentibus, ac omnibus executionibus, & subexecutionibus, in litteris, & processibus hujusmodi deputatis, seu deputandis, omnibusque aliis, & singulis, quorum intereſt, intererit, aut intereſſe poterit quomodolibet in futurum præsentandum, intimandum, insinuandum, & notificandum, ipsosque, & eorum quemlibet insolidum sub pœnis, & censuris in eisdem processibus, ut ad executionem ipsarum litterarum, & processuum hujusmodi, juxta earumdem vim, formam, & tenorem, procedant, seu alter ipsorum procedat, requirendum, & monendum, requirique, & moneri faciendum. Seque nomine quo suprà, in dicta Ecclesia N. in Canonicum recipi, & in fratrem, ac stallum sibi in choro, & locum in capitulo Ecclesiæ hujusmodi, cum plenitudine juris canonici, assignari petendum, faciendum, & obtinendum. Præbendam verò, ac dignitatem, personatum, administrationem, vel officium ejusdem Ecclesiæ N. necnon præstimonia, præstimoniales portiones, & simplicia, ac alia beneficia hujusmodi (si quæ vacabant tunc, aut cùm vacabunt) sub dicta gratia comprehensa, cum protestationibus in talibus fieri solitis & consuetis, acceptandum, & de illis ipsi Domino constituenti cum omnibus juribus & pertinen. suis, post acceptationem prædictam provideri, & se de illis investiri, nomineque quo suprà, in, & ad corporalem, realem, & actualem possessionem Canonicatus & præben. ac dignitatis, personatus, administrationis, vel officii N. nec non præstimoniorum, præstimonialium portionum, & simplicium, ac aliorum beneficiorum, juriumque & pertinen. prædictorum, poni, & induci, ac inductum defendi, & ad dignitatem, personatum, administrationem, vel officium Ecclesiæ N. necnon præstimonia, præstimoniales portiones, & simplicia, ac alia beneficia hujusmodi, ut moris est, admitti petendum, faciendum, & requirendum, acceptationem & provisionem prædictas, aliasque faciendas diligentias in locis beneficiorum ac alibi, ubi, & quando opus fuerit palam publicandum, insinuandum, intimandum, & notificandum, publicarique, & insinuari, intimari, & notificari faciendum, necnon dictam possessionem explendum, intrandum, apprehendendum, manutenen. & defendendum, continuandum; jurandumque in animam ipsius D. constituent. de observandis statutis & consuetudinibus ipsius Ecclesiæ N. & alterius in qua beneficium hujusmodi forsan fuerit, & qualibet alia licita juramenta per suos in dictis canonicatu vel præbenda sive personatu, aut dignitate, vel administratione, sive officio Ecclesiæ N. necnon præstimoniis, præstimonialibus portionibus, & simplicibus, ac beneficiis hujusmodi prædecessores in eorum receptione, aut aliàs præstari solita præstandum & subeundum, atque canonicatum vel præbendam, aut dignitatem, sive personatum, administrationem, vel officium, ac præstimonia, præstimoniales portiones, & simplicia & alia beneficia hujusmodi in spiritualibus, & temporalibus regendum, & gubernandum, regique, & gubernari, ac ipsis in divinis deserviri faciendum, fructus quoque, redditus & proventus, jura obvenientia, & emolumenta quæcumque ex eisdem provenientia petendum, exigendum, & levandum, recipiendum, recuperandum, locandum, dislocandum, seu ad firmam, vel annuam pensionem concedendum ad tempus, & tempora personæ, seu personis pro pretio prout procuratoribus, vel alteri ipsorum visum fuerit expedire, & de habitis, receptis, & recuperatis, exactis, & elevatis occasione præmissorum pro dicto Abbate N. constituente sive Prælato N. aut conventu N. aut (ejus vel eorum nomine cum solemni pacto de aliquid non petendum, quietandum, liberandum, penitue & absolvendum, finemque, & litteras quietatorias, sive quietantiam & quecunque publica instrumenta ad hæc necessaria faciendum, & concedendum.

Clausulæ ad lites.

Et si necesse fuerit pro præmissis omnibus & singulis, & eorum occasione, pro dicto Abbate N. vel Prælato N. constituen. & ejus vel eorum nomine coram quibuscumque judicibus Ecclesiasticis, & secularibus quacumque auctoritate fungentibus, & functuris comparendum, agendum, & defendendum libellum, seu libellos, & quascumque alias petitiones summarias, verbo vel in scriptis dandum, & recipiendum, darique & recipi videndum, exceptiones, proponendum, replicandum, duplicandum, triplicandum, & si opus fuerit quadruplicandum, litem, seu lites contestandum, & contestari videndum, de calumnia vitanda, & veritate dicenda, & cujuslibet alterius generis licitum juramentum in animam ipsius D. Abbatis N. sive Prælati N. constituen. præstandum, ponendum, & articulandum, ponique, & articulari videndum, positionibus, & articulis partis adversæ respondendum, suisque responderi petendum, testes, acta, litteras; instrumenta, & alia monimenta producendum, testes partis adversæ jurare videndum, contra testes, & eorum dicta, ac litteras & instrumenta, & alia monimenta, contra ipsum Dominum Abbatem sive Prælatum N. producta & producenda dicendum, & excipiendum, crimina & defectus apponendum, probandum, protestandum, & attestandum, dicendum, & allegandum beneficium absolutionis simpliciter, vel ad cautelam, ac restitutionis in integrum, & quæcumque alia juris remedia, & quascumque litteras, gratiam, seu justitiam in se continentes petendum, obtinendum, & impetrandum, & ex adverso impetratis & obtentis contradicendum, & impugnandum, judicis officium humiliter implorandum; expensas, damna, & interesse taxari petendum, & super ipsis, si necesse fuerit, jurandum, in causa & causis hujusmodi concludendum, & concludi videndum, sententiam, seu sententias tam interlocutorias quàm diffinitivas audiendum, & ferri petendum, & ab eis, & earum qualibet, &c.

Refertur *in formulario instrumentorum & variorum processuum tit. de constit. procurat. pag. 39.*

Clausula substituendi.

Unum quoque, vel plures procuratorem seu procuratores loco sui, & cujuslibet ipsorum cum simili aut limitata potestate substituendum, eumque, vel eos revocandum, si onus procuratoris hujusmodi in se reassumendum toties quoties opus fuerit, & ipsi, seu eorum alteri videbitur expedire, præsenti procuratorio nihilominus in suo robori duraturo.

Procuratoria amplissima concessa D. Roberto Saldero de sancto Vincentio in negotio cujusdam unionis inter Monachos Cassin. & Monachos Congregationis Anglicanæ,

Formula CLXXIX.

In Dei nomine, Amen. Pateat universis per præsentes nos D. Thomam Angelum Monachum, professum Monasterii Montis Cassini Monachorum Nigrorum Ordinis Sancti Benedicti de Observantia Congregationis Cassinen. atque Congregationis Anglicanæ nuper restauratæ & à Sanctissimo D. N. Paulo V. confirmatæ

matæ Superiorem constitutum nonnullis occupationibus, aliisque obstaculis impeditum, quomious infrascripta per me ipsum exequi possem, confisum tamen de integritate, fidelitate, & diligentia dilectissimorum fratrum nostrorum D. Mauri. &c. Monachi Monasterii Sancti Georgii Majoris, ac Sedis Apostolicæ Notarii, atque Dom. Roberti, &c. Monachi professi Congregationis Angliæ, præhabito etiam consensu DD. Augustini, Bartholomæi, &c. Monachorum ejusdem Congregationis Anglicanæ nominasse, ordinasse, constituisse, fecisse, ac loco nostro posuisse, prout per præsentes nominamus, ordinamus, facimus, constituimus, & loco nostro ponimus prædictos DD. Maurum, & Robertum conjunctim & divisim, nostros verò certos, indubitatos & legitimos, generales, ac speciales procuratores, actores, factores, & nostrorum negotiorum omnium & singolorum quorumcumque gestores, prout dictis DD. Mariæ & Roberto conjunctim divisim opportunum videbitur, ita in omnibus, ut nec generalitas specialitati, nec specialitas generalitati aliquid deroget, dantes & per præsentes concedentes dictis nostris, & præfatæ Congregationis Anglicanæ Procuratoribus conjunctim, & divisim totam & integram potestatem, & auctoritatem nostram in præmissis omnibus & singulis rebus, nos, vel negotia nostra, ac prædictam Congregationem nostram Anglicanam aliquo modo tangentibus, sive concernentibus agendi, dicendi, procurandi, negotiandi, componendi, atque terminandi, quidquid sibi, vel eorum alteri in eisdem, vel eorum aliquo videbitur necessarium & utile. Alium insuper & alios procuratorem & procuratores loco, & vice nostra substituendi, ac eum, seu eos denuò revocandi, procuratoriumque officium, in se reassumendi, quoties & quando, id eis, vel eorum alteri expedire videbitur, & generaliter omnia alia & singula faciendi, exercendi, expediendi, & impetrandi pro nobis & nomine nostro, dictæ Congregationis Anglicanæ, quæ illis, aut eorum alteri in præmissis, aut circa præmissa necessaria, aut expedientia, aut aliàs quomodolibet ad bonum dictæ Congregationis promovendum opportuna videbuntur, adeo planè & sufficienter ac nosmetipsi facere poteramus, si ibidem præsentes personaliter essemus, licet mandatum de se magis exigat speciale quàm superius ullo modo est expressum, rata, grata, & firma habentes, & habituri quidquid dicti procuratores nostri, vel eorum alter fecerit, seu fieri procuraverint in prædictis negotiis nostris, vel eorum aliquo, seu in aliquibus circumstantiis, aut ceremoniis, eadem, vel eorum aliqua tangentibus sive concementibus. In cujus rei testimonium ego præfatus D. Thomas hîc præsenti scripto me subscripsi, & ut plenior illi fides adhibeatur, sigillum Congregationis Cassinen. apposui. Datum, &c.

Refertur in append. Clem. Raynerii part. 1. ad Apost. Bened. in Angl script. 9.

Procuratoria similis in eadem causa Congregationis Cassinen. & Congregationis Anglicanæ,

Formula CLXXX.

Decretum est in Concilio, per eos qui subscribunt, procuratorium Patris Benedicti, debere confirmari, & revalidari cum potestate prosequendi nuper propositum unionis tractatum, aut si occasio postulaverit, ut melius concludatur, articulos ejus emolliendi, aut mutandi, prout in conscientia expedire judicaverit, aut prout putaverit plerosque in Missione velle condescendere, servatis conditionibus, & limitationibus in ipsa commissione procuratoria expressis. Subscriptum P. Leander de S. Martino, P. Joannes Barnesius, P. Franciscus Antrobus. Forma autem commissionis, maturo tractatu, inter eosdem concepta sequitur in huoc tenorem: [Nos P. Leander de S. Martino Vicarius Generalis Benedictinorum Anglorum Congregationis Hispanicæ extra Hispaniam degentium Sacræ Theologiæ Doctor, & in Academia Duacena linguæ Sacræ Regius Professor, &c. Quoniam Illustriss. D. Archiepiscopus Rhodiensis, cùm esset Legatus suæ sanctitatis in Belgio, nobis significavit, & ex mandato suæ Sanctitatis nobis injunxit, ut facultatem, auctoritatemque procuratoriam R. P. Benedicto Ionesio ad unionem aliquam Romæ concludendam, revalidaremus, ideò prædictis suæ Sanctitatis, & Illustrissimi Nuncii ipsius mandatis obedientes, de consilio & consensu Venerabilium Fratrum nostrorum assistentium, tibi Patri Benedicto Ionesio de S. Facundo, omnem auctoritatem procuratoriam facultatem, potestatemque necessariam concedimus, ut nostro nomine possis prosequi articulos unionis, à nobis Romam missos, & unionem secundùm ipsos, & potestatem etiam eosdem articulos emolliendi, mutandi, in melius vertendi, addendo, aut detrahendo, aut interpretando, quantum tibi in conscientia videbitur expedire, aut judicaveris optimos in Missione vel admittere. Hoc solum proviso, ut nemo cogatur ad unionem suscipiendam, sed si qui nunc in Missione existentes noluerint illam admittere, prohibeantur aliam Missionem erigere, aut habitum ulli imponere, vel professionem tradere. Item ut qui inposterum futuris temporibus ex nostro Ordine mittentur in Aogliam, non gaudeant facultatibus necessariis, nisi velint unitæ Missioni, & legibus ejus per omnia, dum in Missione fuerint, subjici. In hujus nostræ concessionis, & commissionis auctoritatem, & robur, ut valeat tibi Patri Benedicto, ad omnia quæcumque in causis nostris à te proponerentur peragenda, sigillum S. Benedicti his nostris litteris impressimus, easque nostra subscriptione, & Secretarii munivimus 27. April. 1616. Actum, &c.]

Vicarii à Capitulo constituti, Sede vacante,

Formula CLXXXI.

Nos Canonici & Capitulum Cathedralis N. Sede vacante per obitum bon. mem. N. Episcopi, &c. Reverendo N. salutem in Domino sempiternam. Cùm ex sacrorum Canoonm dispositione Ecclesiarum Cathedralium Capitula in deficientium Episcoporum (præsertim si ex humanis eximi contigerit) locum subrogentur, eisque in spiritualibus & temporalibus succedant: eorum munus erit viduatis Ecclesiis ita consulere, ut ministrorum solertia, & diligentia viduitatis incommoda minimè sentiantur. Ne igitur supradicta Ecclesia nostri culpa aliquid detrimenti in spiritualibus, & temporalibus patiatur, Nos dictis sacris Canonibus, & Concil. Trid. decretis obtemperare volentes, vocatis omnibus & singulis Canonicis infrà tempus à dicto Concilio statutum, ad Vicarium, qui vices nostras sustinere debeat, deputandum, congregatisque iis, qui debuerunt, voluerunt, & potuerunt interesse, habitisque interessentium votis, de consensu, & voto ejusdem Capituli, te Reverendum N. de cujus probitate, scientia, & sufficientia confisi, generalem in spiritualibus & temporalibus Vicarium nostrum in prædicta Ecclesia Cathedrali civitate, & diœcesi, tenore præsentium deputamus, creamus, & constituimus [per menses sex] vel [Episcopali Sede vacante] cum omnibus & singulis facultatibus, privilegiis, honoribus, oneribus, præeminentiis, & prærogativis, ad hujusmodi munus exercendum necessariis, & opportunis; Dantes tibi plenam, & liberam potestatem omnia, & singula exercendi, quæ Capitulo Sede vacante in utroque foro à jure permittuntur, & proinde causas omnes tam civiles, quàm crimiuales, & mixtas, etiam hæresis, & matrimoniales, audiendi, providendi, &

decidendi, cum facultate excommunicandi, & censuraa proferendi; cum voto tamen ordinariorum Consultorum nostræ Curiæ in sententiando, & procedendo ad actus, quorum gravamen per appellationem à diffinitiva reparari non potest; necnon ea omnia faciendi, quæ nos facere, & mandare possumus, etiamsi speciale mandatum requirant. Reservantes nobis collationem beneficiorum, eorumque institutionem ad Capitulum spectantem, deputationem examinatorum, Officialium, actuariorum, & ministrorum Curiæ, regimen seminarii, facultatem cognoscendi de causis suspicionum, & de negata justitia, & constitis (servatis de jure servandis) alteri delegandi. Volumus autem, ut concedere licentiam ordinandi, etiam ad primam Tonsuram, (in casibus à Sacr. Concil. Trid. Capitulo permissis) & providere de Prædicatoribus in Adventu, & Quadragesima; ac dispensare in foro exteriori, etiam quoad temporum interstitia, & casus reservatos de novo facere non possis, absque expresso nostro consensu capitulariter habito. Nec non approbare Confessores Ordinandos, & ad beneficium obtinenda, nisi prævio examine ab Examinatoribus deputatis, quorum approbationes per Secretarium annotentur in libro. In casu verò infirmitatis, vel absentiæ sustituere non possis, vel causas delegare, sed in his casibus provisio ad nos spectare debeat. Præcipimus itaque universo Clero hujus Civitatis, & Diœcesis aliisque hujus Ecclesiæ jurisdictioni subjectis, quatenus te in Vicarium Officialemque nostrum generalem recipiant, tibique in omnibus præmissis pareant, & obediant. Dantes tibi vices, & voces nostras, &c. Contradictores, & inobedientes pœnis & censuris Ecclesiasticis compescendi; & ita te in Vicarium deputamus, cum solutione salarii, per eum, cui incumbit, facienda. In quorum fidem præsentes scribi jussimus per Notarium nostræ Curiæ, & manu propria subscripsimus. Datum in nostro Capitulo Cathedralis Ecclesiæ N. die anno, &c.

Refertur ab August. Barbos. *de Iur. Eccles. lib. 1. cap. 32. num.* 137.

Vicarii Generalis constitutionis, Formula CLXXXII.

Universis præsentes literas inspecturis, &c. N. Abbas, & S. Sedis Apost. gratia Ordinarius N. salutem in Domino. Noveritis quòd nos attendentes multiplices occupationes nostras, & curam animarum, quæ nobis subjectæ sunt, & quòd etiam nobis cura est munera nostra aliis impertiri, qui moribus, scientia, & ætate reperti sint probatissimi, considerantes igitur probitatem, scientiam, legalitatem, discretionem, & industriam discreti viri N. I. V. D. ipsum nostrum Vicarium Generalem in Ecclesia, civitate, diœcesi nostra tam in spiritualibus, quàm in temporalibus, tenore præsentium facimus, constituimus, & creamus, citra tamen revocationem aliorum Vicariorum nostrorum per nos aliàs institutorum, dantes, & concedentes eidem plenam, & liberam potestatem, & mandatum speciale, ut possit N. per te, vel per alium Prælatum exercere N. & alia, quæ ad usum Pontificalium spectant, &c. necnon indulgentias concedendi in casibus à jure permissis, & etiam exhibendi Sacramenta diœcesanis, & ad eum recurrentibus confessiones audiendi, prædicandi, publicas, & solemnes pœnitentias injungendi, Synodum diœcesanam celebrandi, Provinciale concilium convocandi, dimissorias, sive commendatitias ad Ordines, & Sacramenta concedendi, clericos judicandi, causas matrimoniales cognoscendi, & decidendi, & decimam oblationum in casibus à jure expressis, necnon Synodaticum, vel Cathedraticum, quartam funeralium, procurationis, visitationis, subsidium charitativum, & jus census in casibus à jure permissis exigendi, & reliqua faciendi, & exercendi quæ sunt muneris diœcesani, necnon subjectionem subditorum nostrorum, & reverentiam, ac juramenta ab ipsis recipiendi, novas Parochias erigendi, erectas, collapsas conficiendi, in matrices Ecclesias transferendi, eligendi, præsentandi, præsentatos instituendi, destituendi, beneficia conferendi, pensiones super illis imponendi, in casibus à jure permissis resignationes illorum recipiendi, eadem resignata conferendi, investiendi, alienandi, dispensandi, vota commutandi in casibus nobis permissis, causas omnes ad forum nostrum diœcesanum spectantes, & pertinentes cognoscendi, & decidendi, etiam feudales visitandi, reformandi, præcepta, & edicta faciendi, & constitutiones, illasque exequendi, corrigendi, mulctandi, excommunicandi, anathematizandi, absolvendi, etiam à casibus, quibuscunque nobis reservatis, suspendendi, interdicendi, deponendi, delinquentes incarcerandi, torquendi, condemnandi, tam ad tempus, quàm ad perpetuos carceres prout sibi convenire videbitur, causasque omnes criminales cognoscendi, & decidendi, clericos degradandi, brachium sæculare invocandi, pœnas mitigandi, gratias faciendi delinquentibus, prout sibi videbitur expedire, purgationes indicendi, pias voluntates exequendi, & easdem commutandi, unum, vel plures Vicarios loco ejus cum eadem, & simili, vel minori auctoritate faciendi, creandi, & substituendi, & cætera omnia, quæ sunt jurisdictionis nostræ exercendi, & terminandi, & omnia alia, & singula faciendi, & committendi, etiam si talia essent, quæ mandatum exigerent speciale, & majora, & graviora expressis prout ad Vicariatus officium noscitur quomodolibet pertinere, cujus gesta, sententias, & mandata rata, & grata habere promittimus, mandantes quibuscunque, ad quos spectat sub pœna excommunicationis, quam ex nunc, prout ex tunc ferimus in his scriptis, quatenus ipsum N. tanquam Vicarium, & Officialem nostrum recipiant, suscipiant, & admittant, ac eidem in his, quæ ad nos, & jurisdictionem nostram ordinariam qualitercunque spectant, vel spectare poterunt, pareant, faveant, & assistant, ac efficaciter obedire teneantur. In quorum testimonium has nostras literas fieri jussimus per Cancellarium, & Notarium nostrum subscriptione nostra, ac majoris nostri sigilli impressione roboratas, &c.

Elicitur hæc formula ex Barbos. *de offic. & potest. Episcop. part.* 3. *alleg.* 54. *n.* 56.

Vicarii foranei deputationis, Formula CLXXXIII.

N. Abbas, &c. Dilecto nobis in Christo R. N. Cupientes in oppido N. nostræ diœcesis de idonea persona providere, quo Vicariatus foranei Officium in omnibus ad hujusmodi munus spectantibus benignè pro totius cleri, & populi quiete, & salute exercere possit, non valentes propter ardua, variaque negotia, ac distantiam locorum: Nos & Vicarius noster Generalis personaliter ubique locorum, prout optaremus interesse, propterea de tua confisi fide, prudentia, probitate, & integritate, auctoritate, qua fungimur in prædicto Oppido te in Vicarium foraneum, cum omnibus honoribus, oneribus, emolumentis, & prærogativis in forma solitis, & consuetis per præsentes facimus, constituimus, & deputamus ad nostrum beneplacitum, cum potestate omnes depravatos mores in personis Ecclesiasticis tibi subditis corrigendi, & emendandi, informationes ad instantiam partis, vel ex officio contra illos, & in crimine concubinatus, blasphemiæ, & aliorum spiritualium, vel mixti fori delatorum, etiam contra laicos capiendi, processus formandi, & usque ad sententiam definitivam exclusivè in omnibus causis procedendi, illosque formatos ad nos originaliter transmittendi, præcepta Canonicis, & Presbyteris, & cæteris Ecclesiasticis personis tibi subjectis, sub pœnis tibi bene visis de se ad nos præsentando faciendi, non parentes carcerandi,

di, in caussa civilibus usque ad summam scut. &c. in executivis verò, & in quibus non est tela judiciaria, seu decretum definitum, non est interponendum usque ad quamlibet summam cognoscendi, & terminandi festivitates, & alia, quæ mandat, & præcipit sancta mater Ecclesia servari, mandandi, reliquaque omnia faciendi, gerendi, & exercendi, quæ similes Vicarii foranei facere, gerere, & extruere solent. Mandantes omnibus, & singulis Canonicis, Presbyteris, Clericis, cæterisque ad quos spectat, ut te in Vicarium foraneum, ut suprà recipiant, admittant, recognoscant, & obediant, sub pœna scutorum auri in auro 500. & in subsidium excommunicationis. In quorum fidem has præsentes manu nostra subscriptas, & nostro sigillo solito munitas fieri fecimus, &c.

Habetur in Formul. Aug. Barbos. *Formul* 99.

Vicarii revocationis, & deputationis alterius,
Formula CLXXXIV.

N. Abbas, &c. N. Vicarium pet nos deputatum revocamus, &c. auferentes ab eo omnem jurisdictionem, & auctoritatem illi concessam, ut ne amplius se intromittat neque exerceat, neque exercere faciat, &c. ac R. N. deputamus in Vicarium, &c. *prout suprà.*

Juramenti Abbati à Vassallis Monasterii præstandi,
Formula CLXXXV.

Ego N. juro fidelitatem Reverendiss. D. Abbati N. Domino meo, & vassallagium, & suis successoribus, non ero in facto, dicto, seu consilio, quod personam aut vitam, aut membrum, aut honorem suum amittat, aut quòd mala captione detineatur. Et si ad meam notitiam pervenerit, quòd aliquis aliquid prædictorum contra Dominum meum vellet, seu auderet committere, pro posse meo disturbabo, alioquin quam citiùs potero, vel per me, vel per meum nuncium, vel per literas meas sibi nunciare curabo. Imperium, quod habet pro posse meo manutenere curabo, defendam, & consilium, quod à me petierit secundùm à Deo mihi datam prudentiam dabo, secreta mihi ab eo revelata nulli sine sui licentia manifestabo, (sic me Deus adjuvet) & hæc sancta Dei Evangelia, tactis, &c.

Hæc forma habetur per Specul. *in* 1. *part. lib.* 4. *in* § *quoniam, sub num* 64. *de feudis.*

Archipresbyteri creationis,
Formula CLXXXVI.

In nomine Domini, &c. Anno à Nativitate, &c. regnante, &c. die, &c. apud Ecclesiam S. N. Nos N. annalis judex de terra prædicti I. pub. &c. & testes subscripti liberati de eadem terra, videlicet, A. B. C. D. ad hoc specialiter vocati, & rogati, præsenti scripto notum facimus universis præsentis decreti seriem inspecturis, quod vacante Archipresbyterali Ecclesia S. N. N. diœcesis, per mortem venerabilis viri Abbatis N. ultimi, & immediati Archipresbyteri dictæ Ecclesiæ, qui, sicut Domino placuit, die proximo, præterito mense Junii, instantis indict. diem suum clausit extremum, ejusque corpore tradito Ecclesiasticæ sepulturæ, Presbyter I. Primicerius dictæ Ecclesiæ, Presbyter A. Presbyter B. Presbyter H. Presbyter R. Presbyter P. Presbyter S. & Presbyter M. Canonici dictæ Ecclesiæ fecerunt infrà juria terminum inventarium de bonis mobilibus ipsius Ecclesiæ, & procuraverunt ad gubernandum, & manutenendum loca, & jura tam spiritualia, quàm temporalia prælibatæ Ecclesiæ, posteà volentes eidem Ecclesiæ de futuro Archipresbytero providere, priùs petita, & obtenta licentia à Reverendo in Christo Patre & Domino D. N. Dei gratia Episcopo, Abbati N. statuerunt terminum ad electionem futuri Archipresbyteri, in dicta Ecclesia celebrandam, & interim vocatis omnibus, qui de jure, & de consuetudine debuerunt vocari, & potuerunt, & voluerunt commodè interesse, quo termino adveniente, dicti Canonici pulsato priùs ad Capitulum, ut juris, & moris est in Ecclesia prædicta congregati in unum pro dicta electione celebranda in janua clausis ipsius Ecclesiæ, & laicis omnibus, & exclusis, exceptis nobis, qui suprà Judice, Notario, & testibus, quos Canonici prædicti de communi eorum voluntate retinuerunt pro conficiendis publicis instrumentis de electione prædicta, Presbyter A. Canonicus dictæ Ecclesiæ, de mandato omnium, & singulorum Canonicorum fecit mentionem in hunc modum: [Ego Presbyter A. Canonicus Ecclesiæ S. N. nunc vacantis per mortem venerabilis viri Abbatis N. ultimi, & immediati Archipresbyteri dictæ Ecclesiæ, qui, sicut Domino placuit, die proximo præterito, mense N. instantis indict. N. diem suum clausit extremum, nomine meo, & nomine omnium, & singulorum Canonic. præfatæ Ecclesiæ, moneo omnes, & singulos excommunicatos, suspensos, vel interdictos, necnon omnes, & singulos, qui de jure, vel de consuetudine in præsenti electione, quam facere intendimus, de novo Archipresbytero dictæ Ecclesiæ interesse non deberent, quòd exeant de Ecclesia ipsa, & permittant stare liberè alios, qui eligere volunt, quia non est meæ, nec aliorum Canonicorum ipsius Ecclesiæ intentionis, tales admittere, nec eligere cum eisdem, imò volo, & volunt, quòd si quis, vel si qui forsitan posteà invenirentur, nulli præstarent aliquod suffragium, vel etiam nocumentum, & voces talium habeantur pro non receptis, nec habitis. His peractis cœperunt dicti Canonici dictæ Ecclesiæ de electione futuri Archipresbyteri habere tractatum, interim Missa Spiritus sancti primitùs decantata, & ipsius gratia simpliciter implorata placuit omnibus, & singulis per formam scrutinii ad electionem prædictam procedere, & in prælibata Ecclesia de futuro Archipresbytero per eandem formam eidem Ecclesiæ providere, & de voluntate omnium, & singulorum Canonicorum assumpti fuerunt tres de Collegio fide digni: videlicet Presbyter I. Presbyter P. Presbyter N. quibus dederunt potestatem, ut primò voces eorum, atque duo vocem tertii, & subsequenter voces cunctorum scrutarentur diligenter, & dicta earum redigi facerent in publicam formam per me prædictum N. Notarium, Judice, & testibus supradictis præsentibus, & audientibus vota, & voces Canonicorum, qui Judex, Notarius, & testes priùs fuimus assumpti de voluntate omnium prædictorum Canonicorum pro dicto negotio electionis scribendo, & aliis infrascriptis instrumentis faciendis, prædicti scrutatores potestatem eis traditam acceptantes, recesserunt in parte ipsius Ecclesiæ, videlicet post Altare: itaque duo vocem, & votum tertii scrutati fecerunt in hunc modum: [Adjuramus te per Deum Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, illum nomines eligendum in Archipresbyterum dictæ Ecclesiæ S. N. per quem dictam Ecclesiam S. N. credis meliùs gubernari in Domino,] & subsequentes duo vocem, & votum alterius, & omnes tres voces, & vota omnium Canonicorum simili adjuratione facta, forma, & modo subscriptis, Presbyter I. Presbyter P. duo de scrutatoribus supradictis nominaverunt, seu consenserunt in N. Canonicum dictæ Ecclesiæ in hunc modum: [Ego Presbyter I. Canonicus dictæ Ecclesiæ S. N. nunc vacantis, nomino in Archipresbyterum dictæ Ecclesiæ S. N. Presbyterum N. Canonicum dictæ Ecclesiæ, virum utique ætatis legitimæ, competentis scientiæ, de legitimo matrimonio procreatum, in Sacerdotio constitutum, vita castum, moribus ornatum, pacificum, & quietum, valentem, scientem jura ipsius Ecclesiæ in Domino salubriter gubernare, in ipsum consentio eligendum, [deinde Presbyter P. alius ex scrutatoribus supradictis consensit in supradictum Presbyterum N. in hunc modum: [Ego Presbyter P. Canonicus dictæ Ecclesiæ S. N. Presbyterum N Cano-

nicum

nicum dictæ Ecclesiæ, virum utique ætatis legitimæ, competentis scientiæ, de legitimo matrimonio procreatum, in Sacerdotio constitutum, vita castum, moribus ornatum, pacificum, & quietum, valentem, & scientem jura ipsius Ecclesiæ salubriter in Domino gubernare, in ipsum consentio eligendum.] Deinde Presbyter N. alius ex scrutatoribus supradictis dictæ Ecclesiæ nominavit, sive consensit in Presbyterum R. Canonicum dictæ Ecclesiæ in hunc modum, videlicet: [Ego Presbyter N. Canonicus dictæ Ecclesiæ S. N. nunc vacantis, nomino in Archipresbyterum dictæ Ecclesiæ S.N. Presbyterum R. Canonicum dictæ Ecclesiæ, virum utique ætatis legitimæ, competentis scientiæ, de legitimo matrimonio procreatum, valentem, & scientem jura ipsius Ecclesiæ in Domino salubriter gubernare, in ipsum consentio eligendum.] Deinde supradicti scrutatores adjuraverunt singulatim supradictos Presbyterum A. Presbyterum N. Presbyterum G. & Presbyterum L. Canonicos dictæ Ecclesiæ in hunc modum: [Adjuramus te Presbyterum A. per Deum Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, ut illum nomines eligendum in Archipresbyterum dictæ Ecclesiæ S.N. per quem dicta Ecclesia credis melius in Domino gubernari, [qui Presbyter A. consensit in supradictum Presbyterum R. Canonicum dictæ Ecclesiæ in hunc modum: [Ego Presbyter A. Canonicus S. N. nunc vacantis, nomino in Archipresbyterum dictæ Ecclesiæ S. N. Presbyterum R. Canonicum dictæ Ecclesiæ, virum utique ætatis legitimæ, competentis scientiæ, de legitimo matrimonio procreatum, in Sacerdotio constitutum, vita castum, moribus ornatum, pacificum, quietum, valentem, & scientem jura dictæ Ecclesiæ in Domino salubriter gubernare, in ipsum consentio eligendum.] Deinde Presbyterum N. adjuratus modo supradicto per supradictos scrutatores consensit in supradictum Presbyterum N. Canonicum supradictæ Ecclesiæ in hunc modum: [Ego Presbyter M. Canonicus, &c. [Deinde Presbyter G. adjuratus modo supradicto per supradictos scrutatores consensit in Presbyterum R. Canonicum supradictæ Ecclesiæ [Ego Presbyter G. Canonicus dictæ Ecclesiæ,] & sequere, ut in aliis. Deinde Presbyter L. adjuratus per supradictos scrutatores modo supradicto consensit in supradictum Presbyterum H. Canonicum prædictum in hunc modum: [Ego Presbyter L. &c.] *ut suprà*, & sic de singulis, &c. Quibus omnibus sic peractis immediatè nullo alio actu intermedio non divertendo ad alios actus extraneos, scrutatores prædicti ad Capitulum redeuntes de voluntate omnium, & singulorum Canonicorum dictæ Ecclesiæ ibidem præsentium, publicaverunt scrutinium prædictum in hunc modum: (Ego Presbyter I. Canonicus S.N. nunc vacantis, unus ex scrutatoribus constitutis per Canonicos supradictæ Ecclesiæ ad honorem Dei Omnipotentis, & B. Mariæ semper Virginis matris suæ, pronuntio tam nomine meo, quàm nomine Presbyterorum N. & N. Canonicorum supradictæ Ecclesiæ in Archipresbyterum dictæ Ecclesiæ vacantis Presbyterum H. Canonicum Ecclesiæ supradictæ, virum utique ætatis legitimæ, competentis scientiæ, de legitimo matrimonio procreatum, in Sacerdotio constitutum, vita castum, moribus ornatum, pacificum, & quietum, valentem, & scientem jura ipsius Ecclesiæ in Domino salubriter gubernare, in ipsum consentio, tam nomine meo, quàm nomine supradicto eligendum in Archipresbyterum Ecclesiæ supradictæ.) Deinde Presbyter N. & scrutatoribus supradictis publicavit in hunc modum: (Ego Presbyter N. Canonicus dictæ Ecclesiæ S.N. vacantis, constitutus per Canonicos dictæ Ecclesiæ ad honorem Dei, &c. pronuntio, &c. in Archipresbyterum, &c. Presbyterum R. &c.) *ut suprà*. Ita quòd facta, & habita collatione, videlicet zeli ad zelum, meriti ad meritum, & numeri ad numerum, numerus pro parte Presbyteri H. fuit repertus major, & de zelo, & meritò dicebant illi, qui elegerunt Presbyterum R. quod erat melius, & magis idoneum, illi verò qui elegerunt Presbyterium H. dicebant, quòd zelum, & meritum eorum prævalebat, & erat melius, & magis idoneum, & sic Presbyter I. Presbyter P. Presbyter N. & Presbyter L. pro parte Presbyteri H. & Presbyter N. Presbyter A. Presbyter G. pro parte Presbyteri R. *Te Deum laudamus* solido more cantaverunt, & apertis januis supradictæ Ecclesiæ electio publica sic facta, fuit publicata. Unde ad futuram memoriam, & dictorum electorum, seu illius, qui majus habet jus in ea, & cautelam de præmissis facta sunt duo publica instrumenta, cujus tenoris scripta per manus prædicti Notarii, signo meo consveto signata, sed præsens supradicto H. & reliquum supradicto R. nostrum, qui supradictorum Judicis, & testium subscriptionibus roboratum.

Transitus de una Religione ad aliam,
Formula CLXXXVII.

In nomine Domini, Amen, &c. Dominus Frater N. Ordinis Fratrum Prædicatorum S. Dominici, constiturus coram Domini N. Dei gratia Abbate Monasterii N. Civitatis N. Ordinis N dixit, & exposui eidem D. Abbati, quod libente animo intraret Religionem dicti Ordinis N. ex devotione, quam habet Beato N. Fundatori dicti Ordinis, & ipsi Ordini, & proptereà petiit ab ipso Domino Abbate, si ipse velit ipsum recipere in Ordine prædicto, & eidem consignare habitum dicti Ordinis; obtulit se dedicare, & personam suam Ordini prædicto recepto habitu Ordinis prædicti, & alia dicere, & facere, tam in divinis, quàm aliter; ad quæ tenetur vigore constitutionis Ordinis prædicti, & ut faciunt alii professi dictæ Ecclesiæ, & Ordinis, qui Dominus Abbas visa, & audita requisitione sibi, *ut suprà*, facta per dictum Dominum Fratrem N. viso quoque brevi Apostolico sibi directo ad præmissa expedienda, cujus quidem tenor sequitur, *ut infrà*. Et visis videndis, sponte, & ex certa scientia, & aliàs omnibus jure, via, modo, & forma, quibus melius potuit, & potest, & fieri, & esse possit, intervenientibus quibuscumque solemnitatibus tam juris, quàm facti, etiam substantialibus de jure, vel consuetudine in præmissis opportunis eidem Fratri N. præsenti, & humiliter flexis genibus requirenti, & acceptanti, attenta ejus bona vita, & conditione, habitum dicti Ordinis N. exhibuit, & contulit, ita quod de cætero sit, & censeatur de, & sub Ordine N. prædicto, & habeatur, & tractetur tanquam Frater, & de Ordine N. imponendo eidem Fratri N. habitum Ordinis prædicti, ac ipsum cingendo cingulo castitatis, & Ordinis prædicti, & alia dicendo, & faciendo, quæ in similibus fieri consueverunt, & requiruntur in exhibitione, & traditione habitus prædicti, qui Dominus Frater N. recepto habitu prædicto sponte, &c. omnibus jure, via, modo, & forma, quibus meliùs & efficaciùs fieri, & esse possit, intervenientibus quibuscumque solemnitatibus, etiam substantialibus, & ut suprà, dedicavit se, & personam suam, ac submisit Regulæ, & Ordini N. prædicto, & in manibus ipsius Domini Abbatis præsentis, & acceptantis fecit debitam professionem in Ordine, & Regula N. prædictis, promittens, & promisit stabilitatem, morum conversionem, & obedientiam, ac castitatem secundùm statuta, & consuetudines, ac Regulas Ordinis prædicti, & canonicas sanctiones, & alia dixit, & fecit, ad quæ tenetur vigore constitutionis Ordinis prædicti, & ita manibus corporaliter tactis Scripturis juravit in manibus præfati Domini Abbatis ad sancta Dei Evangelia, ac eidem stipulanti, & recipienti nomine, & vice dicti Ordinis promisit, & convenit prædicta omnia, & singula suprascripta attendere, & observare, & in nullo contravenire, vel contrafacere, ita eum Deus adjuvet, ejusque sancta Evan-

Evangelia. Et insuper ipse Dominus Abbas attenta conditione, & bona vita ipsius Fratris N. concessit, & concedit eidem Fratri N. præsenti, & acceptanti, quatenus de cætero possit, & valeat, quæcumque beneficia curata, & non curata impetrare, & impetrata acceptare, & retinere, & in ipsis stare, & habitare tutè, & liberè, & impunè, & hæc, non obstantibus, quæ in dicto brevi continentur, & aliis quibuscumque contrariis. Et de prædictis dictæ partes rogaverunt me Notarium, ut inde publicum conficiam instrumentum.

Electionis Canonicatus facta per Capitulum Ecclesiæ Collegiatæ,

Formula CLXXXVIII.

In nomine Domini, Amen, &c. Vacantibus Canonicatu & Præbenda, quos cùm viveret obtinebat quondam Dominus N. olim Canonicus infrascriptæ Ecclesiæ qui diem suum clausit extremum, Capitulo Ecclesiæ S.N.N. diœc. de antiqua, & approbata consuetudine spectat, & pertinet jus eligendi Canonicos dictæ Ecclesiæ pro tempore eligendos, convocato, & congregato infrascripta occasione in loco suprascripto, in quo convocari, & congregari consuevit pro negotiis dictæ Ecclesiæ, de mandato venerabilis D.N. Præpositi dictæ Ecclesiæ, in quo quidem Capitulo interfuerunt ipse Dominus Præpositus, necnon Domini A.L. P. & M. omnes Canonici dictæ Ecclesiæ, dicentes, & protestantes, quod sunt, & repræsentant majorem, & saniorem partem dicti Capituli, & quod non est alius Canonicus dictæ Ecclesiæ, qui ad infrascripta possit, vel debeat commodè evocari, citatis tamen priùs aliis Canonicis dictæ Ecclesiæ per N. ostiarium dictæ Ecclesiæ, prout ibidem retulit ipse N. ostiarius prædictus seipsos Dominos Canonicos citasse, attendentes, & considerantes, quod longa vacatio beneficiorum solet Ecclesiis esse nociva, confisi de integritate, & sufficientia, ac bona, & approbata vita venerabilis Domini N. cujus fidem approbatam tamdiu cognoverunt, & cognoscunt, qui si eligatur in Canonicum dictæ Ecclesiæ, erit utilis, & fructuosus eidem, invocata sancti Spiritus gratia, & ipsius Beati N. nomine, & suffragio imploratis sponte, & ex certa scientia, & animo deliberato, omnibus jure, via, &c. & esse possit, intervenientibus quibuscumque solemnitatibus, tam juris, quàm facti, etiam substantialibus in similibus opportunis de jure, vel consuetudine ipsum Dominum N. præsentem, & acceptantem elegerunt, & eligunt unanimiter, & pari concordia, & voluntate in Canonicum, & fratrem dictæ Ecclesiæ ad Canonicatum, & Præbendam, ut suprà præmittitur, vacantes, osculo pacis interveniente, ac eidem de dictis Canonicatu, & Præbenda providerunt, & provident, ipsumque Dominum N. ibi præsentem, & flexis genibus coram ipsis Dominis Præposito, & Canonicis, & Capitulo constitutum, & humiliter requirentem, & acceptantem investiverunt, & investiunt, per bireti capiti suo impositionem de dictis Canonicatu & Præbenda, juribusque, & pertinentiis suis spiritualibus, & temporalibus. Et insuper præfatus Dominus Præpositus de mandato, & nomine etiam aliorum Canonicorum, & Capituli prædicti, introducens ipsum Dominum N. Canonicum prædictum in dictam Ecclesiam, ipsum posuit, & induxit in tenuta, & corporali possessione Canonicatus, & Præbendæ prædictorum, juriumque, & pertinentiarum suarum prædictarum per pannos, & cornu Altaris magni dictæ Ecclesiæ funes, campanarum, & vectes ostiorum Ecclesiæ prædictæ: assignando eidem stallum in Choro: & exinde locum in Capitulo, & alia dicendo, & faciendo, quæ in similibus tenutis fieri consueverunt, & requiruntur in signum veræ tenutæ, & corporalis possessionis datæ, & apprehensæ de prædictis. Et ibidem post prædicta prædictus Dominus N. Canonicus prædictus constitutus coram prædictis Dominis Præposito, Canonicis, & Capitulo, delato priùs eidem juramento per præfatum Dominum Præpositum, & ab eo manibus corporaliter tactis scripturis præstito, juravit ad sancta Dei Evangelia in manibus præfati Domini Præpositi, quod observabit statuta, & laudabiles consuetudines, & constitutiones dictæ Ecclesiæ; & alia dicet, & faciet ad quæ tenetur de jure, & vigore dictorum statutorum, & bona, & redditus Canonicatus, & Præbendæ prædictorum conservabit, & augebit pro posse, ipsaque bona Canonicatus, & Præbendæ prædictorum non alienabit citra juris dispositionem; ita eum Deus adjuvet, ejusque sancta Evangelia. Et de prædictis prædicti Domini Præpositus, Canonici, & Capitulum, & ipse Dominus N. &c.

Pensionis translationis,

Formula CLXXXIX.

Coram R.P.D.A. Archipresbytero S. tanquam persona in dignitate Ecclesiastica constituta, ac in mei Notarii publici, & testium, &c. præsentia, personaliter constitutus Illustrissimus, & Reverendissimus D.G. cui dudum auctoritate Apostolica annua pensio scut. 250. auri in auro super fructibus, &c. mensæ Episcopalis P. nuper in Cathedralem electæ, quam obtinet dicta auctoritate R.D.S. libera, immunis, & exempta ipsi Illustrissimo D.G. quoad vixerit, vel procuratori suo legitimo, per dictum S. electum, & successores suos ipsius Ecclesiæ Præsules, seu administratores pro tempore existentium annis singulis, pro una, videlicet in Domini nostri Jesu Christi, & proximè tunc futura incipien. & altera illius medietatibus in Beati Joannis nativitatis festivitatibus, Romæ integrè persolvenda, reservata, &c. extitit cum facultate transferendi: prout latiùs in liter. Apostolicis desuper expeditis, sub Datum, &c. quas dicto R.P.D.A. in mei, &c. præsentia, realiter, & facto exhibuit, & præsentavit ad effectum infrascriptum, animo rehabendi illis priùs visis, lectis, & consideratis per eundem, quarum tenor sequitur, & est talis, videlicet: (Pius Episcopus, &c.) *inserantur, & cum consensu à tergo.* Volens, ut asseruit, uti dicta facultate transferendi sponte, &c. ad effectum, ut eadem pensio, scilicet 250. auri in auro, juxta concessam sibi facultatem, validè transferatur in favorem & personam veri, & bonæ indolis adolescentis, D.N. & non aliàs, aliter, nec alio modo, consensit in manibus dicti R.D. Archiepiscopi S. cassationi, & extinctioni dictæ pensionis, rogans eundem, ut juxta formam, & tenorem literarum, & facultatis præfatæ illam cessat, & alteram similem pensionem, scilicet 250. auri dicto N. reservet, constituat, & assignet. Et tunc præfatus Reverendissimus D. Archiepiscopus, ut persona Ecclesiastica electa per dictum Reverendissimum D.G. in negotio hujusmodi visis, lectis, & benè consideratis priùs per eundem dictis literis, ut apparebat, & consensu dicti G. omni meliori modo, quo magis potuit, & debuit dictarum literarum, & consensus vigore admisso priùs per eum, & recepto dicto consensu, prout recepit, & admitti de præsenti pensionem præfatam cassavit, & extinxit, ac cassat, & extinguit per præsentes, ita quod dictus R.D.S. ad illam solvendam dicto G. ampliùs, & posthac non teneatur, neque non ob solutionem aliquam censuras, & pœnas de cætero incurrere decrevit, & declaravit, & successivè alteram, scilicet, &c. auri cassatam & extinctam præfatæ similem dicto N. licet absenti me Notario uti persona legitima pro eo stipulante, & recipiente per præfatum S. electum donec vixerit, & successores suos in dicta Ecclesia præsules annis singulis in terminis, & loco, & sub sententiis, censuris, & pœnis in literis Apostolicis reservationis præfatæ, ut præfertur, cassata contentis integrè persolven. auctoritate Apostolica præfata, vigore literarum præfatarum sibi attributa reservavit, constituit, ac assignavit, etiam liberam, immunem, & exemptam, prout erat dicta prior

cassata,

cassata, ut suprà, omnibus melioribus modo, &c. & debuit vigore facultatis præfatæ, super quibus, &c.

Ex *Formulario* Salustii Tiberii, *lib.* 3 *pag* 348.

Rerum deperditarum monitorii ad finem revelationis earum,

Formula CXC.

N. Abbas, &c. Universis, & singulis Abbatibus, Prioribus, Plebanis, Rectoribus, Vicariis perpetuis, Capellanis, Clericis, & Officialibus quarumcumque Ecclesiarum per Civitatem & diœcesim N. salutem, & mandatorum nostrorum obedientiam. Expositum nobis nuper est per N. loci N. quòd nonnulli iniquitatis filii, quos prorsus ignorat, census, terras, domos, possessiones, bona mobilia, & immobilia, scripturas publicas, & privatas, fidem tamen facientes, ac jura, necnon pecuniarum summas, auri, & argenti quantitates, jocalia, domusque supellectilia magni momenti, ad prædictum exponentem, seu alios legitimè spectantia subtraxerunt, ac temerè occuparunt, eaque malitiosè occupasse, & occultè, ac indebitè detinere præsumpserunt, & præsumunt; ex quo exponenti gravia damna valorem quinquaginta scutorum excedentia, nequiter intulerunt in animarum suarum periculum, & prædicti exponentis non modicum detrimentum; super quibus petitum fuit per nos de Ecclesiastico remedio provideri. Quapropter vobis omnibus, & singulis supradictis, ac vestrum cuilibet in virtute sanctæ obedientiæ damus in mandatis, quatenus ad omnem instantiam supradicti exponentis in vestris Ecclesiis coram populo in eis ad divina audienda, seu aliàs legitimè congregato, ipsum populum, ac omnes bonorum, & rerum hujusmodi detentores, ac illorum celatores, ac aliàs scientiam habentes, ac damnorum illatores occultos ex parte nostra publicè moneatis, & requiratis, ut infrà terminum quindecim dierum à die primæ monitionis nostræ hujusmodi incipiendorum, quorum quinque pro primo, quinque pro secundo, & reliquos quinque dies pro tertio, ultimo, & peremptorio termino, ac monitione Canonica assignamus, & vos assignetis eisdem, dicto exponenti supradicta indebitè occupata, & detenta restituant; occultatores verò, & illa scientes revelent: & si id infrà dictum tempus non adimpleverint, ex nunc contra eos generalem excommunicationis sententiam in forma Ecclesiæ consueta proferatis. In quorum fidem, &c. Datum, &c.

Ex Barbos. *Formular. Form* 98.

Abbatissæ electionis factæ per Capitulum Monasterii,

Formula CXCI.

In Dei nomine, Amen, &c. Convocato, & congregato Capitulo Monasterii N. Ordinis S. Benedicti, pro infrascripta peragenda electione, in loco infrascripto, ubi pro negotiis dicti Monasterii; in quo quidem Capitulo interfuerunt ipsa D. Catharina, necnon D. F. G. D. omnes Moniales professæ dicti Monasterii; asserentes se esse majorem, & saniorem partem dicti Capituli, & quod in dicto Monasterio non extat alia Monialis, quæ ad infrascripta possit, vel debeat commodè evocati: prædicta Ven. Priorissa dixit, & exposuit eisdem DD. Monialibus, Capitulariter congregatis; quodque N. olim immediatè, Dei gratia, Abbatissa dicti Monasterii, prout Deo placuit, vita occubuit, prout eis notum est; & quia non expedit, ipsum Monasterium Abbatissæ regimine destitutum remanere, ne defectu pastoris, Dominicum gregem lupus rapax invadat; aut in dura Ecclesia aliquod patiatur detrimentum, instituit igitur dicta D. Priorissa, ibidemque in dicto Capitulo cum præfatis DD. Monialibus, ut ad electionem novæ Abbatissæ deveniret, & eidem Monasterio de idonea, & utili persona, per quam circumspectè regi, & salubriter dirigi valeant, providerent, & dixit, & exposuit D. Ioanna, &c. Monialis dicti Monasterii, quæ hactenus se legaliter, & honestissimè gessit in dicto Monasterio, & cujus vita, moresque probatissimi nott sunt ipsis omnibus Monialibus, & Capitulo, sibi videtur quod si eligatur in Abbatissam dicti Monasterii erit utilis dicto Monasterio, ac habilis, & idonea illius regimini, attenta ejus laudabili vita, & moribus, ac sufficientia, & integritate ipsius, morumque spiritualium experientia, & providentia, & temporalium circumspecta, & propterea cùm instantia petiit ab ipsis DD. Monialibus & Capitulo, quatenus in præmissis votum suum expliceare velint, & eis placeat, ad electionem dictæ Dominæ Ioannæ devenire: vel aliam quam aptiorem cognoverint, ad regimen dicti Monasterii. Quæ Moniales, auditis Præpositis per dictam Priorissam responderunt, & dixerunt, quod post decessum dictæ olim Abbatissæ pluries super tractarunt, & colloquium insimul habuerunt de, & super præmissis; & habito diligenti tractatu arbitratæ sunt, & arbitrantur, quod dicta Domina Ioanna accedentibus ei virtutibus, & benemeritis erit sufficiens & idonea ad regimen dicti Monasterii, & personarum ipsarum Monialium, & propterea ad evitandas quascumque rixas, seu præjudicia, quæ fortè suboriri possent ex diuturna vacatione dicti Abbatissatus, decreverunt ad electionem novæ Abbatissæ devenire: unde ibidem prædictæ DD. Priorissa & Moniales capitulariter, ut suprà, congregatæ præcedentibus inter eas pluribus tractatis, habitoque nunc diligenti scrutinio, accedente sancti Spiritus gratia ipsius, & gloriosæ Virg. Mariæ, ac B. N. sub cujus vocabulo dictum Monasterium fundatum est, nominibus, & suffragio invocavit, unanimiter, & concorditer; ac viva voce, sponte, &c. omnibus meliori modo, &c. intervenientibus quibuscumque solemnitatibus, etiam substantialibus, tam juris, quam facti in similibus opportunis, & tam de jure, quàm de consuetudine requisitis solemniter, & legitimè elegerunt, & eligunt dictam D. Ioannam Monialem in Abbatissam dicti Monasterii ibidem præsentem, & humiliter, ac devotè electionem ipsam acceptantem, & suscipientem, quo facto præfata D. Priorissa, cum eis *Te Deum laudamus* more solito cum cordis jubilo decantando, & pulsatione campanarum accedente, dictam D. Ioannem Abbatissam introduxit in Ecclesiam dicti Monasterii, & ipsam posuit, & induxit in tenuta, & possessione, seu quasi dicti Abbatissatus, per pannos, & cornu Altaris dictæ Ecclesiæ, & funes campanæ ejusdem, assignando stallum, seu solitam sedem in Choro, & locum in Capitulo dicti Monasterii, & alia dicendo, & faciendo, quæ in similibus fieri consueverunt, & requiruntur in signum veræ tenutæ, & corporalis possessionis dicti Abbatissatus, juriumque, & pertinentiarum suarum, spiritualium, & temporalium, & de prædictis præfata Domina Abbatissa, & ipsæ Moniales rogaverunt me Notarium, ut inde publicum conficiam instrumentum. Actum, &c. præsentibus N. & N. testibus, &c.

Habetur ex *Formul.* Salust. Tiber. *lib.* 2. *pag. mihi* 167.

Iuramenti præstandi fidelitatis in electione Abbatissæ,

Formula CXCII.

Ego N. Monasterii N. ordinanda Abbatissa, promitto coram Deo, & Sanctis ejus, & hac solemni Sororum congregatione, fidelitatem, dignamque subjectionem, obedientiam, & reverentiam matri meæ Ecclesiæ, tibique N. Domino meo ejusdem Ecclesiæ Patriarchæ, vel Archiepiscopo, aut Episcopo, seu Prælato, & successoribus tuis secundùm sacrorum Canonum instituta, & prout præcipit inviolabilis auctoritas Pontificum Romanorum; sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia.

Ex *Pontif. Rom. pag.* 121.

Iura-

Iuramenti præstandi ab Abbate auctoritate Apostolica benedicto,

Formula CXCIII.

Ego N. electus Monasterii N. Ordinis N. diœcesis N. ab hac hora in antea fidelis & obediens ero B. Petro Apostolo, sanctæque Romanæ Ecclesiæ, & Domino nostro Domino N. Papæ N. suisque successoribus canonicè intrantibus. Non ero in consilio, aut consensu, vel facto, ut vitam perdant, aut membrum, seu capiantur mala captione, aut in eos violenter manus quomodolibet ingerantur, vel injuriæ aliquæ inferantur, quovis quæsito colore; consilium verò quod mihi credituri sunt per se, aut nuncios suos, seu literas, ad eorum damnum me sciente nemini pandam. Papatum Romanum, & regalia S. Petri adjutor eis ero, ad retinendum, & defendendum salva meo ordine contra omnem hominem. Legatum Apostolicæ Sedis in eundo, & redeundo honorificè tractabo, & in suis necessitatibus adjuvabo. Jura, honores, privilegia, & auctoritatem S. Romanæ Ecclesiæ Domini nostri Papæ, & successorum prædictorum conservare, defendere, augere, & promovere curabo. Neque ero in consilio, vel facto, seu tractatu, in quibus contra ipsum Dominum nostrum, vel eandem Romanam Ecclesiam aliqua sinistra, vel præjudicialia, personarum, juris, honoris, status, & potestatis, eorum machinentur, & si talia, à quibuscunque tractari, vel procurari novero, impediam hoc pro posse, & quantò citiùs potero significabo eidem Domino nostro, vel alteri per quem possit ad ipsius notitiam pervenire. Regulas Sanctorum Patrum, decreta, ordinationes, seu dispositiones, reservationes, provisiones, & mandata Apostolica totis viribus observabo, & faciam ab aliis observari. Hæreticos, schismaticos, & rebelles eidem Domino nostro, vel subcessoribus prædictis pro posse persequar, & impugnabo. Vocatus ad Synodum veniam, nisi præpeditus fuero Canonica præpeditione. Possessiones verò ad Monasterium meum pertinentes non vendam, nec donabo, neque impignorabo, nec de novo infeudabo, vel aliquo modo alienabo, etiam cum consensu Conventus Monasterii mei inconsulto Romano Pontifice, & si ad aliquam alienationem devenero, pœnas in quadam super hoc edita Constitutione contentas eo ipso incurrere volo. Sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia.

Ex Pontif. Roman. *pag* 94.

Iuramenti præstandi ab Abbate auctoritate Ordinarii benedicti,

Formula CXCIV.

Ego N. Monasterii N. ordinandus Abbas promitto coram Deo, & Sanctis ejus, & hac solemni Fratrum congregatione fidelitatem, dignamque subjectionem, obedientiam, & reverentiam matri meæ Ecclesiæ, tibique N. Domino meo ejusdem Ecclesiæ Patriarchæ, vel Archiepiscopo, aut Episcopo, & successoribus tuis secundùm sacrorum Canonum instituta & prout præcipit inviolabilis auctoritas Pontificum Romanorum. Sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia.

Refertur in Pontif. Roman. *pag.* 120.

Lapidis primi impositionis in fundamento Ecclesiæ,

Formula CXCV.

In Dei nomine, Amen. N. Abbas, &c. existens in quodam pretio terræ Domini N. posita, &c. in quo dictus N. intendit ædificari facere de novo Ecclesiam, seu Oratorium, vel Hospitale, *prout fuerit*, &c. sub vocabulo S. N. & unum Altare erigi in dicta Ecclesia astante fidelium copiosa multitudine Pontificalibus vestibus indutus, cum aspersione aquæ benedictæ, & incenso, intervenientibus quibuscumque solemnitatibus, & ritibus opportunis, & ipsis observatis, Christi nomine invocato, ad honorem Dei, & B. M. Virginis, in nomine S. Salvatoris Curiam finxit, & primum lapidem in fundamento ipsius Ecclesiæ, & Altaris prædicti posuit, in cujus rei testimonium dictus N. Abbas mandavit mihi Notario, & dictus N. rogavit me Notarium, ut de prædictis conficerem instrumentum, præsentibus ibidem discretis viris Dominis N. & N. & testibus, &c.

Ex Formul. Salust. Tiber. *lib.* 3. *pag. mihi* 166.

Consecrationis Altaris,

Form. CXCVI.

In Dei nomine, Amen. Abbas N. &c. existens in Ecclesia S. N. &c. Pontificalibus vestibus indutus attendens, & considerans quòd non locus hominem, sed homo locum bonis operibus sanctificare consuevit, instante etiam, & requirente Domino N. ad laudem, gloriam, & honorem summi, & omnipotentis Dei, B. & gloriosæ Virg. Mariæ, & S. N. sub cujus vocabulo fundatum est Altare N. & eorum suffragio misericorditer implorato, omnibus melioribus modo, &c. intervenientibus quibuscumque solemnitatibus tam juris, quàm facti, etiam substantialibus in similibus opportunis de jure, & consuetudine, cum aspersione aquæ benedictæ, & incensu, &c. dictum Altare, &c. consecrandum, dedicandum, duxit, ac illud consecravit, & dedicavit, servans in his debitis solemnitatibus, & ritibus, juxta constitutiones & formam sanctæ matris Ecclesiæ; in cujus rei testimonium prædictus Abbas mandavit mihi Notario, &c.

Ordinum Minorum susceptorum attestationis,

Formula CXCVII.

Nos N. Abbas N. Universis præsentes inspecturis gratiam à Deo, qui est vera salus, precamur, & attestamur, quòd Pontificali habitu induti inter Missarum solemnia D. N. nostrum Monachum professum nullo è Canonicis impedimento irretitum sufficienti literatura ditatum, ante nos procumbentem, & ad id nos humiliter deprecantem, die N. ante *Kyrie eleison*, Ostiariatus Ordine die N. Lectoratus Ordine, die N. Exorcistatus, die N. Acolytatus Ordine rite initiavimus præsentibus universis Monasterii Monachis, testibus autem N. & N. In quorum, &c.

Primæ Tonsuræ susceptæ attestationis,

Formula CXCVIII.

Nos N. Abbas N. &c. Universis, & singulis has nostras patentes literas inspecturis, fidem facimus, & testimonium indubitatum perhibemus qualiter Dominum N. nostrum Monachum professum scientiarum studiis incumbentem coram nobis decenti ritu constitutum, anno N. mense N. die N. ad primam Tonsuram, servatis de more servandis juxta normam S. R. E. promovimus. In quorum fidem, &c. Datum, &c.

Presbyteratus Ordinem suscepturi vigore dispensationis Apostolicæ literarum commendatitiarum,

Formula CXCIX.

Nos N. Abbas N. &c. Altaris ministerium ritè pro viribus implendum, postulat, ut per nos, quos cura in Ecclesiis nostris tangit, idonei provideantur ministri. Quapropter ad D. N. legitimo connubio natum, Congregationis nostræ Monachum professum, Monasterio nostro adscriptum, sacro confirmatum Chrismate, prima Tonsura, quatuor Minoribus, ac sacris Subdiaconatus, & Diaconatus Ordinibus initiatum, in ipsis exercitatum, literis sufficienter imbutum, iisque in dies operam navantem, bonis ornatum moribus, ac nullo è sacrorum

Canonum impedimentis irretitum repererimus, obtenta, & attenta Apostolica dispensatione, ut in speciali-bus literis sanctiss. D. N. N. divina providentia Papæ N. habetur; mittimus illud in N. ætatis suæ anno constitutum ad Illustrissimum, & Rever. D. meum N. ut aliàs idoneum repertum ad sacrum Presbyteratus Ordinem super interstitiis, quoad opus fuit dispensatione, uobis obnixè postulantibus ob Ecclesiæ necessitatem, impensa promovere dignetur. Datum, &c.

Monialium confessiones audiendi, earumque cura assistendi in absentia, sive alio impedimento Confessarii ordinarii literarum Commendatitiarum,

Formula CC.

Nos N. Abbas N. &c. Tibi dilecto nobis in Christo Fratri D. N. Monacho nostro professo Sacerdoti; in eo, qui est vera salus, benedictionem, &c. Animarum nobis commissarum curam oblivisci non possumus, ideò cùm ad nos pervenerit Reverendum Patrem D. N. Monialium S. N. Civitate N. nobis subjectarum Gubernatorem *brevi longè absuturum, sive alio tali impedimento* detentum; te cujus nobis sufficiens literatura, morum integritas, ac vita spectabilis satis nota, in ejusdem Patris N. locum, quousque *de reditu, sive de, &c.* constet sufficimus. Facultatem concedentes confessiones Monialium audiendi, sed priùs ab Illustrissimo & Rever. D. meo N. Episcopo N. petita, & obtenta approbatione; Item ab omnibus casibus, & excommunicationibus absolvendi (sicut nos possumus) intra septa Monasterii in casibus licitis ingrediendi, & licentiam impertiendi aliis, & ea omnia, quæ Gubernatoris, sive Prioris munus decent, quoad spiritualia, & temporalia faciendi omni meliori modo, &c. Datum, &c.

Prædicationis facultatis ab Abbate Commendatario concedendæ,

Formula CCI.

N. Monasterii SS. Vincentii, & Anastasii ad aquas Salvias Abbas Referr. Cùm nostræ sint partes, Religiosos viros eligere, qui nostræ jurisdictionis populis vice nostra sacrosanctum Jesu Christi Evangelium prædicent, vitia evellant, Christianas virtutes plantent, ac puri sermonis salutem annuntient: Hinc est, quòd te R. Patrem D. N. Monachum N. in sacra Theologia Lectorem, de cujus scientia, & probitate confidimus, tenore præsentium, & nostri muneris auctoritate in futura sanctissimæ Resurrectionis Quadragesima sequentis anni N. ad huc munus implendum in terram N. nobis ratione prædicti Monasterii in spiritualibus, & temporalibus subjectam, mittimus, & destinamus, cum facultate etiam confessiones utriusque sexus audiendi, & eis beneficium absolutionis impertiendi, usque ad octavam Paschatis inclusivè: Mandantesque propterea tam populo, quàm Clero dictæ Terræ, ut in virtute sanctæ obedientiæ, te benignè recipiant, honorificè tractent, ac necessaria administrent, eorum impensis, qui eas facere tenentur, vel solent, ac de solitis eleemosynis tibi respondeant; juxta Sacr. Conc. Trident. præscriptum. Volumus autem, quòd antequàm ad prædictum munus exercendum te conferas, Vicario nostro Generali in Terra S. Ædisti residenti, te præsentem, atque has ipsas nostras patentes literas exhibeas. In quorum fidem, &c. Datum, &c.



FORMULARIUM LITERARUM, PROCESSUUM, SENTENTIARUM, Aliorumque Actuum pro Abbatibus, & Prælatis hæreticæ pravitatis Inquisitoribus.

24 Formula

24 *Formula requirendi divisim vel conjunctim diœcesanum, vel Inquisitorem, ad quorum jurisdictionem fugiendo, vel non fugiendo delatus de hæresi se transtulit; quatenus eum remittant Inquisitori, à quo fugit, vel in cujus jurisdictione deliquit.*

25 *Formula citandi aliquem fugitivum, quatenus intra certum terminum compareat coram Inquisitore, de fide Catholica responsurus: & excommunicandi eum nisi compareat infra terminum assignatum.*

26 *Formula citandi aliquem fugitivum, qui debuerat abjurare, quatenus veniat intra certum terminum, ad faciendam abjurationem prædictam; & excommunicandi eum, nisi faciat ut mandatur.*

27 *Formula denuntiandi excommunicatum, qui citatus responsurus de fide, vel abjurationem facere, noluit comparere.*

28 *Formula absolvendi delatum de hæretica pravitate, cùm nihil probatur legitimè contra eum.*

29 *Formula purgationem canonicam diffamato indicendi.*

30 *Formula purgationis canonicæ de diffamato de hæresi faciendæ.*

31 *Formula sententiæ interlocutoriæ ad supponendum aliquem quæstionibus, & tormentis.*

32 *Formula abjurandi hæresim quando delatus est suspectus leviter.*

33 *Formula ferendi sententiam, seu injungendi pœnitentiam ei, qui abjuravit, ut suspectus leviter.*

34 *Formula abjurandi hæresim, quando delatus est suspectus vehementer.*

35 *Formula sententiandi eum, qui abjuravit, ut suspectus vehementer.*

36 *Formula absolvendi ab excommunicatione.*

37 *Formula ferendi sententiam, sive injungendi pœnitentiam ei, qui fuit habitus suspectus de hæresi violenter.*

38 *Formula purgationis canonicæ à diffamato de hæresi faciendæ.*

39 *Formula hæresim abjurandi per illum, qui est de hæresi diffamatus, & suspectus aliàs de eadem.*

40 *Formula ferendi sententiam, vel injungendi pœnitentiam diffamato de hæresi, & suspecto aliàs de eadem.*

41 *Formula cedulæ legendæ in publico crimina illius continentis, qui habet hæresim abjurare.*

42 *Formula omnem hæresim abjurandi per illum, qui propria confessione est in hæresi deprehensus, & pœnitet, & aliàs non est relapsus.*

43 *Formula sententiæ contra eum, qui abjuravit ut hæreticus pœnitens.*

44 *Formula ferendi sententiam contra eum, qui in hæresim est relapsus, sed pœnitens, & ut relapsus tradatur curiæ sæculari.*

45 *Formula tradendi hæreticum pertinacem, aliàs non relapsum, curiæ sæculari.*

46 *Formula relinquendi, seu tradendi hæreticum impœnitentem, & relapsum brachio sæculari.*

47 *Formula puniendi, ac condemnandi falsos testes, vel falsò, seu malitiosè imponentes innocenti crimen hæreticæ pravitatis.*

48 *Formula tradendi seu relinquendi brachio sæculari eum, qui convictus est de hæresi per testes legitimos, & stat pertinaciter in negativa, licet fidem Catholicam profiteatur.*

49 *Formula citandi convictum de hæresi absentem, vel fugitivum contumacem, ad sententiam.*

50 *Formula degradandi verbaliter absentem condemnandum ut impœnitentem.*

51 *Formula ferendi sententiam contra absentem vel fugitivum declarandum hæreticum impœnitentem.*

52 *Formula sententiæ, qua domus, in quibus hæretici reperti sunt, aut conventicula celebrarunt, dirui jubentur.*

Literarum Domini temporalis, quas debet impetrare Inquisitor noviter institutus,

Formula I.

DEI gratia Rex N. regni, dilectis, & fidelibus universis, & singulis Officialibus nostris, & eorum loca tenentibus ubilibet infra dominium nostrum constitutis, & constituendis, ad quos præsentes pervenerint, salutem & dilectionem.

Cùm Religiosus, dilectusque noster N. Inquisitor hæreticæ pravitatis in regnis & terris nostro dominio subjectis à sancta Sede Apostolica specialiter delegatus pro Dei servitio, & cultu, seu exaltatione sanctæ fidei orthodoxæ, utque ipsum hæresis detestabile crimen à dictis partibus, quibus præsidemus, (si forsan alicubi vigeat, sive inoleat) valeat extirpare, ad loca, seu ad partes nostræ jurisdictioni subjectas, & vobis commissas declinare quandoque habeat, seu etiam proficisci: Nosque velut Princeps Catholicus, qui de manu Altissimi multa bona, variosque honores recognoscimus recepisse, in prædictis, & aliis quæ divinum concernunt obsequium, ipsi Deo conditori omnium placere (ut convenit) plurimum cupientes, intendamus, imò & velimus omnino favorabilem dare locum, ipsumque Inquisitorem tanquam specialem Dei ministrum nostri prosequi gratiis & favoribus opportunis: ideò vobis & unicuique vestrum dicimus, & expressè præcipiendo mandamus, sub pœna nostræ gratiæ, & mercedis, quatenus quotiescumque dictum N. Inquisitorem pro exercendo dictum officium, ad dicta loca, seu partes vobis commissas contigerit se transferre, & pro, vel super præmissis sæculare brachium invocando, vestrum auxilium postulare; eundem N. Inquisitorem favorabiliter admittatis; capiendo, seu capi faciendo quoscumque dictus Inquisitor de memorato facinore suspectos, diffamatos noverit, seu etiam hæreticos quoscumque vobis duxerit nominandos, & captos etiam detinendo, & infrà jurisdictionem vestram ad locum, de quo dictus Inquisitor vobis dixerit, deducendo; necnon pœna debita plectendo eosdem, sicut ipse decreverit, & est fieri consuetum: si videlicet quando, & quoties, & prout Inquisitor vos duxerit requirendos. Ut autem Inquisitor præfatus suum Inquisitionis officium securiùs, & liberiùs exercere valeat, nostro fulcitus præsidio & favore, Inquisitorem eundem, & ejus Notarium, familiam, res & bona eorum sub nostro speciali guidatico, custodia, & commenda ex nostra regali clementia benignè recipiatis cum præsenti: Mandantes vobis (ut suprà) quod guidaticum, seu protectionem nostram hujusmodi dicto Inquisitori, Notario, ac familiæ, & rebus eorum inviolabiliter observando, nullam injuriam, nullumque dispendium, gravamen, aut damnum aliquod eis inferri in personis, aut bonis à quoquam permittatis, quinimmo provideatis eisdem de securo conductu, & transitu, si & prout per jam dictum Inquisitorem inde fueritis requisiti. Datum, &c. sub nostro sigillo inpendenti, die.... mense...... anno.....

Literarum vocandi Officiales temporales, ut compareant coram Inquisitore,

Formula II.

N. Inquisitor hæreticæ pravitatis in terris N. Domini N. à sancta Sede Apostolica delegatus, venerabilibus & dilectis in Civitate N. Vicario, Ballivo, ac Consulibus, salutem, & mandatis nostris, imò veriùs Apostolicis, prompto animo obedire.

Cùm propter Inquiſitionis hæreticorum nobis injunctum officium, & etiam propter veſtrum, habeamus ſuper negotus fidei unà vobiſcum aliqua petractare: idcircò auctoritate Domini noſtri Papæ N. qua fungimur in hac parte, & injuncti nobis officii, vos, & quemlibet veſtrum rogamus, & requirimus per præſentes (quamvis poſſimus præcipere, & mandare) ſed de promptitudine zeli veſtri in causâ maximè fidei minimè dubitantes; quatenus omnibus negotiis prætermiſſis, die..... quæ computabitur.....dies, menſis ..... & hora .... ad.....locum, domus N. certa ratione ad nos perſonaliter veniatis. Datum, &c. die.... menſe ....anno....

Literarum requirendi Officiales temporales, ut præſtent Juramentum,

Formula III.

N. Inquiſitor hæreticæ pravitatis in terris N. Domini, à Sede Apoſtolica delegatus ſpecialiter; Venerabilibus Vicario, Ballivo, ac Conſulibus Civitatis N. ſeu loci N. ſalutem, & mandatis noſtris, imò veriùs Apoſtolicis, prompto animo obedire.

Cùm à ſtatus ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ, & præſertim ſuper negotiis fidei, in qua ejuſdem matris Eccleſiæ fundamenta à Domino noſtro JESU CHRISTO poſita dignoſcuntur, & firmiter ſtabilita, nullus verè Catholicus debeat deviare, ſed potiùs ſecundùm ejus officium promovere totis viribus, & complere: idcircò nos N. à Sede Apoſtolica ſpecialiter delegatus, auctoritate Apoſtolica, qua fungimur in hac parte, & injuncti nobis officii, vos venerabiles Juratos, Ballivum, Subballivum, Vicarium, & Subvicarium Civitatis N. generaliter, & quemlibet veſtrum ſingulariter monemus per præſentes, & requirimus de præſenti, quatenus præſtetis ad ſancta Dei Evangelia (ut eſt juris) publicè juramentum, de obſervandis Imperatoris Frederici legibus, & ſtatutis ſuper negotio fidei dictis, & hæreticæ pravitatis, ſecundùm formam, & modum per nos ſecundùm ſtatuta Eccleſiæ exprimendum. Si autem (quod abſit) contempſeritis, & renueritis mandatis Apoſtolicis, & noſtris, in hoc negotio obedire; denunciamus vos per nos mucrone anathematis feriendos, & veſtris publicis officiis ſpoliandos, in poſterum etiam & privandos, ſecundùm Apoſtolica, & Canonica ſtatuta. Datum, &c.

Præſtandi canonicum juramentum de defendenda Eccleſia contra hæreticam pravitatem.

Formula IV.

Nos N. Vicarius Civitatis N. vel loci N. & N. Subvicarius, & N. Ballivus, & N. Subballivus, & NN. Conſules, vel Curati Civitatis N. vel loci N. ad requiſitionem, & monitionem venerabilis præfati Domini N. Inquiſitoris tanquam veri fideles, & obedientes Eccleſiæ ſanctæ Dei, promittimus, & juramus per hæc ſancta quatuor Evangelia coram nobis poſita, & per nos corporaliter tacta, quòd fidem Domini noſtri JESU CHRISTI tenebimus, & teneri faciemus, ſervabimus, & ſervari faciemus, & ipſam contra omnes pro juribus defendemus: ita quòd hæreticos, credentes, fautores, & receptatores, ac defenſores eorum, necnon diffamatos, vel ſuſpectos de hæreſi proſequemur, & capiemus, ſeu capi faciemus quandocumque poterimus; & accuſabimus, & denunciabimus Eccleſiæ, vel Inquiſitoribus, ſi alicubi ſciverimus eos eſſe, vel aliquem de prædictis, præſertim cum fuerimus requiſiti. Item quòd non committemus Ballivias, Sajonias, vel aliqua officia publica, quibusvis nominibus cenſeantur alicui, de hujusmodi perſonis peſtiferis, vel ſuſpectis, ac diffamatis de hæreſi, nec alicui, cui impoſitum fuerit ratione criminis hæreſis, vel aliàs prohibitum ab Inquiſitoribus, vel à jure, quod publicis officiis non fungatur: nec eos uti prædictis, nec tenere publica officia permittemus. Item quòd nullum de prædictis recipiemus, nec habebimus in noſtra familia, vel conſortio, vel ſervitio, nec in noſtro conſilio ſcienter: & ſi fortè contrarium factum fuerit ignoranter, illos poſtquam ad notitiam noſtram per Eccleſiam, vel Inquiſitores hæreticæ pravitatis, vel eorum commiſſarios pervenerit, protinus expellemus: & quod in his, & in aliis, quæ ad officium Inquiſitionis hæreticæ pravitatis pertinent, erimus obedientes Deo, & Romanæ Eccleſiæ, & Inquiſitoribus ejuſdem hæreticæ pravitatis juxta officium, & poſſe noſtrum: ſic nos Deus adjuvet, & hæc, ſuper quibus juramus, ſancta Dei Evangelia manibus propriis per nos tacta.

Literarum requirendi, & monendi Officiales temporales, ut præſtent juramentum ſub pœna excommunicationis,

Formula V.

N. in terris NN. ſeu domino N. Domini Inquiſitor hæreticæ pravitatis à ſancta Sede Apoſtolica ſpecialiter delegatus, venerabilibus, & in Chriſto nobis dilectis, Vicario N. Ballivo N. Subballivo N. & Conſulibus NN. Civitatis N. vel loci N. ſalutem, & mandatis noſtris, imò veriùs Apoſtolicis firmiter obedire.

Cùm omnes renati fonte Baptiſmatis, & præſertim Domini temporales, Conſules, Officiales & aliarum Provinciarum, Civitatum, caſtrorum, & locorum Rectores, & regimini præſidentes, teneantur in defenſione ſanctæ fidei orthodoxæ, & extirpatione pravitatis hæreticæ, juxta poſſe, & officium ſuum Eccleſiam adjuvare, ſi fideles haberi cupiunt, & tales à cæteris reputari; & hoc jurare cùm ab Epiſcopis, vel inquiſitoribus fuerint requiſiti, ſi vitare cupiunt graves, & multiplices pœnas juris, prout docent Canonica inſtituta. Et nos, qui ad Civitatem N. venimus cauſa fidei, & exiſtimus de præſenti, habemusque in illa nonnulla fidei ardua negotia peragere pro ſancta fidei defenſione, & extirpanda hæretica pravitate; quod facere commodè nequimus, niſi veſtrorum invocato auxilio brachii ſecularis. Ea propter auctoritate Apoſtolica, qua fungimur in hac parte, vos, & veſtrum quemlibet requirimus, & monemus, ac monendo in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœnis in jure contentis præcipimus, & mandamus, quatenus poſt tres dies naturales proximè & immediatè ſequentes, quorum primum pro primo, ſecundum pro ſecundo, & tertium pro tertio termino, & peremptoriè, ac trina monitione canonica aſſignamus; ſcilicet die ..... proximè & immediatè ſequenti veniatis in terram N. & hora..... & in loco N. coram nobis corporaliter compareatis, & corporale juramentum ad ſancta quatuor Dei Evangelia ibi nobis, & coram nobis præſtetis, juretis, & promittatis, quòd toto tempore veſtri regiminis in officio memorato fideliter, & efficaciter, cùm à nobis fueritis requiſiti. Eccleſiam contra hæreticos, & eorum complices adjuvabitis, bona fide, juxta officium, & poſſe veſtrum. Et nihilominus quod inviolabiliter ſervabitis, & ſervari facietis in terris veſtræ jurisdictioni, ac regimini ſubjectis, conſtitutiones contra hæreticos, credentes, receptatores, fautores, & defenſores ipſorumque filios, & nepotes à Sede Apoſtolica promulgatas, ac etiam approbatas. Si autem (quod Deus avertat) noſtrorum monitorum, mandatorum, & præceptorum, imò veriùs Apoſtolicorum, immemores extiteritis, & rebelles præfatis noſtris monitis, & mandatis infrà prætaxatum vobis terminum non parendo, ſciatis vos, & veſtrûm quemlibet, ſic rebellem, contumacem, & inobedientem, vel ſic rebelles, contu-

contumaces & inobedientes nobis, imò revera Ecclesiæ sanctæ Dei, excomunicationis sententia innodatum & innodatos; quam excommunicationis sententiam in vos, & vestrum quemlibet, sic inobedientem, contumacem, & rebellem nobis; imò sanctissimo nostro Papæ, nunc, ut ex tunc, & tunc, ut ex nunc, vestra contumacia exigente, & justitia requirente, in his scriptis sententialiter promulgamus. Notificantes, quòd si permiseritis vos præfata nostra sententia innodari, procedemus contra vos ad pœnas aliàs debitas graviores, & ad incursionem earumdem, prout jus & justitia suadebunt. Datum sub nostro sigillo, die .... mense.... anno..... ac loco N.

Denunciandi excommunicatos prædictos Officiales,

Formula V I.

N. &c. Inquisitor, &c. Dilectis nobis in Christo Curatis, Clericis Ecclesiæ Cathedralis N. ad quem, vel quos præsentes pervenerint, salutem, & mandatis nostris, imò verius, &c.

Vobis, & cuiliber vestrum notum facimus tenore nostrarum præsentium literarum, quòd die..... mense .....anno..... assistenstibus nobis NN. ac in loco N. vocavimus ad nos venerabiles Vicarium N. & Subvicarium N. Ballivum N. & Subballivum N. & Consules NN. Civitatis, vel loci N. & requisivimus verbo priùs, postmodum literatoriè: quatenus præstarent nobis juramentum (ut tenentur) secundùm canonicas sanctiones, quòd quandocumque per nos requirerentur, ut Ecclesiam contra hæreticos, & eorum complices adjuvarent, bona fide, & juxta officium, & posse suum, & cætera facerent, quæ in dictis literis continentur: cùmque parere noluerint, ut tenentur, requisivimus eos, ac monuimus, & requiri, ac moneri sub pœna excommunicationis fecimus, quatenus dictum juramentum præstarent infra certum eis terminum assignatum, ut patet per nostras literas tenoris sequentis.

Inseratur tota immediatè litera antedicta, & continuetur sic.

Verùm cùm talis Vicarius, vel Consules, ac Ballivus, &c. antedicti, nostris præfatis monitis, & mandatis, imò veriùs Apostolicis, non paruerint cum effectu, contemnendo præstare petitum juramentum canonicum antedictum, propter quæ antefatam excommunicationis sententiam incurrerunt, ut contumaces nobis, & rebelles, imò veriùs Sanctissimo Domino nostro Papæ, & Ecclesiæ sanctæ Dei: ideò auctoritate Apostolica, qua fungimur in hac parte, vobis, & cuilibet vestrum dicimus, & in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub pœna excommunicationis præcipimus, & mandamus, quatenus die ..... proximè venienti, & in omnibus & singulis aliis diebus Dominicis, & festivis, & tandem quousque à nobis oppositum habueritis in mandatis, populo denuncietis in Ecclesia N. vel N. in Missa majori, quando major erit ibi multitudo populi, atque Cleri, prædictos N. & N. fore per nos excommunicatos, & tanquam verè excommunicatos vitetis, & faciatis ab aliis evitari, tantùm, & tandiu, donec de absolutione eorum legitimè vobis constet. Et has nostras reddatis latori præsentium cum subscriptionibus vestris, continentibus diem, & horam receptionis vestræ in signum mandati completi, positis in eisdem. Datum sub nostro sigillo, die..... mensis.... anno...... & loco N.

Absolvendi prædictos à sententia excommunicationis,

Formula VII.

Dicti excommunicati flectentes genua jurabunt stare mandatis Ecclesiæ: & post statim dicetur per Inquisitorem, & alios ibi præsentes, Psalmus *Miserere mei Deus*, vel *Deus misereatur nostri*, vel aliquis alius: Quo dicto, dicetur, *Kyrie eleison, Christe eleison, Pater noster. Et ne nos, &c. Salvos fac servos tuos, Deus meus sperantes in te. Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo. Oremus.*

Prætende Domine famulis tuis dexteram cælestis auxilii, ut se toto corde perquirant, & quæ dignè postulant assequantur.

Præsta quæsumus Domine, his famulis tuis dignum pænitentiæ fructum, à cujus obedientia deviaverant delinquendo, dono tua gratiæ reformentur. Per Christum Dominum nostrum.

Et addat Inquisitor: *Et nos auctoritate Apostolica, qua fungimur in hac parte, absolvimus vos, & vestrum quemlibet à sententia excommunicationis majoris qua fueratis per nos legitimè innodati, pro eo quia contumaciter recusaveratis ad nostri requisitionem præstare canonicum juramentum, de sancta Ecclesia defendenda contra hæreticam pravitatem: & restituo vos, & quemlibet vestrum Sacramentis Ecclesiæ. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen.*

Et dicetur eis sic: *Vos jurastis stare mandatis Ecclesiæ, & nos mandamus vobis sic virtute juramenti per vos præstiti, quatenus pro pœnitentia salutari vos singulis diebus Dominicis faciatis hoc* vel *illud.* Injungetur eis pœnitentia salutaris, prout honori fidei videbitur meliùs expedire.

Quibus absolutis, mandabitur prædictis Rectoribus Ecclesiarum, qui eos excommunicatos denunciaverunt, quatenus eos de cætero habeant pro absolutis: nec deinceps hac de causa eos vitent, nec faciant ab aliis vitari: sed potiùs eos ad divina admittant, & admittere faciant, prout ante per literas tenoris sequentis.

Denunciandi præfatos Officiales absolutos ab excommunicatione,

Formula VIII.

N. Inquisitor. Venerabilibus, & nobis in Christo dilectis NN. Ecclesiarum NN. Rectoribus, seu curam animarum gerentibus, salutem, & mandatis nostris, &c.

Vobis, & cuilibet vestrum notum facimus per præsentes, quòd NN. quos de mandato nostro, imò veriùs Apostolico, denuntiastis publicè, fore per nos publicationis vinculo innodatos, ac evitastis, & evitari fecistis meritò, ut decebat, pro eo quia nolebant jurare coram nobis, quatenus Ecclesiam Dei defensarent contra hæreticam pravitatem; absolvimus ab excommunicationis præfatæ contra eos sententiis per nos latis, pro eo quia (ut debebant) mandatis nostris antefatis humiliter paruerunt: ac, ut requisiti fuerant, defensare Ecclesiam bona fide, & juxta posse suum, ad sancta Dei quatuor Evangelia juraverunt: idcitcò vobis dicimus, & mandamus, quatenus eos de cætero non vitetis, nec faciatis ab aliis evitari. Datum, &c.

Literarum aggravandi prædictos, cum candelis extinctis, & campanis pulsatis,

Formula IX.

N. &c. Venerabilibus, & dilectis in Christo nobis Curatis Ecclesiæ N. seu curam animarum gerentibus in eadem, salutem, & mandatis nostris, &c. *ut priùs.*

Cùm crescente contumacia, crescere debeat & pœna, secundùm Canonica instituta: & N. Frater N. Inquisitor præfatus N. & N. seu NN. eorum contumacia exigente, excommunicaverimus, & excomunicatos vobis mandaverimus denunciare in causa fidei orthodoxæ, pro eo quia recusarunt da defendenda Ecclesia

contra hæreticam pravitatem præſtare canonicum juramentum: & NN. per vos de noſtro mandato excommunicati, & denunciati fuerunt per menſes tot, nec parere voluerunt, nec velint noſtris præfatis monitis, ac mandatis, imò verius Apoſtolicis; & contumaciter ſuſtinuerint per dictos menſes, & in præſentiatum ſuſtineant animo pertinaci. Ideò vobis, & cuilibet veſtrum in virtute ſanctæ obedientiæ præcipimus, & mandamus, quatenus continuando dictam injunctam vobis per nos denuntiationem de præfatis excommunicatis, eoſdem excommunicatos denunciando, candelas ardentes vos ibi habentes, in terram projiciatis, ſeu in aqua, vel aliàs coram populo extinguatis, & campanas pulſetis, ſeu pulſare faciatis ab aliis quolibet die, ſemel: & tamdiu præcipimus auctoritate Apoſtolica, vos facere ſupradicta, quouſque à nobis oppoſitum habueritis in mandatis, &c. Datum, &c.

Excommunicandi participantes cum prædictis Rectoribus Civitatum, vel locorum,

Formula X.

N. Inquiſitor, &c. Venerabilibus dilectis nobis Curatis Eccleſiæ N. &c. Salutem, & mandatis noſtris, &c.

Cùm participare cum leproſis plurimùm ſit damnoſum, & excommunicari præſertim in cauſa fidei, moraliter ſint leproſi, ſic ut ad ſe accedentes damnabiliter inficiant, & corrumpant; propter quod, ut verè leproſi arctantur, & meritò à conſortio hominum elongantur: idcircò vobis, & veſtrum cuilibet in virtute ſanctæ obedientiæ auctoritate Apoſtolica, qua fungimur in hac parte, præcipimus, quatenus in veſtris Eccleſiis dum Miſſarum ſolemnia celebrantur, & populi in eis fuerit multitudo, N. & N. ſeu NN. generaliter omnibus præcipiatis, mandetis, & moneatis canonicè, uno pro trino edicto, quatenus non participent comedendo, bibendo, pertractando, colloquendo, ſeu aliàs prædictis NN. Vicario, Subvicario, Ballivo, &c. aliàs ſciant ſe excommunicationis vinculo innodatos: quàm excommunicationis ſententiam in eos ut in contumaces ſi contra fecerint, Nos N. Inquiſitor præfatus, illorum contumacia exigente ferimus in his ſcriptis: abſolutiones à dictis ſententiis, ſi forſan incurrerint, nobis, vel Domino Papæ ſolummodo reſervantes. Datum, &c.

Supponendi Civitatem vel locum Eccleſiaſtico interdicto, quia ejus Rectores noluerunt jurare, &c.

Formula XI.

Nos N. in Domino, Domini N. Inquiſitor hæreticæ pravitatis à Sede Apoſtolica ſpecialiter delegatus.

Attendentes, quòd Vicarius N. Subvicarius N. Ballivus N. &c. Civitatis, vel loci N. non ſolùm recuſaverunt præſtare nobis Canonicum ſacramentum, vel juramentum, de defendenda Eccleſia contra hæreticam pravitatem, quamvis ad hoc tenerentur ſecundùm canonicas ſanctiones, & per nos fuerint pluries requiſiti: verùm etiam permiſerunt ſe hac ex cauſa contumaciter excommunicationis vinculo innodari, & publicè excommunicatos denuntiari: ac creſcente eorum contumacia fuerint denuntiati publicè excommunicati, etiam cum extinctis candelis, & pulſatis campanis, ac demùm cum participantibus, juſtitia requirente: & hujusmodi excommunicationis ſententias, ac ipſarum denuntiationes publicas, & aggravationes ſuſtinuerunt per menſes plures, ſeu tot, animo pertinaci in detrimentum animarum ſuarum, ac ſalutis, & contemptum non modicum Eccleſiæ ſanctæ Dei, & tolerant animo deliberato etiam de præſenti: Idcircò nos Inquiſitor præfatus dignum exiſtimantes, quatenus pœna excreſcat, contumacia excreſcente: & ut antefati excommunicati Vicarius, Subvicarius, & cæteri antedicti, utiliùs inducantur ab antedicta contumacia reſilire, & ad gremium ſanctæ matris Eccleſiæ advolare; ipſam Civitatem N. vel locum N. qui ſubeſt regimini eorumdem, ſupponimus Eccleſiaſtico interdicto: nolentes, quòd præfatum interdictum per alium, quàm per nos, ſeu Romanum Pontificem relaxetur. Datum, &c.

Denuntiandi Civitatem vel locum eſſe ſuppoſitum Eccleſiaſtico interdicto,

Formula XII.

N. &c. Venerabilibus, & nobis in Chriſto dilectis Curatis Eccleſiæ N. Salutem, & mandatis noſtris, &c.

Vobis univerſis, & ſingulis tenore noſtrarum literarum præſentium intimamus, quòd nos, juſtitia requirente, Civitatem, vel locum N. ſuppoſuimus Eccleſiaſtico interdicto per noſtras literas, & ſententias tenoris ſequentis.

Nos N. &c.

Inſerantur ex toto literæ immediatè præcedentes.

Quapropter vobis & veſtrum cuilibet in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub excommunicationis pœna præcipimus, & mandamus, quam excommunicationem in vos, niſi infra ſex, vel tot dies, quos vobis una pro trina monitione canonica aſſignamus, feceritis quæ mandamus, ferimus in his ſcriptis: quatenus infra Miſſarum ſolemnia in veſtris Eccleſiis, quando ibi fuerit populi multitudo, denuntietis publice & alta voce, Civitatem, ſeu locum N. eſſe & fuiſſe per nos ex cauſis præfatis ſuppoſitum Eccleſiaſtico interdicto; nec relaxandum per alium, quàm per nos, vel Dominum noſtrum Papam: vos idem interdictum ſervetis, & faciatis in veſtris Eccleſiis obſervari, quouſque de relaxatione vobis conſtiterit legitimè, prout decet. Datum, &c.

Abſolvendi prædictos Officiales, & relaxandi interdictum,

Formula XIII.

Nos N. &c. Attendentes quòd NN. Civitatis N. regimini præſidentes, contumacia poſtulante fuerunt per nos excommunicationis vinculo innodati, ac demùm ipſa Civitas antedicta ſuppoſita Eccleſiaſtico interdicto, ut ſaltem ſic inducerentur à tanta contumacia reſilire, ac jurare de defendenda Eccleſia ſancta Dei contra hæreticam pravitatem, & ipſi NN. ſaniori conſilio adhærentes, ipſa Civitate eos ſuis ſanis conſultationibus ad hujusmodi inducente, à ſæpè facta contumacia reſilientes, præſtiterunt antedictum petitum à nobis canonicum juramentum: & quia dignum exiſtit, quòd eis obedientia ſuffragetur, ad quam ſe de proximo reduxerunt, & ceſſante culpa ceſſet ea pœna: Eapropter Nos Inquiſitor præfatus eos à ſententiis excommunicationis præfatis abſolvimus in forma Eccleſiaſtica conſueta, & pro abſolutis habemus, & haberi ab omnibus volumus pro prædictis: ipſamque Civitatem à dicto interdicto liberamus, ipſum interdictum totaliter relaxando. Datum, &c.

Denuntiandi Regentes civitatem, vel locum eſſe abſolutos ab excommunicatione & interdictum relaxatum,

Formula XIV.

N. Inquiſitor, &c. Venerabilibus, & nobis in Chriſto dilectis Eccleſiarum NN. curam regentibus animarum, ſalutem, & mandatis noſtris, &c.

Tenore præſentium literarum vobis, & veſtrum cuilibet intimamus, quòd nos juſtitia poſtulante abſolvimus

mus

mus à sententiis excommunicationis, NN. quibus tenebantur per nos meritò innodati, atque à Civitate N. interdictum per nos impositum relaxavimus, ipsis obtemperantibus nostris videritis pleniùs contineri tenoris sequentis.

Nos N.&c.

Inserantur ex toto literæ immediatè præcedentes.

Idcircò vobis & cuilibet vestrum auctoritate Apostolica præcipimus,& mandamus, quatenus prædictos pro absolutis habentes, de cætero eos non evitetis, nec faciatis à cæteris evitari: imò prout antè, addivina liberè admittatis, ipsumque interdictum deinceps non servetis, cùm per nos ex toto fuerit relaxatum. Datum, &c.

Aggravandi Officiales prædictos excommunicatos, & privandi eos officiis publicis,

Formula XV.

Nos N. &c. Attendentes quod civitatis, Villæ, vel loci alterius regimini præsidentes, tenetur præstare corporale juramentum de defendenda Ecclesia sancta Dei contra hæreticam pravitatem, ac constitutionibus contra hæreticos, credentes, receptatores, fautores, & defensores eorum, ipsorumque filios, & nepotes editis à sancta Sede Apostolica inviolabiliter observandis, & observari toto tempore sui regiminis faciendis, cum fuerint abipsis Episcopo, seu Inqoisitore legitimè requisiti, quodque præstare antefatum juramentum contumaciter recusantes, sunt infames, & hæreticorum fautores, ac de fide suspecti, honore & officio sui regiminis spoliandi; & de cætero ad nullam dignitatem, neque ad ullum publicum officium assumendi: quinimmò declarandum quod quidquid fecerint deinceps in suo officio, nullam obtineat firmitatem. Et cùm Vicarius N. Subvicarius N. & Ballivus N. Subballivus N. Consules NN. & Rectores Civitatis, seu loci N. fuerint per Inquisitorem præfatum legitimè pluries requisiti, de defendenda Ecclesia sancta Dei, bona fide juxta officium, & posse suum contra hæreticam pravitatem: Et nihilominus quòd constitutiones à sancta Sede Apostolica editas contra hæreticos, credentes, receptatores, fautores, & defensores eorum, ipsorumque filios, & nepotes toto tempore sui regiminis inviolabiliter observarent, & facerent in terris sui regiminis observari: ipsique taliter requisiti præstare contumaciter renuerunt antefatum juramentum: verùm quia, ipsorum contumacia exigente, fuerunt excommunicationis vinculo innodati; & etiam publicati; accrescente eorum contumacia, etiam cum candelis extinctis, & campanis pulsatis, denium pue cum participantibus; ipsaque Civitas N. in terminis detestationem, & ipsorum criminum punitionem supposita Ecclesiastico interdicto; ac in præsentiarum persistant in tali, ac tam gravi contumacia, animo indurato: Idcirco nos Inquisitor præfatus dignum meritò reputantes, ut hi officiis priventur, qui officiis abutuntur, volentesque in hac parte mandata Canonica, & Apostolica fideliter exequi (ut tenemur) ipsos N. à Vicariatus N. à Subvicariatus N. à Ballivatus N. à Subballivatus NN. à Consulatus officiis Civitatis, seu loci N. eorum, in causa fidei, postulante inobedientia, & contumacia, ut infames, & tanquam hæreticorum fautores, & de fide suspectos, tenore præsentium meritò expoliamus, sicque deinceps N. pro Vicario N. pro Subvicario N. pro Ballivo N. pro Subballivo, & NN. pro Consulibus ab aliquo nullatenus habeantur; nec de cætero ad aliquam dignitatem, vel publicum officium assumantur: eodemque tenore decernentes, irrita, & inania quæcumque, deinceps N. ut Vicarius N. ut Subvicarius N. ut Ballivus N. ut Subballivus & NN. ut Consules fecerint, seu ordinaverint, mandaverint, vel fieri jusserint; nullamque obtinere deinceps firmitatem. Datum,&c.

Publicandi tales officiis publicis privatos,

Formula XVI.

N.&c. Venerabilibus, & nobis dilectis universis & singulis Civitatis N. Ecclesiæ Cathedralis Curatis, ad quos præsentes pervenerint, salutem, & mandatis nostris, imò, &c.

Ad vestri cujuslibet notitiam deducimus, tenore nostrarum præsentium literarum, quòd nos, justitia exigente, ac infrascriptorum contumacia requirente, Vicarium N. Subvicarium N. Ballivum N. Subballivum N. & Consules NN. Civitatis, seu loci N. spoliavimus officiis, quibus præerant antedictis: ac ipsos inhabilitavimus ad officia publica, & honores publicos qualescumque habendos deinceps in futurum, decernentes etiam quidquid de cætero fecerint, seu ordinaverint, virtute, seu occasione prædictorum, seu aliorum officiorum, esse irritum, & inane, ac nullius existere firmitatis, sicut in nostris literis infrascriptis videbitis pleniùs contineri: quarum tenor sequitur in hunc modum.

Nos N.&c.

Inserantur ex toto literæ immediatè præcedentes.

Verum cùm velimus (ut debemus) ad præfatæ Civitatis, seu loci N. prædicta deduci notitiam singulorum, cum omnes tangere dignoscatur: & quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari: ne eos contingat erga hujusmodi ex ignorantia aberrare; Vobis & cuilibet vestrum: seu vobis N.& N. auctoritate Apostolica, qua fungimur in hac parte, in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus, & mandamus, & mandando requirimus, ac monemus, quatenus infra sex dierum spatium quos nobis & vestrum cuilibet pro prima monitione canonica, & termino peremptorio assignamus, qolbus elapsis excommunicationis sententiæ vos subjacere volumus ipso facto, in vestris Ecclesiis dum Missarum solemnia celebrantur, & populi erit inibi multitudo: præfatas nostras literas alta voce in vulgari, & intelligibiliter publiceris, ac faciatis per alios publicari: notificantes omnibus, *ut supra*, quod nos prædictos & eorum quemlibet spoliavimus officiis publicis antedictis, quibus antea utebantur, ac etiam spoliamus, & inhabilitamus eos, & eorum quemlibet deinceps ad quæcumque publica officia obtinenda, decernentes quidquid de cætero attentaverint occasione prædictorum officiorum, seu eorum nomine, vel colore fore irritum, & inane, ac nullam obtinere ulteriùs firmitatem: Mandantes universis & singulis universitatibus præfatæ civitatis, seu loci, quatenus prædictis taliter à suis officiis per nos auctoritate Apostolica spoliatis, quod eis non parcant, seu obtemperent in his, quæ spectant ad executionem officiorum prædictorum, quibus antea utebantur, cùm illi sint suis demeritis auctoritate Apostolica spoliati. Datum,&c.

Instituendi commissarium specialem,

Formula XVII.

N. &c. Venerabili & nobis in Christo dilecto N. &c. salutem in auctore & conservatore fidei Domino Jesu Christo. Quia callidæ vulpes Sansonis pedibus versutis, cervicibus erectis, gestu, & habitu obfuscatis sub quadam specie Sanctitatis colligatis caudis ardentibus, intricatis vocibus nefariis non verentur per agrum universum Dominicum currere hac illacque discurrere, segetem albam fidei splendoribus Dominicam dissipare, comburere, & ardere immisso igne ascendente ab inferis devastante hæreticæ

pravitatis, ut nos paulò ante rerum magistra omnium experientia docuit evidenter: & timeamus, & non immeritò, ac revolutis visceribus tremamus nocumenta fidei segetibus, & agris fertilibus Domini inferri grandia supradictis incursu præscriptarum vulpium, & discursu, ex nostri Inquisitoris absentia, quæ ejusdem Inquisitoris præsentia, Dei favente gratia, conservantur; Et quia propter varia & ardua fidei negotia habemus interdum per partes regni diversas percurrere, ut exposcunt negotiorum qualitas, & necessitas, ac requirunt: ideò nos Inquisitor præfatus vos N. de cujus discretionis sinceritate, conscientiæ soliditate, scientiæ profunditate, & zelo fidei accenso, & veritate fidem gerimus solidam in Domino, & probatam, Vicarium nostrum seu commissarium in tota diœcesi N. statuimus, & facimus firmiter per præsentes, committentes vobis plenarie, & expressè, quatenus denunciationes, & informationes, seu accusationes auctoritate nostra à quibuscumque, & etiam contra quoscunque recipere, & procedere (prout nos possemus) liberè valeatis, ac super, & pro eisdem, tam testes, quam reos citare, arrestare, compedire, confessiones, seu testimonia recipere, & ea probare, & etiam examinare, & ad testificandum cogere, atque pro dicenda veritate una cum Domino Episcopo, seu ejus Vicario quæstionibus exponere, & tormentis: ac etiam ponere ad carcerem, qui magis ad pœnam quàm ad custodiam videatur, consilium peritorum, quando vobis videbitur, convocare, atque generaliter omnia alia facere, quæ nos facere valeremus, si ibi personaliter præsentes essemus. In prædictis enim omnibus, & aliis ex eisdem modo aliquo emergentibus, dependentibus, & connexis plenariam concedimus, & conferimus potestatem diffinitiva dumtaxat sententia omnium impœnitennum, & relapsorum (ut est moris) ad quam absque nostra licentia, & consensu nolumus vos extendere manus vestras, nobis penitus reservata. Datum sub sigillo nostro in pendenti, in loco, N. die..... mensis...... anni.....

Literarum instituendi duos Commissarios simul qui procedant pariter & conjunctim,

Formula XVIII.

N. &c. Venerabilibus, & nobis in Christo dilectis, &c. salutem in auctore & conservatore, &c. Quia secundum canonicas sanctiones integrum est judicium, quòd plurimorum sententiis confirmatur: & negotium N. viri delati capti, & detenti pro hæretica pravitate sit negotium nimis arduum atque grave: attentis circumstantiis criminis, & personæ: ea propter, ut fidei negotium arduum antefatum maturiùs peragatur, & in eo securius procedatur: ac consultius fine debito terminetur, Vobis duobus pariter conjunctim, & non uni sine altero committimus plenarie vices nostras, ac plenariam procedendi potestatem in dicto fidei negotio, & in omnibus ex illo emergentibus, incidentibus, & connexis etiam usque ad diffinitivas sententias exclusivè concedimus facultatem tenore præsentium nostrarum literarum. In cujus rei testimonium præsentes nostras literas nostri sigilli appensione jussimus communiri.

Instituendi ab Inquisitore in Provincia Vicarium Generalem,

Formula XIX.

N. &c. Venerabili, &c. Salutem in auctore & conservatore, &c. Quia dignum merito existimamus suffragantibus nobis ad hæc canonicis institutis, secundum negotiorum qualitatem, eorumque minorem, seu ampliorem arduitatem, de ministris idoneis providere, & negotium sanctæ fidei, in renatis fonte sancti Baptismatis commodiùs confovendæ, ac in præcordiis conversorum ad eandem firmius complantandæ, & de hæreticorum infectis visceribus labem ipsam hæreticam cautius evellendæ, sit negotium ad honorem Dei, & fidei augmentum, & utilitatem Ecclesiæ, & populi super omnia alia negotia sæculi obtinens principatum: propter quod cum magna circumspectione, & indagine est de ministris idoneis ad exequendum dictum fidei negotium providendum: Idcirco nos N. Inquisitor prælatus, attendentes, quòd commodè in terris nostræ jurisdictioni subjectis non valemus diutiùs commorari, cum nos oporteat ad Romanam curiam dirigere breviter gressus nostros, pro consultando sanctissimo Domino nostro Papa super quibusdam arduis negotiis sanctæ fidei promovendis, & cupiamus totis nostris visceribus de idoneo Generali Commissario providere, vos Venerabilem N. &c. de cujus scientiæ profunditate, sapientiæ soliditate, & conscientiæ sinceritate fidem in Domino gerimus firmiorem experientia solida comprobatam, Vicarium nostrum, & Commissarium in omnibus regnis, & terris Domini N. nostræ inquisitioni subjectis instituimus & facimus Generalem; committentes vobis ex certa scientia, & expressè, in, & super omnibus, & singulis fidei negotiis, quæ occurrent, & etiam in omnibus, ex illis dependentibus, emergentibus, incidentibus, & connexis, quandocumque & quomodocunque plenariè, & generaliter vices nostras, etiam ut ad sententias diffinitivas relapsorum & impœnitentium, & alias qualescumque libere procedere valeatis, liberam concedimus potestatem, tenore nostrarum præsentium literarum. In quarum commissionis, & concessionis testimonium præsentes nostras literas sigilli nostri munimine jussimus roborari. Datum in loco N. die..... mensis.....

Literarum indicendi Sermonem generalem,

Formula XX.

N. &c. Dilecto N. Ecclesiæ N. Civitatis vel loci N. salutem, & mandatis nostris, imò verius Apostolicis prompto animo obedire. Quia propter injunctum nobis officium hæreticæ pravitatis intendimus Dominica, die..... mensis...... in Ecclesia Cathedrali N. prædicare universo Clero, & populo coogregato, ac proponere aliqua super negotiis fidei, & de fide: ea propter auctoritate Domini nostri Papæ; qua fungimur in hac parte, vos rogamus, requirimus pariter & monemus, quatenus crastina die, quæ erit dies Dominica..... mensis, dum Missarum celebrabuntur solemnia, populum alta voce, & intelligibili moneatis, quòd die præfata Dominica, sint in prædicta Ecclesia Cathedrali, hora qua Missa major consuevit ibi aliàs celebrari; visuti, & audituri, quod ad fidem pertinet orthodoxam: adjicientes quòd nos suspendimus omnes alios sermones generaliter illa die, & conferimus auctoritate Apostolica quadraginta dierum de indulgentia, ad sermonem nostrum confluentibus antedictum. Dat. &c.

Forma Admonitionis in Sermone generali de hæreticis revelandis.

Cùm nos N. in regno, & terris Illustrissimi Domini N. ditioni subjectis, Inquisitor hæreticæ pravitatis, à sancta Sede Apostolica specialiter delegatus, per varios processus prædecessorum nostrorum, & narratione vulgata, ac per propriam experientiam aliquorum invenerimus, & de cætero nonnullas personas pestiferas Christi, & Ecclesiæ, ac veriùs sanctæ fidei inimicas, antiqui serpentis veneno hæresis esse infectas vulpinis caudis intricatis, sanctitatis specie, & habitu obfuscatas, in variis civitatibus atque locis hujus patriæ, & regnorum, temporibus retroactis, vineam Domini Sabaoth discurrentes, ac pariter devastantes, voce nefaria

Deum deorum in Sion blasphemantes; & probabiliter timeamus, ac revolutis visceribus tremamus, jam tale venenum multorum præcordia infecisse: Eapropter nos plenis desideriis affectantes, periculosis eorum insultibus totis nostris conatibus obviare, auctoritate Domini nostri Papæ, qua fungimur in hac parte, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna excommunicationis præcipimus, mandamus, & mandando requirimus, & monemus primò, secundò, tertio, ac peremptoriè universos & singulos, tam clericos quàm laicos, tam regulares, quàm seculares, cujuscumque conditionis, gradus, status, Ordinis, religionis, ac dignitatis existant, qui sunt infra terminos hujus civitatis, ac loci, N. & circumquaque illam per unam leucam ad quos hæc nostra præsens monitio pervenerit & mandatum, quatenùs infrà duodecim dies proximè computandos quorum primos quatuor pro primo, & reliquos quatuor primis quatuor immediatos pro secundo, & ultimos quatuor pro tertio termino, & peremptorio ac trina monitione canonica assignamus, ut nobis revelent, si sciunt, viderunt, vel audiverunt aliquam personam esse hæreticam, diffamatam de hæresi, vel suspectam, aut perversè sapientem de articulis fidei, seu Ecclesiasticis Sacramentis, ac aliàs à communi conversatione fidelium vita, & moribus dissidentem, & in speciali talem hæresim, nunc vigentem defendere, approbare, vel aliàs dogmatizare, *ponatur quæ est illa, vel illa*, aliàs si nostris immo veriùs Apostolicis antefatis monitis, & mandatis non paruerint cum effectu, præmissa infrà prætaxatum terminum revelando, sciant se excommunicationis mucrone percussos: quam excommunicationis sententiam, in omnes, & singulos taliter, ut prædicitur, contumaces, præfata nostra monitione canonica præeunte, & eorum inobedientia requirente; nunc, ut ex tunc, & tunc, ut ex nunc ferimus in his scriptis: absolutionem harum sententiarum nobis & Domino nostro Papæ tantummodo reservando. Dat. &c.

Scribendi dicta testium per modum memorialis, Formula XXI.

De N. diœcesi N. de N. loco qui moratur in N. vico, & utitur N. arte, vel est mercator, vel hujusmodi, deponit contra N. qui moratur in loco, N. & in vico, N. & utitur arte, N. quod dixit & asseruit, quòd in Sacramento Altaris non est veraciter corpus Christi, vel simile.

Interrogetur N. qui moratur in loco N. & vico, N. & habet officium N. & etiam interrogetur N. qui moratur in loco, N. vico, N. & habet artem, N. & sic de aliis.

Ex alia diœcesi N. de loco N. qui moratur in loco N. & vico, N. & utitur arte, N. deponit, quod N. de loco N. qui moratur in vico N. & utitur arte N. dixit vel fecit, &c. contra fidem.

In nomine Domini, Amen. Anno à Nativitate Domini..... mensis..... in præsentia mei Notarii, & testium infrascriptorum N. de loco N. & diœcesis N. comparuit personaliter in loco N. coram Venerabili viro Domino N. in terris, & dominio N. Domini Inquisitore hæreticæ pravitatis à sancta Sede Apostolica specialiter delegato; & obtulit eidem Domino Inquisitori quandam cedulam accusatoriam tenoris sequentis. Coram vobis, &c. *inseratur tota, qua inserta, sequitur sic paulo infrà*: Acta sunt hæc anno, die, mense, & loco prædictis, in præsentia testium NN. ad hæc vocatorum, & rogatorum, & mei N. Notarii publici, loci, N. & etiam scriptoris sacri Officii Inquisitionis, seu Domini Inquisitionis.

In nomine Domini Amen. Anno à Nativitate Domini..... die, mense, &c. in præsentia mei Notarii, & testium infrascriptorum, de loco N. comparuit personaliter in loco, N. coram honorabili N. in terris ac dominio N. Domini Inquisitore hæreticæ pravitatis à sancta Sede Apostolica specialiter deputato, & obtulit eidem Domino Inquisitori, cedulam tenoris sequentis, *inferatur tota*.

In nomine Domini, Amen. Anno à Nativitate Domini..... die..... mense..... Ad aures venerabilis viri Domini N. in dominio N. Domini Inquisitoris hæreticæ pravitatis à sancta Sede Apostolica specialiter delegati pervenit pluries, fama publica referente, & clamosa insinuatione perducente, quòd N. de loco N. dixit, vel fecit..... contra fidem. *Ponatur totum prout fama laborat, & paulo infrà*. Acta sunt hæc die..... mensis..... anno..... in præsentia testium NN. vocatorum, & rogatorum, & mei Notarii auctoritate N. & scriptoris Domini Inquisitoris, & sacri Officii Inquisitionis.

Forma examinationis testium.

N. de loco N. testis productus, citatus, & juratus, & interrogatus si cognoscit N. *exprimendo nomen accusati*, dixit quòd sic.

Item interrogatus de causa cognitionis, dixit quod pro eo quòd vidit, & locutus est cum eo pluries, & etiam quia sic, vel sic. *Exprimat alias causas, utpote si est de genere suo, vel fuerint socii, & sic de aliis causis cognitionis.*

Item interrogatus de tempore cognitionis, dixit, quòd sunt decem anni, vel.....

Item interrogatus de fama illius N. & præsertim quoad ea quæ sunt fidei, dixit, quod quoad moralia est homo bonæ famæ, *vel* malæ famæ, ut testificabitur. Quantum autem ad ea, quæ sunt fidei; dixit, quod est fama in loco N. quòd dixit, vel fecit talia contra fidem Catholicam, vel quòd est sectæ N. & eam tenet, & defendit: *vel* quia est bonæ famæ quoad ea quæ sunt fidei.

Interrogatus quid est fama; dixit, quod est id, quod communiter dicitur.

Item interrogatus si vidit, vel audivit N. dicentem vel facientem aliquid contra fidem; quod sic, &c.

Interrogatus ubi vidit fieri supradicta, vel dici; dixit quod in loco N.

Interrogatus in quorum præsentia sunt dicta, vel facta supradicta; dixit quod in præsentia NN. & NN.

Interrogatus quoties vidit dici, vel fieri supradicta dixit quòd toties.

Item interrogatus de modo, quo N. fecit, vel dixit supradicta; dixit quòd modus fuit..... nam, &c.

Item interrogatus si attentus omnibus antedictis quæ dixit, vel fecit ipse N. si videtur ipsi testi, quòd dictus N. prædicta dixerit, seu fecerit trufatoriè, seu dixerit recitativè, seu animo indeliberato, dixit quòd credit, quòd fecerit, vel dixerit supradicta jocosè, & trufatoriè, seu recitativè, & non animo sic credendi, seu assertivè: *vel* quòd dixit animo deliberato, seu assertivè.

Item interrogatus de causa credentiæ; dixit quod credit pro eo quòd ille talia dicebat ridendo, vel sic vel sic: *vel* pro eo quia cùm super talibus reprehenderetur, adhuc perseverabat, & iterabat, &c. Et hoc est multum diligenter inquirendum, quia nonnulli quandoque dicunt aliqua contra fidem recitando aliorum verba, & trufando, & burlando, vel disputando, & conferendo, vel interdum asserendo, & affirmando, &c.

Item interrogatus si hoc deponit odio, vel rancore; seu dimittit aliquid amore, vel favore; dixit, quòd, &c. *& sequitur*; injunctum est sibi tenere secretum. *Et paulo infrà*. Acta sunt hæc in loco N. die..... mensis..... anno..... in præsentia NN. testium vocatorum, & rogatorum, & mei N. Notarii.

Modus

Modus interrogandi reum accusatum.

N. de loco N. delatus, prædictus, juratus ad quatuor Dei Evangelia corporaliter tacta, tam de se, quam de aliis dicere veritatem, & interrogatus unde est, seu unde originem trahit; Respondit quòd de loco N. diœcesis N.

Interrogatus qui sunt ejus parentes, & si sunt vivi, vel mortui? Respondit quòd vocantur NN. & quòd sunt vivi in loco N. *vel* mortui.

Item interrogatus, ubi fuit nutritus, & ut in pluribus conversatus; dixit quòd in loco N. vel N. Et si videat Inquisitor quòd mutavit locum proprium, & conversatus fuit in alieno, & præsertim in locis, in quibus consueverunt hæreses vigere, interrogabit eum sic.

Item interrogatus quare mutavit locum suæ nativitatis, & se transtulit ad commorandum in loco N, vel NN. dixit, quòd ex causa.....

Et secundùm responsiones formabuntur articuli quousque ad propositum veniatur.

Item interrogatus si in dictis locis, vel alibi audivit loqui de tali materia, *exprimendo materiam de qua est accusatus*, utpote, si audivit loqui de paupertate Christi, vel Apostolorum, seu de visione Beatorum, &c. Et si dicat quod sic, interrogetur diligenter, quid audivit loqui de materia antedicta, & scribantur ejus responsiones, dixit, &c.

Item interrogatus, quid ipse super hoc aliquando est locutus; respondit, & dixit, &c.

Item interrogatus, quid ipse credit super hoc quod, &c. dixit, &c. Et sic prudens Inquisitor interrogabit, & formabit sibi articulos secundum materiam, de qua est accusatus, & de qua per testes est convictus, vel suspectus habitus, taliter ut veritas habeatur. *Qua confessione perfecta, scribatur paulò post.* Acta sunt hæc in tali N. &c.

Excommunicandi testes super fama alicujus infamati de hæresi,

Formula XXII.

N. testis citatus, juratus, & interrogatus si cognoscit N. de loco N. dixit quòd sic.

Item interrogatus de tempore cognitionis? Respondit, & dixit, quòd cognoscit eum à tanto tempore citra.

Item interrogatus de causa cognitionis; dixit, quòd ex N. vel N. causa cognoscit eum.

Item interrogatus si est fama de eo in loco, quòd N. ipse dixerit, vel fecerit talia contra fidem, dixit quòd sic.

Item interrogatus quomodo scit famam esse de eo quod talia fecerit, vel dixerit contra fidem, dixit per modum....

Item interrogatus quantum tempus est, quod N. est infamatus de hæresi N. in loco N. dixit quòd tantum.

Item interrogatus si scit ipsum infamatum de hæresi N. vel alia, nisi in loco N dixit, &c.

Item interrogatus si scit unde orta sit, & est contra N. illa fama, & si à malevolis, vel à quibus; dixit, &c. Acta sunt hæc, *ut priùs.*

Citandi absentem, non tamen fugitivum, cùm est delatus, vel suspectus, de hæretica pravitate.

Formula XXIII.

N. in terris N. Domini Inquisitor hæreticæ pravitatis, dilecto in Christo N. Salutem & mandatis nostris, immò veriùs, &c. firmiter obedire.

Quia de persona vestra N. à fide dignis ad nostram notitiam sunt deducta: quæ si vera essent de fide redderent vos suspectum, ideo ex debito injuncti nobis Officii, vos monemus peremptorie per præsentes, quatenus die..... tali hora..... curetis ante nos in loco N. personaliter, comparere, modo debito responsurus. Datum, &c.

Requirendi divisim, vel conjunctim diœcesanum, vel Inquisitorem, ad quorum jurisdictionem fugiendo, vel non fugiendo delatus de hæresi se transtulit; quatenus eum remittant Inquisitori, à quo fugit: vel in cujus jurisdictione deliquit,

Formula XXIV.

Reverendo in Christo Patri, & Domino Episcopo N. civitatis N. in Domino N. Domini, Inquisitor hæreticæ pravitatis, à sancta Sede Apostolica specialiter delegatus. Salutem, & impugnantes Catholicam veritatem reducere ad fidei unitatem. Cùm delicta remanere non debeant impunita, præsertim majora, & inter ea, illa, quæ vergunt in directam offensam divinæ Majestatis, & jacturam Ecclesiasticæ dignitatis, detrimentumque totius Christianitatis, qualia sunt crimina hæreticæ pravitatis, & N. de loco N. fuerit nobis delatus de hæretica pravitate; processimus contra eum ad testium examinationem, & ad personæ etiam captionem justitia requirente; ipse verò mala malis accumulans, & delicta delictis coadunans, insano ductus consilio se absentavit, vel carcerem nostrum fregit, atque aufugit, medicinam sibi apponi metuens salutarem, ac ejus vulnera vino, & oleo confoveri. Verùm cùm (prout ad nostram notitiam est deductum) dictus profugus ad locum N. vestræ jurisdictioni subjectum se transtulerit ad habitandum, credens sibi latitare; Nosque visceraliter cupiamus eundem reducere ad carcerem antedictum ut clariùs videamus, an sit realiter, & de facto infectus præfata hæretica pravitate, de qua agitur contra eum, & an ambulet in tenebris, vel in luce: Vos Reverendiss. Dominum Episcopum, & Vos Venerabilem Inquisitorem, in antea nominatos attentè rogamus, & in subsidium justitiæ requirimus in Domino, & exhortamur, quatenus prædictum profugum capi omnimodè faciatis, & captum nobis ad civitatem N. vel locum N. cum fide, & tuta custodia remittatis: Nos enim offerimus nos promptos & paratos ad satisfaciendum plenariè pro expensis. Datum in loco N. die..... mensis.... anno.....

Citandi aliquem fugitivum, quatenus intra certum terminum compareat coram Inquisitore, de fide Catholica responsurus: & excommunicandi eum nisi compareat infrà terminum assignatum,

Formula XXV.

Nos N. in terris N. Domino subjectis, Inquisitor hæreticæ pravitatis à sancta Sede Apostolica specialiter delegatus: Attendentes quòd fuga delatorum de hæretica pravitate, ac detentorum in carceribus pro eodem, suspicionem de labe præfata adjicit ampliorem, ut NN. fugitivi suspecti de fide habeantur, & meritò fortiùs quàm ante. Et cùm N. de loco N. diœcesis N. fuerit nobis delatus de hæretica pravitate, *exprimantur hæreses & errores*, processimus ad testes examinandum, ad nos de hujusmodi informandum; tandem justitia requirente, ipsum in carcere ad custodiam jussimus detineri, ut meritò videremus an ambularet in tenebris, vel in luce, & an perversa, quæ de eo nobis suggesta fuerunt, veritatis certitudine fulcirentur: sed ipse maligno spiritu damnabiliter agitatus, ac in reprobum sensum datus, insano consilio acquiescens, & medicinam sibi imponi metuens salutarem, carcerem fregit,

git, pariter & aufugit. Et cùm propter ejus fugam, ipsum, magis suspectum de fide nunc, quàm prius meritò habeamus; eapropter auctoritate Apostolica, qua fungimur in hac parte, eidem N. absenti, ut præsenti in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus, & mandamus, & mandando requirimus, & monemus, & monendo citamus; quatenus infra tres hebdomadas proxime sequentes: *vel ponatur aliud certum tempus*: quarum primam pro primo termino, secundam pro secundo, & tertiam pro tertio termino & peremptorio, & trina monitione canonica eidem assignamus; quatenus compareat in loco N. personaliter coram nobis, de fide Catholica, & ejus articulis responsurus, & aliàs facturus ut fuerit rationis: significantes eidem, quòd si mandatis nostris, immò veriùs Apostolicis non paruerit cum effectu, infrà præfatum terminum ei assignatum, comparendo in loco antedicto personaliter coram nobis, quòd erit majoris excommunicationis vinculo innodatus: Quam excommunicationis sententiam, nos Inquisitor præfatus auctoritate qua supra, in eum ut contumacem & inobedientem nobis, immò revera Domino nostro Papæ, nunc, ut ex tunc, & tunc, ut ex nunc, præfata trina monitione Canonica præeunte, justitia suadente, & ejus inobedientia, & contumacia exigente, ferimus in his scriptis. Datum, &c.

Citandi aliquem fugitivum, qui debuerat abjurare, quatenus veniat intra certum terminum, ad faciendam abjurationem prædictam, & excommunicandi eum, nisi faciat ut mandatur,

Formula XXVI.

Universis & singulis, Christi fidelibus in regnis & terris illustrissimi N. Regis, & aliàs ubilibet constitutis N. in prædictis terris, & regnis Inquisitor hæreticæ pravitatis à sancta Sede Apostolica specialiter delegatus, Salutem in auctore, & conservatore fidei Dei, & Virginis filio Domino nostro Jesu Christo.

Missus à sede Patris Redemptor noster Dominus Jesus Christus, ne ad imaginem suam hominem conditum perdi contingeret, si unde redimeretur non haberet, similem nobis sumens habitum, ut pateret oculis in mortis tenebris positorum, de sua ineffabili pietate remedia diversa contulit, per quæ humano generi etiam posset felicitas impartiri: sed ecce declinante jam mundi vespere ad occasum, & hominum malitia excrescente, corrupti jam sæculi corruptelam non solùm sentiunt elementa corrupta, verum etiam creaturarum dignissima creatura ad imaginem & similitudinem condita Creatoris. Peccat enim ad extremum homo miserrimus, qui in sui creatione in Paradisi medio constitutus, ut operaretur, & custodiret eundem; & de omni ligno, quod erat in eo, excepto ligno scientiæ boni & mali, vesceretur, manere non potuit in eodem: qui etiam erga fines sæculorum degenerat, & variis & noxiis quæstionum nexibus se innectit. Ecce namque peccatis exigentibus ova aspidum jam sunt rupta, & telas araneæ texuerunt, quia fallaces, & subdoli, vulpini, & infelices hæretici falsum, & perversum intellectum, quinimmo buccis crepantibus per mundi latera sonuerunt. Sed revera qui de venenatis eorum comederit, morietur: quoniam eorum perfidæ doctrinæ, ac nefariis consiliis inhærentes, æternis incendiis adscribuntur. Ecce siquidem nova Achan progenies, quæ de anathemate Iericho regulam auream, palliolumque furatur, Abiron quoque & Dathan, & Chore detestanda soboles, novis thuribulis fermentatum thymiama, novis volunt Altaribus adolere: hi sunt namque caupones, qui aquam vino commiscentes, virus draconis in aureo propinant calice Babylonis; ita quòd nisi botrus, unde vinum nascitur, in flore lædatur, fructum non solum amarum sed etiam pestiferum germinabit. Ecce siquidem (quod prædolentes referimus, & referendo dolemus) vestræ charitati irradiatæ splendoribus fidei orthodoxæ notum facimus per præsentes, quòd vir quidam Ecclesiæ sanctæ Dei contumax, & rebellis, frater N. vocatus Ordinis N. habitu obfuscatus, de villa N. diœcesis N. tam ex testium legitima productione, quàm ejusdem propria confessione malignitatis spiritu agitatus, convictus extitit hæresibus, multisque erroribus irretitus judicialiter coram nobis, & hoc in errores quosdam, quinimmo pestiferas damnatas hæreses incidendo, semel, & bis eas in loco N. publicè prædicando; immò potiùs aliquando pertinaci animo defendendo. Hæreses autem, & errores isti erant: Primus, quòd, &c. *ponatur* Secundus, quòd, &c. *ponatur*. Tertius, &c. &c. *ponatur, & sic de aliis consequenter.* Eapropter per nos præfatum Inquisitorem in multis conciliis, diversis locis, & temporibus celebratis, in quibus idem frater plures plenissimè est auditus, de multorum peritorum tam sæcularium, quàm regularium, tam doctorum in utroque, quàm Magistrorum, & Lectorum in Theologia consilio & assensu extitit unanimiter concordatum, nullo penitus discrepante, quòd præfatus Frater N. Ordinis memorati, habitu obfuscatus, pro suis hæresibus, & erroribus, quia videbatur redire ad gremium sanctæ matris Ecclesiæ pœnitendo, non erat pro nunc curiæ sæculari tradendus ultimo supplicio feriendus; sed potius (sibi parcendo pro illa vice, & non amplius) in villa N. ubi deliquerat præfatos errores, ac hæreses publicè prædicando, publicè illos, ac omnem hæresim generaliter abjuraret: & postmodum spoliatus omnibus privilegiis sui Ordinis, & nudatus in Conventu N. sui Ordinis, pro carcere perpetuo resideret, & ita fuit in ejus præsentia condemnatus. Ipse autem tanquam canis ad vomitum rediens: novissima pejora prioribus commiscens, dolores doloribus adjiciens, nova vulnera Corpori Christi mystico graviter imprimens; quod mentis nostræ præcordiis tanquam res cogitatu terribilis, actuque horribilis, Deo nimium abominabilis, & omnibus Christi fidelibus odibilis, gravem pertulit vim doloris. Nam ipse frater N. qui videbatur aliàs pœnitere, quem sancta mater Ecclesia satagebat ejus misericordiæ uberibus enutrire, cùm de ejus fuga nullus aliquid cogitaret, ipse medicinam refutans salutarem, ut ægrotus phreniticus & insanus, timens vino & oleo ejus vulnera confoveri, tanquam rebellis & inobediens matri nostræ Ecclesiæ sanctæ Dei, & ejus Inquisitori Judici delegato præmissa complere contempsit, & quodlibet præmissorum, vulpinè fugiens, per diversas partes regni & Provinciæ discurrendo, & hoc quasi per annum in latibulis habitando; nunc autem eum, quò malignus spiritus duxerit, ignoramus. Idcirco cupientes nos, & nostris totis conatibus inhiantes, qui in officio Inquisitionis sanctæ præfatæ, quamvis immeriti præsidemus, ipsum fratrem N. dicti Ordinis, ut ovem perditam ac errantem ad ovile Dominicum revocare exemplo illius, qui dimissis nonaginta novem in deserto, centesimam venit requirere, ne periret; citamus, monemus, & requirimus, primò, secundò, & tertiò peremptoriè per præsentes, quatenus infra tot dies à monitione ista nostra proximè computandos, in loco, N. vel ubi fuerimus, compareat personaliter coram nobis, abjurationem prælibatam facturus, & aliàs per nos pro suis demeritis puniendus, & hoc ei mandamus in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna excommunicationis infrà terminum prætaxatum: Si autem (quod Deus avertat) nobis in hoc inobediens extiterit, & rebellis præfatis nostris mandatis, & monitis, immò veriùs Apostolicis

licis non parendo, sciat se excommunicationis sententia innodatum, quam sententiam nos N. Inquisitor præfatus nunc, ut ex tunc: & tunc, ut ex nunc auctoritate Apostolica, & injuncti nobis officii contra fratrem N. supradictum ferimus in his scriptis: quam sententiam si sustinuerit animo pertinaci, contemnendo abjurationem facere prælibatam, indicabimus eum tradendum curiæ sæculari tanquam hæreticum pertinacem, prout nobis mandant Canonicæ Sanctiones. Lata est hæc sententia, &c.

Denunciandi excommunicatum, qui citatus responsurus de fide, vel abjurationem facere, noluit comparere,

Formula XXVII.

N. in terris Domini N. ditioni subjectis, Inquisitor hæreticæ pravitatis à sancta Sede Apostolica specialiter delegatus, dilectis nobis in Christo Rectori Ecclesiæ, N. ac Vicario Ecclesiæ N. & aliis quibuscunque, ad quos præsentes pervenerint, salutem in Domino, & mandatis nostris, immò veriùs Apostolicis firmiter obedire.

Ad vestram & vestrorum cujuslibet notitiam deducimus nostrarum tenore præsentium literarum, quod nos N. de loco N. justitia suadente, fecimus moneri, & citari in vestris præfatis Ecclesiis, quatenus sub pœna excommunicationis compareret intrà ei certum terminum assignatum, responsurus de fide, & aliàs acturus & facturus, ut ratio suaderet, personaliter coram nobis, ut in nostris literis videbitis pleniùs contineri quarum tenor sequitur per hæc verba: [N. &c.] *Inserantur totaliter, & ex toto, & sequatur.*

Verum cùm ductus malo consilio, & seductus, non comparuerit, nec excusationem miserit, sed contumaciter renuerit comparere, pariter, & parere nostris, immo revera Apostolicis monitis & mandatis, propter quod est excommunicationis vinculo innodatus: eapropter vobis, & cuilibet vestrum, auctoritate Apostolica supradicta dicimus; & in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus, & mandamus, & mandando vos requirimus, & monemus, uno pro terno edicto, aliàs excommunicationi volumus vos subjacere; quatenus prima die Dominica immediatè sequenti, & aliàs ex tunc, omnibus & singulis diebus Dominicis, & festivis, in vestris Ecclesiis, dum Missarum solemnia celebrantur; & inibi erit cleri, & populi multitudo, ipsum N. excommunicatum alta voce, & intelligibiliter publicetis, ac eum vitetis, & vitari à vestris subditis faciatis, tantum & tandiu, quousque de ejus absolutione vobis per nostras literas constet manifestè; Reddatis literas portatori, diem & horam receptionis, & publicationis continentes, & testes etiam coram quibus, vestris subscriptionibus positis in eisdem. Datum, &c.

Absolvendi delatum de hæretica pravitate, cùm nihil probatur legitimè contra eum,

Formula XXVIII.

Nos N. Inquisitor hæreticæ pravitatis in terris N. Domini à sancta Sede Apostolica specialiter delegatus. Attendentes quòd tu N. de loco N. & diœcesis N. fuisti nobis delatus de N. hæretica pravitate, scilicet quòd, &c. Attendentes etiam illa esse talia quæ non valebamus, nec debebamus conniventibus oculis pertransire, descendimus ad inquirendum si prædicta fulcirentur aliqua veritate, testes recipiendo, & examinando, defensiones etiam concedendo, & alia faciendo, quæ decebant, secundum Canonicas Sanctiones; Eapropter visis, & diligenter examinatis omnibus actis, & actitatis in hac causa, omnibusque æqua lance libratis, habitoque consilio peritorum in jure, ac etiam in Theologiæ facultate, illoque sæpiùs repetito, sedentes pro tribunali, more judicis judicantis, ac habentes præ oculis solum Deum & negotii veritatem, Sacrosanctis Evangeliis positis coram nobis, ut de vultu Dei nostrum judicium prodeat, & oculi nostri videant æquitatem. Ad nostram diffinitivam sententiam procedimus in hunc modum.

Christi nomine invocato. Quia per ea, quæ vidimus, & audivimus, & producta & oblata, acta, & actitata sunt coram nobis, in præsenti causa, non invenimus aliquod contra te legitimè fore probatum de his, de quibus delatus fueras coram nobis, pronunciamus, declaramus ac sententialiter diffinimus, contra te non esse, nec fuisse aliquod actum legitimè coram nobis, propter quod possis, vel debeas hæreticus judicari, nec suspectus haberi aliqualiter de hæretica pravitate; quare te à præsenti instantia, Inquisitione, & judicio totaliter relaxamus. Lata fuit hæc sententia, &c.

Purgationem canonicam diffamato indicendi.

Formula XXIX.

Nos N. miseratione divina Episcopus civitatis, N. & N. in terris Domini, N. Inquisitor hæreticæ pravitatis à sancta Sede Apostolica specialiter delegatus. Considerantes, quòd meritis processus facti per nos contra te N. diœcesis N. nobis delatum de N. hæretica pravitate, scilicet quòd, &c. non invenimus te confessatum, nec convictum de prædicta labe, nec aliàs suspectum, nisi quòd te reperimus legitimè ac veraciter in villa N. civitate, vel diœcesi, N. & apud bonos, & malos publicè diffamatum; Eapropter ad purgandam hujusmodi infamiam tibi indicimus purgationem canonicam, ut est juris, assignando tibi diem .... mensis .... ac horam ... illius diei, in qua compareas personaliter coram nobis: & purges tuam infamiam tantis, seu tot Ordinis tui, qui quidem compurgatores tui sint homines fide Catholici, & vita probati, & qui conversationem tuam, & vitam noverint, non tam moderno tempore, quàm transacto: significantes quòd si in purgatione defeceris, te habebimus pro convicto prout volunt canonicæ Sanctiones.

Purgationis canonicæ de diffamato de hæresi faciendæ,

Formula XXX.

Adveniente autem termino eidem diffamato ad se purgandum canonicè assignato; comparebit personaliter purgandus cum suis compurgatoribus coram Episcopo, seu Inquisitore, in loco ubi noscitur infamatus: & ille qui diffamatus est ponens manum super librum Evangeliorum ante eum positum, dicet sic: Ego juro super quatuor ista Evangelia sancta Dei, quòd hæresim N. *Exprimendo eam, de qua est diffamatus*, nunquam tenui; nec credidi, nec docui, nec crèdo. *Negabit scilicet cum juramento illud de quo est diffamatus, quidquid sit illud: Quo facto omnes compurgatores ponent manum super prædictum librum Evangeliorum, & quilibet dicet ita:* Et ego juro super ista sancta Dei Evangelia, quòd credo ipsum verum jurasse. *Et tunc canonicè est purgatus.*

Sententiæ interlocutoriæ ad supponendum aliquem quæstionibus, & tormentis,

Formula XXXI.

Nos N. miseratione divina Episcopus civitatis, N. & N. Inquisitor in terris ditioni Domini N. subjectis à sancta Sede Apostolica specialiter delegatus.

Attendentes, meritis processus facti per nos contra N. loci N. diœcesis, N. diligenter examinatis, quod tu es varius in tuis confessionibus, & sunt nihilominus judicia multa, quæ sunt sufficientia ad te exponendum quæstionibus, & tormentis; Eapropter ut veritas ab ore tuo proprio habeatur, & ut deinceps aures judicum non offendas; interloquendo declaramus,

judica-

judicamus & sententiamus die præsenti & hora... te supponendum tormentis & quæstionibus. Lata fuit hæc sententia, &c.

Abjurandi hæresim quando delatus est suspectus leviter.

Formula XXVII.

Ego N. diœcesis N. habitator civitatis, vel loci N. in judicio constitutus coram nobis Domino Episcopo civitatis, N. & N. Inquisitore hæreticæ pravitatis in terris ditioni Domini N. subjectis, sacrosanctis Evangeliis positis coram me, & propriis manibus meis per me tactis, juro me credere corde, & profiteor ore, illam sanctam fidem Catholicam, & Apostolicam, quam sacra Romana Ecclesia credit, profitetur; prædicat, & observat. Item me juro credere corde, & profiteor ore, quòd Dominus Jesus Christus: *Exprimatur articulus Catholicus contra hæresim, de qua leviter est suspectus, verbi gratia, si est de proprio, vel communi dicetur sic:* Juro me credere corde, & profiteor ore, quod Dominus Jesus Christus & ejus Apostoli, dum erant in vita mortali præsenti, habebant, & habuerunt in communi aliqua; quæ dicit sacra Scriptura illos habuisse, & quòd in illis habuerunt jus donandi, vendendi, & alienandi. *Et post abjuret hæresim contrariam sic:* Et consequenter abjuro, abnego, & revoco illam hæresim, de qua me habetis suspectum vos Domini Episcopus, & Inquisitor, quæ mendaciter asseverat, quòd Dominus Jesus Christus, & ejus Apostoli non habueruut aliquid in proprio, nec in communi, & etiam quòd non habuerunt in aliqua re jus illam donandi, vendendi, & alienandi. Item juro, quòd nunquam prædictam hæresim credidi, neque credo, nec illi adhæsi, nec adhæreo de præsenti: nec unquam credam, nec adhærebo, nec illam docui, neque docere intendo. Quòd si aliquid prædictorum fecero in futurum (quòd Deus avertat) pœnis juris taliter abjurantii debitis prompto animo me submitto, paratus subire omnem pœnitentiam, quam pro his quæ feci, & dixi, pro quibus meritò me habetis suspectum, volueritis mihi injungere, & illam studebo pro juribus adimplere, & nullatenus contravenire; sic me Deus adjuvet, & hæc sacrosancta Evangelia.

Ferendi sententiam, seu injungendi pœnitentiam ei, qui abjuravit, ut suspectus leviter.

Formula XXXIII.

Nos N. miseratione divina Episcopus civitatis N. & N. &c. *ut in prædictis.* Attendentes, quòd visi, & diligenter consideratis processus meritis per nos facti contra te N. delatum nobis de hæretica pravitate, reperimus te talia, & talia commisisse: *dicantur illa,* quæ te reddunt leviter suspectum de hæresi, & propter quæ te talem meritò nos habentes, te fecimus, ut leviter suspectum de prædicta labe, eandem hæresim abjurare: verum ne prædicta per te commissa remaneant impunita, & ut efficiaris cautior in futurum de multorum & magnorum consilio in jure peritorum, ac etiam de Religiosorum, in, & super his habito maturo consilio pariter & digesto, habentes præ oculis solum Deum, ac irrefragabilem sanctæ fidei Catholicæ veritatem, sacrosanctis Evangeliis positis coram nobis, ut de vultu Dei judicium nostrum prodeat, & oculi nostri videant æquitatem: Sedentesque pro Tribunali, more judicum judicantium, te N. hic in nostra præsentia personaliter constitutum, per modum, qui sequitur condemnamus, sententiamus, seu potius pœnitentiamus, scilicet, ne de cætero unquam scienter legas, teneas, seu habeas talem librum, & etiam ne deinceps, &c. *Ponantur illa, quæ commisit, propter quæ suspectus habitus fuit de prædicta hæretica pravitate:* Lata est hæc sententia, seu pœnitentia, &c.

Abjurandi hæresim, quando delatus est suspectus vehementer.

Formula XXXIV.

Ego N. de loco N. Diœcesis N. in judicio personaliter constitutus coram vobis venerandis Dominis Episcopo civitatis, N. & N. Inquisitore hæreticæ pravitatis, in terris ditioni N. Domini subjectis, sacrosanctis, Evangeliis positis coram ma, & propriis manibus per me tactis, juro me credere corde, & profiteor ore, illam sanctam fidem Catholicam & Apostolicam, quam sacrosancta Romana Ecclesia docet profitetur, prædicat atque tenet. Item juro me credere corde, & profiteor ore quòd, &c. *Explicetur articulus catholicus contrarius illi hæresi, de qua vehementer est suspectus, ut verbi gratia, si est suspectus de processione Spiritus sancti à Patre & Filio; dicetur sic:* Juro me credere corde, & profiteor ore, quòd Spiritus sanctus procedit à Patre, & Filio, & æqualiter tanquam ab uno principio, & non à duobus: *Et post abjuret hæresim contrariam, sic:* Et consequenter abjuro, abnego, & revoco illam hæresim, quæ falsò & mendaciter affirmat quòd Spiritus sanctus non procedit à Patre & Filio simul, tanquam ab uno principio, sed à duobus. Item juro, quod nunquam prædictæ hæresi credidi, neque nunc credo, nec credam; nec illi adhæsi, nec adhæreo de præsenti, nec adhærere intendo, nec docui, nec docere intendo, nec docebo. Item juro & promitto, quò talia & talia, *exprimantur,* propter quæ habetis me suspectum de hujusmodi hæresi vehementer; nunquam faciam, nec operam ut fiant, dabo. Quòd si aliquid de prædictis fecero in futurum, (quod Deus avertat) pœnis de jure relapsis debitis, prompto animo me submitto, paratus subire omnem pœnitentiam, quam pro his quæ feci & dixi, propter quæ habetis me suspectum de dicta hæresi vehementer, decreveritis mihi injungere, & illam juro, & promitto pro viribus adimplere, & nullatenus contraire: sic me Deus adjuvet, & hæc Evangelia Sacrosancta.

Prædicta autem abjuratio fiat in vulgari, ut ab omnibus capiatur, nisi fieret solummodo coram personis Ecclesiasticis, qui linguam latinam intelligerent competenter. Si autem abjuraverit secretè, scilicet in palatio Episcopi, vel in capitulo Fratrum, vel camera Episcopi, vel Inquisitoris, quando scilicet factum non est publicum; modo consimili abjurabit.

Sententiandi eum, qui abjuravit, ut suspectus vehementer.

Formula XXXV.

Nos N. Episcopus Civitatis N. & N. Inquisitor hæreticæ pravitatis in terris N. Domini ditioni subjectis, à sancta Sede Apostolica specialiter delegatus.

Attendentes quod tu N. de loco N. & Diœcesis N. talia, & talia commisisti, *dicantur illa,* ut ex processus meritis diligenter discussis legitimè nobis constat, propter quæ, & meritò habentes te suspectum vehementer de hæretica pravitate N illum ut taliter suspectum te fecimus abjurare de magno consilio in jure peritorum justitia suadente: verum ut efficiaris cautior in futurum, & ne reddaris proclivior ad consimilia peragenda, & ne crimina remaneant impunita, & ut his cæteris delinquentibus in exemplum, de multorum magnorum in jure peritorum, ac etiam in Sacra Theologia Magistrorum, seu Doctorum, in, & super his habito maturo consilio pariter & digesto, habentes præ oculis solum Deum, ac sanctæ Fidei Catholicæ & Apostolicæ veritatem, sacrosanctis Evangeliis positis coram nobis, ut de vultu Dei judicium nostrum prodeat; & nostri oculi videant æquitatem; Sedentesque pro Tribunali more judicum judicantium, te N. hic in nostra præsentia personaliter constitutum, for-

ma, quæ sequitur, condemnamus, seu potiùs pœnitentiamus, videlicet, ne deinceps talia, vel talia facere, vel dicere præsumas.

Formula abjurandi omnem hæresim generaliter, ab eo qui est suspectus habitus de hæresi violenter,

Ego N. de loco, N. Diœcesis N. in judicio personaliter constitutus coram vobis venerabilibus Dominis N. Episcopo Civitatis, N. & N. Inquisitore hæreticæ pravitatis in terris N. Domini, à Sancta Sede Apostolica specialiter delegato, Sacrosanctis Evangeliis positis coram me, eisque propriis manibus corporaliter per me tactis; Juro me credere corde, & profiteor ore, illam Sanctam Fidem Catholicam, & Apostolicam, quam Sacrosancta Romana Ecclesia tenet, profitetur, credit, prædicat, atque docet: & consequenter abjuro, abnego, & revoco omnem hæresim extollentem se adversus Sanctam Romanam, & Apostolicam Ecclesiam, cujuscunque sectæ fuerit, vel erroris.

Item, juro me credere corde, & profiteor ore, quòd, &c. *explicetur articulus Catholicus, contrarius illi hæresi, de qua ipse qui abjurat est suspectus habitus violenter: ut v. gr. si est suspectus habitus de virginitate Beatæ Mariæ Virginis, dicet sic:*

Item juro me credere corde, & profiteor ore, quòd gloriosa B. Mariæ Mater Domini nostri Jesu Christi fuit toto tempore vitæ suæ semper virgo, ante partum, in partu, & post partum, & consequenter abnego, revoco, & abjuro illam nefandissimam hæresim, quæ falsò, ac mendaciter asseverat, quod mater Domini nostri Jesu Christi aliquando non fuit virgo; sed quòd ante partum, in partu, vel post partum fuit corrupta, & amisit virginitatem, de qua hæresi sum vobis Dominis prædictis suspectus habitus violenter: *Et si de pluribus hæresibus, & non tantùm de una, abjurabit quemlibet articulum singulatim per modum statim dictum.*

Item juro, quòd nunquam prædictæ hæresi, seu hæresibus adhæsi, nec adhæreo de præsenti, nec credidi, nec credo; licet propter culpam meam, & ex his, quæ malè egi, vos me habeatis, & meritò suspectum de hujusmodi hæresi, seu hæresibus, quòd illi, seu illis crediderim corde firmo.

Item juro, & promitto, quòd prædictam hæresim numquam dogmatizabo, nec prædicabo, nec docebo: immò si unquam scivero aliquem, qui illa hæresi sit infectus, teneat, seu doceat, vel aliam qualemcumque quoad vobis Dominis Episcopo, vel Inquisitori, seu alicui vestrum, seu vestris vicariis, vel alteri eorum, vel successoribus vestris, citiùs quàm commodè potero, denunciabo. Item juro, & promitto, quòd, &c. *exprimantur illa*, quæ egi, seu dixi, propter quæ ex culpa mea habetis me suspectum de dicta hæresi violenter, deinceps nunquam faciam, vel dicam, nec quod fiant operam dabo.

Item juro, & promitto, quod omnem pœnitentiam, quam mihi injungere volueritis pro prædictis, pro viribus adimplebo, nec contraveniam in aliquo; sic me Deus adjuvet, & ista Evangelia Sacrosancta. Quod si contra abjurata, vel jurata fecero in futurum, Diabolo instigante (quod Deus avertat) pœnis de jure relapsis debitis, nunc pro tunc me obligo & adstringo, quatenus illis feriar, cùm legitimè constiterit me contrafecisse.

Absolvendi ab excommunicatione,

Formula XXXVI.

Dicetur Psalm. *Deus misereatur nostri:* vel alius, quo dicto addetur, *Kyrie eleis. Christe eleis. Kyrie eleis. Pater noster. Et ne nos inducas,* &c. *Dominus vobiscum,* &c. *Oremus.*

Prætende Domine famulo tuo dexteram cælestis auxilii, ut te toto corde perquirat, & quæ dignè postulat, assequatur.

Præsta quæsumus Domine huic famulo tuo dignum pœnitentiæ fructum, ut Ecclesia tua sancta, à cujus integritate fidei deviaverat delinquendo, dono tuæ gratiæ reformetur. Per Christum Dominum nostrum. Amen. Et post addat sic: [Ego auctoritate Apostolica, qua fungor in hac parte, absolvo te à sententia excommunicationis majoris, qua fueras innodatus pro eo, quia talia contra fidem commisisti, propter quæ habitus fuisti suspectus de hæresi violenter; & restituo te Sacramentis Ecclesiæ. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen.]

Ferendi sententiam, sive injungendi pœnitentiam ei, qui fuit habitus suspectus de hæresi violenter,

Formula XXXVII.

Nos N. Episcopus N. Civitatis, & N. Inquisitor hæreticæ pravitatis in terris N. Domini, N. à sancta Sede Apostolica specialiter delegatus.

Attendentes, quod tu N. de loco N. Diœcesis N. fuisti nobis delatus de, &c. fidem sanctam tangentibus; *exprimantur illa*, & quod nos processimus ad informandum nos super illis, ut justitia suadebat, & meritis processus diligenter examinatis, & omnibus actis & actitatis in causa præsenti, invenimus te talia & talia commisisse, *explicentur illa*, te suspectum violenter habentes, facimus te ut taliter suspectum omnem hæresim generaliter pulicè abjurare, prout nobis mandant canonicæ sanctiones. Sanè cùm secundum eadem cononica instituta, omnis talis, sit ut hæreticus condemnandus, & tu saniori consilio inhærendo, & ad gremium Sanctæ Matris Ecclesiæ redeundo, abjuraveris, ut præmittitur, omnem hæreticam pravitatem: propter quod absolvimus te à sententia excommunicationis, qua ut obnoxius Dei Ecclesiæ astrictus meritò tenebaris, si tamen de corde vero, & fide non ficta reversus, & ad Ecclesiæ unitatem; idcirco deinceps inter pœnitentes computaberis, ad misericordiæ sinum te Sacrosancta Ecclesia recipiente de præsenti. Verùm quia indignum valde existit offensas divinas conniventibus oculis impunitas pertransire, & injurias hominum castigare: cum gravius sit divinam quàm humanam lædere majestatem: & ne inulta crimina incentivum existant aliis delinquendi, & tu efficiaris cautior in futurum, ac minus proclivis reddaris in posterum ad prædicta seu similia committenda: & ut in futuro sæculo lævius patiaris: Nos Episcopus & Inquisitor præfati, præhabito in, & super his sano ac maturo consilio peritorum; sedentes pro tribunali, more judicum judicantium habentes præ oculis solum Deum, & sanctæ fidei irrefragabilem veritatem, Sacrosanctis Evangeliis positis coram nobis; ut de vultu Dei judicium nostrum prodeat, & oculi nostri videant æquitatem; te N. in nostra præsentia personaliter constitutum, hoc die & hora tibi antea assignatis, sententialiter per modum, qui sequitur condemnamus, seu potiùs pœnitentiamus. Inprimis quòd statim induaris super omnes vestes, quas defers, veste livida, ad modum scapularis Monachi sine capucio facta, antè & retrò habente cruces de panno croceo longitudinis trium palmorum, & latitudinis duorum: quam vestem deferre habeas super omnes vestes aliàs per tantum tempus, *exprimatur unius anni, vel duorum vel plus vel minus prout culpa exiget delinquentis*, & nihilominus, quòd cum dicta veste, & crucibus stes in porta N. Ecclesiæ, tali & tanto tempore, scilicet in quatuor festis principalibus gloriosæ Virginis Mariæ N. Ecclesiæ, vel N. & N. festivitatibus, in valvis N. & N. Ecclesiarum: teque ad carcerem

ad perpetuum, *vel* ad tale tempus ſententialiter condemnamus: *Ponantur illa quæ videbuntur magis ad honorem fidei expedire, attenta culpa majori, vel minori, ſeu contumacia delinquentis, & ſequatur*: Retinentes nobis ex certa ſcientia, & expreſsè, ut nobis concedunt canonica inſtituta: quatenus dictam pœnitentiam poſſimus mitigare, aggravare, mutare, tollere in toto; & in parte toties, quoties nobis viſum fuerit faciendum. Lata eſt hæc ſententia, &c.

Purgationis canonicæ à diffamato de hæreſi facienda.

Formula XXXVIII.

Comparebit namque perſonaliter ipſe purgandus cum ſuis compurgatoribus, eidem in certo numero generaliter conceſſis, talibus, qui eum, & ejus vitam, & mores noverint moderno tempore, & antiquo, & ſint ſuæ conditionis ſeu ordinis, ut dictum eſt in ſecundo modo prædicto proceſſum fidei terminandi, ubi agitur de purg. can. hujuſmodi, & ſtabunt coram Epiſcopo & Inquiſitore: in loco tamen ubi purgandus noſcitur de illa hæreſi infamatus, & ponetur liber Evangeliorum coram eis, ipſeque diffamatus ponet manus ſuper eum, ſic dicens: Ego juro ſuper iſta quatuor Dei Evangelia per Sacroſancta, quòd talem hæreſim, *exprimendo eam* de qua ſum diffamatus, nunquam tenui, nec credidi, nec docui, nec teneo, nec credo, *negabit, ſcilicet, cum juramento illud, de quo eſt diffamatus quidquid illud ſit. Quo facto omnes compurgatores ponent manum ſuper illum librum Evangeliorum, & quilibet dicit ita*: Et ego juro ſuper iſta quatuor Dei Evangelia, quòd credo ipſum verum juraſſe: *& tunc canonicè eſt purgatus. Qua purgatione expleta per ipſum diffamatum, mox idem diffamatus ut ſuſpectus aliter, & aliis indiciis, hæreſim, de qua eſt ſuſpectus habitus, habens prædictum libellum Evangeliorum coram ſe, abjurabit per hunc modum.*

Hæreſim abjurandi per illum, qui eſt de hæreſi diffamatus, & ſuſpectus aliàs de eadem,

Formula XXXIX.

Ego N. de loco N. diœceſis N. coram vobis Venerabilibus Dominis meis N. Epiſcopo civitatis, N. & N. Inquiſitore hæreticæ pravitatis in terris N. Domini, à Sede Apoſtolica ſpecialiter delegato, & in judicio perſonaliter conſtitutus, Sacroſanctis Evangeliis poſitis coram me, eiſque propriis manibus corporaliter, per me tactis, juro me credere corde, & profiteor ore illam ſanctam fidem Catholicamo quam Romana Eccleſia credit, profitetur, prædicat, & obſervat, & conſequenter abjuro, deteſtor, abnego, & revoco omnem hæreſim extollentem ſe adverſus ſanctam & Apoſtolicam Eccleſiam cujuſcumque ſectæ fuerit, ſeu erroris. Item juro me credere corde, & profiteor ore, quòd, &c. *Exprimatur articulus Catholicus contrarius illi hæreſi de qua eſt diffamatus, & aliàs ſuſpectus, ut ſi eſt ſuſpectus habitus & diffamatus, quòd non credat Deum eſſe viſibilium creatorem, ut faciunt Manichæi, dicet ſic*:

Item juro me credere corde, & profiteor ore, quòd Deus eſt verus creator omnium, tam viſibilium, quàm inviſibilium. Et conſequenter abjuro, deteſtor, abnego, & revoco illam hæreſim, quæ falſò & mendaciter aſſerit & affirmat, quòd Deus non eſt generalis omnium creatur, ſed tantummodo inviſibilium. *Et ſi de pluribus articulis hæreticalibus eſt ſuſpectus habitus, abjurabit quemlibet ſigillatim per modum prædictum.*

Item juro, quòd nunquam prædictæ hæreſi *ſeu* hæreſibus, *ſi plures ſint*, adhæſi, nec credidi, nec adhæreo, nec credo de præſenti; licet propter culpam meam ex his, quæ malè egi, ſum diffamatus, propter quod habui me purgare, & aliàs ſum ſuſpectus meritò coram vobis; quòd illis hæreſibus crediderim corde firmo.

Item juro, quòd prædictam hæreſim *ſeu* hæreſes nunquam dogmatizabo, nec prædicabo, nec docebo, nec aliquem inſtruam in illis: immò juro & promitto, ſi unquam ſcivero aliquem, qui aliquam hæreſim de prædictis, vel aliquam aliam teneat, credat, ſeu doceat, quòd vobis Dominis meis Epiſcopo, & Inquiſitori, ſeu alteri veſtrum, ſeu veſtrorum Vicariorum, ſeu ſucceſſoribus veſtris protinus quo citiùs potero intimabo.

Item juro & promitto, quod talia & talia, quæ egi, propter quæ & meritò ſum de N. hæreſi diffamatus, & ultra, vos me habetis ſuſpectum, *exprimantur illa*, nunquam deinceps faciam ſeu dicam, nec operam dabo, quòd fiant.

Item juro, & promitto, quòd omnem pœnitentiam, quam mihi injungere decreveritis pro prædictis, pro viribus adimplebo, nec contraveniam in aliquo: Sic me Deus adjuvet, & iſta Evangelia Sacroſancta. Quòd ſi contra prædicta jurata, & abjurata fecero in futurum (quod Deus avertat) pœnis de jure debitis, me nunc pro tunc liberè ſuppono, obligo, & adſtringo, quatenus illis plectar cùm probatum legitimè extiterit me talia commiſiſſe.

Ferendi ſententiam, vel injungendi pænitentiam diffamato de hæreſi, & ſuſpecto aliàs de eadem.

Formula XL.

Nos N. Epiſcopus civitatis N. & N. Inquiſitor hæreticæ pravitatis, in terris N. ditioni N. Domini ſubjectis, à ſancta Sede Apoſtolica ſpecialiter delegatus. Diligentiùs attendentes, quòd tu de loco N. & diœceſis, N. fuiſti delatus nobis de hæretica pravitate, *exprimatur illa*, nos volentes, ut tenebamur, judicialiter informari, an tu incidiſſes in prædictam hæreſim condemnatam, ad inquirendum, teſtes examinandum teque citandum, & interrogandum medio juramento, & ad alia facienda, quæ fienda erant per nos, deſcendimus, & proceſſimus, ut decebat, quibus peractis, viſis, & diligenter inſpectis, pariter & diſcuſſis, proceſſus meritis hujus cauſæ, & omnibus, & ſingulis productis, actis, & actitatis æqua lance libratis, habitoque in, & ſuper illis Theologorum, ac in jure peritorum pluries maturo conſilio, ac digeſto, repetimus te de prædicta hæreſi in loco, N. ſeu locis. NN. apud bonos, & graves publicè diffamatum: propter quòd, ut nobis mandant canonica inſtituta, indiximus tibi purgationem canonicam, qua coram nobis hic publicè te purgaſti, & ipſi compurgatores pariter te purgarunt. Invenimus etiam & talia commiſiſſe, *exprimantur illa*, propter quæ, & non immeritò, ſe ſuſpectum habuimus vehementer, *ſeu* leviter: *dicatur ſi eſt iſtud, vel illud*, & hæc de hæretica pravitate: propter quod fecimus te ut taliter ſuſpectam hæreſim abjurare. *Dicatur omnem hæreſim, ſi abjuravit, vel ſuſpectus vehementer; vel hæreſim ſupradictam, ſi ut ſuſpectus leviter.* Verùm quia non poſſumus, nec debemus, talia quæ peregiſti ullatenus tolerare, ſed cogimur ea vitare juſtitia ſuadente, ad hoc ut reddaris cautior in futurum; & ut crimina non remaneant impunita, & cæteri non reddantur procliviores ad ſimilia committenda, & ut Creatoris injuriæ non æquanimiter tolerentur: Ea propter te N. prædictum, purgatum, & abjuratum, hìc in noſtra præſentia perſonaliter conſtitutum, in hoc loco, & hora tibi in antea aſſignatis; Nos Epiſcopus & Inquiſitor præfati ſedentes pro tribunali more judicum judicantium, ſacroſanctis Evangeliis poſitis coram nobis, ut de vultu Dei judicium noſtrum prodeat, & oculi noſtri videant æquitatem, ſententiamus ſeu pœnitentiamus per modum, qui ſequitur, ſcilicet quòd teneatis, &c.

Cedulæ legenda in publico, crimina illius continentis, qui habet hæresim abjurare.

Formula XLI.

Istæ sunt culpæ & mala opera contra fidem Catholicam, quæ gessit N. hic præsens, quæ confessus est in judicio se commisisse ore proprio, medio juramento.

Inprimis confitetur ore proprio & medio juramento, quòd tot annis stetit, & perseveravit in ista hæresi, & errore, *exprimatur.*

Item confitetur quòd in dictam hæresim incidit in hunc modum, *dicatur.*

Item confitetur quod dogmatizavit, & pluries induxit plures ad eandem hæresim per hunc modum: *dicatur, & sic explicentur ejus culpæ omnes.*

Omnem hæresim abjurandi per illum, qui propria confessione est in hæresi deprehensus, & pænitet, & aliàs non est relapsus,

Formula XLII.

Ego N. de loco, N. diœcesis N. in judicio personaliter constitutus coram vobis Venerabilibus N. Episcopo civitatis, N. & N. Inquisitore hæreticæ pravitatis in terris Domini ditioni subjectis, à sancta Sede Apostolica specialiter delegato, sacrosanctis Evangeliis positis coram me, eisque propriis manibus per me tactis; juro me credere corde, & profiteor ore illam sanctam fidem Catholicam, & Apostolicam quam sancta Romana Ecclesia credit profitetur, prædicat, & observat; & consequenter abjuro, revoco, detestor, & abnego omnem hæresim cujuscunque sit conditionis, & sectæ extollentem se adversus sanctam, & Apostolicam Ecclesiam.

Item juro me credere corde, & profiteor ore *quòd, &c. explicetur articulus Catholicus, contrarius illi hæresi, in quam se confessus est incidisse, ut v. g. si confessus est incidisse in illam hæresim,* quòd Dominus noster Jesus Christus non fuit verus Deus, sed homo purus, *abjuret sic:*

Item juro me credere corde, & profiteor ore, quòd Dominus Jesus Christus B. Mariæ semper Virginis filius, fuit verus Deus, genitus de Deo Patre æternaliter, & verus homo ex Maria Virgine conceptus, & natus temporaliter: Et consequenter abjuro, abnego, detestor, & revoco illam hæresim damnatam per sacrosanctam Ecclesiam, quæ falsò, ac mendicaciter asseverat, quòd Dominus Jesus non fuit verus Deus, sed homo merus & purus, in quam hæresim ego miser incidi, eamque tenui, & illi credidi per annos tot, atque dogmatizavi, docui, & defensavi. Cujus rei me pœnitet corde toto. *Et si in plures hæreses se incidisse est confessus, abjurabis quamlibet singillatim per modum statim dictum.*

Item juro pariter & promitto, quod deinceps nullam hæresim prædictarum, seu aliam qualemcunque tenebo, eredam, nec adhærebo, nec dogmatizabo alicui, nec docebo, nec instruam quemcumque de hæresis pravitate, nec libros hæreticales scienter habebo: immo juro & promitto, quòd si scivero aliquem esse infectum aliqua hæresis labe, seu aliquem dogmatizare, docere, aut quemquam instruere in aliqua hæresi, vel errore, seu libros, vel scriptulas hæreticales habere, quamcitiùs commodè potero, vobis Domino Episcopo, vel Inquisitori, seu alteri successorum vestrorum, vel alicui Vicariorum vestrorum, vel illorum, denunciabo.

Item juro pariter & promitto, quòd pœnitentiam per vos mihi injungendam pro prædictis non refutabo, nec contraveniam in aliquo, immo pro viribus adimplebo.

Item juro pariter & promitto, quòd non fugiam nec absentabo me nisi de vestro beneplacito, licentia & assensu; immo juro, & promitto, quòd quandocumque & quotiescunque requisitus fuero per vos, seu alterum vestrum, seu Vicariorum vestrorum, ac successorum vestrorum, aut eorum Vicariorum alterius nomine, vel mandato, quàm citius commodè potero, me personaliter præsentabo: sic me Deus adjuvet, & hæc Evangelia sacrosancta. Quòd si contra prædicta jurata, vel abjurata, seu eorum aliquod (quod Deus avertat) fecero in futurum, haberi volo protinus pro relapso; ac pœnis relapsis de jure debitis, me nunc pro tunc obligo, & adstringo quatenus illis plectar, si & quando probatum extiterit legitimè in judicio, seu me confessum, contra nunc jurata, & abjurata aliqua commisisse.

Sententia contra eum, qui abjuravit, ut hæreticus pœnitens.

Formula XLIII.

Nos N. Episcopus civitatis N. & N. inquisitor hæreticæ pravitatis, in terris N. Domini ditioni subjectis, à sancta Sede Apostolica specialiter delegatus. Attendentes quòd tu N. de loco diœcesis N. fuisti nobis, publica, fama referente, ac fide dignorum insinuatione, delatus de hæretica pravitate, & quòd illa infectus fueris multis annis, in magnum tuæ animæ detrimentum: quæ delatio præcordia nostra acriùs vulneravit: Nos, quibus incumbit ex officio nobis tradito, sanctam fidem Catholicam in cordibus hominum complantare, ac pravitatem hæreticam ab eorum mentibus enervare, volentes (ut tenebamur, & tenemur) in, & super his certius informari, & videre si clamor, qui ad aures nostras pervenerat, veritate aliqua fulceretur, ut si veritas se haberet, provideremus de salubri remedio opportuno; descendimus ad inquirendum, testes examinandum, teque vocandum; ac ut congruentiùs potuimus, in, & super contra te denunciatis, te interrogandum medio juramento, & ad peragendum omnia & singula, quæ per nos erant fienda, justitia exigente, ac ut nobis mandant canonicæ sanctiones. Sanè cùm vellemus causæ tuæ hujusmodi congruum dare finem & videre clarè, quod compertum fuerat, an, scilicet, ambulares in tenebris, vel in luce; & an fores infectus hæresis labe, nec ne, processus meritis actitatis, solemne tam in sacræ Theologiæ facultate, quam in jure canonico, & civili peritorum coram nobis consilium ordinavimus congregari, scientes quòd secundum canonica instituta, integrum est judicium, quòd plurimorum sententiis confirmatur. Et habito in, & super omnibus, & singulis actis & actitatis in causa præsenti, sano, maturo, ac digesto consilio prædictorum; visisque, ac diligenter inspectis processus meritis, omnibusque & singulis in eo contentis æqua lance libratis, invenimus te propria confessione in judicio recepta per nos medio juramento, in multiplici pravitate hæretica deprehensum: nam invenimus quod tu per annos tot credidisti corde, quòd &c. *explicentur omnes hæreses, in quibus incidit singillatim, scilicet,* quòd Dominus Jesus Christus non fuit Deus & homo purus. Item quòd Beata Maria mater Domini nostri Jesu Christi non fuit semper Virgo, sed postquam Christum virgo peperit, ipsa de Joseph alios filios generavit, &c. *Exprimantur omnes, quæcunque sint illæ, & etiam explicentur omnia, quæ contra eum legitimè sunt probata. Et post sequatur sic:* Verum cùm misericors, & miserator Dominus nonnullos prolabi permittat aliquando in hæreses & errores, non solùm ut viri Catholici, & literati in sacris eloquiis exercitentur, verum etiam ut sic lapsi humiliores deinceps fiant, ac in pœnitentiæ operibus exerceantur, ejusdem processus

meritis

mariris diligenter discussis reperimus, quòd tu ad informationem frequentem nostram, & aliorum proborum, adhærendo consilio saniori ad gremium sanctæ matris Ecclesiæ, & ad ejusdem unitatem salubriter evolasti; prædictos errores & hæreses detestando, ac fidei sanctæ Catholicæ agnoscens irrefragibilem veritatem, tuis intimis visceribus infigendo, propter quod te admisimus ad abjuratoriam & adjuratoriam publicam cautionem, faciendo te in præsentiarum præfatas hæreses, & omnem aliam hæresim publicè abjurare; qua expleta absolvimus te à sententia excommunicationis majoris, qua ex lapsu in hæresim extiteras innodatus, & te reconciliando, sanctæ matri Ecclesiæ restituimus Ecclesiasticis Sacramentis: dum tamen de corde vero, & fide non ficta redieris ad Ecclesiæ unitatem, prout te fecisse credimus & speramus. Sanè cùm indignum valde existat Dominorum temporalium injurias ulcisci; Dominique cælorum & Creatoris omnium injurias æquanimiter tolerare, cùm multò graviùs sit æternam, quàm temporalem lædere majestatem; & ut ipsa peccatorum miserator, tui misereatur; & ut sis cæteris in exemplum, & ut crimina non remaneant impunita, & ut efficiaris cautior in futurum, & ut non reddaris proclivior, sed difficilior ad prædicta & quæcunque alia illicita committenda.

Nos Episcopus & Inquisitor judices in causa fidei antefati, sedentes pro tribunali more judicum judicantium de prædictorum in sacra Theologia atque jure, consilio peritorum, sacrosanctis Evangelus positis coram nobis, ut de vultu Dei judicium prodeat, & oculi nostri videant æquitatem, habentesque præ oculis solum Deum, ac fidei orthodoxæ irrefragabilem veritatem, N. te in nostra præsentia constitutum in hoc loco, die, & hora tibi ad audiendam diffinitivam sententiam, seu injungendam pœnitentiam in antea assignatis, sententialiter, & taliter damnamus, ac pœnitentiamus, solam tibi vitam de misericordia relinquentes. In primis quod mox induaris veste livida facta ad modum superinsignii militum, seu scapularis absque capucio monachorum, habente cruces de panno croceo, unam ante, & aliam retro longitudinis trium palmorum, & latitudinis medii palmi: quam vestem, & cruces. super vestes alias deferre habeas toto tempore vitæ tuæ in signum pœnitentiæ: & si destruatur, habere, & deferre aliam tenearis, cùm cruces sint insignia hominis pœnitentis: quòd abhorrere non debes, sed diligere, quia Dominus Jesus crucem in suis humeris homiliter bajulavit. Item te condemnamus, & pœnitentiamus, quòd mox hac prædicta veste indutus, ponaris cum prædicta veste & crucibus in porta N. hujus Ecclesiæ, N. in scala, in alto, & ibi stes usque ad horam prandii, taliter, ut videri possis ab egredientibus, & ingredientibus evidenter, & post reducaris ad eundem locum & scalam, indutus veste prædicta & crucibus, in prima pulsatione Vesperarum, & illic taliter stes usque ad solis occasum. Item te sententialiter condemnamus, quod die N. Dominica, seu festiva stes in porta N. Ecclesiæ in scala, in alto, à principio Missæ majoris usque ad finem, cum veste, & crucibus supradictis, & tali die Dominica vel festiva per modum consimilem in porta N. Ecclesiæ, & N. *exprimantur omnes, vel multa Ecclesiæ parochiales & Religiosorum, & præsertim illæ in quibus major populi confluit multitudo, & assignentur dies solemniores anni, sicut Christi Nativitatis, Apparitionis, Paschæ, Ascensionis, Pentecostes, & quatuor festivitates Virginis gloriosæ, plus vel minus ut culpa exegerit delinquentis,*

Item te sententialiter condemnamus carceri N. ad perpetuum, ut ibi semper pane doloris, & aqua angustiæ crucieris. Retinentes nobis ex certa scientia & expressè, quòd possimus liberè dictam sententiam seu pœnitentiam mitigare, aggravare, commutare, tollere totaliter, vel in parte; si, quando & prout nobis, & toties quoties videbitur faciendum. Lata fuit hæc sententia.

Ferendi sententiam contra eum, qui in hæresim est relapsus, sed pænitens, & ut relapsus traditur curiæ seculari,

Formula XLIV.

Nos N. miseratione divina Episcopus civitatis N. & N. Inquisitor hæreticæ pravitatis in terris N. Domini ditioni subjectis, à sancta Sede Apostolica specialiter delegatus.

Attendentes legitimè informari, quod tu N. D. loco N. & diœcesis N. fuisti coram nobis, *si ita fiat*, seu coram talibus Episcopo, & Inquisitore delatus de tali hæretica pravitate, *seu* talibus, *explicentur*, in quibus hæresibus, ut legitime fuit compertum, fuisti confessione propria deprehensus, ac etiam testibus convictus, & quòd in illis perstiteras tanto tempore animo indurato, *dicatur prout fuit*, sed post adhærens (ut videbatur) consilio saniori, illas hæreses in N. loco publicè abjurasti, abnegasti (& revocasti in forma Ecclesiæ consueta; propter quæ prædicti Episcopus & Inquisitor credentes te veraciter conversum ad gremium Ecclesiæ sanctæ Dei, te ab excommunicationis sententia, qua constrictus tenebaris, absolventes (si tamen de corde vero, & fide non ficta reversus esses ad sanctæ Ecclesiæ unitatem) injunxerunt tibi pœnitentiam salutarem. Verùm post omnia supradicta, & tot annorum curriculis jam elapsis, nunc noviter iterum delatus nobis fuisti & extitisti, quòd iterum incideras in N. hæreses abjuratas, *explicentur*. Nosque, licèt displicenter de te talia audissemus, tamen justitia nos cogente, descendimus ad inquirendum, testes examinandum, teque vocandum; & interrogandum medio juramento, nec non ad omnia, & singula facienda, quæ per nos fienda erant secundùm canonica instituta. Sanè cùm vellemus præsentem causam fine debito terminare, solemne consilium tam in Theologiæ facultate, quàm in jure canonico, & civili peritorum, jussimus congregati, & habito prædicto consilio maturo pariter & digesto, in, & super omnibus, & singulis actis, & actitatis, ac visis, & diligenter discussis processus meritis, & omnibus & singulis actis, & actitatis, æqua lance liberatis, prout fieri exigebat, reperimus legitimè tam per testes, quàm per propriam tuam confessionem judicialiter receptam, quòd reincidisti in hæreses abjuratas. Nam reperimus, quod talia & talia dixisti vel fecisti, *explicentur omnia*, propter quæ & meritò, de prædictorum consilio te habuimus & habemus pro relapso juxta canonica instituta; quod dolenter referimus, & referendo dolemus; sed quia ad informationem nostram & proborum virorum catholicorum, divina gratia inspirante, iterum es reversus ad gremium Ecclesiæ, & ad ejusdem unitatem, prædictos errores & hæreses detestando, & credendo catholicè, fidemque Catholicam protestando, admisimus te ad recipiendum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ petita per te humiliter Ecclesiastica Sacramenta: prout relapsis pœnitentibus, & humiliter petentibus concedum canonicæ sanctiones. Verum cùm Ecclesia Dei in te, & circa te non habeat ultra quid faciat, cùm ita misericorditer se habuerit erga te (ut prædiximus) & tu illa ubusus fueris in abjuratas hæreses incidendo: ea propter nos Episcopus & Inquisitor Judices antefati, sedentes pro tribunali more judicum judicantium sacrosanctis Evangeliis positis coram nobis, ut de vultu Dei judicium nostrum prodeat, & oculi nostri videant æquitatem, habentesque præ oculis solum Deum, & sanctæ fidei irrefragabilem veritatem, ac extirpationem

hæreticæ pravitatis: te N. hoc loco, die, & hora N. tibi ad audiendam diffinitivam sententiam in antea assignatis, sententialiter judicamus esse veraciter relapsum in eandem, de foro nostro Ecclesiastico projicimus, & relinquimus, seu brachio sæculari tradimus. Rogamus tamen & efficaliter dictam curiam sæcularem, quòd circa te, citra sanguinis effusionem, & mortis periculum sententiam suam moderetur.

Tradendi hæreticum pertinacem, aliàs non relapsum curiæ sæculari, Formula XLV.

Nos N. miseratione divina Episcopus civitatis N. & N. Inquisitor hæreticæ pravitatis, in terris N. Domini, à sancta Sede Apostolica specialiter delegatus.

Attendentes, quòd tu N. de loco N. diœcesis N. fuisti nobis delatus, fama publica referente, ac fide dignorum insinuatione, de hæretica pravitate, scilicet, quòd asserebas & affirmabas publicè, *quod sic & sic explicentur hæreses:* & quòd tu in illis hæresibus perstiteras multis annis in animæ tuæ detrimentum: Nosque, quibus ex officio incumbebat pravitatem hæreticam extirpare volentes, prout tenebamur, in, & super his certiùs informari, & videre an ambulares in tenebris, an in luce, diligenter inquisivimus de prædictis, teque citantes, ac efficaciter interrogantes reperimus te prædicta infectum hæretica pravitate, ac eandem defensantem coram nobis animo pertinaci. Sanè cùm præ cunctis nostræ mentis desiderabilibus cordi nostro insidat fidem sanctam Catholicam & Apostolicam in populorum præcordiis complantare, eradicata, hæretica pravitate, modos diversos, varios & congruos, tam per nos, quàm per alios adhibuimus, quatenus resilires ab hæresibus, & erroribus antedictis, in quibus steteras atque stabas, prout nunc stas contumaciter, ac pertinaciter animo indurato; Verùm cum humani generis inimico tuis præcordiis assistente, teque in dictis erroribus volvente & involvente, nolueris neque velis à sæpè dictis hæresibus resilire, plùs eligens mortem animæ incurrere gehennalem, & corporis temporalem, quàm antefatas hæreses abjurare, & ad gremium Ecclesiæ advolare, & animam lucrari in reprobum sensum datus: ea propter cùm his ab Ecclesia sancta Dei excommunicationis vinculo innodatus, & meritò, immo à grege Dominico separatus, ac participatione bonorum Ecclesiæ privatus, & Ecclesia non habeat circa te ulterà quid faciat, cùm ad te convertendum fecerit juxta posse: Nos Episcopos & Inquisitor judices in causa fidei sæpefati, sedentes pro tribunali more judicum judicantium, Sacrosanctis Evangeliis positis coram nobis, ut de vultu Dei judicium nostrum prodeat, & oculi nostri videant æquitatem: habentesque præ oculis solum Deum, & sanctæ fidei veritatem, ac extirpationem hæreticæ pravitatis; hac die, hora, & loco tibi in antea assignatis ad audiendam sententiam diffinitivam; condemnamus, ac sententialiter judicamus, te esse veraciter hæreticum impœnitentem, & ut veraciter talem, tradendum & relinquendum brachio seculari, & sicut hæreticum impenitentem per hanc nostram sententiam de foro Ecclesiastico te projicimus, & tradimus, seu relinquimus brachio sæculari, ac potestati curiæ sæcularis, dictam curiam secularem efficaciter deprecantes, quòd circa te, citra sanguinis effusionem, & mortis periculum, suam sententiam moderetur. Lata fuit hæc sententia, &c.

Relinquendi, seu tradendi hæreticum impœnitentem, & relapsum brachio sæculari. Formula XLVI.

Nos N. miseratione divina Episcopus civitatis, N. & N. Inquisitor hæreticæ pravitatis, in terris N. Domini à Sancta Sede Apostolica specialiter delegatus.

Attendentes, quod tu N. de loco, N. Diœcesis N. fuisti nobis, seu N. N. prædecessoribus nostris delatus de multiplici hæretica pravitate, *explicentur*, in quibus, ut legitimè compertum est, fuisti confessione propria ac judicialiter, & fide dignis testibus deprehensus, & quòd in illis perstiteras tanto tempore animo indurato, *dicatur prout fuit*, sed post sano consilio inhærendo, illas hæreses publicè abjurasti in loco N. in forma Ecclesiæ consueta; propter quæ prædicti Episcopus, & Inquisitor credentes te veraciter resiliisse ab erroribus antefatis, & ad gremium Ecclesiæ Catholicæ credendo advolasse, tibi absolutionis beneficium impertierunt, absolventes te ab excommunicationis sententia qua adstrictus in antea tenebaris, stantem de corde vero, & fide non ficta conversus extiteres ad sanctæ Ecclesiæ unitatem, tibique salutarem pœnitentiam injungentes, ad misericordiam receperunt, quia Ecclesia sancta Dei non claudit gremium revertenti. Verùm post omnia antedicta, fuisti nobis delatus (quòd displicenter accepimus) quòd interim incideras in damnatas hæreses per te publicè in antea abjuratas, seu talia & talia commisisti contra abjurationem prælibatam in tuæ animæ detrimentum, *explicentur*, Nosque quanquam displicentia sauciati, quòd de te talia audivissemus: nihilominus justitia nos cogente, descendimus ad inquirendum, testes examinandum, teque vocandum, & interrogandum (ut decebat) medio juramento, & ad faciendum omnia & singula, quæ per nos fienda erant secundùm canonica instituta. Sanè cùm vellemus præsentem causam fine debito terminare, solemne tam peritorum in Theologiæ facultate, quam in jure canonico, & civili consilium fecimus congregari, & habito cum prædictis in, & super omnibus & singulis in præsenti causa productis, deductis, actis, & actitatis consilio maturo pariter & digesto, ac etiam replicato, visisque ac diligenter inspectis processus meritis hujus causæ ac omnibus æqua lance libratis, prout jus & justitia suadebant, reperimus legitimè tam per testes dignos fide, quàm per tuam confessionem propriam pluries per nos judicialiter receptam, te incidisse ac recidisse in hæreses abjuratas. Nam reperimus quòd talia dixisti, & egisti, *explicentur omnia*, propter quæ & meritò de prædictorum consilio, te habemus tuis exigentibus excessibus pro relapso secundùm canonicas sanctiones; quod dolenter referimus, & referendo dolemus, novit ille, qui nihil ignorat, qui cordium intima omnium intuetur: Et cùm totis nostris præcordiis cuperemus, prout adhuc cupimus, reducere te ad sanctæ Ecclesiæ unitatem, ac enervare à tuis visceribus præfatam hæreticam pravitatem, ut sic salvares tuam animam, ac mortem evaderes corporis & animæ gehennalem, conatus nostros exercuimus ad te salubriter convertendum, modos congruos varios adhibentes; sed tu in reprobum sensum datus, maligno spiritu ductus pariter & seductus, præeligisti torqueri diris, & perpetuis cruciatibus in infernum, & hic temporalibus ignibus corporaliter consummari, quàm adhærendo consilio saniori, ab erroribus damnabilibus ac pestiferis resilire, & ad gremium, ac misericordiam sanctæ matris Ecclesiæ advolare. Ea propter cùm Ecclesia Dei ulterà non habeat erga te quid faciat, cùm ad te convertendum totum exercuerit possessum, Nos Episcopus & Inquisitor judices in hac causa fidei memorati, sedentes pro tribunali more judicum judicantium, Sacrosanctis Evangeliis positis coram nobis, ut de vultu Dei judicium nostrum prodeat, & oculi nostri videant æquitatem; & præ oculis habentes solum Deum & honorem sanctæ fidei orthodoxæ: hac die, hora, & loco, ad audiendam sententiã diffinitivam tibi in antea assignatis, te N. in nostra præsentia constitutũ sententialiter condemnamus, & condemnando judicam*, te esse veraciter impœnitentem hæreticũ, & relapsum, & talẽ realiter tradendum

dum ſeu relinquendum brachio ſæculari, ac poteſtati curiæ ſæcularis; deprecantes efficaciter curiam ſæcularem prædictam, quòd citra ſanguinis effuſionem & mortis periculum, erga te ſententiam ſuam moderetur. Lata fuit hæc ſententia, &c.

Puniendi, ac condemnandi falſos teſtes, vel falsò ſeu malitiosè imponentes innocenti crimen hæreticæ pravitatis,

Formula XLVII.

Nos N. miſeratione divina Epiſcopus N. civitatis, & N. Inquiſitor hæreticæ pravitatis in terris N. Domini, à Sancta Sede Apoſtolica ſpecialiter delegatus.

Attendentes, quòd tu N. de loco, N. Diœceſis, N. veniens per teipſum, ſpontanea voluntate, aliàs non citatus nec vocatus, ac comparens perſonaliter coram nobis Inquiſitore prædicto, ſeu Epiſcopo, & Inquiſitore prædictis in judicio conſtitutus accuſaſti, ſeu denunciaſti, ac teſtificatus fuiſti medio juramento, quòd N. de loco, N. & Diœceſis, N. talia dixit ſeu fecit contra ſanctam fidem Catholicam, ac in favorem hæreticæ pravitatis *exprimatur illa*: Nos meritò præſumentes te non falsò contra prædictum N. talia depoſuiſſe, nec ex odio, vel rancore, neque ex animo malignandi, ſed zelo fidei orthodoxæ quantum prima facie apparebat; dictum N. vocari fecimus coram nobis, & in judicio conſtitutum, juratumque de dicenda veritate requiſivimus, quatenus de prædictis ſuper hæreſi quæcumque ſciret, tam de ſe, quàm de aliis & meram nobis diceret veritatem: quo conſtanter negante prædicta, & in negativa diu & continuè perſiſtente, ſuſpicantes eundem negare veritatem contra proprium juramentum, eundem fecimus tanto tempore in carcere detineri, ſeu aliàs arreſtari, credendo te, & alios eundem nobis zelo fidei detuliſſe. Demum tam ex negativa ipſius delati N. (in qua perſtitit, & perſiſtit, medio juramento, & multo tempore expectatus) quàm ex quibusdam veriſimilibus conjecturis meritò ſuſpicantes, quòd tu malitiosè & calumniosè contra N. prædictum deponens, eum involvere nixus fueris in crimine tam nefando; te citari, & ad noſtram præſentiam adduci, ac prædictum talem coram nobis fecimus confrontari: & cùm prædictus talis delatus in negativa perſtiterit, & tu in affirmativa; & uterque medio juramento, te juſſimus detineri donec de prædictis (prout nos decuit) fuiſſemus pleniùs informati, & compertis talibus & talibus, *exprimatur*, te de carcere educi fecimus, & coram nobis in judicio conſtitutum, juratumque, iterum monuimus & requiſivimus canonicè, quòd nobis aperires & diceres an ea, quæ contra talem prædictum depoſueras, continerent in aliquo veritatem: tu verò ductus conſilio ſaniori, tuæ malitiæ conſcius, & ad cor rediens, conſtitutus in judicio coram nobis ſponte, & liberè recognoviſti, quòd omnia & ſingula, quæ depoſueras contra eum, non fidei zelo, nec veritatis amore hoc feceras, ſed potius typo malitiæ, & rancoris, & livore iracundiæ, & odio concitatus, & quòd talia, quæ depoſueras contra eum, non continebant in aliquo veritatem, ſed ſimpliciter erant falſa: petens tu humiliter pro præmiſſis tibi miſereri, ac tibi injungi pœnitentiam ſalutarem: Nos igitur Epiſcopus & Inquiſitor præfati, penſatis præmiſſis ac circumſtantiis aliis, quibus motus animus noſter, & cujuslibet judicis potuit meritò informari; certiores effecti quòd veritatem, quæ ſola in negotio fidei quæritur, denigraſti, ſinceritatem Sancti officii Inquiſitionem corrupiſti, & nos tuos judices deluſiſti, in præjudicium fidei orthodoxæ, & in ſcandalum ac grave periculum prædicti N. innocentis; quem in tam deteſtabili crimine malitiosè & fraudulenter involvere nitebaris, falſum ferendo teſtimonium in judicio coram nobis. Ea propter ne (ſicut nec debet, nec expedit) tale & tam grave crimen remaneat impunitum, & ut tui pœna tranſeat cæteris in exemplum, & alii à conſimilibus arceantur, ſedentes pro tribunali more judicum judicantium, Sacroſanctis Evangeliis poſitis coram nobis, ut de vultu Dei omne judicium noſtrum prodeat & oculi noſtri videant æquitatem, habentesque præ oculis ſolum Deum, de multorum peritorum in Theologiæ facultate, & in jure canonico, & civili maturo conſilio pariter & digeſto, te N. in cauſa fidei falſum teſtem, ſeu delatorem ad carcerem perpetuum N. in his ſcriptis per noſtram diffinitivam ſententiam condemnamus: in quo ſub vinculis ferreis in pane doloris, & aqua anguſtiæ, quamdiu vixeris, agas pœnitentiam de præmiſſis, ſolam vitam tibi de miſericordia relinquentes; & nihilominus quòd ſtatim ponaris & eleveris in ſcala, in tali porta hujus Eccleſiæ, in qua ſtes ligatis manibus, & capite diſcooperto, & in camiſia ſpoliatus, uſque ad horam prandii; & modo conſimili die Dominica, in porta Eccleſiæ, N & N. in N. &c. *ponantur alia, ut viſum fuerit, & culpa major vel minor exegerit delinquentis.* Reſervantes nobis ex certa ſcientia & expreſſè, quatenus dictam pœnitentiam liberè valeamus mitigare, relaxare, aggravare, & mutare, ſi, & quando, & toties quoties nobis viſum fuerit faciendum. Lata fuit hæc ſententia, &c.

Tradendi ſeu relinquendi brachio ſæculari eum, qui convictus eſt de hæreſi per teſtes legitimos, & ſtat pertinaciter in negativa, licet fidem Catholicam profiteatur,

Formula XLVIII.

Nos N. miſeratione divina Epiſcopus civitatis, N. & N. Inquiſitor hæreticæ pravitatis, in terris N. Domini, à Sancta Sede Apoſtolica ſpecialiter delegatus.

Attendentes, quod tu N. de loco N. & Diœceſis, N. fuiſti nobis delatus de tali hæretica pravitate, *exprimatur*, & vellemus certiorari, an ea quæ de te, & contra te nobis dicta fuerunt, veritate aliqua fulcirentur, & an tu ambulares in tenebris, vel in luce, deſcendimus ad nos informandum, teſtes diligentius examinandum, teque vocandum, ac interrogandum ſæpius medio juramento, defenſionesque exhibendum, & ad omnia & ſingula faciendum, quæ per nos facienda erant ſecundum canonicas ſanctiones. Verum cùm vellemus præſens tuum negotium fine debito terminare, ſolemne conſilium tam in Theologiæ facultate, quàm in jure canonico & civili peritorum coram nobis fecimus congregari; & viſis, ac diligenter diſcuſſis proceſſus meritis, ac omnibus, & ſingulis in præſenti cauſa productis, deductis, actis, & actitatis æqua lance libratis, prædictorum conſilio digeſto pariter & maturo, reperimus contra te probatum legitimè, quòd fuiſti tanto tempore infectus hæretica pravitate: nam reperimus quod dixiſti & feciſti talia, & talia, *exprimantur*, ex quibus apparet manifeſte quòd es legitimè deprehenſus in prædictam hæreticam pravitatem. Sanè cùm cuperemus (prout adhuc cupimus) te, veritatem fatendo reſilire ab hæreſi antedicta, & reduci ad gremium Eccleſiæ ſanctæ, & ad ſanctæ fidei unitatem, ut ſic ſalvares animam tuam, & tam animæ quàm corporis mortem evaderes gehennalem; tam per nos, quàm per alios noſtram diligentiam exercentes, ac te per longa tempora expectantes; tu in reprobum ſenſum datus contempſiſti acquieſcere noſtro conſilio ſaniori, immo perſtitiſti, & perſiſtis in negativa pertinaciter animo indurato: quod dolenter referimus, & referendo plangimus & dolemus: Verum cùm Eccleſia Dei tanto tempore te expectaverit, quatenus reſilires recognoſcendo propriam tuam culpam, nolueris, neque velis, & non habeat ultrà quid tibi gratiæ faciat atque mercedis: ea propter ut ſis cæteris in exemplum, & alii

ab hujusmodi hæresibus arceantur: Nos Episcopus & Inquisitor, judices in causa fidei memorati, sedentes pro tribunali more judicum judicantium, Sacrosanctis Evangeliis positis coram nobis, ut de vultu Dei judicium nostrum prodeat, & oculi nostri videant æquitatem, habentes præ oculis solum Deum, & sanctæ fidei gloriam & honorem: te N. in nostra præsentia constitutum hac die, & hora, & loco, tibi ad audiendum sententiam diffinitivam assignatis; diffinimus, declaramus, ac sententiamus, te esse hæreticum impœnitentem, & tradendum, seu relinquendum ut talem, brachio sæculari, & per hanc nostram sententiam, ut verè hæreticum pertinacem, ac impœnitentem, à foro Ecclesiastico te projicimus, & tradimus seu relinquimus brachio sæculari, ac potestati curiæ secularis, eandem curiam sæcularem efficàciter deprecantes, quatenus circate, citra sanguinis effusionem, & mortis periculum, suam sententiam moderetur. Lata est hæc sententia, &c.

Citandi convictum de hæresi absentem, vel fugitivum contumacem, ad sententiam,

Formula XLIX.

Nos N. miseratione divina Episcopus civitatis, N. & N. Inquisitor hæreticæ pravitatis, in terris, N. Domini ditioni subjectis, à Sancta Sede Apostolica specialiter delegatus, N. Diœcesis, N. seu Ordinis, N. seu Religionis, N. Spiritum consilii sanioris.

Præ cunctis nostræ mentis desiderabilibus illud potissimum infigitur cordi nostro, ne temporibus nostris in dicta Diœcesi N. uberem, florentemque vineam, Ecclesiam, inquam, vineam Domini Sabaoth, quam summi Patris dextera virtuosius complantavit, quam ejusdem Patris Filius proprii, ac vivifici unda cruoris uberius irrigavit, quam ipse almus Spiritus Paraclitus miris, ineffabilibusque donis intimius fœcundavit, quam tota ipsa incomprehensibilis atque inattingibilis Trinitas Beata, grandissimis, variisque privilegiis sanctius dotavit pariter & ditavit, Aper de sylva, qui est & dicitur hæreticus quilibet, absorbeat & depascat, fructus fidei uberes devastando, ac lacerantes, hæresum vepres palmitibus inserendo, serpensque tortuosus nostri improbus humani generis inimicus, efflans virus, qui est Satanas & Diabolus; ejusdem vineæ Dominicæ palmites inficiat, atque fructus, virus pravitatis hæreticæ immittendo. Ne etiam ager ipse Dominicus, populus inquam Catholicus, ad quem excolendum pariter & serendum descendit de summorum polorum arce, Dei Patris unigenitus atque primogenitus, seminavit miris, sanctisque prædicationibus, discurrit per villas, & castella docens non sine magnis fatigationibus, elegit Apostolos viros utique operarios industrios, ac conduxit, ditans illos æternis retributionibus, expectans ipse Dei filius de agro isto magno illo judicii extremo uberes manipulos colligere, & per manus sanctorum Angelorum recondere in cælesti horreo sancto suo, Samsonisque vulpeculæ intricatæ, quæ sunt personæ labe hæretica depravatæ, facies quidem habentes diversas, sed caudas ignitas ad invicem colligatas, quia de vanitate conveniunt in idipsum segetem Dominicam jam albam ad messem, splendoribus fidei relucentem, morsu amarissimo demoliantur, ac discursu subtilissimo perdant, imperuque validissimo accedant, pariter & accendant, dissipent & devastent, sinceritatem sanctæ fidei Catholicæ subtiliter & damnabiliter subvertendo: eapropter cùm tu N. incideris in damnatas hæreses manifestè, illas publicè in Ecclesia N. prædicando, seu taliter, *dicantur*, seu fueris per testes legitimos convictus de hæretica pravitate, sive deprehensus propria confessione in judicio per nos recepta, & post captus fugeris, medicinam refutans salutarem, Nos verò citaverimus te, ut de, & super his coram nobis manifestius responderes, tuque ductus maligno spiritu, pariter & seductus renueris comparere, *vel sic:* Eapropter cum tu N. delatus nobis de hæretica pravitate, & recepta informatione contra te aliàs de eadem esses nobis suspectus leviter, quòd fores infectus labe prædicta, citavimus te, quatenus coram nobis personaliter compareres de fide catholica responsurus; Cumque citatus renueris contumaciter comparere, excommunicavimus te, ac excommunicatum fecimus publicari, in qua excommunicatione stetisti per annum, seu annos tot, animo pertinaci, latitans, & fugiens hinc & inde, ita quòd nunc quo te duxerit malignus spiritus ignoramus, & cùm te expectaverimus misericorditer & benignè, ut reverteretis ad gremium Ecclesiæ Sanctæ Dei, & ad sanctæ fidei unitatem; tu facere contempsisti in reprobum sensum datus. Sanè cum velimus, (ut tenemur, justitia nos cogente) causam tuam hujusmodi, fine debito terminare, nec valeamus tam nefanda crimina conniventibus oculis tolerare: Nos Episcopus & Inquisitor judices in causis fidei supradictis, te N. sæpefatum latitantem, profugum, & fugitivum per præsens nostrum edictum publicum requirimus pariter & citamus peremptoriè, quatenus die.....mensis.... de anno .... in Ecclesia Cathed. Diœcesis,... hora tertia, compareas personaliter coram nobis diffinitivam sententiam auditurus; significantes quòd sive comparueris, sive non, procedemus ad nostram sententiam diffinitivam contra te, prout jus, & justitia suadebunt. Et ut præsens nostra citatio perveniat ad tui notitiam, nec valeas ignorantiæ velamine te tueri, præsentes nostras litteras, dictas requisitionem & citationem nostras in se continentes, volumus & mandamus affigi in valvis publicæ prædictæ Ecclesiæ Cathedralis, N in quorum testimonium singulorum, præsentes nostras litteras impressione nostrorum sigillorum jussimus communiri. Datum, &c.

Degradandi verbaliter absentem condemnandum ut impœnitentem.

Formula L.

Nos N. miseratione divina Episcopus civitatis N. &c.

Attendentes, quòd tu N. in sacris Ordinibus constitutus, *exprimantur*, vel N. Religionis obumbratione fuscatus, *exprimatur*, tuis demeritis exigentibus, es mox per nos, & venerabilem Inquisitorem hæreticæ pravitatis impœnitens hæreticus judicandus, & ut N. per nostram sententiam relinquendus brachio sæculari: eapropter justitia exigente, & ut nobis mandant canonicæ sanctiones, sententiam depositionis, ac derogationis in, & contra te ferimus in his scriptis, te ab omni officio sacerdotali, & sacris ordinibus, ac prædicatione, ac confessionum audientia deponentes. Lata fuit hæc sententia, &c.

Ferendi sententiam, contra absentem, vel fugitivum declarandum hæreticum impœnitentem,

Formula LI.

Nos N. Episcopus miseratione divina civitatis N. & N. Inquisitor hæreticæ pravitatis in terris N. Domini ditioni subjectis, à Sancta Sede Apostolica specialiter delegatus.

Attendentes quòd tu N. de loco, N. Diœcesis, N. fuisti nobis delatus de multiplici hæretica pravitate, fama publica referente, seu fide dignorum insinuatione: Nos quibus ex officio incumbit, descendimus ad videndum, ac inquirendum an clamor, qui ad aures nostras pervenerat, veritate aliqua fulciretur, & an tu sic delatus ambulares in tenebris, vel in luce: Verum cum invenissemus te in hæresim deprehensum, deponentibus contra te quamplutibus testibus fide dignis, te coram

nobis

nobis advocatum jussimus detineri, ac te interrogantes medio juramento, confessus es, nobis judicialiter, quòd fuisti tanto tempore infectus prædicta hæretica pravitate: & quòd eras paratus pœnitere, ac dictam hæresim abjurare, & facere quæ tibi forent per nos imposita & mandata, *dicatur ut fuit.* Sed post maligni spiritus consilio ductus pariter & seductus, metuens tua vulnera vino & oleo salubriter confoveri, carcerem, & arrestum fregisti pariter & aufugisti, latitans hinc & inde; & quò te malignus spiritus duxerit antefatus totaliter ignoramus: *vel sic.* Verùm cùm invenissemus contra te (taliter, ut prædicitur, nobis delatum de hæretica pravitate) multa indicia, propter quæ suspectum leviter de pravitate prædicta te meritò haberemus, citavimus te per publicum edictum in N. & N. Ecclesiis diœcesis, N. quatenus infra certum terminum tibi per nos præfixum, coram nobis in loco, N. personaliter compareres, in, & super prædictis contra te depositis, & alias de fide Catholica, & ejus articulis responsurus: Tu verò insano consilio inhærendo, renuisti contumaciter comparere: Cumque, justitia exigente, te excommunicaverimus, ac fecerimus excommunicatum publicè denunciari, tu medicinem refutans salutarem, dictam excommunicationem ultrà quam per annum sustinuisti, & adhuc sustines in reprobrum sensum datus, animo pertinaci; & profugus latitans hinc & inde ita ut quò te malignus spiritus duxerit, ignoremus. Sanè cùm longo tempore, quia tamdiu te expectaverit Ecclesia Sancta Dei misericurditer & benignè, quatenus ad ejus misericordiæ gremium evolares, ab erroribus resiliendo, & fidem Catholicam profitendo, ipsaque te clementiæ visceribus enutriret, malignorum seductus consilio, acquiescere recusasti, in tua pertinacia perseverans. Verùm cùm vellemus, prout volumus & debemus, justitia nos cogente, causam tuam fine debito per sententiam terminare; citavimus te; quatenus hac die, & hora, & hoc loco, compareres personaliter coram nobis, diffinitivam sententiam auditurus: & quia renuisti contumaciter comparere, meritò te ostendis velle perpetuò in tuis hæresibus & erroribus remanere, quod dolentes referimus, & referendo dolemus. Sed cum non possimus, nec selimus justitiam subterfugere, nec tantam inobedientiam, & contumaciam ad Dei Ecclesiam tolerare, ad exaltationem fidei Catholicæ, & ad extirpationem pravitatis hæreticæ, justitia exigente, & tua inobedientia ac contumacia requirente hac die, hora, & loco tibi in antea ad audiendam diffinitivam sententiam peremptoriè assignatis, præhabito consilio multorum peritorum tam in jure canonico, quam in Theologiæ facultate, sive in jure civili, processus meritis visis, & diligenter discussis, omnibusque in eis contentis æqua lance libratis, Nos sedentes pro tribunali more judicum judicantium, Sacrosanctis Evangeliis positis coram nobis; ut de vultu Dei judicium nostrum prodeat, & oculi nostri videant æquitatem; habentesque præ oculis solum Deum, & sanctæ fidei irrefragabilem veritatem, contra te N. absentem, ut præsentem, Beati Pauli Apostoli vestigia imitantes, sententiam diffinitivam taliter ferimus in his scriptis:

Christi nomine invocato.

Nos Episcopus, & Inquisitor judices in causa fidei memorati, attendentes in causa illa fidei, ac processibus inde confectis, ordinem juris fore servatum: attendentes etiam quòd legitimè citatus, non comparuisti, nec per te, nec per alium te aliqualiter excusasti: attendentes etiam, quòd in præfatis hæresibus longo tempore contumaciter perstitisti, & adhuc etiam perseveras, ac excommunicationem per tot annos in causa fidei sustinuisti, prout & nunc sustines animo indurato: attendentes etiam quòd Ecclesia Sancta Dei non habet ultrà erga te quid faciat, cum perseveres, & perseverare velis in excommunicatione, & hæresibus prælibatis: Eapropter Beati Pauli vestigia sectantes, declaramus, diffinimus, ac sententiamus, te N. absentem, ut præsentem, esse hæreticum pertinacem, & ut talem relinquendum brachio sæculari, & per nostram sententiam diffinitivam te à foro Ecclesiastico expellimus, ac relinquimus potestati curiæ secularis: eandem curiam affectuosiùs deprecando, ut si quando te habuerit in sua potestate, erga te, circa sanguinis effusionem, & mortis periculum, suam sententiam moderetur. Lata fuit hæc sententia, &c.

Sententia, qua domus in quibus hæretici reperti sunt, aut conventicula celebrarunt, dirui jubentur.

Formula LII.

Cùm fida testium relatione, aut facti evidentia, vel propria confessione coram nobis constiterit legitimè, in domo, N. seu turri, ipso Domino sciente, & dissimulante, aut non impediente, hæreticos sua conventicula legibus vetita celebrasse, aut eosdem esse receptos, aut damnata, & falsa dogmata prædicasse: idcirco ut locus ille, qui fuit receptaculum, & latibulum hæreticorum, sit in sordium, putrediniumque receptionem, ob detestationem tanti criminis perpetuò deputatus, auctoritate qua fungimur, pronunciamus, præcipimus, & jubemus; præfatam domum funditus dirui, & solo æquati, sine spe reædificationis in futurum, pronunciantes amplius, & declarantes omnes lapides, rudera, & cæmenta inde amota ad fiscum nostrum pertinere. Ita ferè Zanchinus *tract. de hæres. cap. 41.* & Repertorium Inquisitorum *verbo sententia §. aliud genus sententia.*

F I N I S.

INDEX

INDEX
LOCUPLETISSIMUS RERUM, VERBORUM,
Materiarum atque Sententiarum, quæ in hoc primo Tomo continentur.

Prior numerus Disputationem; alter Disputationis Quæsitum; tertius Quæsiti Paragraphum; quartus denique Paginam assignat.

A

Abbates,

INDEX
LOCUPLETISSIMUS RERUM, VERBORUM,
Materiarum atque Sententiarum, quæ in hoc primo Tomo continentur.

Prior numerus Disputationem; alter Disputationis Quæsitum; tertius Quæsiti Paragraphum; quartus denique Paginam assignat.

Abbas

Astro-

B.

C.

Datiis.

Index Rerum, & Verborum.

Consue.

D.

E.

Ecclesia,

Electus,

Fictio

G.

H.

Habitus

Imagi-

Instan-

Jus

N.

O.

P.

Præla-

Privi-

Rectores

Revo-

F I N I S.